www.e-rara.ch

Gisberti Voeti theologiae in acad. Ultraiectina professoris selectarum disputationum theologicarum, pars prima [-quarta]

Voet, Gijsbert

Ultrajecti, 1648-1667

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: Rm 303 & Rm 303: a-ac

Persistent Link: https://doi.org/10.3931/e-rara-22314

Pars prima

www.e-rara.ch
Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Visual Library

Rm 303.



En tibi Voetiadæ placida sub imagine vultus:
Divinum ingenium linea quæq; notat.
Si majora cupis: Viva est Virtutis imago,
Quæ vitâ et scriptis exprimit ipse suis.

GISBERTI VOETII
Theologiæ in Acad. ULTRAJECTINA Professoris,

SELECTARUM DISPUTATIONUM THEOLOGICARUM

PARS PRIMA.



Suum Forum. Hundij
Alex. Sinceri 1848.

ULTRAJECTI,

Apud JOANNEM à WAESBERGE,
ANNO cIↃ IↃ C XLVIII.

BIBLIOTHEK
DER
CANTONAL=
LEHR=
ANSTALTEN
ZU
ZÜRICH.

VENERANDO ET CELEBERRIMO

THEOLOGO

D. ANDREÆ RIVETO SS. Theologiæ in inclytâ Acad. LUGDUNO-BATAVA Professori honorario,

NEC NON

Illustris GYMNASII AURIACI, *quod est* BREDÆ BRABANTORUM CURATORI *residenti, ac primæ educationi* CELSISS. PRINCIPIS AURIACI *quondam* PRAEFECTO.

Venerande & Celeberrime Vir,

DIATRIBAS, *quas de selectis nonnullis materiis & quæstionibus publicarum disputationum examini in hac Academia subjeci, tandem visum fuit studiosis & amicis ita flagitantibus, curis secundis interpolare, & per partes in lucem emittere. Consilium illud, ut & primam complurium* ἀναγνώσεων *scriptionem, quia tibi non displicuisse scio, ausus fui primæ huic parti, quæ nunc exit, nomen tuum præscribere. Rationes hujus instituti mei satis graves fuisse arbitror. Quarum prior & potior, ut hâc publicâ gratitudinis meæ contesseratione testatum facerem, quam dignè æstimem tum utilissimos labores tuos in ecclesiæ bonum, & communem theologorum institutionem impensos, tum etiam favorem & beneficia tua, quibus me, ex quo tibi innotui, privatim dignatus es. Altera ratio est, ut scriptum hoc nostrum umbone celeberrimi nominis tui obtectum tanto tutius in publicum prodire, & quorumcumque adversariorum spicula tanto facilius declinare aut contemnere queat. Tu enim is es, quem post tot labores in ecclesiis & scholis exhaustos, post tot eruditissima scripta edita, post tot trophæa ab adversariis reportata, supraque omnem invidiam in hac felici senectâ positum, tanquam*

quam militiæ theologicæ ducem, & honorarium ordinis nostri arbitrum eruditi passim suspiciunt. Tuo subacto & excercitatissimo judicio, si supra ac præter Rever. collegarum meorum judicia, de quibus certus sum, hæ meditationes nostræ comprobentur, saltem non improbentur, utique aliorum rectè sententium suffragia mihi polliceri audebo. Quod si tamen eveniat, ut aliquis nonnulla per errorem aut animi morbum prædamnata iniquius carpere malit, quam benignè interpretari, facile erit eadem tuo & collegarum meorum calculo præjudicata tueri, atque unà æquo cuivis lectori satisfacere. Accipe ergo, Venerande & Celeberrime Vir, *literarium hoc munusculum, eo quo offertur animo, & autorem solito patrocinio ac favore porro dignari perge. De quo cum minime dubitem, nihil restat, quam ut Deum nostrum supplicem, te diu nobis & universæ ecclesiæ incolumen servare dignetur. Vltrajecti Kal. Octobr.* cIↃ IↃ C XLVII.

Venerandi & celeberrimi nominis
tui cultor

GISBERTUS VOETIUS.

Lectori

Lectori benevolo salutem.

BEnevole Lector, tria sunt, de quibus visum est te paucis monere. *Primum* est, quod quarundam materiarum & quæstionum delectum habere maluerim, quam omnes locos theologiæ ordine conscriptos edere & publicis disputationibus subjicere. Ratio hic nulla alia fuit, quam quod actum agere noluerim, & utilissimos libros, quos studiosi nostri familiariter terere solent, è manibus eorum excutere, substitutis nostris non-nostris, inde descriptis & nomine nostro insignitis. Libri, quibus studiosi ex nostra commendatione in cursu Academico ut plurimum utuntur ad imprimendos & accurandos conceptus locorum communium, fuerunt hactenus, *Theses Gomari*, *Synopsis Professorum Leidensium*, *Maccovii collegium disputationum*, *Amesii Medulla* & *Casus Conscientiæ*, *Clutonis Idea*, *Commentarius Catecheticus Vrsino-Pareanus*, *Mellificium Catecheticum Diestii*. Hos enim autores studiosis nostris ordinario commendare soleo, & ad eos collegia examinantium & disputantium instituere. Quibus postea provectiores & jam concionibus formandis vacantes, de nostro consilio, adjungunt lectionem *Syntagmatis Tileni*, & *Institutionum Calvini*, posterioris etiam in ministerio ad annos aliquot continuandam. Quid ergo dices, opus scriptione & editione tuarum disputationum? Tantopere iis opus fuisse, ego non contendo: Tantum regero me studiosorum & aliorum virorum doctorum atque amicorum voluntati hâc in parte obsecutum: ne viderer meo unius judicio plus tribuere quam ipsorum, & meæ quieti magis consulere, quam multorum utilitati. Occurrebat etiam illud Augustini lib. 1. de Trinitate cap. 3. *Vtile est plures libros à pluribus fieri diverso stylo, non diversâ fide, etiam de quæstionibus iisdem, ut ad plurimos res ipsa perveniat, ad alios sic, ad illos autem sic.* Materias aliquot explicandas ipse quidem mihi sumsi, sed pleraque alii obtule-

runt, quin etiam nonnunquam importunè opportunè satis alioquin occupato extorserunt : cum scil. putarent, uberius quædam circa illam materiam tractanda ; aut saltem aliâ methodo ac veste evidentis explicationis induenda, & magis specialiter ad particulares hypotheses, aut ad statum controversiæ, ut nunc est, aut ad postremas ac novas adversariorum exceptiones applicanda ; etiam nonnulla peculiaribus titulis & justis diatribis supplenda, quæ plerique autores modo citati, si non planè prætermiserant, saltem parcè ob rationes proculdubio ipsis notas, mihi ignotas, attigerant. Hinc factum ut fundamentales locos communes quamplurimos de *Scripturâ*, de *Dei naturâ & attributis, de Trinitate, de Angelis, de Peccato, & lapsu, de Imagine Dei, de Providentiâ, Prædestinatione, de Personâ Christi, de Justificatione, de Fide, de Sacramentis, de Ecclesiâ, de bonis Operibus, de Idololatriâ, de Iuramento, de Disciplinâ Ecclesiasticâ, de Ministerio &c.* hactenus publicis Thesibus non explicuerim, nec à studiosis ex *Synopsi Leidensi*, aut ex *Gomaro* aut alio aliquo autore, modo nominato, qui in omnium manibus versatur, descriptos proponi passus sim. Sumptibus enim illis parcendum putavi, cum multò melius in autoribus modo indicatis locos illos legere, & inde memoriæ mandare, etiam in suos quique M.S. locos communes, si ita visum fuerit, transcribere possint. Nec desunt nobis exempla præstantissimorum Theologorum, qui delectum illum pro suo arbitrio adhibuerunt, locis omnibus ordine non pertractatis; inter quos eminet, *Aretius in problematis*; ut non dicam de *dispp. Marpurgensibus, Giessensibus*, & variorum Professorum in Belgio, quorum selectæ disputationes quotidie eduntur. Atqui dices, hoc saltu & delectu minus rectè juventus informatur, præsertim in locis illis quam maximè necessariis supra memoratis. Siquidem tota institutio Academica in ejusmodi selectarum materiarum aut quæstionum conscripta disputatione consisteret, aut ego solus in hâc Academiâ Theologiam docerem, utique aliquo colore hoc objiceretur. Sed longè aliter se res habet, ut op-

ut optimè nôrunt discipuli nostri. Minima enim apud nos pars est, vix minima particula institutionis Academicæ in locis communibus. Prælectionibus publicis loci illi modo dicti, cum omnibus aliis tum perpetuo cursu, tum quavis occasione in interpretatione scripturæ per annotationem doctrinarum, & digressiones explicantur : & corollariis subjectis publicæ cuiq; disputationi ventilantur. Accedunt frequentissima collegia privata examinantium & disputantium ad unum aliquem ex autoribus modo nominatis, aut alium quemcumque orthodoxum, siquidem studiosi hoc petierint, aut rationes eorum ita tulerint. Ut jam nihil dicam de collegiis & collationibus privatis super controversiis aut omnibus à capite ad calcem, aut seorsim Pontificiis, Socinianis, Remonstranticis, Anabaptisticis, etiam Iudaicis. Affirmare possum singulos Professores ternis aut quaternis ; nonnunquam quinis, ejusmodi locorum communium, & controversiarum collegiis distineri, præter collegia repetentium conciones & proponentium. Nec desunt auxilia aliquorum ex Rever. in verbi ministerio collegis, qui in gratiam studiosorum similia aliquot collegia continuo habere solent. Hac ratione fieri non potest, quin mediocri ingenio prædíti, debita diligentia adhibita per Dei gratiam satis feliciter conceptus locorum communium imbibant. In eo etiam hallucinantur, si qui conspectis aut forte tantum ex rumore auditis titulis selectarum aliquot disputationum nostrarum, nescio quo præjudicio aut affectu, imaginari velint, me solum in hâc Academiâ theologiâ omnem publicis disputationibus excolere debere, & quorumcumque studiosorum necessitatibus ac rationibus satisfacere. Duo sunt præter mè Rever. collegæ qui in eâdem hac vineâ laborant & præter selectas materias etiam aliquos ex principalibus illis locis communibus modo recensitis omnesq; cõtroversias eò pertinentes ex professo explicarũt, insuper corollariis quæ disputationibus pro arbitrio respondentium sive delectu adhibito ex locis & controversiis capitalibus, sive secundum ordinem locorum commu-

communium ſubjici ſolent, ſatis ſuperque agrum illum locorum communium aſſiduò excolunt. Si qui æquo arbitrio hic defungi velint, inſpiciant modo ipſorum eruditiſſ. & utiliſſ. diſputationes, cum ſubjectis corollariis, & fatebuntur operam dari in hac Academia, ne in hoc inſtitutionis genere neceſſaria ſubſidia ſtudioſis noſtris deſint. Addere poſſem, me diatribis problematicis, quas ad locos communes, hactenus publicis diſputationibus à me ex profeſſo non explicatos, inſtituere decrevi, ſi Deus vitam & valetudinem conceſſerit, conceptus aliquot difficiliores perſpicuè pro viribus explicaturum. Nihil puto amplius à me ſtudioſos noſtros poſtulaturos. *Secundum*, de quo monitum te volui, concernit citationem variorum autorum. Comparet autem ea in his noſtris diſputationibus gemina. Una in principio aut in fine cujuſque diſputationis. Altera in ipſo contextu. De priori non puto apud quenquam cauſam dicendam. Quod enim non ſine aliqua laboris & temporis impenſa bona publico hic præſto, & in omnibus diſpp. problematicis cum Deo porro præſtare decrevi, donec ſtudioſi habeant juſtũ indicem aliquẽ autorum & materiarũ, id exemplo præſtantium autorum tueri poſſum. Præeunt hic *Victorellus in notis ad Toleti inſtructionem Sacerdotum*, aliique Theologi Pontificii mox infra citandi: Et ex noſtris *Chamierus in Panſtratia Catholica*, ubi ad ſingulas controverſias, ſcriptores utriuſque partis indicantur. Imprimis hic conferendi ſcriptores illi, qui ex profeſſo meros indices materiarum, & collectanea conſtruxerunt quales: *Molanus in indice materiarum*, *Auguſtinus Barboſa in collectaneis ad decreta Concilii Tridentini*, *Martinus de Ripalda in collectan. ad epitomen Lombardi.* Ut nihil dicam de *Poſſevini Bibliotheca ſelecta*, *de Pandectis Geſneri*, aliiſque iſtius generis utiliſſimis operibus. De poſteriori ergo citatione quæ contextum theſium intercurrit, aliquid dicendum: Ne otiosè ad vanam oſtentationem, aut ad ingenia & ſtudia juniorum perturbanda, aut ad imminuendam ſcripturę autoritatem, inſtituta eſſe videatur. Ac primum

mum præjudicium aliquod huic cauſæ mutuare mihi liceat ab exemplis eorum, qui ſupra invidiam ſunt, & apud Theologos reformatos omni exceptione majores habentur: Qualis *Ioh. Raynoldus in variis ſcriptis*, præſertim in Eruditiſſimo opere *prælectionum ad libros apocryphos*, quod citationibus omnis generis autorum teſſellatum eſt. Præterea *Petrus Martyr in locis communibus*, *Andr. Rivetus in Catholico orthodoxo*. Inſuper *Voſſius* in omnibus *diſpp. theologicis* olim Lugd. Batavorum inſtitutis, adhæc in tract. *de Symbolis*, *& de Tempore Nativitatis Chriſti*, *de Idololatriâ*. Quibus accedat *Seldenus in tract. de Iure naturali & Gentium*, qui ad theologiam & ſcripturę explicationem ſpectat. Poſſem addere ex recentioribus Pontificiis Scholaſticis *Zvvarezium* & ex antiquioribus *Pelbertum Themeſvar*. Ex Caſuiſtis *Azorium*, *Eligium*, *Baſſeum*, *Fragoſum* &c. Ex Ritualibus, *Bartholomeum Gavantum*. Ex commentatoribus *Cornelium a Lapide*, imprimis *Ioh. Lorinum*, qui omnes hic ſuperare videtur. Et quid vetat exemplum petere à ſcriptoribus Juriſconſultis, Politicis, Philoſophis, Medicis, qui tum in theſibus Academicis tum in libris à ſe editis ex profeſſo citandis autoribus occupari ſolent. Conferat, cui vacat, *Tholoſanum in commentariis ad ſyntaxes artis mirabilis*, *in Syntagmate Iuris*, & in *Tolitica*; *Althuſium in Politica*, *Dicaiologia*, *& Ethica*; *Beſoldum in ſcriptis Iuridicis*, *Politicis*, *& Theologicis*: qui tres non tantum ex ſcriptura, & ex corpore Juris, ac Doctoribus ſuis, ſed etiam ex theologis, philoſophis citationes multiplicare ſolent. Inſuper *Gryphiandrum*, *Liebenthalium*, *Carpzovium*, *Ruvium*, *Conimbricenſes*, *Goclenium*, præcipuè in Conciliatore, & Lexico philoſophico, *Zacchiã*, *Canonhierũ &c* Sed his omiſſis varios uſus iſtarũ citationum oſtendamus. *Primus eſt*, in tractanda theologia hiſtorica (ut eam cum eximio Theologo D. Altingio τῷ μακρίτῃ ſic appellem,) cujus ultima analyſis eſt in teſtes & autores; non vero in ſcripturam. Neque enim ex antiquitatibus aut novitatibus eccleſiaſticis, theologia quovis ſæculo recepta & hæreſes atque errores veritati oppoſitę ritè explicari poſſunt ſine auto-

 rum

rum citatione. Docent hoc recentiores omnes hæreſeon ſcriptores, & *Myſteriũ iniquitatis Pleſſei cum defenſione Riveti, & Willeti tetraſtylon Papatus*, & *Gomari diſpp. de Antichriſto, de Symbolo* &c. *Molinei Catalogus Traditionum eccleſ. Romanæ.* Imprimis citationes neceſſarię ſunt, cum diſputatur de quæſtione circa ſtatum inficialem, An ſcil. Pontificii, aut alii heterodoxi tale quid dixerint, ſcripſerint, dogmatizarint. Vide de citationum neceſſitate in hiſtoricis & antiquitatibus diſſertationem *Voſſii lib. 3. de Idololatriâ cap. 84. p. 1184. 1185.* *Secundus uſus eſt* in theologia elenctica: ubi adverſarii per proprios & domeſticos teſtes ſubinde convinci debent; imprimis ſi præfracti ſint, & ad ſcripturę, immo & ad patrum teſtimonia obſurduerint. Sicuti enim inter patres olim *Iuſtinus, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Theodoretus &c.* Gentiles crebrâ Gentilium ſcriptorum citatione convincebant, ſic hodie Antagoniſtæ Atheiſmi, Gentiliſmi, Judaiſmi, Papatus, ex humanis teſtimoniis confundunt eos, qui ſcripturæ teſtimonia non admittunt, aut in iis non acquieſcunt. Exemplo ſint *Raynoldus, Rivetus* modo laudati. Quibus adde *Mortonum in apologiis catholicis*, *Ferrium in ſcholaſtico Orthodoxo*, *Iacobum Laurentium*, in ſcriptis compluribus. *Tertius uſus eſt*, in iis quæſtionibus, ubi de novitate, de peculiari opinione, deque ἰδιοσυγκρασία, de præjudicata & communiter recepta ſententia, de conſenſu antiquorum aut recentiorum theologorum dubium movetur aut moveri poſſet. Ex ſolis enim citationibus autorum (non ex ſcripturâ) conſtare debet, in quam partem ſuper dubio illo determinandum ſit. Exemplum hic præbuit ſummus Theologus Rivetus in tractatibus ſuis *de origine Sabbathi*, & de *Imputatione peccati Adami.* In patrũ citationibus frequẽtes ſunt *Pleſſeus, Molineus, Rob. Abotus, Iuellus, Davenantius, Vſſerius, Rivetus, Blondellus*, aliiq; doctiſſimi Pontificiorũ Antagoniſtę. *Quartus uſus eſt*, in ſtatu cõtroverſię conſtituendo, atque hac occaſione in incruſtationibus, diſſidiis, & inteſtinis circa ſtatum illum contentionibus adverſariorum detegendis. Exemplo ſint tractatus *Andr. Craſtovii* &

Flacii

Flacii Illyrici, de sectis & dissidiis Papistarum & *Mortoni apologiæ catholicæ.* Hæc causa non nisi meris autorum citationibus agi potest. *Quintus usus est*, in controversiis illis enodandis, quibus philologiæ, & antiquitatum sacrarum cognitio admiscetur. Talia enim sine autorum citationibus expediri non posse, nulli tyrones in theologia ignorant. Videantur *Theses Gomari*, scripta *Raynoldi*, *notæ* variorum ad *N. T. Erasmi*, *Camerarii*, *Bezæ*, *Casauboni*, *Heinsii*, *Grotii*. *Commentaria Merceri in Genesin*, *Iobum*, *Proverbia* &c. Imprimis disputationes aut exercitationes textuales & philologico sacræ *Helvici*, *Crinesii*, *Tarnovii*, *Amama*. Confer etiam scripta *Seldeni*, *Schickardi*, *Drusii*, *Scaligeri*, *Serrarii*, *L'Empereur*, quibus varia ad antiquitates sacras pertinētia explicant. Vide supra indicatā dissertationem *Vossii lib. 3. de Idololatr. cap.* 84. *Sextus usus*, & specialis est in controversiis quibusdam moralibus & Casuisticis, ubi omnibus non ita liquidum est, in utram partem potissimum statuendum sit, & nonnunquam opiniones admittuntur, quæ inter omnes magis probabiles & magis tutæ judicantur. Qui Casuistas modo inspicere dignabitur, discet autorum citationes aliquam illic, si non paginam, saltem paginæ partem facere: Certè doctiorum ac prudentiorum sententiis ac consiliis theologiam nostram moralem, & scriptiones casuum ac consiliorum circa politiam ecclesiasticam non minus decorè amplificantur, quam vulgaria consilia, Theses Academicæ, & tractatus Jureconsultorum. *Septimus usus*, itidem specialis, est in explicatione totius theologiæ naturalis, & in enodatione illarum quæstionum theologiæ supernaturalis, quæ ancillantem philosophiam imprimis requirunt. Philosophorum dogmata, sententias, testimonia cum fructu tunc allegari ac conferri, nemo sanus inficias ibit. Vide *Danæi physicam*, *Ethicam*, *& antiquitates primi mundi*, *Zanchium de operibus creationis*, scriptores de Deo, de Angelis, de veritate religionis Christianæ. Adde & philosophos tum Pontificios, tum reformatos: ex quibus supra aliquos citavimus. *Octavus usus est*, in manuductione ad notitiam

variorum præstantissimorum autorum: ut, si aliquando necesse sit aliquem aut aliquos ex iis legi, aut saltem inspici & consuli, nôrint eos esse in rerum naturâ, & quomodo de illis inquirendum sit, & quis eorum delectus habendus: in quem finem subinde exsertè indicamus quinam inter illos materiæ ubertate & plenitudine, aut methodi ἀκριβείᾳ, aut distinctionum & disputationum subtilitate, aut variorum autorum citatione usibus nostrorum magis commodi videantur. Neque enim omnes scriptores orthodoxi, nedum omnes alii, ab omnibus, omni tempore, multo minus in cursu Academico, legi debent aut possunt, immo ne quidem inspici aut conferri. Non arbitror ipsam calumniã tale quid ex thesibus meis aut *Bibliothecâ theologica* antehac editâ collecturam. *Nonus usus est*, ut hac ratione candidè profitear per quos profecerim, & unde aut aliqua, aut plurima, nonnunquam pleraque depromserim, & unde aliquando à studiosis æquè ac à me eadem aut etiam longè plura hauriri possint, siquidem diligentiam adhibeant. Procul enim absum ab illorum judicio, qui studiosis haut indicandum censent, quibus potissimum rationibus & quorum adminiculorum præsidio anteceſſores in prælectionibus, disputationibus, scriptis supra discipulos & vulgarem sortem eminere queant. Ego longè aliter animatum me profiteor. Quidquid enim mente complexus sum, quidquid assidua lectione, studio, experientia hactenus, assecutus quam libentissimè quavis occasione φιλομαθῆσαι discipulis meis pro ratione profectus ad promovenda singulorum studia communicare paratus fui, & etiamnum sum, etiã usque ad M. SS. quasdam observationes virorum doctorum, præceptorumque meorum, aliorumque si quæ sub manibus meis unquam fuerint, quinimmo & notulas proprias, sive aliquibus libris meis adscriptas, sive variis in scedis sparsas. Bonum enim est communicativum sui; & uberrimo studiorum fructu tunc me frui puto, cum quamplurimis profuturus, omnia mea trado ac cõmendo *fidelibus hominibus qui idonei erũt & alios docere*: ut loquar cũ 2. *Tim.* 2. Si qui malint aliorũ thesibus, & locis

cis communibus orthodoxè, methodicè, perspicuè, & accommodatè ad præsentem controversiarum statum explicata, inde describere; omissis modo nonnullis minime tamen inutilibus, atque ita proprio suo sub nomine exstare & à studiosis legi, non commendatis utilissimis libris, immo & suppressis planè autorum nominibus, quorum vitulâ arârunt; fruantur ii sane judicio suo; ego fruar meo. Hoc saltem scio viris ingenuis & verè eruditis juxta mecum in Iesuitis talem agendi modum, quo præstantiores quosque autores è manibus studiosorum excutiunt, ut omnis theologia omniumque artium & scientiarum latifundia in Jesuitarum libris in posterum legantur, & omnes φιλομαθεῖς ab unius societatis tripode admirabundi dependeant. *Ludovico Cælio Rhodigino* viro multæ lectionis ac variæ eruditionis hoc vitio vertitur, quod dissimulaverit autores, unde sua descripserit: de quo vide *dissertationem Vossii lib. 3. de Idololatria cap.* 84. cujus conclusionem tantum adscribo p. 1185. *Quare cum etiam in rebus ratione suffultis satius sit veteres adducere, quia iis honos primus debetur, qui primi docuerunt: longè magis hoc in illis, quæ testimonio sunt subnixa, fieri convenit, ubi altero etiam nomine veterum exigitur auctoritas, cum absque ea in rebus ambiguis claudicet omnis scribentis auctoritas: eoque non mereantur laudari, qui, quò pro antiquis ipsi rerum antiquarum testes, à junioribus advocentur, inani hac gloria, magno studiorum incommodo, mira quædam narrant, sed animo ingrato æquè ac superbo digitum recusant ad fontem intendere, unde ipsi profecerint, unde item aliis sitim plenius certiusque liceat explere.* Addo prudens monitum Gryphiandri in tract. de Insulis, præfat. p. 14. *Ac semper id egi, ut fideliter allegando auctores, furti litterarii maculam effugerem. Cujus multi non ex modernis saltem, sed & ex antiquioribus scriptoribus rei aguntur, qui opes & glossas, quas fecerunt Dd. antiqui mortui, jam multis temporibus, viventes sibi appropriant, ut consequantur laudem & gloriam scholarium*, ut conqueritur Rofred. Benevent. in procem. quæst. sabbat. de quo late Frider. Tilean. in discurs. philol. fol. (mihi) 40. *Et quamvis Advocatus non teneatur*

neatur loca legum & Dd. in individuo allegare, Specul. in tit. de disput. & alleg. *Decimus usus est*, ut studiosis nostris & cuivis lectori tantò melius constet, me reformatæ religionis viam tutam insistere; nec curiositatibus inauditis, aut profanis novitatibus aut quæsitis κυβείας & καπηλείας, præsertim circa casus conscientiæ, praxin pietatis, & politiam ecclesiasticam, ecclesiarum nostrarum planam & genuinam theologiam corrumpere. Hinc est quod non tantum probatos nostros autores cito, sed etiam ubi res ita requirit, decreta ac constitutiones synodorum nostrarum, colloquia publica, confessiones, apologias, liturgias: uti imprimis ex tertiâ & quartâ part. disputationum nostrarum patebit. *Undecimus usus est*, ut hac ratione quodammodo suppleam quæ meis desunt: cum aut temporis, aut thesium, aut instituti nostri ratio non permittit illa in præsentiarum tractare; aut saltem tam plenè aut prolixè tractare, ac quidem materiæ ubertas, aut controversiæ gravitas requireret: aut cum tam expeditè & accommodatè ad ingenia & usum nostrorum ea ab autoribus, quos ex commendatione nostrâ in manibus habent, pertracta sunt, ut judicem utilius & compendiosius ea istic legi & inde imprimi posse, quam à nobis de novo proponi. Nequid autem indicii hâc in parte desit studiosis & junioribus theologis, plures plerumque autores indico, ut si aliquorum aut saltem unius ex omnibus copia illis sit, necessario auxilio non destituantur. Atque hi fines istarum citationum. Quod si quis in lectione thesium nostrarum iis carere malit, per me licet, eas prætereat: & earum usum aliis relinquat, qui à me hoc efflagitant, aut qui vel hoc nomine imprimis disputationes nostras sibi comparandas censent. Neque enim tyronibus catecheticæ & elementaris theologiæ ignaris Theses nostræ scriptæ sunt, saltem illis solis scriptæ non sunt. Ne quis autem cavilletur me meros indices materiarum dare (quamvis jure meo hoc possem, magnorum virorum exemplo, nec tamen sine fructu,) exhibui non raro ipsa formalia autorum verba; sed sacræ scripturæ ferè nunquam aut rarissimè: quod nullo

nullo alio consilio factum, quam ne liber in majorem molem sine necessitate excresceret; cum biblia cuivis lectori ad manum sunt, aut esse debeant, reliqui autores non itidem. Nec tamen omnibus omnium autorum transcriptis sententiis librum & lectorem onerare volui, sed tantum iis, quæ acutè aut admodum significanter, aut breviter rem proponunt, aut quorum à autores à compluribus lectoribus quotidie consuli non possunt, aut cum proposita materia autoritatem, & testimonia postulat. Si cui nihilominus hæc excerptorum exhibitio, quæ non exiguâ temporis & laboris impensâ mihi constitit, inutilis videatur: eum ad *Photii Myrobiblon*, *Busæi Viridariũ & Panariũ*, *Crespetii Summã fidei catholicæ* &c. similesq; authologiarũ & collectaneorũ autores ablegabo, una eundem obtestatus ut his meis longè meliora atque utiliora pro virili præstare conetur. Nemo ut opinor, invidebit, saltem non ego, qui recordor vulgatum illud dicterium: μωμήσεται ὡς μᾶλλον ἢ μιμήσεται. *Tertium*, de quo hâc occasione monendum te censui, est de libellis quibusdam à duobus scriptoribus, altero professione Pontificio, altero reformato in theologiæ meæ, professionis Academicæ, & ecclesiastici ministerii detractionem postremis his annis evulgatis: si forte in aliquem ex illis incidere te contigerit. *Prior* est *Renatus des Cartes*, olim Jesuitarum discipulus, qui ex Galliâ in Belgium nostrum novæ philosophiæ ovum sub præsumta libertatis, an licentię, umbra exclusurus, ante complures annos advenit, & varia ejus loca insedit. Is quia putabat in hac nostra Academia philosophię suæ incunabulis haut vulgare impedimentum objectum, quod Professor quis ipsius philosophiam in throno hic collocaturus decreto Academico & autoritate inclyti Senatus Reipubl. Ultrajectinę in ordinem coactus esset; non veritus fuit famoso libello sub forma epistolæ ad Dinetum Jesuitarum provincialem in Gallia, putidissimis mendaciis & calumniis farto in Inclytum hujus urbis Senatum, & Cl. Professores, imprimis & supra omnes in me tunc Academię Rectorem grassari. Cujus famosi libelli occasione cum *D. Martinus*

nus Schoock antehac Ultrajectinæ, tunc Groninganæ Academiæ Professor, *Methodum philosophiæ Cartesianæ*, & Metaphysicam ejus sibi examinandam sumsisset, adhibitâ etiam aliquâ in libellum ejus famosum retorsione, ipse nequiter fingens me esse scripti illius (cujus prima folia aliquot nactus erat) autorem, ut aliquo prætextu insatiabilis & ambitiosæ vindictæ suæ saburram exoneraret, alterum libellum famosum in me protrusit, obstetricantibus immo & materiam hinc suppeditantibus improbissimis quibusdam mendaciorum architectis, qui id studiosè caviſſe videntur, ne unquam verum dicerent, tenebrarum & latibulorum suorum præsidio tuti; juxta axioma patris mendaciorum: *Mentire audacter; semper hærebit aliquid.* De viri hujus vertiginosis cõtentionibus, & metaphysicis meditationibus prolixè aut ex professo mihi hic aut alibi agendum non censeo. Non de illis: quia apud verè pios & eruditos qui insulsas chartas inspicere dignati sunt, eum sordere certus sum. Quin apud ipsos Pontificios, ne quidem apud patres Jesuitas, quos tantopere venerari se dicit, tanti nomen ejus esse arbitror, ut multum de eo laborandum sit. Insuper insani & famosi ipsius libelli in me editi publicâ autoritate condemnati & proscripti sunt, & actio à nobiliss. Domino Prætore Ultrajectino cœpta instituti (quo tamen meam minimè exstinctam arbitror,) ipsiusque crassissima & improbissima de me mendacia testimoniis inclyti Senatus, Cl. Professorum, & venerandi consistorii ecclesiastici ita confossa sunt, ut aliam hic faculam in meridie accendere haut opus. De quo consulendi duo libelli publicè editi & infra pag. 868. indicati. Accedit, quod in vicinâ Academiâ Lugduno Batavâ ipsius imperitiæ & temeritati frænum aliquod nuper injectum; quod dum ipse frustra mordet, videat ne forte illic atque alibi parentur aliæ huic morbo sanando anticyræ. De vertiginosis & periculosis aliquot ipsius &, siqui sunt, asseclarum, qui iisdem fere vestigiis insistunt, philosophematis mei instituti non est, aut hic aut alibi ex professo disserere, sic ut nomine & verbis ipsius miseras

chartas

chartas commacularem. Medicinam, Phyſicam ſpecialem, & Aſtronomiam quæ ſpectant, Medicis, Phyſicis, & Mathematicis examinanda relinquimus. Quæſtiones autem illas, quæ ad Metaphyſicam, Pneumaticam, Theologiam naturalem propriè pertinent, & theologiam ſupernaturalem per propinquas, immo & proximas ac primas conſequentias, non leviter concutiunt, ſuis quæque locis in publica & recurrente locorum communium prælectione, publiciſque in diſputationibus, & privatis collegiis theologicis, pro ratione muneris ad neceſſariã præmonitionem & inſtructionem diſcipulorum noſtrorũ, abſolutè & abſtractè non vero abſtrictè ad eriſticos libellos & dictata ſive Carteſii ſive cujuſcunq; alterius, perſtringere decrevi: ne ſi præſcripto viri illius, aut alicujus ex aſſeclis nomine publicis chartis in eum inſurgerem, ille ex Academiis & Theologis reformatis, Carteſii aut Myſtæ ſcil. ejus Antagoniſtis, tenebris ſuis lucem aliquam & ingratę philoſophiæ gratiam aliquam in Papatu & apud præceptores Jeſuitas fœneretur. Hanc puto & aliis theologis reformatis cauſam fuiſſe, cur privatis monitis, atque inſuper corollariis, diſputationibus Academicis contenti, publicis libris ipſius philoſophemata hactenus ex profeſſo non examinarint. Ut enim autor infra iram & pugnam eorum eſt, ſic & meditationes ejus circa illa μεταφυσικώτερα: in quibus ſe ipſum variis & periculoſis abſurdis implicat, dum nec ſua nec aliena ſatis intelligit, quin & ipſorum terminorum ignorantia paſſim laborat. Nec prætereundum, quod à Pontificiæ religionis philoſophis aut theologis, inter quos Gaſſendus, hoc ſatis ſuperque præſtitum ſit: quibus juſtam defenſionem & omniũ objectionum & exceptionum refutationem τὸ πρᾶγμα nondum oppoſitam vidimus. Sed ſi ipſe, aut alius quis ex ipſius aſſeclis, poſthabitis ineptis rhetoricationibus, & otioſorum verborum quiſquiliis, ac perſonalibus calumniis quæſtiones ſequentes non tantum nudè affirmando aut negando determinare, aut ſimilitudine aliqua explicare, ſed tanquam philoſophus breviter, acroamaticè, & ſyllogiſticè in

*** alteru-

alterutram partem determinatas defendere ausit, & ad opposita argumenta breviter & in forma respondere, aut saltē secundum methodum Thomæ aliorumque scholasticorum procedere; utique minime dubito, quin à studiosis non tantum sed etiam à professoribus Academicis, Philosophis & Theologis cujuscunque religionis, opiniones ipsius eâdem methodo, examinandæ sint. Sunt autem illæ quæstiones

AN quia hominis intellectus, æque ab imaginariis ac à veris afficitur, *hoc est*, falli potest, aliqua veritatis certa haberi possit cognitio, citra scripturę aut specialem spiritus sancti revelationem?

An certa cognitio rerum spiritualium, *hoc est*, de Deo, de Dæmone, de Animâ humanâ haberi possit?

Aut rerum corporalium?

An per sensus externos aliquid cognosci possit & hujus cognitione aliqua possit esse certitudo?

An quidquid possumus concipere, id potest esse?

An cujus idea est in aliquo homine, id revera existit?

An anima rationalis sit separabilis à corpore, & suâ naturâ seu intrinsecè & in se immortalis, seu incorruptibilis?

An immortalitas repugnet lumini naturali?

An eadem ex lumine naturali citra scripturam, contra Atheos & Epicureos probari possit?

An possit clarè & distinctè concipi tanquam necessario à corpore realiter distincta?

An sit substantia, aut accidens (qualitas scil. aut actio) aut modus substantiæ seu corporis?

An sit cogitatio? aut facultas cogitandi?

An sit attributum cogitationis, quod una cum extensione certis substantiis seu materiis inest?

An informet totum corpus omnesque ejus partes; an vero aliquas partes; an potius nullas, ita ut assistat corpori sicut nauta navi, & sicut angeli aut dæmones assistunt corpori, quod assumunt, aut quod possident atque agitant.

An bos ligneus, aut mortuus idem specie & substātiâ sit cum bove vivo? & eadem ratione ens per accidens?

An animalia, plantæ, homines quod ad actiones nullâ aliâ ratione sint entia per se aut per accidens, ac horologium?

An

An mens humana & corpus hominis animâ animali præditum, constituant unum per accidens?

An anima humana quamdiu est in corpore, in omnibus actionibus suis sit organica?

Et an unio animę & corporis ad constituendum hominem, sit substantialis, an vero accidentalis?

An idem numero corpus suscitari possit, & animę suę rationali superstiti denuo uniri, atque unum hominem cum illâ constituere?

An hoc non repugnet lumini naturali & rectę rationi?

An citra scripturam ex lumine naturali evinci possit, peccata contra quintum, sextum, septimum, octavum, nonum præceptum esse peccata, & non esse adiaphora; specialiter an de horrendis illis sceleribus (quorum meminit apostolus *Roman.* 1. *v.* 26.27.) illud contra Atheos, Epicureos, Gnosticos, Libertinos, Gentiles, Saracenos &c. evinci possit?

An naturaliter cognosci & probari possit esse Deum?

An articuli de Trinitate, Christo θεανθρώπῳ, peccato originis, beatitudine cœlesti, æternis pœnis infernalibus, repugnent lumini naturæ & rectę rationi?

An hactenus à philosophis Gentilibus, & inter Christianos à patribus, scholasticis hodiernis, theologis & philosophis, rectè ex lumine naturę, probatum sit esse Deum?

An idea Dei sit in nobis & an inde solidè probari possit, esse Deum?

An principia aliqua, seu communes notiones, homini ingenitę sint; inter eas practicæ, quæ synteresis dicuntur?

An inter alias rationes, per illam ab effectu ad causam, ab operibus ad opificem, seu per viam causalitatis citra scripturam, recte investigetur & probetur deitas & providentia Dei, contra Atheos & Epicureos?

An Spir. s. in scripturâ talem methodum probandi docuerit, & si sic, an sine blasphemiâ illa aut rejici aut posthaberi possit?

An unquam vel ad momentum dubitare liceat, An sit Deus?

Idem quæro de articulis theologię naturalis, & supernaturalis?

An homo possit de omnibus quæ hactenus scivit aut didicit dubitare, aut etiam omnium ignorantiam aut oblivionem affectare, ut hâc viâ ad solidam scientiam perveniat?

An dubitare possit Christianus de divinitate & autoritate sacræ scripturę?

An de certitudine suæ salutis, & testimonio spir. s. in conscientia suâ?

An certum sit principium, aut medium perveniendi ad scientiam, & consequenter ad cognitionem Dei per novè jactatum illud: *Cogito*; *Ergo sum*.

An omnibus illis quæstionibus aut plerisque de certitudine scientię, de Deo, ejusque justitiâ & providentia, de anima rationali, secundum novas quasdam hypotheses determinatis oppugnari possint Athei, Epicurei, Sceptici, Gentiles, Mahumedistæ, aliique à fide extranei, item Enthusiastę, & Libertini, etiam Sociniani, & veritas Christianæ religionis contra eos defendi?

An infideles coram Deo & hominibus verè sint ἀναπολόγητοι, aut tales possint dici, quamdiu Christiani facti non sint, aut per gratiam spiritus illuminantis ad certiorationem propositæ veritatis perducti?

An mundus sit infinitus, an vero indefinitus, an utrumque?

An potuerit esse ab æterno?

An extra hunc mundum sit spatium imaginarium.

An Deus solus sit absolutè infinitus & æternus?

Addimus ex physica sacra, seu historia creationis.

An terra motu diurno & annuo moveatur, cœlum vero aut sol quiescat?

An bruta animâ vivente, aut sensitiva sint prædita?

Alter, qui στηλιτευτικοὺς libros & quidem nomen meum in fronte præscribentes in me emisit est *Samuel Maresius* Theologię in Academia Groningana Professor. Tituli librorum sunt, *Vltima patientia* &c. *Bona Fides* &c. *Lingua abortiva* &c. Quarto libri Groningæ excusi (sed cujus exẽplaria distracta non sunt) titulũ ignoro, nec exemplar ejus hactenus nancisci potui. Itaq; accuratius indiciũ ejus, in aliud tempus rejiciendum: quamvis ex amicis nõnulla ἐν παρόδῳ de materia ejus libri audiverim, cujus magnam partem facere dicor. Alios libros aut libellos, ubi me nominatim aut periphrastice designatum vellicat quidem, sed nomẽ in fronte nõ præscribit, studio nunc prætereo. Quas occasiones & rationes istarum in me scriptionum ibi alleget, quas causas potissimũ & quã bene ibidem tractet, quo jure, quo modo, quo stylo, quo fine, nunc non disquiram, nec justam historiã aut declarationem apologeticã, hac vice opponã; sed tantum simplici ac prodroma negatione & protestatione torrentẽ hũc sistere conabor: si forte ab adversariis religionis, aliisque qui me non nôrunt ex *D. Maresii libris* & affirmatione ministerium meum, & consequenter per meum latus causam & ecclesiam refor-

reformatam infamari contingeret, vi ſcil. ſolitę ipſorum conſequentiæ, *Et crimine ab uno, Noſce omnes.* Apud reformatos in Belgio, & noſtros quibus notus ſum, nulla proteſtatione opus eſt vel contra Mareſii vel contra alios centenos iſtius cõmatis libellos: ibi enim, ut Zenonis rationes Diogenis ambulatione, ipſa factorum luce omnes λόγων nubeculę ſatus ſuperque diſciſſæ ſunt, & porro cum Deo diſcutientur. Acrior erumpit, ne quidquam obtenditur umbra. Publicæ hujus proteſtationis primo diſputationum mearum volumini præmittendę jamdudum conſilium ceperam, & cum Rever. collegis meis aliiſque amicis eruditione, pietate, prudentia ſpectatiſſimis communicaveram; ex quibus nulli quod ſciam, conſilium hoc improbarunt. Ratio mea palmaria, in quâ illi acquieverunt, iſta erat: Quod non viderem, quomodo tot & tanta crimina publicis & victuris chartis Profeſſoris Theologi nomen & autoritatem præferentibus toties quoties repetita tanquam vera aut ſaltem maxime probabilia fidem apud adverſarios, alioſque, quibus plane ignotus ſum, non invenirent, & Cochlei, Surii, Laingæi, Lindani, Bolſeci, Coſteri & ſimilium ſcriptorum perſonales noſtrorum Theologorum criminationes non augerent; ſi nulla publica ſaltem inficiatione & proteſtatione fidem eorum elevare auderem. Admodum enim probabiliter bonã ſuam fidem ſibi tueri viderentur, dicẽdo, ſe noſtras res ignorare, ſed publicũ accuſatorem cogente conſcientia *hæc profunda Satanæ detegentẽ* (uti ipſe loquitur *Vlt. Pat. p.* 425.) ejuſdẽ ordinis, ejuſdẽ religionis eſſe cum accuſato, & conſequenter de tanti & domeſtici teſtis fide, qui me vivente, nec contradicente, libros illos edidiſſet, non dubitandum. Regulam illam juris, *Qui tacet conſentire vũdetur*, ſic vulgò explicant & limitant Doctores: Non fateri quidem ipſum; certum tamen eſſe, eum non negare. Ne ergo hæc regula cum gloſsa in me cudatur, Nego ac pernego, criminationes D. Mareſii veras eſſe, aut veri ſpeciem quam habere; ſed contra coram Deo hominibuſque proteſtor, eas eſſe falſiſſimas, ſive ipſe D. Mareſius ἀπὸ τῶν μηνίγγων τῆς ἐγκεφαλίδος

eas fabricaverit, sive ab improbissimis & mendacissimis susurronibus suggestas temere eas, adoptârit, & evulgando suas fecerit. Atque una obtestor D. Maresium, ut aliquando & conscientię & famæ suæ, & ecclesiæ ædificationi consulat, ac de æquissimâ aliquâ restitutione cogitet, justâ liturâ malesanis criminationibus inductâ. Præmoneo etiam quoscunque lectores, præsertim à religione & ecclesia nostra alienos, ne fide implicita ad solius Maresii affirmationem categoremata ex libris ejus excerpta in me spargant; sed tantisper ἐπέχωσι, donec viderint ea debitè ab illo probata, aut honesta aliqua sive compositione sive palinodiâ inducta. Sunt autem criminationes, quas pernego & contra quas protestor trium generum. *Primum* est earum, quæ si verę essent, politicam infamiam mihi conciliarent: Quales sunt, Quod contra scientiam & conscientiam sollicitaverim & impulerim D. Schoockium ad falsum testimonium & ad falsum perhibendũ & juramẽtum præstandum, *Vlt. Pat. p.* 108. 410. 412. 413. 414. 415. 417. 420. Et *ibid. in paraſc. Octern.* 1. *p.* 13. Et *Ling. Abort. p.* 57. Et quod falsorum testimoniorum faber falsarius sum. *Ling. abort. p.* 93. Et quod veritatis omnium eorum, quæ D. Schoockius in judicio Groningano declaravit (quæ à Maresio in *Vlt. Pat. locis modo cit.* refertur), corã Deo in conscientia conscius sum. *Vlt. pat. p.* 415. Et quod vim aliquã conscięti meæ feci cum D. Schoockium arresto constrictum Ultrajectino tribunali stiti. *Vlt Pat. p.* 414. Quod æquivocationes Jesuiticas docui aut suggessi *Vlt. pat. p.* 409. 412. 413. Quod Amplissimo Senatui Ultrajectino falso imposuerim contra scientiam & conscientiam meam, adhibito tum scripto testimonio Schoockii, tum falsa meâ declaratione coram ipso Senatu facta *Vlt. Pat. p.* 410. 412. 420. & *Ling. Abort. p.* 57. Quod D. Diestium Theologum Daventriensem ad sacræ inquisitionis meæ tribunal rapere voluerim ab nescio quod corollarium &c. *Vlt pat. p.* 263. Quod falso citaverim testimonium Gomari in quæstione de bonis operibus. *Vlt. pat. p.* 331. Quod ea commisi, quæ tendunt in ignominiam totius ordinis theo-

theologici, ita ut profunda illa Satanæ publico illo libro detegere debuerit. *Vlt. Pat p.* 422. 423. Quod concitaverim Schoockium ad scribendum contra Vedelium, Salmasium, Maresium, & quidem hoc solo argumẽto quod essent exteri ac peregrini. *Bon. Fid. p.* 61. & *Vlt. Pat. in paras. p.* 34. Quod epistoliũ salebrosũ D. Lecherperii nomine suppositio circũferri curo. *Ling. Abort. p.* 50. Quodq;. Maresio tria mẽdacia bellula hac scriptione volui imputare. *Ibid.* Quod illũ imitor, qui reus & convictus multorũ scelerum per testes idoneos, nihil aliud reponebat Actori, quã se ista negare illi & suis testibus. *Ib. p.* 60. Quod Rempublicã, & pacem publicã perturbo. *Vlt. Pat. p.* 121. 122. 294. & *in Paras. p.* 4. Quod præfectus Heusdanus non sine mea culpa vapularit *Bon. Fid. p.* 63. Quod idẽ factũ aliter refert in *Ling. Abort.* quod verbera à Præfecto retuli. *p.* 50. Quod dũ rixosis, eristicis & ἀπροσώποις scriptionibus meis in omnes impudiẽter grassor, & pacis inimicum me per omnia præbeo, ac in veritatem & innocentiã cum meo filio ac per illũ vi armata ruo, & eo ipso *respondeo*, ut ille, *generi meo, ut qui de latronum & convenarum natus sum semine &c. Ling. Abort. in præfat.* Quod lacera famę meæ carina tempestatibus sævis mea culpa & justo Dei judicio, non modo premitur, sed planè deprimitur & quassatur. *Ibid.* Quod bona ecclesiastica (vicariorum scil. & Canonicorum seu quinque capitulorum Ultrajectinorum) mihi volo vindicare, ut, si Deo placet, ex merè idolothytis fiant spiritualia. *Vlt. Pat. Paras. p.* 43. & *p.* 227. *Secundũ* genus est eorũ, quæ ecclesiasticã ἀπαξίαν mihi imponerent, quales de translatione & transitu meo à cura ecclesiæ Vlymensis ad curam ecclesiæ Heusdanæ absque ullius vel classis, vel synodi autoritate prævia. *Ling. Abort. p.* 50. De procurato apud Ill. ac præpot. DD. Ordd. Belgii impedimento, ne synodus Geldrica Sylvæ-ducis haberetur. *Ling. Abort. p.* 1. & 2. Quod multis theologis orthodoxis lites moverim, dum Aristarchum ago in omnes: & hanc rem esse in propatulo. *Vlt. Pat. in paras. p.* 26. Quod quendam exseniorem ecclesiæ Gallo-Belgicæ Sylvæducensis, in ipsum concitaverim, & in scisma-

te

tes à Mareſio & eccleſia obſirmaverim. *Vlt. pat.*, *Paraſc. p.* 30. Quod homo ſum ἀσπονδος, à quo præciſitas illa, quam prior in Theologiam introduxi, &c. nulla in re ſanctius ac præcisè magis obſervatur, quam in odio & irreconciliabilitate. *Ling. abort. p.* 1. Quod collegas meos Theologię Profeſſores ad ſubſcriptionem judicii contra Fraternitatem Marianam pro imperio adegi. *Vlt. Pat. p.* 155. *Tertium genus* eſt eorum quæ me hæreticum aut heterodoxum facerent. Quales ſunt, quas tanquam λόγους & conſequentias, aut ſaltem tanquam πάθη & amplificationes paſſim inſpargit de Phariſaiſmo, Anabaptiſmo, Browniſmo, Præciſitate, nova Theologia, nova Caſuiſtica, Atheiſmo, Scepticiſmo, &c. *Vlt. Pat. p.* 159. 160. 161. 304. 340. 341. 243. *Bon. Fid p.* 48. 55. 126. &c. De quibus quia alibi & alia occaſione, non nominato accuſatore Mareſio (ad evitādū ſcādalū ſc. & propter honorē ordinis) cōmodius agi poſſit, & quia antehac aliquid de iiſdem egi; hac vice non ita laborandum mihi duxi: præſertim cum particulares heterodoxias (quarum centurias D. Mareſius promittit. *Ling. Abort. p.* penult.) nondū enumeraveritin libellis mihi lectis. Nam quartus libellus, cujus exemplaria Groningę detenta ſunt, & in quo hanc telam exorſus dicitur, nondum mihi viſus eſt. Interim quia in crimine hæreſios neminem oportet eſſe patientem, proteſtor in anteceſſum, me nullam ſententiam in theologia dogmatica, aut practica hactenus, quod ſciam, tradidiſſe, aut defendendam ſuſcepiſſe, quæ communi & receptæ eccleſiarum reformatarum, aut Belgicarum doctrinæ repugnet. Præter hæc tria criminationum genera ſunt & aliæ exprobrationes quamplurimæ, quæ partim falſę, partim veræ; ex quibus pleriſq; tamen Pontificios alioſq; adverſarios infamationum ſuarum collectanea non ita inſtructuros arbitror. Quarum etiam aliquæ, ſi verę eſſent, vel minimum honeſtę famæ meæ obeſſe poſſent. *Falſæ ſunt* pleræque, contra quas eadem ſcientia & conſcientia, quâ ſupra, coram Deo hominibuſque proteſtor. Sunt autem illę de educatione mea in orphanotropheio *Bon. Fidei p.* 57. ut & in *Vlt. Pat.* De bis à me edi-

rum

cis Latinè ſcil. & Belgicè determinationibus D.D. Profeſſorum Belgicorum contra cauſam Fraternitatis Marianæ ab ipſo defenſam, *Vltim. Patient. pag. Ibid. Paraſc. pag.* 42. 43. Quod præcipuus ſeu primarius autor ſum libri Schoockiani contra novam philoſophiam Renati des Cartes, quodque materiam D. Schoockio ſuppeditarim, ille ordinem & ſtylum contulerit. *Vltim. Pat. pag.* 415. & *ibidem in paraſc. pag.* 25. Quod libro Renati des Cartes in me edito in quo cauſam Fraternitatis Marianæ defendit atque una D. Mareſium, qui ante pro illa fraternitate ſcripſerat, maluerim proſcriptionem opponere quam reſcriptionem, inſtar Alexandri qui nodum Gordium quem ſolvere non poterat, gladio reſeruit. Quibus artibus, inquit, hoc peractum ſit, non eſt hujus loci dicere. *Vltima Patientia pag.* 240. Quod à Synodo Gallica Ultrajectina per libellum ſupplicem petierim deciſionem abſolutam [ſuper quæſtion. ſcil. de Fraternitate Mariana], quam nobili Carteſio & Mareſio opponerem. *Vltim. Pat. pag.* 283. Quod à tempore ſcriptionis meæ contra Fraternitatem Marianam nulla ferè mihi lectio aut diſputatio abierit, in qua aliquid non inſperſerim hac de re, quo Mareſii orthodoxiam diſcipulis meis ſuſpectam redderem. *Vltim. pat. in paraſc. pag.* 29. Quod impingo palam in decretum Ordd. Hollandię 17. Aprilis &c. *Ling. Abort. pag.* 4. Quod pro innata mea curioſitate compilaverim ſcrinia amicorum ipſius, ad literas ipſius conquirendas. *Ling. Abort. pag.* 67. 68. In chartam conjicit & publicè legi vult, partim Conjecturas aut ſuſpiciones ſuas de *piis fraudibus*, partim fabuloſas relationes de ſuppoſititia epiſtola, per quam Rovenii dicti Archiepiſcopi Ultrajectini bibliotheca Magiſtratui innotuerit [cujus ego in conſcientia mihi bene conſcius eſsem] & ſimiles chimæricas nugas, quas antehac amico per epiſtolam communicaſſe ſe fatetur, Vide *Ibid. pag.* 68. 69. 70. Paſquillum Sylvæducis editum, & ibidem proſcriptum videtur velle defendere aut excuſare, ſaltem quod ad illa quæ in perſonali ipſius cauſa

contra me in dicto paſquillo continentur, non quod ad illa quæ quoſdam ex Magiſtratu ibidem tangunt. Negat tamen illũ paſquillum integrum (N.B.) unquã ſibi viſum; antequam excuſum exemplar ipſi Groningæ communicaretur. Ibidẽ appellat, *feſtivũ dialogũ*. Fatetur etiam ſe ſcripſiſse ad amicos nonnulla de me & filio meo [præcipua ſc. mẽdacia, quæ in illo Paſquillo mihi & filio objiciuntur], quæ vera an falſa ſint, in medio ſe relinquere ait. Vide *Ibid. p.* 68. 69. 70. Quod credit epiſtolã Fr. de Wael & Joh. van der Hagen [quam ſcil. filius inſeruit *Trib. iniquo p.* 163.] eſse ſuppoſititiam ab homine facto [me ſcil.] ad falſos teſtes in ipſum ſubornandos. Quodque epiſtola illa ſcripta ſit ad ideam ſtyli mei : & quod bonorum ac ſimplicium iſtorum virorum nomine abuſus ſum. *Ibid. p.* 73. Eaſdem literas vocat Voetianas *p.* 75. Quod ex mea Caſuiſtica Franciſcus de Wael Miniſter Sylvæ-ducenſis bibere nolit in ſanitatem alterius ; ſed paratus ſit reſpondere propinanti in ejus memoriam. Unde concludit Fr. de Wael nominatim juraſſe in mea verba, & cauſæ meæ ſemper faviſſe. *Ibid. pag.* 74. Quod ab Ampliſſ. D. Quæſtore Zuerio præter omne meritum ſuum, me uno autore, tot retulerit injurias. *Ibid. p.* 76. Quod manipulos colligo, & toto orbe inimicos ipſi quæro. *Ib. p.* 77. Quod notarius Sylvæducenſis Gul. van Camphen falſidica inſtrumẽta in mei gratiam conſcripſerit. *Ib. p.* 76. Quod nomine claſſis Gorinchemienſis abuſus ſum ad judicia Profeſſorum Belgicorum contra Marianã fraternitatẽ præter jus & fas extorquẽda, cõquirenda & evulgãda, & quod omnia hæc à me facta ſub claſſis nomine. *Ib. p.* 81. 82. & *Vlt. pat. p.* 136. Quod ego enumerãdo (uti præſupponit, aut fingit me eſſe ſcriptorẽ libellorũ contra ipſum editorũ), quæ ipſi à D. Lecherpiere, aliiſq; objecta ſunt, ſcelerũ & mendaciorum architectus ſum, *Ibid. p.* 92. Quod ego falſorum teſtimoniorum faber falſarius Philippicis, & ſatyris [intelligit libellos à D. Lecherpiere, D. Leemanno & filio meo, denique anonymo quopiam qui vernaculè hiſtoriam Marianæ Fraternitatis conſcripſit] cum meis aſſeclis furioſis famæ honeſtiorum infa-

mibus

mibus depeculatoribus in ipsum insurrexerim. *Ibid. p.* 93. Quod ad famam & gloriam non gestio nisi per symmistarum meorum infamiam, & opprobrium; ex aliorum statuis fractis & fusis meam studeo conflare; cum Caligulâ paratus sum ipsi Jovis simulacro caput auferre, ut meum reponam in locum; non ex innocentium modo, sed ex ipsiusmet innocentiæ sanguine balneum expeto ad lepram illam & scabiem, quâ infectus sum, sanandam; cœlum terræ studeo miscere ut perperam à me facta pessimè tuear; denique dicenti ἐμῷ θανόντι γαῖα μιχθήτω πυρί, paratus sum respondere cum Nerone, imo ἐμῷ ζῶντι. *Ibid. p.* 94. Quod omnia illa, propter quæ nunc in libello tit. *Pietatis* &c. (qui D. Maresii *Vlt. Patientiæ,*), & altero tit. *Tribun. Iniqui* (qui eidē *Vlt. Pat.* D. Maresii & *Bonæ Fidei* oppositus fuit à filio meo: quamvis D. Maresius libros illos mihi passim adscribat) aperto ore dicitur *falsarius, sceleslus, sceleratus, furiosus, ordinis nostri propudium &c.* à Voetio & Voetianis ipsi publicè objecta sint *Ibid. p.* 95. Quod ex scriptis ab ipso antehac emissis, luculenter patet, me inmunem non esse à crimine falsi, &c. *Ibid. p.* 96. Et hoc constanter affirmat, non obstante, quod in Filii mei *Tribunali Iniquo*, testimonia, rationes, D. Schoockii juramenta in contrarium vidisset, aut videre potuisset. Sed pergo, & addo comminationem ejus pag. 97. *Eum ad realia traducam, & enotem ac impugnem publicè aliquot centurias assertionum periculosarum, lubricarum, falsarum, ejus scriptis publicis insperssarum, quas imprudens propinat juventuti, dum paradoxa &* κενοφωνίας *ac* καινοφωνίας *sectatur, nihil ex authoribus quos tumultuariè evolvit adoptat in suum, nisi quod à sententia receptiori & saniori est remotius, universam Theologiæ reformatæ ideam & hypotyposim hactenus receptam evertit & ad suum modulum reformare satagit, fœnum ac stipulam pro auro & gemmis fundamento semel posito inædificat, ac periculosa ex Pontificiorū lacunis axiomata in sanam doctrinā derivat, quæ illi potius corrūpendæ quā ornādæ inserviant.* Hæc & si quæ sint istius farinæ cū in tertio libello in me nominatim emisso tit *Ling Abort.*, qui nomē ipsius & meū in fronte præfert, sine veritate, sine

ratione effundat, nefas non erit quærere an in ſanam mentem aut in bonã conſcientiam calamum ſuum ſatis intinxerit, cum ibidem pacis olivâ (more ſolito) libellum prædictum coronat *p.*97. & os ſuum abſtergit, ac ſi nihil mali feciſſet *p.*91.92. & tãtũ juſtâ apologiâ ſe defendendi, non conviciandi aut reconviciãdi animo *p.*95. talia ſe ſcripſiſſe dicit. *Veræ ſunt*, quæ quãvis minus juſtè & veraciter vitio mihi vertũt nõnulla à me facta, [ſiquidẽ nuda facta ſine ſycophanticis additionibus aut detractionibus hiſtoricè referantur): cõtra quæ quatenus à me facta non proteſtor, ſed libẽter ea agnoſco eorũq; relatione me nõ infamari ſed laudari arbitror. Sunt autẽ præcipuè iſta, quod oppoſuerim me novæ philoſophiæ: *Vlt. Pat. p.*406.407.240. 245. Pro meâ parte & meo ſuffiragio, ſi intelligat; fateor equidem, nec pudet. Neq; enim juventutem noſtrã Academicam, & conſequenter Academiã eâ perturbari & diſſidiis ac cõtentionibus ſcindi vellem. Quod opponam me novæ philoſophiæ Renati des Cartes. Sic eſt: ſaltem eam ut ineptam ſtudiis, præſertim theologiæ, & periculoſam in Academias minime recipiendã cenſeo. Quod aliter ſtatuo & in caſu conſcientię determino, de uſu & abuſu bonorum eccleſiaſticorum & de abuſivè dictis vicariis ac canonicis, aliter, inquam, quam ipſe velit, aut alii, quorum intereſt. Vide *Vlt. Pat. p.*294. 431. Quod oppugno (in determinatione caſus conſcientię) fœnus vulgariũ apud nos Trapezitarum. Vide *Vlt. Pat. p.* 203. & 299. Sic eſt: nec etiamnum video aliter hic ſtatuendum. Quod opponam me cauſæ fraternitatis Marianę. Sic fateor; & porro illud facturum me profiteor, quantum per conſcientiam teneor. In prioribus duobus confido univerſalem cõſenſum omnium totius Chriſtianiſmi Academiarum non defore. Mittantur modo ad illas Renati des Cartes & aſſeclarũ ipſius philoſophemata, & judicium earum ſuper iis exquiratur. In tertio & quarto habeo ſuffragantem totius Chriſtianiſmi antiqui, & hodierni conſenſum. Specimen & partem aliquam conſenſus illius dederunt excerpta aliquot de Trapezitica à Theologis Ultrajectinis tit.

Rei

Rei Iudicatæ vernaculo ſermone edita. Reliqua ſupplebit iterata editio *diſp. meæ de Vſurâ*, ſi Deus velit. De uſu & abuſu bonorum eccleſiaſticorum magnam nubem teſtium collegerunt Theologi aliquot & Miniſtri Ultrajectini in MS. quodam reſponſo ad quæſtionem ipſis propoſitam. In quinto, conſenſus reformatarum Eccleſiarum, & in iis Belgicarum, nimis manifeſtus eſt contra D. Mareſium, & Renatum des Cartes; qui poſterior quamvis in theologia hoſpes, imprimis reformata, & religione Papiſta, hanc cauſam pro D. Mareſio contra me ſibi tractandam ſumſit (Vide *Vlt. Pat. p.* 240) ut ſpiſſiorem ſcil. redderet famoſum ſuum in me libellum, & aliquam gratiam apud ſuæ religionis conſortes & apud pauculos reformatos negotio Marianæ Fraternit. implicatos, eidem famoſo libello ſuo cõciliaret. De conſenſu noſtrorũ contra duos hos in hac cauſa Antagoniſtas, certum me reddunt tum judicia Theologorum Belgicorum, tum alia quamplurima in ſcriptis meis tit. *Specimini*, & diſp. de *Idolol. indirectâ*, ſuper hâc quęſtione notata. De ſenſu & doctrina mea circa fœnus trapeziticũ, & circa uſum bonorũ eccleſiaſticorum, ſub titulis abuſivè dictorum Vicariorum, Canonicorum &c. idem profiteri auſim: quidquid D. Mareſius me eo nomine perſtringat. Si quis porro dubitet, Academiarum & ſynodorum in Gallia, Scotia, Anglia, Germania, Helvetia, Ungaria, Tranſilvania, ſentẽtias exquirat, ſi tanta ipſi cauſę fiducia. Tandem ad cumulum accedant cõplures aliæ partim directæ criminationes, [quæ ſupra recenſeri debuerãt,] partim aſperſiones, per ſuſpiciones, conjecturas fallaces aut falſas conſequẽtias, odioſas amplificationes, quibus me gravatum & contemtui atq; odio objectũ queror. Sunt autem iſtæ: Quod amicorũ communium interceſſiones, Potentiorum etiam è Republ. noſtra Ultrajectina adhortationes, conſilia, molimina fruſtra fuerint, & me non tangunt illa, nihilque moveat ordinis noſtri decus, ſcandalum infirmiorum, ædificatio eccleſię: quod ipſa vita mihi carius ſit illud honoris mei idolum &c. cui nonniſi aliorum ſanguine & fama litetur. *Ling. Abort. p.* 2. Quod

ego illum directè & ex professo conor efficere & probare, sceleratum, scelestum, falsarium, ordinis sui propudium &c. *Ibid: in præfat.* Quod dicendo famam mihi vita cariorem & magis defendendam esse, securus sum honoris divini &c. vel mihi persuadeo Dei honorem & meum eundem esse, prout Canonistæ Dei & Papæ consistorium unum esse nugantur. *Ibid. p.2.* Quod ad scenam ubique factus videor *Ibid. p.7.* Quod patri mendaciorum me auctoravi ad ea Maresio affricanda(de percussione scil. & secuto abortu uxoris D. Chabanei Gymnasiarchæ Sylvęducensis,) quæ falsissima & calumniosissima esse, coram Deo in conscientia optime novi. *Ibid.p.7.* Quod Anna Hortensia uxor D. Chabanei me instruxit ad maledicentiam. *Ib.p.8.* Quod gestiam ad Cretensium sceptrum &c.& hoc nunc effecerim, tam falsa & impia criminatione, ut nequidem alicui veræ à me aut meis prolatæ fides adhibenda sit, *Ibid.p.9.* Quod ex paredris meis Sylvæ ducis aliquem adhibui ad falsum hoc testimonium [scil. Annæ Hortensiæ uxoris D. Chabanei] fabricandum. Quod falsi testimonii convincitur declaratio Annæ Hortensiæ, & ego una qui eam sciens & volens produxi. *Ibid.p. 9. & 12.* Quod in hac arte [falsorum scil.testimoniorum] ita Roscium me ostendam, ut mulierculæ illi extorserim falsum testimonium, & eam perjurii crimine coram Deo & mundo implicaverim. *Ibid. p. 15.* Reliqua quamplurima ejusdem farinæ in illo libello non lubet huc transcribere. Videat, cui vacat *p.16.17. 33. 43. 46. 47. 48.* & conferat, *Rescriptionem Chabanei*, & filii mei explicationem *causæ desertæ Maresii*. Mihi enim nihil illic feritur aut metitur: nisi quod protestor contra calumnias & mendacia modo exhibita. Pergo nunc ad alia. Quod in negotio Sylvæducensi de Marianâ Fraternit. prorâ & puppim salutis cõstituo. *Ling. Abort.p.4.* & *Vlt. Tat.p.125.* Quod D. Lecherpiere de la Riviere me honestorum numero eximit [per consequentiã scil. seu illationem Maresianam,] quod eum flagitiosis & ἀλλοεβλημένοις ausus fuerim annumerare in Pseudo-Riveriano judicio. Quodque ausit quovis pignore certare,

hanc

hanc ſalebroſam ſcriptiunculam falſo D. Lecherperio affingi &c. Et quod epiſtolam illam jam ante minatus eram, ad inſtar iſtius, qui prædicit mala, quæ vult facere. *Ling. Abort. p.* 46. 84. 85. Quod omnia illa ſpurca convitia, quæ in ſcripto Schoockii contra Philoſophiam Ren. des Cartes ſub alterius nomine in Carteſium evomuerim, *diſp. de Atheiſmo*, [prout refertur in filii mei *Tribunali Iniquo p.* 55. 56. 57. 58.] ceu legitimè pronuntiata & propter quæ actio injuriarũ non poſſit intendi; cum ſanioris Theologię & eccleſiæ probro, auſus ſim defendere. *Ling. Abort. p.* 48. Quod camarinam de negotio quod interceſſerat Mareſio cum Cl. Molineo ejuſque familia movere tentaverim, *Ling. Abort. p.* 53. Quod axiomata à me proponantur, quibus Papa ſit extra noxam, dum permittit lupanaria. *Ibid. p.* 55. Quod ſynedrium Sylve-ducenſe dictaturis meis mordicus inhærebat; antequam ſcil. Synodo Geldricæ aſſociaretur. *Ibid. p.* 55. Quod judicium contra D. Regium collegam meum olim à me fabricatum, & typis deſcriptum, & ubique diſſeminatum ſit; quodque illud rigidum judicium Cl. Profeſſoribus Ultrajectinis extorſerim. *Ling. Abort. p.* 58. 64. Quod de me dicta, affirmata (ſtolida ſcil. & temulenta mendacia, ſolenniter coram Senatoribus Eirenicis revocata) à Jac. Leuwio, in foro Roterodamenſi queſtus ſum; excuſata recantata non probavi; quod Deus & dies plura manifeſtabunt. Quod de nominis mei celebritate tantopere glorior: quodque illa videatur &c. vergere ad occaſum &c. *Ibid. p.* 62. Quod formidabilem in Republ. Ultrajectina potentiam variis artibus acquiſivi. *Ibid. pag.* 64. Quod ſolenne mihi ubique Diotrephen agere. *Ibid.* Quod Heuſdę in collegio S. Huberti muſicæ gratia ſæpe cum aliis claſſis concionatoribus convenire ſolebam: inter ceremonias hæc erat prima, Novitio exhauriendum erat ingens cornu &c. *Ibid. p.* 83. Quod nomini Gallico ex profeſſo infeſtiſſimus ſum. *Ibid. p.* 88. Quodque nobiliſſ. Salmaſium, Mareſium, Carteſium, tres ſcil. Gallos delegere volui, in quos non tantum incurrerem, ſed omni injuriarum genere ſævirem. *Ibid. p.* 88. Quod tanti fuerit

mihi

mihi infallibilitatis meæ opinio, ut Mareſius videatur peccaſſe in ſpir. ſ., quod eam in rebus facti non admiſerit &c. quæ ibi ſequuntur convitiorum & calumniarum & ſyncophantiarum plauſtra. *Vlt. Pat. in Paraſc. p.* 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. Quod non alius, quam ego, autor ſit libri D. Schoockii contra Carteſium, quodque hoc toti Belgico nunc innotuit. *Vlt. Pat. in Paraſc. pag.* 25. Quod voluerim à Schoockio jurari, me non magis editionis libri Schoockiani contra Carteſium fuiſſe conſcium, quam quemlibet è trivio. *Vlt. Pat. p.* 413. Quod Groningam deſtinaverim 200. exemplaria ſcripti mei cui tit. *Specimen Excerptorum &c. Ibid. in Paraſc. pag.* 30. Quod D. Schoockius primum literis meis tentatus ſit ad ſcribendum librum illum c. Carteſium cui tit, *Admiranda Methodus &c. Ib. p.* 406. Quod exemplum ſententiæ Senatus Ultrajectini contra libellos Carteſii, nunquam obtinere potuerim. *Ibid. p.* 407. Quod idem Senatus Ultrajectinus curaverit ſupprimi libellum Belgicum, quem filius meus de proceſſu Ultrajectino contra Carteſium ediderat. *Ibid. p.* 407. Quod tranſegerim cum carnifice, & in anteceſsum ſtipulatus fuerim, ut in comburendo libro Carteſii eam curaret excitari flammam, quæ eminus cõſpiceretur: quaſi diceret cum illo monſtro, ſic feci ut ſe mori ſentiat. *Ibid. p.* 407. Quod D. Lecherpiere impulerim ad ſuam palinodiam gallicè emittendam. *Ibid. in Paraſc. p.* 31. Quod judicia Profeſſorum Belgicorum de fraternitate Mariana hinc inde diſſeminaverim; quò Mareſio tanquam hæretico prædamnato omnium conſenſu majorem conflarem invidiam. *Ibid. in Paraſc. p.* 22. Quod reformatos illos, qui Sylvæducis Marianam fraternitatem ingreſſi erant, fecerim manifeſtarios idololatras, vix dignos hujus lucis uſurâ. *Ibid. pag.* 133. Quod ὁμοψηφισμάτῳ cum Mareſio grandius crimen in Inquiſitione Præciſiſtarum [inter quos me imprimis denotatum vult] haberi non poteſt. *Ibid. p.* 197. Quod Nob. Carteſium Atheiſmi accuſo, quia novis quibuſdam argumentis contra Scepticos illum oppugnat: Ita proceres Sylvæ-ducenſes mihi ſunt Idololatræ, quia idololatriam exſtirpant. *Ibid. p.* 229. Quod ſuppoſitionem decreti Epiſcopi

Colo-

Colonienſis ac Leodienſis ejuſque defenſionem à Mareſio conſcriptam, antehac laudavi. *Ibidem p.* 338. Idem habet in *Oratione Groninga in depoſitione Rectoratus*: ubi citat *diſp.* meam *de Vocatione Miniſtrorum* &c. quam videat cui vacat, & de D. Mareſii candore & conſequentia ſtatuat. Sed pergo. Quod injuriam interpretor, nolle mentiri, & falſum teſtimonium dicere. *Vlt. Pat p.* 415. Quod magni ſuperſunt viri, qui recordantur qualem me præſtiterim in Synodo Dordrac an. 1618. 1619. *Bon. Fid. p.* 62. Quod quæ D. Schoockius imprudenter aut malè geſſit, à meis conſiliis profecta ſint. *Ibid. p.* 209. Quod Diotrephes ſum, imperioſus in collegas, quodque infallibilis habere volo, homo Bonifacii VIII. qui omnia judicat, judicatur à nemine. Adde teretiſmata illa, de Papa Ultrajectino, de dictatura, de triumviratu, & quod meo judicio ſum canonizatus. *Ibid. p.* 44. 49. 85. 124. coll. cum *Vlt. Pat. pag.* 236. Blaſphemiam mihi impingit, & Jeſuiticas fraudes & æquivocationes, malas artes. Et heterodoxiam de Juramento inquiſitorio, ſeu ex officio *Vlt. Pat. p.* 407. 414. 405. 406. 409, 410. 412. 418 & *Bonæ Fid.* 26. 27. 76. 77. Quæ à D. Schoockio in proceſſu Ultrajectino objecta, noſtrâ Reſponſione ita retuſa ſunt, ut poſtea ſatius duxerit illa præterire. Filius poſtea in *Pietate* & *Tribunali* paulò fuſius de iis egit. Sed quia hæc in Problematis moralibus pro tuenda noſtra orthodoxia contra criminationes Mareſianas aliquãdo tractãda ſunt, eò rejicimus. Quas præterea fabulas, aut fallaces, aut falſas conjecturas ac ſuſpiciones, aut cavillatorias alluſiones, aut calumnias de meo Atheiſmo indirecto & Scepticiſmo *Vlt. pat. p.* 243. *Bon. Fid. p.* 48. De prenſationibus, & ſophiſticis Exceptionibus, de Põtificiorũ libello in ipſum ſcripto, cui tit. *Munus adventitiũ*, de captatoribus Teſtamentorũ, *Bon. Fidei p.* 52. 58. *Vlt. pat. p.* 342. De ſcriptione aut tranſlatione Retorſionis D. Leemãni ex vernaculo ſermone in latinum, de editione judiciorum Profeſſor. Belgiorum ſuper Fraternitate Mariana, eorundemq; tranſlatione Belgica, & de hiſtor. Fraternit. à me ſcil. ſcripta aut edita, ut prætextu hujus fictionis in me graſsaretur *Vlt. pat. in paraſc p.* 21. 23. 28. 29. 30. 33. 34. 35. 41. 42.

43. & *p.* 123. 130. 131. 132. 133. 307. 318. De Riveto, de injuriis sibi illatis *Vlt. pat. in paraſc p.* 35. 36. 37. *& p.* 158. & similia ejusdem furfuris accumulat, ad eandem categoriam referimus, quo pertinent non entia, & homonyma ante factam distinctionem. Pudet & piget plura notare. Plurimę si non pleræque trium librorum paginæ, immo & lineę paginarum fermè describendę essent. Abrumpo ergo catalogum insectationum & cavillationum, contra quas tanquam iniquissimas partim aperte falsas, partim sophisticas, & calumniosas iterum iterumq; protestari me profiteor: relicto piis lectoribus judicio, quo sensu D. Maresius protestetur se nihil istorum animo injuriandi, cõviciãdi, aut reconviciandi scripsisse, sed solum se defendendi & excusandi *Bonæ Fid.* p. 41. *Ling. Abort.* p. 95. & consequẽter moderamen inculpatæ tutelæ non excessisse. *Vlt. pat. in paraſc. p.* 49. contra libellum scil. anonymi, quem mihi modo affingit, modo affingere non audet. De quarto ipsius libro qui stantibus scribendi induciis, quas singularis Nobiliss. & ampliss. DD. Curatorum Groning.-Omlandic. prudentia servandas curaverat, magnam partem, forte majorem in me scriptus dicitur, & cujus exemplaria in aliquorum manibus esse intelligo, quãvis Groningę suppressus sit, aliquid adderem: sed quia librum ipse non vidi, nec de omnibus, quæ referuntur satis certus esse possum; in aliud tempus hæc deliberatio differenda est. Sed dicent forte aliqui simplicem inficiationem & protestationem non sufficere: siquidem audiant D. Maresium in *Lingua Abort p.* 62. 63. *Vera esse quæ ille mendacii & calumniæ insimulat paratus sum probare in judicio; etsi notum sit illud, plus negaturum asinum quam probaturum Philosophum; veracitatem suam curet restitui in integrum, prius quam alios mendacitatis insimulet. Inter meum* Ajo, *& suum* Nego, *in iis quæ edita sunt, judicent qui sunt extra partes; & sciat se splendidissimè mentiri, quoties me arguit mendacii. Provoco circa res gestas & facti, ad eorum quorum interest conscientias, & ad Deum cordium scrutatorem.* Conferenda *pag.* 60. & ubi ad meam conscientiam provocat *Linguæ Abortiv. p.* 7. *Vlt. Pat. in Paraſc. p.* 28. 29. 32. *&c.* Ego fateor me nihil

hil aliud ex verbis ipsius colligere posse, quam quod D. Maresius publicis scriptis coram toto mundo pleraque crimina modo excerpta tanquam verissima mihi imposuerit: quorum tamen scientiam & probationem nullam habere, aut habuisse, se non obscurè fateri videtur, sed habere posse aut tum demum habiturum, cum & si ego aliquando conscientiam meam super iis exoneravero, insuper illi mecum super iisdem conscientiam suam exoneraverint, quorum interest. Sed applicemus ad rem præsentem. Criminationes Maresianæ non unius generis sunt, nec uno modo diluendæ. Nam *primo*, de criminationibus quibusdam à solo Deo cordium scrutatore, & à me in conscientia mea dijudicari & statui potest, quales sunt illæ, Quod feci contra scientiam & conscientiam meam, cum à D. Schoockio tale testimonium petii. Et quod consequenter vim conscientiæ meæ feci, cum eundem Schoockium super dictis de extorto falso testimonio injuriæ postulavi. Quod optimè novi coram Deo in conscientia falsissima esse, quæ de uxore Chabanei &c. Ad me solum inter homines in his & similibus criminationibus provocari potest, & ego solus affirmando aut negando sive juratus sive injuratus certi quid respondere. Dato enim (quod tamen falsum est) me quid petiisse à Schoockio declarandum, quod ita se non haberet; quis certo dicere posset nisi ego, an per errorem, oblivionem, seu memorię lapsum hoc ita petierim, an vero contra scientiam & conscientiam? Et sic de certa scientia mea circa negotium illud de percussione uxoris D. Chabanei, &c. judicandum. Idem etiam dicendum est, de illis factis meis, quorum conscii aut conscius desiit vivere. Non video aliud quid à me hic fieri debere, quam ut ajendo tester pro Maresio accusatore, si verum dixerit; aut negando contra illum tester & protester, si falsum dixerit. Quod posterius nunc facio, ut omnes, si fieri possit, hoc exaudiant, ad quos accusatio D. Maresii pervenit. *DD. communiter* (inquit Schneidwinus ad §. *sed istæ*, Instit. Action.) *statuunt, quod ea quæ consistunt in intellectu vel conscientia nostra probentur per simplicem nostram*

assertionem cum juramento. Ad Deum an & quomodo provocare possit, cum agitur de dictis & factis alienis, quæ ipse accusator coram nec vidit nec audivit, fateor me non satis capere, nec in præsentiarum ulterius disquiro. *Secundo*, sunt criminationes, de quarum factis scire & testari potest præter me alterius aut aliorum conscientia (siquidem meminerint:) eo quod aut dictum aut factum hoc meum coram juxta mecum viderint aut audiverint. Ad eorum ergo & meam conscientiam aut conscientias dum post promulgatas & repetitas publicè accusationes provocat Maresius: utique nihil prius ad provocationem & postulatum Maresii faciendum mihi videtur, quam ut secundum scientiam & conscientiam meam, ajendo tester pro Maresio de illo facto meo, aut negando tester & protester contra illum; uti posterius nunc feci, & ob rationes supra indicatas, insuper ob insultationem Maresii facere coactus fui: ne quis suspicetur, me otiosè publicam hanc protestationem emittere: *Quod cum filium suum in me immittat D. Voetius, nec ipse pro se palam* (N.B.) *& apertè respondeat, eo ipso convictus teneatur.* Ling. Abort. pag. 63. Nulla ergo restat anchora ad secund generis criminationes probandas, quam in scientia & conscientia unius illius, aut duorum, aut plurium, si qui facti mei juxta mecum conscii sint, aut quorum interest, ut ipse loquitur. Atqui complurium scientiam, conscientiam & declarationem de præsumtis quibusdam factis, prævenit Maresius, ipseque ea facta, parum ex honore meo, publicavit; quæ tamen coram nec vidit nec audivit; super quibus etiam præsumtos & appellatos illos testes & cõscios, quorũ interest & qui soli hic testari possũt, corã aut per literas nõ audivit, nec consuluit; quin immo non pauci ex illis contra ipsius *ajo* jam testati sunt, & aliqua ex illis testimoniis in *historia novæ philos. &c.* & in Actione seu *modo procedendi c. Ren. des Cartes*, adhæc in scriptis *Chabanei, Leemanni, filii mei* contra Maresium jam edita sunt, Nec puto eum plane ignorare quid declarẽt & quid velint scriptiones classis Gorinchemensis ad consistoriũ & ad classem Groninganã. Unde ergo le-

go legitimã probationem omnium istorum, ad quam se offert, hausturus sit equidem videre velim. Interim dum id nondũ video, & exspecto promissam & oblatam inter ipsum & me collationem Groningæ instituendam, nihil aliud ego accusatus istius criminationibus absque ulla probatione, absque ullo testimonio evulgatis teneor opponere, quam candidam & apertam negationem ac protestationem secundum scientiam & conscientiam meam: cui si accedit declaratio testium, à me productorum, quorum modo meminimus, ex abundanti accusatorem meum retundo. Exempla harum exprobrationum inter alia sunt, de iis quæ contra ipsum inter me & D. Leemannum, inter me & D. Chabaneũ, inter me & amplis. quęstorem Zueriũ, inter me & Typographũ Ultrajectinum, inter me & D. Lecherpiere, inter me & D. de Wael & D. van der Hagen classis Sylvæ-ducensis ad Synodum Harderovico-Geldricam deputatos, inter me & classem Gorinchemensem fabricata, aut consulta, aut acta finguntur. Quo refer, quæ à me agi & acta ajit in præjudicium collegarum meorum Theologiæ Professorum, aliorumq; Cl. hujus Academię Professorum, adhæc Collegarum aut olim aut nunc in ministerio ecclesiastico, præterea D. Diestii Professoris Daventrienſis. Illi omnes juxta mecum negant. Quid ultra expoſcit? Ad Deum in hujus generis criminationibus, si confugiendum sibi putet, ad quem *loco cit.* exsertè provocat, utique prius ex Theologis & JCC. determinari velim: An & quomodo jus & fas sit, in præsumtis factis, quæ quis nec vidit nec audivit, quæque vidisse aut audivisse se negant illi, qui aut soli ea videre & audire poterant, aut soli in casu publici testimonii de iis judicare solent, ac debent, ad judicium Dei provocare, & sic ad justam probationem coram quovis judice se offerre? Ego in secundo hoc criminationum genere feci & faciam, quod facere teneor. Quod si D. Maresius ultra quid postulet, & suam affirmationem meæ, & testium ac testimoniorum modo dictorum negationi præponendam putet, libens fero, siquidem legitimo judicio

ecclesiastico aut politico, aut honorariis ac postulatis arbitris ita visum fuerit, ut canonica purgatio, consequenter juramentum, πέρας πάσης ἀνιλογίας, mihi imponatur, etiam testes modo dicti denuo, & quidē jurati audiantur: hac tamen conditione ut idē D. Maresio imponatur in iis, quæ factū ipsius cōcerniunt, quæq; scriptis publicè editis, à *D. Lecherpiere, D. Leemāno, D. Chabaneo, & filio meo*, in *Pietate Trib. Iniq. Expl. causæ desertæ* ipsi objecta sunt. *Tertiū* genus criminationū est, quas testimonio, aliquo sive explicito & revelato, sive implicito & occulto (ex. gr. amici, qui ad ipsū scripsit *Ling. Abort. p.* 76. 82. 83.) munire tētavit: quæ in tanta multitudine pauciſſimę sunt. Hic primū à conscientia meâ, ad quā toties provocat paratissimum respōsum habet, me negare omnia illa quæ supra recensui, quippe omni veritate nō tantum, sed & omni verisimilitudine destituta: quidquid ille ad testes provocet aut nonnullos ostentet. Si canonica purgatio per juramentū requiratur à legitimo judice aut honorario arbitro, non refugio: hâc conditione, ut similibus in factis, quæ D. Maresio publicis scriptis modo nominatis objecta sunt, idē ipsi imponatur. Quod ad testes, factorum & rerum gestarū cōscios, ad quos provocat, juratos per me licet eos producat, si possit. Quod si ego, aut testes illi pro ipso renuant testari, aut aliqui ex illis legitimè non possint, quāvis vellent: jā ipsi videndū iterū, secundum quam theologiā & jurisprudentiam ad tribunal Dei provocet, cum tam gravia de me sine probatione, sine certa aut debita scientia, asserta probare præsumit. Et certè in gravissima illa criminatione de crimine falsi, quam solius fere Schoockii prætenso testimonio & fide [uti fatetur *Ling. Abort. p.* 58.] toties intonat, & pro quâ tantopere laboravit, non tantum juramento me purgare paratus sum, si legitimo judici ita visum fuerit, sed & ipse D. Schoockius unicus D. Maresii præsumtus testis jam satis testimonio illi se subduxit, cū religione juramenti interposita coram Nobil. & ampliss. judicii Ultraj. delegatis declaravit, se hoc de me & de Rev. collega meo Carolo de Maets non dicere (quod scil. acta Groningana præ se ferre

ferie videntur, & D. Mareſius eadem acta interpretatus aperte ac publice nobis imponit,) nec unquam alibi aut etiam coram Acad. Groninganæ Senatu de nobis hoc dixiſſe. Idem D. Schoockius ante proceſſum Carteſianum Groninga ſcriptis ad me literis, etiam menſe uno atque altero poſt, libello typis deſcribi cœpto tit. *Epiſtolæ ad Ren. des Cartes* non ſine juramento proteſtatus erat, ſcriptum à ſe, & quidem proprio motu, *Admirandam Methodum*, atque unà mendacii arguebat Carteſium, qui mihi librum illum adſcriberet. Idem præſtiterat in teſtimonio à ſe ſcripto & ſubſignato; in quo unà ad juramentum ſe offerebat. Et licet D. Schoockius ſuis teſtimoniis, & jurata declaratione coram judicio Ultrajectino me à criminatione illâ non liberaſſet, conſcientiam quidem ſuam lædere potuiſſet, minime vero cauſam meam & innocentiam ſubvertere. Meum juramentum à me coram eodem Nobiliſſ. & Conſultiſſ. judicio præſtitum, juratis pro me contra ipſum teſtibus junctum ſufficeret telo huic avertendo. Et jam machina illa favente Deo veritatis & juſtitiæ vindice parata eſt. Ter enim comparui coram judicio ſeu judicii delegatis, & ſub juramento reſpondi ad omnia illa quæ ad proceſsum hunc pertinentia Schoockius cum advocatis ſuis more & modo hic uſitato, mihi proponi voluerunt. Cõparuit ibidẽ & ad propoſita interrogata reſpondit, Rever. collega meus Carolus de Maets; qui ejuſdem falſi teſtimonii D. Schoockio extorti juxta mecum reus peractus fuit (vide *Vlt. pat. p.* 409. 412. 417. cum *Bonæ Fid. p.* 6. 22. 30.) Quem tamen D. Schoockius interpoſito juramento in judicio ſatis ſuperque à crimine illo purgavit: quamvis inficiatio D. collegæ & juramentum cuivis æquo cognitori ad purgationem ſufficere deberet. Comparuerunt ibidem teſtes illi, qui factorum, de quibus dubium eſſe poſſet, optimè conſcii erant. Ut nihil dicam de rationibus, quibus teſtem illũ Mareſianum circa meum factum, & à Rever. collega circa ipſius factum ad contradictiones & abſurdũ ſatis adactum puto. De quo videri poteſt *Proceſſus*, & *Trib. Inq.* Sed hæc, aliaque acta terminato

pro-

processu, aut etiam non terminato, si opus sit, pluribus aliquando & sigillatim cum omnibus circumstantiis detegentur. Quod ad factum & intentatum crimen D. collegæ nostri, illud jam pridem ipse difflavit brevi aliquâ apologiâ, quam filius meus consensu autoris *Tribunali suo* &c. *p.* 117. insertam evulgavit: ubi videri potest. Nihil aliud nunc restat, quam ut D. Maresius, qui toties pacem obtulit & commendavit, quamvis interea nunquam mihi pepercerit (quod evincunt tres libri ejus supra indicati) pacis negotium reipsa & seriò promoveat, inque eum finem opportunè importunè apud Nobiliss. & ampliss. Acad. suæ Curatores instet, ut conventus ille Groningę, quo per literas Nobilis. & amplis. DD. Curatorum ad inclytum hujus urbis Senatum, invitatis sum, quam primum haberi possit. Illic probationem omnium in me scriptorum, quorum summa quædam capita jam excerpsi, & contra quæ protestatus sum, si juxta promissa sua & triumphalem conclusionem [*Ling. Abort. p.* 59. 62. 94. 96. *Bon. Fid p.* 89.] præstiterit, polliceor culpæ confessionem, & debitam satisfactionem. Quod si ipse in probando defecerit, debitam satisfactionem & restitutionem ex æquo & bono non detrectet. Si vero nec illud nec istud seriò agat, prudentioribus judicandum relinquo, quomodo ad pacem & ad probationem tot tantorumque criminum de me promulgatorum sese hactenus obtulerit. Avidè jam integrum fermè annum exspecto, & porro exspectabo oblatam collationem, confisus post Deum pacificis consiliis, studiis, & promissionibus nobiliss. & amplis. DD. Curatorum: Exspectat mecum collega meus D. Carolus de Maets: cujus brevis apologia D. Maresio proculdubio lecta, si nondum satisfaciat, etiamnum ultrò se offert sicuti antehac se obtulit ad fraternam super nota hac infamiæ sibi immerenti inusta collationem Groningæ cum D. Maresio habendam. Exspectat etiam nobiscum filius meus, qui quod semel declaravit coram Nobilis & amplis. hujus urbis Cos. & Senatoribus, cum primę Nobilis. & amplis. *DD.* Curatorum Groning. literæ huc missæ de

litis

litis compositione & scriptionum induciis ; idem nunc declarat, paratissimum scil. se esse, ad omnia illa, quæ libellis suis, dum parentem suum, nec non venerandum fautorem suum D. Carolum de Maets, seque ipsum contra D. Maresii criminationes, ab infamiâ vindicare studet, in eundem D. Maresium justo, uti putat, dolore & ad enervandas adversarii criminationes, retorsisse comperietur, aut sigillatim probanda, aut palinodiâ publicè revocanda, ut debitè D. Maresio satisfiat: modo D. Maresius à parte suâ idem vicissim promittat in omnibus iis, ubi ipse actoris, filius defensoris partes sustinet. Insuper uti tunc, ita & nunc declarat, eum in finem se juxta mecũ & cũ Rev. collegâ nostro Carolo de Maets paratũ esse coram, cum D. Maresio conferre. Ego cũ eodẽ tempore (4. Decembr. 1646) à Nobil. & amplis. hujus urbis Cos. ac Senatoribus, ex literis Nobil. & Ampl. DD. Curatorũ Groning-Omlandic. duo illa mihi proponerẽtur, An scil. corã cum D. Maresio super controversiis cõferre vellẽ, & tãtisper à scriptionibus omnibus apologeticis aut rescriptionibus, si quas forte meditarer, aut præ manibus haberem, abstinere; in utrumq; cõsensi, hac cõditione, ne instituenda collatio in longum aut indefinitum tempus protraheretur, & hac ratione cogerer famam meam libellis D. Maresii corã omnibus ecclesiæ hostibus injustè prostitutã quasi in perpetuũ negligere: statutum enim mihi esse de cõsilio amicorum primâ quaque occasione, non quidem justã aut seorsim cõscriptã apologiã emittere, sed simplicem protestationẽ; ne aliquando adversarii nostri, & posteri cum accusatore meo dicãt, publicè à me ne semel quidẽ apertè & simpliciter negata esse gravissima illa & infamia crimina, quæ D. Maresius mihi adhuc vivẽti & mẽtis per Dei gratiã cõpoti publicè imposuit & ad quorũ probationem se obtulit. Addebã cõmodissimã occasionem edendę hujus protestationis nunc præ foribus esse, eòque minimè negligendam; quod editio primæ partis disputationum theologicarum propediem absolvenda esset, cujus præmissæ præfationi ad lectorem, dictam protestationem inferere aut

ſubjicere decreviſsem: Ne ergo famæ meæ, typographo, & operis editioni nimium adferretur præjudicium, me paratum quidem eſse ad duos aut tres menſes pacis cauſâ, dictæ proteſtationis publicationem differre; ſed non poſse ultra obligari, ſi illo tempore exacto, aut paulo poſt, collatio nõ inchoaretur. Quod cum ita placeret Ampliſſ. illi conventui, coram quo cũ filio meo accerſitus eram, & jam fermè novem menſes elapſi ſint, ex quo poſtrema ſcriptione ſua votum & ſtudium pacis ab illa parte promovendum abunde declararunt Nobiliſſ. & ampliſſ. DD. Curatores Groning. Omland., ac inſuper D. Mareſius interea librum Groningæ typis deſcribi curârit, quem quamvis illic ſuppreſſum, in aliorum manus facile deventurum, atque adeo de novo alibi recudendum [uti Bezæ poëmatis juvenilibus, & Paſquillo Sylvæ-ducenſi, aliiſque libris & libellis hoc evenit] vix dubitamus: committere non debui, ut primum hoc Diſputationum mearum volumen ſine promiſsa & exſpectata hac Proteſtatione exiret. Ex animo quidem doleo hanc neceſſitatem partim à D. Mareſii provocatione & iteratâ probationis oblatione, partim à metu non vano inſultationis adverſariorum, mihi impoſitam, ut innocentiam meam ab hactenus inauditis mihi iiſque, qui me meaque nôrunt, perſonalibus criminationibus ne ſimplici quidem proteſtatione purgare potuerim, niſi una accuſatori meo Kappa aliquod minime glorioſum inuſtum videretur, quale mihi ſine cauſa inuſtum volebat, ipſeque inciderit in foveam quam alteri fodit. Hic fructus, proh dolor! temere defenſæ fraternitatis Marianæ. Quâ cauſâ cum infeliciter ſe cecidiſſe videret poſt conſcripta judicia Theologorum & Profeſsorum in Belgio, nec aliud judicium illi exſpectandum eſset ex omnibus aliis eccleſiis & Academiis reformatis; mihi qui neceſsariâ reſcriptione Theſes meas publico ipſius libro impugnatas defenderam, omnem hanc ſive ſuam ſive malę cauſę calamitatẽ imputare maluit, & prætextu vanæ præſumtionis aut fictionis de libello vernaculo anonymi in ipſum

ſuper

ſuper cõtroverſia illa Marianâ tanquã à me ſcripto (quem ego tamen nec ſcripſi, nec edidi) perſonalium inauditorũ hactenus criminũ excogitatis commentis me obruere, & minimè Chriſtianam vindictã in me deſpumare, quam veritati manus dare aut ſiquidem ſeriò adhuc dubitaret, methodo theologicâ ipſam cauſam, omiſſis perſonalibus, ulterius proſequi. Sed abrumpo, & querelarum ſatis. Det Deus, ut ultima hæc ſit viri hujus impatiẽtia, ultimus furor ex patiẽtia læſa [uti prætexitur] oriundus. Si vocula mihi exciderit, quæ ipſi non ita grata ſit, cogitet me tot tamque atrocibus & crudelibus calumniis ſine ulla cauſa priorem petitum accuſatori reſpondiſſe. Deum veritatis & pacis orare non deſinam, ut D. Mareſius aliique omnes, quotquot mecum in Belgio noſtro ſive publicè ſive privatim, ſive privato-publicè de ipſius actionibus aut ſcriptionibus conqueſti ſunt, veritatem & pacem ſectentur, eaque omnes reipſa præſtent, ad quæ præſtanda ſe offerunt. Ultrajecti Eid. Novembr. cIↃ IↃ c XLVII.

1. Corinth. 9. v. 15.

Nam bonum eſt mihi mori potius, quam ut gloriationem meam aliquis inanem reddat.

Auguſtinus ſerm. 52. ad fratres in Eremo.

PRopter nos *conſcientia noſtra ſufficit nobis: propter vos fama noſtra non pollui, ſed pollere debet in vobis. Tenete quod dico, atque diſtinguite. Duæ ſunt res, conſcientia & fama: conſcientia neceſſaria eſt tibi, fama proximo tuo. Qui fidens conſcientiæ ſuæ negligit famam ſuam, crudelis eſt: maximè in loco iſto poſitus, de quo dicit apoſtolus, ſcribens ad diſcipulum ſuum:* Circa omnes te ipſum bonorum operum præbe exemplum.

INDEX
DISPUTATIONUM.

1. DISP. de Ratione Humana in Rebus Fidei. 1.
2. De Theologia Scholastica. 12.
3. De Quæstione hac; Quousque se extendat Auctoritas scripturæ? 29.
4. De Insolubilibus [ut vocant] scripturæ. 47.
5. De Symbolo Apostolico. 64.
6. De Patribus, seu Antiquæ Ecclesiæ Doctoribus, pars prima. 74.
7. Pars Altera. 87.
8. Novus Scepticismus Lojoliticus circa Principia fidei Christianæ. 108.
9. De Atheismo. 114.
10. Ejusdem pars secunda. 135.
11. Ejusdem pars tertia. 149.
12. Ejusdem pars quarta. 166.
13. De Vnica & Simplicissima Dei Essentia. 226.
14. De Scientia Dei. 246.
15. De Conditionata seu Media in Deo Scientia. 264.
16. Ejusdem pars secunda. 273.
17. Ejusdem pars tertia. 285.
18. Ejusdem pars quarta. 309.
19. De Iure & Iustitia Dei. 339.
20. Ejusdem Appendicis pars prima. 364.
21. Pars secunda. 379.
22. De Potentia Dei. 402.
23. Ejusdem pars secunda. 410.
24. Ejusdem pars tertia. 410.
25. Ejusdem pars quarta. 422.
26. Præscriptiones & Antidota Generalia pro Christianismo adversus Socinianos. 434.

27. Fran-

27. *Franciſci Gomari Diatribe de Chriſto* Αυτοθεῳ *cum notis.* 442.
28. *De Neceſſitate & utilitate Dogmatis de SS. Trinitate.* 466.
29. *Ejuſdem pars Altera.* 489.
30. *De Quæſtione hâc an Chriſtus qua Mediator ſit Adorandus?* 520.
31. *Ejuſdem Appendicis pars prima.* 536.
32. *De Creatione.* 552.
33. *Ejuſdem pars ſecunda.* 571.
34. *Ejuſdem pars tertia.* 597.
35. *Ejuſdem pars quarta.* 617.
36. *Ejuſdem pars quinta.* 635.
37. *Ejuſdem pars ſexta.* 652.
38. *Ejuſdem pars ſeptima.* 699.
39. *Ejuſdem pars octava.* 726.
40. *Ejuſdem pars nona.* 754.
41. *Ejuſdem pars decima.* 775.
42. *Ejuſdem Appendix prima.* 808.
43. *Ejuſdem ſecunda.* 831.
44. *Ejuſdem tertia.* 851.
45. *Ejuſdem quarta continens quædam Corollaria* 869.
46. *De Hierarchia Cœleſti & Angelis Tutelaribus.* 882.
47. *De Natura & Operatione Dæmonum.* 906.
48. *Ejuſdem pars Poſterior.* 933.
49. *De Spectris.* 985.
50. *De Energumenis.* 1018.
51. *Ejuſdem pars Altera.* 1036.
52. *De Peccati Vſibus per Accidens.* 1059.
53. *De Propagatione Peccati Originalis.* 1078.
54. *Methodus Reſpondendi excerptis & Calumniis de Deo Autore peccati.* 1118.
55. *Paralipomena quædam.* 1137.

FINIS.

DE RATIONE HVMANA IN REBUS FIDEI.

Resp. LUCA COUTERELIO Hag. Comit. Batav. 17. Febr. 1636.

De usu rationis humanæ in rebus fidei duplex est controversia: Una cum Socinianis eorumque assclis; altera cum neotericis quibusdam Pontificiis. Nos utramque breviter his Thesibus explicabimus.

SOCINIANI quamvis aliquando videantur fluctuare (ut Scepticis & Phyrrhioniis affinis est hæc secta) dum præ se ferunt scripturis omnia à se tribui: tamen ista & similia perperam effutiunt. *Ostorod. institut. cap. 6. Cateches. Racoviana* p. 37. 55. 56. Smalc. in præf. c. Franzium. *Sola ratione dijudicari possibilitatem & impossibilitatem articulorum fidei; non esse credenda quæ menti impossibilia videntur, summam religionem esse rationem*: & ostendit ipsorum methodus disputandi contra Trinitatem, Christi personam & officia &c. non scripturam tantum sed etiam rationem, & vel imprimis, esse normam religionis & credendorum: præcipuè cum omnes fidei veritates ex simpliciter prioribus & notioribus deduci volunt: quippe qui notiones ac conceptus univocè universales de Deo & creaturis, de rebus actionibusque divinis & humanis fingunt tanquam æqualiter illis convenientes & applicandos, idque ante, extra & supra scripturam. Nec abludit author anonymus libelli in Hollandiâ sparsi anno 1633. qui continet *examen libelli Papistici Valerii Magni de Acatholicorum credendi regulâ*, ubi & Pontificiorum & nostrâ de judice controversiarum sententiâ explosa, naturalis ratio humana statuitur judex & norma fidei. 1.

Præcognita & hypotheses nobis sint istę. I. Per rationem humanam *primo & propriè* intelligimus facultatem animæ rationalis in homine, quâ intelligibilia apprehendit & dijudicat; de quâ Physici in libris de animâ. *Secundo* per metaphoram metonymicam etiam denotare potest lumen cognitionis naturalis. Quale duplex est, *unum* assitum, extrinsecus objectum, seu externum, quod exterius homini proponitur & offertur per providentiam Dei moralem: Estque nihil aliud quam liber naturę, & media, adminicula, atque occasiones in hoc universo suppeditata ad cognitio- 2.

gnitionem & ratiocinationem naturalẽ, quæ citra revelationẽ ſupernaturalem peragitur. *Alterum* eſt inſitum ſeu internum quod intus inditur & introducitur. Hoc rurſum duplex eſt *vel* impreſſum omnibus hominibus ab ipſo ortu, & habet ſe ad modum principii, ſeu mavis habitus principiorum, diciturque communis ſenſus, communes notiones: de quibus egimus in diſp. de Atheiſmo: *vel* acquiſitum & poſt nativitatem hominis de novo ſuperinductum per auxilia Dei generalia; habetque ſe ad modum ſcientiæ ſeu habitus concluſionum, quo mens diſponitur, facilitatur, & determinatur ad cognitiones actuales eliciendas, conceptus formandos, & concluſiones ritè ex principiis deducendas de Deo & rebus divinis. De lumine hoc interno ſeu inſito *Rom.* 2.14.15. *Pſal.* 19.v.1.8. *Rom.* 1.19.20. II. Ratio humana propriè dicta conſiderari poteſt. 1. *vel* in ideâ, ſeu objectivè, & abſtractè: *vel* concretè, ſeu ſubjectivè, & ratione certi ſtatus, ſcil. ante lapſum ut dotata imagine Dei; in lapſu, ut corrupta; in gratiâ, ut liberata, quamvis imperfectè; in gloriâ, ut perfectè colluſtrata lumine gloriæ. Nos hic ut plurimum eam accipiemus ſubjectivè, ut per lapſum totaliter corrupta eſt, aut ut per gratiam liberata eſt, ſed non perfectè: ſubinde etiam objectivè, abſtractè, ut ſic & in ſuâ eſſentiâ contradiſtinctè & diviſim ab omni habitu, aut diſpoſitione, aut quâcunque formâ accidentali eam informante, determinante ac modificante, quæ ex principiis eſſentialibus ſubjecti (hominis ſcil.) non emanat & fluit; atque adeo non eſt proprium, quod omni, ſoli, & ſemper competat. Prout ſcil. eſt à Deo hominem producente; atque adeo opus Dei ſeu bona Dei creatura: nonnunquam etiam compoſitè cum habitu, aut diſpoſitione per ſola media naturalia aut per Dei quædam auxilia communia citra gratiam regenerationis in ipſam introducta. III. Principium fidei duplex eſt, *ex quo* ſeu externum; & *quo* ſeu *per quod* ſive internum. Illud poſſet dici principium objectivum; iſtud principium formale. Illud eſt verbum Dei: iſtud illuminatio Spir. S. ſeu lumen ſupernaturale menti noſtræ infuſum. Externum fidei principium, de quo hic quæritur debet eſſe primum & ἀυτόπιστον, ex quo primò educuntur & in quod ultimo reſolvuntur omnes fidei veritates, articuli ſeu concluſiones: de principiis primis vide *Philoſophos ad lib.* 1. *poſterior. c.*2.6.10. *& Scholaſticos ad* 1.*p.qu.* 1.*art.*2.6.8. IV. Objectum fidei divinę hic intelligimus formale, non præſuppoſitum: h. e. articulos fidei ſalvificæ δογμάτας, proprios & ſtrictè dictos, non vero præſuppoſitos, qui ipſi cum Theologiâ naturali, & cum ſanâ Philoſophiâ ſunt communes: Quales e. g. *Eſſe Deum, Deum eſſe juſtum, gubernatorem mundi, animam eſſe immortalem, &c.* V. Præſupponimus rationem humanam revera eſſe & rectè dici ſubjectum fidei recipiens, item inſtrumentum & principium

(ut vo-

(ut vocant) elicitivum fidei & cognitionis actualis: quia sola fidei est capax nõ vero alia aliqua inferior facultas, quæ homini cum brutis sit communis. Hæc tanquam *principiũ quod* conclusiones fidei ex unico infallibili scripturarum principio educit, atque adeo actibus simplicis apprehensionis, cõpositionis, divisionis, & discursus τῦ γνωστῦ supernaturalis seu spiritualis intelligẽtiá peragit. VI. Præsupponimus etiã supernaturales veritates fidei divinę superare rationem hominis quà talem seu ut sic: quia non percipit illas nisi per lumen superius elevetur atque informetur: Non tamen ei per se & quâ tali repugnare, sed per accidens corruptionis, & pravæ dispositionis, quæ menti nostræ adhæret. Hactenus ergo fides & Theologia nostra tota dici potest rationalis, non quod à priori veritatem suam rationibus necessariò demonstret apud negantes principia religionis Christianæ; sed quod demonstret conclusiones ex authoritate scripturæ, & rationibus ex scriptura deductis, apud eos qui aliquid concedunt eorum, quæ divinitus revelata sunt: & quod solvat saltem rationes eorum qui nihil concedunt, quibus illi contradictionis, & absurditatis fidem nostram arguunt, ut rectè distinguit, *Thomas. p.* 1. *qu.* 1. *art.* 8. Adde quod oppugnando directè falsam Theologiam, consequenter & indirectè unà propugnet veram: impedimenta scil. & præjudicia removendo, & sic viam ad veritatem muniendo. Talem fidei defensionem videre est apud *Athenagoram*, *Iustinum Martyrem*, *Clementem Alexandrinum*, *Origenem*, *Tertullianum*, *Arnobium*, *Lactantium*, *Augustinum*, *Theodoretum*, *Cyrillum Alexandrinum*, *&c.*; & intermediæ ætatis scriptores *Thomam contra gentes*, *reliquosque Scholasticos*, si cum delectu & judicio solidiora excerpantur; item *Savanorolam in lib. de triumpho crucis*, *Raymundum de Sabunde in Theologiá naturali*; *Cardinalem Cusanum*, *Dionysium Carthusianum*, *aliosque contra Mahumedistas*, recentiores denique *Ludovicum Vivem*, *Augustinum Steuchum*, *Charronum*, *quæstionarios Scholasticos & commentatores in Lombardum & Thomam*; inprimis apud *Plesæum in egregio tractatu de veritate Religionis Christianæ*: quibus adjungi possunt Antagonistæ Socinianorum alibi nobis citati.

His præmissis dicimus nullam rationem humanam esse principium 3.
quo seu *per quod*, aut *ex quo* seu *cur* credamus, aut fundamentum aut legem, aut normam credendorum ex cujus præscripto judicemus: atque adeo falsum non esse habendum illud in rebus fidei e.g. *trinitatem*, *peccatum originale*, *Christum θεάνθρωπον ejusque satisfactionem*, quicquid lumen naturale aut ratio humana ex prioribus & notioribus non capiat, vel quod ad accuratam definitionem, vel quod ad demonstrationem, vel quod ad utrumque:

que : sed contrà resolvi fidem nostram, ut notat credenda, in S. Scripturam ; ut notat actum credendi, in illuminationem Spiritus Sancti. Probatur I. quia ratio hominis irregeniti circa legem divinam cæcutit. *Eph.* 4.17.18. *Rom.* 1.21.22.23. circa Euangelium plane cæca est, meræ tenebræ. 1. *Cor.* 1.23. & 2.25. *Ioh.* 1.5. cum 9. *Eph.* 5.8. II. Quia multa sunt mysteria in Theologiâ nostrâ, imò totum Euangelium dicitur mysterium. 1. *Tim.* 3.16. *Mat.* 13.11. At illorum nil percipit homo animalis absque divinâ revelatione, nec *quod sit*, nec *quia sit*. Regenitus autem etiam cum intra & supra alios optimè se habet in primis summisque fidei capitibus, ex accuratis definitionibus τὸ *quid*, *quomodo*, & *quia* non percipit, sed tantum *quod sit* ex supernaturali revelatione Spiritus *S. Mat.* 19.17. & 13.11.25.27. III. Quia essentia & attributa Deitatis ab humanâ mente immediatè, adæquatè, ut sunt in se, atque adeò perfectè non comprehenduntur : sed tantum per viam negationis, causalitatis, eminentiæ: habet enim se hic mens humana ut oculi noctuarum ad Solem. Quin etiam de operibus Dei testatur Scriptura, quod comprehendi non possint *Rom.* 11.33.34. *Iob.* 41.2. *Ies.* 40.13.1. *Cor.* 2.19. Nedum ut personæ Trinitatis ; Christus redemptor, & totum mysterium redemptionis ratione humana comprehendi possit. Confer hic *disputationes Theologorum de visione & cognitione Dei, deque ejus in comprehensibilitate.* IV. Quia mens hominis regeniti, inprimis si adhuc infans sit. 1. *Cor.* 3.1.2. *Heb.* 5.12.13. cum *Phil.* 3.15. imperfectè & ex parte hîc cognoscit. 1. *Cor.* 13.12. Multumque nativæ caliginis semper ei adhæret ; hinc difficultas, imperfectio, obscuritas, confusio in rebus divinis cognoscendis: Non est itaque principium fidei divinæ, cui non potest subesse falsum. V. Principium est infallibile, unde primò educitur ac demonstratur, & in quod ultimò resolvitur fides, at talis non est ratio humana, Ergò. ultima enim resolutio fidelium est non *qua* aut *quia* ego ita intelligo, capio, judico, ideo de fide est, sed quia Deus in Scriptura ita loquitur, ideo de fide est, & hinc ego ita judico, ac judicare & credere debeo. 2. *Tim.* 3.14.15.16. 1. *Thes.* 2.13. ita ut ratio infallibilitatis fidei, sit in & ex verbo Dei, non in aut ex ratione humana tanquam principio. VI. Ratio humana non est prior notior, certior fide; ergo non est ejus principium. Majoris consequentia in confesso est, ex Philosophis *ad c.* 2. *l.* 1. Posterior analytic. minor probatur: quia omnis cognitio fidei, quam tenet ratio est ex verbo Dei *Ioh.* 1.18 *Mat.* 16.17. ergo non est prior. Quia per fidem ratio illustratur, *Eph.* 1.17.18. Ergo non est notior. Quia fides est testimonium Dei, per supernaturalem scilicet revelationem, at ratio humana non est, ergo non est certior, 1. *Ioh.* 5.9. VII. Christus, Prophetæ, Apostoli ad solum Dei verbum remiserunt

runt auditores, atq; ex eo solo fidem explicârunt ac demonstrârunt. *Iesa.* 1. 20. *Luc.* 24. 25. 27. *Actor.* 25. 22. 27. & 13. 27. & 17. 2. 11. 2. *Tim.* 3. 15. 16. VIII. Ex absurdis consequentibus. *Primo* tum sequeretur totam religionem esse naturalem, & naturali ratione, ac lumine demonstrabilem; sed hoc absurdum est: est enim latissima distinctio inter gratiam & naturam, inter revelationem gratiæ specialem seu lumen supernaturale, & revelationem Dei generalem seu lumen naturæ, inter Philosophiam & Theologiam seu fidē, ex 1. *Ioh.* 1. 9. *Rom.* 1. 19. & 2. 14. 15. cum *Psal.* 147. 20. *Act.* 14. 16. 17. *Ephes.* 2. 12. 13. *Secundo* sequeretur rationem nullibi esse captivandam, abnegandam, sistendam, atque adeo ad silentium & quietem doctæ ignorantiæ in altitudine veritatis occultæ redigendam, nullaque adeo indigere regeneratione, renovatione, & transformatione contra *Rom.* 11 v. 33. 34. 35. & 12. 2. *Eph.* 4. 23. 1. *Cor.* 1. 18. 19. 20. & 2. *Cor.* 10. 4. 5. 21. 22. 23. 24. 25. *Mat.* 16. 17. 24. *Tertio* sequetur eos quibus ratio perspicacior, & ingenium magis exactum ac subactum, posse melius percipere ac dijudicare mysteria fidei, contra universalem experientiam & 1. *Corinth.* 1. 19. 20. 21. 22. *Mat.* 11. 25. IX. Accedat argumentum ad hominem. Socinus cum suis negat omnem Theologiam naturalem, seu cognitionem Dei tam insitam quam acquisitam, eamque totam si quæ alicubi sit aut fuerit apud extraneos à scripturâ ex probatione inartificiali atque adeo maxime fallibili merâ scilicet traditione & testimonio hominum habitam fuisse contendit. Quomodo ergo ratio humana erit principium infallibile mysteriorum fidei? atque hæ rationes sufficiant. Meritò ergo dicere possumus Socinianis, eorumque assecłis & fautoribus, quod Augustinus Manichæis lib. 17. contra Faustum, c. 3. *Vndique tergiversatio vestra confunditur. Aperte dicite vos non credere Euangelio: nam qui in Euangelio quod vultis creditis: quod vultis non creditis; vobis potius quam Euangelio creditis.* Postquam hæc scripsi prodierunt anno 1641. *Collegia Theologica Ioh. Maccovii, ubi tom.* 1. *p.* 544. quæstio hæc contra Socinianos tractatur. Quæ cum nostris conferri possunt. Rationis humanæ subjectivè consideratæ incertitudinem & insufficientiam in moralibus (nedum in mysteriis fidei) describit *Seldenus* in erudito opere *de jure Naturali & Gentium &c.* edito anno 1640. *lib.* 1. *cap.* 7. Remonstrantibus in *Vindiciis* seu *Vedelio Rhapsodo* nonnulla excidlerunt, quæ à Socinianis non ita abludere videntur: quæ detecta & excussa sunt à *Nic. Vedelio in Arcanis Arminianismi* part. 3. lib. 1. cap. 4. & part. 4. lib. 1. cap. 4.

Accedamus nunc ad novum εὕρημα pontificiorum, qui contendunt 4.
à nostris Papismum refutari debere tantum ex expressis scripturæ verbis, absque ullâ ratiocinatione, discursu, consequentiarum nexu & probatione, at-

ne, atque adeo rejiciunt, & removent à collationibus & disputationibus nobiscum habendis omnem Logicam naturalem, & artificialem, docentem & utentem. Quod inventum primus videtur prodidisse *Iesuita Gunterus in colloquio Durlacensi*, Anno 1612. non tam habito, quam tentato: perfecerunt Pandoram illam tandem Iesuitæ in Galliâ inter quos emicuit Verronus, qui nescio quæ epinicia editis libris non cecinerit, quæ miracula illi non tribuerit. Quid de fungo & Ionæ ricino illo factum sit, & quo successu nascens mortuum fuerit indicavimus in *Desperata Causâ Papatus, libro 2. sect. 2. cap. 25.* Nostri in Galliâ speciatim Rhotomagi quàm bellè exceperint Verronum, indicat *Cl. D. Rivetus in epist. dedic. ad Tom. 1. Catholic. Orthodox. & author elegantissimi libelli cui tit. Verron exploitant.* Quia autem cõpendium ludicræ istius methodi absq; seriâ disputatione nostros cõfundendi latinè Colonię 1628, & postea Belgis suo idiomate ex prolixo Verroni volumine ante paucos annos exhibuerunt, operæ pretium facturos nos arbitramur, si breviter hoc quicquid inaniarum est explodamus.

5. Præcognita & præambula probationum nostrarum sunt ista, I. Colosso illi suo præstruunt & substruunt hanc falsissimam hypothesin: nostros asserendo scripturam esse unicum fidei principium, eo ipso omnes dogmatum demonstrationes & errorum refutationes ex expressis scripturæ verbis tantum admisisse hactenus, aut etiamnum velle admittere: quod cum strenuè neget doctrina & praxis nostra, ruit tota ipsorum moles. II. Sumunt sibi hoc postulatum, in omnibus collocationibus collatori nostro quamvis provocato tantum incumbere partes probandi, non verò Pontificio: Quod cum nemo sanus illis concesserit, naturalis etiam ratio & æquitas, atque adeò omnes collationum leges, & perpetua praxis tam antiquarum quam recentiorum, etiam omnium Pontificiorum cum nostris sive vivâ voce sivè scriptis usque ad Gunterum & Verronum, &c. exclusivè contrarium planè doceant; rursum in se corruit hæc methodus. Quin imo contendimus, Pontificiis quippe affirmantibus *Indulgentias potestatem Papæ, satisfactiones humanas, sacrificium Missæ, cultum imaginum*, &c. solis istic incumbere probationem: fides enim & Theologia ad salutem necessaria per se non est negativa, alioquin esset indefinita, & infinita; cum *veritas una sit falsitas multiplex*, teste Philosopho: prætereà omni jure solis illis, non nobis incumbit probatio, saltem cum actionem novitatis, hæreseos, apostasiæ, schismatis temporalibus & æternis flammis expiandi nobis intentant. III. Siquidem ergo histrioniam illam Verronicam absque operosa probatione eludere nobis liberet; peteremus quod olim Diogenes à Sophistâ quodam argutante: *Quod ego sum id tu non es, Ego sum homo, ergo. A me*, inquiebat, *incipe*: ut à nobis etiam inciperent Verronici, & ita firmitudi-

mitudinem hujus ſuæ methodi explorarent. Auſint affirmare nos eſſe ſchiſmaticos, Apoſtatas, Hæreticos, &c. quod facit *Concilium Tridentinum ſeſſ.*13.*in Octob.*1551. *& ſeſs.*21 16. *Iulii*, 1562. Si non auſint, jam triumpharemus apud dramatis ſpectatores; ſi auſint jam ipſis probandum eſſet, aut vadimonium deſerendum. Concederemus ut probationes non tantum de promerent ex ſcripturis, ſed etiam ex Conciliis & Patribus, quos perpetuò crepant. Oſtendant nobis non humanis conſequentiis, non Ariſtotelicis Syllogiſmis (ut nobis exprobant) ſed liquidis ſententiis, expreſſis verbis: *Proteſtantes, Lutherani, Calviniani, Angli, Scoti, VVittebergenſes, Genevenſes, Emdani, &c. aut Calvinus, Beza, Zwinglius, Martyr, Bucerus, Muſculus &c. ſunt novatores, hæretici; vel non poſſunt ſalvari, non ſunt Eccleſia, quia non agnoſcunt Vrbanum* VIII. *eſſe caput Eccleſiæ, quia non recipiunt Concilium Tridentinum*, &c. Prout à nobis oſtendi poſtulant, *Papa non eſt caput Eccleſiæ, Miſſa non eſt ſacrificium, nullum eſt Purgatorium*, &c. Ita videbunt Methodum Verronicam in ipſos converſam, & par pari retuſum, non aliter ac dilemma Euathli dilemmate Protagorę, de quo *Agellius lib.*5. *cap.* 10.

Sententia noſtra eſt, in Theologia Elenctica, ſeu in refutatione falſita- 6.
tis e.g. purgatorii, indulgentiarum, &c. diſcurſu, & conſequentiis utendum eſſe, & ſiquidem præfractus adverſarius eas neget, etiam probationibus conſequentiarum, non tantum ex ſacris litteris, ſed etiam ex axiomatis & principiis luminis naturalis ſive naturaliter ſive technicè ex Philoſophiâ & Logicâ notis, ut appareat apta connexio medii termini cum majori extremo: Veritatem vero ſententiarum ſeu terminum medium & connexionem medii cum minori extremo ex ſolius ſcripturæ (niſi ſententiæ pertineant ad Theologiam naturalem, quales ex ſcripturâ primario, & ex lumine naturali ſecundario etiam probantur) ſive expreſſis verbis, ſeu æquipollentibus, ſive per bonam conſequentiam demonſtrandam eſſe. Rationes noſtræ ſunt iſtæ, I. Quia tota Theologia poſitiva eſt argumentativa, *primo*, quia eſt, ſapientia & ſcientia: non deducit itaque concluſiones fidei ex principiis ſuis abſque diſcurſu. *Deinde*, quia omnis interpretatio ſcripturæ, & aſſertio, ſeu theſis theologica inde deducta debet eſſe ſecundum analogiam fidei, *Roman.*12.*v.*6. (Confer *Ireneum lib.*6. *cap.*46.47. *& lib.*4.*c.*63. *& A Lapide, alioſque commentatores ad Roman.*12.) ergo non eſt ſine diſcurſu, collatione, conſequentiâ. Ergo multò magis Theologia elenctica eſt argumentativa. Vis hujus argumenti in confeſſo eſt; & debet eſſe apud omnes Pontificios, ex *Thoma*, *p.*1.*q.*1.*a.*8. II. Quia Theologia elenctica Prophetarum & Apoſtolorum eſt argumentativa & formalitatibus, ac terminis argumentantium utuntur ſcriptores

tores θεόπνευστοι, ut λογίζεσθαι, κρίνειν, συγκρίνειν, διανοίας, δοκιμάζειν. *Rom.* 3. 28. & 6. 11. *Hebr.* 11. 19. 1 Cor. 14. 29. 1 *Cor.* 2. 13. & 10. 16. & 11. 13. *Heb.* 4. 12. & 5. 14. *Act.* 17. 11. *Eph.* 1. 18. 1 *Pet.* 1. 13. & 2 *Pet.* 3. 1. 1 *Thes.* 5 21. & *Phil.* 1. 10. Sic etiam λόγῳ, ἐξεθολομεῖν, διαλέγεσθαι. 2 *Tim.* 4. 15. & 2. 15. *Act.* 17. 2. 3. κατ' ἀναλογίαν τῆς πίστεως. *Rom.* 12. 6. & τὲς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν. *Tit.* 1. 9. ὑπόδειξις. *Act.* 18. *v. ult.* & 1 *Cor.* 11. 13. 14. κρίνατε &c. φύσις διδάσκει, &c. *Heb.* 7. 7. χωρὶς δὲ πάσης ἀντιλογίας, &c. III. Quia Christus, Prophetæ & Apostoli per consequentias dogmata sua demonstrant, & falsitates arguunt. Ita Paulus, Apollos aliique valide evicerunt contra Iudæos, Iesum esse Messiam *Act.* 18. 28. nihil tamem dicentes extra Mosem & Prophetas. *Act.* 26 22. Ipse Christus personam & officium suum quomodo probat, & adversarios ex Mose & Prophetis redarguit, *Ioan.* 5. & 8. & 10, *Luc.* 24. 12? Cum dicit Mosem & Prophetas de se testari ac scripsisse *Ioan,* 5. 39. 26. sic *Mat.* 22. *v.* 44. Probat se esse dominum Davidis; & *v.* 29. probat resurrectionem mortuorum: eamque dicit scriptura contineri, quamvis conclusio expressis verbis ibi non compareret: eodem modo disputabatur in concilio Apostolico *Act.* 15. *v.* 8. 9. 16. 17. & sic Apostolus *epist. ad Rom.* & *Galat.* disputat de justificatione; & 1. *Cor.* 15. de resurrectione, & *Actor.* 17. 16. 17. 18. Athenienses philosophos non refutavit absque consequentiis. Petrus *Act.* 2. & 3. de missione Spir. S. passione, resurrectione, adventu Christi. IV. Quia plurima Christianismi dogmata non exstant ἀνυπαξεί, sed tantum κατὰ διάνοιαν aut verbis æquipollentibus in scriptura, ut tres personæ Dietatis realiter distinctæ, filius ὁμούσιος patri, duæ naturę in una persona Christi essentialiter, inconfusè &c. ergo per consequentiam inde educenda sunt. V. Ex natura articulorum seu dogmatum fidei. Sunt enim & rectè dicuntur conclusiones; at illæ eliciuntur etiam per consequentias ex suis principiis, in quibus potentiâ & virtute continentur: quæ ergo est ratio omnium principiorum, axiomatum, & legum in theoreticis, & politicis, eadem etiam est verbi divini; atqui ibi ex verbis non tantum sed etiam ex sensu per evidentem rationem & consequentiam aliquid statuitur & dijudicatur. VI. Quia nulla disputatio est absque elencho & contradictione, nullum autem de contradictione judicium absque regulis consequentiarum, absque principiis rationis, quæ à Deo sunt non ab homine sive Aristotele, sive alio, non magis quam usus aurium (sine quo nec fides haberi nec contra hæreses defendi potest) ab Aristotele est. VII. Ex communi consensu & praxi patrum, conciliorum, scholasticorum, etiam recentiorum pontificiorum, qui atheos, gentiles, judæos, hæreticos, adversarios quoscunque hactenus adhibita ratiocinatione & consequentiis refutârunt: contraria sententia

tia & praxis, quam nunc renovant Verronici, fuit veterum hæreticorum Arrianorum, Neſtorianorum, Monophyſitarum &c. qui ſcripturæ expreſſa verba à Catholicis perpetuo poſtulabant. VIII. Accedunt teſtimonia patrum, quibus uſum principiorum rationis commendant Nazianz. orat. 6. de Spir. S. adverſarium ſuum dicit *litteræ ſervire, & rebus relictis ſyllabas conſectari*, vocat eum *alphabetarium ſophiſtam*, συκοφάντην τῶν ὀνομάτων quod ſcil. conſequentias, per quas ex ſcripturis probatur Spir. S. Deitas, non admitteret. Vid eundem *in Orat. funebr. in laudem Baſilii Magni.* Auguſtin. de doctr. Chriſt. lib. 2. c. 30. *Aliud eſt noſſe regulas connexionum, aliud ſententiarum veritatem: in illis diſcitur quid ſit conſequens, quid repugnans. Conſequens, ſi orator eſt, homo eſt. Repugnans, ſi homo eſt, quadrupes non eſt. hic ergo de ipſa connexione judicatur.* Vide eundem *cap.* 31. 35. 37. *ejuſdem libr. & contra Creſc. lib.* 1 *cap.* 15. Athanaſius in epiſt de decret. Syn. Nicen. *Hominum perſpicacium eſt, ut Paulus præcipit, lectioni attendere, ut rem judicio diſcernant, & pro natura rerum, quæ ibi ſcribuntur, vocabula accipiant, ſine confuſione intellectus.* Aug. lib. 2. contra Creſc. cap. 2. *Non curo utrum ipſa ea dialectica vocetur, curo tamen quantum valeo noſſe ac poſſe diſputare, h. e. veritatem à falſitate in loquendo diſcernere, qui niſi hoc curavero, perniciosè errabo.* Hieronym. in Galat. 1. ait, *Non in verbis ſcripturarum eſſe Euangelium, ſed in ſenſu, non in ſuperficie, ſed in medulla, non in ſermonum foliis, ſed in radice rationis.* Cum his convenit dictum Anſelmi in lib. de concordiâ gratię & lib. arbitr. *Sic itaque ſacra ſcriptura omnis veritatis, quam ratio colligit, autoritatem continet, cum illam aut apertè affirmat, aut nullatenus negat. Quod enim apertâ ratione colligitur, & illi, ex nullâ ſcripturæ parte contradicitur, quoniam ipſa ſicut nulli adverſatur veritati, ita nulli favet falſitati, hoc ipſo quia non negat quod ratione dicitur, ejus autoritate ſuſcipitur.* Cum illis faciunt Pontificii *Scholaſtici ad Thomæ locum ſupra laudatum. Salmero tom.* 1. *proleg.* 9. *can.* 7. *& tom.* 8. *tract.* 61. *Vega ſuper Concil. Trident. cap.* 39. *Bellarminus lib.* 4. *de verbo Dei, c.* 9. *& de notis Eccleſ. cap.* 3. *& de juſtific. lib.* 3. *c.* 8. *Canus locor. Theol. lib.* 12. *c.* 6. *& lib.* 6. *c.* 8. Et quicunque uſum Philoſophiæ, Logicæ, & Theologiæ Scholaſticæ, quæ hodie in omnibus ipſorum Academiis etiamnum explicatur, defendunt. Etiam *Coſterus in prolegom. Enchiridii* & alii, qui non niſi argumentis in formâ nobiſcum diſputandum præmonent. Ita ferebant leges colloquii Ratisbonenſis anno 1600. ubi etiam ſubinde collocutores Pontificii clamabant: *In formâ, in formâ.* Iidem Pontificii contemptum Logicę & Philoſophiæ (quem reformatis calumniosè affingunt) ponunt inter tanquam κειτήεια hæreticorum. Vide *Pererium in præfat. ad diſputationes Phyſicas*, *A Lapide in* 1 *Timoth.* 6. 20. *Canum lib.* 9. *locor. Theolog. c.* 3. IX. Ex abſurdis conſequentibus *primò*, quia ſequeretur homines ἀλόγως ſe habere

bere circa res divinas absque ratiocinatione: breviter esse tanquam equos & mulos contra *Psal.* 32. 9. *Secundò*, non posse nos alios erudire, reprehendere, convincere, atque adeo finem illum scripturarum (de quo 2 *Timot.* 3. 16.) obtinere: poterit quilibet hæreticus aut peccator quotiescunque ex scripturis arguitur, petere, ut absque consequentiis à generali ad singularia sub illo contenta, item à pari ad par, à simili ad simile &c. ostendatur ubi scriptum sit, esse maledictum damnandum, hoc vel illud suum factum displicere Deo. Nulli ergo posthac casus particulares decidantur ex scripturâ, aut patribus, aut jure Canonico. atque hæc recta via ad atheismum & libertinismum. Confer *disp. nostram de Atheismo. Tertiò*, tum vicerint Iudæi, quibus absque consequentiis nunquam exsertè monstrabunt Christiani in V. Testamento *Iesus Nazarenus filius Mariæ est Messias*, non magis quam nos in Novo Testamento monstramus, *Papam Romanum esse Antichristum*; vicerint etiam Sceptici & Pyrrhonii, Enthusiastę, Libertini, item Sociniani & similes, & respondeant illis Pontificii dicentibus omnem ipsorum Scholasticam, casuisticam, & textualem Theologiam, æque ac nostrę reformatę magnam partem, esse glossas, consequentias, ac subtilitates humanas, minimè ad salutem necessarias, quippe quæ exsertis verbis in scripturâ non exstent. *Quartò*, jacent tum omnia capitula, canones & symbola antiquorum conciliorum, nominatim primorum quatuor Oecumenicorum, quæ contra hæreticos & schismaticos nostrâ methodo, non Verronica, h.e. per consequentias procuderunt, ut disertè testatur *Bellarminus de Concil. lib. 2. c. 12.* & constat ex actis & canonibus Conciliorum per totum. *Quintò*, quia condemnatur & ridetur hac arte Verronica omnis ratio disputandi à patribus contra antiquos hæreticos Manichæos, Arianos, Pelagianos &c. usurpata; nec non tota methodus Theologię Scholasticæ: adhæc Pontificii scriptores, elenctici, quales *Bellarminus, Stapletonus, Becanus, Serrarius, Gretserus, Costerus, Perronus*, &c.: denique scriptores eorum, qui usum Logicæ & Philosophiæ in Theologiæ commendant & commonstrant. Atque hæ rationes nunc sufficiant. Pleniorem quarundam rationum diductionem cum exceptionum solutione si quis desiderat, is adeat *Nicol. Vedelii rationale Theologicum*; ubi & alii citantur. Conferatur *Rivetus in Catholico Orthodoxo*; imprimis *Abr. Ramburtius* Theologus Sedanensis, qui eruditam disputationem edidit hoc titulo: *De renovatâ antiquorum hæreticorum arte, quâ sese venditant hodierni agyrtæ & circulatores provocantes ad certamen orthodoxarum ecclesiarum ministros*. Denique *Conr. Bergius in dissertationibus de fide Catholico* anno 1639. editâ in 8. *dissert.* 5. Concludimus Pontificios per omnia hic similes esse illis hæreticis de quibus Nazianzenus quod *amor literæ nihil aliud*

aliud quam impietatis indumentum ipsis esset. Vide quæso ejus *Orat. 6. de Spiritu Sancto*; Breviter his & similibus exceptionibus declinatoriis, & moratoriis aliis post alias excogitatis hoc tantum eos agere, ut omnino causa non agatur, quod Donatistis *Epist.* 152. *& in actis collat.* Carthagin. cum Catholicis objicit Augustinus: siquidem causa ipsorum tam desperata est, ut potius despiciendum sibi putent, quomodo ratio non possit reddi, quam quomodo reddenda sit, ut olim Pericli tale quid ingerebat Alcibiades. Consilium adversus imbelles hujus methodi insultus si forte quis eos experiatur, hoc suggerimus & supra jam attigimus thesi. 5. ut nostri protestentur se velle disputare eâ methodo, quâ usi sunt antiqui patres, scholastici, & Doctores Pontificii usque ad Iesuitas Arnoldum & Verronum inclusivè contra omnes suos adversarios, sive scripto sive vivâ voce. Illam methodum aut probent aut improbent: si probent, ergo & nobis liceat eam sequi: sin improbent; rationibus, quod ajunt, evincant; quibus nostri parati erunt respondere. Quod si nihilominus methodo Verronicæ præfractè insistant: nostri priores aut posteriores, alternis institutę collationis vicibus eâdem methodo urgeant, ut Pontificii nos reducant ad unitatem ecclesiæ Romanæ, convincendo hæresios & schismatis (quorum nos reos peragunt, ac propterea vivicomburio adjudicant) idque ex solis patribus & conciliis. Hoc si tentare audeant, ad singula argumenta eo modo excipiendum, quo Verronici ad nostra excipiunt: ut auditores & cognitores omnes videant methodi illius absurditatem. Hic nullum effugium patet, quam solos Pontificios illam methodum quasi ad hominem adhibere posse, reformatos non posse: *Primo*, quia ex reformatorum hypothesi, nulla veritas credenda, nulla falsitas rejicienda & refutanda, nisi omnia totidem verbis in scripturâ expressa habeantur. *Deinde*, quia soli reformati quippe actores partibus opponentium defungi debent; non vero Pontificii, qui rei peraguntur idololatriæ & apostasiæ. *Tum*, quia hæc est compendiosissima & expeditissima disputandi ratio: si nos convicerimus Pontificios de idololatria & defectione: quo peracto nulla ulteriori disputatione opus erit. Sed *primæ* rationi repono, calumniam illam præsupponi tantum, non probari, nec in æternum probandam. *Secundæ* repono: sumi hoc aut postulari, sed à nobis non concedi, nec à Pontificiis probari. In quæstione hæreseos & schismatis nos rei peragimur & patimur; Pontificii accusatores sunt & persecutores. *Tertiæ* repono, sic inverti posse: hæreseos scil. & schismatis probatione ritè peracta nobisque ad palinodiam aut ad vivicomburium justissimè redactis, de probatione idololatriæ & apostasiæ Papatus nullo modo aut vix laborandum esse. Videat lector, cui vacat, nonnulla quæ ad commentum hoc faciant apud

Bartholdum Nihusium in Methodo novâ disputandi cum Protestantibus; quæ repetit in *Apologetico hujus Methodi* anno 1640. edito in 8. ubi vide imprimis *cap.* 5. Sed vanitatem ejus methodi perstrinxit *Georgius Calixtus Theologus Helmstadiensis in iteratâ compellatione ad Acad. Colonienſem*, quam cum tract. *De communione sub utrâque specie edidit anno* 1642.

COROLLARIVM.

Defectus caritatis est, quod Eckhardus fasci: cõtroverſ. c. 1. Stechmannus in Photinianismo disp. 1. Meisn. in Phil. sobr. in quæst. general. *nostros cum Socinianis componunt, quasi rationem faciant fidei principium, & normam. Vsum rationis & logicæ cum requirimus, non magis fundamenta, principia, & regulas fidei illa facimus, quam oculos, aures, linguas, sine quibus religionem nec discimus, nec docemus, nec contra adversarios defendimus. Sunt ergo nobis media & requisita, sine quibus nulla fides aut cognitio theologica: non vero principia, normæ, regulæ, fundamenta.*

DE THEOLOGIA SCHOLASTICA.

Resp. EVERHARDO ROTARIO *Neomago-Gelro, ad diem* 22. *Febr.* 1640.

AD supplementum loci communis de Theologia, pertinet disquisitio de Theologia Scholastica tanquam opposito veræ & genuinæ Theologiæ. Alias ψευδονύμου *aut corruptæ Theologiæ species alibi perstrinximus in* disp. de Gentilismo, de Iudaismo: *& pluribus forte institutũ hoc persequemur, siquidem Deus vitam & vires concesserit edendi aliquando disp.* de hæresi, de Muhammedismo, de Enthusiasmo &c. 1. *Nunc Theologiam Scholasticam ex mente sectatorum ipsius historicè describamus.* II. *Criticè inquiramus, quæ ipsius vitia, qui abusus & usus.* III. Problemata aliquot subjiciamus.

I. THeologia scholastica dicitur à schola, ut pote subjecto loco, seu continente & adjuncto circumstantiali. De Schola, quid sit, quæ ipsius causę, proprietates, effecta &c. ut hic agamus, non sinit ratio instituti nostri, & brevitas Thesium. Consulendi sunt autores, qui in disciplinis politicis, aut in politiis ecclesiasticis, aut in præcognitis eruditionis universalibus, aut etiam peculiari disciplina, quam *Scholasticam* appellant, hoc agunt. Vide *nostram bibliothecam theologic. lib.* 2. *sect.* 1. *cap.* 1. Tyronibus indicis & manuductionis vicem præstabit Schola-

Scholastica Alstedii, quam *Encyclopædiæ* inseruit. Forte etiam aliquid suggeret concio nostra ad *Luc.* 2. quam hujus Academiæ nostrę initiationi præmissimus. Sumi autem potest vox Theologię Scholasticæ 1. *latissimè* pro omni ea quæ in V. & N. T. sive benè sive malè, sive per doctores θεοπνεύστους, sive per doctores orthodoxos sed fallibiles, sive per errones, hæreticos, apostatas in scholis & conventibus privatis aut publicis unquam tradita fuit. 2. *Latè* pro formula & methodo illa Theologię, quæ in scholis Europæis, sequioribus aliquot ecclesiæ sæculis post ingressam Antichristianam religionis corruptionem ut plurimum obtinuit. Eam ita vocabant, tum quod in scholis traderetur & alia ejus ratio ac methodus esset, quam ejus quæ in ecclesiis personaret: tum quod contra distincta esset à Theologia Ecclesiastica, quam primis & melioribus ecclesię sæculis, ut & intermedia ætate in ecclesiis non tantum sed & in scholis ac collegiis Theologicis sectarentur. Eam melioris doctrinę causâ facimus quadrimembrem, *textualem* seu scripturariam, *dogmaticoquæstionariam*, *Canonisticam*, & ex omnibus illis conflatam *summisticam seu casuisticam*. *Prima* utut misera & corrupta, non tamen ita frequenter & familiariter in scholis comparebat: cujus rei fidem facient tam raræ cathedræ & lectiones scripturarię in scholis & monasteriis constitutæ, & tam pauca commentaria in scripturam (comparatè scil. ad alia scripta theologica & ecclesiastica) tenebrosis illis sæculis edita. Quæ autem & quam imperfecta fuerit illa Theologia textualis, docebunt *commentaria Thomæ*, *Alberti*, *Holcoti*, *Bonaventuræ*, *Ægidii Romani*, *Richardi de media villa*, *Gregorii de Armino*, & *similium scholasticorum*. Ad textualem theologiam scholasticorum imprimis referendæ *quæstiones Cardinalis de Turrecremata ad euangelia dominicalia*, scholasticè pertractatę. *Secunda & tertia* post constitutas *sententias Lombardi*, & *rhapsodias Iuris Canonici*, imprimis, immo vel solæ in plerisque scholis & monasteriis dominatę sunt. Quartam ex utrâque illa potissimum decerptam, & seorsim traditam introduxit necessitas confessariorum, & quasi omnipotens atque universalis illa fundi tam ecclesiastici quam politici calamitas, confessio scil. auricularis. De hujus Theologiæ vitiis & virtutibus, mystis & scriptoribus alibi diximus in prælectionibus tit. *de Theologia practica*, nominatim, sub tit. *de Theologia Morali*, & *de Politia Ecclesiastica*. Quomodo Pontificii hanc suorum Theologiam commendent & præscribant vide apud *Possevinum Bibliothec. select. lib.* 3. De tertia egimus nuper *disput. de Iure Canonico*. 3. *Strictè* pro formula & methodo Theologię, qualem synopticè libris quatuor sententiarum, & post eum Thomas tribus partibus summę suę Theologicę exhibuit & sic deinceps in disputationibus & commentariis ad Lombardum omnes sententiarii, & ad

Thomam recentiores scholastici; denique omnes eclogarii & quodlibetarii, qui seorsim quæstiones & quodlibeta fabricârunt. De quâ nunc propriè agendum. Nam scholasticam Theologiam & scholasticum, hoc est didacticum & elencticum Theologiæ Professorem (qualem *Possevinus lib. 3. biblioth.* describit) putamus toto cœlo à scholasticis sententiariis differre.

2. *Subjectum* tractationis seu materia hujus Theologiæ, est doctrina sacra (ut quidem prætenditur) ex verbo Dei, conciliorum & patrum declaratione, naturali ratione & autoritatibus philosophorum depromta: non tamen pati autoritate ac certitudine: de quo vide distinguentem *Thomam cum Cajetano 1. qu. 1. art. 8. ad 2.* Vbi traditionis & definitionis ecclesiasticæ non meminerunt, ex quâ tamen imprimis hæc Theologia exstructa est; nisi eam sub verbo Dei comprehensam velint. *Forma* & methodus tradendi hanc Theologiam tota ferè est elenctica seu quæstionaria: certo enim numero quæstionum controversarum & dubiorum in orbem recurrentium ad dicta Lombardi aut Thomæ ferè absolvi solet; nisi quod nonnulli literam textus explanent obscuriora illustrando, aut in compendium seu summam redigendo, aut analyticè proponendo. Est ergo distincta à Theologiâ positivâ seu thetica, quæ syntheticè & simpliciter veritates Theologicas definit & explicat. *Forma* externa est stylus seu sermo quo traditur; simplex plane, Philosophicus, & acromaticus; rebus ipsis, de quibus agitur, conveniens; cujus apologiam vide in *epistolâ Pici Mirandulæ ad Hermolaum Barbarum* quæ exstat inter *epistolas Politiani. Objectum* occupans, seu *finis cui* hujus theologiæ fuerunt doctrinæ sacræ studiosi in Academiis, & Monachi aliique Clerici in monasteriis & collegiis, ubicunque aliqua theologiæ exercitia vigebant.

3. Causæ efficientes, origo ac progressus Theologię Scholasticæ nunc explicanda. Primus autor, qui in forma aliqua novam hanc Theologiæ methodum in scholis extulit & antiquiori methodo substituit & quidem cum approbatione aliqua, fuit Lanfrancus adversarius Berengarii. Quem postea discipuli & sectatores in Italia secuti, numero suffragiorum meliorem illam & antiquiorem Theologiæ tractandę methodum jam inde ab Augustino derivatam, quæ antehac in scholis & ecclesiis Europeis quadantenus adhuc obtinuerat, paulatim extrusêre. Incidit autem hoc circa annum 1020; quando in odioso nomine Berengarii antiquior & purior Theologia (comparatè loquor) scripturis & saniori patrum doctrinæ subnixa magis ac conformis condemnata ac profligata est. Ita paulatim invaluit, & per ætates crevit impurior illa Theologiæ formula, quam scholasticam vocant. Postea perfecere hoc opus Lombardus anno 1150, Albertus Magnus

gnus anno 1200. & Thomas Aquinas. Lombardi & Thomæ collectiones ſcholis quaſi canonizatæ, & autoritatem tantam nactę ut pæne nefas eſſet ab iis alicubi diſcedere. Fuerunt quidem aliæ ſummæ, ſeu collectiones locorum communium à tempore Lanfranci tam ante Lombardum, quam poſt editæ: ſed nullæ felicitatem hanc nactæ, ut ſcholas occuparent. Sunt autem illæ, *Hugonis de S. Victore ſumma ſuarum ſententiarum anno* 1120. *Petri Abælardi Theologia.* 1120. *Richardi monachi S. Victoris epitome bibliorum* 1140. *Gulielmi Abbatis S. Theodorici ſententiarum fidei liber unus. Bandini ſententiæ*; quas Lombardus ſurrepſit & pro ſuis venditavit, uti vult *Genebrardus*; ſed calumniam eſſe ſuſpicatur *Daneus in. Prolegom. ad Lombardum cap.* 3. *Ruperti Linconienſis ſumma Theologiæ* 1140. *Alberti Magni Summa Theologiæ* 1200, ſed quam non perfecit. *Bonaventuræ compendium Theologicæ veritatis anno circiter* 1270. *Antiſidorienſis Summa aurea, anno* 1306. *Gualteri Epiſcopi Pictavienſis Quodlibeta* 1250. Hic primus eſt, qui quodlibeta ſcholaſtica evulgavit. *Ioh. Gerſon compendium Theologiæ*, quod habetur *tom.* 2. quamvis putetur non eſſe illius. *Antonini Summa*; quæ dogmatica, caſuiſtica & canonica complectitur. Vt autem originem & progreſſum Theolog. Scholaſticæ tanto melius obſervemus, notabimus antecedens, occaſionem, & triplicem ejus ætatem. I. *Antecedens* eſt tum remotum, tum propinquius. *Remotum* eſt methodus ac ratio Theologiæ à quarto ſæculo uſque ad ſeptimum; quæ qualis fuerit prolixè patet ex patrum ſcriptis; compendiosè verò ex ſummis ſeu eclogis, quales *Ruffini expoſitio ſymboli, Cyrilli Theſaurus orthodoxæ fidei, Auguſtini enchiridion ad Laurentium, Gennadii de dogmatibus eccleſiaſticis.* Fuerunt & alia iſtius generis, ſed quæ interciderunt. *Propinquum* eſt ratio Theologiæ in ſcholis & collegiis Occidentalibus à ſeptimo ſæculo uſque ad decimum. Quæ qualis fuerit, conſtat ex ſcriptis *Gregorii Magni, Bedæ, Alcuini, Rabani Mauri, Claudii Taurinenſis, & ſectatorum*; qui *Auguſtini Theologiam* à ſuperiorum ſæculorum præſtantiſſimis ſcriptoribus *Fulgentio, Primaſio, Proſpero, Maximo Taurinenſi*, hauſtam & poſteris commendatam, quantum in ſe eſt conſervare & ad poſteros propagare conati. In Oriente etſi alia fuit methodus; uti videre eſt ex *Damaſceno de Fide* Saltem non fuit Scholaſtica; & *Nicetæ Choniatæ lib.* 4. *Orthodoxæ fidei.* II. *Occaſio* ejus inter alias fuit, fervens in ſcholis ſtudium legum Romanarum recens excitatum ab Irnerio circa anno 1030. & poſt eum à Iohanne Bulgaro, Azone, Placentino &c. Hinc Monachi & Theologi Theologiam ſuam Scholaſticam & Ius Canonicum humanâ autoritate ac ſæculari ſapientia ac ſubtilitate exornatum proponere contendebant. Vt quidem *Peucerus in Chronico lib.* 4. & cum eo *Danæus proleg. cit.* I. rectè obſervant. III. Ætatem ſcholaſticorum doctiſſimè *Daneus*

(ex quo

(ex quo alii postea plurima descripserunt *Keckerm. in Gymnasio log. Alstedius in Historica, & in chronologia tit. 4. Himmelius in tract. de Canonicis & Theol. Schol.*) *in suis prolegom. ad Lombardum*, distribuit in veterem, mediam, novam: *Vetus* est, quæ incepit à Lanfranco Papiensi anno 1020. & duravit pæne per annos 200. usque ad Albertum Magnum anno 1220.; hæc accersebat dogmata etiam ex humanâ autoritate patrum, & non tantum ex scripturis. Scriptores istius commatis qui tum floruerint facile est colligere ex Catalogis scriptorum aut *Bibliothecis Trithemii, Gesneri, Bellarmini, Senensis, Possevini*: & nos forte notabimus aliquando in *alphabeto seu idea historiæ ecclesiasticæ*. Excelluit inter eos tanquam maximè Scholasticus immo pater eorum Lombardus; & post eum Alexander de Alez, qui primus comentatus est in Lombardum. *Media* est, quæ incipit ab Alberto M. anno 1220.,& durat usque ad Durandum de S.Portiano ãno.1330. Tũc præter immo & supra scripturæ ac patrum dicta, introducta sunt in Theologiam Aristotelis effata sæpe malè lecta, malè intellecta, tanquam irrefragabilis demonstrationis principia. Hinc in laciniis & partibus quibusdam Aristotelis exponendis, aut ad illas quæstionibus movendis ac solvendis plus studii & operæ ponebant, quam in meditatione & explicatione scripturarum. Inter hujus ætatis scriptores celebres sunt, *Albertus, Thomas, Bonaventura, Scotus, Ægidius de Româ, Durandus, Rich. de Mediavilla, Occamus, Ariminensis, Mayronis* &c. *Nova* incipit post annum 1330., & durat usque ann.1517. Hâc ætate multa, quæ apud prædecessores aut intacta, aut in medio, aut tanquam dubia & disputabilia relicta erant, superciliosè sunt definita, atque una dissentientium suffragia obfuscata, aut oppressa. Celebres tunc fuerunt *Capreolus, Soncinas, Aliaco, Gerson, Iohan. Major, Gabriel Biel, Nicolaus Denise, Pelbartus Themesvar*, &c. Scholasticę Theologiæ ortum, progressus, & ætates longè aliter constituit *Possevinus biblioth. 3. c. 5.* ubi Theologiã Christianam & Scholasticam facit synonyma. *Prima* ergo secundum ipsum Theologiæ scholasticæ, periodus fuit, cum florerent, Hierotheus, Dionysius Areopagita, Pantenus, Clemens Alexandr. *Secunda*, currit illi ab Athanasio usque ad finem sæculi septimi. *Tertia*, à Bedæ discipulis, usque ad Lanfrancum, Algerum, Guitmundum &c. & Lombardum inclusivè; & tunc ipsius judicio, Theologia Scholastica sub signa revocata est, cum ejus exercitatio ante minus tractata fuisset. *Quarta*, ab Alexandro Alensi, Alberto, Bonaventura &c. usque ad synodum Florentinam. Tunc ipso teste ibid. *cæpit vividiores resumere vires* &c. *Et magna præstantium Theologorum seges in ecclesia Dei ad frugem maturuit &c. cum adversus schismata, hæreseseque & sexcentas alias pestes doctissimi libri & commentaria emitterentur in lucem.*

Adjun-

Adjuncta hujus Theologię sunt tum absoluta, necessitas, auctoritas, interpretatio, *tum* comparata, præstantia, & licentia, prę omni aliâ Theologiâ. 4. I. Necessitatem, perfectionem, atque utilitatem ejus deprædicat *Canus in locis Theolog. lib.* 8. *c.* 2. quod sit scientia Dei, cœlestium rerum cognitio, humanarum prudentia & usus: quod quæ in sacris literis & apostolorum traditionibus abdita continentur, in lucem quasi è tenebris eruat; suo studio doctrinâque fidem muniat, & adversus impios defendat; Christi ecclesiæque doctrinam ex disciplinis humanis, quantum fieri potest, aut illustret aut confirmet; quod ad studium sacrarum literarum invitet, allectet & præparet; breviter quod sine eâ nullam omnino doctrinam in ecclesiâ consequi possimus: Easdem has utilitates, sed paulo aliter distributas & explicatas vide apud *Possevinum lib.* 3. *c.* 3. II. Autoritatem ejus tantam facit *Canus d. lib. c.* 4. ut communi sententiæ omnium scholasticorum refragari temerarium illi sit & impudẽs; immo cõcordibus scholæ sententiis de fide & moribus contradicere, si non hæresis, at hæresi proximum sit. Cujus rationem postea assignat; *quod nullũ tam proprium scholæ decretum sit, quod vel ex sacris literis, vel ex apostolorum traditione, vel ex conciliorum aut pontificum definitionibus non habeat certam originem. Ita qui scholæ decreta refutarunt, hi semper inventi sunt & fontem, unde illa manant, repudiasse &c.* addit *ibid. p.* 470. *Ecclesiam ejus autoritate plurimas res definivisse; & trecentos ab hinc annos si quas hæreses damnavit, ejus subsidio & diligentia vehementer adjutam.* Tandem huc trahit verba Christi: *Qui vos audit, me audit* &c. III. Interpretatio & traditio hujus Theologię, qualis debeat esse, docent Doctores Pontificii (nobis enim hic propriè nihil feritur aut metitur); inter alios *Possevinus lib.* 13. *c.* 12. Huc refer requisita Professoris Theolog. Scholasticę apud eundem *cap.* 10. quæ vulgaribus Scholasticis æque conveniunt, ac bovi clitellę. Nostrorum interpretatio (revera examen & censura) qualis optimè conveniat, disces ex *Danæi prolegom. & censura in libr.* 1. *Lombardi.* Quâ ratione studiosi in Acad. ad aliquâ scholasticę Theologiæ cognitionem manuducẽdi sint, indicat libellus noster de *Bibliotheca & Exercitiis studiosi Theologiæ.* IV. Præstantiam ejus supra omnem aliam Theologiam post tempora Apostolorum, haut obscuré celebrat *Possevinus lib.* 3. *c.* 5. supra à nobis cit. V. Licentiam magnam suis dat schola (teste *Cano cap.* 4.), ut quodcunque maximè probabile occurrat, suo jure liceat ipsis defendere; sed non liceat tamen eos, qui adversi sunt, temere ac leviter damnare. VI. Ortum ex omnibus his utilitatibus, ac præstantiis adjunctum fuit; quod antehac in scholis eam Theologiæ positivæ, scripturariæ, & Practicę prætulerint & prę illis excoluerint.

5. Cum hâc Theologiâ conveniunt, 1. Ius Canonicum. 2. Sophistica antiquarum & modernarum sectarum in philosophiâ. 3. Curiosa, litigiosa, & fastidiosa quorundam Grammatica, Critica, Rhetorica. 4. Improba quorundam Pseudo-Iurisconsultorum & Pragmaticorum subtilitas, & quidvis non defendendi aut impugnandi audacia ac temeritas. 5. Antiquorum & hodiernorum hæreticorum (imprimis Pontificiorum & Socinianorum) matæologia. Repugnant illi 1. Scriptores θεόπνευστοι. 2. Theologia patrum. 3. Etiam intermediæ ætatis scriptorum, usque ad Lanfrancum & Lombardum. 4. Theologia reformata. 5. Specialiter judicium Lutheri, Melanthonis, Danæi, Sadeelis &c. omniumque nostrorum. De quibus non sine atroci calumniâ & ἀνισορησίᾳ pronuntiat Canus lib. 8. c. 1. *Lutheranorum autem hæresis, si sibi consentanea esse velit, de scholæ instituto nihil queat dicere, in quâ nunquam se exercuisse vel ipsa fatetur.* Et lib. 9. c. 3. Quod velit discipulos suos à *facultatibus, quæ ratione constant, esse alienos: quodque ab omni cognoscendi facultate eos sevocant.* Quis nescit primos reformatores Scholasticæ Theologiæ & Philosophiæ (uti tum in scholis tradi solent) fuisse innutritos, in eâ promotos, immo nonnullos eandem in Academiis aut Collegiis docuisse? Successores autem eorum, quam gnaviter & dextrè supra Papales Scholasticos, disciplinas & artes, imprimis Philosophicas, una cum linguis & historiis excoluerint, clamant scripta eorum in illo genere edita, & scholarum apud nos usque in hodiernum diem facies.

6. Scholastica Theologia ex materiâ dogmatum, adjunctis & circumstantiis quibusdam variè dividi potest: & secundum eam Doctores Scholastici. 1. Est vetus, media, nova, quam divisionem supra explicuimus. 11. Est secta realium & nominalium: quibus addunt nonnulli conceptuales. Nominalium secta ab Occamo Scoti discipulo imprimis exculta est. Realium sectata est placita Thomæ. 111. Rursum est secta Thomistarum & Scotistarum; quę divisio viget usque in hunc diem. Tertia Albertistarum nunc obliterata est. Scoto mordicus adhærent lectores Theologiæ in collegiis Minoritarum, qui Theologiam suam non tradunt ad summã Thomę, quod fit in Academiis, sed ad Magistrum sententiarum & ad commentaria Scoti in Magistrum. Ferunt alicubi in Academiâ aliquâ Hispanię etiamnum esse cathedram Scotisticam, cui successivè præficiantur Professores Theologię Scotisticæ. Thomam sequuntur Dominicani, & plerique Professores in Academiis. Moderni Iesuitę, quamvis ad Thomam commententur, ad Scotum tamen non raro inclinant, & sic se medios præstant inter partes illas dissidentes; ut videre est in scriptis *Zwarez*, *Vasquez*, *Becani*, *Ariaga* &c. nequid dicam de dictatis Phi-

tis *Philosophicis Conimbricensium*, *Toleti*, *Ruvii*, *Pererii* &c. Quæ autem & quanta dissidia sint inter Scotistas & Thomistas, cognosces ex Thomista *Cajetano in commentar. ad Summam* Thomæ; ubi ad Scoti impugnationes passim respondet; & ex Scotista *Cavello in scholiis ad Scoti comm. in Magistrum*; imprimis ex *Rhada Episcopo Pactensi in tract. de Controversiis Theologicis inter* Thomam *& Scotum*. *Cardinalis Sarnanus conciliatorem* edidit *inter utrumque*. In celebri controversia de immaculata conceptione Mariæ videntur Thomistę non parum nunc inferiores, & quasi capite diminuti: de quo certamine ex *Chemnitii examine Concil. Trident.* & *ex Bullario Cherubini ejusque epitome per filium edita*, denique ex *Legationibus Philippi* III. *&* IV. *ad Pontificem descriptis à Luca Waddingo*. Alibi in prælectione locor. commun. synopsin hujus historię in gratiam auditorum proposui. Sed videant nunc φιλομαθεῖς Cl. *Riveti Apologiam Mariæ lib.* 1. *c.* 5. 9. In altera celebri controversia de gratia Dei & libero arbitrio, crepero Marte etiamnum certatur; Iesuitis frigidam uti illic ita & hic suffundentibus, & Thomistas cupidè oppugnantibus. Adversos sectarum conatus, vide apud *Bellarmin. in Controversiis*, aut *Zwarez in opusculis Theologicis*; aut *Fr. Sylvium in tract. de Motione primi motoris*: & in *Disp. nostra de Scientia Dei.* IV. Distinguuntur etiam Doctores Scholastici ex gradibus autoritatis quam in scholis doctrina eorum obtinuit. 1. Alii enim sunt obscuriores, & pęne communiter oppugnati & rejecti, quales *Ioachimus Abbas*, *Abaillardus*. Alii in peculiari tantum aliquâ opinione aut opinionibus communiter reprobati ut *Gilbertus Porretanus*, *Aureolus*, *Durandus*, *Occam*; uti & *Lombardus* in variis opinionibus, quibus nigrum illud Theta: *Hic Magister non tenetur*, appingi solet. Videndus *syllabus opinionum*, quas in eo partim Parisiensis, partim Oxoniensis schola condemnavit, editus cum ipso Lombardo, & cum *commentariis Bonaventuræ ad Lombardum.* 3. Alii sunt probati, & immunes à stigmate scholarum. 4. Denique, alii supra omnes alios in columnas scholarum evecti: ut *Alexander de Alez* dictus *Doctor irrefragibilis*: *Thomas*, dictus *Doctor Angelicus* (de cujus autoritate pęne canonicâ, vide *Sixtum Senensem*, *Possevinum*, *editores operum Thomæ*, *Sylvium in præf. ad tract.* De Motione primi Motoris). *Bonaventura D. Seraphicus*: *Henricus de Gandavo D. solemnis*: *Ioh. Duns Scotus D. subtilis*, *Ægidius Romanus D. Fundatissimus*: *Franciscus Mayronis D. Illuminatus*. *Iohannes de Baccone D. Resolutus.* V. Ex modo ac methodo scribendi, dividuntur in Sententiarios, & Quodlibetarios. *Illi* sunt qui ad Lombardum dictata sua aptabant; qnorum ingentem numerum vide apud *Possevinum biblioth. lib.* 3. & passim in *apparatu sacro*. *Isti*, qui de certis & selectis quęstionibus Quodlibeticis disputabant. Primus Quodlibetalium editor fuit Gualterus Episc. Picta-

Pictavienſis ; cujus exemplum imitati Thomas, Henricus de Gandavo, Occam, Raymundus de Sabunde, &c. VI. Denique dividuntur ex circumſtantiâ temporis, in Scholaſticos ante tempora reformationis ſeu renaſcentiæ tum literarum tum religionis, & poſt ea. Quantum poſteriores differant à prioribus quippe à reformatis Doctoribus edocti, aut excitati, aut coacti haut paulo verecundius, & circumſpectius, in multis θεολογεῖν, conſtabit utroſque conferenti. Sunt autem inter poſteriores hodie maximè celebres Cajetanus, Dominicus à Soto, Ferrarienſis, Bannes, Medina, Valentia, Corduba, Molina, Vaſquez, Zwarez, Raph. la Torre, Gul. Eſtius, Ioſephus Angles, Ledeſma, Fr. Sylvius, Ægidius de Coninck, Malderus &c. quorum cõmentaria & diſputationes in Magiſtrum, aut in Thomæ ſummam ſive totam, ſive partem ejus publicè proſtant. Præter eos ſunt, qui peculiares tractatus aut opuſcula quædam ſcholaſticâ methodo ediderunt, ut Victoria, Leſſius, Alvarez, Riſpolis, Rhada &c. ut nihil dicam de infinitis Caſuiſtis & Moraliſtis ; de quibus alibi : interim prolixum eorum Catalogum (cui tamen non pauci addendi) vide apud *Poſſevinum Biblioth. lib.* 3. Nec prætereundi, qui antiquorum Scholaſticorum opuſcula tanquam introductoria ad doctrinam Scholaſticam interpolata recudi curârunt, aut dictionaria ſeu explicationes terminorum, aut ſynopſes Theologiæ Scholaſticæ ſcripſerunt, quales *Gothutius in Gymnaſio ſpeculativo*, *Author novæ editionis dictionarii Theologici Ioh. Altenſtaig Coloniæ* 1619. *Gualth. de Roy in Formalitatibus*, *Vallo in lecturis*, *Caſtaneus in diſtinctionibus*, *Becanus in Theologia Scholaſtica*, *Arn. Veſalius in compendio Lombardi*, *Martinus de Ripalda in compendio ejuſdem cum allegationibus ſcholaſticorum nuper edito*, *Anonymus in tract. cui tit. Concluſiones Thomæ* aliquoties recuſæ ; aliæque epitomæ ſummæ Thomiſticæ in *noſtrâ Biblioth. Theolog.* indicatæ. VII. Membrum diviſionis hic faceret peculiaris *Scholaſtica, Philoſophia & Theologia Raymundi Lullii*, niſi illa ab omnibus fere ſcholis communiter deſerta fuiſſet, & ſic quaſi exoleviſſet. Fuerunt quidem aliqui, qui ſubinde Lulliſticam ſcholam extollere ſtuduerunt, ſed non potuerunt pertendere : ita ut intra ſolius patriæ ipſius Majorcæ anguſtias continere ſe debuerit : ubi etiamnum doctrina Lulliſtica publicè prælegitur. Varia & contradictoria de illâ Pontificum & Conciliorum judicia alibi ex *Nonii Hiſpania*, aliiſque indicavimus. Videndus liber anno 1604. hoc titulo editus : *Sententia definitiva in favorem Lullianæ doctrinæ* &c. Negat tamen Bellarminus definitum eſſe an Lullius ſit hæreticus, an verò ſanctus martyr, & doctor illuminatus. Confer. *Poſſevinum in apparatu ſacro*. Bernhardus Lavinheta Theologus Minorita anno 1523. Lugduni diſciplinas Lullii, & Theologiam ipſius uno volumine compendiosè complexus ad

Schola-

Scholasticam adaptare & cum eâ miscere studuit. De Philosophicâ methodo Lullii ex recentioribus plurimi judicium suum tulerunt: inter alios contra illum *Keckerman. in præcognitis Philosophicis*, sed imprimis & fusè in *præcognitis Logicis*; & pro illo *Alstedius in Logica Lullistica.*

Hactenus tractatio Exegetica, sequitur nunc critica: quæ bimembris est; quarum prior censuram, posterior usum Theolog. Scholasticæ indicabit. 7. Censurâ notanda occurrunt quamplurima, idque tum in materiâ, tum in formâ. *In materia* quidem I. falsitas & novitas theseôn seu sententiarum capitalium ex. gr. de libero arbitrio & gratiâ, de justificatione, de meritis & satisfactionibus humanis, deque indulgentiis; de cultu sanctorum, imaginum, rerum consecratarum; de efficaciâ sacramentorum, de transubstantiatione & missâ, de infallibilitate & potestate Ecclesiæ ac Papæ, de peccato veniali, deque opere operato, de Conciliis & votis monasticis, &c. Et quæ sunt istius generis inter nos & Papatum hodie controversa. II. Falsitas opinionum multarum in controversiis secundariis, ex. gr. de Angelis, Dæmonibus, Inferno, Cœlo, Creatione & operibus Creationis &c. III. Falsitas in controversiis hypotheticis, cum scil. pseudographematis bonam causam agunt, & ficulneo tibicine seu falsâ hypothesi veritatem aliquam fidei fulciunt: aut ex thesi vera falsa ἐπόμενα & porismata educunt: aut argumentis contrariis falsas & insufficientes responsiones opponunt. IV. Vertigines, contradictiones & dubitationes innumeræ: quibus & se & lectores ac sectatores suos involvunt, eosque magis incertos reddunt, quam instruunt. Sunt autem illæ contradictiones & fluctuationes I. partim inter sectas, utpote Thomistas & Scotistas, Nominales & reales: partim inter Doctores ejusdem familiæ seu sectæ. 2. rursum, partim in controversiis primi generis: ut de gratia Dei, de materia & forma cujusque sacramenti, de cultu & adoratione imaginum, de potestate Papæ &c. partim in controversiis secundi & tertii generis: uti constat ex *Bellarmino in controversiis; & Tannero ac Becano in Theol. Scholastica; & Zwarez, Vasquez, Sylvio in summam Thomæ*, & Casuistis *Azorio, Diana, Bonacina* &c. Contradictionum istarum centurias ex nostris collegerunt, Andr. Crastovius, Ioh. Pappus, Mathias Flaccius Illyricus. Frustra autem occurrunt Pontificii distinctione dissensionum in fide & in Theologia, & laudatione earum, tanquam peculiaris & salutaris effectus providentiæ divinæ. Audi Theologum Iesuitam Tannerum in præfat. ad lect. tom. I. Theol. Scholastic. *Vasquez & Zwarez societatis nostræ magni Theologi, & hoc quidem tempore quidam quasi theologorum coryphæi, qui in singulas partes S. Thomæ plures ac bene magnos commentariorum tomos scripsere, ut tamen in*

men in pleriſque ſcholaſticis controverſiis, non abſque ſingulari, ut exiſtimo, divinæ providentiæ nutu veritatis magis illuſtrandæ cauſa, inter ſe perpetuò diſſentirent. De problematicis eorum propriè ita dictis, aliiſque aut in medio relinquendis, aut liberè, ſobriè in utramque partem conſiderandis, aut poſt diſquiſitionem commodè conciliandis, nihil hic notandum cenſeo; ſiquidem diſſentientes ſententiæ & quodlibetales (ita loquar) diſquiſitiones, ac liberæ prophetiæ circa talia nuſquam non apud patres & orthodoxos Theologos occurrunt. Sunt autem tales controverſiæ problematicæ (ut ἐν παρόδῳ hoc explicem,) de quibus inter pios & orthodoxos in utramque partem diſquiri ac ſentiri ſolet, ſex generum. *Primi* generis ſunt circa theſes purè Theologicas, ex. gr. An fideles ſe invicem cognituri ſint in vitâ æternâ; an impii noviſſimo die viventes ſint morituri. &c. Confer *bibliotech. theologic. lib. 1. c. 9.* *Secundi* circa ſpeciales & intricatos nonnullos conſcientiæ caſus, in materiâ ſcandali, aut in ſpecie mali, aut in participatione cum alieno peccato &c. ubi vix liquet quid certò ſtatuendum, *Tertii* circa theſes Theologico-Philoſophicas ſeu technicas; ex. gr. Vbi tropus ſit in verbis cœnæ, Quomodo diſtinctio illa non realis, quâ attributa diſtinguuntur ab eſſentiâ, item eſſentia à perſonâ propriè ſit appellanda. Dabimus forte aliquando ſyllabum iſtarum quæſtionum. *Quarti*, circa explicationem dictorum ſcripturæ; præſertim quæ obſcuras antiquitates, aut ritus, aut chronologica, aut topographica quædam continent, aut etiam quâcunque ratione cenſentur ἐναντιοφανῆ. *Quinti*, circa plurimas controverſias hiſtoricas ſeu antiquitates, & novitates eccleſiaſticas; ubi diſquiritur; an tale quid ab hoc vel illo Doctore martyre, Eccleſiâ, Concilio, Eccleſiæ nutritio, aut ab hæretico & extraneo creditum, dictum, ſcriptum, factum, determinatum ſit, nec ne. *Sexti*, circa formalitates, & methodum ac modum explicandi, aut diſputandi: an ſcil. propriè, evidenter, methodicè quid explicatum aut diſputatum ſit. Ad illuſtrationem hujus materiæ de controverſiis problematicis, conferet collatio diſp. *de articulis & erroribus fundamentalibus*, & tit. in politiâ eccleſiaſt. *de libertate prophetandi*, & *de tolerantia*.

8. *Formam* Theologiæ ſcholaſticæ conſideramus aut magis extrinſecam, aut magis intrinſecam. *Extrinſeca* habet ſtylum ſeu phraſin, & externum ordinem ac diſpoſitionem partium: in qua quamvis pleraque ad Logicorum magis quam Theologorum cenſuram pertineant, breviter tamen notamus iſta. 1. Quod nonnunquam abſque ulla neceſſitate, utantur vocibus barbaris & obſcuris. 2. Quod etiam alicubi abhibeant terminos rem minimè exprimentes; quippe minus proprios, adæquatos, & perſpicuos. 3. Quod methodus cujuſque capitis Theologici in particulari,

ſit

sit purè elenctica & quæstionaria non positiva atque adeo accumulandis tantum quæstionibus quibusdam videantur laborare, inque eas involare, absque explicatione terminorum per definitiones, divisiones &c. cum tamen Aristoteles ipsos doceret, prægognita demonstrationis esse, an sit, quid sit. Hinc fit, ut sæpe disputent de *Non ente*. Quam Lucifugarum methodum hodierni Pontificii in disp. de Merito, libero arbitrio &c. etiamnum imitantur. 4. Quod methodus universalis totius Theologiæ non satis accuratè videatur servari: siquidem Logicorum filii velint ἀκεῖβῶν; de quo tamen nos nolumus hic contendere. *Possevinus lib. 3. c. 8. & 9.* Lombardi, Scoti, Bonaventuræ (quos in scholis á Professoribus exponi innuit *ibid.*) methodo præterita, contendit Thomæ integerrimam & absolutissimam esse. Nec tamen dissimulare potest aliis aliter visum; unde factum, ut, cum pressior illa scholasticorum dicendi ratio omnibus superiori sæculo nec probaretur nec percipi posset, *Sixtus Senensis Biblioth. sacræ lib. 3. Villa Vicentius de studio Theologico lib. 3. Melchior Canus de locis Theolog. Maldonatus Parisiis* (cujus methodi ideam illic exhibet) aliam utiliorem docendæ Theologiæ methodum ac rationem ostenderint atque inivenirint. Ejusdem sententiæ fuere *Viguerius* qui *Institutiones Theologiæ* de novo composuit, *Cardinalis Sarnanus*, qui *summam Theologicam*: *Hieronymus Torrensis*, qui *Augustinum in locos & methodum* redegit, *Seraphinus Capponi*, qui *Alberti M. compendium Theolog.* edidit, adjectis scholiis: ne quid dicam de *locis communibus Eckii, Clingii, Bunderii* &c. Adeo ut ægre ferendum non sit, si Logici & Methodici nostri (inter quos *Keckerm. lib. 1. Gymnas. Logici*) methodum Thomæ excutiant. *Intrinseca* magis forma habet principium, objectum, & modum tractationis scholasticæ. 1. Circa principium notamus. 1. *Quod* promiscuè partim ex falsa ratione sua, partim ex autoritatibus scripturæ, patrum, intermediæ ætatis scriptorum & Aristotelis, dogmata Theologica demonstrent ac determinent: addunt posteriores Ius Canonicum, Thomam, Scotum &c. 2. *Quod* scripturæ, Patrum, Aristotelis dicta malè versa, malè lecta, malè intellecta, sæpe ab ipsis nec visa nec lecta, sed tantum aliena fide, allegent. Exempla subinde monstrabimus studiosis nostris: & ex professo hoc agi poterit, ubi aliquando Lombardum aut Thomam, aut saltem compendia eorum privato collegio examinaverimus. Interim videatur *specimen* à *Danæo* exhibitum, *in primo libro Lombardi*. 11. *Circa objectum*. 1. *Quod* quæstionibus & controversiis nimis multis inveniendis & coacervandis unicè intenti sunt. 2. *Quod* nonnunquam, & ex professo nimis langueant circa quæstiones inutiles, vanas, curiosas, periculosas, absurdas, immo & blasphemas: quales ex. gr. Vtrum in statu innocentiæ

omnes

omnes nati fuissent in sexu masculino; cujus quantitates & figuræ sit cœlum empyreum: Vtrum filius Dei naturam quamcunque, utpote curcubitæ, asini, serpentis &c. aut naturam humanam peccatricem potuerit assumere. An teneat baptismus cujus formulæ admisceantur hæc verba, *in nomine diaboli*, aut, *arma virumqne cano*; An bona fuisset forma baptismi, si Christus eam instituisset in nomine, *buf*, *baf*; Quid mus arrodat, cum hostiam consecratam rodit, & quid de mure illo faciendum sit; Vtrum possibilis sit propositio, *Pater Deus odit filium* &c. 3. *Quod* nimis multas quæstiones Philosophicas ex alienis disciplinis infarciant. 4. *Quod* absurdis, aut alienis aut superfluis illis dum immorantur, multa utilissima ad intimam medullam & praxin fidei pertinentia plane ignorent & omittant: qualia sunt, de praxi fidei & resipiscentiæ; de arte & methodo precandi, de tentationibus & spiritualibus desertionibus, & similia quamplurima, qualia nos in Theologiâ morali & asceticâ; nec non politiâ ecclesiasticâ tractare solemus: quæ nusquam in Lombardi aut Thomæ summâ comparent. III. *Circa modum* explicandi, probandi, refutandi. 1. *Quod*, ridiculis & ineptis explicationibus, ac probationibus sæpe chartam conscribillent. 2. *Quod* solidiores & meliores probationes non raro prætereant. 3. *Quod* plerumque committant μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος: & mysteria fidei ex ratione & lumine naturali, aut ex Philosophiâ atque authoritate philosophicâ humana probare satagant. 4. *Quod* subinde magis operam ponant in recensendis dubiis, & omnis generis opinionibus: quam tollendis & decidendis: quasi ad imitationem Plutarchi scripturi essent de placitis Philosophorum. 5. *Quod* ad unum extremum abeuntes, in quodlibetali probabilitate & ipsi hæreant, & lectorem suum relinquant. 6. *Quod* rursum in alterum extremum abeuntes, in minutiis problematicis, aut incertis nimis contentiosè determinent. 7. *Quod* in explicatione, & conciliatione autoritatum allegatarum, aut in solutione rationum, nimis deliras & ficulneas adhibeant distinctiones: quæ rem magis implicent, quam explicent: & causam magis prodant, quam defendant, Quæ omnia exemplis abunde illustrabimus aliquando: cum in præsentiarum Thesium ratio hoc non ferat. Suffecerit nunc indicasse autores qui scholasticos censura notarunt. Sunt autem illi tum nostri, tum Pontificii, tum testes veritates ante reformationem in communione Ecclesiæ Romano-Occidentalis viventes. *Nostri* sunt, *Sadeel*, *Danæus*, *& Keckerm. locis cit. Marnixus Sanct. Aldegondii dominus in alveario ecclesiæ Romanæ. Ioh. Himmelius in tract. de Canonicatu*, ubi in fine agit de Theologia scholastica, *Binderus de Theologia Scholastica* & ante omnes illos *Erasmus Sarcerius peculiari tract. de Inutilitate Theologiæ Scholasticæ*. Pontificii sunt, *Abbas Trithemius*, *Clichtoveus* & *Aven-*

Aventinus lib. 6. annalium; *Eraſmus in Encomio Moriæ*, & *Antibarbarorum*, *in Compendio Theologico*, & *epiſtol. præfixa*, *de Ratione perveniendi ad veram Theologiam*; & *in notis ad 1 Tim. 1. Ludov. Vives de corrupt. diſpl. & in Auguſt. de Civit. Dei l. 13. c. 1. & 21. c. 7. & l. 20. c. 16. & l. 18. c. 18. Autor epiſtol. obſcurorum virorum*, qui putatur *Glareanus*; *Melchior Canus in locis Theologicis*: *Ambroſ. Catharinus contra Dominicum à Soto*, & *in 208. erroribus Cajetani*: *Eſpencæus in commentar. in epiſtolas ad Timotheum & Titum*: *Chriſtophorus à Capite Fontium*, *in tract. de Neceſſaria correctione doctrinæ Schol. Longolius in oratione ad Lutheranos*, *Agrippa de Vanitate ſcient. Alciatus Orat. de Legibus* habita Avenione. *Teſtes veritatis*, *Anſelmus Avelburgenſis* 1140. *Nicolaus de Clemangis*, *Weſſelus Groningenſis*, *Iacobus Faber Stapulenſis*, *liber, cui tit. Omus Eccleſiæ*: aliique quorum dicta (ſiquidem libri omnes ad manum non ſint) vide in *Illyrici Catalogo Teſtium Veritatis*, & *Myſterio Pleſſei*. Reliqui autores ubivis ſatis obvii: ideo verba eorum non exſcribimus. Tantum nunc Alciati celebris I. C. verba ex oratione de legibus habitâ Avenione (quam forte plures bibliothecæ, præſertim Theologorum non habent) exhibemus: *Quæ*, inquit, *Theologi præter materias cum* ICC. *communes propria habent, vix ad Theologiam pertinent: qualia ſunt infinita volumina, innumeræque ineptæ quæſtiones, quæ id in divino cultu poſſunt, quod canis in balneo.* Vt videamus, quanti in Academiis fecerint eruditi vulgarem Theologiam Scholaſticam.

Reſtat nunc originem & occaſiones hujus tam corruptæ Theo- 9.
logiæ indicemus. I. Eſt ignorantia linguarum, præſertim Græcæ & Hebrææ: quibus Deus ſcripturam ſcribi voluit: & hinc ignorantia phraſeologiæ ſacræ, ac conſequenter ſenſus literalis. II. Ignorantia hiſtoriarum & antiquitatum, præcipuè eccleſiaſticarum. III. Ignorantia diſciplinarum, quibus tamen maximè ſuperbiebant. Ex Grammatica enim Alexandri, & Huguotto, Catholico, Mammotrecto, Gemma Gemmarum & ſimilibus iſtius ævi dictatoribus Philologiam ſuam hauriebant. Philoſophiam cum cognatis artibus circumſcribebat ſummula dialecticæ Petri Hiſpani, dictatæ quædam quæſtiones à præceptoribus ad parva Logicalia, ad partes quaſdam Logicæ & Phyſicæ Ariſtotelis ſæpe haut ſatis feliciter tranſlatas; adjectis pauculis quæſtionibus Ethicis & Metaphyſicis. Et hic curſus Philoſophicus, qui etiánum hodie alicubi nondum exolevit. Linguis & diſciplinis illis inſtructi accedebant ad Lombardum, cui plerique immoriebantur. IV. Defectus praxeos & exercitationis tum pietatis, tum curæ eccleſiaſticæ. Erant enim maximam partem Doctores purè ſpeculativi & umbratici. V. Ignorantia ſcripturarum (hoc eſt, unici

principii Theologici) & rara, aut perfunctoria, aut nulla earum lectio, meditatio, collatio &c. Quod ex variis indiciis colligimus. 1. Quod ipsi Doctores, vel 50. annos nati solent in scholis profiteri, se Scripturam non legisse, sed loca illa, quæ citabant, habere se ex Hieronymo aut jure Canonico: ut videre est in *Apologia Rob. Stephani adversus Parienses.* Carolstadius fassus est, se septennio post collatum Theologiæ doctoratum demum cœpisse scripturas legere. 2. Quod loco lectionis biblicæ saturarent se Comestoris historiâ ecclesiasticâ: qui insulsis suis assumentis historiam sacram fœdavit: quem postea imitati sunt, *Bonaventura & Ludolphus de Saxoniâ, in Vita Christi.* 3. Quod tam insulsis & ineptis interpretamentis scripturas passim torqueant & pervertant. In quo genere præludebant ipsis Pontifices, & pari passu cum illis ibant Canonistæ.

Sequitur altera pars Criticæ, quæ usum Theologiæ Scholasticæ exponit: de quo alibi etiam aliquid monuimus, in *Thersite* scil. *Heautontimor.* & postea in *biblioth. theolog.* Est autem 1. Quod in Philosophicis subtilitatibus, præsertim Logicis, Physicis, Metaphysicis, Ethicis, Politicis enodandis plurimum conducant: & recentiores plerique ipsorum vitula arent. Vide *Scaligeri elogia Exercit.* 249. 3. & 324. & 340. & *epistolam Pici Mirandulæ ad Hermolaü, in epistolis Politiani.* 11. In methodo ipsorum Theologica, speciatim Thomæ, probanda sunt. Quod *quatuor inter se implacabiliter pugnantia, indissolubiliter conjugnat, copiâ, brevitatem, perspicuitatem, obscuritatem*: uti commune habet proverbium de Thoma, teste *Sixto Senensi*: quod si non in omnibus saltem in multis verum esse comperimus. 2. Quod terminos & distinctiones multas rebus alioquin obscurissimis & difficillimis elucidandis excogitârint: quibus mirificè juvari ingenium & memoriam hominis, & expeditissimè ac tutissimè mysteria multa Theologica explicari ac defendi nemo inficias ibit, nisi solidæ Theologiæ ignarus. 3. Quod controversias tractent absque περιοιμίν καὶ παθῶν, hoc est absque cascis & grammaticis pigmentis, absque oratoriis & poëticis amplificationibus ac digressionibus, quæ veritatem obfuscant potius quam illustrant. 4. Quod phrasin seu stylum adhibeant non semper tam ineptum ac barbarum (ut delicatuli quidam clamant) sed verè acroamaticum, rebus abstrusis & divinis (ubi etiam vera dicere periculosum est) contra adversarios defendendis maximè idoneum. 5. Quod quamvis non videantur semper tantum Logicę usum præsertim in analysi præ se ferre: tamen in analysi textus Aristotelici, aut scripturæ summum sæpe ostendant judicium & subtilitatem. Videant, quibus vacat, ex. gr. *Thomæ Commentaria in Aristotelis libros de Anima, Bonaventuræ Commentaria in Lucam* &c. 111. Materia Theologiæ est gemina, vel in dogmatis quę Theologiæ naturalis terminos

nos (quos alibi designavimus) non excedunt, vel in dogmatis quæ eos excedunt. In illa admodum felices sunt: & fœcunda ipsorum ingenia, non parum juvabunt nos in rationibus & solutionibns contra Atheos, Epicureos &c. expediendis. Consulantur scripta recentiorum de Deo, de angelis, de anima humanâ &c. Materia Theologiæ supernaturalis est vel hodie inter nos & Pontificios controversa, vel non controversa. In non controversis exemp. gra. de Dei simplicitate, infinitate: de Trinitate, persona Christi, resurrectione mortuorum &c. Non parum nobis inserviunt contra antiquos & hodiernos hæreticos, præsertim Neo-Arrianos: sunt enim ingeniosi in implicatis hæreticorum explicandis & detegendis, rationibus inveniendis, quas ratiunculis hæreticorum opponant, adhæc in solvendis perplexis sophismatis, & nodis ἀλύτοις: denique, quod magis mirum, non rarò in explicandis scripturis ab adversario detortis & objectis. *In materiâ* hodie controversa duplicem usum nobis præstant. *Unus* est, quod dum candidè magis quam hodierni æruscatores, mysteria corruptæ suæ Theologiæ exponunt, occasionem nobis dent prævaricantes Lucifugas tantò facilius convincendi & in lucem protrahendi. Ex omnibus aliis, documento nobis erit, Controversia de adoratione & cultu Imaginum. *Alter* est, quod veritatem in nonnullis adhuc melius retinuerint, aut ad eam propius accesserint, quam hodierni irreformabiles & αὐτοκατάκειτοι: ex.gr. de Principiis & objecto fidei, de gratia Dei & libero arbitrio: quò fit ut domesticis testibus eos passim confundamus. Has aliasque Theologiæ Scholasticæ utilitates agnoscunt passim præstantiores Theologi nostri si non verbis, saltem ipso facto: hoc est imitatione & usu Scholasticorum in scriptis suis: ubi non pauca ex illis partim mutuantur, partim allegant. Catalogum eorum texui in *Thersite* meo.

Restat problemata quædam perstringamus. 1. Primum probl. & quod capitalem hic facit controversiam est: An scholastica sit genuina Theologia, & in scholis retinenda? Resp. Ita quidem contendunt Pontificii: *Gregor. de Valentia Disp. 1. qu. 1. puncto 2.*; *Hieronymus Vielmius in oratione apologetica*, quæ edita est cum *libro de sex diebus conditi orbis*: *Possevinus biblioth. lib. 3. c. 3. 5.* & prolixè *Melchior Canus lib. cit.* ubi objectionum omnium solutionem præ se fert. Sed si quis attendat, videbit eum, ludere ambiguo & probationes pertinere ad Log. Scholasticam in ideâ & abstractè, qualis scil. debet esse; non autem ad eam, quæ heri aut hodie in scholis Papatus obtinuit. Quod ipse satis prodit, cum tacitè & quasi aliud agens intermiscet censuras pleraque, quibus nos Scholasticos gravamus. Sumit ergo sibi defendendam Scholasticam Theologiam, non istam illam, quæ 11

aut qualis fuit & in scholis passim obtinuit, quamquè primi nostri reformatores juxta cum Pontificiis nonnullis Erasmo, Vive &c. perstrinxerant: sed qualis debebat esse, ipsius judicio. Ita ille prætexendo accusationem sed calumniosam nostrorum, atque apologiam scholasticorum, revera eos accusat (*vide p.* 461. 463. 465. 467. *& lib.* 9. *c.* 1.) & longè aliam ac novam Theologię rationem præscribit, & antiquæ scholasticę substituit. Videat, cui vacat, ipsam ejus diatribem, & attendat imprimis ad illa verba cap. 1. *Sed in omni oratione memento lector, eam me defendere scholæ doctrinam, quæ sacrarum literarum fundamentis constituta sit,* & eadem p. 460. præmonet se neminem vocare Theologum scholasticum, nisi *qui de Deo rebusque divinis aptè, prudenter, doctè è literis institutisque sacris ratiocinetur.* Cap. 2. p. 463. describit proprium munus Doctoris Scholastici, *quod debeat scire quemadmodum fides Catholica & piis opituletur, & adversus impios defendatur*: & pag. 426. *Vt quæ in sacris literis, Apostolorum traditionibus abdita continentur, ea in lucem quasi è tenebris eruantur*: Et p. 464. *Vt Christi ecclesiæque doctrinam, quantum fieri potest, ex disciplinis humanis illustrent & confirment.* Rursum pag. 465. manifestè prævaricationem suam prodit: *Tres itaque fines veræ Theologiæ constituendi sunt. Nec enim tantum de scholastica, sed de omni omnino Theologia disputo.* Et paulo post: *Hæc est enim vera Theologia* &c. *scientia Dei, Cœlestium rerum cognitio, humanarum prudentia & usus.* Est ergo tota illa Cani (ut & Posselvini) non tam disputatio quam calumniosa prævaricatio & occultatio τῆς διαχύσεως. Quæ detegimus istis fontibus solutionum 1. Rationem, lumen naturæ, Logicam, Philosophiam Theologię ancillantem à schola Theologica non relegamus: ut videre est in *Disp. nostra*: *De Ratione humanâ in rebus fidei.* 2. Methodum acromaticam didacticè & elencticè in scholis tractandi Theologiam non rejicimus, sed studiosè sectamur & excolimus. 3. Aliud est vera ac solida Theologia, aliud Theologia Papalis Scholastica, aut Sociniana, aut quævis alia hæretica: sicuti aliud est Ecclesia Catholica, & aliud Papalis: aliud Christianismus, aliud Antichristianismus: qui ista improbat, eo ipso illa improbare non est dicendus. 4. Non est in eo error censuræ nostræ in Theolog. Scholasticam: quod non distinguamus opiniones scholæ à certis constantibusque decretis: & quod confundamus ea quæ ad religionem attinent, cum his quæ eam ne attingunt quidem: uti vult *Canus cap.* 5. *p.* 472. 473. Vide & confer *censuras nostras* supra indicatas. 11. Probl. An quis possit esse eruditus Theologus didacticus & elencticus, qui hospes sit, in Theologia scholastica? Resp. *Minime.* Nam ut utilitates supra ablatas præteream: quomodo quæso poterit solidè eam refutare, aut Pontificiis hodie abhuc ipsius armis pugnantibus resistere, siquidem eam nec

legat

legat nec intelligat? III. An ſtudium & cognitio aliqua Theologiæ Scholaſticæ conſiſtere poſſit, cum ſtudio Theologiæ practicæ: & an cognitio & delibatio illius cognitionem & ſtudium iſtius non corrumpat atque intervertat? Reſp. *Aff. pr. N. poſt.* Non magis quam accuratam practicæ Theologiæ explicationem intervertit illud 1 Theſſ. 5. *Omnia probate, quod bonum eſt tenete.* Exempla ſint duo præſtantes Theologi practici Perkinſus & Ameſius. IV. An tam difficile ac tetricum ſit illius ſtudium? Reſp. *Neg.* ſi quis modo mediocri Logicæ, Phyſicæ, & Metaphyſicæ cognitione imbutus ſit. V. An autores eſſe debeamus ſtudioſis ut in curſu Academico Theologiam ſcholaſticam delibent? R. *Aff.* ibi enim recentes ſunt à ſtudiis philoſophicis, atque adeo maxime ad diſtinctiones & terminos ejus intelligendos idonei. Quando autem, & quâ præparatione, quove modo ac ordine ad ſcholaſtica delibāda accidendum ſit, indicamus in *Biblioth. Theolog.* VI. Quantum & quale ejus ſtudium tunc ipſis imponendum aut ſuadendum. R. *Geminum*, alterum ſc. ex profeſſo, alterum incidentale ſeu data occaſione. Prius lectione Theologiæ Scholaſticæ: etiam, ſi fieri poſſit, ſocia exercitatione ſeu collegio examinantium & diſputantium abſolvatur. Alterum potiſſimum eſt triplex. 1. cum ſtudent Metaphyſicis, & de iis diſputant. 2. cum exercentur in Theologico-Philoſophicis. 3. Cum publicè aut privatim, Theologicè aut Philoſophicè opponendum eſt. Iſtis occaſionibus utiliſſimè devertent ad lectionem diſputationis alicujus ſcholaſticæ.

De quæſtione hac

QUOUSQUE SE EXTENDAT AUTORITAS SCRIPTVRÆ.

Reſp. HENRICO RIDDERO *Rommerſ-vvale Zeeland.*
Ad diem 9. Julii 1636.

Capitales controverſiæ de Authoritate Scripturæ Doctiſſim. Theologorum Theſibus, ſyſtematibus, & ſcriptis elenchticis contra Atheos, Epicureos, Libertinos, Pontificios tam ſolidè & plenè expoſitæ ſunt, ut poſt Homerum Iliada ſcripturire videri poſſint, ſi qui de novo commentationes ſuas chartis illinerent. Nos ergo ad labores eorum ablegatis ſtudioſis, ſpicilegium, & ἐκλογὴν ſolummodo problematum παρεγλιπομένων his theſibus exhibemus, idque hoc ordine. I. præmittemus diſtinctionem Authoritatis Scripturæ. *II. Extenſivam Authoritatem ſeu extenſionem authoritatis ſcripturæ (intenſivam enim à noſtris aſſertam præſupponimus) κατ' ἄρσιν & κατὰ θέσιν breviter delineabimus.*

1. DIvinitas Scripturę seu divina & infallibilis ejus veritas ac potestas respectu nostri dicitur authoritas seu αὐθεντία. Est autem authoritas scripti & instrumenti alicujus nihil aliud, quam ἀξία dignitas quædam, secundum quam & propter quam scriptum illud pro vero habetur, immo & pro potente nos obligare ad omne illud credendum aut præstandum, quod credi & præstari præcipit. In scripturæ authoritate distingui & considerari potest *Authentia Historiæ* seu *historica*, & *authentia normæ*, seu *normalis*, quam etiam *præcepti* appellare soleo. Illa est, quâ Scriptura infallibilitervera esse intelligitur veritate θεοπνεύστῳ, quatenus scriptores sacri historicè ἱστορίᾳ divina exponentes omnia dogmata, consilia, dicta, facta, sive bona sive mala, quæ bibliis continentur, ex ore & per immediatam Dei revelationem illa accepisse & absque ullo errore nobis exhibuisse creduntur. Authentia *Normæ* est, quâ ipsa rerum materia scripturis contenta (ex. gr. consilia, dicta, facta,) præter sui notitiam, etiam obligant & constringunt conscientias nostras ad fidem, observationem & imitationem eorum quæ ibi credenda, observanda, & imitanda dicuntur. Quamvis fateamur authentiam historiæ habere & includere etiam authentiam præcepti, quia præcipit Deus ut verbo ipsius scriptoribus sacris dictato fidem adhibeamus, tanquam verbo Dei per Spir. S. dictato. Sed huic præcepto & obligationi generali, qua lectores & auditores omnes obligantur ad fidem seu assensum veritatis cujuscunque historicę, contradistinctè opponimus præceptum & obligationem, quâ insuper obligantur ad assensum veritatis euangelicæ, in promissionibus scil. euangelicis; aut veritatis legalis, in mandatis scil. legalibus; aut veritatis cujuscunque theologicæ in dogmatis theologicis, de Deo, ejusq; attributis, operibus &c. Accipimus ergo in altero membro hujus distinctionis τὸ *authentia præcepti*, stricte, nō laxè. Distinctionis hujus necessitas & evidentia ex analogiâ legis & historiæ optimè patescet. In lege duo hæc momenta distinguamus, potentiam & actum notificandi, & actum seu potestatem imperandi, obligandi & constringendi. Lex aliqua municipalis ex. g. in hoc aut illo regno sive bona sive mala mihi authentica est, quia certò certitudine humanæ historiæ indicat & notificat mihi, hoc vel illud à Rege in illo regno statútum; sed non est mihi authentica authentiâ normæ aut *præcepti*, quia non habet potestatem constringendi & obligandi me ad illa præstanda quæ lege illa postulantur, seu continentur. Similiter in *historia* ex. gr. *Salustii*, distinguo veritatem historici fideliter referentis quæcunque consilia, facta, dicta, scripta, à veritate aut bonitate dictorum, consiliorum &c. ut etiam à veracitate loquentium, consulentium, scribentium ex. gr. Catilinæ, Lentuli, Cethegi

&c.

&c. Probamus hiſtoriam quâ talem, formaliter ita dictam, ſed non probamus hiſtoriam materialiter ſeu omnem materiam eâ contentam, utpote conjurationem Catilinę, conjuratorum dicta & conſilia; nec putamus illa tanquam exempla ad imitationem proponi aut nos conſtringere. Sic tota ſcriptura tanquã divina & infallibilis hiſtoria à nobis recipitur propter authoritatem hiſtorici, nempe Spiritus S. per quem acti eam nobis tradiderunt amanuẽſes ſacri. Sed ſimplex & nuda illa ἱστορία ſeorſim & in ſe ſpectata (ſi aliud quid non accedat) non obligat immediatè conſcientiã noſtram, ut promiſcuè omnibus omnium vel promiſſionibus innitamur, vel cõminationibus terreamur, vel conſiliis acquieſcamus, vel dictis fidem adhibeamus, vel factis quaſi à Deo probatis (quamvis in Dei codice & ex ejus ore recenſitis) tanquam exemplis utamur, vel omnibus illis tanquam juris & præſcripti divini trabalibus clavis affixos nos putemus, atque adeo conſcientias noſtras abſque ulteriori examine & diſcretione illis ſubjiciamus. Verum quidem eſt nudam veritatem cujuſcumque ſacræ hiſtoriæ mediatè, alterius interventu, per conſequentiam aliquam facere ad inſtructionem fidei & morum, cum ſcil. ſingula dicta, ſive vera, ſive falſa, & facta ſive bona, ſive mala, ad jus ſeu ad regulas juris divini alibi in ſcripturâ propoſitas exiguntur & cum iis conferuntur e.gr. *Iob.* 2.4. & *Iob.* 4. ac deinceps ubi amici Iobi loquuntur. Neque enim illa dicta per ſe, primo, & immediatè ſunt authentica ut fidem iis adhibeamus, aut vitam ſecundum ea inſtituamus, ſed indigent alia juris divini normâ priori & ſuperiori, in quam ultima fiat fidei & conſcientiæ noſtræ analyſis.

His præmiſſis dicimus totam ſcripturam eſſe authenticam authentiâ hiſtoriæ, hoc eſt, infallibilem & θεόπνευστον veritatem per omnes & ſingulas ejus partes eſſe diffuſam: ita ut ſcriptores non privato ſuo impulſu & libitu, ſed dictante Spir. S. omnes & ſingulas ſententias quod ad rem & quod ad phraſim protulerunt, ſive bonos deſcribant ſive malos, ſive vere dicta ſive falſò, ſive bene geſta, ſive male. Conſtat hoc ex 2. *Timoth.* 3.16. Coll. cum 2. *Pet.* 1.21. aliiſque teſtimoniis & argumentis, quibus ſcripturæ authoritas probari ſolet. Quidquid ſit habemus ſcripturam integram, authenticam, canonicam, ut nunc eſt, illa hactenus proprio divinitatis ſuæ lumine inter tot ſectas in tam cimmeriis hujus mundi tenebris eluxit, & quia primum principium eſt, à priori hoc demonſtrari non debet; non magis quam lumen ſolis alio lumine colluſtrari, ut actu videatur. Sumuntur enim principia, non probantur. Quod ſi qui extranei à fide principia hæc negent, hoc tantum agendum eſt, ut rationibus ipſorum refutatis ad abſurdum eos adigamus. 2.

Rejicimus autem ſententiæ huic noſtræ repugnantia partim in *Diſput.* 3. *de In-*

de Insolubilibus Scripturæ Thesi 3, recensita, partim hic recensenda vel in defectu peccant vel in excessu. In defectu peccant placita eorum qui authentiam scripturæ nimis coarctant : quales sunt. 1. qui methodum seu dispositionem, adhęc exornationem, ἐμφασιν, phrasin, & stylum scripturæ humano ingenio atque industriæ attribuunt,& non immediatè atque infallibili revelationi Spir.S.inter quos emicat *Castalio in dialog.2. de Electione ; p.*132.103 107.113. ubi Pauli locum *Rom.9.obscurum, durum, impeditius dictū*, & Paulum *duas similitudines implicare & confundere* conqueritur, optatque ut *mentem suam copiosius & apertius exposuisset.* Comparatione factâ inter Ieremiam & Paulum ait. *Certè si tam copiosè & apertè scripsisset hoc in loco Paulus, quam Ieremias, nulla inter eos cerneretur discrepantia : nec enim veritas à veritate dissidere potest. Quamquam si verum fatendum est, si alter ab altero discreparet, mallem hoc in loco Ieremiæ credere quam Paulo, idque duabus de causis. Primum quia Ieremias scribit & apertius, & naturæ rei convenientius : siquidem Pauli verba quædam, ac non potius perpetuum ejus tenorem doctrinæ velis pertinacius urgere. Deinde quod apud Ieremiam loquitur Deus ipse, cum Paulus loquatur ex sua persona. Quantum verò referat, utrum ipse ex sua persona, an verò Dei mandato loquatur, apparet ex ipsomet, qui alicubi sic scribit* 1 *Cor.7. Conjugibus præcipio non ego, sed dominus* &c. Contra tenendum est Spir. S. immediatè & extraordinario dictasse omnia scribenda & scripta, tum res, tum verba,tum quæ antea ignorabāt aut recordari nō poterāt scriptores, quam quæ probe noverant,tum historica seu particularia,tum dogmatica universalia theoretica & practica ; sive visu, sive auditu, sive lectione sive meditatione ea didicissent. Hæc autem dictasse eum ducendum est (ut bene Corn.à Lapide in 2.Timoth.3.16.) *primo, quia scribentibus astitit, ne vel in puncto à veritate aberrarunt. Secundo, quia eos excitavit, & suggessit, ut hæc potius scriberent,quam illa &c. inspiravit ut hanc potius conceptum quam illum scripserint. Tertio,quia omnes eorum conceptus & sententias ordinavit,digessit, & duxit Spir.S.v.gr.ut hanc sententiam primo, illam secundo, aliam tertio loco, & ita consequenter collocarent, & scripto consignarent : hoc tum propriè est librum concinnare & conscribere. Et hác ratione proprie sacrorum librorum autor dicitur esse Spiritus S.* Et citat ibidem dictum *Gregorii M. præfat. in Iobum cap.* 2.

II. Qui *volunt* scriptores novi Testamenti alterius linguæ (Syriacæ scil.) phrasi concepisse quæ scripserunt, alterius verò (Græcę aut Hellenisticę) scripsisse, quæ conceperant : itaque genuino interpreti eundum esse ad allusiones, non quæ exstant, sed quas animo conceperunt. Hęc,quamvis à viris doctissimis speciosè ita dicantur, cum totius scripturæ authoritate consistere non possunt. Firmiter enim tenendum est, Spiritum S. non

tantum

tantum res, sed etiam methodum & phrasim, quâ res illas proponerent, amanuensibus suis inspirasse; illos inspirata percepisse, & conceptus suos dextrè formasse; denique bene concepta vivâ voce & scripto rectè expressisse, ita ut nulla falsitas, nullus error, nullum erroris periculum sermonibus aut scriptis eorum subesse potuerit. Quæ omnia ut apud Christianos scripturarios in confesso sunt, sic antiquorum suffragiis confirmavit *Eduardus Kelletus Miscellan. theologicis* vernaculo sermone (h.e. Anglico) editis anno 1635. *lib.* 2. *cap.* 9. III. Qui stylum Scripturæ, specialiter N.T. barbarismi & solœcismi accusant; quasi Spiritus Sanctus non potuisset usitato ac recepto sermone (qui usu valet, & consequenter inde analogiam habet) mentem suam exponere. Illis reponimus *primò*; intercurrere multos Hebraismos, aliquos etiam Targumismos, Rabbinismos, Latinismos, &c. qui illâ ætate barbarismi non erant saltem illis, qui ejusmodi idiotismis assueverant: præterquam quod plusquã trivialis error esset in Rhetoricâ & Grammaticâ, si quis *Græcismum* in latino scriptore occurrentem barbarismi aut solœcismi notaret. *Secundò*, Phrases illæ quæ taxantur, magnam partem ut deliciæ Atticæ & Ἑλλάδος Ἕλλας à delicatulis illis criticis deglutiuntur, cum apud profanos authores occurrunt. Occurrere verò jam satis superque demonstratum *à Beza in notis ad N. T.* & ab *Henr. Stephano in* egregiâ *præfatione Novi Testamenti* gr. edit. in 16. anno 1580. præfixâ. *Tertiò*, nec sunt omnia tam aversa ab Hellenismo, ut nonnulli volunt. Quæ tanquam exotica Hebraica, aut Syriaca scævis oculis nonnulli linguarum orientalium imperiti, intuiti sunt, ea in mediâ Græciâ nata, aut forte ab Hebræis ad Græcos traducta, monstrari possunt. Vide *Seb. Pfochenii Diatriben, de puritate linguæ græcæ N.T.* & *Hebraismos Homeri annotatos à Iacob. Capello Vindiciar. Casauboni lib.* 4. *c.* 11. 12. quorum plenã messem Cl. *Heinsium in exercitat. sacr. in Iohannem* alicubi promittere memini. Confer etiam ejusdem *cap.* 10. *exercitat. ad Nonnum*. IV. Qui interpunctiones in originali textu Novi Testamenti sollicitant, quotiescunque rationibus ipsorum id prodesse videtur. Inter quos emicat *Faustus Socinus*. Quæ ratio suadet interpunctionem (siquidem pars scriptionis seu orationis, & olim, & semper habita fuit) scriptoribus sacris non adscribere? Quod si illis adscribitur, à nemine mutanda est. V. Qui puncta vocalia in Veteri Testamento negant esse authentica, quippe textui Hebræo adscripta primum à Doctoribus Tiberiensibus vulgò dictis *Masorethis*, anno 446. *Galatinus lib.* 1. *de arcanis Cathol. veritatis cap.* 8. inventionem apicum tribuit ben Nephta & ben Essevun. Sententiam hanc in Europam intulit Elias Levita Germanus, qui post se traxit aliquos

ex Rabbinis Christianorum, *Petrum Martinium in Technolog. Authorem arcani punctationis ab Erpenio editum; Sixtin. Amama in Antibarbar. biblic.* præterea Theologos Pontificios (*vide Bellarmin. de Verbo Dei lib. 2. c. 2.*) & nonnullos ex nostris, qui si mordicus Tiberiensibus punctationem non asserant, saltem scriptoribus sacris eam detrahunt: inter quos *Iohannes Piscator in appendice quæstion. in Pentateuchum;* & ex Lutheranis *N. Oelschlegelius tractatulo peculiari de punctis*: ubi pro se citat Chemnitium, & Salom. Gesnerum. Contrarium sentiunt *Fr. Iunius in animadvers. in Bellarminum*, & cum illo Theologi plerique; adhæc Rabbini Iudæi omnes, & ex Christianis primipili *Broughtonus loco infra cit. Buxdorfius*, qui ex professo hanc causam agit in suâ *Tiberiad. part. 1. c. 7. & 9.* coll. cum bibliothec. *Rabbinica, in voce zohar.* Confer librum *Bibliandri de optimo genere interpretandi Hebraica*: Et ex Lutheranis *Crinesium in discursu de confusione linguarum cap. 3. Laur. Fabritium in partit. bibliorum cap. 2. Helvicus appendice 3. elenchor. Iudaicor.* distinguit. quo Lectorem remittimus. Addimus Buxdorfii rationibus & istas. *Primò*, si primum inventa esset punctatio à Tiberiensibus Masorethis, cur crisin exercent in vocem non punctatam. *Ierem. 51. 3.* & alias ἀνομάλως punctatas? Potuissent enim ipsi punctare ex animi sententia. Invenerunt ergo jam constitutam, & non dederunt punctationem. *Secundo*, sequeretur hoc absurdum, aliquam partem scripturæ sive authoritatis ejus & fidei nostræ pendere à Rabbinis & Criticis Iudæis errori obnoxiis, & non à Spir. S. Ratio consequentiæ, quia sensus literalis scripturæ ex verbis eruendus est; verba autem constituuntur non tantum à consonantibus sed etiam à vocalibus. *Tertio*, multæ sententiæ in sacris literis essent nobis incertę & ambiguæ, quia puncta sæpissimè toto genere distinguunt voces quamvis iisdem literis notatas, & consequenter tanquam anima & forma (juxta Rabbinos apud *Buxdorf. & Broughton. loc. cit.*) specificant & dant suam cuique significationem: si autem puncta absunt, ἀόριστος & indeterminata erit significatio primo quidem vocis istius, deinde etiam totius sententię: *Quarto*, non est improbabile argumentum ex *Math. 5. vers. 18. Luc. 16. 17.* ubi per κεραίας puncta & accentus commodè intelligi posse docti opinantur: inter quos *Broughthonus in comment. in Daniel. p. 45.* & *Polanus Syntagm. lib. 1. c. 37.* quamvis argumento illi nolimus insistere. *Quinto*, adde argumentum ad hominem; quia Pontificii aliique qui negant puncta esse autentica sollicitè se torquent circa expositionem sententiarum & vocum secundum puncta, ut ex. gr. *Psal. 22. v. 17.* de quo in *disp. de Insolubil. scripturæ*: Atqui hoc nullo modo opus esset, siquidem puncta non essent authentica. Problema I. An partitio librorum V. T. in Mosem, Prophetas, Psalmos, & in libros 22. item in capita, & versus, fuerit à

rit à temporibus Esræ ; aut ab ipsis Prophetis singulorum librorum scriptoribus ante Ezram ; aut à viris synagogę magnæ post Ezram? Resp. Non ita liquet. De capitibus negat *Buxdorfius junior in præfat. ad concordantias hebraicas*. De distributione librorum, rationem non video cur ad Ezram referri nequeat. II. An omne Soph pasuk faciat periodum aut colon ? N. vide *Ierem.* 41. *vers.* 17. 18. III. An aliqua ratione probent Pontificii Euangelium Matthæi cum epistola ad Hebræos Hebraice, & Euangelium Marci latinè scripta esse. N. Vide *dissert. Fr. Gomari* subjectam *tract. de genealog. Christi.* IV. An translatio Chaldaica, Syriaca, Arabica aut alia Orientalis V. aut N. T. alicubi cum textu originali comparari, immo illi præferri possit, quod ad expressionis evidentiam aut efficaciam. Resp. non magis quam translatio aliqua latina, Hispanica, Germanica, Iaponica, Malaccica.

Atque hi quidem nimis coarctant scripturæ *αὐθεντίαν*. In excessu peccant & nimis eam extendunt, qui *τὸ keri* seu lectiones marginales V. T. faciunt authenticas, vel solas excluso & extruso *τὸ ketib*, (quibus favet *Sixtin. Amama in Antibarb. lib.* 3. ubi vide ipsius rationes) vel una cum *ketib*, pro quâ opinione est *Broughtonus in annotat. in Iob.* 6. *vers.* 21. 29. & post illum *Ainsworthus annotat. in Exod.* 21. 8. quem ideo graviter perstringit *Paget us in tract. contra Brouwnistas* anglicè edito anno 1618. *in appendice admonitionis cap.* 4. *p.* 372. Huic opinioni favet *Polanus synt. lib.* 1. *c.* 37. *Broughtonus* has adfert rationes *loc. cit.* quia Christus seu Lucas *cap.* 4. 18. ex *Ies.* 61. 1. verba contextus & lectionem marginalem uno tenore exprimit, & quia paraphrastes Chaldæus sæpiusculè transfert lectionem marginalem prætcrito contextu. Nos vivæ disceptationi objectionum solutione reservatâ, ne otio & chartæ angustiâ abutamur, argumenta aliquot utrique huic sententię opponimus. *Primò*, Si textui renuntiamus, & Masoreticas lectiones illi subsțituimus, jam sequetur textum sive scriptorum, sive librariorum culpâ plus quàm 800. locis mutationem aliquam subiisse, & quidem non rarò talem quæ ipsum sensum corrumpat : quod quidem inviolabili scripturæ authoritati, & conservationi divinę, & curæ ac fidei Ecclesię, quæ hujus thesauri custos est, non leviter repugnat. Confer *disp. de Insolubilibus scripturæ*. *Secundò*, quia lectiones marginales sæpe sunt non necessariæ, imo nugatoriæ & futiles, cum idem valent quod *ketib*, aut cum *ketib* satis probum sensum facit, ut *Genes.* 27. 3. 1 *Reg.* 21. 8. *Proverb.* 6. 14. cum 19. *Ezechiel* 37. 10. *Ierem.* 15. 4. & 24. 9. & 29. 18. & tamen vocem eandem זועה intactam relinquunt *Ies.* 28. v. 19. Vide & *Proverb.* 17. 13. & 22. 3. *Ps.* 18. 4. 5. & 24. 5. & 56. 7. 1. *Reg.* 17. 14. *Iudic.* 16. 21. & plurima ejusmodi sunt, circa quæ frivola satis est crisis, cum ex. gr. *littera omittitur*, 4.

mittitur, 1. *Sam.* 17. 23. *Pſal.* 10. 5. *Numer.* 15. 24. *Proverb.* 3. 15. 2. *Sam.* 20. 23. aut *redundat* 2. *Sam.* 11. 1. *Zachar.* 4. 2. *Pſal.* 16. 10. *Mich.* 1. 10. aut *permutatur Iudic.* 19. 3. & 7. 13. 2 *Reg.* 5. 12. 2 *Chronic.* 26. 15. aut *tranſponitur Ieſ.* 6. 12. *Iudic.* 12. 3. aut *ſupponitur una pro alia.* 1 *Reg.* 12. 33. cum *Proverb.* 2. 7. 1 *Reg.* 23. 31. *Ierem.* 31. 40. & 28. 1 *Daniel.* 9. 24. *Ieſa.* 65. 7. aut *puncta variant Numer.* 21. 30. 2. *Reg.* 20. 18. *Iob.* 42. 2. *aut vox una diſtrahitur in duas*, 1 *Sam.* 9. 1. aut *duæ voces contrahuntur in unam. Ieſa.* 3. 15. *Ierem.* 6. 29. & 18. 3. Quæ omnia in literaturâ Grecâ & Latinâ figuras faciunt Grammaticas & Rhetoricas tmeſin, craſin, epentheſin, parapogen, enallagen, pleonaſmum, ellipſin, metatheſin, &c. non autem corruptionem: quæque adeo neceſſitatem immutandi aut condemnandi textum genuinis Criticis minimè imponunt. De varietate Ortographiæ & linguæ, Vide *Manutium de Ortographia*, *Lipſium de pronunciatione linguæ Latinæ*, *Auſon. Popma de Vſu antiquæ locutionis*, *Iunii Specularium in Genebrardum*, *Dureti Theſaurum hiſtoriæ Linguarum.* *Maſoreticum πρῶτον ψεῦδος* & quorundam Criticorum falſa hypotheſis eſt contra Grammaticam Generalem, & omnium Linguarum naturam: *Orthographiam & Etymologiam Linguæ ſacræ ſemper eandem & invariatam per omnia fuiſſe, uſque ad minimos apices, & quidem à Moſe primo ſcriptore uſque ad Malachiam & Ezram.* Cui addenda eſt altera: *Analogiam linguæ ſacræ in pronuntiandis vocibus, literis, ſyllabis, vocalibus, fuiſſe unam & eandem in omnibus vicis, civitatibus, regionibus Iſraelitarum; eamque unam ſolam analogiam adæquatè contineri in ſolis libris ſcripturæ, à quâ ſi quid in ſcriptura recedat, id tanquam barbarum, & corruptum habendum.* Quaſi & ipſi non faciant atque admittant exceptiones ab omni ferè regulâ, ſeu communi analogiâ biblicâ, quas vide in *Buxdorfii* incomparabili *Theſauro Grammatico*; imprimis ad ſingulas conjugationes, & Syntaxin ſtatus conſtructi, affixorum, particularum annotatas. Quin immo Rabbini cum ſe expedire non poſſunt per Grammaticam & Linguæ Analogiam, confugiunt ad ornatum & euphoniam. Vide ſis *commentar.* eorum *ad Hoſeæ* 3. *v.* 2. Quod ſi contingat vocem aliquam *ἀνομάλως* ſemel tantum inveniri, quæ regula Critica jubebit, eam ilico transformare? An quia in anguſtiâ illâ claſſicorum linguæ iſtius ſcriptorum, nullum aliud exemplum occurrit, concludemus nulla alia fuiſſe tunc temporis in ſermone aut ſcriptione Hebræorum? *Tertiò*, Quia variæ lectiones & criſes Maſorethicæ laborant ſæpiſſimè, curioſitate, ignorantiâ & oblivione, audaciâ & ſuperſtitione. *Curioſitate* quidem, cum criſin exercent circa nomina propria ut 1. *Paral.* 1. 45. & 4. 7. & 6. 20. & 9. 5. quæ tamen in Hebræâ & in omnibus aliis linguis nō uno modo ſcribi notiſſimum eſt. Videātur modo *onomaſtica* & *dictionaria*

Poëti-

Poëtica, *Historica*, *Geographica* &c. *Ignorantiâ*, cum sine ratione opinati sunt scripturam implicare contradictionem ut *Iesa.9.3.* (Vide ibi notas & commentaria nostrorum:) cumque uno loco crisin in vocem stringunt, alibi eandem prætereunt ut mox indicabimus: quod certè haut vulgaris oblivionis aut negligentiæ est. *Superstitione & audaciâ*, quando voces, quę ipsis videntur obscœnæ, quantum in se est expungunt, aliasque ipsis substituunt, ut *Deuteron.*28.27. quam tamen retinent 1.*Sam.* 5.6.9. Et rursum *Dueteron.*28.30.*Iesa.*13.16.*Zachar.*14.2. quam retinent *Ierem.*3.2. & certè verbale inde deductum in re honestissimâ usurpat Spir.S.*Ps.*45.10. Vide 18. loco emendata à scribis, ut loquuntur, quia indignum quid divinâ majestate continebant, *in Buxdorf.Tiberiade.* *Quarto*, Quia τὸ *keri* sæpe ambiguum facit, aut invertit scripturæ sensum 1.*Sam.*2.3.*Ps.*130.3. *Eccl.*9.4.2.*Sam.*14.2.2.*Reg.*23.33.*Prov.* 4.3. & 19.7. immo contradicit contextui *Exod.*21.8.*Levit.*11.21.2.*Reg.*8.10.*Ezr.*4.2.*Iesa.*63.9. saltem diversum & duplicem sensum literalem infert; ergo una cum ipso textu non potest esse authenticum. *Quinto*, Quia lectiones illæ marginales saltem magnam partem (imprimis quod ad 18.voces) sunt à Rabbinis, fatente *Amama in Antibarb.p.*739.740. & constat omnino ex *Tiber.Buxdorfii* aliunde originem non petendam: atqui illi non sunt nobis ἀνυπεύθυνοι & θεοπνεύστοι Prophetæ, quales scriptores V.T.*Rom.*1.*vers.* 2. *Hebr.* 1.1. *Actor.*26.27.2.*Petr.*1.21. ergo eorum crisis non est authentica. *Sexto*, argumento ad hominem contra Pontificios, *Amama* &c. qui, quoties usu venit, ex ipso *ketif* argumenta petunt ad astruenda dogmata theologica: atqui hoc nefas esset, siquidem τὸ *keri* solum esset authenticum. His rationibus allatis argumenta Ainsworthi sponte sua concidunt. Siquis tamen solidè refutata videre velit, is adeat eruditiss.*Pagetum loc.cit.*

PROBLEMATA. I.

AN paraschot, haphtaroth, Semichot, literæ majores, minores, exstantes, inversæ, clausæ, apertæ sint à scriptoribus sacris, & denotent aliquod mysterium? N. *Vid.* Amama antibarb.lib.3.pag.736.& seqq. *Et* Buxdorfii Tiberiadem.

II. *An mazora magna & parva, ut nunc est, Ezræ & viris synagogæ magnæ sit ascribenda?* N.

III. *An tituli & inscriptiones librorum sint authenticæ?* R. De Græcis V. T. neg. ut & de plerisque Hebraicis. *Aliter censemus de illis quæ continuam partem faciunt contextus sacri, ex. gr. Proverbiorum, Iesaiæ, Ioelis &c.*

IV. *An distinctiones capitum, sectionum, versuum; item subscriptiones epistolarum Pauli, & variantes lectiones, in N.T?* N. *Vide* Bezæ notas; *& Confer* controversiam de Episcopatu & presbyterio: *ubi exprofesso sub scriptiones epistolarum Pauli excutiuntur.*

V. *An ketib omne, saltem maximam partem, sit ex mendosâ librariorum descriptione?* Resp. *nullam video necessitatem, cur hoc concesserint viri docti, quos laudat* Amama antibarb. p. 740. *Confer.* Disput. de Insolubil. scripturæ.

5. Atque hæc quidem de veritate & authentiâ scripturæ historicâ, nunc videndum quousque se extendat authentia normæ seu præcepti. Præsupponimus autem nullius sani judicio eamque latè patere ac authentiam historiæ. Distinguenda itaque sunt dicta seu scripta à consiliis & factis; item personæ à personis. I. Personæ, quarum dicta, facta, consilia absque ullo discrimine sunt omni modo authentica, sunt sanctę & individuę Trinitatis, item Angelorum; authentica, inquam, ut singula fide recipiamus, eaque etiam vita exprimamus & imitemur, quatenus pertinent ad officium nostrum, hoc est rationem habēt communis præcepti aut imitabilis exempli. Excipienda ergo, motus & mandata Dei extraordinaria & specialia ut Abrahami *Genes.* 22. Pinehas *Numer.* 25. Mosis *Exod.* 2. Eliæ 2. *Reg.* 1. cum *Luc.* 9. Elizæi 2. *Reg.* 2. Simsonis *Iudic.* 16. Petri *Actor.* 5. Ad hæc facta & mandata Dei specialia pręter & supra legem (ubi Deus de lege non dispensat, sed mutat statum rei seu objecti: de quo in *disp. de Iure & justitiâ Dei*) item miraculosa &c. II. Personę quarum dicta, consilia, facta nullo modo sunt authentica, nec rationem habent normę fidei, aut prępcepti, aut exempli imitabilis, sunt Diabolorum & improborum: nec ulla hic est exceptio, nisi Deus dicta eorum sua dicta nominet, eaque approbet ut Bileami, Cajaphę &c. Non est ergo quod probemus mendacia & calumnias diaboli *Gen.* 3. *Iob.* 1, 2. & improborum, Pharaonis *Exod.* 6. Rabsake *Iesa.* 36. Herodis &c. nec facta & consilia eorum nobis sunt authentica. III. Quorumcunque fidelium & piorum, aut saltem hominum non malorum, sive doctrina & dicta, sive consilia & facta non sunt nobis promiscuè authentica: sive illi seorsim sive in cœtu Ecclesiastico in V. aut N.T. quid dixerint aut egerint: non magis, inquam, sunt authentica, quam dicta & facta hodiernorum Christianorum; nisi adfuerit & præfuerit ipsis assistentia & directio prophetica aut Apostolica, extraordinarii sc. ministri prophetę aut Apostoli; tum enim precatio eorum, confessio, professio, dogmatizatio in rebus fidei est authentica: residente proprio instrumentali principio authentiæ, & lumine infallibili non in ipsis, sed in solis apostolis aut prophetis. De factis, consiliis, dictisque, & sermonibus privatis aliter judicandum est, ut mox dicemus. Τυχόντες autem e-

tem ejusmodi fideles censemus omnes sive plebeios, sive sacerdotes aut ministros, quorum in scriptura fit mentio, exceptis solummodo iis quos mox recēsemus. *Consect.* 1. *Hinc sequitur, nomina* 2 Thess. 1. v. 1. & Coloss. 1. 1 *adjuncta nomini apostolico nihil facere ad authentiam illius epistolæ, sive primo sive secundò, sive immediatè, sive mediatè. Consect.* 2. *Non satis circumspectè ex scripturâ promiscuè allegari exempla quæ vis pro concione, tanquam rationes doctrinarum. Nullam enim rationem faciunt, nisi aut generatim aut in specie à Spiritu S. in scripturâ approbentur.* IV. Prophetarum θεοπνεύστων ut & Patriarcharum, Apostolorum, *primo* facta non esse authentica, apud omnes nunc fere in confesso est; & evincunt illud facta quædam Abrahami, Iacobi, Lothi, Davidis, Petri &c. (*Gal.* 2.) reprehensione digna & fugienda: *Secundò*, de consiliis privatis œconomicis, etiam nonnullius circa speciales circumstantias & particularem executionem publici regiminis Ecclesiastici aut politici idem statuendum arbitramur: docet hoc ex. gr. consilium Pauli & Barnabæ de assumendo aut non assumendo Marco *Actor.* 15. de Euangelio prædicando prius in Asiâ, quam Hierosolymæ, aut Romæ, aut alibi: consilium Davidis de exstirpando Nabale, de parcendo Absolone, de fugâ ad Regem Achis & de expeditione cum illo suscipiendâ; de templo ædificando. *Tertio.* Dicta & sermones quique privatim & in communi conversatione de quibuscunque rebus ac negotiis particularibus Oeconomicis, Politicis, & βιωτικοῖς habiti, imo etiam de quæstionibus facti Ecclesiasticis, ut non erant absolutè authentici audientibus, sic nec nobis forent authentici, siquidem perscripti essent. Idem de ejusdem generis scriptis & epistolis judicandum. Ex pauculis illis, quæ scripta sunt, considera modo verba illa Moysis, quæ effutiisse dicitur *Psalm.* 106. *vers.* 33. & Abrahami mendacium *Genes.* 20. 2. & 12. 12. & verba si quæ commutabant Paulus & Barnabas in παροξυσμῷ *Actor.* 15. v. 39. & temerarium juramentum Davidis 1 *Samuel.* 25. 22. & quæcunque effutiebat apud regem Achis cap. 21. & 27. & 28. & 29. Maledictiones quibus diei nativitatis maledicebat *Iobus cap.* 3. & Epistola Davidis qua Vriæ interitum procurat, & si quæ his similia. *Quarto*, restat ergo omnia dicta seu scripta quæ dogmatizant & instruunt ecclesiam Dei, primo, per se, & absolutè esse authentica, sive illa immediatè versentur circa mysteria fidei sive per consequetiam & in ordine ad spiritualia, per digressionem aut incidenter etiam intermisceant quędam Physica, Astronomica, Historica, Politica, Geographica &c. Nihil est quod non vere exponant, dextrè applicent, & legitimè imponant conscientiis nostris. *Quinto*, de exemplis, & factis apostolorum, seu apostolicæ ecclesiæ, quæ & quousque habebant assistentiam ac directionem apostoli-

cam,

cam, in regimine ecclesiastico, dubitatum. Nos distinctione adhibitâ inter specialia illi loco, tempori, personis, rebus peculiariter convenientia & accómodata; & inter generalia ac communia: dicimus, posteriora exempla & facta sive sub formâ mandati, aut consilii ad imitationem, sive nudè & historicè tantum proposita aut relata obligare ecclesias nostras in specie ad observationem; Priora vero obligare tantum analogicè, aut quod ad genus. De quo alibi, in politiâ scil. ecclesiasticâ ex professo & pluribus agendum. Interim videatur *Parkerus lib. 3. de Politiâ Ecclesiast.*

6. Peccant ergo I. in excessu, qui sine judicio quævis consilia, dicta, facta (modo ea in scripturis recenseantur) arripiunt, ut fidem divinam & jus divinum in iis fundent, quo conscientiæ obligentur. Sic ex. gr. sæpe in scriptis veterum & recentiorum allegari videmus ex libro Iobi dicta amicorum ejus, cum tamen in conclusione principali disputationis suæ aberrarint, Deo ipso judice *Iob.* 42. 7. Mecum hic sentiunt *Corn. à Lapide comm. in 1. Corinth. 3. Baranzan. in Vranoscop. p. 1. qu. 3. dub. 10. membro 3. Fr. Gomarus in Disput. de Angelis.* Talis incuria in aliorum dictis aut factis allegandis nimis frequens fuit. II. In defectu peccant. *Primo*, Anabaptistæ, qui normam fidei & morum in scriptis V.T. non quærunt sed tantum in N. T. *Secundo*, *Castellio* cum suis, qui *dialog. 2. p. 113.* supra cit. sententiis & disputationibus Pauli authoritatem detrahit. *Tertio*, *Anonymus* Remonstrantium *Hyperaspistes*, qui negat Scriptores sacros etiam dogmatizantes esse authenticos in iis, quæ præcise ad salutem non sunt necessaria: quem errorẽ pluribus excussimus in *Therside nostro Heautont. part. 3. c. 2. Barranz. loc. cit.* dicit Iosuam Astrologiæ ignarum ex suo sensu locutum. Sed Vide *Thomam pag. 1. q. 1. art. 6. ad 2.* & Confer *Raynoldum* mox citandum. *Quarto* Sociniani, qui minutulis nonnullis authentiam detrahunt, aut de eâ dubitant. Vide *Socini libellum de autoritate scripturæ*; Remonstrantes ab hâc opinione non videntur ita alieni: ut constat ex *Episcopii disputat. privatis tit. de autoritate script.* *Quinto*, *Valesius philos. sacr. c. 2.* qui putat scriptores sacros confictis fabulis subinde δογματίζειν. Sed doctè pro more suo refutat hoc commentum *Raynold. censur. libr. apocryph. tom. 2. prælect. 196.* &c.

PROBLEMATA. I.

An dici debeat cum Cano locor. Theol. lib. 2. cap. 18. *B. Stephanũ* Actor. 7. *memoria lapsum?* N. *aliter enim & rectè* ἐναντιοφανὲς *illud tollunt commentatores Pontificii & nostri ad locum cit. Vide* disp. de Insolubilibus &c.

II. *An judices omnes à Mose usque ad Samuelem fuerint* θεόπνευστοι? Resp. *Pro* Aff. *videtur facere, quod omnes à Deo immediatè & peculiariter excitati & acti fuerunt. Maxima dubitandi ratio est de Iepht, & de Eli. Quod ad reliquos, malim inclinare in* Aff. *De Iosua certò statuerem contra* Baranzanum loc. cit.

quia

quia scriptor libri canonici, & super eum fuit Spir. Domini Numer. 27.

III. *An etiam reges à Saule, aut saltem à Davide usque ad Zedekiam?* Resp. Neg. *De piis regibus Asa, Iosaphat, Hiskia, Iosia dubitari posset. Sed non ausim affirmare: quia solidam rationem nondum video.*

IV. *An omnia dicta & disputata Iobi fuerint autentica?* Resp. Neg. *Ipse enim Spiritus S. exsertè distinguit* cap. 1. v. 20. *&* 2. v. 10. *& ipse* Iobus *à Deo reprehensus, quorundam dictorum pœnitentiam agit* cap. 38. 2. *&* 39. 34-35. 36. 37. *&* 40, 3. *&* 42. 6. *Si ergo nonnulla ejus dicta non fuerunt simpliciter vera, recta, bona; multo minus fuerunt infallibiliter vera. Distinguenda ergo conclusio, thesis, & summa disputationis, ab hypothesi, seu particulari applicatione ad personam & statum Iobi: rursum causæ ipsius defensio & controversiæ determinatio, ab intercurrentibus quibusdam rationibus, seu mavis affectibus & amplificationibus, quas per modum objectionum à carne & infirmitate suâ suggestas ipse Iobus historicè refert ac recenset; subjectâ tamen finali* πληροφορίᾳ *& fidei triumpho de illis objectionibus, dubitationibus, & suggestionibus. Quomodo de Davide & Ieremiâ mox dicendum.*

V. *An dicta Elihu Baracelis sint autentica?* Resp. *Non ita liquet. Pro* Aff. *videtur facere, quod Deus eum non reprehendat cum tribus amicis Iobi. Sed hoc non sufficit. Prosequitur enim disputationem amicorum Iobi, quæ mala erat. Et ipsa ejus disputatio videtur Iobo imponere quasi absolutam sibi tribuisset innocentiam & consequenter Deum accusasset injustitiæ, qui affligeret innocentem. Atqui Iobus tantum respectu accusationis amicorum innocentiam seu causæ justitiam sibi vindicat: quod scil. non esset hypocrita & operarius iniquitatis ab omni pietate alienus, aut quod supra alios homines enorme aliquod facinus non commisisset; & consequenter eo nomine à Deo peculiariter non affligeretur. Atque hanc apologiam & vindicias Iobi probat ipse Deus* cap. 42. 7.

VI. *An ex* 1 Corinth. 3. 19. *ubi apostolus putatur citare* Iobi 5. *v.* 13. *solidè probetur, dicta amicorum Iobi esse autentica.* R. Neg. *Constat enim ex* Iob. 42. 7. *& totius scripturæ analogia, ipsos erravisse in conclusione & causa principali, atque adeo totam eorum disputationem hac ratione fuisse malam, quasi scil. Deus neminem externè ita afflingeret, nisi hypocritam, aut scelere aliquo nobilem, contra* Eccles. 9. 1. 2. 3. *&* 8. 11. 14. Iohan. 9. v. 2. 3. Hebr. 12. 6. 7. 1. Petr. 4. 17. 18. Psalm. 73. *per totum. Est ergo commoda solutio danda ad objectum locum Pauli, quæ triplex potest esse* 1. *Apostolum non citare exsertè librum Iobi: atque adeo non esse certum, quod præsupponitur, citari hæc verba ex libro Iobi.* 2. *Quod ad verba citata ab Apostolo, non convenire ea per omnia cum verbis* Iobi 5. *Et quamvis convenirent, inde tamen non inferri, Apostolum respexisse locum Iobi: potuit enim respexisse alios textus, ubi sententiæ illius contentum occurrit sive definitè, sive indefinitè, quomodo ad locum* Ephes. 5. v. 14. *commentatores observant.* 3. *Quid si dicatur respicere Apostolus* Iob. 5. *& verba Eliphazi (quamvis in se & ex se minime autenti-*

tentica, autentiâ scil. normæ) huc advocare, non aliter quam alibi verba Epimenidis *&* Arati, *&* Iudas *in* Epistol. *sua* v. 14. *verba Enochi.*

VII. *An dicta Davidis* Psalm. 73. v. 13. 14. *&* 116. v. 11. *&* 77. v. 7. 8. 9. *&* Ierem. 12. v. 1. 2. Resp. Neg. *Ipsi hic autenticè referunt suas cogitationes, dubitationes, tentationes, insultus, objectiones, voces, & murnurationes carnis suæ; breviter suas infirmitates, sua peccata: quæ exsertè distinguunt a fidei & spiritus responsionibus, & victoriis in paroxysmo tentationis. Ista fide cogitatione, corde, opere nobis imitanda proponunt: illa minime; quia sunt à malo, ut ipsi ibi fatentur, dum ea rejiciunt & condemnant. Non magis ergo nobis autentica sunt norma fidei seu fiduciæ, spei, caritatis, patientiæ, constantiæ &c. quam Mosis infidelitas, Davidis adulterium, Pauli abundans peccatum* Rom. 7.

VIII. *Anna mater Samuelis an fuerit* θεόπνευστος, *ejusque canticum (quod habetur* 1. Sam. 2.) Resp. *De cantico, quod à Spir. Sanct. Scripturæ & Canoni insertum est, nullus dubito. Sed ultra disquiritur an illa ad solum dictamen illius cantici fuerit* θεόπνευστος, *an vero perpetuò, quotiescunque de rebus divinis apud homines loqueretur. Ego malum inclinare in* Aff. *& dicere eam fuisse spiritu prophetico & infallibili donatam, si non ante, saltem ab illo tempore.*

IX. *An & quomodo dicta Agur filii Iake* (Proverb. 30.) *sint autentica?* Resp. *Sunt qui statuunt, nomina hæc esse appellativa, sive epitheta, quibus describatur Salomon: quomodo epithetum Ecclesiastæ notat autorem libri secundi Salomonici. Alii malunt dicere, esse personam introductam, quam loqui faciat Salomon: haut aliter ac* Plato in dialogis *Socratem, Cratylum &c.* Minutius Felix *Octavium; & recentiores scriptores,* Lipsius in Constantia, Saturnalibus, de pronuntiatione linguæ latinæ &c. *suos amicos & sapientes. Alii censent, non esse hæc verba Salomonis, sed viri sapientis & Prophetæ, qui illo tempore floruit. Quælibet interpretationes suos habent autores: quorum sententias vide expositas & probatas in* commentar. Corn. à Lapide. *Mihi postrema sententia non displicet: quia Psalmis Davidicis additi sunt Psalmi Asaph, Heman Esrachitæ &c. qui prophetico spiritu instructi fuerunt. Quidni ergo proverbia Agur viri Prophetæ uno volumine cum Proverbiis Salomonis comprehendi potuissent? Sed occurrit aliud, quod mihi tutissimè dici posse videtur, Dicta hæc quidem esse à Agur viro sapiente (quamvis non* θεοπνεύστῳ), *& inde accepisse ac dilicise hæc Salomonem sive quod ad materiam propositam solummodo, sive etiam quod ad istum modum ac ordinem proponendi; & sic repetita atque approbata à Salomone habere ab ipso propriam suæ authentias notam ac gnorisma tanquam ab infallibili amanuensi Spir. Sanct., qui ea pro suis adoptavit, non autem ab Agur. Ita scriptores sacri referentes historiam, aut dogma Philosophicum, aut quodcunque Theologicum quod olim à præceptore fallibili, aut saltem aliunde, quam ex infalibili dictamine Spir. S. audiverant, ac didicerant, autenticè ea ferunt, tradunt, & applicant analysi*

lysi ultimâ factâ non in præceptores, aut perceptiones atque observationes sensitivas, aut in ratiocinationes, disquisitiones, & discursus suæ mentis, sed in seipsos à Spir. S. infallibiliter & immediatè inspiratos, tanquam in primum principium instrumentale, unde autentia dependeat.

X. *Quid de dictatis Batsabe matris Salomonis* Proverb. 31. Resp. *Dici posset hæc ibidem à Salomone adoptata fuisse, & consequenter autentica. Non displicet tamen sententia* Ioh. Pinedæ lib. 1. de rebus Salomonis cap. 4. §. 8. *qui statuit eam fuisse prophetissam, & spiritu Dei actam hæc dictasse. Cum quo facit* Corn. à Lapide in commentar. ad Proverb. 31. *Et videtur aliquo modo confirmari ex voce* משא v. 1. *quæ communiter* prophetarum onus, prophetiam, oraculum *significat.*

XI. *An Zacharias, Simeon, B. Virgo Maria fuerint* θεόπνευστοι ? Resp. *Nos malumus accedere affirmantibus. Saltem negari non potest, quin Cantica eorum sint autentica.* Remonstrantes cap. 11. Apolog. fol. 125. *Zachariam etiam Canticum illud autenticum dictantem haut obscurè faciunt fallibilem, quippe qui ne quidem tunc cognoverit secundum ipsos Messiam esse regem spiritualem. Sed contra notandum, eum exsertè dici repletum Spiritu S. & Prophetasse* Lucæ 1. v. 67. *Et quod eodem illo in cantico agnoverit spirituale regnum Messiæ, constat ex* v. 70. 71. 72. 76. 77. 78. 79. *De Simeonis spiritu prophetico, & divinis oraculis atque alloquiis docemur* Lucæ 2. v. 25 26. 27. 34. 35.

XII. *An* 70. *discipuli, & Apostoli ante accepta dona* Spir. S. (Actor. 2.) *fuerint in cognitione & doctrinâ infallibiles ?* Resp. Neg. *Docent hoc multiplices errores, hallucinationes, & dubitationes Apostolorum.*

XIII. *An ex facto Petri,* Galat. 2. *&* Actor. 10. *cum* 11. *Colligi possit eum in doctrinâ fuisse fallibilem.* Resp. Neg.

XIV. *An in Apostolis singulis post pentecostem, cognitio actualis infallibilis æqualiter se extenderit ?* Resp. Aff. *quod ad universalia dogmata fidei & morum.* Neg. *quod ad particularia quædam sive facta præterita aut præsentia, aut futura, probanda, aut improbanda; sive per modũ exempli, aut comparati, aut testimonii ac dicti humani, ad illustrationem universaliũ allata & applicata, tanquam amplificationes, aut tanquã argumenta ad hominem. Hypothetica & particularia consilia, facta, dicta, scripta, sive præterita sive præsentia non omnibus æqualiter nota fuisse, indubium est: neque enim erant omniscii. Futura etiam actualiter cognita fuisse uni Apostolo (e. gr. Paulo de suâ morte* 2 Timoth. 4., *& Petro de sua* 2 Petr. 1.), *& non alteri, sine scrupulo dici potest. Sed de futuris, quæ universam ecclesiam concernunt (ex. gr. adventu Antichristi* 2 Thess. 2. *conversione Iudæorum* Rom. 11. *mutatione viventium die novissimo* 1 Corinth. 15. *adventu pseudo-Prophetarum* 1 Timoth. 4. *&* 2 Timoth. 3.), *idem hoc affirmari non debet.*

XV. *An tamen particularia illa, siquidem in ordine ad dogmatum fidei universalium propositionem, examen, apologiam, eorumque ad quasvis conscientias applicationem usui essent, ab omnibus Apostolis datâ quâcunque necessitate & occasione, æquali infallibilitate intelligi ac dijudicari non poterant?* Resp. Aff. *Nec obstat illud* Actor. 23. v. 5. *uti constat ex commodis expositionibus interpretum: quas apud illos vide.*

XVI. *An Apostoli sive voce, sive scripto, privatim aut publice, in concionibus, institutionibus, disputationibus, apologiis, citârint, examinârint, applicarint exotica Poëtarum, Philosophorum, Rabbinorum &c. recte hoc fecerint ex solo ordinario studio ac judicio humano: an vero ex immediata & infallibili revelatione ac directione Spiritus Sancti?* Resp. N. pr. Aff. post. *Sanctificavit enim Deus has partes humanæ eruditionis, hactenus scil. ut intelligentiam earum (data occasione) de novo doceret apostolos; aut si antea didicissent, ad earum actualem conceptum ac recordationem eos excitaret, verbatim ac syllabatim eas inspiraret ac dictaret, & præsenti negotio applicaret, & scriptionem earum in mente & manu, & per mentem ac manum eorum absolveret.*

XVII. *An scriptores N. T. lingua alia (Syriaca scil.) conceperint, quam scripserint; & lingua alia (græca scil. aut hellenistica) scripserint; quam conceperint? & consequenter an genuino interpreti respiciendæ sint allusiones, non quæ in textu græco exstant, sed quas animo conceperant scriptores, Syriacæ scil. aut targumicæ?* R. N. *Nemo enim rectè & rationaliter quid profert sive viva voce sive scripto, nisi prius illud rectè conceperit. Si ergo Græcè aut Hellenisticè scripserunt, græcè etiam conceperunt, idque ex inspiratione & dictamine Spir. S. Nisi autor contrariæ opinionis concedat cum distinctione, sententias textus sacri prius Syriacè (de quo tamen disquirendum esset,) postea græcè à scriptore sacro conceptas, atque ita immediate conceptus græcos per specialem, immediatam, atque infallibilem inspirationem & directionem Spir. S. ab ipso scriptos, aut amanuensi ad calamum dictatos esse: utique non parum decederet autoritati scripturæ. Sed vide novam hanc Clariss. viri opinionem ex professo excussam ab* Eduardo Kelleto lib. 2. miscellan. Theologic. cap. 9. *ubi hæc postulata & axiomata inculcat* 1. Inspirationes & conceptus scriptorum θεοπνεύστων divinitus traditos & impressos esse in aliqua lingua. 2. Non potuisse scriptores illos in conceptibus suis errare, aut decipi. 3. Inspirationem esse ordinatam ad conceptionem, tanquam causam & medium; conceptionem vero ad ἑρμήνειαν & expressionem. 4. Indubia, certa, & infallibilia esse media simul & finem: nec hunc posse certum esse, illis incertis & fluctuantibus; aut vice versa. 5. Infallibiliter ergo scriptores à principio ad finem illuminatos & ductos esse à Spir. S. 6. Nec potuisse eos in ultima hujus divini operis ἐνεργείᾳ & executione (scriptione scil.) magis aberrasse & discessisse ab internâ mentis conceptione

one, quam in eâdem conceptione ab internâ Spir. S. inſpiratione. *Spiritus enim fecit ut ſic facerent; & illi ſic ab illo acti* (2 Petr. 1. 21.) *conformiter egerunt à primo ad ultimum: ita ut aliter agere non potuerint, in ſenſu ſcil. compoſito. Sunt ergo iſtæ concluſiones ejuſdem Kelleti adverſus opinionem Clariſſ. Viri.* 1. *Non eſſe differentiam inter ſcriptores* V. *& ſcriptores N. T. quod ad conceptionem & ſcriptionem in diverſis linguis.* 2. *In rectâ ſcripturæ interpretatione recurrendum eſſe ad alluſiones quæ in ſcripto apparent; non verò ad eas quæ in mente aut cogitatione ſcriptorum dicuntur fuiſſe.* 3. *Non habuiſſe ſcriptores libertatem, concipiendi quidquam, aut ſcribendi extra aut præter dictamen & inſpirationem Spiritus S.; ſive addendo, ſive detrahendo, ſive quocunque alio modo mutando.* 4. *Non habuiſſe libertatem veſtiendi & poliendi interiores conceptus ſuos, verbis propriis à Spir. S. non dictatis.*

XVIII. *An Apoſtoli quædam ſive hiſtorica, ſive moralia ex proprio ſenſu, & ordinario ſtudio aut ex mero teſtimonio & traditione hominum, abſque infallibili & immediata Spir. Sanct. inſpiratione, epiſtolis ſuis immiſcuerint? ex. gr.* 1 Corinth. 7. v. 12. 25. & 2 Timoth. 3. 8. Reſp. Neg. *notavimus errorem illum in* Caſtellione. *Cujus veſtigiis olim inſiſtentem* Arminium *audivi in quadam* diſputatione de ſcriptura: *ubi locum* 1 Corinth. 7. 12. *hunc in finem citatum, conferebat cum* 2 Timoth. 4. 13. *Eſt etiam nonnemo ex Celeberrimis Theologis noſtris, cui ſimile quid videtur excidiſſe* in privatâ epiſtolâ, *anno* 1619. *poſtea tamen vulgata cum* opuſculis Lanceloti Andrews Epiſcopi Wintonienſis *anno* 1629. *editis à* Wilh. Lado tunc Epiſc. Londinenſi & Iohanne Epiſcopo Elienſi. *Dictum illud Celeberrimi Theologi de prudentia humana ab Apoſtolis alicubi adhibita notatur* ibidem p. 193. *ab* Epiſcopo Wintonienſi, *& pluribus refutatur à* Kelleto lib. 2. Miſcellan. c. 9. p. 98. 99. 101. *Sed arbitror Celeberrimum Theologum aliud quid voluiſſe, uti verba antecedentia* p. 182. *innuere videntur: quamvis mentem ſuam non ſatis accurate aut plenè expreſſerit.*

XIX. *An ſcriptores ſacri Prophetæ ſcil. & Apoſtoli omnia intellexerint, quæ ſcripſerunt; an vero quædam ignoraverint, aut de iis dubitaverint.* Reſp. Aff. pr. Neg. poſt. *Quaſcunque enim materias, ſententias, phraſes ſcripſerunt, ipſi intellexerunt, nec potuerunt ignorantia aut dubitatione circa eas laborare: alioquin ſcripturæ autoritas neganda, & ipſi Spir. S. eos ad ſcribendum excitanti, & continuo dirigenti atque illuminanti ignorantia aut dubitatio tribuenda eſſet. Ad ea, quæ objiciuntur apud* Thomam 22. qu. 173. art. 4. & apud A Caſtro, ex Auguſt. lib. 7. de Civit. Dei *c.* 33. ex Ambroſio de Abraham 1. c. 8. *& apud* Canum lib. 2. locor. Theol. *c.* 4. *& ex locis* 1 Petr. 5. 12. 2 Corinth. 11. 5. 17. 1 Corinth. 7. 40. Iohann. 21. 25. (*ubi videtur opinio aut dubitatio ſcriptoribus tribui*) *facilis eſt reſponſio. Videri poteſt* Kelletus loco cit. *ne actum agam.*

XX. *An volentes, an vero inviti & ad scriptionem compulsi scripserint scriptores sacri?* Resp. Aff. pr. Neg. post. *Vide per distinctionem hoc explicantem* Kelletum loc.cit. p.76.&c.

XXI. *An conceptum & memoriam eorum, quæ antea didicerant, aut per revelationem cognôrant, de novo scribentibus ingesserit Spir. S.* R. Aff. *cum hac distinctione: ut scil. non tantũ habitualiter cognita per infusionem charismatis infallibilitatis & luminis supernaturalis (quod ad modum habitus concipimus) immediatam impressionem sed etiam actualiter cognita, de novo ingesserit quod ad conceptum formalem scil. & actualem recordationem; non vero quod ad impressionem specierum intelligibilium: illas enim semel impressas putamus manere, & non ad modum coruscationis accedere aut recedere. Et hac ratione satis salvatur autoritas scripturæ θεοπνευστου. Contra periculo exponitur, si dicamus cum* Corn.à Lapide in 2 Timoth. 3. 16. *Non fuisse necessarium historias & moralia quæ antea &c. dicerant, inspirari & dictari à Spir. S. &c., nam (uti postea se explicat)* conceptum & memoriam eorum, quæ sciebant, non iis ingessit Spir.S. *Sed malè: sciebant quidem materialiter sed non formaliter, seu sub formali immediatæ revelationis divinæ: humanè sciebant, non divinè: poterant ea oblivisci, in repetita conceptione, & scriptione eorũ, ut & in applicatione ad rem præsentem aberrare, hæsitare, dubitare. Rectius ergo & tutius se expressit Estius in commentar. ad loc.cit. 2. Timoth. 3.* Ita nimirum ut non solum sententiæ, sed & verba singula, & verborum ordo, ac tota dispositio sit à Deo, tanquam per semetipsum loquente aut scribente.

XXII. *An Euangelistæ omnes, qualis Barnabas, Titus, Timotheus, Sylvanus, Epaphroditus, &c. fuerint θεόπνευστοι & infallibiles?* Resp. *Non video rationem hoc affirmandi. Hoc privilegio & charismate Apostoli ab illis distincti erant.*

XXIII. *Quid censendum de Luca & Marco?* Resp. *Non video, cur de illis affirmandum non sit, tanquam scriptoribus librorum Canonicorum. Quod enim dicitur illis dictata esse Euangelia ab Apostolis, ita ut tantum fuissent amanuenses; nondum video satis probatum.*

XXIV. *Quid de amanuensibus Prophetarum, aut Apostolorum, ex. gr.* Baruch, & Tertio, Roman. 16.22. Resp. *Sunt ex Pontificiis qui eos infallibiliter à Sp. S. directos volunt (vid.* commentatores ad Rom. 16.); *nec alienus videtur ab hac sententia* Kelletus loc. cit. *Sed non video illos magis debuisse esse infallibiles, quam Librarios & Typographos, qui jam inde ab Apostolis usque in hunc diem biblia Ecclesiis procurant.*

XXV. *An verba illa* Roman. 16. 22. *sint autentica?* Resp. *Quidni; quippe quæ Paulus inseri & scribi jussit.*

XXVI. *An fideles congregati* Actor. 12. 15. *fuerint infallibiles; & consequenter ex dictis eorum tanquam autenticis argumentum Theologicum exstrui possit?* Resp. Neg.

XXVII. *An*

XXVII. *An scriptores sacri, nonnunquam inviti docuerint & scripserint.* R. *Videtur tale quid sensisse* Bened. Aretius commentar. in 2 Petr. 1. v. 21. *Si intelligantur proprio motu & instinctu non scripsisse, sed impulsi, tracti & acti à Sp. Dei; insuper si dicantur ante istam tractionem aut inspirationem noluisse: utique concedimus. Sin verò dicantur fuisse & mansisse nolentes atque inviti, cum jam moti essent à spiritu ad scribendum, & actu scriberent: absolutè* Negamus. *Nam gratia prima, seu habitus extraordinarius infallibilis Theologiæ ipsis divinitus infusus; eique accedens gratia secunda, hoc est, actualis raptus, agitatio, ductus, & compulsio Spir. S. fecit eos volentes & promptos: quamvis ante gratiam nolentes essent, aut in principio aliquando metus aut alia infirmitas eos minus promtos reddidisset. Confer* Iesa. 6. Ierem. 20. *coll. cum* Luc. 1. 1. 3. Galat. 6. 11. Iudæ v. 3. 2 Petr. 3. 15. *Sunt ergo cum distinctione explicanda loca illa, quæ forte objici possunt* 1 Corinth. 9. 16. Actor. 4. 20. *Haut aliter ac fideles & regeniti quivis suaviter & potenter compelluntur & trahuntur* Cantic. 1. 4. 2 Corinth. 5. 14. *& quasi non agere dicuntur* 2 Corinth. 12. *nec tamen inviti agunt, uti alibi explicatur, in controversiâ, de libero arbitrio, & de gratiâ conversionis, & vocationis efficacis. Et hâc ratione, distinguuntur* Θεόπνευστοι *scriptores à* Θεόκτιτοις *Prophetis, Bileamo scil. & similibus, in quibus invitis Deus subinde coruscat lumine extraordinario. Vti etiam distinguuntur à Pythonibus & pythonissis, energumenis, aliisque à diabolo actis.*

XXVIII. *An scriptores sacri intellexerint ea, quæ scripserunt?* Resp. Aff. *contra antiquos Montanistas apud* Epiphan. hæresi 48. *Sed de hâc quæstione alibi agendum,* in loc. comm. de Prophetiâ. *Interim videri poterit* Christoph. à Castro in proph. min. lib. 3. de verâ futurorum cognitione cap. 12. *& qui ex eo multa transcripsit,* Kelletus lib. cit. p. 80.

XXIX. *An ordinaria studia, inquisitiones, & præmeditationes fuerint necessariæ ad scribendum?* Resp. Neg. *Spiritus enim immediatè, extraordinario, & infallibiliter movebat ad scribendum, & scribenda inspirabat ac dictabat.* 2 Petr. 1. 21. *Confer* disp. de Prophetiâ.

DE INSOLVBILIBVS (VT VOCANT) SCRIPTURÆ,

R. Iacobo Migrodio, Aernemuda-Zeelãd. *Ad diem* 5. *Mart.* 1636.

VT *in omnibus scientiis, ita & in Theologia dubia & quasi ἄλυτα quædam humanæ mentis imbecillitati relicta videntur, cum Deo (ut nonnemo loquitur)* Scripturas ita temperare visum fuerit ut locis evidentioribus famem, obscurioribus fastidium detergeret. *Quibus tamen non obstantibus singuli fideles pro vero, unico, & αὐτοπίστῳ fidei divinæ principio eas habent, & infallibilem veritatem per omnes sententias, & voculas sparsam libenter agnoscunt, saltem implicitè; siquidem alicubi explicite*

ratio-

rationem ejus videre & reddere non queant, ut sibi & aliis plenissime satisfaciant: inertiæ, ignorantiæ, stupori, imperfectioni quique suæ hoc imputant, non Dei verbo, quod integrum, & sine macula, Psal. 19. *Nolumus tamen dicere ab hujus aut istius ἀλύτῳ solutione, & genuina conciliatione aberrare simul & semel omnes ac singulos fideles, qui una ætate vivunt: nedum omnes & singulos, qui à constituto scripturæ antiquo aut novo canone vixerunt & victuri sunt usque ad finem mundi.*

1. 

Τοποφανῆ & ἐναντιοφανῆ non pauca ab omni ævo, etiam hodie, invenire sibi visi sunt, etiam studiose conquisita jactârunt veræ religionis & scripturarum adversarii, quasi scil. sanę sobrięque rationi, aut universali experientiæ, aut veritati historiæ, & rei gestæ, aut pietati & honestati, aut sibi ipsis non raro repugnarent. Notæ sunt impiæ machinationes *Luciani*, *Porphyrii*, *Simplicii*, *Iuliani Apostatæ*, aliorumque ex Gentilibus, quibus se oppoſuerunt, antiquæ Ecclesiæ Doctores, *Origenes*, *Cyrillus Alexandrinus*, *Nazianzenus* &c. Non segniter etiam Iudæi insultârunt Scripturis N.T. ut imprimis videre est in virulentissimo scripto cui tit. *Nizachon*, ex quo excerpta quædam exhibuit & refutavit *Munsterus*, *ad Euangelium Matthæi Hebraicum*. Corruptas eas contendebant *R. Farrar* aliique Iudæi, cum quibus *Hugo Broughtonus* disputabat, ut ipse refert in *libello de Familia Christi*, anglicè edito in 4. Idem clamabant Hæretici *Marcionitæ*, *Manichæi*, aliique istius farinæ *August. de hæresibus cap.* 40. *Epiphan. hæres.* 42. & 66. Illorum βλασφήματα omnia auxit & superavit impurissimus impostor *Mahumed Alcoar.* v. coll. *cum* 1. ut hac occasione novum fidei principium novas revelationes, hominibus obtruderet, abominandum scil. & insanum suum Alcoranum, qui solus nunc Saracenis *verbum Dei* κατ' ἐξοχὴν appellatur. Enthusiastæ idem hoc saxum volvunt, ut imperfectione & ineptitudine verbi scripti evicta, homines ad verbum occultum, ad spiritum suum internum, & furores enthusiasticos detruderent atque adeo ab omnibus externis fidei pietatisque mediis abducerent, *Sebast. Francus in præf. ad paradoxa, & in libr. septem sigillorum per totum.*

2. Pontificii, qui alias divinitatem Scripturæ, & veritatem religionis Christianæ contra prædictos adversarios tueri se jactant, non veriti sunt armis & insignibus Atheorum, Gentilium, Iudæorum, Mahumetistarum, Enthusiastarum sibi aptatis propriam suam atque adeo totius Christianismi causam quantum in se est oppugnare, & hostibus suis prodere, partim ut suos à scripturę lectione absterrerent, partim ut Catholicis reformatis quasi per regulam falsi, necessitatem Chimæricarum traditionem & larvati

vati sui supremi & infallibilis magisterii ac judicii in Ecclesiâ Romanâ ostenderent. Longam injuriam, ut hic referam angustia chartæ non patitur, videatur *VVithakerus, Chamierus, Rivetus de Scriptura, Molinæus in novitate Papismi contra Cardinalem Perronum, Turretinus contra Cottonum, Mestresatus contra Iesuitam Regourdum*, qui (priores tres latinè, posteriores gallicè) causam Dei & verbi divini ita tutati sunt, ut omnes sani sobriique facillimè videant Elymas & Bileamos illos cœcitate ac Spiritu contradictionis esse percussos. Nos sepositis infinitis invectivis eorum in Scripturam, tantum loca quædam quæ depravata atque difficilia etiam Catholicis seu Orthodoxis nonnullis videntur, à contradictione & absurditate vindicare conabimur. Conferat, qui vult. *disp. nostram de Atheismo. Galatinus de Arcanis Catholicæ verit. lib.* 1. *c.* 8. asserit scripturas Hebraicas à Iudæis non uno modo depravatas per traditiones Thalmudicas posse ac debere corrigi. Quod quidem non est tueri causam contra Iudæos, sed turpiter prodere. *Maldonatus in Matth.* 1.11. locum illum corruptum criticè restituit. *Cajetanus Commentar. in V.T.* notat hæc loca in Hebraicis, Chaldaicis, Græcis, Latinis esse corrupta, 2 *Chronic.* 5. *vers. ult.* & 16.1. 2 *Chron.* 22.2. *Bellarminus de verbo Dei lib.* 2. *c.* 2. ait Hebræos Codices Mendosos esse *Exod.* 2.22. *Ies.* 9.5. *Ier.* 23.6. *Ps.* 19.8. *Ps.* 22.7. *Cardinalis Petronus in Respons. ad Regem Magnæ Britanniæ lib.* 5. *c.* 6. Plurima collegit ex scripturis, quæ absurda, scandalosa, & contradictoria videntur. *Regourdus demonstrat.* 2. objicit *Luc.* 3.36. *Matth.* 27.9. *Act.* 8.26. *Act.* 7.43. &c. *Cottonus in Genev. Plagiaria in præfat.* probat fontes Hebræos esse corruptos ex *Matth.* 2.23. *Matth.* 5.27. *Psalm.* 19. & 22. & 96. *Deut.* 21. 23. *Gen.* 49. 10. *Zach.* 9. 11. &c. Ex omnibus loca *Psalm.* 22. 2 *Paralipom.* 22.2. *Matth.* 27. 9. *Luc.* 3.36. *Actor.* 7. 14. *Actor.* 13. 20. & quidem pleraque judicio etiam nostrorum satis difficilia, imo quasi ἄλυτα visa sunt *Scalig. in* 1. *Elencho Chronologic. Iacob. Capell. in histor. sacr. & profan. pag.* 35. 36. 37. *Bezæ* aliisque infra citandis. Reliqua facilia sunt ab interpretibus tam antiquis quam novis, & iis qui conciliatores Scripturæ ediderunt, (quales *Cumiranus, VVesthamerus, Herm. Bodius*) jam satis explicata. Vid. etiam *Amama in Antibarb. Bibl.* & *Capellum in hist. sacr. & prof.* passim; speciatim *p.* 35.36. & *p.* 129.

Contra ista ἄλυτα & ἀποφανῆ varia antidota, varios conciliandi aut interpretandi modos suppeditant. *Primò* nonnulli facilè rem expediri putant; si concederent scriptores sacros memoriâ labi, aut in levioribus errasse potuisse. *Castellio in Dialogis. dial. de prædestinat.* 2. *Socin. de authoritate Scripturæ.* Tale quid de lapsu memoriæ B. Stephani *Act.* 7. habet *Beda, Rabanus, Melchior Canus lib.* 2. *locor. Theologic.* in fine; & de lapsu Matthæi Euangelistæ *cap.* 27. *v.* 9. *Beda in comment. ad locum, Augustinus lib.* 3. *de consensu Euan-* 3.

geliſt. c. 7. & ſic cenſuerunt aliqui autores, & docti & Cathoici, fatente *Maldonato in Math.* 27. 9. Sed rectè ibidem ut & *Corn. à Lapide* & *Zanchez in Actor.* 7. hanc opinionem repudiant. Hoc enim conceſſo, non video, quomodo Scripturæ authoritas ſatis defendi poſſit. *Secundo*: alii prætendunt Codices Hebræos & Græcos eſſe corruptos; & remedium à vulgata verſione, aut Eccleſiæ infallibili interpretatione repetendum. Sic Pontificii ſupra citati, quibus adde *Canum lib.* 2. *c.* 13. *Lindanum de optimo genere interpretandi, Iacobum Epiſc. Chriſto polit. præf. in Pſalmos* & reliquos iſtius commatis; quam tamen audaciam reprimunt ipſi Pontificii. *Bellarm. l.* 2. *de verbo Dei c.* 1. & 2. *Simeon Muis* Profeſſor Hebraicæ linguæ Pariſienſis *in commentar. in Pſalmos*, imprimis *diſſertatione præmiſſa tom.* 2. *Pſalm.* Vide & alios citatos à *Riveto cap.* 8. *Iſagoges ad ſcripturam.* A quibus nemo eorum diſcedit, quoties cum Atheis, Gentilibus, Iudæis, Mahumetiſtis pugnandum eſt. Vide *Dionyſ. Carthuſ. contra Alcoran.* & *Sectam Mahumeticam lib.* 1. *c.* 9. *Tertio*: ſunt qui aſſerunt in rebus præcisè ad ſalutem non neceſſariis, Spiritum Sanctum & Scriptores ſacros non loqui tam accuratè. Quam periculoſa & inſolens hæc interpretandi ratio, cœpimus oſtendere in *Therſite noſtro Heautontimor. ſect.* 3. *cap.* 2. *Quarto*: Alii concedunt librariorum culpâ paucula menda irrepſiſſe, & nunc etiam in textu originali cubare, quæ nulla M. SS. Codicum fide & collatione ſarari poſſint, ſed Criticâ illâ quâ abſque M. SS. ex ingenio & judicio ſtatui ſolet de genuina locorum lectione in bonis authoribus. Ita *Scaliger loco cit. Caſaubonus ad appar. Baronii num.* 28. *p.* 94. 95. edit. in 4. *Beza in Luc.* 3. & *Act.* 13. *Capellus loco cit. Bertramus in Lucubat. Francothalenſibus ad Act.* 7. Quibus non obſcurè accedere videntur *Turretinus in Cottonum*, *Meſtreſatus in Regourdum*, *Amama in Antibarb. Biblico*, *Spanhemius in dubiis Euangelicis* nuper editis: dum argumenti Pontificiorum majorem negant, minorem verò concedunt aut tranſire permittunt. Capellus in hiſtor. ſacrâ & exoticâ *p.* 39. diſtinctione adhibitâ conjicit, *priores libros à Prophetis ſcriptos*, *à Prophetis confirmatos*, & *à librariorum mendis Eſdræ opera expurgatis, quam caſtigatiſſimos ad nos perveniſſe. Vltimos vero, quales libri Chronicorum, Eſdræ, Nehemiæ, deficientibus jam prophetis, fortaſſe minus correctos eſſe, non autorum ulla, ſed librariorum culpa. Quinto*: Alii, ut omnes fere tam antiqui quam recentiores interpretes, tum noſtri, tum Pontificii genuinis interpretationibus adhibitis aut quæſitis, locorum iſtorum authoritatem & integritatem vindicant; quibus nos adſtipulamur. Rationes noſtræ ſunt iſtæ. Loca illa non ſint deſperata nec dubia ἄλυτα, ut nonnulli ſibi perſuadent, & mox videbimus, & egregii quoque interpretes hactenus oſtenderunt. 2. Quia Deus verbum ſuum mirabili ſuâ providentia conſervavit:

vit: quod unum ex argumentis pro veritate religionis Christianæ hactenus adductis. Testatur universalis experientia nullam Tyrannidis violentiam, nullum sapientiæ mundanę astum hic unquam prævaluisse, licet omnem lapidem non moverint. Videantur *locor. commun. scriptores de autoritate scripturæ; & scriptores de Veritate religionis Christianæ contra Atheos, Gentiles* &c. Accedit testimonium & promissio Dei, *Matth.* 5. 18. 1 *Petr.* 1. *v.* 25. coll. cum 1 *Corinth.* 10. 11. *Rom.* 15. 4. *Matth.* 28. 16. Promissionem autem illam extendimus etiam ad singulas scripturæ sententias & phrases. Nam quod literarum inversio, aut major minorve figura, aut terminationis ac scriptionis varietas objicitur, in quibus solis fere sudat tota Critica Masoretica, nihil essentiæ aut materiæ vocum præjudicat, non magis quam si quis Gallicè scribat *reine* aut *roine* & Belgicè morgen aut mergen/ &c. Sed aliud quid esset, si oratio affirmans in negantem aut vice versa, item una res disparata in aliam disparatam vel oppositam esset mutata. Tale quid accidisse strenuè negamus. 3. Siquidem textum alicubi corruptum fateri eumque emendare nobis liceat additione, detractione aut mutatione, tum sane nimis lata porta Atheis, Gentilibus, Iudæis, Enthusiastis, &c. aperitur, nec video quomodo autoritatem Scripturæ tueri possimus. Immo si tibi aut mihi, cum expedire me nequeo, hoc licet, cur non & alteri, atque itidem tertio, & sic in infinitum. 4. Si Critica illa licentia ex ingenio absque M.SS. Codicum authoritate emendandi semel concedatur, habebimus mox aut à curiosis, aut ab hæreticis (præsertim Socinianis) tot calidas conjecturas, conjectanea, verisimilia, suspiciones, dispunctiones, variantes lectiones, quot Plautus aliique boni authores annis aliquot nunc passi sunt, imo textus originalis desinet tandem in chaos variarum lectionum, & concordiam discordem, qualis vulgatæ versionis, de quâ *Thomas Iamesius in libr.* cui tit. *Bellum Papale*, seu *Concordia discors*, &c. Tutius ergo sequimur optimorum & plurium antiquorum M.SS. Codicum fidem, ubi lectio variat. Hæc sit regula generalis Criticæ sacræ, extra quam non est evagandum. Faceſſat ergo hic audacior illa critica, quæ ex ingenio emendat, quam ne quidem in profanis autoribus æquo animo tulerunt moderatiores critici, inter quos *Lipsius in epistol.* 13. *&* 15. *centur.* 1. *ad Belgas.* Quidquid statuat criticorum Senatus de Manilio, Plauto, Petronio, Apuleio tam multa passis &c. deque libris conjecturarum, verisimilium &c. nos tamen secundum timorem & reverentiam *Iesa.* 66. *v.* 2. non cessabimus ingeminare, *procul ô procul este profani.* Placet nobis prudens illud monitum in Comment. Martyris & Wolphii ad 2 Reg. 8. 17. *Occurrunt sæpe obscura loca in iis Chronologiis, ad quæ concilianda non eo confugiendum puto, ut dicamus Codicem sacrum mendosum. Nam Deus qui pro sua mi-*

sericordiâ voluit divinas literas nobis conservatas, eas etiam integras, non corruptas concessit. Quamobrem si quando quoad numerum annorum, nos explicare minime valemus, fatenda est ignorantia, quâ laboramus. Et attendendum sacras literas quãdoque tam concisè loqui, ut non facilè appareat unde supputatio incipienda sit. Maneat itaque scriptura incorrupta, quæ si labefactetur in uno aut altero loco, in aliis quoque suspecta erit. 5. Accedunt testimonia patrum contra prætensam Scripturę corruptionem *Euseb. Histor. Eccles. iast. lib.* 5. *c.* 13. sub finem. *Hieronymi, adver. Helvidium, & præfat. in Euangelia ad Damasum. Augustin. Epistol. ad Hieronym.* (exstat in *epist. Hieronym. edit.* Lugdun. apud Gryphium tom. 1:) & *contra Faustum Manicheum lib.* 32. *c.* 16. *& de civit. Dei l.* 15. 13. *Origen. lib.* 8. *in Iesa. apud Hieronym. in c.* 6. *Ies.* ex recentioribus *Ioh. Isaac in Lindanum* coll. cum *Tiberiade Butxorfii part.* 1. *cap.* 8. *&* 20. *Rivetum Isagog. c.* 8. aliosq; Antagonistas Pontificior. *VVithakerũ, Chamierũ, Fr. Iuniũ &c.* quin & ipsum *Bellarm. l.* 2. *de verbo Dei c.* 2. quæ etiã dictis illis *ἀλύτοις* jure applicamus.

4. Solutionem dubiorum talem suppeditamus, in quâ acquiescere malimus. *Psalm.* 22. *v.* 17. כארי *kaari*, id est, *sicut leo*. Quid *VVittakerus, Lubbertus, Iunius, Chamierus Bellarmino & Gretsero, Turretinus Cottono, Amama in Antibarbaro, Rivetus in Comment. in Ps.* 22. responderint Pontificiis non repeto; Hoc tamen addo (salvo meliori judicio) me rationem non videre, quare Pontificiis concedendum sit aliquod hic mendum irrepsisse in textum, sive Iudæorum perfidia sive librariorum culpâ. Legatur sanè & maneat כארי ידי ורגלי *sicut leo manus & pedes meos*, Oratio fluit & sensus satis constat, nulla hic contradictio, nullum absurdum, non uno modo expedire nos possumus: aut enim suppleri potest cum Targum *sicut Leo* נכתין *nachetin*, id est, *mordentes* quomodo Ellipsis verbi, 2 *Sam.* 8. 12. 1 *Reg.* 22. 36. & sic *August. Episcop. Nebiensis in Psalterio octo linguarum*, dicit constructionem esse defectivam, supplendum, *perforaverunt*; aut suppleri cum *R. Sel. Iarchi*: מריכים בפי ארי *medukim bephi ari*; aut cum *Aben-Ezra*, ut הקיפוני *hikkiphuni* jungatur τῶ ארי *ari* & exponatur *circumdederunt* vel *cinxerunt* (undique scilicet coarctârunt & constrinxerunt) *manus & pedes meos*, ita ut non sit evasio. Nulla enim necessitas cogit hunc textum exponere de transfixione propriè dicta: Aut, ut retineamus argumentum nostrorum ex hoc loco contra Iudæos, (quod maximè mihi placet) dicemus verbum נקף *nakaph* significare *percutere, pertundere, contundere, confringere*, ut *Kimchi in Lexico* exponit per שבר *schabar* & כרת *carat*. Vide *Ies.* 10. 30. *&* 24. 1. *&* 3. 24. *persodere, perforare, pertundere*, quomodo *Iob.* 19. *v.* 26. ut idem quod נקב *nakab*: literæ enim ב & פ facile inter se permutantur, non tantum in dialecto Chaldaicâ, sed in ipsâ linguâ Hebræâ: ita sensus esset: *persoderunt, transfixerunt vel contuderunt veluti leo manus meas & pedes*

pedes meos, eâdem sententiâ qua *Ies.* 38. 13. Metaphoram R. D. Kimchi in Comment. ad Psal. 22. suis ita explicat: *velut leo qui fodit cauda sua in sylva.* Quidni potius dicamus, qui fodit, contundit, pertundit unguibus, & dentibus. Apud Chaldæos significatione *percutiendi, contundendi* occurrunt in Targum *Psalm.* 140. *v.* 6. 12. & 56. 14. *Iesai.* 66. *v.* 3. *Philippus Aquinas* ex Iudæo factus Christianus *in Dictionario in voce* נקף, observat לשון כריתה ושבירה, id est significationem *excisionis*, & *fractionis*. Ita non opus erit sollicitare receptam lectionem כארי ע *kaari sicut leo.* Atque hæc interpretatio satis aptè cum 70. gr. (quamvis ea non sit nobis authentica) conciliatur: illi enim duabus vocibus utramque significationem verbi נקף *nakab* expresserunt; περιέσχον quod est ex significatione יקף *Iakaph*, & ὤρυξαν quod est ex נקב *nakab.* Non insolens hoc ipsis, cum occurrit verbum unum diversas admodum significationes habens, & utraque textui aptari posse videtur, aut anceps ipsis visa punctatio, aut alia rationalis causa subesset ipsorum judicio. Vide *Ies.* 61. *v.* 1. 2. collat. cum *Luc.* 4. 18. 19. & ibidem commentatores. Quod contra lectionem quæ nunc est in textu, objicit *Iohannes Isaac contra Lindanum* accentum Atnach prohibere quo minus τὸ הקיפוני *hikkiphuni* cum כארי *kaari* conjungi possit *primo* refutatur ex inspectis locis *Genes.* 1. 1. *Psalm.* 83. 13. & 119. 13. & 124. 3. 4. 5. 8. & 130. 2. & 8. *Ierem.* 7. 20. *Ezechiel* 6. 13. *Zephan.* 2. 1. *Iosuæ* 3. 11. *Secundo*, valeret quidem contra plerosque Iudæos qui alibi accentibus tanquam authenticis insistunt, quamvis hic negligant; sed nihil facit pro Pontificiis nec pro *Amama*, qui puncta vocalia & accentus Masorethis aut aliis, non vero Scriptoribus θεοπνεύστοις attribuunt. Similiter altera ipsius objectio invalida est, quæ dicit literã *Caph* nõ esse servilem, quia punctatur cum Kamets. Punctatio enim si à Masorethis (uti est ipsorum sentẽtia) nihil nobis præjudicat. *Deinde* Kamets esse ab articulo præpositivo ה hic extruso: est enim regula Grammatica articulum illum conjunctum voci inchoatæ ab א punctari per Kamets. Si quis dicat omnes interpretationes Christianorum tam vernaculas quam latinas *foderunt. R.* retineant sanè, sed ut exprimat vocem *hikkiphuni* non vero כארי: Hæc enim nullo modo exponi potest *foderunt*, nisi contra communem omnium codicum consensum (excepto uno forte aut altero, quem vidisse se dicunt *R. Iacob Ben Chaim*, & *Iohannes Isaac*: penes ipsos fides sit) violentas manus ipsi textui injiciamus. Quidquid sit ego malim textum originalem retinere, & cætera ἐπέχειν aut ignorantiam meam profiteri, siquidem interpretatio commoda non occurreret, quam nudæ interpretum authoritati, & testimonii *Ioh. Isaac* ex Iudæo conversi Christiani, sed tunc Pontificii, fidem meam addicere, Doctiss. *Amama in Antibarb. Biblico p.* 723. 724. ex Iudæorum sen-

tentia affirmat aut sumit sibi duas hypotheses, quarum *prima* : non esse τὸ כארי *Kaari* hic transferendum *ut Leo*; *altera* Masoreticam lectionem marginalem fuisse כארו *karou foderunt* : Inde autem duas elicit theses, quarum *prima* est ergo interpretandum *foderunt*, *altera* est Keri mariginale in textum reponendum à Christianis ; atque adeo locum hunc ita à Iudæorum corruptione vindicandum. Nos zelum ejus pro fide Christiana probamus; sed scientiam & sufficientem demonstrationem non videmus. Quinam & ubi sunt illi Iudæi quorum consensu hypotheses illæ concedun-tur ? Certe ex *commentariis Kimchi, Aben Ezra, Sel. Iarchi* contrarium plane constat. De Keri Masoretico in textum reponendo nefas ducimus. Absit, absit. Cujus & quantæ authoritatis sint lectiones marginales (quas ipsi textui æquat & præfert *eod. libr.*) alibi disquirimus, in *disp. Quousque se extendat autoritas scripturæ*. Quantæ autoritatis sit translatio græca, & quod non sit 70. Interpr. sed mixta ex multis, atque adeo in plurimis deficiat aut corrupta sit, docent nostri c. Pontificios, *Chamier. tom.* 1. *panstrat. lib.* 13. *Rivetus Isagog. c.* 10. & 11. Immo quid ni insuper dubitare liceat, An non miscella illa translatio græca, in hoc aliisque locis post tempora Apostolorum ab imperitis zelotis interpolata & efformata sit ad textum gr. N. T. ubi loca illa ex V. T. citantur non semper ad literam, sed paraphrastice & cum expositione, idque per infallibilem spiritus Apostolici autoritatem. Summus inter Christianos Rabbinus Ioh. Buxtorfius senior, Ioh. Isaaci sententiæ fere insistens aliter Hebræum textum à corruptione defendit : cujus M. S. diatriben hic exhibeo, à Rev. & Cl. Henrico à Diest Theol. & Hebreæ linguæ tunc in illustri scholâ Harderovicenâ, nunc in Daventriensi Professore mihi liberaliter communicatam, postquam disp. hanc meam editam vidisset. Lector utramque conferat, & judicet, utra certior ac tutior sit, meane (in quâ adhuc maneo) an Buxtorfii : Sic ergo maximus ille Hebræus :

„ *Accusantur Iudæi, quod hanc vocem corruperint. Causa accusationis quod an-*
„*te Christum natum aliter scripta ac lecta fuerit, unde & Interpretes primi Græci*
„*eam aliter verterunt, quàm nunc ad literam ea vox significat. Nam* כארי *ut ho-*
„*die legitur*, est, sicut Leo; *Græcorum translatio est* ὤρυξαν foderunt.

„ *Hic quæritur utra genuina sit? Pro Græca ab Interpretibus Christianis concludi-*
„*tur, quasi ipsorum tempore hæc corruptio, vel mutatio vocis nondum acciderit. Facta*
„*est ista Græcorum* LXX. *versio, annis* 280. *plus minus ante natum Christum*.

„ *Inquirenda ergo mutationis origo, & versionis græcæ ratio.* Primò, *quod* LXX.
„*Græci verterunt* ὤρυξαν, foderunt, *arguit, quòd in eo exemplari Hebræo, quo ipsi*
„*tunc usi, scriptũ fuerit absque punctis vocalibus in textu* כארו, *quod legerunt* כָּאָרוּ

& deduxe-

„*& deduxerunt à Radice* כָּרָה fodere, *per Epenthesin literæ* א, *quales est in* „וְקָאם & surget, *& in* וְרָאֲמָה & exaltabitur, Zach. 14. 10. Secundò, *sic* „*scriptum fuisse, testantur apertè Masoretharum sive Criticorum Hebræorum notæ* „*marginales ad Biblia. Nam* R. Iacob ben Chajim in Masorâ magnâ, *in or-* „*dine literarum alphabetico* אר, *id est, earum vocum, quæ ab Aleph Resch* „*incipiunt, ad vocem* אֲרִי, *& inde ad* כָּאֲרִי Psalm. 22. *hanc adjecit glossam*: In „aliquot libris emendatis reperi scriptum כארו, & lectum כארי. At „quæsivi inter eas voces, quæ in fine scribuntur per ו, & leguntur per י, „sed non inveni illud כארו in earum numero, neque etiam in numero „variarum lectionum inter Orientales & Occidentales; *Hæc ille. Hic R.* „*Iacob vixit ante centum annos, nempe anno* 1500. *Christi, tempore Danielis* „*Bombergi, primi Typographi Hebraici, qui ipsum ad correcturam Hebraicam as-* „*sumpsit, & ipsi author fuit, ut Biblia Hebraica cum Masorâ magna & parva (id* „*est notis criticis) in ordinem redigerat, & prælo committeret, quod etiam ab isto fa-* „*ctum. Testatur ergo hic Rabbi, se adhuc reperisse in quibusdem libris manuscriptis* „כארו *per* ו *in fine, & vocem legendam in margine positam* כארי *per* י *in fine. Er-* „*go inde usque à Græcorum* LXX *tempore, ista scriptio per* ו *in fine, quæ significa-* „*tum Græcis dedit verbi* ὤρυξαν, fodiendi, *alicubi in quibusdam libris ad supe-* „*rius seculum permansit.*

„ *Et quidni etiam exstet, si cui detur copia antiquissima exemplaria Bibliorum* „*manuscripta apud Iudæos inspiciendi? Quod si nos Christiani hujus Iudæi testi-* „*monium rectè suscipimus ad probandũ, fuisse aliquando in textu Hebræo* כארו *per* „ו *in fine, eodem & meliori jure recipiemus testimonia Christianorum idem affir-* „*mantium. Nam Iohannes Isaac, qui fuit Levita genere, sed gratiâ Dei Christia-* „*nus, & Professor Linguæ Hebrææ in Academiâ Coloniensi seculo superiori, scri-* „*bit in libro suo, cui titulus: Defensio veritatis Hebraicæ contra Lindanum &c. lib.* „2. *p.* 112. *his verbis*: Hoc idem ego Iohannes Isaac ipsâ veritate & bonâ „consciẽtia testari possum, quod hujusmodi Psalterium apud avum meum „viderim, ubi in textu scriptum erat, כארו & in margine כארי per י in fi- „ne. *VVolfgangus Fabricius Capito, in Institutionum suarum Hebraicarum lib.* 1. „*literâ* H. 2. *scribit*: Atque ita (*de hac voce* כארו *loquitur*) in membranaceo „ac vetustissimo libro, asscriptum margini olim vidimus, apud Vãgiones, „indicante Matthæo Adriano, qui rogatus à me datâ operâ, hunc potissi- „mùm locum investigavit, & invenit facilè.

„ *Quærant & alii Christiani, quibus facultas & occasio inspiciendi Iudæorum* „*Bibliothecas datur, & sine dubio adhuc invenient idem.*

„ Præterea *quod dicit author supradictus de vocibus, quæ in fine scribuntur per* ו, „*& leguntur per* י, *earum* 41. *sunt, ac enumerantur in Masorâ circa principium li-*

„*bri*

,,*bri primi Samuelis. Quod etiam meminit Orientalium & Occidentalium, per eos* ,,*intelliguntur Iudæi in Babylonia, & in terra Israelis Hierosolymæ habitantes. Ba-* ,,*bylonii erant Orientales; Hierosolymitani Occidentales: Illis præerat Rector R. Ia-* ,,*cob ben Naphthali: his R. Aharon ben Aschar. Dissidebant autem inter se hi duo* ,,*in Orthographia & Prosodia vocum quarundam, id est, diversa ipsorum scriptione,* ,,*tam juxta literas, quàm vocales, ac ipsarum prolatione.* Author Chronici, *cujus* ,,*titulus,* Zemach David, *scribit, anno Christi* 1027. *dissipatas fuisse, & penitus* ,,*defecisse Academias in Babylonia. Paulò post illud tempus, dissidium lectionis* ,,*inter duos istos rectores fuit publicatum.*

,, Tertiò, *expresse notatum est in Masora textuali, quæ infra textum ascripta le-* ,,*gitur ad vocem* כארי Num. 24. 9. כָּאֲרִי יָרַי וְרַגְלַי כארו כתיב sicut leo ma- ,,nus meas & pedes meos, Psal. 22. כָּארו *scriptum est. Fuit ergo aliquando vox* ,,*ista scripta in textu* כארי *per* ו *quod septuaginta verterunt* ὤρυξαν.

,, Quartò, *ex nota Masoretica ad* Psal. 22. *manifestè liquet, vocem* כָּאֲרִי *ibi* ,,*habere significationem: verba notæ Masoreticæ sunt* כ׳ קָמְצִין בִּתְרֵי לִשָּׁנַיָּא *Duo* ,,*sunt Kametzata in duplici significatione: Id est, vox* כָּאֲרִי *bis extat in bibliis cũ* ,,*cametz ab initio sub* כ *scripta nempe semel hîc, & secundo* Ies. 30. 13. *ubi legitur:* ,,*Proponebam mihi usque ad mane;* כָּאֲרִי sicut leo, *sic confracturus est ossa mea.* ,,*Hic cum aperte leonem vox ista denotet, necessario consequitur ex priori annotati-* ,,*one in* Psal. 22. *non sic, sed aliter significare. Quid autem aliud significare potest,* ,,*quam quod vox scripta* כָּארו *de qua præcedentes notæ loquuntur, denotat?*

,, Quintò, *Paraphrastes* Chaldæus *libri Psalmorum, & vocem scriptam, & vo-* ,,*cem lectam, id est, &* כָּארו *&* כָּאֲרִי *transtulit, inquiens:* אַקְּפוּנִי נָכְתִין הֵיךְ כְּאַרְיָא אַיְדֵי וְרַגְלַי circumdederunt me, mordẽtes sicut leo manus me- ,,as, & pedes meos. *Hic quis dubitat, quod per verba* נָכְתִין כְּאַרְיָא mordent ,,(*sive lacerant*) instar leonis, *non respexerit ad vocem aliter scriptam & lectam, sc.* ,,כָּאֲרִי כָּארו perfoderunt instar leonis? *Quando autem hic Paraphrastes vi-* ,,*xerit aut scripserit, non rectè constat. Ex stylo libri apparet, ipsum diu post Christi* ,,*tempora scripsisse: Est stylus impurus, syriasmum sæpe redolens, & etiam longis in-* ,,*tervallis gravitatem Ionathanis Prophetarum paraphrastis post se relinquens. Hoc* ,,*tamen ex eo non obscurè lucet, fuisse tunc temporis adhuc utramque vocem* כארו *&* ,,כארי, *in usu librorum, contra quam hodie est.*

,, *Ex his omnibus patet, fuisse primitus hanc vocem diversimodè lectam & scrip-* ,,*tam, neque id sine mysterio. Nam Propheta David voce scriptâ factum, & faci-* ,,*nus ipsum Iudæorum exprimere voluit, voce vero lecta, facinoris qualitatem,*

rabiem

„rabiem sc. ipsorum, quâ furebant contra eum instar leonum fame rabiorum. Quâ „eâdem Metaphorâ, propter petulantiam & insolentiam appellat eos vitulos, pro„pter fortitudinem tauros, v. 13. propter atrocitatem ipsorum leones rapientes & „rugientes, v. 14. atque hic mox adjicit, eos manus & pedes ipsius perfodisse in„star leonis, prædam lacerantis.

„ 6. Ac omninò, si in postremo isto versus membro non adsit verbum, oratio „planè hians & manca est. Et quidem verbum conveniens requiritur, nec Antece„dens cingendi, quod per duo Synonyma expressum, optimè toti corpori Davidis qua„drat, ibi repeti poterit, quod malè admodum manibus & pedibus applicaretur. Quis „enim sensus in his: circumdederunt me canes, cœtus maleficorum circumvenerunt, „inquam, ut leo manus meas & pedes meos? An leonis est cingere manus & pedes „præda? An potius morsu perfodere & lacerare pedes prædæ? quod vox scripta „כארו indicavit, quæ citra opem alienam perfectam exhibet sententiam. Quod si „ergo per superiora testimonia aliquando fuit in textu scriptum כָּאֲרוּ: & lectum „כָּאֲרִי, malè in Bibliis Regiis Antverpiensibus in textu scriptum est כָּאֲרִי & „puncto in ו posito, indicata lectio in margine perversè posita כָּאֲרוּ. Hæc enim in „textum reponenda; Altera margine adscribenda fuisset.

„ Quæritur itaque primò, quando, & secundò, quare vox כָּאֲרוּ scripta in textu, „ex eo exclusa sit, & vox כָּאֲרִי ex margine in textum substituta?

De primo. Verisimile est, post mortem & passionem Christi vocem כָּאֲרוּ ex „textu exulare & excludi cœpisse, quod nimis manifestè passionis Christi partem il„lam, qua manus & pedes ejus perfossi fuerunt, confirmaret. Ad eam obscuran„dam Vox כָּאֲרִי magno suffragio Iudæorum ex margine arrepta, & in textum insita „fuit. Sic certè Masoretharum tempore, qui ad minimum sexto post Christum secu„lo, si Eliæ Levitæ credendum, vixerunt, & suum opus elaborarunt, ex communi„bus exemplaribus abfuit, quando de voce כָּאֲרִי in textu scripta notarunt, eam „quater reperiri, bis cum ־, & bis cum ׃ sc. sub præfixa litera כ. Cum ־ quidem, „Num. 24. 9. & Ezech. 22. 25. Cum ׃ Ies. 38. 13. & Psalm. 22. 17. ac si fuis„set vox diversæ lectionis, sine dubio id quoque annotassent, ut in omnibus aliis etiam „minimis, quæ diversitatem lectionis haberent, fecerunt. Sed nihil tale in hac voce fa„ctum, unde R. Iacob ben Chajim supra dixit, se eam inter voces diversæ lectionis „& scriptionis, quæ sc. scribuntur per ו in fine, & leguntur per י in fine, non invenisse. „Quod si etiã in textu scripta fuisset per י & lecta per ו, ut biblia Antwerpiensia po„nunt, tunc debuissent notari inter eas voces, quæ scribuntur in fine per י & leguntur „per ו quorũ 24 sunt, & enumerãtur in Masora magna, in litera jod. Sed nec inter eas „voces est. Vnde colligitur, Masorethas suo tempore in hac voce diversitatem lectionis

„*nullam observasse, ac simpliciter in textu reperisse per ' scriptam.*

„ Ad secundum *dicitur, vel ex imperitia, vel ex malitia Iudæorum vocem* „כָּארוּ *exclusam esse.*

„ *Ex imperitiâ & incuriâ, quòd plerique librorum scribæ in Masorâ essent impe-* „*riti, & nesciverint discrimen inter voces variæ scriptionis & lectionis, id est, inter* „*eas, quæ aliter in textu scriptæ, & aliter in margine legendæ notatæ fuerunt, pa-* „*rum interesse existimantes, utrum hanc vel illam in textu scriberent.*

„ *Ex malitia, ut mysterium crucifixionis Christi apertissimè à Davide prædi-* „*ctum obscurarent. At verò ex malitia & industria id factum minimè esse docet* „*consensus omnium librorum Hebraicorum, in quibus præceptum Dei,* Deut. 4. 2. „*de non addendo vel detrahendo aliquid tanti fit, ut vel mille mortibus illud factum* „*expiandum ducant, vel mundum ob unius literæ corruptionem vel sublationem rui-* „*turum credant. Si verò aliqua clandestina malitia scribarum hîc acciderit, eam* „*Deus per magnos viros ex ipsismet Iudæis detectam voluit, quorum testimonia su-* „*pra sunt allata. Et si hanc vocem* כָּארוּ *ex malitia sustulerunt, quare etiam non* „*sustulerunt versum ejusdem* Psalm. 19. *de partitione vestimentorum & projectio-* „*ne sortium super eâ, quo certè loco non minus premuntur, quam voce* כָּארוּ? *qua-* „*re etiam quàm plurima alia de Christo loca non minus evidentia corruperunt? Sed* „*de hac quæstione suprema videatur* Ioh. Isaac contra Lindanum, *& alii Theo-* „*logi Christianorum qui prolixè de hac re scripserunt.*

„ 7. *Huc refer interpretamentum Aquilæ, viri exquisita peritia, & singulari in-* „*dustria, qui floruit sub Imperatore Ælio Adriano, ac versionem suam edidit, vix* „*dum exacto centesimo à Christi ascensione anno. Ille, inquam, reddit* ἤσχυναν, „*verbo pluralis numeri: ex quo apertissimè* כארו *eum quoque reperisse in bibliis* „*Hebraicis liquet, non solum* כארי.

„ *Alioquin haud dubiè non verbum, sed nomen duntaxat, sibi usurpandum judi-* „*casset. Sic enim ipsum commendat Hieronymus: Aquila homo eruditissimus lin-* „*guæ Hebrææ, & verbum de verbo exprimens. Differt tamen ipsius &* LXX *ver-* „*sio. Sed* lxx *meliùs explicarunt per verbum* Hebræum כָּרָה foderunt, *& per e-* „*penthesin* א *interpositum.*

„ *Videamus ergo, cur ipse reddiderit* ἤσχυναν, *id est,* tupiter tractarunt *seu* fœ- „darunt. *Putavit ergo radicem esse* כור *&* א *loco* ו *ut sæpè.* Hoc *verbum cum* „*nuspiam reperisset, sciretque linguam Syram* Hebræa *propaginem esse,* א *radicale* „*censere maluit, & verbum* כאר *deinceps apud Syros vestigavit, ubi deprehendit* „*illud* ἐντροπῆς *vel* αἰσχύνης *significationem obtinere. Quare* כארו *ex idiomate* „*Syriaco reddidit* ἤχσχυναν, *id est,* turpiter tractarunt *seu* fœdarunt.

„ *Etsi autem* LXX. *melius verterint, illeque à vera vocis significatione recesserit,* „*non tamen aspernari illam debemus, imo potius grata memoria prosequenda & reti-*

nenda

„nenda ; *velut eximium teſtimonium , & ad rei ipſius immotam veritatem , & ad* „*textus Hebraici illibatam ſinceritatem aſſerendam.*

Argumenta duo video inſuper huic ſententiæ opponi : *Vnum* eſt ferè commune omnibus Theologis , quia in N. T. *Math.* 27. citatur ἄρυξαν, quod *Hebr.* eſt כרו. Alterum eſt eorum qui nimiam קרי ס Maſoretici, ſeu marginalis lectionis conſcientiam habent. Ad *prius* reſpondetur , citationes locorum ex V.T. in N.T. nihil præjudicare textui Hebræo, nec facere ut ab Hebræo fonte diſcordans tranſlatio græca κατὰ τὸ ῥητὸν cum hebræo conveniat. Videantur *Fr. Iunii parallela ſacra*, & *Ioh. Druſii annot.* Ad *poſterius* reſpondetur, Maſoræ marginales lectiones non eſſe nobis autenticas. Confer *diſp. præced. Quouſque ſe extendat autoritas* &c.

Inſolubile 2. *Paralip.* 22. *v.* 2. Achazia dicitur fuiſſe annorum XLII. cum regnare cœpit ; cum tamen pater ejus Ioram *cap. præced.* dicatur XXXII. ætatis anno cœpiſſe regnare , & regnaſſe VIII. annos. Sunt qui nodum rumpunt non ſolvunt , dicentes eſſe mendum in textu, ut *Scaliger*, *Cajetanus*, *Torniellus*, *Salianus*, *Petavius*. Omiſſis aliorum conjecturis (quas vide apud *Henricum Philippum Theologum Ieſuitam in accurato Exam. chronolog. V.T. p.* 141. & illa *Capelli p.* 159. de anno 42. æræ Samaritanę, recipimus interpretationem Lyrani ex Hieronymo. Regnaſſe ſcil. Ioramum xx. annos ſupra illos VIII. Horum autem tantum *cap.* 21. mentionem fieri, quia illis ſatis bene regnavit , antequam ab uxore ad idololatriam pertraheretur. Reliquis xx. regnavit & non regnavit, unde tanquam inglorius ſepulchris Regum non fuit illatus 2 *Paral.* 21. *verſ. ult.* tum vel quia non ita bene regnabat , vel potius quia cum illo ac pro illo regnavit ac negotia regni adminiſtravit filius Achazia.

Inſolubile 3. Hinc etiam dependet conciliatio 2 *Reg.* 8. 26. cum 2 *Paralip.* 22. 2. Ibi dicitur XXII. anno cœpiſſe regnare ſcil. nomine patris , ita ut ſumma rerum eſſet penes Achaziam , patri vero inepto aut ſecuro dignitas & titulus relinqueretur. Hic vero dicitur cœpiſſe regnare anno XLII. ſcilicet poſt mortem patris (de quâ *cap. præced.*) tum enim ſolus & ſuo nomine regnavit & quidem annum unum. Habet etiam utramque hanc conciliationem *Vatablus*. Vident ergo Pontificii ne ſuis quidem hunc nodum fuiſſe ἄλυτον.

Inſolubile 4. *Math.* 27. *v.* 9. Varias conciliationes vide apud *Maldonatum in Math.* 27. & *Glaſſium lib.* 1. *Philolog. Sacræ tract.* 2. *p.* 189. Sed nos omnibus aliis omiſſis, à difficultate loci hujus ſatis pulchrè nos expedimus , dicentes *Zachariam* vocari *Ieremiam*, quomodo ſacerdos *Iojada* vocatur *Barachia Math.* 23. 35. qui tamen nunquam ſic vocatur in V. T. eodem enim redit ſive dicas *Exaltator Dei* , *exaltatio Dei* (*Ieremia*) ſive *Memorator Dei*, *memo-*

ratio Dei (*Zacharia*) ſicuti idem ſunt Nathanael, Theodorus, Dorotheus, Deodatus, Godtgaefus; & in Sacris idem eſt *Iehoachaz*, cum *Achazia* & *Azaria* 2 *Paralip.* 21. 17. & 22. 1. 6. *Iochanan* cum *Ioachaz*. 1 *Paralip.* 3. 15. 2 *Reg.* 23. 30. 34. *Eliſchama* cum *Eliſchuah.* 1 *Paral.* 3. 6. 2 *Sam.* 5. 15. *Azariah* cum *Vzzia* 1 *Paralip.* 3. 12. 2 *Reg.* 15. 30. Vide & *Geneſ.* 46. *v.* 10. 11. coll. cum 1 *Chronic.* 4. *v.* 24. 13., & alia quam plurima 1 Paralipom. 3. coll. cum locis concordantibus. Confer & commentaria *VVilleti in Geneſ.* 46. *v.* 10. ubi de ſynonymis propriis, ſeu variatione nominum.

7. *Inſolubile.* 5. *Luc.* 3. 36. dicendum *Cainan* citari ex verſione Helleniſtica; quæ *Geneſ.* 10. & 11. & 1 *Paralip.* 1. 18. inter *Arphachſad* & *Salah* ponit *Cainan.* Cur autem ab illis hoc factum diſquirendum relinquitur. Vide *Fr. Iunii analyſin in Geneſ.* 11. Modo conſtet exemplaria tranſlationis gr. V. T. & exemplaria N. T. cum paraphraſte Syro & Arabe, & commentatoribus antiquis ita habere: Nam unum exemplar, quod vidit *Beza*, non poteſt lectionem conſtituere, aut veterem lectionem & textum movere: Si tam periculoſa Critica ſemel admittatur, jam ſexcenta loca eadem facilitate mutari poſſent. Sed dices cur errorem 70. Interp. ſuum fecit Lucas? Siquidem error ſit, ſaltem ſuum non fecit, cum citat integrum illum contextum: citando enim nec improbat nec approbat verſionis παροξύματα, nec ἀκρίβειαν ejus ex profeſſo ad examen revocavit ne homines verſioni illi & ſecundum eam genealogiæ aſſuetos initio turbaret. Suffecit illi ad probationem genealogiæ Chriſti loca Biblica citaſſe ex verſione vulgata, maximè omnium nota & recepta, imprimis à διασπορᾷ illâ Iudaicâ Alexandrinâ, quam eâ uſam fuiſſe teſtis eſt *Scaliger in notis ad N. T.* Porro verſionem illam à ſcriptoribus N. T. ſuo loco relictâ, & ex eâ omnia fere loca de verbo ad verbum ita citata (quamvis ſæpe tam doctè aut accuratè Hebraicam veritatem non exprimeret) nimis notum eſt. Inſtituto & ſcopo illorum hoc ſufficiebat, legatur modo epiſtola ad Hebræos coll. cum locis parallelis V. T. Confer *Parallela Fr. Iunii.* Non fuiſſe autem hoc ἄλυτον crediderunt ipſi Pontificii, dum varios conciliandi modos excogitârunt; inter alios *Torniellus in Annalibus Arphachſad dicitur genuiſſe Sala* (ſcilicet Geneſ. 10. & 11. in textu Hebr.) *quia genuit Cainan, in cujus lumbis erat Salah*, ſicut Mat. 18. *Ioram dicitur genuiſſe Oziam.* Aliæ Pontificiorum Doctorum conjecturæ complures referuntur ab *Henrico Philippo in accur. Exam. Chronolog. V. T. in Geneſ. cap.* 11. *quæſt.* 1. Confer & *Glaſſium lib. cit. p.* 196.

8. *Inſolubile.* 6. *Actor.* 7. 14. cum *Gen.* 46. 27. non pugnare ipſi Pontificii contendunt & varias conciliationes adferunt, quas vide apud *Zanchez. commen-*

tar.

tar. in Acta; apud Pererium & à Lapide comment. in Geneſin & in Acta. Ex omnibus quas referunt hæc tutior videtur: Stephanum citaſſe ex verſione 70. quæ numerum illum habet; atque adeo hic ut & ſupra ad *Luc.*3.36. valere regulam Hieronymi in tradit. Hebr. in Geneſin: *Vbicunque Apoſtoli ad populum loquuntur his plerunque teſtimoniis abuti, quæ erant gentibus divulgata.* Hanc conciliationem Hyeronymi & Lyrani probat *Corn. à Lapide commentar: in Acta & Geneſin*: & *Zanchez ad Act.*7.14. *pag.* 148. Quare autem 70. Interpr. numerum illum auxerint, pluribus ibid. explicant. Sed & altera conciliatio adfertur à noſtris, non loqui Stephanum & Moſen de eodem; & per conſequens non eſſe repugnantiam. Moſes enim Catalogum texit omnium eorum, qui ex femore Iacob egreſſi erant *verſ.* 26. quamvis tum actu Ægyptum cum illo non ingrederentur (ut Ioſeph, Ephraim, Manaſſe) immo nonnulli nondum nati eſſent (ut Hezron & Hamob filii Pharez v.11.) Numerum illum habent omnes Codices Hebræi *Geneſ.*46. cum paraphraſibus Chaldaicis, Arabicâ, vulgatâ latinâ, & ipſi 70. Interpr. *Deuter.* 10. 22. ubi eſt repetitio hujus hiſtoriæ, & *Ioſephus antiquit. lib.* 2. *cap.* 4. Stephanus vero πᾶσαν συγγενείαν Iacobi recenſet, prout deſcribitur à Moſe, & non tantum prout ſumma ejus ſubducitur *Geneſ.*46.27. additis ſcil.quinque ad iſtam ſummam, hâc ratione: & detracto uno Iacobo ſcil., idque hâc ratione

Conſtabat familia Iacobi *Geneſ.*30.&46.	Iacob	1	Iſſachar	5	Ioſeph	3
	Ruben	5	Zabulon	4	Benjamin	11
	Simeon	7	Dina	1	Dan	2
	Levi	4	Gad	8	Nephtali	5
	Iuda	6	Aſer	8		
					Summa	70

Geneſ. 26.27. *Deuteron.* 10. 22.ubi gr. Interpr. eundem numerum habent. Si dicatur proto-martyr Stephanus annumeraſſe quatuor uxores filiorum Iacobi ante recenſitas, & Her cum Onam filios Iudæ mortuos in Canaan, omiſiſſe autem Iacobum totius familiæ caput (qui à συγγενείᾳ ſuâ exſerte diſtinguitur *Actor.*7.*v.*14.): habetur conciliatio, ut ſcil. intelligatur enumeratio familię hic repetita à Stephano, non qualis erat, cum n Ægyptum deſcenderet, ſed prout à Moſe deſcripta fuerat *Geneſ.* 30. & 46. Atque hæc eſt *Epiphanii*, quam amplectitur *Fr. Iunius in ſuâ analyſi in Geneſin*; nec ab eâ alienus eſt *Rivetus exercit.* 149. *in Geneſin.* Sed difficile eſt explicare, quomodo familia ita enumerata dicatur evocata eſſe à Ioſepho, ut venerit in Ægyptum. Quid ſi ergo dicatur cum *Zanchez*

in Actor. 7. *Lucam* ex translatione græca citasse textum *Genes.* 46. 27. quomodo ad *Lucæ* 3. de *Cainan* plerique respondent. Quidquid sit *vers.* 14. *Actor.* 7. à mendo defendunt post antiquos & recentiores plerosque interpretes *Zanchez* & *à Lapide*; qui posterior *commentar. in Genes.* 46. utramque numerationem conciliat: idem facit *Salianus in annalibus ad ann.* M. 2529. Ita ut hic ex eorum sententia nullum sit ἄλυτον, propter quod hasta nobis abjicienda & ad oraculum Papæ confugiendum.

Insolub. 7. *Actor.* 13. 20. cum 1 *Reg.* 6. 5. expeditissima conciliandi ratio mihi semper visa est *Bedæ*, *Glossæ ordinariæ*, *Lyrani*, *Hugonis*, *Carthusiani*, *Salmeronis*, *Genebrardi in Chronico*, quam amplectuntur Iesuitæ *Zanchez* & *à Lapide*. Annos scil. hic numerari non Iudicum, sed qui præcesserunt Iudices, à nato Isaaco usque ad divisionem terræ, qui inde supputantur (*Actor.* 7. 6.) usque ad exitum ex Ægypto 400. quibus si addas 40. annos in deserto, & 10. aut 8. aut 12. in debellandis Cananitis, habemus ὡς ἔτη τετρακόσια καὶ πεντήκοντα numero rotundo ex more scripturæ expressa; Ita ut numerus annorum non sit conjungendus cum ἔδωκε κριτάς, sed cum μετὰ ταῦτα ut sit sensus; *Et post ea* (de quibus *vers.* 17 18. 19.) *quadringentis & quinquagenta annis*. Notamus hic ἐν παροδῷ, Syrum & Arabem interpretes omittere ᾧ μετὰ ταῦτα, consequenter egregiam hanc interpretationem submovere. Cum ergo in locis ex N. T. nunc allatis & gr. codices & interpretes Arabs & Syrus, etiam Æthiopicus & Hebræus, *Math.* 27. 9. (ubi tamen Syrus dissentit) ita legant, & nulla necessitas, nullum Pontificiorum argumentum ad corruptionem textus nos compellat; imprimis cum vel soli Pontificii tam egregias interpretationes nobis suggerant, in quibus & illi & nos pariter acquiescimus, atque adversariis Iudæis, Mahumetistis, Atheis, Enthusiastis, satis feliciter os obturamus, quid restat quam ut posthabita infelici ac periculosa nimis Critica, argumenti istius,

Quod mendis aliquot corruptum est, quod absurdis & contradictionibus ἀλύτοις aliquot laborat, aut saltem quod ad nos nostramque intelligentiam, iis laborare videtur; illud non potest nos sapientes reddere ad salutem, neque est canon fidei:

Sed scriptura talis est, Ergo &c.

Et majorem & minorem intrepidè negemus: ac porro Pontificiis accinamus illud Irenæi adv. hær. l. 3. c. 2. *Hæretici repugnant & resistunt saluti suæ, cum enim ex scripturis arguuuntur, in accusationem convertuntur ipsarum scripturarum, quasi non rectè habeant, neque sint ex authoritate, & quia variè sint dicta, & quia non possit ex his inveniri veritas ab his qui nesciant traditionem: non enim per literas traditam illam, sed per vivam vocem.*

Addimus hic sententiam *Iohannis Andreæ Mauri, Sacerdotis olim in eccle-*

sia Ro-

ſia Romana ex legiſperito Mahumedano Valentiæ anno 1487. converſi, qui cap. 10. p. 229. *confuſionis ſectæ Mahumedicæ ex Italico in latinum converſæ per Iohannem Lauterbach in Noſcovvitz anno* 1595, omnes Mahumediſtas contendentes vetus & novum teſtamentum eſſe corruptum,& aliud fuiſſe „tempore Moyſis & Ieſu Chriſti, dupliciter convincit: *Primo* dicendo, *ni-* „*hil eſſe in V.T. immutatum aut perverſum, & idem eſſe hodie, quod ſub Moſe &* „*Prophetis uſque ad I. Chriſtum, poſt quem Chriſtiani planè eundem librum ha-* „*buerunt, ne uno quidem titulo omiſſo. Scis autem*, inquit, *à Iudæis Chriſtianos* „*diſſentire. Si ergo Iudæi corrupiſſent aut intervertiſſent ſanctam ſcripturam,non u-* „*na & eadem ſemper apud Iudæos hucuſque permanſiſſet. Scriptura autem divina* „*nunquam perditur, ut libri* Zunæ Mahumedicæ, *de quibus egimus ſupra cap.* „*tertio. Secundo, tempore* Mahumetis *jam anni ſexcenti effluxerant, quibus lex* „*Chriſtiana toti mundo innotuerat, & unio facta fuerat Teſtamenti veteris & novi,* „*id eſt, figuræ & figurati, quæ ita bene coïerunt, ut una & eadem res eſſe videretur.* „*Quia etiam à Deo* Mahometi *tum revelatum, eam ſcripturam eſſe bonam & ve-* „*ram, omnino in veritate nativa permanſit, & hodie talis eſt. Quod ſi* Mahometis „*ætate aliqua accidiſſet immutatio, Deus illi dubio procul indicaſſet errores. Ergo* „*nihil agis* Maure *cum toto tuorum cœtu, alias qui duos integros teſtes producit, vi-* „*ctoriam certam conſequitur, mali autem reprobantur. Cumque Deus* Mahometem „*juberet Iudæos & Chriſtianos de ſcripturis conſulere,veræ & integræ erant illorum* „*ſcripturæ, ſicut inviolatæ ad hoc uſque tempus propagatæ ſunt. Cede ergo veritati,* „*& Alcorani contrarietates à nobis enumeratas agnoſce.*

COROLLARIVM.

INfeliciter ex *epiſt. ad Philemon. v.* 5. fidem in Sanctos, & eorundem invocationem diſtinct. adhibitâ colligit *Corn. A Lapide in commentar.* Nam, ut præteream ſolutionem quam *Carthuſianus*, *Cajetanus*, *Iſidorus Clarius* aliique Pontificii in commentar. non obſcurè ſuppeditant, eſt hic figura quam *Hermogenes* vocat *Chiaſmum* & *Photius in Myriobiblo* ſeu *bibliotheca cod.* CC XLVI. σχῆμα χιαστὸν. Quem vide; & imprimis *Cujacium*, qui plurima ex Iure civili & bonis authoribus obſervat *lib.* 14. *Obſervat. cap.* 24. Exemplum ejuſdem ſchematis occurrit *Math. 12. v.* 22. ut ibi annotavit *Caſaubon. in notis ad* N. T. Hinc eſt quod Syrus interpres hic ita verterit: חימנותך וחובא *haimonutoch vechoubo*, id eſt, *fidem tuam & charitatem*, præmittens fidem charitati, cum alioquin in Græco ſit τὴν ἀγάπην καὶ τὴν πίστιν. Eundem ordinem cum Syro ſervat Arabs.

DE

DE SYMBOLO APOSTOLICO.

Resp. IOHANNE ALMELOVEEN, Vltrajectino.

Ad diem 26. Martii 1636.

NIhil magis familiare Symbolo Apostolico; de ejus ergo origine & autoritate aliquid certi tenendum. Cum autem videamus non omnes idem hic sentire, aut satis accuratè mentem suam explicare, operæ pretium facturos nos arbitramur si in gratiam Theologiæ candidatorum rem ipsam paucis aphorismis complectamur.

1. SYmbolum definit Gerson in Compend. Theolog. tract. 1. *omnium credendorum ad salutem spectantium compendiosam collectionem.* De Origine vocis disceptatur. Συμβολὴ & σύμβολον differunt, ut genere & terminatione sic etiam significatione, monente *Casaubono ad Athenæum lib. 3. c. 31.* Et *Math. Martinio in Etymologico.* Hæc vocis affinitas in errorē impulit *Ruffinum loco infra cit.* & *Budæum in Commentariis linguæ græcæ*, qui Symbolum ait significare *fidem* propter scil. collationem, & tamen nullum græcum autorem pro hac significatione adducit. Symbolon deducit Gabriel Biel in dist. 25. qu. unica art. 1. lib. 3. *à sin quod est con & bolos particula vel morsellus, quasi particularum collectio: nam quilibet Apostolorum particulam aliquam quasi bolum suum apposuit.* Alii deducunt à σὺν & βολὴ, id est, sententia quasi collectio sententiarum; hanc etymologiam *Altenstaig in Dictionario Theolog.* attribuit Bonaventuræ. Si quis conjecturę locus, dicitur Symbolum, quia est nota, signum & tessera Christianisini: aut metonymicè ita dicitur ab ipso baptismi signo & pacto *Vide Chrysologi homil. 62. & Chrisost. homil. ad Neophytum tom. 5. & Gersonē in compend. Theol. de art. fid. tom. 2.*

2. Ex collatione antiquissimorum patrum & scriptorum, qui 4. 5, 6. & sequentibus sæculis vixerunt colligimus duplex esse distinguēdum Symbolum: quæ distinctio neglecta aut non animadversa confusionem & errorem omnem perperit. Prius Symbolum est explicatione brevius, usu antiquius, authoritate & Catholicismo majus, cum ipsa baptismi institutione receptum, & una cum administratione baptismi jam inde ab Apostolorum temporibus usurpatum eique perpetuo & ἀχωρίςως connexum, origine immediatè divinum, atque adeo αὐτόθιςον & authenticum, regula norma & principium fidei quippe pars Scripturæ Canonicæ. Est autē illud

quod

quod habetur Math. 28. v. 19. *Ite & docete* (μαθητέυσατε) *omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, filii & Spiritus sancti.* Symbolum hoc à Christo institutum, ab Apostolis propagatum est nudum fundamentum. Alterum Symbolum est illud, quod nunc habemus tot articulis tanquam ornamentis successivè vestitum, sed aliis & quidem incertis autoribus; quibus æqualis authoritas cum Christo & Apostolis neutiquam tribuenda.

De priori simpliciſſimo & breviſſimo Symbolo non verò de posteriori necessario intelligendi sunt patres cum dicunt regulam fidei à Christo institutam, cum mitteret Apostolos in mundum ut *docerent nationes tinguendas in patrem, filium & Spiritum* S. Tertullianus de præscript. c. 14. & 20. *accepisse nos regulam veritatis per baptismum.* Irenæus lib. 1. cap. 2. *Habere nos confessionem fidei per ipsam baptismi traditionem. Basilius seu author libri de Spir. S. lib. 1. c. 2.* Et sic Gennadius Massilienſis orditur libr. de dogmatibus Ecclesiasticis: *Credimus*, inquit, *unum esse Deum patrem & filium, & Spiritum Sanctum.* Vbi notat Elmenhorstius: *Exorditur à communi regulâ fidei quam velut fundamentum omnibus hæresibus opponit.* Et citat. ibid. *Nazianzen. de Fide Orat.* 49. *Socratem Histor. Eccles. lib. 2. cap. 25. Tertullian. de virgin. velandis cap. 1. Guitmundum de Trinitate tom. 4. Bibl. patrum. Augustin. Hipp. Eccles. Episcopum tom. 3. de Fide & Symbolo cap. 1. de tempore serm.* CXCV. *&* CXXV. *Iohan. Damascen. de Fide Orthodox. lib. 1. cap. 8. Gregor. PP. in decretis part. 1. tit. 1. Athanas. in exposit. Fidei fol.* 394. *& seqq. Concilium Constantinopol. 11. cap. 7. Concil. Toletanum 1. cap. 21. Concil. Toletan. 4. cap. 1. Concil. Lateran. cap. 1. Isidorum Hispalensem de off. Ecclesiastic. lib. 11. cap.* XXIII. *Autorem de Fide ad Petrum Diaconum cap. 1. apud Augustin. tom. 3. Victorem in exposit. Fidei tom. v. Bibliothec. patrum fol. 4.* 57. *fol.* 457. *Fulgentium ad Trasimundum regem lib. 3. fol.* 54. *Ferrandum Diaconum panæret. ad Reginum fol.* 1893. *in Append. Biblioth. patrum. Edictum Iustiniani Imp. de fide tom. 1. Iuris Græco-Romani fol.* 521. *Concil. Arelatense* III. *c. 1. Conc. VVormatiense cap. 1. Rabanum Maurum de Institut. Clericorum lib. 2. cap.* 57. *Gregor. Turonensem Historiar. Francor. lib. 1. cap. 1.* Ex multis quas adducit *Parkerus libr. 4. de desc. ad Infer.* verba aliquorum hic exhibemus, ut constet fundamentum illud fundamenti hoc est Symbolum absque commentario, non autem quale nunc est, ipsos intellexisse, cum tot elogiis ac titulis cohonestârunt, *regulæ* scil. *fidei & veritatis*, τρόπου πίστεως, ὅρου, συμβόλου πίστεως, *summæ fidei Corporis Fidei, Apicis & fundamenti. Euangelicæ Fidei sacramenti, formæ Fidei, & cælestis præscripti, primæ & solius Euangelicæ Fidei confessæ in baptismate, rationis Fidei, Mysterii religionis, Fidei, idiomatis Fidei, Characteris ecclesiæ, normæ sanctæ Fidei.*

Audiatur ergo primus Athanasius, in Epistol ad ubique Orthodox.

& orat.c. Gr. Sabell. & contr. Arrian. *Summa*, inquit, *& corpus totius nostræ fidei continetur in verbis baptismi, & fundatur in illa scriptura. Ite & baptisate omnes nationes in nomine patris & filii & Spiritus sancti*, & Augustinus cõtra Donatistas lib.6.c.25. *Symbolum constat verbis Euangelicis*, & paulò ante *Deus adest verbis Euangelicis suis, sine quibus baptismus Christi consecrari non potest.* Et in sermone suo in Symbolum: *Hanc fidei normam ipse dominus noster Iesus Christus instruxit, & nemo nisi impius de ea Catholicæ fidei regula dubitat, quam ille dictavit cui fides ipsa debetur. Ipse ergo dominus noster Iesus Christus cum jam glorificatus resurrexit à mortuis in cælum ascensurus ad patrem, hæc sacramenta fidei discipulis,* id est, *Apostolis reliquit. Ait enim euntes baptisate omnes nationes in nomine patris & filii & Sp. Sancti.* Gregorius Nyssenus de Resurrect. Orat. 2. scripturam illam apellat *rete illud, quo Apostoli hominum piscatores evaserunt, & in ea consistere* dicit *totius nostræ religionis mysterium. Epiphanius Anacepha* postquam omnes hæreses recensuit quæ contra fidem Catholicam erant ad earum impugnationem illam unam scripturam sumit: *sed hæc est nostra fides ite prædicate* &c. Eundem textum *Eusebius Pamphilus epist. ad Palestin.* appellat fidem, *hac à nobis expositа fide* (inquit) *nullus est relictus resistendi locus.* Concilium Antiochenum Symbolum *Socrat. l. 1. c.8.* ad largum recitans, illud euangelicam traditionem appellat & eodem in textu fundamentum suum collocat. Sic Concilium Ancyranum *de Sp. sancto* 2. ad eundem textum dicit, *Fides nostra secundum Christi doctrinam est in patre & in filio & in Sp.Sancto*, & *Didymus Alexandrinus* exponens illud Apostoli, unus est Dominus, unum baptisma, una fides: *atque hæc una Fides* (inquit) *in Patre & Filio & Spiritu Sancto est.*

3. Quæstio est an Symbolum, illud quod nunc habemus fit ab Apostolis aut viris apostolicis conscriptum, atque adeo divinæ & canonicæ autoritatis. Pontificii statuunt certo consilio compositum esse à 12. Apostolis (& quidem ante conversionem Pauli. *Bonav.lib.3.dist.25.qu.1.num.8.*) in unum collectis antequam à se invicem discederent ad prædicandum Euangelium, ita ut singuli articuli essent à singulis per expressionem, & totum Symbolum à quolibet per approbationem. Vide ibidem *Bonavent. Durandum*, & *Biel.* & *Catechismum Concilii Trident.p.15.* Et *Baronii annales ad ann.* 44.3.8. *Bellarm.de verbo Dei lib.4.c.4. Bayllum in Catechesi quæst. 9. Gasparen Sanctium de prædic. Iacobi in Hispania tract. 1. cap. 7.* citat autem pro se *Russinum in expositione symboli, Augustin.serm.181.de tempore; Clementem in epistol. 1.ad fratrem domini.* Addunt alii originem & authoritatem divinam symboli non constare nobis nisi ex traditione non scriptâ, *Becanus in Manuali lib. 1.c.2.* Bellarm. loco cit. *Non scripserunt*, inquit, *sed tantum viva voce tradiderunt. Baronius loc.cit* comprobare nititur testimonio *Hironymi, Augustini, Ambro-*

Ambrosii, symbolum hoc *sine scripto ab apostolis traditum esse*. Omnes parem illi authoritatem tribuunt cum Scripturis Canonicis. Nos contra profitemur, quamvis materiâ seu materialiter divinum sit, ut & Symbolum Athanasii, quippe desumptum ex S. literis, formâ tamen & structura, seu formaliter esse scriptum humanum, & ecclesiasticum humanæ authoritatis: non esse itaque canonem, regulam seu principium fidei infallibile, in quod ultima analysis fidei facienda, sed esse regulatum & principiatum, imo non esse antiquissimum perpetua successione, jam inde post Apostolica tempora propagatum & receptum.

Rationes nostræ sunt istæ. *Primò*, quia Scholastici & recentiores illam 4.
historiam de origine, antiquitate, & authoritate Symboli cum referunt sua fide id faciunt, absque ulla probatione, itaque eadem facilitate rejicimus, qua illi afferunt. Citant quidem *Bellarminus* & *Baronius*, *Augustin. serm.* 115. *de Tempore*, pro duodecim bolis, sed mox *Baronius* authoritatem istius sermonis 115. in dubium trahit *ibid.* & aliorum patrum (ut loquitur) testimonia succenturiat aut substituit, *leonem epist.* 96. *ad Pulcher. Venantium Fortunatum in præfat. expos. Symboli*, *Albinum Flaccum de offic. eccles. stic. cap.* 22. *Rabanum Maurum lib.* 2. *de Institut. cleric. cap.* 56. Sed quo candore ac judicio hos citet, & Rabanum atque Albinum nominet patres Augustino in hoc negotio substituendos, aut æquiparandos tanquam antiquos testes, facile judicabunt prudentiores. De Ruffino aliisque infra dicemus. *Secundò*, quia non est pars librorum scripturæ, ergo non est pars canonis nec scriptum divinum & authenticum. Antecedens docet experientia, nusquam enim ibi comparet, aut unquam comparuisse dicitur. Consequentia probatione non eget, saltem apud nostros qui integritatem & sufficientiam verbi scripti contra prætensas traditiones fortiter asserunt. Cum ergo omne scriptum de rebus fidei formaliter sit divinum aut humanum, authenticum aut non authenticum, Canonicum aut non Canonicum, nec possit dari tertium, seu medium sive participationis sive negationis extremorum: sequitur Symbolum esse scriptum merè humanum. *Tertio*, videtur ridiculum & insolens Symbolam quisque contulisset, quasi cento consuendus esset. Et satis malè divulsi connexique sunt articuli ex. gr. ut Petrus dixerit: *Credo in Deum patrem omnipotentem*, Iohannes addiderit, *Creatorem cœli & terræ*, &c. *Quarto*, quia uno tempore non est compositum sed successivè: aliis hos, aliis alios articulos, & quidem sero, sæculis aliquot post tempora Apostolorum addentibus. Ergo non est constructum ab Apostolis, aut à viris Apostolicis, & consequenter non est divinum seu Canonicum, imo ne quidem antiquissima successio, Catholicismus & authoritas Ecclesiastica illi tribui potest. Antecedens probatur 1.

quia antiquissimi scriptores *Martialis, Ignatius, Iustinus, Irenæus, Tertullianus, Origenes, Symbolum Nicenum* (ut exstat apud *Nicephor. lib. 8. c. 13. Socratem lib. 1. c. 5. hist. tripart. lib. 2. c. 9.*) cum summam fidei recensent ultra Trinitatem non progrediuntur. 2. Quia articulus de *Descensu ad inferos* qui Apostolo Thomæ tribuitur in antiquis Symboli editionibus non habetur: non apud *Augustin. in libr. de Symbolo ad Catechum. tom. 9.* non in Symbolo Romano neque in Ecclesiis Orientis teste *Ruffino*. Sic etiam *Ruffinus, Augustinus* ultimum articulum, alii patres alios, etiam voces quasdam non habent. Vide *Erasmum ad Censur. Parisiens. tit. 11.* Quin ipse *Ruffinus in præfat. ad Expos. Symboli* in aliis Ecclesiis alia propter hæreticos fuisse adjecta fatetur. Atqui absurdum esset talem fidei summam, & quasi Canonem Canonum, à Collegio Apostolico constitutum, non fuisse à corruptione aut mutatione per divinam providentiam in Ecclesiâ conservatum ut ex 12. Articulis & ex 12. Apostolis unus non excideret: Cum Deus scripturas ab omni corruptione, detractione, additione conservaverit. Nec prætereundum est quod de numero articulorum nihil certi sit in ipsa Ecclesia Romana, an sint 12. an vero 14. *Thomas 2. 2. quæst. 1. artic. 8.* 3. Quia antiqui patres convicturi hæreticos & provocantes ad primam antiquissimam & simplicissimam fidei summam ac regulam non prætendunt Symbolum hoc quod nunc habemus, quod tamen facere debuissent & divino compendio facere potuissent, siquidem originis & authoritatis Apostolicæ, ac antiquissimæ perpetuæque successionis Catholicæ fuisset. Non est autem quod nos negativam probemus; instantias expectamus ab illis qui affirmativam tuentur. Ex superabundanti tamen indicamus loca supra *Thes. 2. cit.* 4. Quia antiqui expositores Symboli, *Symbolum* scilicet *Nicenum, Antiochenum, Syrmianum, Arminense*, item *Ruffinus, Epiphanius, Augustinus* non habent ut hodie *Credo in Spiritum sanctum*; sed *& in Spiritum sanctum* quod judicio est primitus nihil plus dictum fuisse, de Patre & Filio, quam de Spiritu Sancto, & per conjunctionem copulativam illa verba *in Spiritum Sanctum* proxime atque immediate cohæsisse cum illis *in Filium*, ita ut prima structura Symboli Christi fuerit ista. *Credo in Patrem, Filium & Spiritum Sanctum.* Concludimus ergo uno verbo Symbolum, ut nunc est ante quartum seculum nusquam exstitisse. *Quintò, Thomas 2. 2. quæst. 1. art. 8. & 9.* Symboli structuram adscribit Ecclesiæ universali: quin & in medio Papatu absque hæresi sententiam seu fabulam Pontificiam de Symbolo hoc nostro ab Apostolis conscripto oppugnavit *Erasmus in Resp. ad Censuram Parisiensium tit. 11.* Dubitat de eo *Laurentius Valla & Polydorus Virgilius lib. 5. de rerum Inventor. cap. 13.*

Sexto

Sexto, ab absurdo consequenti; tum totum revelatum Dei verbum non esset in scriptura, nec perfectus esset canon, siquidem ei aliud quid Canonicum aut authenticum addi posset. Vide *disputationes* nostrorum *de libris Canonicis & perfectione scripturæ* imprimis cum citant locum *Apocal.* 22. *v.* 18. *Septimò*, & nequis nos nova plane paradoxa adferre putet, *Chamierus* non paucos nostrorum hic nutantes confirmare poterit. *In Ecclesiis* inquit Chamierus, *autoritatem esse, fidem variis verbis docendi, modo eandem. Sic factum Symbolum Nicenum, sic Ephesinum, sic* Chalcedonense *etiam Athanasii. Sic multi* Catechismi, *infinitæ homiliæ, tractatus, & libri.* Vides ipsi esse scriptum mere humanum quod ad *verborum structuram & compositionem* ut ipse distinxerat ibid. 6. 7. Et in Panstratiâ lib. 9. de scripturâ cap. 10. *Esse ab Apostolis Symbolum sic compositum, si non est falsum, certè quod proximum falso esse nemo negat, est incertum. Brentius in* Catechesi exsertè negat esse ab Apostolis conscriptum. Sic etiam Perkinsus in expositione Symboli in principio pag. 3. *Dicitur porro fides Apostolica, non quidem eo sensu, ac si ipsi illam conscripserint, & præter res in ea contentas, etiam stylum & verba sic formaverint, prout ea jam recensuimus, cum certa verba & phrases in ea comprehendantur, quæ in scriptis sanctorum Apostolorum nequaquam reperiuntur, utpote illa* descendit ad inferos, & Ecclesiam Catholicâ, *quæ postrema verba haud dubie in consuetudinem venerunt, tum cum Ecclesia Christi post Apostolorum tempora, inde in omnes partes mundi fuit dispersa. Deinde si & materia & ipsa loquendi ratio ab Apostolis descendisset Canonicam certe scripturam fidem Apostolicam esse oporteret prout cætera ipsorum scripta & monumenta. Adde quod Apostoli brevem & succinctam epitomen habuerint capitum Religionis Christianæ quæ proponebant aliisque similiter docenda tradebant, quæ duabus consistit partibus principalibus nimirum fide ac dilectione, ut illa Apostoli docet admonitio ad Timotheum,* expressam formam teneto saniorum sermonum quos à me audisti in fide & veritate quæ est in Christo Iesu. Vide & *Parkerum in doctiss. tract. de Descensu ad Inferos.* Inclinare etiam videtur in hanc sententiam *Iacob. Laurentius in Catechesi Heidelberg. Orthodox. c.* Coppensteinium *quæst.* 22. quamvis non determinet. Parkerum sequitur *Ludov. Crocius in syntagm.* Omnes illos præcesserat *Lavaterus in tract. de descensu ad inferos. Remonstrantes in Apologiâ cap. 1. fol.* 37. 38. *rectè numerant inter scripta humana. Octavo*, Ecclesiæ Reformatæ in scripturæ libris Canonicis nunquam numerant. Vti constat ex harmoniâ Confessionum. Immo *Confessio Gallica Articul.* 5. exsertè hoc, aliaque Symbola à scripturâ distinguit. Idem facit *Liturgia* nostra *Belgica in formulâ administrationis Baptismi, quæst.* 3. parentibus infantium Baptizandorum proponi solitâ.

5. Contra tamen Pontificii pro Apostolicâ origine & autoritate symboli contendunt, inter alios *Genebrardus lib. 3. de Trinitate, Feuardentius in Irenæum lib. 1. cap. 2. Baronius ad ann. 44.* Quod opponant vix habent, nisi testimonium Ruffini, qui in expositione Symboli sic ἑρμηνεῖ. *Tradunt majores nostri quod post ascensionem Domini cum per adventum Sancti Spiritus super singulos quosque Apostolos igneæ linguæ sedissent, ut loquelis diversis variisque loquerentur per quod eis nulla gens extera, nullæ linguæ barbaræ in accessa viderentur, & in via præceptum ejus à Domino datum ob prædicandum Dei verbum ad singulas quasque proficisci nationes discessuri itaque ab invicem normam prædicationis in commune constituunt, ne forte alius ab alio abducti diversum aliquid his qui ad fidem Christi mutabantur exponerent, omnes ergo in uno positi, & Spiritu sancto repleti, breve istud futuræ sibi ut diximus prædicationis indicium, conferendi in unum quod sentiebat unusquisque componunt, atque hanc credentibus dandam esse regulam constituunt. Symbolum autem hoc multis & justissimis ex causis appellare voluerunt, Symbolum enim græcè indicium dici potest & collatio hoc est quod plures in unum conferunt, id enim fecerunt Apostoli in his sermonibus, in unum conferendo unusquisque quod sensit.* Resp. 1. Ruffinum Pontificiis non esse testem ἀνυπεύθυνον: Sic enim Bellarminus lib. descriptor. Ecclesiast. num. 390. *In apologia pro Origene multa mentitur ipso Hieronymo teste &c.* Et paulo pòst, *denique Ruffinus merito notatur erroris à Gelasio Papa cap. sancta Romana dist. decima quinta.* Poslevinus in appar. Sacr. tom. 2. p. 358. Scripta Ruffini vocat *Labyrinthum: & haud facile judicari posse, cujusnam ingenii aut fidei Ruffinus fuerit.* 2. Ruffino absque idoneo autore hæc referenti non est fides adhibenda, cum remotior sit ab Apostolorum temporibus. 3. Prætensa traditio etiam antiquissimos patres turpiter decepit, qui tamen ex proximis successoribus Apostolorum illam habebant, *ut Irenæum l. 2. c. 39. 40. in quæst. de ætate Christi*, eundem ut & *Iustinum, Lactantium* &c. (& quem non?) decepit traditio Chiliastica ab ipso Papia discipulo Apostoli Iohannis propagata: vide *disp.* nostram *de Regno millenario*: Sic *Cyprianus* cum Africanis traditionem apostolicam obtendebant suo anabaptismo: & in contentione de observatione Paschę utraque pars ad traditionem provocabat. De quibus vide *Baronii annales & Mysterium iniquitatis Plessæi.* Iam fiat argumentum à majori ad minus, ab antiquissimis patribus ad Ruffinum, qui floruit anno 390. 4. Tempus compositionis Symboli, quod assignat Ruffinus nec antiqui omnes nec recentiores etiam ipsi Pontificii accipiunt: *Eucherius homil. 1. de Symbolo, Paschasius præfat. libr. de Spir. S. Cyrillus Hierosolymitan. Cateches.* v. *Thomas 2. 2. qu. 1. art. 9. Durandus, Biel* aliique Scholastici in *Dist. 25. lib. 3.* ajunt ex universa scriptura seu Canonicis scripturis esse collectam. Si compositum est Symbolum post constitutum Scripturæ canonem, ergo non illo tempore, quod

notat

tat *Ruffinus*. *Baronius in annum secundum Claudii aut in* 44. à nato Christo refert hanc compositionem. Vide ejus *annales ad annum* 44. 5. Addimus si illo tempore composuissent, utique tantæ rei narrationem Lucas in Actis non præteriisset. 6. Causa quæ fingitur compositionis Symboli, non est causa. Apostoli enim unum Spiritum S. habebant, itaque non erat metuendum, ne diversum quid docerent: nec Symbolo ipsis opus erat tanquam normâ consensus in prædicandâ doctrinâ fidei. 7. Eucherius homil. 1. de Symbolo dicit: *Patres de populorum salute sollicitos composuisse Symbolum*. *Erasmus* conjicit in 1. Concil. Niceno esse conscriptum. *In compend. Theolog.* De qua conjectura quid statuendum sit disq. permitt. 8. Quid vetat verba Ruffini restringi ad Symbolum primigenium, seu ad Symbolum ratione fundamenti, quod jecit Christus *Math.* 28. unde & super quo totum exstructum est. Certè Ruffinus nihil de 12. bolis seu Morsellis totidem Apostolis sigillatim attribuendis.

Objici etiam posset quod patres sæpè Symbolum dicant *Euangelicum, Apostolicum, & Traditionem*. 6. Resp. 1. apud antiquiores pro fidei Christianæ summa vox Symboli non usurpatur, sed pro ipso signo aquæ seu baptismi. 2. *Euangelicum* cum dicunt & *Apostolicum* & *Traditionem*, respiciunt Symbolum ratione primi fundamenti seu priori modo acceptum: *Credo* scil. *in Patrem, in Filium & Spiritum S.* non vero explicationem postea additam seu Symbolum posteriori modo acceptum, & ut nunc est: ut constat ex locis supra *thes.* 2. citatis; imo vel ex nuda inspectione locorum quæ pro se citant Pontificii vide *Becanum in Manuali lib.* 1. *cap.* 2. *n.* citantem ex Basilio. Quod *Bellarminus lib.* 4. *de verbo Dei c.* 4. *Baronius ad ann.* 44. *Clementem, Irenæum, Augustinum, Hieronymum, Ambrosium, Leonem, Chrysologum, Venantium, Albinum, Rabanum Maurum* huc advocant, vix responsum meretur. Vt chartæ parcamus vide breviter illa perstringentem Chamierum *loco cit.* & *ad loca Clementis, Augustini, Ambrosii Rivetum in Cathol. Orthod. tom.* 1. *quæst.* 9. Si quis vero plenissimam & superabundantem responsionem desideret, is adeat Doctiss. *Parkerum de descensu ad Inferos lib.* 4. eique conjungat *Gerh. Iohannem Vossium*, qui postquam hæc scripsissem, dissertationem edidit *de Symbolis* anno 1642.

Quæstione hac principali de Origine & Authoritate Symboli excussâ restat porismata quædam hinc educamus. *Primum* est: Symbolum non esse Traditionem divinam seu verbum Dei non scriptum, nec inde probari traditionum necessitatem. Vide *Chamier.* & *Rivetum locis cit.* & hunc in *Isagoge ad Scripturam cap.* 26. *n.* 9. 10. & ex Pontificiis *Thom.* 22. *qu.* 1. *art.* 9. *ad* 1. *Secundum*, non esse scriptum divinum Canonicum, & authenticum seu ἀντίθεσιν. *Tertium*, ambiguè & minus accuratè dici ferè canonicum aut 7. divi-

divinum: quomodo ex reformatis aliqui Theologi minus accurate loquuntur. Nullum enim datur quasi, seu medium inter Canonicum & non-Canonicum. *Quartum*, non esse Apostolicum, sive ab Apostolis sive ab Apostolicis viris conscriptum: uti vult *Vrsinus in Catechetica*, & in *admonitione Neostadianâ p.* 120. *Calvinus loco mox citando*, non determinat. Alii tamen Theologi reformati hanc opinionem sine accuratiori examine nimis facile amplectuntur, ut *Ioh. Iac. Grynæus in expositione symboli*, *Alstedius in synopsi Theologiæ loco* 4. *p.* 15. ubi perperam probationis loco commonstrat *Cypriani* (Ruffini dicendum fuisset) *expositionem symboli*. *Quintum*, atque adeo non esse Catholicum, antiquissimum, jam inde à sæculo Apostolico, aut etiam proximo, perpetuâ successione per universam Ecclesiam unanimi consensu propagatum. Vt quidem Pontificiis hoc sine necessitate concedere videntur plerique ex nostris: etiam *Calvinus lib.* 2. *Instit. c.* 16. §. 18. *Sextum*, malè illud usurpari tanquam precationis formulam, cum sit fidei professio. *Septimum*, optimo tamen & salutari consilio formulam illam professionis conscriptam, & etiamnum in Christianis familiis & Ecclesiis repeti ac proponi. *Problemata sint*, 1. *probl.* An sit fons & origo aliorum Symbolorum. *Resp.* Sic quidem aliquando dicitur. Sed ego rationem nullam video; cur scriptura non debeat dici fons esse pariter & hujus & aliorum symbolorum. Præterquam quod non sit symbolum universale: sed Romanum. 2. *Probl.* An fides hoc Symbolo contineatur sufficienter. *Resp.* & theticâ ac simplici istius fidei Professione: Si fides strictè sumatur pro promissionibus Euangelicis seu proprio objecto fidei proximè seu formaliter justificantis. Sic quidem vulgò dicitur. Videantur Scholastici *Polanus lib.* 2. *syntagm. cap.* 2. aliique locor. commun. scriptores; & elenctici fere omnes, qui disputant de necessariis & fundamentalibus. Confer *disp.* nostram *de articulis & erroribus fundamentalibus*. Sed multâ distinctione hic opus est. *Affr.* cum limitatione, quam habet etiam *Bonaventura loco cit.* Et *Thomas in scripto* 2. *in Lombardum lib.* 3. *dist.* 25. ut scil. articulis Symboli omnia necessariò antecedentia seu præsupposita & necessariò consequentia seu consectaria fidei contineri & includi, non vero excludi, intelligantur. Sed si fidei explicationem ac formulam evidentem, & quidem apologeticam atque elencticam, appositè & accommodatè ad nostra tempora, & appositè adversarios hæreseq; antiquas & novas requiramus, ausim præferre *Catecheses reformatas*, *præsertim Belgicam*, *Harmoniam confessionum*, *Symbolum Nicenum*, & *Constantinopolit.*, imprimis *symbolum* dictum, *Athanasii*; *Confessionem fidei Chalcedonensem*, Determinationes Synodi Ephesinæ, *& Edictum Iustiniani de fide*, quod exstat in *Iure Græco-Romano* ex edit. *Leunclavii tom.* 1. *p.* 521. Certè videmus Socinianos minus

minus infensos esse huic Symbolo, quam Athanasiano, immo & *Socinum in Epistolis* satis benignè illud laudare: nullam aliam ob causam, uti arbitror, quam quod tam exsertè hæresin suam, non detegit & condemnat, ac Athanasianum.

3. *Probl.* An patres Concilii Niceni, an vero Episcopus seu Clerus ecclesiæ Romanæ sint autores hujus Symboli. *Resp.* posterius probabilius est: vel hâc solâ ratione, quod in usu non fuerit Orientalibus, aliisque ecclesiis; fuisset autem, siquidem pro ecclesiæ universæ symbolo habitum fuisset, non minus ac Niceni, aliique universæ ecclesiæ Canones. Vide pluribus hæc prosequentem *Ger. Ioh. Vossium Dissert. 1. de Symbolis.*

4. *Probl.* An symbolum ab initio ecclesiæ in Missâ fuit cantatum, uti vult *Gavantus in Thesauro sacr. rituum tom. 1. p. 36. Resp. Neg.* Probatio quam adducit ex *Dionysii Eccles. Hierarch. cap. 3.* & *liturgiâ Petri* responsum non meretur. Videantur modo de scriptis illis *Cocus in censurâ patrum*, & *Rivetus in Critico sacro.*

5. *Probl.* An rectè dicatur à Dionysio *apud Lindanum ad Liturgiam* Petri, hymnologia catholica, & hierarchica eucharistia? *Resp. Neg.* non enim est formula precationis aut gratiarum actionis. Neque enim loquitur Deo, sed hominibus, qui fidei confessionem edit.

6. *Probl.* An symbolum quod in Missâ Papisticâ recitatur sit Apostolicum, an vero Constantinopolitanum? *Resp. Poster. Aff.* Pontificii, dicentes additionem illam *filioque procedit* factam in Concil. Toletano sub Leone 1. juxta *Baronium ann.* 447. seu in Concil. Romano, sub Damaso, juxta *Ioh. Steph. Durantum lib. 2. de ritibus c.* 24. Cum quo facit *Gavantus loc. cit.*

7. *Probl.* An articulus de descensu ad inferos, ut quidem habetur in symbolo, sit necessarius & fundamentalis, & an disputatio de genuinâ explicatione istius articuli sit de fide, aut saltem de Theologiâ; an potius de historiâ seu sensu antiquitatis. *Resp. Neg. Pr. Aff. Posterius.* Christum esse passum immediatè in animâ est dogma verè Theologicum (quanti autem ponderis & an fundamentale, hic non determino): sed an hoc suo articulo de descensu ad inferos directè docuerint autores symboli, non pertinet propriè & directè ad dogmata Theologica, nedum ad fundamentum fidei. Multo minus est de fide, opinio illa de locali descensu animæ Christi ad inferos, ut volunt Pontificii; aut de descensu propriè accepto totius Christi post resurrectionem, ut volunt recentiores Lutherani apud *Eckhardum in tract. de descensu ad inferos cap. 2. in principio*, & *cap. 8. p.* 102. 106. 108.

8. *Probl.* An *Roman. 12. v. 6.* Per analogiam fidei intelligatur Symbo-

lum, vulgò dictum Apostolicum, formaliter scil., quod ad structuram & compositionem suam? *Resp. Neg.*

9. *Probl.* An uno tempore simul & semel conditum ac perfectum: an verò diverso tempore & successivè: *Resp. Affir. Poster.* Videatur *Ger. Joh. Vossius*: nolo enim librum lectu dignissimum describere. Sunt & alia problemata partim historica, partim liturgica, de quibus Pontificii inter se quærunt, ubi nos nullam partem facimus: qualia ex. gr. An & quare Symbolum recitandum sit post euangelium: Quibus diebus recitandum sit: Quo vocis tenore & in primâ, & in Missâ proferri solitum: An Symbolum Romanum sit antiquius Niceno: An licuerit Symbolo Niceno quidquam addere: An symbolum in ecclesiâ Romanâ aliquando desitum recitari, & quare: An singulis horis in officio recitandum, an vero quinquies: Quare in fine completorii submissâ voce recitetur: Cur in medio ad preces partim submissâ partim clarâ voce recitetur: Quot sint symbola in officio Romano; tria, an quatuor, an plura: An soli Apostoli condiderint Symbolum vulgò dictum Apostolicum, an vero præter eos 120. viri, quorum fit mentio *Actor.* 1. Quot sint articuli, seu capita symboli: An singuli apostoli singulos articulos contulerint, an vero communiter symbolum condiderint: an composuerint apostoli Spiritu S. sic dictante; an vero excerpserint ex iis quæ fusè scripserant: Quo tempore condiderint: An sui causâ, an vero ecclesiæ causa condiderint. De his videantur *Ioh. Stephan. Durantus lib. 2. de ritibus Eccles. Cathol. cap.* 24. *Barthol. Gavanti Thesaurus sacr. rituum tom. 1. p. 36. & tom. 2. pag.* 64. *Dominicus Gravina lib.* 4. *præscript. Catholic.* Conferendi ex nostris *Parkerus in tractat. de descensu ad inferos, Lavaterus de descensu ad inferos, Gerh. Joh. Vossius in dissert. de symbolis.* Forte aliquando de confessionibus & symbolis in genere, deque antiquis symbolis in specie acturi in Politiæ ecclesiasticæ part. 3.

DE PATRIBUS, SEU ANTIQUÆ ECCLESIÆ DOCTORIBUS.

PARS PRIMA.

Resp. CORNELIO P. F. vander LINGEN

Ad diem 23. *Iunii* 1640.

DE patribus acturi, 1. *theticè delineabimus, qui qualesque sint patres ecclesiæ & quis eorum usus.* 11. *Controversiam principalem, & problemata determinabimus.* 111. *Appendicem de historicis Ecclesiasticis subjicemus.*

Pater

PAter Ecclesiæ aut fidelium dicitur. 1. solus Deus tanquam autor omnis essentiæ, vitæ, bonitatis spiritualis 1.
*Math.*23.9.& 6.9.*Rom.*8.15.*Galat.*4.6. 1 *Petr.*1.17.coll. cum *Malach.*1.6. *Deuter.*32.6.*Iesa.*63.16. Vbi Deus essentialiter non verò notionaliter intelligendus; qui est Pater, Filius, Spiritus Sanct. *Ephes.*3.15. nomen patris appropriatè tribuitur primæ personæ; quod sit origo & fons operationum ad extra. Hanc patris acceptionem respiciunt Catholici, cum in collat. Carthaginensi ore Augustini negant, Cæcilianum esse patrem suum. *Collat.*3.*cap.*222.230.232.235. 11. Homo tanquam administer gratiæ divinæ, 1 *Corinth.*4.1.& 3.5. quippe qui eam offert, proponit, applicat verbo, sacramentis, precibus. Hinc architectus, plantator, servator, pater &c. dicitur: quod ecclesiam seu fideles Deo gignat 1 *Corinth.*4. 15. *Galat.*4.19. *Philemon.*4.10. & sic *Ioannes* in *epistolis* passim usurpat vocem πατρία. Est autem hæc paternitas 1. *vel* late dicta, quomodo omnes quicunque vivâ voce aut scriptis homines manuducunt ad salutem, dicuntur patres; & inter eos κατ' ἐξοχὴν genuini Pastores & Episcopi. Hinc etiam titulus *Papæ* Episcopis olim tributus: ut videre est in *epistolis Hieronymi ad Augustinũ & in libro epist. August.ep.*25.*&*30. *Et in epist.Sidonii Apollinaris lib.*7.& 8.& 9.*ad diversos Episcopos.* Sic titulis *patris*, apud *August. epist.* 35.51.191.&c. *vel* strictissimè & sic competit solis scriptoribus & Doctoribus προφητεύσεις, prophetis scil. & Apostolis: est enim ecclesia regenita per verbum eorum tanquam unicum infallibile fidei principium: hinc ædificata dicitur super fundamentum Apostolorum &c. *Ephes.*2.20. 3.*vel* strictè, ac peculiari quâdam ratione: & sic antiqui Doctores Ecclesiastici qui scriptis suis ecclesiæ præluxerunt, dicuntur patres: illis enim antiquitas, successio, Catholicismus doctrinæ & ecclesię historicè (humanam historiam intelligo) exhiberi putatur. His nonnunquam accensentur Historiæ ecclesiasticæ scriptores, quorum aliqui univocè & primariò, aliqui analogicè saltem & secundariò patres appellari solent: de quibus infra. Notandum hic imprimis, antiquitatem illam admittere latitudinem in vulgatis Pontificiorum disputationibus; prout causæ necessitas, aut defectus antiquiorum hoc postulaverit. Nonnunquam omnes scriptores Ecclesiasticos tanquam patres allegant (ne quidem exceptis Græcis scismaticis) qui homiliis, commentariis ad scripturam, asceticis scribendis intenti, à scholasticis disputatoribus formâ, methodo, & stylo scribendi distinguuntur. Vide *Bellarmini Controversias*, & *Coccii Thesaurum Catholicum*: Et *Benedictum Vernierum in tract. cui tit. Magnum & universale Concilium super veritate diviniß. eucharistiæ & c. quod instar Concilii Niceni* 318. *patribus orthodoxis constat.* Inter quos com-

parent etiam præter pleroſque Scholaſticos, *Ludolphus Carthuſianus*, *Angelus de Clavaſio*, *Rodericus Samorenſis*, *Beſſarion*; breviter omnes Pontificii ſcriptores uſque ad annum 1500. Hinc etiam titulus *Bibliothecæ Patrum*, quam edidit *Margarinus de la Bigne*. Alias ad ſolos illos provocatur, qui poſt Apoſtolorum tempora, uſque ad annum 600 inclusè vixerunt. Ex illis diſputat *Hardingus contra Iuellum*; nullos alios citat *Campianus Rat.* 5.; & ſic paſſim reliqui Polemici Pontificiorum in controverſiis (ubi putant ex antiquitate nubem teſtium ſuppetere) ſolos illos adducunt: Vide *Bunderium*, *Eckium*, *Fisherum*, *Epiſc. Roſſenſem*, *Stapletonum*, *Coſterum* &c. Nuper Cardinalis *Perronus in Epiſtolâ ad Iacobum Magnæ Britanniæ Regem*, potiſſimum illos voluit eſſe patres & judices, ſeu antiqui Catholiciſmi indices, qui vixerunt tempore quatuor Conciliorum, à Conſtantino ſcil. uſque ad Marcianum. Ex quibus etiam diſputat in prolixo volumine poſt obitum ejus edito; cujus examen inſtituit *Molineus lib. de Novitate Papiſmi*. Nos ut in confuſione illâ quid diſtinguamus & ordinem ſervemus, putamus titulum *patris* uſurpari tripliciter, propriè, analogicè, æquivocè. *Proprie* tribui, & quidem *primariò* Orthodoxis ac probatis ſcriptoribus, qui vixerunt uſque ad obitum Auguſtini præter propter; *ſecundario*, qui poſt Auguſtinum, uſque ad obitum Gregorii Magni. Primæ claſſis diſtinguimus rurſum in *antiquiſſimos*, qui floruerunt ante Concilium Nicenum; & in antiquos qui deinceps. *Analogicè* ſcriptoribus mediæ, quam vocant, ætatis, poſt Gregorium uſque ad ἀκμὴν Antichriſtianiſmi in Occidente, hoc eſt, uſque ad decimum ſæculum. Vbi primæ claſſis habendi, qui anteceſſerunt annum 800; ſecundæ vero claſſis, qui ſecuti ſunt. *Æquivocè* plane tribuitur ſcriptoribus novitiis, qui vel paulò ante illos, vel etiam poſt exortum eorum floruerunt. Ita honorifico patrum titulo nonnunquam citari audias, *Anſelmum*, (*Cantuarienſem* ſcil.) qui floruit anno 1081. *Bernardum*, qui 1130. *Euthymium* (*Zigabenum*) qui 1118. *Theophylactum* qui 1071. *Micrologum*, qui 1077. *Oecumenium*, & *Olimpiodorum*, quos alii collocant inter annum 800. & 900. alii poſt annum milleſimum. Quamvis enim formam & methodum Theologiæ patriſticæ propius imitari & exprimere ſtuduerint; doctrinę etiam puritate à patribus non tam longè recedant, ac alii: tamen patres (præſertim ſi noſtro idiomate exponatur Out-Dauers) dicendi nō ſunt: vel quia vixerunt ſub Papatu; vel quia nimis remoti ſunt à ſeculo Apoſtolico; vel quia ætas eorum incerta eſt: ne dicam recentiores ſcriptores Græcos ab ipſis Pontificiis numerari inter ſciſmaticos. Vide *Bellarmin. de ſcriptor. eccleſ.* & *Poſſevinum in apparatu, in Euthymio* & *Theophylacto*. Nos quæ de patribus dicturi ſumus, potiſſimum de ſcriptoribus uſque ad Auguſtinum, intelligi volumus; & aliquo modo de

ſequen-

ſequentibus uſque ad Gregorium Magnum. Scriptoribus vero mediæ ætatis, qui vixerunt poſt natum Anti-Chriſtum anno 607. & poſt diviſionem Occidentalis Imperii ab Orientali, nonniſi analogicè & κατὰ συγχώρησιν alicubi applicari.

Dividuntur vulgo patres in Græcos & Latinos, denominati ſcilicet aut 2.
ab idiomate quo ſcripſerunt, aut à loco miniſterii ſui, aut ab utroque. Syros, Ægyptios, alioſque non eſt quod hic memoremus: quia nulla ipſorum ſcripta exſtant, aut ſi quæ exſtent illa græcè tantum habeantur; aut ſi alio idiomate, quod ea græce tranſlata ſint. Sunt ergo Græcis annumerandi. Nam quod *Poſſevinus in apparatu* jactat ſe ex *Serrario* ſuo didiciſſe Venetiis exſtare aliquot libros Arabicos & Syriacos, inter quos erat *Ephræm*; id relegamus ad recentiorum quorundam peculiarem pruritum, quo affectant καινότερα τίνα λέγειν καὶ ἀκούειν (*Actor.* 17.) ut ita novam admirationem de ſe concitent. Patres Græci antiquiſſimi ſunt Ignatius, (quamvis de illius epiſtolis diſceptetur: de quo vide editores Ignatii *Nicol. Vedelium*, & *Iacobum Vſſerium*, qui hoc anno 1645. Oxoniæ prodiit,) Polycarpus, *Iuſtinus*, Melito (cujus fragmenta quædam apud *Euſebium*) Athenagoras, Theophylus, Tatianus, Irænæus (de quo dubitatur, ſit ne inter Græcos, an latinos numerandus) Clemens Alexandrinus, Origenes, Ammonius Alexandrinus, Gregorius Neo-Cæſarienſis, Dionyſius Alexandrinus, Methodius, Euſebius Cæſarienſis, Macharius Ægyptius. *A tempore Conſtantini & Concilii Niceni* floruerunt, Athanaſius, Serapion, Didymus Alexandrinus, Cyrillus Hieroſolymitanus (de cujus ſcriptis quid ſtatuendum diſce ex *Riveti Critico ſacro*) Ephræm, Baſilius, Andreas Cæſarienſis, Gregorius Nazianzenus, Epiphanius, Gregorius Nyſſenus, Theophylus Alexandrinus, Diadochius, Chryſoſtomus, Severianus, Syneſius, Lucianus, Cyrillus Alexandrinus, Theodoretus, Proclus Epiſcopus Conſtantinopolitanus, Iſidorus Peluſiota, Nilus, Simeon Stilita, Theodorus preſbyter, Æneas Gazæus, Gelaſius Cyzicenus, Leontius Bizantinus, Anaſtaſius Sinaita, Procopius Gazæus, Heſychius, Sophronius. *Latini* uſque ad *Conſtantinum & Concilium Nicenum*, Tertullianus, Minutius Felix, Iulius Africanus, Cornelius Papa, Sixtus ſecundus, Cyprianus, Arnobius, Lactantius. Iam inde *à tempore Conſtantini*. Iuvencus, Iulius Maternus Firmicus, Lucifer Calaritanus, Victorinus Afer, Hilarius, Gregorius Betticus, Sebadius Pacianus Barchinonenſis, Optatus Milevitanus, Aginnenſis, Fauſtinus Diaconus, Ambroſius. Idacius Clarus, Hieronymus, Ruffinus, Gaudentius Brixienſis, Prudentius, Chromatius, Auguſtinus, Paulinus, Sedulius, Claudianus

Mamertus, Cassianus, Vincentius Lyrinensis, Chrysologus, Leo Papa, Hilarius Arelatensis, Prosper, Arnobius Iunior, Salvianus Massilienſis, Salonius, Faustus Rhegiensis (sed Pelagianus, inter patres minimè numerandus; vide *Bellarm. de script. Eccles.* & *Possevinũ*) Gennadius Massilienſis, (sed qui Fausto favebat) Iulianus Pomerius, Gelasius Papa, Gildas sapiens, Paschasius Diaconus, Fulgentius, Primasius, Ennodius, Ferrandus Diaconus, Eugippius Abbas, Ioh. Maxentius, Avitus Alcimus, Boëtius, Dionysius Exiguus, Victor Episc Africanus, Iustus Orgelitanus, Arator, Iunilius Africanus, Martinus Braccarensis, Gregorius Magnus. Citantur subinde nomine antiquorum patrum & sanctorum scriptores, aut libri planè suppositi: quales, sunt, qui *ante Constantinum floruerunt*, partim Græci partim latini; Canones Apostolorum, libri Liturgici continentes missam Petri, Marci, &c. Opera Clementis, Anacleti Epistolæ, Opera Dionysii Areopagitæ, Epistolæ Martialis Lemovicensis, Testamentum 12. patriarcharum, Hyppolytus de consummatione mundi, Opera Zenonis Veronensis, Victorini commentar. in Apocalypsin. *A tempore Constantini*, Titus Bostrensis; Eusebii Emisseni homilię; Cyrilli Hierosolymitani epistolæ, & catecheses, Philonis Carpathii commentar. in Canticum; Opera Marci Eremitæ; Sermones Maximi Taurinensis; Philippi presbyteri comm. in Iobum; Opera Eucherii Eugdunensis; libri tres adscripti Sixto tertio; Vigilii quinque libri contra Eutychem; Cæsarii Arelatensis homiliæ; Anastasii Niceni liber Responsionum; Sophronii pratum spirituale. Præter alia notha & spuria, quæ probatis autoribus supra recensitis Cypriano, Augustino, Epiphanio, Basilio &c. supponi solent; insuper supposititios aut dubios historicos (quos infra recensebimus); & collectores Conciliorum, & eorum quæ eò pertinent, de quibus agendum in loco comuni, de Conciliis. Sed de patrum cit. vitâ, scriptis, operum editionibus consulendi sunt antiquitatum studiosis præter antiquos *Hieronymum*, *Gennadium &c. Trithemius*, *Gesnerus in bibliothec.*, *Sixtus Senensis*, *Baronii annales* cum Antagonistis, (ut alios Pontificios historicos nunc prætream), *Bellarminus de script. Eccles.*, *Possevinus in Apparatu sacro*, *Coccius in Thesauro Catholico*, *Iohann. Maria sacri Palatii Magister in indice Romano libr. expurgandorum*, *Index expurgatorius Hispanicus* posterioris editionis, *Angeli Roccha epitome bibliothecæ theologicæ & scripturalis*. Ex nostris, *Centuriatores Magdeburgenses*, *Bachosius in appendice historicâ ad Catechesin* testimoniis patrum à se munitam, *Perkinsi problema catholicum*, *Sculteti medulla patrum*, *Coci censura patrum*, *Riveti Criticus sacer*, *Thomæ Iamesii tract. de corruptione script. concilior. patrum &c.* quibus adde *Hyperium de studio Theologico*; ex Elencticis scriptoribus potissimum *Raynoldum*, *Chamierum &c*, imprimis etiam editores singulorum patrum tum Pontificios,

cios, tum nostros. Qui compendio studeant, aut primum aliquem gustum hujus Criseos quærunt (præsertim studiosi in cursu Academico), solum *Perkinsi problema* percurrant, cum *Riveto* aut *Coco*. Epitomen vero historicam petant ex *Bachosio* modo cit.

Ita descripsimus quales & qui sint patres; *Doctores scil. probati antiquæ Ecclesiæ, qui scriptis suis fidem illustrarunt*; quorum catalogum texuimus. Circa 3.
quem notandum. 1. intercurrere nonnullos quorum scripta & olim & hodie dubiæ autoritatis fuere; aut quia nonnulla sine judicio & minus consona sacris literis (idque ex ignorantiâ ἀναισθησίας) scripsere; aut quia errorum & schismaticorum partibus accessere, qualis ex. gr. Tertullianus, Origines &c. Prioris generis quãplurimi sunt, si non plerique. Vide passim *Sixtum Senensem*, *Bellarminum*, *Possevinum*; & editiones plerorumque patrum in Papatu. 11. Comparere ibi aliquos, qui Doctorum munere nunquam functi; quamvis scriptis suis erudierint, ut, Alcimus Avitus, Boëthius. 111. Posse eos aliter dividi ratione graduum, æstimationis & autoritatis, quos in antiquâ Ecclesiâ, aut ætate intermediâ, aut in novitate Papali tam ante quam post tempora reformationis obtinuere. Quæ divisiones colligendę ex vitis & elogiis quę singulorum operibus præfixa: aut, si compendio quis studeat, ex *Possevino*. Inter omnes videtur excelluisse (quam rectè, nunc non dicam) Ephræm Syrus, cujus scripta in ecclesiis nonnullis publicè prælecta fuisse, testis est *Hieronymus de scriptor. Eccl.* 1v. Posse etiam distribui in certas classes secundum materiam, & methodum tractandi. Vt scripta eorum sint 1. philosophica ex. gr. Augustini nonnulla, item Iustini, Nysseni &c. 2. Historica, de quibus infra. 3. Commentaria in scripturam, quorum indicem contexuit *Angelus Roccha*: & post eum *Bellarminus*. Videri etiam potest *catalogus commentatorum* qui exstant in bibliothecâ Oxonienſi. 4. Elenctica; quæ rursum distribuuntur secundum hæreses Marcionis, Manis, Arrii, Pelagii &c. & secundum apostasias, ut contra Gentiles, aut Iudæos. 5. Didactica; qualia Augustini Enchiridion, Ruffini expositio symboli &c. 6. Moralia, Oratoria, concionatoria, paranetica. 7. Politica ecclesiastica; qualis ex. gr. Dionisii Exigui, Martini Braccarensis, cum aliis codicibus seu collectionibus canonum. 8. Ascetica; qualia Confessiones Augustini, Ambrosius de bono mortis, Chrysostomus de Oratione &c. 9. Poëtica; quæ tamen partim ad historica, partim ad ascetica, partim ad elenctica, partim ad paraphrastica scripturæ referri possunt; ut sunt ex. gr. Tertulliani, Iuvenci, Paulini, Sedulii, Nazianzeni, Prosperi &c. *Conser nostram Bibliothecam.*

De patrum causis efficientibus, & finalibus, non est quod heic quidquam 4.
delineemus: sunt enim fere ἀόριστοι, & in usum, consuetudinem, possessionem,

nem,& posteriorum quorumvis doctorum priores ἀδιαστίκτως imitantium privatum ac liberum judicium (nonnunquam affectum)tandem resolvuntur & reducuntur. Ita ut non magis de plerisque designari possit quando, per quos,quâ autoritate,quâ sententiâ simplici aut jurisdictionis, quo consensu sint constituti, aut canonizati, aut agniti aut promulgati publici & communes Ecclesiæ Doctores, quam de autoribus classicis, aut de famâ hujus vel istius viri,quæ crescit velut abror occulto ævo,nonnunquam immerito subrepit & illudit hominibus nihil mali suspicantibus. Quæ à me non dicuntur,ut orthodoxis & egregiis Doctoribus quidquam detraham, sed ut nihil θεόπνευστον hic interceſſiſſe ostendam, atque adeo à patribus nihil tale exspectemus. Suffecerit ergo requisita patrum hic indicare, & sic fundamenta seu causas efficientes hujus paternitatis à posteriori colligere. I. est, ut quis sit exploratæ & exemplaris pietatis. II. ut zelo, in propagandâ fide,cõvertendis hominibus,defendendâ veritate, præ aliis se commendaverit: imprimis si ad confessoris aut martyris honorem ascenderit. III. Vt Doctoris seduli & fidelis partes expleverit:quod de plerisque verum est. Si qui nullo munere functi sunt illi minus propriè, & quasi analogicè patres dicuntur. IV. Vt ab ecclesiæ unitate non recesserit, saltem non finaliter. De Tertulliano ergo jam Montanistâ facto disquirendum, quâ ratione inter patres numerari debeat. V. Vt nihil pertinaciter defenderit contra catholica & fundamentalia ecclesiæ dogmata. VI. Vt non tantum vivâ voce, sed & scriptis solidè & aptè docuerit; eaque ejus scripta hodie exstent: Alioquin publici Ecclesiarum Doctores, & communes nostri præceptores jure appellari nequeunt. VII. Vt communiter omnes ecclesiæ Orthodoxæ & Doctores aut positivâ, aut saltem passivâ sententiâ pro talibus eos habuerint. In quemcunque singulæ hæ conditiones minus aut magis convenerint, ille minus aut magis *pater* est. Præsertim hoc nomine minus digni erunt,si qui tam vulgariter docuerint aut errârint potius, ut non tam communes præceptores, quam discipuli esse videantur: quales esse aliquos ex modo nominatis non est negandum. Fuit enim & olim verum illud vulgatum: *Scribimus indocti, doctique poëmata passim.*

5. Adjuncta patrum (præter modo dicta) notamus tum *absoluta*, positiva, privativa, negativa, tum *comparata*. *Positiva* sunt I. Eloquentia, & δύναμις ἑρμηνευτικὴ in plerisque, prælertim exotericè atque oratoriè conceptus suos exprimendi atque amplificandi, exemplo sint Tertullianus, Cyprianus, Chrysostomus, Basilius, Nazianzenus, Epiphanius Chrysologus &c. II. Quod qui in Gentilem superstitionem scripsere, ab omni literaturâ sæculari egregiè fuerint instructi, nonnulli eas professi fuerint, exemp. grat. Athenagoras, Iustinus, (dicti philosophi)

sophi) Tertullianus (quem Hieronymus ait omnem sæculi eruditionem complexum fuisse) Clemens Alexandr. Origines, Arnobius, Lactantius, Eusebius, Theodoretus, Augustinus, Cyrillus Alexandr., Hieronymus &c. III. Dexteritas & subtilitas in hæreticorum strophis dissolvendis; ubi excellunt Augustinus, Athanasius &c. IV. Perspicacia & ἀγχίνοια in explicatione difficilium & ἐναντιοφανῶν, quę in scripturis occurrunt: Vide præ reliquis Chrysostomum, Theodoretum, Augustinum, Hieronymum. *Hermannus Bodius in suâ unione dissidentium conciliationes* illas ex patribus collegit. V. Εὐπορία in inventione & elocutione moralium ac practicorum. Hic triumphant Cyprianus, Chrysostomus, aliique eximii concionatores modo citati. VI. Prudentia (hoc est prudens zelus & pietas) eorum in consiliis Theologicis, & casibus Ecclesiasticis: quam spirant plurima dicta & scripta eorum, & de factis loquuntur Historiæ. VII. Hujus prudentiæ effecta consequentia sexdecim; quæ enumerata à Clarissim. *Vedelio cap. 2. lib. 1. de Prudentiâ veteris Ecclesiæ*, consiliis, determinationibus, exceptionibus & responsionibus patrum analogicè applica. Atque hæc adjuncta continent virtutes & encomia patrum.

Privativa sunt quę nævos & ἥττήματα eorundem exhibent. 6.
I. Magna, si non pæne universalis linguarum originalium scripturæ, & consequenter phraseologiæ sacræ ignorantia. Vix ullus inter eos comparet, qui hebraismum degustavit, præter Origenem & Hieronymum: qualem negligentiam & vertiginem in ullo profano literione aut Legum Doctore vix tolerassent; ut sc. fundamentales autores suos per interpretem tantum audivissent. II. Ignorantia solidæ & propriis conceptibus incoctæ philosophiæ in non paucis: quam quod ad physica passim notant recentiores in commentar. ad πρωτοκτίσια Geneseos, & in Disputationibus physicis. In Metaphysicâ, & Theologia naturali seu Pneumaticâ pauciissimi aliquid eximii præstiterunt. Augustinum supra omnes alios abstractione, subtilitate, perspicaciâ & judicio circa universaliissimos & generaliissimos conceptus omnibus scholasticis præluxisse docent potissimum scripta ejus contra Manichæos & Pelagianos, cum Enchiridio. III. Ignorantia & hallucinatio in historicis & chronologicis. Quam attingit *Casaubonus Exerc. 1. ad Baronium sect. 26.* & nos in *Disput. de Tempore Nativitatis Christi.* IV. Defectus acroamatici & Logici judicii atque artificii in analysi scripturæ ut & in genesi thematicâ, syllogisticâ, methodica: sive quod studia & exercitatio in illo genere ipsis deessent, sive quod illud fastidirent, quippe Rhetoricis & floridis dissertationibus plerique ex more sui sæculi magis intenti: Cum tamen acroamatico & concisè dis-

sertandi genere rebus Theologicis (in quibus etiam vera dicere periculosum est) sæpe melius consului ssent. v. Hinc frigidæ sæpenumero, si non ridiculę, curiosæ, fallaces, erroneæ, periculosæ, dubiæ, scripturarum interpretationes: ita universa necessariis & maximè perspicuis maximè impingant dum allegoriis & vanis conjectationibus suis inprimis circa ignota & doctè ignoranda tanquam scopulis adhæresc unt. Απαιδευσίαν & περιεργίαν eorum in absurdis conjecturis, & interpretationibus, non dissimulant recentiores, qui in commentariis suis ad scripturam varias aliorum interpretationes colligunt; quales *Maldonatus, Salmero, Lorinus, Ribera, Pineda, Serrarius* &c. & novissimus omnium *Corn. à Lapide*; ex nostris instar omnium *VVilletus in Hexaplis.* VI. Neglectus Theologiæ Theticæ; in cujus conceptibus ex scriptura formandis ac delineandis parum videntur laborasse: saltem vix ullum in isthoc genere tentamen hodie supereſt. Hinc factum, ut in scriptis homileticis sæpe de iis rebus videantur dissertare, quæ quid ipsis fuerint nos ignoramus; ita ut videantur de non Ente disserere: quandoquidem nullibi earum nomen & definitionem ex professò explicuerint. VII. Ακεσία in delectu argumentorum, quibus veritatem dogmatum probent contra adversarios. Nihil non arripiunt; ut numero potius videantur pugnare velle, quam pondere. Ita ut recentioribus in delectu adhibendo, & Augiæ illo stabulo repurgando non parum sit laborandum. Conferatur *disp. Francisci Gomari de Antichristo*, ubi aliquot nævi theologię patristicæ notantur.

7. Atributa *Negativa* sunt 1. quod non faciant legem, normam, aut regulam, nec primariam nec secundariam in interpretatione scripturæ & rebus fidei: de quo ex professo infra disputandum. II. Quod nullam faciant normam aut regulam prudentiæ (nec etiam semper exemplum) in constituendis, & gubernandis ecclesiasticis. Idem intelligendum de omnibus ritibus, & adiaphoris. Hic conferendę *disp. & problemata ad politiam ecclesiasticam, & ad secundum decalogi præceptum spectantia.* III. Quod consequenter nec ingenium, nec studium, nec libertatem abstulerint successoribus suis. Attributa *relata & comparativa* sunt 1. Quod Scholastici & qui eos sequuntur patribus præferendi sint in disputationibus de Deo, de Angelis, de homine &c. quę ex Theologiâ naturali illustrantur; ut & in accuratis distinctionibus & limitationibus in respõsione ad sophismata adversariorum. II. Quod iisdem longè præferendi Theologi Reformati, & qui eorum studio ac laboribus adjuti & excitati sunt ex Põtificiis (ut *Vatablus, Arias Mõtanus, Masius &c.*) in philologicâ seu verbali, & cõsequẽter in reali ac genuinâ scripturæ interpretatione. Cum enim phrasin scripturæ propriis oculis non viderent, quomodo feliciter ex analogiâ linguarum istarum de ejus interpreta-

pretatione judicare potuissent? *Origenes*, qui inter omnes cœcos hic luscus regnavit, pessimè tamen scripturam interpretatus est; adeo ut stupendæ sæpe si non detestandæ sint ejus obscurationes & detorsiones. De cujus scriptis quid statuendum, indicamus in *disp. de Christo* ἀυτοθεῷ. III. Iisdem recentiores non cedunt in positiva, didactica, seu systematica Theologia. Immo, quam multi eos longissimè superant? IV. Quamvis quidam nō vulgares fuerint in practicis & asceticis; nullos tamē ex iis video, qui ex fontibus scripturæ accedēte omnigenæ eruditionis & spiritualis experiētiæ apparatu tam liquidam, profundam, ac medullarem praxin proposuerint & pro concione fidelium conscientiis applicuerint, qualem plurimi Doctores Reformati, præsertim qui post Perkinsum ipsius in isthoc genere laboribus excitati, scripsere: quorum nomina alicubi indicamus. Quòd si hoc odiosum nimis videatur; velim modo ostendi quodnam scriptum eorum asceticum cum libello *Tho. à Kempis de Imitatione Christi* paria facere possit?

Restat agendum de usu & studio Theologiæ patristicæ. *Usus* est vel se- 8.
cundarius, vel primarius. *Primarius* est I. in commentationibus ad scripturæ quædam ἐναντιοφανῆ & difficilia, ubi in non paucis glaciem fregêre; uti compendio videre est in *glossa utraque interlineari* scil. *Anselmi Laudunensis*, & *ordinariâ Strabi Fuldensis*, ut & in *postillâ Lyrani*: ne quid dicam de *Thomæ Catena in Euangelistas* & recentioribus *Corn. à Lapide, Villeto* &c. ubi veterum interpretamenta aut exhibentur aut saltem indicantur. Sed aliud indicii & judicii compendium hic suppeditat *Hermanni Bodii Vnio dissidentium locorum scripturæ*, ubi conciliationes ἐναντιοφανῶν ex patribus. II. In moralibus & casibus conscientiæ: in quibus, ut erat ipsorum pietas & zelus, plerumque sectantur τὸ ἀκριβές: à quo utinam Pontificii aliique nonnulli recentiores tam facile non recederent, in casibus de Vsuris, choreis, comœdiis, vanitate in vestium & capillorum ornatu, idololatriâ indirectâ &c. III. In patheticis amplificationibus, & stylo concionum. Nam ut quis imitetur illos in materię inventione ac delectu, ejusdemq; dispositione & methodo, quod ad textus explicationem, deductā inde dogmatizationē & applicationem; nō postulat hæc ætas nostra, nec cuiquā autor essem. Longè aliter hodie artifices concionandi intellectui, memoriæ, & affectibus auditorum consulunt; & uberiores scientię & judicii scripturarii ac spiritualis fructus in iis per Dei gratiam producunt. IV. In Elencticis, seu responsionibus ad objecta adversariorum; imprimis Arrianorum, Nestorianorum, Monothelitarum, Novatianorum, Pelagianorum. Atque hi sunt usus eorum spontanei, & per se. Restat alius hodie, sed per accidens, & propter importunitatem Pontificiorum maximè frequens & necessarius; qui est. V. In Disputationibus de antiquitate & Catholicismo Doctrinæ. Vt

autem dextrè hic utamur patribus apud Pontificios, si qui literati sint aut haberi velint (nam frustra ferra patrum reciprocatur apud idiotas, qui quamvis stolidè & ineptè ad eos provocare solent, nullum tamen ex iis inspicere aut conferre queunt) nota hæc duo tibi præstanda. 1. *Si* ipsorum dogmata, & scripturæ interpretationes de ponte Catholicismi detrudendæ; aut si nostra ab hæreseos & novitatis crimine liberanda, nihil expeditius est, quam sententiam, aut interpretationem alicujus aut aliquorum patrum proferre: ita præjudicii velamen ipsis ilico sublatum erit; nisi contra conscientiam velint prævaricari, aut à propriis hypothesibus resilire. Sic fecere *Bucerus in Colloquio Ratisbonensi*, *Calvinus in præfat. ad Institutiones*, *Erasmus* passim *in Apologiis contra adversarios*. Testimonia patrum pro dogmatibus nostris (quæ à Pontificiis hodie oppugnantur) indicant junioribus *Backhofii Catecheses*, aut *Symphonia Catholica Polani*; explicant & defendunt *Iuellus*, *Plesseus*, *VVittakerus*, *Iunius*, *Chamierus*, *Abotus* &c. Interpretationes scripturarum indicat *Corn. à Lapide*. 2. *Sin* illi nos oppugnent, aut sua propagent, atque ita ad objecta eorum ex partibus (quamvis nos iis nec stemus, nec teneamur: atque adeo nullo jure nos ad responsionem adigere possint) respondendum sit: moneo juniores, ut ad hæc generalia ordine attendant & singulis objectis testimoniis prudenter atque accuratè applicent. *Primo*, expendat diligenter. An sit pater seu autor probatus & quidem ipsis Pontificiis, qui producitur. Sic enim ex. gr. Origenes, & larvatus Eusebius Emissenus, & similes quibus sancti nomen ante fuit tributum. *Secundo*, Quis sit textus patris, qui allegatur, originalis Græcus, an ex translatione: Si iste; non recipiatur in controversis, nisi consulto textu græco. Quantus hic translatorum defectus sit nôrunt, & conquesti sunt ipsi Pontificii, cit. à nobis *Desper. Caus. lib. 3. sect. 1. c. 7.* *Tertio* quæ sit editio textus originalis græci aut latini. Esse editiones aliquas suspectas, castratas, aut falsificatas in controversis; ostendimus *Desperat. Caus. ibid. & cap.* 11. *&* 12. *Quarto*, An tractatus seu liber nomine patris alicujus (ex. gr. Cypriani, Augustini, Chrysostomi &c.) editus, non sit nothus seu suppositititius. Hic succurret lectio *Coci*, aut *Riveti*, aut *Perkinsi*. Quod si quis memoriâ non teneat, aut libri illi ad manum non sint, inspiciat ipsam editionem patris, quæ in frontispicio aut in prolegom. plerumque indicat, quæ in operibus illis sint notha aut dubia. *Quinto*, An phrasis rectè exponatur ex usu istius sæculi, & autoris citati, aliorumque illi coætaneorum: hic proderit inspicere & consulere, aut scolia seu notas marginales ab editoribus adjectas, dictionariolia seu glossaria ad finem addita aut seorsim edita. *Sexto*, An realis sententiarum citat. interpretatio fiat consonè integro contextui suo, & reliquis scriptis

tis ejusdem autoris. Huc refer distinctiones, absolutè & secundum quid, item hoc vel illo respectu : quæ ex Conciliatoribus Theologicis, Iuridicis & Philosophicis petendæ. Confer quæ hic monet *Photius in Myrobiblo* 225. *pag.* 762. *Septimo*, An referat tantum aliorum sententiam, an vero stabiliat propriam : Item an factum, an vero jus : an abusum & errorem popularem, reliquias Paganismi, cacoëthes istius sæculi; an vero praxim & constitutionem ecclesiasticam : an præjudicatas & tunc plerisque Doctoribus frequentatas opiniones, an vero suam sententiam, quam recipiendam putet. Breviter an fit δόγμα; an συγκατάβασις. *Octavo*, an dubie, probabiliter, περιεργικῶς, & semel atque iterum quasi aliud agentes aut ex affectu & studio partium in eristicis, aut paræneticis, atque adeo in disputationis aut Rhetoricationis æstu hoc dixerint; an vero assertive determinantes, & serio ac perpetuo hoc inculcantes. *Nono*, An suam sententiam sic dogmatizârint; ut contrariam una damnârint & ex ecclesiâ proscripserint; an verò contra : an ut necessarium dogma, seu articulum fidei, seu consensum Ecclesiasticum & Catholicum dictârint; an verò ut sententiam solummodo suâ opinione veriorem. *Decimo*, An verba citata formam atque ideo systema erroris & novitatis Papalis; an etiam formam seu substantiam sententiæ nostræ, quam pater ille loco allegato aut probare aut improbare prætenditur, contineant; an verò affine aut cognatum quid. Quod imprimis est observandum. *Vndecimo*, An (siquidem nihil ex præcedentibus excipi & responderi possit) citatus autor faciat consensum patrum seu antiquitatis : & an hic propriam ac particularem opinionem suam; an verò dogma Catholicum non tantum ex suo, quam ex universali Ecclesiæ ac Doctorum sensu ac consensu proferat. Quod si ipse autor hoc asserat, an illi semper in hoc, aliisque omnibus dictatis fides sit adhibenda, & an Pontificii hæc, aliaque dictanti semper tantam fidem adhibeant. Quod si nobiscum Pontificii Cypriano asserenti suum Anabaptismum, & Augustino eucharistiam infantilem, tanquam dogma Catholicum, antiquum, Apostolicum, fidem non adhibent : cur nobis standum esset aut illis aut ullis patribus, siquidem contra veritatem scripturæ & consensum Doctorum, prætenderent Catholicismum. Breviter si prætenso allegati patris Catholicismo, non dico alios sed vel unum patrem ac probatum Doctorem opponere queam, qui contra sentiat; jam cadit ilico Catholicismus. Has & his similes exceptiones ad interpretationem patrum quotidie adferri à Pontificiis, liquet ex Elencticis & commentatoribus, & nos strictim indicamus *Desp. Caus. lib.* 3. *sect.* 1. *cap.* 2. *p.* 419. & *c.* 7. *p.* 469. *Secundarius usus* patrum est 1. in perpetuis notis ac comentariis ad textum scripturæ. 11. In ideâ & systemate Theologię positivæ. 111. In

idea & syſtemate Theologiæ poſitivæ. III. In delectu argumentorum, & claſſibus eorum digerendis, quibus theſeωn veritas demonſtretur, aut antitheſes oppugnentur. Ad tria illa quantillum illud ſit, quod plerique patres conferant, ex modo dictis conſtare arbitror.

9. *De Studio* Theologiæ patriſticæ nunc dicendum. Vt quis in curſu Academico, aut in miniſterii tyrocinio, immo vel primo quadriennio, aut quinquēnio, ex profeſſo & totum aut dimidiâ ex parte ſe det lectioni quorumvis patrum, nemini ſuaſerim. Quos velim in curſu Academico datâ occaſione evolvi & quantum in Theologiâ patriſticâ tunc præſtari, alibi indicamus, *lib.* I. *ſcil. de Exercitiis & bibliothecâ* &c. Primis annis miniſterii ſuffecerit. I. loca prēcipua quę in controverſiis Pontificiis coram doctis & indoctis hodie nobis objici ſolēt, in ipſis patribus legere & relegere, collatis *tum* antecedentibus & conſequentibus ejus tractatus, libri, homiliæ, epiſtolæ, unde verba allegantur; *tum*, aliis ejuſdem aliorum patrum dictis & ſententiis, unde controverſa allegatio lucem aliquam fœneretur. Manuducet hic *Perkinſi problema*: & *Molineus in Novitate Papiſmi*, *Chamierus in Panſtratiâ*, &c. ſimileſque Elenctici. Quod de patribus dixi, etiam de Conciliis intelligi volo. II. Ad theſes theticæ Theologiæ tum dogmaticæ tum moralis (nominatim quas hodie cōtroverſas faciunt aut Pontificii, aliique ſectarii, aut popularis carnalium hominnm error & inundans abuſus) conſenſu patrum ornandas, teſtimonium unum atque alterum ex indicio *Perkinſi*, aut *Polani*, aut *Backhoſii*, quod maximè ſtringat, ſeligere, illudque in ipſo autore legere, & collatione eâdem, quæ ſupra, adhibitâ expendere. III. Ad locorum ſcripturæ pro dogmatis Papiſticis, Vbiquitiſticis, Neo-Pelagianis &c. objectorum (in quibus ſcil. prēſidium cauſæ ponunt adverſarii) interpretamenta patriſtica, quæ prætenduntur, examinanda, ipſos patres conſulere, & ſiquidem talem interpretationem habeant, cum aliis ipſorum aliorumque patrum dictis & interpretamentis ſive ad eundem, ſive ad parallela aut concordantia ſcripturæ loca conferre. Et hic indicii ac manuductionis vicem præſtabit recentior aliquis commentator Pontificius, vel ſolus *Corn. à lapide*: quamvis candorem minus, quam alii, adhibeat. IV. Locorum ſcripturæ, quæ nos pro theſibus noſtris opponimus adverſariis, interpretamenta patriſtica, ſi quæ in eundem ſenſum eant, haut ita neceſſe erit in ipſis patribus legere & expendere; Habes ea apud *Thomam*, *Cajetanum*, *Ianſenium*, *Pererium*, *Toletum*, *Lorinum*, *Zanctium*, *Ribera*, *Pineda*, *Salmeronem*, *Corn. à Lapide*, aut ſimilem aliquem ex recentioribus, qui indicare ſolent varias interpretationes. V. Locorum ſcripturæ difficilium & ἐναντιοφανῶν conciliationes, aut etiam aliorum quorumvis interpretationes, hoc tempore in patribus ipſis legere & examinare,

minare, itidem minus neceſſarium. *Conciliationum index à Bodio ſupra cit.* concinnatus nunc ſufficiat: niſi de quibuſdam controverſia ſit. Idem dico de patrum ſententiis in quorumvis locorum expoſitione: ubi ſufficerit indicium haberi ex *Thomæ catenâ*, aut *à Lapide*, aut *VVilleto*. Sit ergo ſtudium, lectio & impreſſio patrum triplex *Prima*, in curſu Academico: ad hæc (ſiquidem hic curſus contractior ſit) in primo biennio miniſterii. *Secunda*, quæ quaſi eclogaria (quam modo deſcripſimus) à principio, aut à *tertio* anno miniſterii, uſque ad ſextum, aut ſeptimum. *Tertia*, deinceps. Quæ erit *partim* occaſionata, cum ſcilicet aut adverſarii provocatio & oppugnatio, aut alia quæcunque ſtudiorum privatorum aut concionum habēdarum ratio ad hos aut illos ſive patres, ſive patrum tractatus perlegendos invitat: *partim*, ſtata & certo ordine ſuſcepta, quę ſelecta ſelectorum patrum opera & tractatus ſubceſivis horis à capite ad calcem percurret, alternatim ſcil. *Elenctica*, qualia imprimis Athenagoræ, Iuſtini, Tertulliani, Clementis Alexandrini, Origenis, Euſebii, Lactantii, Amobii, Theodoreti contra Gentiles, Iuſtini, Tertulliani, Chryſoſtomi contra Iudæos, Athanaſii, & Hilarii contra Arrianos, Auguſtini contra Manichæos & Pelagianos &c., *Moralia* & oratoria, qualia Cypriani, Chryſoſtomi, Baſilii &c. *Hiſtorica*, qualia Epiphanii, Hieronymi, Auguſtini nonnulla. Omnia & ſingula ſingulorum, ut quis noctes dieſque evolvat, non magis à Theologo exigendum, quam ut legat omnes Scholaſticos, aut ſcriptores recentes, in quorum tamen lectione & Theologiâ ideo hoſpes non eſt dicendus. Quomodo in latinâ aut græcâ linguâ hoſpes non eſt dicendus, qui omnes & ſingulos autores ſibi familiares non reddiderit.

DE PATRIBUS, SEU ANTIQUÆ ECCLESIÆ DOCTORIBUS.

PARS ALTERA.

Reſp. CORNELIO P. F. vander LINGEN

Ad diem 20. *Junii* 1640.

PRæmiſſis præcognitis de Patribus, ad capitalem controverſiam deveniendum, de autoritate ſcil. & uſu patrum in rebus fidei. Vt ſtatus controverſiæ rectè conſtituatur, & per aliquot concluſiones determinetur, removendæ prius *calumniæ*, quibus ſtatus controverſiæ à parte noſtra; & *incruſtationes* ac *prævaricationes*, quibus idem 1.

dem à parte adversariorum involvitur atque obscuratur. 1. *Calumniæ* sunt partim Pontificiorum : partim nonnullorum ex novatoribus in Ecclesiis Belgicis, quorum ἀπαξίαις anno 1619. per ecclesiasticam & Politicam potestatem fibula imposita est; partim ex novatoribus hodiernis, qui novum alicubi Remonstrantismum & Papismum specioso patrum prætextu haut obscurè moliri videntur. 1. Pontificii hyperaspistæ clamant passim, nos patres plane rejicere, & doctrinæ ab ipsis traditæ διαῤῥήδην repugnare : sic *Canus locor. Theolog. libr. 7. cap. 2.* ubi ait, *moliri Lutheranos ut authoritatem sanctorum de gradu dejiciant. Lessius in Consult. cons. 8. Campianus Rat. 5. Possevin. biblioth. libr. 5. cap. 29. & 26.* ubi nostris impingit, quod non *sine causa patres nunquam ex professo in scholis exposuerunt, nec libenter aut incorruptè unquam eos ediderunt &c.* Becanus in prælud. ad Manuale num. 2. *quod agnoscunt se recedere à communi sensu ecclesiæ & patrum.* 2. Ex novatoribus Remonstranticis Grotius in Pietate illustr: Ordinum Hollandiæ. p. 15. *Dixisses ita reverentem esse antiquitatis, ut non ad sola Calvini ac Bezæ &c. nomina stupeat, Græcos autem latinosque patres ferociter comtemnat &c.* Ita more causidicorum, qui malâ causam agunt logis & calumniosis dicteriis innoxiam ecclesiam Belgicam (cujus ipse membrum & filius tunc erat) flagellat; cum legibus, testimoniis, & argumentis urgere nequiret. Quæ ecclesia Reformata, quis probatus Doctor aut scriptor ferociter omnes patres contemsit? ede autorem, librum, caput, paginam? Quo autem consilio & quam feliciter Vorstio & suis Remõstranto-Socinianis patres prętenderit; docuerunt eũm Antagonistæ *Bogermannus, Lubbertus, Sopingius*; & ipse proprio indicio postea cœpit prodere in libris *de Iure pacis & belli*, & *de Veritate religionis Christianæ* tandem *in notis ad Cassandrum* earumque *apologiis contra Rivetum, & in notis ad V. ac N.T.* quæ post primam hujus nostræ disp. editionem prodierunt. Sed opponimus ipsi sociorum Remonstrantium rotundam confessionem, Apolog. cap. 2. *Vanum est, quia purior & impurior antiquitas nonnisi inanes voces sunt. Puritatem & impuritatem quisque pro arbitrio suo & prout usu venit, æstimat.* Et in dedicat fol. 3. *Quare nec pro dignitate &c. ut declarationem Remonstrantium non tam erroris convincerent, quam similitudinis cum iis quos errasse olim antiquitas, & nunc communis credit opinio. Hoc eorum est qui cum causæ suæ diffidant, adversarios suos speciosis autoritatibus* &c. Cætera quam reverentes sint antiquitatis docet passim *Apologia*, & *Responsum ad DD. Profess. Leidens. & Vindiciæ*, & vernaculus libellus **Den rechten Remonstrantschen Theologant**: quotiescunque in iis disputant contra Arrianismi, & Socinismi rejectionem ac condemnationem, quam orthodoxi ab illis postulant. 3. Novatores quidam hodierni, qui alibi prætextu piæ antiquitatis, antiquæ Ecclesiæ, patrum, traditionum apostolicarum aut antiqua-

rum,

rum, reformationem tanto sudore piorum prædecessorum ibi plantatam & sanguine martyrum rigatam, quantum in se est Remonstranticis & Papisticis sordibus studeant deformare: nec hoc tantum, sed & omnes alias ecclesias reformatas passim contemnere, plerasque novitatis, nonnullas ἀταξίας traducere. Vbi quidem vexillum publicè extulit *Richardus Montacutius* in libellis vernaculis tit. *Appellatio* &c., imprimis etiam *in Exercit. ad Baronium*: tit. *Apparatus* & *Origines Eccles.* de quo alibi. Secuti, sunt eum complures alii, aut pari passu cum eo ambulârunt, quidam etiam illum superârunt, quorum scriptorum catalogum contexuit, & cimelia Papistica excerpta lectori exhibuit doctiss. *autor anonymus* (quem post primam hujus disp. editionem deprehendi esse ministrum Scotum) Libri vernaculi, cui tit. *Ladensium* Αὐτοκατάκειτος, Sed vide modo *præfationem Montacutii ad Apparatum*, & quæ ex libro illo notavi in *Disp. de Tempore Nativitatis Christi.* Et imprimis nota eos Reformatis, nominatim Genevensibus detorsionem & corruptionem patrum impingere, Vide *Montacutii appar.* 1. *p.* 19. ubi stomachatur in Genevēses typographos, quasi nihil ab illis exspectari possit, *præter fraudes, fucos, & præstigias.* Et nominatim in *Nicol. Vedelium Ignatii* editorem: qui pro se respondit *in præfat. ad tract.* suum *de Deo synagogæ.* 11. Nos calumniis & dicteriis Pontificiorum, & si qui hodie eos sequuntur opponimus, & doctrinam & praxim nostrorum à primâ reformatione usque in hunc diem. Quanti *Bucerus*, *Melanthon*, *Oecolampadius*, *Victor. Strigelius*, *Musculus*, *Bullingerus*, *Lavaterus*, *Martyr*, *Calvinus*, *Beza*, *Iuellus*, *Math. Flacius Illyricus*, *Chemnitius*, *Bened. Aretius*, *VVittakerus*, *Zutlivius*, *Raynoldus*, *Zanchius*, *Tossanus*, *Fr. Iunius*, *Hospinianus*, *Zadeel*, *Plessæus*, *Sultetus*, *Perkinsius*, *Back-hofius*, *Georgius & Robertus Abotii*, *Pelargus*, *Polanus*, *Iac. Vsserius*, *Georgius Downam*, *Aubertinus*, *Iac. Laurentius*, *David Blondellus*, *Lancelotus Andrews episc.* *VVintonienses*, *Gerh. Iohannis Vossius*, *Andr. Rivetus*, *Petrus Molineus*, *Daniel Chamierus*, *Ioh. Forbesius*, *Thomas Mortonus*, *Ioh. Davenantius*: fecerint patres, docent scripta eorum didactica & polemica, & commentaria in scripturam. Nec prætereundi inter Anglos Theologi, qui suâ linguâ Pontificios ex patribus oppugnârunt, quales *Francis.* *VVitte Featly*, *Robertus Abotus*, *Thomas Iamesius* &c. Ante omnes videndi, *Hyperius de studio Theologico lib. 4. c. 9.* & quicunque alii, qui de methodo illius studii, aut de Rhetoricâ Ecclesiasticâ, aut de ratione interpretandi scripturam quidquam commentati sunt Confer *tract. Ioh. D'Aillé de usu patrum*, gallice. Imprimis congitandum viros doctos in reformatâ aut Protestanticâ Ecclesiâ viventes tam multa scripta patrum edidisse aut ea notis Illustrasse, ut Basilienses, qui ediderunt monumenta patrum orthodoxographa anno 1555. Tigurini, qui anno 1559. græcorum quorun-

dam patrum opuſcula; *Gualtherus*, & *Goulartius*, quorum ille *Theodoretum de providentiâ* latine, iſte Gallicè tranſtulit. *Iunius* qui *Tertullianum*; *Goulartius* qui *Cyprianum*; *Hoeſchelius*, qui *Origenis Philocaliam*, *Chryſoſtomum contra Iudæos*; *Xiſtus Betulejus*, qui *Lactantium*; *VVeitſius*, qui *Prudentium*; *Savilius*, qui *Chryſoſtomum*; *Elmenhorſtius*, qui *Gennadium* & *Arnobium*; *Heraldus* qui *Tertulliani apologeticum*, *Minutium Felicem*, & *Arnobium*; *Iuſtellus*, qui *Codicem canonum eccleſiæ Vniverſæ*, & *Eccleſiæ Africanæ*, & *Photii Nomocanonem*; *Danæus*, qui *Auguſtini Enchiridion*, & *de Hæreſibus*; *Heinſius*, qui *Clementem Alexandrinum*; *Sylburgius* qui *Theodoretum de curationibus græcor. affect.*; *Laurentius Ludovicus*, qui *ejuſdem Dialogos*; *Rittershuſius*, qui *Salvianum*; *Beza*, qui *dialogos Athanaſii*, *aliaque veterum ſcripta contra Arrianos*; *Henricus Stephanus*, qui *Atheganoram*; *Caſaubonus*, qui *epiſtolas aliquot Nyſſeni*; *Molinæus*, qui *epiſtolam ejuſdem de Euntibus Hieroſolymam*; *Coppenius*, qui *Oecumenium* (quamvis hic æquivocè pater dicatur) *in epiſtol. Canonicas*; *Lucas Loſſius*, qui *Alcuinum de Trinitate cum commentariis*; (quamvis & hic impropriè pater dicendus ſit;) *Vulcanius*, qui *Cyrillum Alexandr. contra Antropomorphitas*, & *de Incarnatione*; *Montacutius*, qui *Orationes Nazianzeni in Iuliam*; *Ieremias Stephani* & *Oxonienſes*, qui *Cyprianum de Vnitate Eccleſiæ*, & *Gregorii Magni Paſtorale*; *Vedelius*, qui *epiſtolas Ignatii*; *Iac. Vſserius*, qui *eaſdem epiſtolas Ignatii*; *Meurſius*, qui *Arnobium*. Vt nihil nunc dicam, de lexico ejuſdem *Græco-Barbaro*: De *Bonnefidii* & *Leunclavii Iure Orientali*; de *Scaligeri Euſebianis*, & *de Emendatione temporum*; de *Salmaſii Eccleſiis ſuburbicariis* & *diatribis ad Tertullianum de pallio*, & *diſſertatione de Epiſcopatu contra Petavium*, & *tract. de Vſuris*; de *Caſauboni Exercitationibus ad Baronium*, *Centuriis Magdeburgenſium*, *Illyrici catalogo teſtium Veritatis*; De *Seldeni comment. ad Eutychium Alexandrinum*; De *Gothofredi comment. ad Philoſtorgiũ*; De *Conr. Rittershuſii lectione ſacrar. libris ſeptem*; De *Samuelis Petiti* & ſimilibus miſcellaneis, quibus antiquitates eccleſiaſticę haut parum illuſtrãtur. Hos ex iis, qui mihi ad manum, nunc in hâc feſtinatione ſtudioſis noſtris indicare volui; vel ideo imprimis, quod nomina eorum in *Poſſevino*, *Senenſi*, *aliiſque patrum indicibus*, & *bibliothecis* (quæ à Pontificiis edi ſolent) nuſquam compareant, niſi forte in *Indicibus Expurgatoriis*. De *Euſebio*, *Sulpitio*, aliiſque hiſtoricis eccleſiaſticis à noſtris editis, hic non eſt dicendum. Conferatur *bibliotheca noſtra theolog. lib. 2. ſect. 2. c. 7.* Patet ergo quod patrum labores minime contemnamus. 11. *Prævaricatio*, *vertigo*, & *contradictio*, à parte Pontificiorum non una eſt. Modo ajunt, modo negant (vide vel ſolum *Canum lib. 7.*) modo nihil fere, modo aliquid patribus in hâc aut illâ particulari controverſiâ tribuere videntur; modo hodiernam eccleſiam, aut nova concilia, aut Papam Romanum præferunt conſen-

consensui omnium patrum & totius antiquitatis ; modo rursum antiqua hodiernis , sanctos patres profano huic sæculo præferre videntur ; modo distingunt patres à traditionibus , & hæc utraque ab ecclesiæ definitionibus ; modo omnia illa miscent & confundunt. Similis tergiversatio & digladiatio evenit illis circa determinandum consensum patrum , & quis & qualis sit ; de quo infra. Sed constituamus certas aliquot opiniones , quæ dogmaticè & speculativè ab illis asseruntur (nam in praxi & applicatione patrum autoritatem extollunt , aut deprimunt , prout ipsis usui venerit): sunt autem illæ tres. Duæ extremæ , & una media. 1. *Extrema* una est glossatoris c. *Noli meis* dist. 9. *loquitur hic secundum illa tempora , cum ad huc scripta Augustini & aliorum sanctorum patrum non erant autentica: sed hodie jubentur omnia teneri usque ad ultimum jota.* Et lemma marginale habet ibid. *Scripta sanctorum sunt ad unguem observanda.* Quam opinionem ex professo perstringit *Melchior Canus lib. 7. c. 3.* & *Alphons. à Castro adv. hæreses lib. 1. cap. 7.* Ab eâdem etiam non obscurè discedunt *Possevinus in appar.* & ii , quos ibid. citat ; quibus adde *Gregorium de Valentia tract. de Analys. lib. 8. c. 8.* breviter omnes illos , qui mediam sententiam sequuntur. Sed viderint illi quantum privatæ ipsorum autoritati hic tribuendum : cum glossa hæc nullam censuram sub Pio v. anno 1572. aut sub Gregorio xxi. 1580. subjerit. Habeatur ergo hæc opinio tantisper Papistica , donec publicâ autoritate condemnetur. 2. *Altera* extrema est *Cajetani*, quæ sentit nec unius nec aliquorum , neque multorum patrum concordem scripturæ interpretationem præjudicare debere alium & veriorem sensum ex scripturâ afferenti. Vid. *ejus præfat. in Pentateuchum.* Hanc opinionem perstringit *Canus loc. cit.*, & *Pererius in Gen. c. 1. 4. reg.* præmissis explicationi suę. 3. *Media* est recētiorum, quæ putat , communem omnium patrum scripturariam interpretationem certissimum Theologo argumentum præstare , & ab eâ non discedendum. Sic *Canus, Valentia, locis cit.* Idem innuunt , *Stapletonus, Bellarminus, Suarez* aliique Elenctici & Scholastici , & passim *Concil. Tridentinum* : quin etiam *Cassander* (quem hodie resossum velint nonnulli) *in tract. de officio pii* &c. *pag.* 6. 7. Sed in varios ramos opinio hæc rursum dividitur. Sunt enim , qui plures patres , uni atque alteri aut paucioribus sic præferendos putent , ut hi credantur habere veritatem & fidem catholicam , illi vero versari in errore. Sic *Valentia loc. cit.* & ante eum *Waldensis cit. à Cano.* Alii , restringunt; siquidem pauciorum aut aliquorum sententia ab Ecclesiâ fuerit rejecta; alioquin ex plurimum autoritate nihil certò posse concludi. Sic *Canus loc. cit.* Alii præcipuis , aliquibus ex quâque mundi plagâ , immo & sex , denique & uni (siquidem affirmet se non suam propriam, sed communem ecclesiæ sententiam proferre) standum esse ajunt. Sic Antagonista noster

Corn. Ianſenius tunc Theolog. Lovanienſ., & paulo poſt Epiſcop. Iprenſis in *Spongiâ cap. 5. p. 45*. Obſervandum etiam diſtingui ab illis Theologica, à philoſophicis, & in illis fundamentalia à non fundamentalibus: in illis potiſſimum aut ſolum valere prætenſam autoritatem patrum. Poſtremò monendi ſunt rudiores, latere apud recentiores Elenchticos (inter quos *Becanus in præludio ad compend. Manualis* §. 1. Hunc anguem in herbâ quod cum patribus autoritatem tantam tribuere videtur, eamque nobis & ſubditis ſuis Gorgonis inſtar objicere, adjicere plerunque ſolent eccleſiam (hoc eſt Papam Romanum) cujus judicio dogma aliquod patrum ſtet aut cadat; immo antiqui Doctores patres ſint aut vitrici. Quod myſterium pandit *Cornelius Muſſus* Epiſcopus Bituntinus, alibi nobis cit. & *Gretſerus in defenſ. Bellarmini de Pontif. lib. 3. c. 10.* imprimis etiam *in tract. de More & modo corrigendi* &c. Zwarez in 3. com. 1. qu. 2. art. 2. diſput. 42. ſect. 1. *Definitio*, inquit, *Pontificis omnino vera eſt: & ſi dictis omnium ſanctorum eſſet contraria, illis eſſet præferenda* Bellarmin. lib. 4. de Pontif. c. 5. *Si Papa erraret, præcipiendo vitia vel prohibendo virtutes, teneretur Eccleſia credere vitia eſſe bona, & virtutes malas: niſi velit contra conſcientiam peccare.* Gretſeri, aliorumque verba exhibemus *Deſper. Cauſ. lib. 3. ſect. 1. c. 11. p. 496. & c. 12. p. 520. 521. 522.* Non deſunt etiam qui cum fateantur patres, Doctores ſcholaſticos, immò & Papas ſtare ab utrâque parte controverſi dogmatis, non numero aut majoris partis conſenſu, ſed ſcripturâ & Conciliorum decretis in partem amplectendam ponderari volunt. Sic Chriſtophorus à Capite Fontium in Tract. de Neceſſ. correctione Theol. Scholaſt. p. 123. *Certè videbo* (inquit) *cujus ſententia magis cum ſcriptura, vel conciliorum decretis conveniat, & illam ſequar.* Atque hæc concordia diſcors, & labyrinthus errantium Papiſtarum.

2. Nos remoto ſupparo calumniarum, & τῶν κενώτων τῆς ἀισχύνης, noſtram ſententiam iſtis concluſionibus determinamus; quarum ſeptem priores erunt poſitivæ, tres poſteriores negativæ. Sit ergo 1. Patrum orthodoxiam in ſummis & fundamentalibus, adhæc ſanctitatem, zelum, laborem, etiam eruditionem (in aliis ſummam, in aliis majorem, in aliis mediocrem, in nonnullis inferiorem pro difficultate illorum temporum, aliiſque incommodis & defectibus) agnoſcimus. II. Eos tanquam mutos magiſtros & communes præceptores audimus; & laboribus eorum pro re natâ libenter utimur ad ſtudium ac profectum noſtrum in rebus fidei: Vti diximus *diſp. hujus parte priori.* III. Inſuper eorum conſenſu non parum gaudemus. IV. Quin & in dubiis, obſcuris, ac controverſis quæſtionibus (quarum veritatem ex ſcripturâ adhuc quærimus, nondum deprehendimus) conſenſus illorum præjudicio tanto apud nos præponderat, ut à poſteriori pro illâ ſentẽtiâ potius quam pro alterâ validis præſumptionibus

nibus animum noſtrum occupari & detineri velimus; ut etiam à rejectione illius ſententiæ & oppoſitæ vel leviſſimâ receptione tantiſper abſtineamus & integros nos ſervemus; donec ſcripturæ ſententia nobis liquida ſit. v. In fundamentalibus de Deo uno & Trino, de Chriſti perſonâ & officiis, aliiſque inde dependentibus, ut & in doctrinâ de virtutibus & vitiis per totum decalogum, eorum conſenſum nunquam poſt habemus, ſed ſimplicitati ſcripturarum ex abundanti, & ſecundo loco (primo tamen loco in genere teſtimonii humani & Eccleſiaſtici) ſubjungimus. Nunquam enim deprehendemur rejeciſſe in illis aliquem catholicum conſenſum, de quo verè dici poſſit, illud Lyrinenſis: *Quod omnes, quod ubique, quod ſemper.* In ceremoniis, ritualibus, politicis eccleſiaſticis, & ſimilibus ad ſuorum hominum circumſtantias aut determinatis aut ſaltem uſurpatis, alia longè eſt ratio: nec ipſi Pontificii ad illum modulum ſua efformari aut revocari velint. vi. Eorum παραράματα & nævos in phraſibus, dictatis, problematis toleramus tegendo aut excuſando, ubi & quando id fieri poteſt. vii. Quod ſi graviores & periculoſi ſint errores, malumus tamen propter virtutes eorum in benigniorem partem de illis ſentire aut ἐπέχειν, quam hæreſeos aut ſyncretiſmi cum hæreticis, ſciſmaticis peremptoriè eos condemnare, aut in vitricorum claſſem redigere; aliter ac Pontificii, cum de Tertulliano, Origene, Cypriano, Theodoreto, Hieronymo, immo de integris Conciliis Vniverſalibus (ex. gr. Chalcedonenſi) judicare ſolent. Vide *Iac. Laurentii Reverentiam patrum*; & noſtram *Deſper. cauſam Papatus.* viii. Patres non ſunt aut principium, aut norma fidei, nec judex ſupremus infallibilis in controverſiis de fidei dogmatis, & interpretatione ſcripturæ: uti vult praxis & pretenſio vulgaris Pontificiorum, & exſertè id defendunt autores eorum ſupra cit. ix. Per conſequens, non ſunt idonei judices controverſiarum, quæ hodie inter Pontificios & Catholicos agitantur uti prætendunt *Campianus rat. 5. Perronus in Reſponſo ad Regem Magnæ Britanniæ*, aliique polemici. x. Nedum, ut ſit tutiſſima, facillima & expeditiſſima via per patres & hiſtoricos eccleſiaſticos inveſtigâdi veræ fidei & eccleſiæ antiquitatem, catholiciſmum, ſucceſſionem: ſaltem longè tutior & facilior, quam ſi quis veram fidem & eccleſiam quærat in ſcripturis. Quod eſt παράδοξον antagoniſtæ mei Ianſenii, à me excuſſum in *Deſp. Cauſâ Papatus. lib. 3. ſ. 1. c. 7. 8.*

Sed pro tribus poſtr. concluſionibus (pro reliquis enim haut opus) argumenta annotemus, ſeu potius claſſes eorum digeramus & ſtudioſis noſtris communicemus. Sint ergo pro octavâ concluſtæ 1. Quia ſola ſcriptura eſt principium, norma, & canon fidei; eademq; eſt ſola ſententia ſupremi judicis, & ſic metonymicè judex infallibilis: quippe quæ ſit verbum Dei, in quod ultima fidei analyſis. Ergo nō patres ſunt, ſive ſeorſim, ſive cū ſcriptu- 3.

ra (ſupra ſc. aut infra eam) tanquam ejus interpretes conſiderentur. Antecedens prob. in controv. de Scriptura. II. *arg.* Quia teſtimonium patrum eſt humanum, & autoritas illorum merè humana, & argumenta inde deducta pariunt tantùm probabilitatem: atqui principium & norma fidei eſt veritas & revelatio divina: Prius in confeſſo eſt apud Scholaſticos ad *Thomam* 1.*qu.* 1.*art.*8. Poſterius, ſolidè probant non tantum noſtri, ſed & ipſi Scholaſtici quos ſequuntur recentiores Pontificii, alibi nobis cit. Videat qui compendio ſtudet *Becani Theol.Scholaſt.*, aut ſi quem habet commentatorem, *Cajetanum, Bannes, Vaſquez, Valentiam, Sylvium, Malderum, ad Thomæ loc.cit.* & *ad* 22.*qu.* 1.*art.* 1. III. Quia de facto, in quam plurimis patres 1. apertè errarunt, 2. obſcurè, impeditè, impropriè, periculosè locuti ſunt. 3. ſibi ipſi & aliis contradixerunt. 4. & quidem non tantum ſinguli, ſed ſæpe aliquo numero, nonnunquam æquali cum orthodoxis, immo majori atque adeo communi conſenſu; ſiquidem illam ætatem, aut ſæculum reſpiciamus. Ergo non ſunt norma, aut judex &c. Antecedentis probationem non eſt quod moliamur, cum laborem hunc ademerint nobis Pontificii; 1. ſcriptis Polemicis inter alios *Bellarminus*, qui in plurimis controverſiis indicat diſſenſionem patrum à Pontificiis in interpretatione ſcripturæ, in qnæſtionibus controverſis &c. 2. In commentariis ad ſcripturam. 3. In editionibus patrum, ubi notas, ſcholia, cenſuras &c. additas videbis. 4. Indicibus expurgatoriis, ex.g. *Hiſpanico* poſteriori à *Turretino edito*, ubi vide excerpta quædam in principio lectori exhibita. 5. In hiſtoriis, ex.gr. *Baronius in annalibus* paſſim. 6. In monitoriis, antidotis, bibliothecis, obſervationibus &c. e.g. *Billius in Obſervationibus ſacris, Sixtus Senenſis bibliot. ſanctæ lib.* 5.*annot.* 170. 171. *& lib.* 6. 7. *Lipomanus in proleg. ad Catenam in Geneſin, Ribera præludio ad comment. in Hoſeam, Bellarminus de ſcriptoribus eccleſiaſticis, Salmero in prolegom. ad Euangelia, Poſſevinus in Bibliot. lib.* 5.*c.* 5. 6. &c. ubi etiam citat alios ſive cenſores ſive antidotarios; Idem in *apparatu ſacro* ad vocem *Pater*: & ſic paſſim ad nomina ſingulorum patrum: cujus ſolius collectanea ex aliis omnibus poterunt Ἀγχιστοφίλοις noſtris ad primam ſtudii patriſtici impreſſionem, & hujus argumenti noſtri deductionem ſufficere. Si cui iſta perrimari nõdum animus aut otium eſt, cõſulat interea ex noſtris *Rivetũ in Critici ſacri prolegom.* & in *Catholico Orthod*, alioſque infra citãdos, qui non pauca ex illis excerpta exhibent. Quod autem dixi de majori numero patrum, aut communi quaſi conſenſu pro errore aliquo: id exemplis de chiliaſmo, de euchariſtia infantum, de igni quem in fine mundi tranſituri eſſent fideles &c. apud eoſdem autores tum Pontificios tum noſtros probatum habes. IV. *Arg.* Quia pauca patrum ſcripta habemus, imprimis ex antiquiſſi-

quissima antiquitate (trium scil. sæculorum) quæ apostolicæ ætati erat proxima, & consequenter minus à primæva simplicitate & integritate recesserat: sive quod tunc parum scripserint, sive quod pleraque interciderint. Adhæc sequentium sæculorum usque ad sextum, non pauca interciderunt, præterquam, quod multi Doctores (forte reliquis doctrina & sanctitate pares, si non superiores) non scripserunt. Denique quæcunque exstant, non sunt Doctor. in toto orbe Christiano, (qui euangelium ab apostolis & viris ac discipulis apostolicis jam acceperat) sed tantum Doct. & ecclesiarum in imperio Romano. Ergo patrum scripta quæ exstant, non possunt esse sufficiens norma, & universalis, supremus atque infallibilis judex. v. *Arg.* Quia ex patribus, & scriptis patrum, quæ hodie prætenduntur tam multa sunt notha; nec certò constare potuit hactenus (nequidem in Papatu communi & irrefragabili credulitate Papisticâ) quænam sint scripta genuina & indubia. Quod per partes ita probatur, 1. quia, tot scriptores fuerunt ante hac titulo sanctorum & patrum publicè ornati & agniti, qui nunc tanquam heterodoxi aut indigni à recentioribus rejiciuntur: catalogum eorum alibi texui. 2. quia scripta genuinis patribus tam multa supponuntur, & cum operibus eorum eduntur: quæ alii recipiunt, alii ea rejiciunt, alii de iis dubitant: de quibus consulendi *Cocus*, *Rivetus*, *Sixtus Senensis*, *Bellarminus*, *Possevinus*. 3. quia nunquam finis est, nec certus numerus constituitur scriptorum, sed quotidie adhuc nova prodeunt, aut exspectâtur, aut etiamnum latere putâtur in potëtiâ bibliothecæ alicujus, si nõ heuretici alicujus ingenii. Ita prodierunt ante paucos annos, nõnulla *Nyssæni*, *Opera Greg. Neo-Cæsarienſis*, *Tertullianus ad Nationes*, *Dulciloquia Augustini*, nõnulla *Cyrilli Alexandrini* &c. & nuper *Clementis epistola, ad Corinthios*: quã tãtopere quidã Ἀρχαιομανῆται nunc admirãtur, ac si quintum Euangelium reperissent. Nuperrimè scripta *Iohannis Hierosolymitani*, quæ editor vindiciis ipsam molem autoris superantibus oneravit. Confer *Possevinum* passim *in apparatu*; & *catalogos bibliothecarum* ibidem in fine additos. Ne quid nunc dicam de antiquorum scriptis, quæ linguâ Æthiopicâ, Armenica, Syriaca, Persica, Coptica (& qua non?) exstare putantur. Meminit *Kircherus in Copto Prodomo cap.* 8. *p.* 193. 194. 195. jam in nassam Vaticanam, aliasque bibliothecas Romanas nonnulla collecta esse, antiqua volumina liturgiarum seu Missalium, ritualium, Martyrologiorum Copticè ibi exstantium; quæ proculdubio dicentur antiquissima. Poslevinum *de operibus Ephrem Syriacè* novi quid inaudiisse retulimus *præced disp.*: *Perronum de canon. Concilii Niceni.* Æthiopicè, in *Desp. caus. Papatus*. Cum ergo hujus infiniti potentiâ nullus sit finis, sequitur patres non esse certam normam, aut infallibilem judicem. VI. *Arg.* Quia ut ut certi sint patres,

tres, & certa eorum ſcripta: tamen tam incertę ſunt eorum editiones non tantum in verſionibus, ſed etiam in originalibus. Nam 1. *Verſiones*, quibus pleriq; hodie à literatis; & theologis pleriſq; (ſaltem Pontificiis) leguntur, & legi poſſunt in non paucis ſunt corruptæ, mutilæ, obſcuræ, incertæ. 2. *Multæ* editiones typis expreſſę partim ignorātia, partim fraude multipliciter ab ānis aliquot ſunt corruptæ & quotidie magis ac magis corrumpētur: uti indicavimus *Deſper. Cauſ. lib.* 3. *ſect.* 1. *c.* 7. & 11. præſertim cum patres expurgandos, hoc eſt, falſificandos apertè defendant, *Ibid.* & egregia ſpecimina ediderint in Cypriano, Auguſtino, aliiſque à *Thoma Iameſio* (*tract.* ſæpe *laudato*) notatis. *Codices* M.SS. latini, præſertim Græci *tum* qui in bibliothecis Græciæ adhuc hodie ſuperſunt, *tum* qui in bibliothecas Occidentales inde illati ſunt; quam immunes ſint à corruptione, docent ipſi Pontificii à me *loc. cit.* indicati. Addo nunc *Sixti V. conſtitutionem* (apud Quaranta in Summâ Bullarii, ſeu Conſtitut. Pontif. p. 256.) de congregatione Cardinal. pro typograph. Vaticanâ, ubi prætexens mendoſas patrum impreſſiones & editiones ab hæreticis coinquinatas, ſancit dandas ab eruditis ex collatione exemplarium &c. editiones emendatas, hâc conditione: *ſi graviores dubitationes, & difficultates in veterum codicum autoritate, librorum correctione, & emendatione inciderint, rebus prius in congregatione examinatis ad nos referant, ut in lectionum varietate id, quod orthodoxæ veritati maxime conſonum erit* (N.B.) *ex ſpeciali Dei privilegio huic ſanctæ ſedi conceſſo, ſtatuamus.* VII. *Arg.* Quia tam multa ſcripta patrum (adde Conciliorum & hiſtoricorum) etiamnum ſuperſunt; ut videri non poſſit quando & quomodo homines literati & Theologi (ne dicam idiotæ) omnia illa lecturi, collaturi, intellecturi ſint, ut verum conſenſum & eccleſiaſticā ac Catholicam ſcripturæ interpretationem, & dogmatum determinationem inde hauriant. Certe brevi ſtatuendum, immò & hodie, quis ſit verus cultus Dei, quæ via ad ſalutem, ut eam ingrediamur in tempore, dum adhuc hodie dicitur. Ergo non ſunt idoneus judex, aut norma. VIII. *Arg.* Quia difficiles & obſcuri ſunt, propter phraſes inſolitas, idiotiſmos, alluſiones, hiſtorias & antiquitates, ambiguitates, nimias ſubtilitates, ἀκειβολογίας, catachreſes, allegorias, troporum figurarum & rhetoricationum involucra, apparentes contradictiones &c. Ergo non ſunt idoneus & ſummus judex; aut norma in rebus fidei, imprimis controverſis. Quod ſi hoc (quamvis impiè) ſcripturis objiciunt Pontificii; quanto juſtius nos chao iſti ſcriptorum, qui omnes potuerunt falli, & fallere. IX. *Arg.* Quia tanta in pleriſque fuit, ignorantia linguarum, in nonnullis, etiā ſcientiarum & artium; In aliis tanta oſcitantia, & infelicitas in conferendis ſcripturis: ut ipſorum interpretatio minime nobis pro normâ ſit conſtituenda. X. *Arg.* Quia

ubi

ubi jam ex verbis bene perceptis eruit quis mentem seu sententiam patris; certò tamen vix (saltem in pluribus) constabit : an ibi tradat opinionem suam particularem, eamque constantem, quam in senectute aut postea non retractavit (uti aliqui fecerunt); an vero in calore declamationis aut disputationis illi hoc exciderit; an verò ex aliorum sensu hoc tantum retulerit; an denique ex more sui sæculi, aut ut auditoribus se accommodaret, κατὰ συγχώρησιν & συγκατάβασιν potius, quam ex propriâ fide, & firmato judicio : Rursum an dogmatizârit sententiam suæ ecclesiæ aut vicinarum; an vero Catholicam & communem omnium ecclesiarum, idq; ex rei veritate, aut judicio tantum & intentione suâ, in quâ eum falli posse, & nonnullos admodum falsos esse, docent exempla Cypriani &c. Confer quæ de hoc argumento diximus *Disp. hujus parte priori*. Notatu digna sunt verba *Francisci Quaresmii* Minoritæ terræ sanctæ præsulis & commissarii apostolici lib. 2. elucidationis terræ sanctæ cap. 19. *Nec mirandum Hieronymum*, &c. XI. *Arg.* Quia nondum constat, ne quidem in Papat. saltem communi fide & determinatione ecclesiasticâ, nequidem scholarum doctrinâ, quid sit consensus patrum: Ergo remittunt & suos & nostros ad normam, quæ non est in rerum naturâ. Antedecens probatur; quia miseri Andabatæ in scholis (otiosè spectante Ecclesiâ seu Papâ) disceptant; 1. An & qui sint genuini patres, ac genuina eorum scripta & quomodo à spuriis atque apocryphis certo discernantur; eadem dubitatio & incertitudo est de integris & corruptis editionibus. 2. Qui & quanti ex genuinis faciant cõsensum: an omnes & singuli: an verò major pars simpliciter : an potius melior pars & rectius sentiens: an aliqui & quidem præstãtiores ex omnibus plagis mundi; an saltem sex : an unus : denique an unius sæculi tantum, an vero omnium sæculorum intelligendi sint illi omnes & singuli, aut major pars, aut melior pars, aut aliqui, aut sex. Vide dissidentes hic *Gregor. de Valentiâ, lib. 8. c. 8.* & *Iansenium in Spongiâ c. 9. p. 45.* à *Cano supra cit.* XII. Sententiæ huic nostræ accedit consensus patrum : quem deprehendimus *partim* ex apertâ doctrinâ eorum, *partim* ex praxi. *Illa*, ex variis ipsorum testimoniis: ex quibus hæc paucula nunc indicamus : *Primum Optati Milevit. lib. 3. contra Parmenianum: Quærendi sunt judices* &c. ubi ad solã scripturam tanquam normam & judicem nos ablegat : *Secundum Augustini de bono perseverantiæ. c. 21.* Adde contra *Crescon. Grammat. lib. 2. cap. 31. & 32. & c. Maximin. lib. 3. c. 14. & de baptismo Donatistarum lib. 2. c. 6. & c. Petilianum lib. 3. c. 6.* Habes ejusdem testimonia sex, quæ *Iuri canonico* inserta sunt *dist. 9. c, 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10.* ubi omnia vide & cum codicibus Augustini cõfer. Vnum tãtum hic exhibeo, ex epistol. 19. ad Hieronymum, quod habetur dist. cit. c. ego solis : *Ego*, inquit, *fateor caritati tuæ, solis eis scripturarum libris qui jam Cano-*

nici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum autorem scribendo aliquid erraſſe firmiſſimè credam. Ac ſi aliquid in eis offendero literis, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quàm vel mendoſum eſſe codicem, vel interpretem nõ aſſequutũ eſſe quod dictum eſt, vel me minime intellexiſſe nõ ambigam. Alios autem ita lego, ut quantalibet ſanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt: ſed quia mihi vel per illos autores Canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, perſuadere potuerunt. Nec te, mi frater, ſentire aliquid aliter exiſtimo: prorſus, inquam, non te arbitror ſic legi tuos libros velle, tanquam Prophetarum, vel Apoſtolorum: de quorum ſcriptis, quòd omni errore careant dubitare neſarium eſt. Abſit hoc à pia humilitate & veraci de temetipſo cogitatione, qua niſi eſſes præditus, non utique diceres &c. : *Tertium*, lib. Moral. (ſub nomine Baſilii ſummæ 72. cap. 1.) *Oportet auditores eruditos in ſcripturis probare omnia quæ à Doctoribus dicuntur, & quæ quidem ſcripturis conſona ſunt, ſuſcipere, & quæ vero aliena, rejicere. Quar-* *Quartum*, *Ambroſii de Incarn. dominicæ ſacram. c. 3.* *Quintum*, Hieronymi in pſ. 86. *Quamvis ſit aliquis ſanctus poſt apoſtolos, quamvis diſertus ſit, non habeat autoritatem; quoniã dominus narrat in ſcripturis populorum & principum* (prophetas & apoſtolos ibidem exponit) *qui fuerunt in eâ. Idem in apologiâ* ad Iovinianum : *De me, ubicunque ſcripturas non interpretor, ſed libera de meo ſenſu loquor, arguat me quilibet. Sextum, Cyrilli Hieroſolym. catech. 4. & 12. Septimum, Lactantii, de Origine erroris c. 8. Iſta*, praxis ſcil. patrum idem docet cum 1. in prædeceſſoribus aut coætaneis ſibi patribus errores reprehendunt, aut ſaltem liberè ab iis diſſident. Sic Cyprianus à Cornelio, Theodoretus ab Epiphanio, Auguſtinus ab Hieronymo, Ruffinus ab eodem. Vide *Auguſtin. epiſt.* 19. quæ eſt *ad Hieronymum.* 2. cum non aſtringunt lectorem ſuis dictatis, ſed liberum ei judicium permittunt : immo aliorum judicio & correctioni ſe ſubjiciunt, erratorum veniã petunt. Vide clauſulam Auguſtini ad libros de Trinitate; *domine Deus unus, Deus trinitate, quæcunque dixi in his libris de tuo agnoſcant & tui : ſi qua de meo, & tu ignoſce, & tui. Amen.* 3. Cum eadem ſubinde retractant, vide *Auguſtini libros retractationum* : 4. Cum in libris & tractatibus ſuis ſibi minime ſatis faciunt, quippe non ſatis elaboratis & ſolidis, aut extemporaneis, Vide *Hieronymi præfat. in Proverbia & epiſt. 16. epitaph. Marcell. & epiſt. 128. ad Fabiolam, & epiſt. 47. præfat. comm. in Math. & præf. comment. ſecundi in epiſt. ad Epheſios.*

4. Atque hæc argumenta directa. *Indirecta ſunt* duorum generum, 1. ducentia ad abſurdum. 2. ad hominem. *Prioris generis ſint iſta.* 1. Tum ſequeretur patres eſſe pares, immo ſuperiores prophetis & apoſtolis; quippe illis non crederemus, niſi propter iſtos. 11. Illorum ſcripta eſſe perfectiora, evidentiora, faciliora lectu & intellectu ipsâ ſacrâ ſcripturâ, breviter à patribus

tribus res divinas minus ambiguè, obscurè, periculosè esse expositas, quam à scriptura: hinc fit ut hujus lectio quibusvis indoctis, promiscuè non permittatur, sed satis prohibeatur in Papatu (uti ex *reg.4.libr.prohibitor. Concilii Trid.* coll. cum quotidianâ experientia & cum monito *Indicis libr. prohibit. Clementis* VIII. quod agnoscit & refert *Azorius. Mor. tom.1.l.8.c.26.* solide evincitur); illorum vero non prohibeatur. III. Æque promissionem divinitus esse factam de genuinis scriptis patrum, ac de verbo Dei; quod scil. manebunt in æternum, nec Iota ex illis peribit. IV. Patrum interpretationem & sententiam æque debere esse normam, in philosophicis, historicis, Theologiâ problematicâ, ritibus, & agendis ecclesiasticis; ac in fidei dogmatis, & moralibus: siquidem scripturam in illis æquè interpretantur ac in istis: & siquidem in istis consensus eorum nobis mensura est, quidni & in illis? Quæ n. scriptura, aut quis pater, ubi, quâ autoritate hæc unquam distinxit? Iam vero Pontificii philosophica, historica, ritualia, & agenda patrum minimè recipiunt, tanquam mensuram suæ Philosophiæ, Theologiæ, Liturgiæ, politiæ. V. Per plura agendum esse in negotio fidei, quod per pauciora brevius & tutius fieri posset: per infinitas scil. patrum ambages; quod ex rei veritate & nostrâ sententiâ per solam scripturam: aut ex ipsorum sententiâ per verbum scriptum in corde ecclesiæ compendio & certo fieri posset, & quo tandem nihilominus post jactationes & naufragia in tam vasto patrum Oceano deveniendum est. Quæ omnia, aliaque his addenda, quam absurdissima sunt. Ergo.

Argumenta ad hominem sint ista 1. quia ipsi Pontificii tum directè & exsertè tum indirectè negant. Directè ex testimoniis quamplurimis nunc ista solummodo notamus. 1. *Ex* antiquioribus *Gerson in 1. parte de Exam doctr. consid.5.* ubi docet simplicis unius in scripturis eruditi assertioni plus credendum esse, quam Papæ aut Concilio: ergo etiam plus quam patribus. 2. *Ex* locorum communium scriptoribus, seu Scholasticis *Thomæ in 1.q.1. art.8.* Adde *Can.lib.7.c.1. Villavincentiũ de studio Theolog.lib.4.3. Ex* Elenchicis *Bellarmin.lib.3.de verbo Dei c.10.ad arg.16. Aliud est interpretari legẽ* &c. & libr.2. de Concl.c.12. *Sacra scripta patrum non sunt regulæ, nec habent autoritatẽ obligandi. Stapleton, de Scripturâ c.V Wittak.lib.1.c.2.sect.1. Alph. à Castro lib.6.de hæresibus tit. Episcop.4. Ex* cõmentatoribus, *Stellæ in Luc.10.ad* illa verba: *Cõfiteor tibi.* Verba ejus notatu digna hic adscribo, quia autor forte omnibus tam familiaris nõ est: *Bene tamen scimus pigmæos gigantum humeris impositos plus quam* &c. *gigantes videre. Pererii ad Roman.8.disp.22.& 23. Maldonati in Iohann.5.5 3.5. Ex* historicis & antiquariis, Baronii ad annum 34.n. 213. *Patres*, inquit *non semper nec in omnibus in interpretatione scripturarum sequitur ecclesia catholica. Sixtum Senensem & Possevinum*, supra citavimus. Adde 5.

nunc Indicem Expurgatorium Belgicum, ubi de Bertramo: *Cum in Catholicis veteribus aliis plurimos feramus errores, & extenuemus, excusemus, excogitato commento persæpe negemus, & commodum iis sensum affingamus, dum opponuntur in disputationibus, aut in conflictionibus cum adversariis &c. Indirecte* negant multis modis 1. *cum* in dogmaticis, commentariis, controversiis liberè ab illis discedunt, immo eorum errores notant, improbant & oppugnant, ubi modo hoc usu venerit: quod infinitis exemplis probari posset, sed sufficient inspectio *Bellarmini*, *Possevini*, *Corn. á Lapide*, & similium quos supra indicavimus. 2. *Cum*, *tot cautelis* editionem & lectionem patrum muniunt. Vide *Possevin. Biblioth. lib. 5. & apparatum*, supra cit. Et *Senensem lib.* 5. 6. 7. ubi profitetur, se notasse *patrum errores, qui sine Catholicæ pietatis offensione, nec sine magnâ legentium perturbatione dissimulari non poterant.* Et *Feuardentii censuras in Irenæum*, *Billii in Iustinum Martyrem*, *Raudensis in Lactantium*, *Herveti in Clementem Alexandrinum* & alios editores patrum. 3. *Cum* tot distinctiones in elenchicis & commentariis ipsorum occurrunt, quibus excipiunt adversus testimonia patrum sibi objecta: quæ in *Desperat. Causâ loc. cit.* magnam partem indicamus. 4. *Cum*, expurgationi & correctioni scripta eorum subjici credunt, & reipsa eam exercent; uti supra indicatum; & evictum hoc irrefragabiliter à *Thoma Iamesio* in scripto supra laudato. 5. *Cum* denique & reipsa ostendunt, & apertè profitentur patrum autoritatem ipsis larvam, ludibrium, & merum nihil esse; in dicta sua Ecclesia seu Papa omnem autoritatem residere. Quo facit dictum *Zwarezii supra cit.* cui adde celebre illud & nostris passim exagitatum Cornelii Musси Episc. Bituntini comm. ad Rom. 14. p. 606. *Ego* (ut ingenuè fatear,) *Plus uni summo Pontifici crederem in his quæ fidei mysteria tangunt, quam mille Augustinis, Hieronymis, Gregoriis &c. Quod summus Pontifex in his, quæ fidei sunt, errare non potest. Gretserus in libr de Modo & more corigendi* &c. disputat patres & scripta patrum etiam subjici ecclesiæ (h. e. Romanę sedis, seu Papę) judicio, atque adeo sic posse expurgari ac corrigi, si quid scripserint ab ejus sententiâ dissonum. Sixtus Senensis in præfat. ad Pium V. anno 1566. *Expurgari & emaculari curasti omnia Catholicorum, & præcipuè veterum patrum scripta* &c. Adde *Constitut. Sixti V. supra cit.*

6. Atque has argumentorum classes pro conclusione VIII. putamus jam satis instructas esse. Deductionem omnium, & singulorum non patitur hæc charta: interim consulant suo tempore φιλομαθεῖς inter & præter autores cit., hos sequentes aut aliquos ex iis: qui ex professo hoc agunt, *Hyperium lib. 4. de ratione studii Theolog. c. 9.*; *Rivetum in prolegom. ad Criticum sacrum*; *Mortonum Apolog. Cathol. lib. 2. c. 14.* *Tilenum Syntagm. tom. 2. disput.*

ſput.16.; Iacobi Laurentii Reverentiam patrum &c.; Noſtram *Deſper. Cauſ. Papatus lib.3.ſect.1.c.7.8.11.12.Thomæ Iameſii tract.* Anglicum de *corruptione &c. Iohannis Daillé* miniſtri Pariſienſis tract. Gallicum tit *De L'Employ de Saincts Peres*, Specialiter quod ad ritus, & regimẽ eccleſiaſticum, patrum & ãtiquitatis infirma & ſuſpecta autoritas probatur à *Didoclavio c.9.altaris Damaſceni p.542.543.544.* ubi citantur & alii tum noſtri tum Põtificii; qui ibi videndi: & à nobis in *diſp.de Tempore nativitatis Chriſti.* Quam parum valeãt patres in hodiernis controverſiis dogmaticis (in moralibus aliter judicandum) quæ à ſectis extra Papatum moventur, piè atque eruditè oſtendit *VVilhelmus Teellingius* in ſuo *Eubulo* belgicè conſcripto *cap.* 15. Quod ad reliquas duas concluſiones ad hanc principalem conſectarias, non eſt neceſſe novis aut aliis argumentorum claſſibus eas firmare, cum ex modo allatis deſumi, & illis facile applicari poſſint. Tantum *Priori* ſeu 1x. *concl.* quæ erat: *Ex patrum conſenſu non poſſe idoneè controverſias inter nos & Papatum explicari & decidi*, ſubjungo has rationes: 1. *Quia* pleriq; tractant res à noſtris cõtroverſiis alienas; & pleræq; noſtræ controverſiæ, ea ſaltem formâ, ut nunc ſunt, in pleriſq; non comparent. 2. *Quia* præterquam ea, quæ ſupra ex rei veritate adverſus patrum conſenſum excepimus, omnes illæ difficultates ſecundum hypotheſes & conſequentias Pontificiorum moveri poſſunt, quas illi ſcripturis objicere ſolent; quod ſcil. ſint tenebræ, ſcriptura ſcripta in membranis, naſus cereus, regula Leſbia, libri hæreticorum, quodque omnes omnium opinionum autores ad eos provocent, & quiſque adulterâ interpretatione eos depravet, pro ſe alleget, & ad ſuas patres flectere ſatagat. 3. *Quia*, circa genuinos autores, ſcripta, editiones, eadem dubia ad minimum moveri poſſunt, quæ pro Atheis, infidelibus &c. circa Scripturam movere ſolent Pontificii, ut *Perronus*, *Ianſenius Lovanienſis in Spongia cap.* 8. & *Ieſuita Regourdus*: cui reſpondet *Meſtreſatus* miniſter Pariſienſis peculiari tractat. Gall. Conferri poteſt *diſputatio* à nobis interpolata & ſub noſtro præſidio habita de *novo Scepticiſmo Loiolitico, quam mox ſubjiciemus.* Ad poſtremam concluſ. conſectariam, quę eſt: *An ſit expeditius, facilius, & tutius in patribus & hiſtoriis Eccleſiaſt. quærere ſucceſſionem veræ fidei & Eccleſiæ, quam ex ſcripturis* &c. verbum non addimus: ſed ſtudioſos ad *Deſper. Cauſ. lib.3. ſect.1.c.7.& 8.* ablegamus.

Controverſiâ principali determinatâ, reſpondendum nunc eſſet ad varia problemata partim generalia partim ſpecialia, ſeu hiſtorico-theologica. Sed quia tempus & charta nunc nõ fert, tantum paucula quædã nudè proponemus. 1. An Theologiæ ſcripturariæ & accuratioris methodus & ſtudium ad modulum antiquę formæ patrum hodie exigendum & revocan- 7.

dum sit? *N.* II. An aliter contra hæreticos adhibendi, quam post causæ nostræ ex scripturis triumphum; ex abundanti scil., ad ostendendum consensum, & ad liberandos nos à suspicione seu calumniâ novitatis, & singularitatis? *N.* III. An liceat Pontificios nostram fidem, in quâ ab illis dissidemus, evocantes ad tribunal patrum aliter sequi, quam cum illâ protestatione: Nos non disputare ex patribus ut judicibus fidei; nec posse aut debere autoritate illorum urgeri: Velle tamen ex abundanti, & concessione & συγκαταβάσει quâdam, disputare; non condemnari eam consensu patrum, nec Pontificiorum novas antitheses eo contineri? *N.* IV. An ergo ullâ ratione quęstio de veritate alicujus articuli, à nobis sistenda est judicio patrum, an vero tantum quęstio de antiquitate. *Pr. N. Post. A.* V. An quando Pontificii instar infidelium videntur scripturam unicum fidei principium plane rejicere, aut saltem declinare; inconsultum sit agere tum quod possumus, hoc est convincere eos ex patribus, aut Conciliis, aut domesticis suis doctoribus; quomodo patres Ethnicos ex scriptoribus Ethnicis? *N.* VI. An studioso Theologiæ inchoandum sit à patribus, an à Theologis recentioribus & an patres istis sint præferendi? *N. Pr. Post. Dist.* Et notâdum infeliciſſimè illos θεολογεῖν, qui cum theologiâ catecheticâ vix satis imbuti sint, nec ex propriâ lectione scripturæ & collatione præstantium autorum, locos communes & solidos theologiæ conceptus sibi formarint ac collegerint, ad lectionem patrum, aut saltem duorum, trium quatuorve provolant, atque inde nonnullis theologicis semi conceptibus & crudis observationibus vix haustis, dictaturam in theologicis controversiis, in determinatione casuum conscientiæ, regiminis ecclesiastici, & praxeos pietatis sibi sumunt, supra & contra ecclesiasticam ac communem scripturæ interpretationem, receptamque universalem theologorum praxin & experientiam. Antehac Barbaris & agrammaticis seu aphilologis scholasticis dictatura hæc præpostere erepta esset, si quidem aliis extra theologicum ordinem & perpetua exercitia constitutis eam concedamus. Videmus enim literatos aliis studiis & ordinariis occupationibus districtos, quamvis subcesivis horis aut in affectâ ætate tractantes theologica, satis feliciter nõnnulla inveniant; in logicis tamen, philosophicis, & accuratæ theologiæ solidis consequentiis, definitionibus, distinctionibus, conciliationibus excogitandis, & subtiliter ac profundè contra strophas hæreticorum dijudicandis, nec non in conscientiarum practica informatione sępe deficere, ac sine ratione singularibus suis (sed haut raro semesis ac male cohærentibus, male ordinatis conceptibus) nimium indulgentes, viris ecclesiasticis & theologis (quorum hic ager est) superbe insultare. Nec mirum: cum propter ἀπειρίαν in talibus pericula & præcipitia, & quid cui cohęreat aut repugnet, non ita per videant. VI. An majorem jacturam quis subeat in studio

dio theologico, si in cursu Academico aut saltem in vegetâ ætate & primis ministerii annis non degustârit theologiam scholasticam; quam si hospes sit in lectione patrum? *Resp. Aff.* Nam qui theologiæ philosophicæ & scholasticæ plane ignarus est, postea vix ad accuratiores conceptus contra subtilitates hæreticorum, carnalium ingeniorum in dogmaticis & casuisticis formandos, & ad scholasticos autores intelligendos assurgere potest. Ad patres autem legendos, consulendos, intelligendos nulla ætas importuna mihi videtur. Quis enim sine magistro, vel in affectâ ætate ἀυτοδίδα-κτῳ, si modo lectionis industriam adhibeat, aliquem profectum nō speret. Ne tamen arbitretur quis hæc aliter à me dici quam cōparativè: nō absolutè: placet enim nobis ea studiorum ratio, quam delineavimus in nostrâ *bibliothecâ lib.* 1. *cap.* 6. 7. 8. VIII. Quid de epistola Clementis ad Corinthios nuper evulgata, sed non sine magnis multisque lacunis? *Resp.* Admiramur singularem divinam providentiam, quæ curavit ut ab apostolorum discipulis, virisque apostolicis, & apostolorum sæculo proximis aut nihil scriberetur; aut nihil conservaretur & ad posteros manaret; aut saltem nihil ab initio ecclesiæ usque in hunc diem supereſſet, de quo non dubitaretur, aut quod per tineas blattasque aut alium quemvis Dei exercitum mutilatum non esset: ut soli scripturæ tanto evidentius sua constaret autoritas; illique soli esset propria incorruptibilitas & æternitas. Vide & confer quid de *epistolis Ignatii*, *epistolâ Martialis ad Lemovicenses* scriptis *Clementis*, *Abdiæ Babylonici*, disceptetur ab editoribus eorum, & *Possevino*, *Bellarmino*, *Coco*, *Riveto*, &c.

Appendix de Historicis Ecclesiasticis.

CAmpianus *Rat.* 6. causæ suæ probationem inter alia defert historicis, 6. nominatim *Eusebio*, *Damaso*, *Hieronymo*, *Ruffino*, *Orosio*, *Socrati*, *Sozomeno*, *Theodoreto*, *Cassiodoro*, *Gregorio Turonensi*, *Vsuardo*, *Reginoni*, *Mariano*, *Sigeberto*, *Zonaræ*, *Cedreno*, *Nicephoro*. Hos vocat ibidem antiquiores historicos, qui pristinam ecclesiæ faciem retegunt. Cum his jungi vult peculiares certarum regionum historiographos. Sed an vir ille unquam viderit illos historicos, an etiam præter nuda nomina ex indiculo aliquo descripta quidquam sciverit, de scriptis, gestis, ætate eorum; vehementer dubito. Nos postremas tres conclusiones negativas, quas supra de patribus protulimus, de historicis Ecclesiast. pronuntiamus, freti ijsdem argumētorum classibus: ex quibus nonnulla hic delibamus & propius applicamus. I. quia historici ex antiquissimâ antiquitate nulli supersunt: quod tamen imprimis hic requiritur. II. Quia ex reliquis, qui post tertium sæculum

lum scripsere, aliquo numero (imprimis qui Ecclesiæ antiquæ faciem exhiberent) ipsis adversariis suspecti sunt, immò & hæreseωn ac schismatum insimulantur; quod de Eusebio, Socrate &c. probavimus in *Desp. Caus. Papatus* lib. 3. *sect.* 1. *c.* 7. Alii suppositi sunt, ut *Damasi Pontificale*; testibus *Baronio*, *Possevino*, *Bellarm.*, *Onuphrio*, *Binnio*. Breviter vide omnes ferè historicos *Campiani* à nobis *loc. cit.* furcillis Pontificiis de ponte deturbatos. II. Quia historici tam pauci sunt, ut *Baronius ad ann.* 44. 22. & *Onuphrius ibid.* à nobis *citatus* desperent inde historiam ecclesiæ consarcinari posse. III. Quia qui supersunt, incertis narrationibus, fabulis, partium studiis autoritatem suam imminuunt, apud nos non tantum, sed etiam adversarios. Hinc est, quod eos rejiciant, mendacii arguant, castigent, in dubium trahant, quotiescunque hoc usu venerit. Vide *Baronium ad ann.* 383. 28. & 29. Et *Perronum* passim *in Responso ad Regem Britanniæ*, ubi Eusebii tanquam Arriani, & Socratis tanquam Novatiani fidem elevat. Cōfer ea quæ habet *Canus lib.* II. *c.* 3. & 5. & 6. IV. Quia quæcunq; difficultates sacræ scripturæ (sed improbè) objici solent à Pontificiis, easdem nos jure merito prætensæ ipsorum historię objicimus. V. Quia quidquid exhibeant aut non exhibeant nobis historię, autoritas tamē ut ut minimè suspecta, nulla alia remanet, quam merè humana, ex sententiâ & nostrâ, & Pontificiorum, quam bene explicuit *Canus lib.* II. *c.* 4. Vnâ ista crisi Baronii ad ann. 39. §. 22. omnes dimittimus: *Majoris profecto fidei esse Acta Apostolorum a Luca conscripta quâvis authoritate majorum, nemo negârit.*

Nolumus tamen studium historiæ antiquæ ecclesiasticæ negligi, aut contemni: sed judicium & delectum velimus adhiberi. *Est autem historia Ecclesiastica cognitio rerum singularium, in & ab ecclesia, aut circa eam gestarum.* 1. Objecti seu materiæ hujus historicæ partes præcipuæ sunt duæ. Quarum *prior* continet ea quæ pertinent ad statum ecclesiæ absolutum, qualia sunt

1. Formulæ fidei in præcipuis capitibus ex historiis, præsertim ex Perkins. problem notandæ. Huc refer edita symbola, Catechismos.

2. Ritus & Ceremoniæ. &c.

3. Regimen seu Politia Ecclesiastica, & constitutiones scriptæ, si quæ sint.

4. Vita & Mores.

5. Concilia.

6. Propagatio fidei, quæ habet legationes euangelicas, conversiones Gentium, Plantationes ecclesiarum. Huc refer Episcopos de novo institutos.

7. Celebres Doctores & scriptores.

8. De-

8. Defensores & Patroni celebres, si qui sint.

9. Successio Episcoporum Romanorum.

10. Collegia & Academiæ institutæ, aut florentes. Huc refer celebriora monasteria & capitual.

Posterior continet ea, quæ pertinent ad statum ecclesiæ turbatum, qualia sunt

1. Persecutiones & vastationes Ecclesiarum.
2. Martyria & martyros insigniores.
3. Celebres confessores, & testes veritatis.
4. Apostasiæ, Hæreses, Hæretici.
5. Schismata & contentiones in Ecclesiis.
6. Collationes, disputationes & Colloquia.
7. Reformationes & instaurationes Ecclesiarum.

11. Finis & usus est multipex, 1. docet propagationem Euangelii & Origines ecclesiarum. 2. Est testimoninm consensus. 3. Exhibet exempla patientię heroicæ, fortutidinis Christianæ, pietatis eximiæ. 4. Habet speculum & malitiæ Diaboli cum suis; & bonitatis ac potentiæ divinæ in defensione Ecclesiæ. 5. Docet prudentiam Ecclesiasticam, imprimis ministros & pios Principes ac Magistratus. III. Efficientes ejus sunt scriptores, seu historici. Qui 1. partim patres seu probati ecclesiæ Doctores, partim alii: 2. Rursum duplices; vel qui publicâ autoritate ecclesiæ ad illud constituti: vel qui privato zelo illlud susceperunt. 3. Qui vel partem tantum historiæ scribunt, ex. gr. de hæresibus; de Persecutione; de Martyribus; de Concilio aut Conciliis; de Doctoribus Episcopis, Patriarchis, Papis &c.; de Scholis aut Collegiis Theologicis: De conversionibus Gentium: *vel* integram historiam, eamque aut perpetuam, aut κατ' ἐκλογὰς aut ἔπιτομας &c. 4. *Vel* antiqui, *vel* medii, *vel* novi: (prout historia ecclesiastica dividitur.) Antiquos, qui scil. vixerunt ante annum 700. sigillatim nunc accipe: nam reliqui huc non pertinent. Sunt autem Eusebius in Chronico, & histor. Ecclesiasticâ, Epiphanius de Hæresibus, Theodoretus, Sozomenus, Socrates, Gelasius Cyzicenus, Nicephorus, Euagrius, Pontius Diaconus, Hieronymus in Chronico, & de scriptoribus Ecclesiasticis, Ruffinus, Palladius Galata, Philastrius, Augustinus de Hęresibus, Possidonius, Sulpitius, Paulus Orosius, Prosperi Chronicon, Victor Vticensis, Gennadius, Marcellinus comes, Cassiodorus, Victor Capuanus, Dacius Mediolanensis, Liberatus, Venantius Fortunatus, Gregor. Turonensis. Atque hi soli pertinent ad antiquitatem Ecclesiasticam. Nothi & suppositii sunt, Prochorus, Aristeas, Abdias Babylonius, Linus, Ioseph Ben Gorion, Hegesippus,

ſippus, Paſſio Andreę; Melitonis de tranſitu Marię, Dorothei ſynopſis, Epiphanii de vitâ prophetarum, Damaſi Pontificale, Amphilochii vita Baſilii: Euſebii epiſt. de morte Hieron., Euodii Vzalenſis de Miraculis Stephani. Addenda eſſent nonnulla de ætate, & ſcriptis ſingulorum & quouſque produxerint hiſtoriam, de editionibus, de eorundem lectione & ſtudio: ut etiam de hiſtoricis præcipuis ætatis mediæ. Sed abrumpendum. Interim conſulant ſtudioſi de ſpuriis quidem Cenſuram Coci: de genuinis verò Poſſevini Apparatum, & Voſſium de Hiſtoricis Græcis, & Latinis. De apparatu ſtudii hiſtorici eccleſiaſtici, videant ſtudioſi noſtram bibliothecam theologicam. Incidi ante annos aliquot in diſputationem Franckenbergi de hiſtoricis eccleſiaſticis: ſed ea nunc non eſt ad manum.

NOVUS SCEPTICISMUS
LOIOLITICUS
CIRCA
Principia fidei Chriſtianæ

Reſp. LAMBERTO vanden WATERLAET.

Ad diem 15. *Marti* 1645.

Placuit hanc diſputantionem à Reſpondente ex ſcedis ipſius ad Jeſuitam quem miſſis contractam & conſcriptam meis inferere: *tum* quia feliciter ex primit conceptus meos quos diſcipulis noſtris præformare, & methodum excipiendi tales Lojoliticas quæſtiones, quam iis publicè privatimque oſtendere ſoleo: *tum* quia eam (quod ad principalem materiam) ipſe interpolavi, & limavi, demendo aut addendo, ubi opus.

ANno ſuperiori Theologus & cõcionator Lojoliticus in urbe celebri apud ſuos non incelebris, totus infideliũ & Atheorũ larvâ indutus ſcepticas has quæſtiones per aliquem ſui admiratorẽ honeſto viro noſtræ religionis cõſorti obtrudi curavit. Ad eas ego rogatus reſponſum aliquod pro modulo lingua vulgari adornavi; quod theologo illi exhibitum fuit. Ille dum adhæc magis mutus quam piſcis, nobis cogitandum relinquit quam ſit ἀνθοκατάκλειτος, & quanta ſit vis veritatis. Interim non putavi me abs re facturum, ſi hac occaſione reſponſum meum in compendium contractum Academici examinis exercitio ſubjicerem.

Quæ-

QVæsitum seu problema primum est: *An Christianus solis sacræ scripturæ libris innixus (seclusâ omni auctoritate & confirmatione ecclesiæ, Patrum, Traditionum &c.) omnino certus esse possit, omnia, quæ libris illis continentur esse genuinum verbum Dei?* 1. *Resp.* 1. Spiritus sanctus in sacra Paginâ hunc in modum quæstioni huic occurit ac satisfacit, *Epist.* 11. *Ad Timotheum cap.* 111. *vers.* 15. 16. 17. *Euang. Ioannis cap.* v. *vers.* 39. collat cum *Isaiæ cap.* xxxiv. v. 16. & *Lucæ cap.* xvi. *vers.* 29. & 31. *Epist.* 11. *Petri cap.* 1. v. 19, 23. 21. *Psalm.* 119. & 19. *vers.* 8. *Deut. cap.* iv. v. 1. 2. *Isaiæ cap.* vi 11. v. 20. *Epist.* 1. *Ad Thessalonic. cap.* 11. v. 13. *Ep.* 1. *Ad Coriuth. cap.* 2. v. 13. Ad judgat Iesuita noster illa S. Scripturæ loca, quibus pro virili urget & confutare conatur infideles quosvis *Rob. Bellarm. Iesuita lib.* 1. *de verbo Dei. cap.* 11. &c. Hisce manifestis Sac. scripturæ testimoniis (quibus discutiendis & citandis cùm nostris tùm ipsis Papæ Clementis VIII. & Lovanienſibus in urbe Antwerp. editis Bibliis stare poterit) requirimus, ut Iesuita noster aut cum universo Christianismo categoricè tanquam divinæ veritati suffragetur & assentiatur; aut cum infidelibus, Atheis, & omnibus antichristianis refragetur, eaque mendacii & falsitatis arguat. Si prius agit, jā Quęstioni ac Conscientiæ suæ satis factum esse agnoscit: Sin posterius malit; Aliâ uti nobis incumbit & responsionis & disputationis methodo adornata & usurpata contra Atheos, Ethnicos, Turcas, Libertinos, Epicureos & similis farinæ sensusque homines; In eo semper morem gerentes doctrinæ, monitis & praxi Doctorum Christianorum pro veritate Christianismi tuēdâ, adeo sollicitè & animosè sēper luctantium cum quibusvis Infidelibus & adversariis. Cōsulat jesuita noster suum *Bellarminum lib.* 1. *de verbo Dei*; & prudens Consilium ac Monitum Doct. sui Angelici *Thomæ Aquinatis Sum.* 1. *part. quæst.* 1. *art.* 8. *&c.* A quibus num degenerare malit Iesuita, ego discere velim ulterius responsurus, piosque aliorum conatus adversum infideles defensurus. *Resp. II.* Quæstioni Iesuitæ nostri luculentissima Patrum Testimonia & dicta. Instar omnium sint *Augustinus*, *lib.* 6. *Confess. cap.* 5. *& contra Donat. & Petilian. cap* 3. *Tom.* 7. *De Trinit. lib.* 3. *cap.* 14. *contra Maxim. Item lib.* 19. *De civit. Dei. cap.* 18. *Contra Cresc. Grammat. lib.* 2. *cap.* 31. *Contra Faustum Manich. lib.* xi. & 13. *cap.* 5. Itē *de unit eccl. cap.* 10. *Ad Hieron. Epist.* 19. *De Baptism. cont. Donat. lib.* 11. *cap.* 6. Et *de Doct. Christ. cap.* 24. *Hieronymus cap.* 1. *In Proph. Aggeum.* Item: *Cap.* 23. *In Euang. Matth. Item Epist. Ad Paulam & Vrbicam.* Et *Epist.* 48. *ad Vincent.* Adde *Epist. ad Demetriad & Prologem. in Psalm. & Iesaiam. &c. Chrysostomus in Genes. Homil.* 13. *In Epist.* 2. *ad Corinth. Homil.* 13. *sub finem* In *cap.* 1. *Epist. ad Galat.* 1.

Galat. in Psal. 95. & 86. *Euang. Matth. Homil.* 49. *In Epist.* 11. *ad Timoth. homil.* 9. Item, *tom.* 1. *Homil. Eutrop. & Tom.* 11. *homil. in Math. &c. Tertullianus: Lib. de Resurrectione Carnis Cap.* 3. Item, *contra Marc. lib.* 1. Et *contra Hermog. cap.* 1. Et *Apolog. contra gentes cap.* 5. *Origenes* περὶ ἀρχῶν *lib.* 4. *cap.* 1. & *cap.* 63. Item *in Ierem.* Et *Homil.* 25. *in Math. Irenæus aduersus Hæres. lib.* 3. *cap.* 1. Et *lib.* 4. *cap.* 60. Itemque *lib.* 11. *cap.* 46. *Basilius Tract. de verâ & piâ fide.* Et *in moral. Reg.* 26. & *Reg.* 8. & *Reg.* 27. *Epist.* 80. Adde *Epist. ad Eustat. med. proëm. expos. in Esaiam &c. Cyprianus ad Pomp. Epist.* 74. *&c. Athanasius in Rescript. ad Liberiũ & Tom.* 1. *serm. de Incarnat. Domini cont. Apollinarem.* Item *lib. de sent. Dionisii & lib. aduers. Iudæos in synopsi &c. Cyrillus Hieros. Catech.* 6. *Epiphanius: Hæres.* 41. & 42. & 51. & 9. *&c. Clemens Alexandr. lib.* VII. *Stromat. &c. Theodoretus præfat. in Ezech. & in cap.* 34. *Ezech. & Præfat. in Malach. &c. Lactantius lib.* 6. *cap.* 21. *Instit. divin. & Cap.* 71. Item *lib.* 3. *divin. Instit. cap.* 26. *&c.* Et *lib.* 4. *De verâ sapiẽtia Cap.* 20. *Salvian. lib.* 3. *de Guber. &c.* Horum Patrum sententias & dicta (quæ ad verbum transmisimus, hîc autem repetere longum nimis & minus necessarium, adeoque citasse sufficere arbitramur) categoricè veluti ipsi veritati cõformia velimus â Iesuita (si modo Romano Pontificius haberi amet) aut probari; aut velut absurda & erronea reprobari. Si prius; nil est quod meritò quærat: sin vero posterius, ulteriorem debebimus responsionem. Interim manifestum fiet lectori Christiano Iesuitam ipsum Patres eos flocci facere, quos nobis aliisve velut principium fidei seu ad minus conprincipium juxta ipsas Sac. paginas, Traditiones &c. obtrudere velle hisce quæstionibus prætendit ac simulat. *Resp. III.* Ætatis intermediæ Scriptores ad quæstionem & Problema præsens cum ipsa Sac. Scriptura & antiquis patribus facere liquet ex iis, quæ habet: *Damascenus lib.* 4. *de Orthod. Fid. Cap.* 18. Et *lib.* 1. *de Orth. fid. cap.* 1. *&c. Theophylactus: Comment: in Cap.* 111. *Epist.* 2. *ad Timotheum. Comment: in cap.* VI. *Epist. ad Ephes. Comment. in Euang. Math. c.* 23. *&c. Anselmus Cantuar De processs. Sp. S. cõntr. Græcos &c.* Adde *Hugonem de S. Vict. Lib.* 6. *erud. didas. cap.* 4. *Item Tom.* 1. *Prænot. elucid. de script. Sac. &c.* Quorum scriptorum sensui si præbet assẽsum Iesuita, jam frustaneum percunctatorem agit; sin vero è contra dissentire velit, frustanea provocatio est ad scriptores quos & ipse provocando approbare abnuit. *Resp. IV.* Cum Scripturæ & antiquorum ad quæsita Responsione locis supra cit. universum agmen Doctorum pontificiorum adversum quosvis verbi Divini hostes dimicat. *Thom. Aquin.* (quem falsum nunquam ajunt) *Sum. Part.* 1. *Quæst.* 1. *art.* 8. & *art.* 9. *ad* 1. & *Quæst.* 111. *art.* X. *ad* 1. Item *Comment. in cap.* 111. *Epist.* 2. *ad Timoth. Et* 2. 2. *Quæst.* 1. *art.* 9. *Scotus in proleg. Lombard. Quæst.* 11. *in prin. in* 4. *sentent. Baptist. Mantuanus Carmelita. lib.* 111. *de Patientia cap.* 32. & 33.

Gabriel

Gabriel Biel in canonem missæ Lect. 71. pag. 166. edit. Basil. 1515. per totam lectionem & Lect. 7. Item *in 3. sent. dist. 15. Quæst. 2. Claudius Espenseus Doct. Sorb. in Epist. ad Rom.* Cap. 15. *v.* 4. Idem *in Tit. cap. 11. vers.* 8. Item *in Epist. 11. ad Timoth. cap. 3. & in Epistol. 1. ad Timoth. cap. 11. Petrus de Alliaco Card. Camerac. Com. in 1. Sent. Quæst. 1. Quæst. 1. art. 3. col. 46. Gerson. de exam. doct. part. 11. consid. 1. & cõsid. 5. & part. 18. cõsid. 1. fol. 105.* Item *Tract. contra assert. M. Ioh. Parui num. 14. Idem ad Object. ex Augustino: Non crederem &c.* collat. cum *Wympfelingo in Prolog. 4. Tom. Operum Gersonis &c. Laurentius Villa vincentius, de Rat. stud. Theol. lib. 1. cap. 3. & in Epist. 1. ad Timoth. cap. 3. Guielmus Pepin Dominicanus ad 11. Domin. Advẽt. conc. 1. &c. Robertus Bellarminus lib. 111. de Iustific. cap. 8. lib. 1. de verbo Dei cap. 1. 11. & 111.* Item *lib. 1v. de verbo Dei cap. 1x. cõtra quosvis Religionis Christianæ & verbi Dei Adversarios & Hostes. Gregorius de Valentia Anal. Fid. lib. 1. cap. v. & xv. & lib. v111. cap. v. &c. Nicolaus de Nysse, in resolut. Theolog. Quæst. 11. proœmiali. Ioannes Major. In 1. sent Dist. x1. cap. 1. Ioannes de Turrecremata Card. Summæ de Eccl. lib. 4. part. 11. Cap. v111. & 1x. Melchior Canus Episc. Carnar. loc. Theol. lib. 12. cap. 16. Frat. Brito, in Præfat. gloss. Ord. Eustachius à S. Paulo: 1. Part. Sum. Theolog. Tractat. 2. Disp. 1. Quæst. 2. &c. Becanus Theol. Scholast. part. 1. Tract. 11. cap. 6. Quæst. 11. M. Smiglecius Iesuita, contr. Moscorovium de Bapt. pag. 7. &c. A Costa Iesuita, lib. 111. De Christo revelato cap. 21. &c. Christophorus de Capite Fontium, Tract. de necess. correct. Doct. Scholast. Serarius in Proleg. Cap. 4. Quæst. v. Item Iacobus à Castro Episc. Rurem. Ad Senatum Neomagensem.* Adde Ius Canonicum *c. ego solis, dist. 9.* Horum omnium Pontificiorum doctorum, pro Sac. Script. veluti infallibili fidei externo principio, testimoniis ac elogiis si Iesuitæ subscribere placeat, est quod Responsioni acquiescat: Sin minus, alia nobis pertentanda via est. Interim Lojolita noster, Doctoribus Pontificiis spretis, ne quidem Pontificii (quem se jactitat) nomen meretur, imo vix in catalogo Manichæorum, Arrianorum, Pelagianorum & similium Hæreticorum numerum faciat.

2. Quæsitum seu Problema est: *An Christianus solis Sac. Scripturæ libris innixus (seclusâ omni auctoritate & confirmatione ecclesiæ, Patrum, Traditionum &c.) omnino certus esse possit? II. Libros illos in totum conscriptos esse dictamine Spiritus sancti, & non e contra quorundam Impostorum & hominum nequam* seu *scurrarum. Resp. I.* Testimonia ipsius S. Script. supra thesi 1. citata, sunt potissimum hæc: *Epist. 11. Petri cap. 1. v. 21. Epist. 1. Ad Corinth. cap. 11. v. 13. Exodi cap. 17. v. 14. Ierem. 30. v. 2. & 36. v. 2. Apoc. 1. v. 19. Ies. 8. v. 1. Epist. 11. ad Timoth. cap. 3. v. 16. Ioannis cap. x1v. v. 17. &c.* Quæ nisi fidem apud Iesuitam nostrum veluti Christianum merentur, aliam à nobis responsionis methodum Christiano nomine indignus præstoletur, modo docuerit nos te-

ſtimonia illa divina cum Rationibus ab & ex eorundem ſanctitate, infallibilitate, origine & Auctore, Confirmatione, materia, ſtylo, cæteriſque circumſtantiis, deſumptis non eſſe ſufficientia, nec idonea, quibus tam nobiles & ſtrenui Chriſtianiſmi propugnatores adverſum ejuſdem infenſiſſimos quoſq; hoſtes hactenus feliciter uſi ſunt. Videant vel unicum *Rob. Bellarminum* ſuum *lib. 1. de verbo Dei* &c. *Reſp. II.* Vnanimis Patrum conſenſus & doctrina inculcat, dictamine Sp. S. conſignatos eſſe Sac. Scripturæ Libros. Videri poſſunt ad ſupra dicta *Auguſtinus duobus* integris *libris contr. adverſarium Legis & Prophetarum* qui oportunè ad rem, ſuntque in *Tom. 6.* Ejus *operum. Item, lib. 1. De conſenſu euang. cap. 35.* Item *contra Fauſt. Manich. lib. 32. cap. 21.* Et *ſermone 31. de verb. Dom. De Civit. Dei lib. 11. cap. 3.* Et *Conc. 2 in Pſal. 90. &c.* quæ ſupra *lib. 6. Confeſſ. cap. 5. Tertullianus adverſ. Hæret. Cap. 22. 23. 2.* &c. Item *Apolog. cap. 18. &c. Origenes De Princip. lib. 4. cap. 1. Iuſtinus Martyr*: In *Concert. ad Græcos. Irenæus: lib. 3. cap. 1. Athanaſius In Reſcripto ad Liberium, Gregorius magnus Præfat. in Iobum* & *lib. 4. Epiſt. 84.* & cætera omnia quæ ſupra: Præcipuè vero ex illis Patribus qui adverſus Celſum, Porphyrium & Iulianum ſcripſere. Ex quibus abunde conſtat, eſſe agnoſcique genuinum verbum Dei, quod ipſis iis libris conſignatum: non poſſe itaque idipſum nō ſcriptum eſſe inſpiratione S. ſancti. Quod ſi fidem illis deroget Ieſuita, noverit jam ſe nobis ſurdis Patres tànquā conprincipia occinere, quibus ipſe fidem tribuere nolit: Sin vero iiſdem aſtipulari malit, jam inter nos de Quæſito convenit. *Reſp. III.* Huc revocandi mihi forent omnes illi Doctores & Scriptores Pontificii locis citatis hanc divinam non vero fraudulentam aut impiam ſacrorum librorum ſcriptionem adſtruentes: verum non acta agam; licet ſententias plurimas hic ſpeciatim ſtringentes recenſere poſſem. Videri poſſunt. *Gabriel Biel: In Can. Miſſæ lectione 71. Salmeron Prolog: 25. & 26. Serarius Proleg. cap. 4. Quæſt. 21. Lorinus Ieſuita in Acta Apoſt. cap. 22. Rob. Bellarm. lib. 4. de verbo Dei cap. 4. & lib. 1. cap. 11. Thom. Aquinas ſum. 1. Quæſt. Art. 8. Card. Baronius Tom. 1. ad Annum Chriſti Domini 41. ſect. 18. Baptiſta Mantuanus cap. 33. lib. 3. De patientia ſub finem.* Et cæteri omnes, qui ſupra cum univerſo conſenſu eccleſiæ ac Chriſtianiſmi cùm in Oriente tùm in Occidente ipſi verbo Dei hîc omnino conſonè idē aſtruunt. Quod ſi eccleſię Catholico Chriſtianæ membrum velit eſſe Ieſuita noſter, non poteſt in re tam ſeriâ diſſentire: Et ſi diſſentiat, non poteſt amplius dici Chriſtianus, vel analogicè, ne quidem æquivocè.

Quæſitum & Problema eſt, *An Chriſtianus ſolis S. Scripturæ libris innixus (ſecluſa omni auctoritate & confirmatione Eccleſiæ, Patrum, Traditionum &c.) omnino certus eſſe poſſit? III. Sac. Scripturæ libros temporum intervallo nuſpiam depravatos*

prævatos esse? Resp. I. Ad hoc ita Respondet Sac. Scriptura, *Math. cap.* v. *vers.* 18 *Epist.* 1. *Petri cap.* 1. *vers.* 25. *Isaiæ*, *Cap.* XL. *v.* 8. *Lucæ*, *cap.* XVI. *vers.* 17. *Isaiæ*, *cap.* LV. *vers.* 11. &c. Hisce si acquiescat Percunctator noster, jam extra litem Problema est; Sin vero contra stimulum calcitrare eligat, est quod nos ulterius audiat. *Resp. II.* Patres rursum si ad quæsitum hoc Iesuiticum respondeant interpellare mihi fas sit, Audiat Iesuita grave dictum *Hieronymi* Comment. *in Isaiam cap.* 6. *ubi* & Origenem appellat. Quem etiamnum vide in *Cant. Cantic.* *Augustinus vero lib.* XV. *de civit. Dei cap.* 13. *& lib.* 18. *cap.* 18. *Athanasius in synopsi*, *Hilarius in Præfat. super Psalm. Theodoretus*, *lib.* 1. *de fide &* cæteri plurimi; quibus citandis ne nauseam creem, ad unicum *Sixtum Senensem* mihi recursus sit, ubi Quæstionarium nostrum detineam *lib.* videlicet 7. ejusdem *Biblioth. select. & lib.* 2. *cap.* 22. ubi incontaminatum, verum, syncerum, fidelemque Codicem demonstrat, lectione duodecim & plurium Patrum tum ante ac post Hieronymi tempora perduraſſe. Cui alios Religionis pōtificiæ Doctores adjungo. *Dried. lib.* 2. *de script. & dog. eccles.* Itē *de Translat. script. lib.* 2. *Genebrardum in Psalm.* 21. Item *Chron. lib.* 2. *ad annum mundi conditi* 3560. Item *anno* 3638. Et *anno* 3066. &c. *Possevinum Biblioth. select. lib.* 2. *cap.* 39. *Iacobum Bonfrerium Iesuitam*, *Proleg. in Pentat. cap.* 12. *Sect.* 5. *Salmeronem Proleg.* 9. *Can.* 4. *Ludovicum de Tena lib.* 2. *de Script. diff.* 3. *sect.* 4. *Iosephum à Costa de Christ. Revelat. lib.* 2. *cap.* 16. *Ludovicum Vivem*, *ad verba Augustini lib. de civit. cap.* 13. *Marcum Marinum*, *in Præfat. Thesauri. Ariam Montanum* Præfat. *in Bibl. interlin*, *Andradrium*, *defens. Conc. Trident. lib.* 4. *Simonem Muis Heb. ling. Profess. Paris. in Proleg. Comment. in Psalm.* Adde *Bannez*, *Pagninum*, *Cajet. Hier. ab Oleastro*, *Sanderum &c.* Quorum omnium coronam claudat *Rob. Bellarm. Iesuita lib.* 2. *de verbo Dei cap.* 7. *& cap.* 2. & 1. &c. Horum omnium dicta, testimonia & elogia in veritatis tutelā Iesuitę nostro Quæstionario verbotenus scripta exhibuimus, obnixeque requisivimus ac demum requirimus eorundem judicio aut suffragari aut refragari ausit, quò nobis aut lis dirempta sit, aut ulteriori Responsioni nos paremus homini nec Romano-Pontificio nec hæretico; sed Atheo, Epicureo, Libertino, Manicheo.

Quæsitum & problema est: *An Christianus solis sacræ scripturæ libris innixus (seclusâ omni auctoritate & confirmatione ecclesiæ, patrum, traditionum &c.) omnino certus esse possit? IV. Saracenum non æquè firmiter demonstrare posse Alcoranum Mahumedi esse verbum Dei ac Christianus solis sacræ scripturæ libris innixus (seclusō omni alieno testimonio) demonstrat ac probat?* &c. Resp. 1. Sacra scriptura ita respondet: *Epist. ad Romanos cap.* 1. *v.* 16. 1. *ad Corinth. cap.* 1. *v.* 18. *Iohannis cap.* 5. *v.* 39. *Psalm.* 19. *&* 119. *per totum.* 1. *ad Timoth. cap.* 1. *v.* 15. 1. *Petr.* 1. *v.* 25. 1. *ad Thess.* 2. *v.* 13. *ad Coloss.* 1. *v.* 2. *Iohannis* 14. *v.* 24. 11. *ad* 4.

Cor. 6.

Cor. 6. v. 7. ad Epheſ. 1. v. 13. ad Epheſ. 1. v. 13. ad Philippen. 2. v. 16. Euang. Iohannis c. 6. v. 68. &c. Quæ omnia ſi æquâ veritatis lance utrobique Saracenorum Alcorano ac Chriſtianorum Sacræ ſcripturæ congruere aſſerat Ieſuita, jam cum eo veluti Saraceno nos agere patiatur: Sin verò ut Chriſtianus negare malit, jam non eſt quòd pro Saraceno ejuſque armis Chriſtianus Chriſtianum ſimilibus quæſitis infeſtet. *Reſp.* II. Patres ita fuffragari Sacræ ſcripturæ eamque aſſiduo tueri nunquam deſtiterunt. *Auguſtinus libr. 26. confeſſ. cap. 5.* Item *libr. de util. credendi ad Honor. c. 16.* Et *contr. Epiſt. fund. cap. 14. contr. Donat. cap. 3. Hieronymus, Epiſt. ad Paulatum & Vrbicam &c. Chryſoſt. in cap. 1. Epiſt. ad Galat. Origenes περὶ ἀρχῶν lib. 4. cap. 1. Iunilius de Part. Divin. Legis lib. 2. cap. 27. Euſebius, Hiſt. Eccl. lib. 3. cap. 19. Ambroſius ad Gratianum Imperat. Theodoretus, in cap. 34. Ezech. &c. Caſſiodorus, Divin. Inſtit. lib. 1. cap. 16. &c.* qui ſupra theſ. 1. Quibus unâ operâ junxiſſe & annumetaſſe nihil obſtat quoſdam Religionis Papalis Doctores. Videri poſſunt *Gregorius de Valentia, Anal. fid. lib. 1. cap. 25. ex Clemente Alexandrino & Lactantio. Baptiſta Mantuanus, lib. 3. de Patientia cap. 32. &c. Petrus de Alliaco, in lib. 1. ſent. art. 3. fol. 46. Gerſon. lib. de Exam. doct. parte 2. Conſid. 1. Tom. 1. fol. 105. Melchior Canus, lib. 2. de Loc. Theolog. cap. 8. Malderus Epiſcop. Antverpienſ. de Object. fid. quæſt. 1. ſect. 8. Durandus à S. Portiano in 3. ſent. diſt. 24. Quæſt. 1. fol. 196. Driedo, lib. 4. de Dogmat. variis & libr. Apoc. cap. 4. Bellarminus, locis* ſupra *citatis.* Horum veſtigiis ſi nobiſcum hâc in re inſiſtere velit Ieſuita Quæſtionarius noſter, eorumque doctrinæ morem gerere; jam quæſtionibus Atheis & Chriſtiano indignis valedixerit, ac pio amplexu nobiſcum ipſum verbum divinum fidei noſtræ principium ac fundamentum exoſculetur.

5. Docuimus jam Sceptico-Libertinum Quæſitorem noſtrum, Scripturę lucifugam & adverſarium, quâ ratione in partes Atheorum & Infidelium ipſi tranſeundum ſit ejurato nomine Chriſtiani, ſi acies argumentorum ex & cum Patribus, Scholaſticis, omnibuſque Theologis Chriſtianis adverſus ipſum inſtruenda ſit. Quod ſi nolit in tam turpe præcipitium ſe dare, deſinat in poſterum armis & inſignibus atheorum ac infidelium Chriſtianos quamvis ab ipſo diſſentientes tentare. Vt autem tanto evidentius videant hominem ad vertigenes Scepticorum actum, exhibemus hic ἀντιζητήσεις, ſeu Quæſtiones quaſi per parodiam ipſi repoſitas. Ad quas ubi reſponderit, nôrit eadem methodo ad ſuas quæſtiones jam reſponſum eſſe. Erant autem noſtrę anti-quæſtiones I. An Papę Romani, aut concilia Papalia (ex. gr. Tridentinum) certò & firmiter inniti poſſint ſuis dogmatis, decretis, traditionibus: ſecluſis omni teſtimonio, omnique inſpiratione ſpiritus ſancti, ſeu omni internâ perſuaſione, convictione, & certioratione

ratione factâ per ſpecialem Dei gratiam ſive cooperantem ſive præoperantem. II. Quod ſi Papæ & concilia Papalia dicantur habere ejuſmodi internas perſuaſiones Spir. S. Quæritur unde prædicti Papę & Concilia *primo*, in ſe certò ſcire queant perſuaſiones & inſpirationes eſſe à Spir. S. & non eſſe à diabolo, aut corruptâ ſuâ naturâ? *ſecundo*, alios omnes, qui Papalibus decretis non ac quieſcunt (quales ſunt Reformati, Armenii, Græci, cæterique Orientales, inſuper Iudæi, Saraceni, Ethnici) certò & evidenter convincere, perſuaſiones ſuas modo dictas, eſſe à Spiritu S. & non à diabolo? III. An Lojoliticus quæſitor, aut quicunque Romano-catholici, Papalia decreta recipientes tanquam infallibilia, iſtam ſuam fidem, & cognitionem (quâ omnes Reformati, &c. quin & Iudæi, Saraceni, Ethnici carent, quamvis multis eorum ſpeciosè eadem dogmata credenda proponantur) habeant ex inſtinctu diaboli, aut ex deceptione corruptę ſuę naturæ: an vero ex illuminatione Spir. ſancti, & gratiæ divinæ cooperatione. IV. Quod ſi poſterius dicat aut dicant, (uti dicturos arbitramur:) Quæritur, An & unde ipſi in ſe certi eſſe poſſint, & ſimul omnes contradicentes evidenter convincere, eſſe ſuam illam fidem ſeu perſuaſionem Romano-catholicam, quam habent in corde ſuo, à Spir. Sancti tanquam à primâ veritate omniſque veritatis autore; & non eſſe à diabolo, aut corruptâ ſuâ naturâ? V. An & unde Romano-catholicus ſolis decretis Tridentinis, & deciſionibus Pontificum, & dogmatis ac Conſenſui patrum, & traditionibus eccleſiaſticis & libris ſacræ ſcripturæ innixus, certus eſſe poſſit, omnia illa à genuinis patribus ſcripta, à Tridentino aliiſque Papalibus Conciliis decreta, à genuinis Pontificibus deciſa, ab Eccleſiâ Catholica tradita eſſe; nihilque eorum fictum eſſe, & nomine eccleſiaſticę traditionis, Patrum, Conciliorum, Pontificum obtruſum per Impoſtores, & Scurras? Plures ejuſmodi quæſtiones Lojolitę noſtro & ſociennis proponi poſſent: quibus ſi reſpondere auſint, (uti non auſuros arbitror) viderent ſe ad circulum, vertiginem, contradictionem, & αὐτοκατάκειμαν manifeſtè adactos. Sed hę ſuffecerint. Addimus: Methodum quâ nos adverſus Atheos, Gentiles, Saracenos, Libertinos utimur, in tribus illis conſiſtere, eâ quoque & non alia Pontificios contra dictos adverſarios uti ſolere ac debere. (Vide *Poſſevinum*, *Ioh. Andream Maurum*, *Guadagnolum*, *Thomam à Ieſu*, alioſque Gentilium & Mahumediſt. antagoniſtas.) 1. *Vt* ſolvantur argumenta, quæ illi, principio noſtro, hoc eſt, Sacrę ſcripturę opponunt. Quod unicum commendat *Thomas p.* 1. *qu.* 1. *art.* 8. *&c.* 2. *Vt* ipſorum principia, ſi quæ habent aut obtendunt, (ex. gr. Alcoranum) impugnemus, & ex falſis, abſurdis, ac contradictionibus ibidem occurrentibus evincamus non

esse ea divina, θεόπνευστα, certa, infallibilia. 3. Vt persuasionibus & rationibus quibusdam à posteriori desumtis, item deductionibus ad absurdum, denique rationibus ad hominem, additis verisimilibus, quibuscunque possumus, ad agnitionem autoritatis S. scripturæ simul & veritatis fidei Christianæ ipsos deducamus. Postremam hanc methodum vide in loc. comm. de Autoritate scripturæ & in Scriptoribus antiquis ac recentioribus, nominatim Pontificiis pro veritate fidei contra Atheos, Scepticos, Gentiles, Epicureos, Saracenos, Iudæos, Enthusiastas & Libertinos. Scriptores illos require in *Cl. D. Præsidis bibliothecâ theologicâ.*

COROLLARIA
Agnata.

I. *An omnia dogmata religionis seu Theses & Conclusiones theologicæ, exsertis verbis in scripturis descripta commonstrari debeant?* Negatur.

II. *An syllogismi integri cum regulis consequentiarum, ad elenchum falsorum dogmatum ibidem monstrari debeant?* Negatur.

III. *An omnes determinationes Casuum conscientiæ in dubiis moralibus; omnes peccatorum hypotheticæ reprehensiones, omnesque concionatorum applicationes totidem verbis ibidem exhiberi debeant.* Neg. *Hæc via tandem ad Libertinismi, Scepticismi, Atheismi præcipitia nos duceret. Vt ostensum est à Cl. D.* Præside in disp. de Ratione humanâ in rebus fidei; *& fusè ac doctè à* Vedelio in Rationali theologico.

DE ATHEISMO.

Resp. GUALTERO de BRUYN Amisfurtensi.

Ad diem 22. Iunii 1639.

Subtitulus de *atheismo* & *atheis* quamvis etiam referri possit ad tit. *de Ecclesiâ*, ubi inter hostes recensentur? & ad *primum decalogi præceptum* ubi religioni in defectu opponitur: hoc tamen loco non alienum esse judicamus, ubi *de Deo* & demonstratione deitatis in cursu locor. commun. tractari solet.

Atheismi & Atheorum meminit sacra scriptura Psalm. 10. & 14. & 53. & 94. Malach. 3. Iobi 21. Ephes. 2. &c. Et Theologi *passim* 1. *Didactici omnes in loc. comm.* de Deo, & de cognitione Dei. 2. *Scriptores Theologiæ naturalis; cum Metaphysicis.* 3. *Elenctici, imprimis qui tuentur veritatem religionis Christianæ.* 4. *Scriptores hæreseων; quibus adde Directoria Inquisitorum.* 5. *Casuistæ & Moralistæ, ad tit.* de Religione, & in explicatione primi præcepti

cepti. 6. *Practici Ascetici, tit.* de Resipiscentiâ. *Vide inter alios* Ioh. Taffinum libro de Emendatione vitæ. 7. *Commentatores ad modo citata, aliaque loca scripturæ.* 8. *Quin & scriptores Politici, cum Iureconsultis. Adhæc universalis omnium temporum experientia; imprimis novissimorum, in tantum, ut occultis non modò machinationibus, sed & libris vocibus ac dissertationibus, insuper editis scriptis Atheismos passim promoveri ac spargi videas, ut infra ex historiâ patebit. Cum autem atheismus & superstitio sint ἀκρότητες ἀμαθίας,* extrema ignorantiæ, *ut loquitur* Clemens Alexandrin. in protrept. pag. 12. edit. Heinsii 1616. *imprimis illa nobis expugnanda. Nemini ergo mirum videatur, si hanc diatribem in chartam conjiciamus, & studiosos nostros pro modulo instruamus ad pestes illas felicius detegendas ac profligandas: imprimis cum jamdiu tale quid à nobis postulent viri doctissimi & amicissimi, quibus hoc denegare nefas. Est & alius hujus diatribes usus, quem indicat Hyperius in loc. commun. lib. 1. tit. de Deo p. 74.* Quoties, *inquit*, insuper aliqui in tentationibus & periculis calliditate Satanæ eo perducuntur, ut num Deus aliquis sit, addubitent? Igitur necesse est *&c. Deum precamur ut dum σκελύγμασι, & furoribus illis examinandis & exagitandis occupantur mentes nostræ, ille eas Spiritu suo in veritate confirmet & ita contremiscere faciat ad verbum suum, ne cogitationibus impuris polluantur, aut injectionibus Satanicis infestentur. Habebit autem diatribe hæc nostra* 1. *quædam* didactica, *theticè scil. Atheismi naturam & proprietates delineando.* 11. Elenctica, *controversias decidendo.* 111. Practica, *usus hujus doctrinæ, & consilia Theologica indicando.* 1v. Historica, *tum antiquitates tum novitates nonnullas de Atheis perstringendo.*

Athei & Atheismi vox latè patet: vel enim catachrestic- 1.
cè aut æquivocè sic dicitur tantum; vel revera est, idque magis, aut minus. Priori modo Iulianus apostata Christianismum ἀθεότητα vocabat apud *Sozomen. lib. 5. c. 15.* quod receptam scil. religionem non servassent. Et ante Iulianum, jam ab initio Christianismi sectatores ejus apud Gentiles vulgo Atheismi traductos, constat ex *Clement. Alexandr. 7. Stromat. p. 504.* & inprimis ex *apologiâ Athenagoræ.* Ita & hodie Põtificii nostris atheismum impingunt, ut *Possevinus bibliot. lib. 8. Claudius de Sainctes tract. peculiari, Chiconius cõtra Cuvillũ, Campanella in Atheismo triumphato, Mersennus comment. in Genesin,* aliiq; quã plurimi; de quibus infra in problematis. Quin ex suis tanquam Atheos traducunt passim sub nomine Politicorum, Nominatim Athei & Libertini coronantur *Gallo-Franci,* qui nutibus curiæ Romanæ se non manciparunt; ut inter alia

videre est in libro *Iesuitæ Garasse* in *Steph. Paschas.* consiliarium & advocatum regium an. 1622. gallicè emisso tit. *Des Recherces.* Et libro *Richeomi* ac *Feliçis de la Grace* Iesuitarum, cui tit. *La Chaße du Renard Paßquin.*; coll. cum *Apologiâ pro eodem Paschasio* à filiis ipsius editâ *lib.* 4. *p.* 673. 731. ubi dictionarium dicteriorum & calumniarum exhibetur. Sic Athei salutantur ab Hispanic. partium Theologis, Galli, Veneti, omnesque alii, qui consiliis & conatibus domus Austriacæ non favebant. Quibus retalianus autor *vindic. gallic.* contra *Patric. Armachanum cap.* 29. Hispanos Atheismi insimulat. *Ieremias Ferrier* tunc Pontificius, sed quondam Professor & concionator Nemausensis reponit, esse *proditorem patriæ suæ, hypocritam, Dei & verbi divini hostem, immo impium & Atheistam*, quicunque nō est *catholicus status*, seu catholicus politicus. In tract. cui tit. *Catholique d'estat*: seorsim in 8. & postea anno 1640. edito cum aliis tractatibus tit. *Recueil de diverses pieces pour servir à l'histoire.* Sed calumniosâ hac significatione nunc missâ, intelligimus hiç Atheum revera talem, *qui cognitionem, fidem, & cultum Dei directe aut indirectè, à se aut ab aliis removet.* Quam descriptionem colligo ex *Psal.* 10. *vers.* 6. 11. 13. *&* 14. 1. *&* 36. 2 *Iobi* 21. 14. 15. *Ephes.* 2. 12. coll. cum *Thessal.* 4. 5. 1 *Corinth.* 15. 32. 34. 2 *Petr.* 3. Et certè nōn esse appellationem Athei ita restringendam, ut quidem nonnulli velint, vidit Beza in notis ad Ephes. 2. 12. *Multiplex*, inquit, *est Atheorum genus. Vnum, eorum, qui nullum prorsus numen agnoscunt. Alterum eorum, qui Deos prorsus fictitios loco veri numinis colunt. Tertium eorum, qui Deum illum quidem verum agnoscunt, at non cujusmodi est, sed qualem ipsum esse imaginantur*, &c. Clemens Alexandrin. quamvis *Stromat.* 7. *p.* 504. strictè acceptum atheum definiverit: Ἄθεος μὲν γὰρ ὁ μὴ νομίζων εἶναι θεὸν, id est, *Atheus quidem est, qui non putat esse Deum*: in *protreptico* tamen pag. 11. laxius accipiendam hanc vocem ostendit, & Gentilium sacris applicat: ἀθέους ἂν εἰκότως ἀποκαλῶ τούτους, οἱ τὸν μὲν ὄντως ὄντα θεὸν ἠγνοήκασιν, παιδίον δ' ὑπὸ πτάνων διασπώμενον &c. ἀναισχύντως σέβουσι δὲ τῇ ἐνεσχημένοι ἀθεότητι &c. id est, *Atheos eos jure voco, qui eum quidem; qui est verè Deus ignoraverunt, puerum autem qui discerpitur à Tiranibus &c. impudenter colunt. Duplicique tenentur Atheismo* &c. Adde *Suidam* infra cit. *Plato dialog.* 10. *de legibus*, sub finem, sex facit Atheorum genera, publicâ autoritate coercenda. Ex recentioribus *Stephanus Paschasius in Recherces de la France lib.* 3. *cap.* 8. tria genera recenset. Confer & *Vossium lib.* 1. *de Idvlol. cap.* 3. *& addenda pag.* 1. *num.* 20. Sed supervacaneæ huic probationi ex autoribus passim citandis supersedeo.

2. Atheus & ἀθεΐα seu ἀθεότης (quæ vox apud profanos authores frequens & semel in scriptura *Ephes.* 2. 12.) variè appellatur 1. נבל *Stultus*, *insi-*

insipiens Psam. l. 14. *vers.* 11. ἀσεβὴς רשע *Iob.* 21. *v.* 7. III. Ἄθεοθεὸς apud *Sophoc. in Thyeste* & δυσθεὸς, apud eundem in *Electrâ*, ut quidem Igr. Scholiastes exponit. IV. Βέβηλος *Hebr.* 12. *v.* 16. ἀνοσιὸς apud *Lucian* ἀνιερὸς apud *Plutarch.* ἀνοσιουργὸς apud *Philon. lib.* 3. *de vitâ Mosis.* Vulgò dicuntur *Epicurei*; denominatione à certo gradu Atheismi desumpta. VI. Et *Libertini*, itidem à specie & certo modo; de quo alibi. Libertinos Iesuitæ in *Imagine primi sæculi lib.* 6. *pag.* 800. vocant *liberos*, quos ibidem eosdem faciunt cum Atheis. VII. Insuper *atheismus* dicitur synecdochicè *cyclopismus*: quod Cyclopum instar, nullam pietatis, & honestatis, curam habeant. Sic dicuntur *gigantes*, θεομαχοῦντες. VIII. Hodie in Galliâ vocantur *Deistæ*: Vide *Henr. Stephanum præpar. ad Apolog. Herodoti cap.* 14. & *Mersennum Theologum* ordinis minimorum de S. Paulâ *comment. in Genesin*, ubi eos definit, *quod cum cognitionem aliquam numinis præ se ferant, providentiam tamen ejus, & justitiam negent.* Addimus nos, aut animæ immortalitatem, aut pœnas infernales post hanc vitam. Idem *Mersennus* ex professo eos detegit ac refutat in libro gallico anno 1630. edito, in 8. cui tit. *Questions rares & curieuses theologiques, naturelles, morales, politiques* &c. Paris. apud Petr. Billaine; ubi *pag.* 112. & 146. libri satis se prodit autor *Mersennus*, quamvis nomen dissimulet. Cum hoc Deistarum Atheismo conspirant Sociniani, & socienni eorum, qui illa βεβηλώματα nostro idiomate cum auctario in Belgio ediderunt. Vide *nostram catechizationem ad catechismum Remonstranticum. quæst.* 105. IX. *Luciani*, *Aretini*, *Rabelesii*, qui exemplo eorum omnem religionem exsibilant. X. In Gallia vernaculè mystica cabalâ seu termino furoris istius initiatis & mystis usitato *Degrués*; quo innuunt se non esse grues, id est, non facile falli. Hanc esse mentem Deistarum, & paroemialis istius phraseos Gallicæ (*je ne suis point grüe*), per literas docuit me summus Theologus *Andr. Rivetus*. Iidem Deistæ vocant se *Esprits forts*: qui scil. jam confirmati sint ad nihil amplius credendum; seu qui ad perfectionem nihil credendi jam pervenerunt. XI. Dicuntur etiam synechdochicâ denominatione *Politici* (quam verè aut accuratè hic non disquiro,) & signatè *Machiavellistæ*. Ita ut synonyma sint *Libertinus*, *Atheus*, *Politicus*. Corn. à Lapide ad Hebr. 11. v. 6. *Si tum quis Atheus aut politicus putet Deum non curare res humanos &c.* Et in 2 Timoth. 3. 9. ait, *Lutheranismum & Calvinismum abire in Atheismum*; *eorumque asseclas fieri Libertinos & politicos.* Confer *Lenseum*, *Stapletonum*, *Contzen* infra cit.

Vt gradus & species Atheorum cognoscamus; dividimus Atheismum 4.

in proprium, & participatum. *Iſte eſt*, quando quis conſilio, permiſſione, imperio, aut quocunque alio modo, quo quis particeps ſit alieni peccati, atheiſmum promovet. Excellit autem inter alios ille modus, quando quis curioſis & maleſanis diſputationibus contra proprium ſenſum alteri perſuadet Atheiſmum, idque ut aliquid ab aliis impetret, quod alio modo ſe non poſſe conſequi credit; aut ut ſubtilis, doctus & diſertus ſupra alios appareat. Hos *Merſennus cõmentar. in Geneſ. 1. verſ. 1. p. 226.* non vult veros Atheos appellari. Sed omnino tales ſunt dicendi, ſicut idololatria aut Magia participata, verè talis eſt, quamvis ab aliis ſpeciebus diſtincta. Ab hoc Atheiſmo participato putamus non alienum fuiſſe Cardinalem Perronum (quid de atheiſmo proprio fuerit, nos hic non dicemus; forte infra. Interim videat, cui vacat noſtram *Deſper. cauſam Papatus lib. 3. ſect. 2. c.* 10.) qui cum coram Rege Galliarum Henrico III. habitâ oratione probaſſet eſſe Deum, obtulit ſe die ſequenti contrarium probaturum, ſi Regi allubeſceret: quâ ob cauſam juſſus fuit aulâ excedere. *Ille* eſt vel directus vel indirectus ſeu interpretativus. *Directus* eſt, cum quis omnem cognitionem, ſenſum, & fidem numinis, in corde ſuo quantum in ſe eſt exſtinguere conatur; adeo ut ad ἀναισίαν contendat, immo ad eam aliquando perveniſſe & ſibi & aliis perſuaſum velit: Et hunc eſſe ſummum ac perfectiſſimum Atheiſmi gradum infra in parte elenctica oſtendemus. *Indirectus* eſt, cum quis per neceſſariam conſequentiam omnem Dei cognitionem & ſenſum everſum it. Eſtque vel theoreticus vel practicus. *Practicus* eſt 1. cum quis ipſa profeſſione, religionis ac pietatis curam & exercitia etiam externa, tanquam inutilia abnegat, aut negligit. Quales ſpecialiter Deiſtæ, Epicurei, Lucianici, Libertini, Profani dici poſſunt. Ad hanc claſſem referimus *enthuſiaſtas & zelotas ſpiritus*, imprimis, *Henric-Nicolaitas, David-Ioriſtas*. De quibus videndi *Marnixius Sanct. Aldegondii dominus, Vbbo Emmius, Caſparus Grevinckhovius &c.* 11. Quando quis veræ religionis profeſſionem & exercitia externa abnegat, aut negligit: quamvis aliquam religionem profiteatur. Et ſic Ethnici omnes dicuntur Athei *Epheſ. 2.* & κατ' ἐξοχὴν peccatores *Galat. 2.* Pari fere modo Mahumedani, Iudæi; & ſectarii illi inter Chriſtianos tum antiqui tum novi, qui proximè ad apoſtatas illos accedunt. 111. Quando quis non tam ſenſu aut profeſſione, quam vita, moribus, praxi religionem & Deum abnegat 2 *Timot. 3. verſ. 2. 3. 4. 5. Pſalm. 14. 1. 2.* De talibus hodie innumeræ concionatorum & theologorum querelæ. Adſcribam verba perſpicaciſſimi & piiſſimi Perkinſi Operum Tom. 2. pag. 446. in parte altera explicat. *Sermonis Chriſti in Monte.* in Math. 6. 24. *Vſus. 2. Hinc Atheiſmus hujus ſæculi, qui paſſim abundat, nobis patefit: Deũ enim contemnere & odio proſequi eſt purus putus*

Athe-

Atheiſmus. Iam verò qui Corda ſua Deo ſubducunt & ſeſe huic mundo totos devovent, mandatis Dei oblitis, & eorum obedientiâ excuſſa, Dei contemtores oſoreſque, Chriſto Iudice, habentur; horum verò plena ſunt omnia. Novi quidem hos homines, ut Athei audiant, valde indignari, (N. B.) *nihil tamen refert, quantum à mundo fiant, nam uſque dum ſceleſtos hos mores correxerint, Chriſtus eos meliores non ducet.* Tales vomicas complures eſſe hodie in eccleſiis noſtris conqueritur *Scultetus in Ieſa. 22. conc. 1. p. 274.* Ad hanc claſſem referri poſſunt, qui neutrales & indifferentes ſunt ad cujuſcunque religionis ſuſceptionem & profeſſionem, quique religione utuntur ut nummo, modo ajunt, modo negant, ſimulant, diſſimulant, de quibus verè dicitur: *Omnis religio nulla religio.* Dicuntur autem illi *Neutrales, Ecebolii, Vertumni, Cothurni.* 4. Hujus generis imprimis ſunt Machiavelli diſcipuli, Pſeudo-politici, Pſeudo-aulici, & iſtius farinæ χαρίεντες, popularis auræ & ambitionis mancipia. 5. Adde gulæ mancipia, quorum Deus venter *Philipp. 3.* qui φιλήδονοι μᾶλλον ἢ φιλόθεοι 2 *Timot. 3.* Epicuri de grege porci: quorum hæc ſumma pietas: *Edamus & bibamus* &c. 1 *Cor. 15. 6. Denique* mancipia avaritiæ, qui deſcribuntur 1 *Timoth. 6. Epheſ. 5. Coloſſ. 3.* Inter quos bona eccleſiaſtica uſurpantes & Deo non dantes quod Dei eſt hoc nomine inſigniunt Theologi Angli *Topſel in Ioel ſerm. 10. & Kelletus lib. 2. miſcellan. theolog. pag. 9. p. 50. 7. Poſtremo* adulatores & mendaces, præſertim aulici: quos Atheos ſalutat *Contzen* Ieſuita theologus in *ſuo aulico cap. 21.* & *Chavaſſus de perfecta prudentia lib. 2. cap. 3.* Confer *Fileſari tract de Idololatria politica. Indirectus Atheiſmus theoreticus eſt* cum quis per verâ & ſolidam conſequentiam Deum negat, & deitatem tollit. Hic iterum duplex eſt, vel primarius vel ſecundarius. *Primarius* eſt cum 1. conſequentia eſt immediata, ut ex. gr. ſi quis neget omnem Dei providentiam, is proxima & immediata conſequentia negat Deum. Ita ſi quis neget Deum eſſe juſtum, immunem ab omni peccato &c. Sic Epicurei paſſim vocantur athei. 2. Cum generalitas eſt negati antecedentis, quia ſcil. principium generale eſt religionis, ut ſi quis neget divinitatem ſcripturæ cum ethnicis, aliiſque extraneis, aut eam in dubium trahat cum Pontificiis; aut ſi neget lumen naturale, ejuſque certitudinem, quæ tamen poſt ſcripturas eſt omnis cognitionis rerum tum divinarum tum humanarum principium; quod faciunt antiqui & recentiores Sceptici, Pyrrhioni, Academici, quorum furoribus non parum obſtetricatur præſumta nova methodus Ieſuitarum *Arnaldi, Verroni*, &c. Quam perſtrinximus Diſput. *de Ratione humana in rebus fidei*: Confer *Vedelii Rationale fidei lib. 1. cap. 5.* Forte eodem reſpexit doctiſſim. *Merſennus*, cum ſub nomine Math. Flaccii Illyrici tanto cum zelo & tam operosè probat eſſe in homine na-

ne naturales notiones, & legem naturæ in 1. *cap. vers.* 1. *fol.* 225. *usque* 279. Spero illum aliquando visurum, non ab hæreticis, quos sic appellat, sed à Papistis arma Atheis certatim suppeditari. De quo infra in problematis. Ipse *Illyricus in disp. contra Strigelium pag.* 313. concedit esse aliquod lumen in homine, quod scil. *sit aliqua divinitas & potentia supra hominem.* 3. Cum generalitas est negatorum consequentium, seu conclusionum; quo fit ut Deus negetur. Sic e. gr. si quis aut omnia, aut pleraque Dei attributa neget, is consequenter Deum negat. 4. Cum per consequentiam non tantum certam & proximam, sed etiam lumine naturali evidentem negatur deitas. e. gr. cum quis negat Dei præscientiam *Secundarius* est, cum lumine naturali certa quidem est consequentia, sed non tam proxima & evidens; ut cum negatur modus Dei immensitatis, immutabilitatis, animæ immortalitatis, corporum instaurationis: quo modo negato, ipsa res negari intelligitur. Et hoc sensu à *Becano in Manuali*, & *scriptis contra Vorstium*, quosdam ejus errores non immerito *Atheismos* dici concedimus. Vide *primum tractatulum Becani contra Vorstium*, ubi dicit à Calviniistis nunc doceri *hos Atheismos* &c. & alterum *tractat. de Deo & attributis divinis* editum anno 1611. Moguntiæ, ubi in frontispicio comparent ista verba: *Et novi Calvinistarum* (Vorstium intelligit) *Atheismi refelluntur.* Idem agit *Grauwerus Lutheranus.* Ex nostræ Religionis Philosophis Vorstio Atheismum impingit *Georgius Eglisemmius in Crisi, & Hypocrisi responsi Vorstiani.* Et Math. Sladus in Scholasticæ disceptationis part. 1. talem præscribit titulum: *de Vorstii blasphemiis, hæresibus, atheismis à Serenissim. Potentissim. magnæ Britanniæ &c. rege Iacobo &c. notatis.* Quin ipse *Rex Iacobus in declaratione sua super causa Vorstii*, verbis & ore legati sui hoc epiphonema Vorstii novitatibus adscribit: *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.* Scepticismum eidem Vorstio passim attribuunt omnes ejus censores & antagonistæ. *Sladus in præfatione libri modo cit.*, *Pareus in epistola ibid. Lubbertus*, aliique. A Socinianis, aliisque antitrinitariis *Atheismum* promoveri contendunt ipsorum antagonistę, inter alios *VVigandus*, quem citat & approbat *Prateolus de hæresibus* in voce *Athei.* Remonstrantibus idem objicit *Vedelius lib. 1. Arcanorum Arminianismi cap.* 1. Qui liber à Clar. Theologis Leidensibus approbatus, & postea tribus seqq. partibus à *Vedelio* defensus est. Vide *part.* 4. *lib.* 2. *cap. penult.* Atque hæc Atheismorum divisio. Posset uterque atheismus tum directus tum indirectus aliter & variè distribui. 1. *Ex causis.* Sic alii sunt qui ex praxi procedunt ad theoriam, & hanc ex illa oppugnant; alii è contra ex seductione & mala theoria corrumpunt praxim.

xim. Alii ab authoribus ſuis dicuntur Epicurei, alii Machiavelliſtæ, alii Rablæſiani, alii Lucianici, &c. Rurſum, alii qui curioſitate & vanitate ingenii; alii qui pravis affectibus & cupiditatibus otii, ignaviæ, rerum novarum, voluptatum, avaritiæ, ambitionis, vindictæ &c. in Atheiſmum propelluntur, aut alios propellunt. 11. *Ex ſubjecto*; alii ſunt ingenii magis theoretici aut artificialis, utqui inter Medicos, Philoſophos, Mathematicos, Architectos, Grãmaticos, Rhetores, Poëtas, Dei cultum ſuſq; deq; habent, aut numẽ oppugnãt, aut in dubiũ vocãt. *Alii* ingenii magis practici, quales profani inter politicos, Iuriſconſultos, militares, Eccleſiaſticos (ſeu mavis Politico-Theologos & politico-eccleſiaſticos) in quo genere excellunt non pauci Papę, Cardinales, Epiſcopi, aliique Pſeudo-Clerici, præſertim curiales Romani; de quibus vide teſtimonia domeſtica collecta ab *Illyrico in catalogo*, & *Pleßæo in myſterio*. Quibus addo recẽs Petri Mathæi hiſtorici Galli in Hiſtoria Henrici IV. lib. 7. narr. 2. §. 8. *Ingenia quorundã in Italia ſunt ſatis libertina, quæ ſibi placitis tantũ fidem habere & credere, ad inſtitutũ modum Deum colere, & ſuo judicio fideque ſtare volunt, & quo propiores Pontifici ſunt, eo minus fulmen Vaticanum curant. De anima opinionem in delitiis & voluptatibus ponunt, eamque pro ſalis grano habent, quod corpus à corruptione tutum ſervat, atque in hoc unice incumbunt, ne homines videri queant.* Notæ & lemmata marginalia ibidem adſcribuntur: *Ingenia athea & libertina.* Et, *Athei ſibi perſuadent animam non eſſe, nec ullum vitiorum judicem & cognitorem Rhadamantum.* Pontificii poſthac deſinant *Calvinum* mendacii arguere quod *lib.* 4. *Inſtitut. c.* 7. §. 27. ſimile quid curiæ Papali objecerit. 111. *Ex adjunctis*, ſtatibus & vocationibus hominum. Sic alii ſunt Principes & Magnates; alii aulici & miniſtri regum aut regnorum, alii nobiles, alii mercatores, alii literati & Academici, alii plebei, Idiotæ &c. IV. *Ex quantitate* tum intenſivè tum extenſivè, hoc eſt, ex partibus integrantibus, gradibus &c. Sic alii ſunt Athei in fieri, alii in facto eſſe; alii integri & perfecti, ſeu totales, alii partiales, prout vel paucorum, vel nullius fidem prætendunt; alii magis verecundi aut moderati, alii aperti, audaces & gnaviter nequam; alii ductores & ſeductores, alii ſeducti; alii ſpecie & ſimulatione religionis aut ſectæ alicujus peculiaris, alii abſque ulla tali palliatione; Alii qui nominatim & perpetuo in impugnatione hujus aut illius articuli e. gr. immortalitatis animæ, providentiæ divinæ, reſurrectionis, divinæ juſtitiæ aut ſapientiæ, autoritatis ſcripturæ &c. ſenſum aut magiſterium atheiſmi ſui produnt, alii contra univerſaliter rerum divinarum & naturalium τὸ ἄγνωστον prætendunt. Poſſent alio modo partitiones atheiſmi ſeu atheorum inſtitui: ut ſit 1. *Craſſus*, quando aut Deum, aut ſaltem Dei providentiam, aut metum & cultum numinis oppugnant, aut in dubium trahunt, aut

non admittunt & constanter profitentur. Huc refer brutalem rerum divinarum ignorantiam; adhæc cyclopicum ac ferocem contemtum. II. *Subtilis & palliatus*, seu tectus: quando attributa divina & qualis sit verus Deus: aut verus Deus, seu quis sit ille verus Deus exemplo Gentilium, Mahumedistarum, Iudæorum negatur; aut religio seu ratio colendi Deum indirectè negatur, sive in totum, sive quod ad principalem, sive quod ad magnam partem. *Psal.* 94. *Malach.* 3. 1 *Corinth.* 15. 2 *Petr.* 3.; aut saltem non curatur. *Casp. Barthius lib.* 10. *adversar. cap.* 6. *in fine*, mahumedismum vocat *diabolicorum atheismorum farraginem*. De hodierno Iudaismo quid statuendum sit, constabit ex *Synagogâ Iudaica Buxdorfii*, coll. cum eruditâ *diatribe Vedelii de Deo Synagogæ*. Huc facit textus 2. Iohann. v. 9. *Quisquis transgreditur, nec manet in doctrinâ Christi, Deum non habet*. Omnes, qui veram religionem negant aut oppugnant atheis accensentur à *Gulielmo de Assonville in Atheomastige*, edito Antwerpiæ 1599. Sed majorem fidem in applicatione theseos ad nonnullas hypotheses in ipso desidero. III. *Subtilissimus seu interpretativus*; isque aut indirectus, aut participatus. Hâc significatione *Mersennus in libro* gallico *contra Deistas modo cit.* in suspicionem atheismi vocat *Charronum*, qui tamen ex professo contra Atheos disputavit *in tract.* gall. *de tribus Veritatibus lib.* 1. *cap.* 3. *usque ad* 12. Hodierni Iesuitæ (inter quos *Delrio lib.* 2. *qu.* 26. *sect.* 1. *disquis. Magicar.*) Erasmum apertè condecorant titulo *Luciani Batavi*. Reformatis atheismi passim impinguntur à Pontificiis: uti infra dicetur. Remonstrantes in *apologiâ cap.* 2. *fol.* 42. 43. & in *responso ad excerpta DD. Professorum Leidensium pag.* 88. communem Christianorum sententiam de Dei immensimensitate, atheismi consequentiâ gravare ausi sunt. Idem fere clamant de totâ religione reformatâ, quæ gratiam Dei asserit contra Pelagianos: Quâ veritate, & quâ caritate hæ appellationes, suspiciones & consequentiæ formentur, hic non determino: sufficit ostendisse, varium & multiplicem hujus vocis usum longè latèque patere apud vulgares scriptores: quâm vis in applicatione theseos ad hypothesin aberrent. Porro atheismi *indirecti* sunt, vel *externi* seu orales, vel *secreti & interni* in cogitationibus hominum: qui vel *formati* & cum victoriâ (sed hi ad crassiores potius referendi,) vel *informes* & absque victoriâ (saltem totali aut finali,) iique voluntarii (nam *involuntarias* per meras injectiones & obtrusiones dæmonis hic non numeramus) sive in se sive in causa, quando cogitationes ac dubitationes obrepunt contra Deum, providentiam, animæ immortalitatem, corporis resurrectionem, vitam æternam, cruciatus infernales, autoritatem scripturæ &c. Atheismi palliati & indirecti & quidem externi seu orales, sunt vel collectivè considerati, vel sigillatim. *Illi* sunt per modum sectæ & professionis peculiaris, ejusque vel theologicæ seu religiosę, ut Saduceis-

duceiſmus, Manicheiſmus, Libertiniſmus, & poſt illum Sociniſmus; vel philoſophicæ, ut Scepticiſmus, & Pyrrhioniſmus, Epicureiſmus, Stoiciſmus. De duobus poſterioribus exſtat judicium Cornelii à Lapide in cōmētar. ad Actor. 17. v. 18. *Ex dictis liquet tam Stoicos quam Epicureos habuiſſe ſuos atheiſmos, & in re fuiſſe atheos, immo polytheos, ideoque magis atheos.* De Scepticiſmo forte infra tribus verbis monebimus. *Iſti* ſunt, qui in una aliqua atque altera opinione hæretica theologica aut philoſophica latere judicantur. Sic Ariſtoteli atheiſmus imponitur à *Tychone Brahe*, apud *Claromontitium lib.* 15. *de Vniverſo cap.* 20. De aliis opinionum monſtris, & petulantium ingeniorum luſibus in ſubvertendis principiis diſciplinarum, & novitatibus procudendis ſic cenſet Melanthon & cum eo Academia Wittebergenſis tom. 1. conſiliorum p. 200. *Ne ſerant, aut probent, aut defendant profanas opiniones contumelioſas adverſus Deum, ut multi philoſophi in Gymnaſiis aliarum gentium hac una re perhiberi volunt philoſophi, quia auſint Epicurea aut alios furores defendere* &c. Et paulo poſt: *Non ſint* profeſſores philoſophi *agmen gigantium* aut *Cyclopum furenter ludens fingendis opinionibus, ſicut gigantes certabant cumulandis montibus.* Ita *Theologi Heidelbergenſes* anno 1610. in *epiſtola ad fratres Belgas de cauſa Conr. Vorſtii*, Nic. Taurellum propter abſurdas & periculoſas opiniones ac novitates philoſophicas, vocabant Atheum. De philoſophiæ profeſſoribus in Italia quid conqueratur conſilium delectorum cardinalium ſupra retulimus. Alios philoſophos naturæ omnia adſcribentes, aut ſupra naturalem cognitionem vix aſſurgentes plerumque *Naturaliſtas* vocant. *Iudæ v.* 19. Ψυχικοὶ πνεῦμα μὴ ἔχοντες. *Atheiſmi palliati magis practici* in genere rei ſunt omnes formaliſtæ, & craſſi hypocritæ: dē quibus agimus *diſp. de ſimplicitate & hypocriſi.* In ſpecie ſunt 1. *Machiavellici, & pſeudo-politici*; quos celebris Theologus Pontificius Stapletonus in oratione Academica, *An politici horum temporum in numero Chriſtianorum ſint habendi*, ita deſcribit: *Politici ſunt, qui rei privatæ & publicæ curam religioni anteponunt, adeoque religionem ipſam nullo loco ducunt, atque huic tam perſpicuæ impietati politiæ & prudētiæ civilis honeſtiſſimā veſtem imponūt, ut politici dicantur, qui athei ſunt.* Confer orationem *Lenſæi c. eos. qui ſe falsò patriotas nominant, p.* 36. 37. ubi eos vocat *Libertinos.* Adamus Contzen Ieſuita lib. 2. Politicor. cap. 14. *Athei, qui Rempubl. adminiſtrant, politicos ſe nominari gaudent, falſo omnino nomine &c. Atheorum ſeu pſeudopoliticorum duplex eſt ſententia de Republ. gubernandâ. Quidam enim palam omnem non modo religionem, ſed & ſuperſtitionem tollunt.* Et ſequente §. 2. *Alterum genus atheorum eſt, qui nulla quidem ipſi ſuperſtitione tenentur, inanibus tamen numinum terriculamentis plebeculam premendam cenſent, ceremonias illi ceremoniis addunt, & divos divis, variarum religionum conditores irreligioſi &c.* Inter atheos politicos eminent

Taurelly

Formaliſtæ

Politici

minent aulici ; inter aulicos Curiales Romani, præsertim ipsi Papæ. Vide *Zegedini speculum Pontificum & Pleßæi mysterium iniquitatis.* Vide etiam ex aulicis tract. *Ant. Gnevara* cui tit. *Contemtus aulæ. Contzen* Iesuita *in* suo *Aulico* dicit aulicos Nebucadnezaris fuisse atheos. *Gentiletus in suo Antimachiavello* p. 235. (edit. gall. in 12.) testatur in aulis tanti æstimatos fuisse atheos, ut dicerentur, *Gens de service.* Sunt ex Pontificiis theologis quamplurimi qui non tantum nostræ, sed & suæ professionis politicos atheismi suspectos habent. Vide *anonymi Stateram c. Erycium Puteanum* p. 98. *Corretum & Poßevinum contra discursus la Noue. Claudii de Carnin propugnationem utriusque legislationis pag.* 38. 48. *Lenseum de libertate Christiana. Apologia Wilhelmi Principis Arausoniensis* Duci Parmensi ejusque aulæ, & hæredibus Petri Aloysii tribuit atheismum, similesque artes Romanas p. 66. edit. lat. in 8. Politicis ita dictis accensendi *neutrales, cothurni, vertumni, Ecebolii*, inepti aut improbi *syncretistæ* & similes, de quibus verè usurpari potest vulgatum illud : *Omnis religio, nulla religio.* De his quædam notamus in disp. *de Syncretismo.* 11. *Avari* ; qui ut idololatræ secundum scripturas, sic & athei practici atque indirecti dicendi sunt. *Ephes.* 5. 5. *Coloss.* 3. 5. Inter avaros illos emicant fœneratores, de quibus Lutherus ita conqueritur tom. 1. meditat. consilior. &c. pag. 98. *Lipsia immersa est tanta avaritia ut* 345 *flor. annuatim accipiat sub spe pietatis & titulo caritatis. Mutuo dare alicui* 100. *flor. solvunt* 1000. *flor. Nonne hic est epicureismus*, &c. *Ah quam mala adhuc futura sunt tempora. Nostri Epicurei pejores sunt Italicis Cardinalibus, qui dixerunt, sinamus alios pios esse, si ipsimet nolumus.* Ibid. p. 97. refert, *quendam fœneratorem ἄθεον decem de decem rapientem dixisse : si tu pietatem exercere vis, nunquam in virum divitem evades : ego libentius sumerem quindecim flor.* De bonorum ecclesiasticorum helluonibus supra diximus. Sed consulendi moralistæ & casuistæ tit. de *sacrilegio*, ubi horum impietatem exaggerant. Et nos forte alibi. 111. *Voluptuarii* & ventri dediti *Philipp.* 3. Inter quos emicuerunt Curiales Romani, reliquique clerici Papales, & inter hos Canonici, quorum plerique superbiam, avaritiam, luxuriam, tres diaboli filias simul & semel sibi desponsasse videbantur. De quibus multa ex scriptoribus Pontificiis colligenda alibi forte exhibebimus. *Lutherus* libr. modo cit. titulo, *De Epicureismo in mundo* pag. 97. *Canonici Wirtzburgenses, Moguntini, & Colonienses lautissimam vitam ducunt, in otio & luxu sine curâ omnia in promptu habentes, & postea cœlum summa hilaritate occupant, scilicet.* Ex ipsis Pontificiis Hadr. Barlandus in dialogis anno 1524. editis, in colloquio canonici & philosophi, satis contemtim de iis loquitur : *Obtigit mihi canonicatus.* Philosoph. *Vide ne incontinentius vivendi præstita sit materia. Permultos gloriari videas canonici vocabulo*

qui

qui interim ab ipsa re longius absunt, quam distat ortus ab occidente. Tacitè etiam otiosum & supervacaneum hoc genus clericorum pungit *Contzen lib. 6. Polit. cap.* 41. Apertius & liberius *Grotius in notis ad Cassandrum tit. de Canonicis p.* 48. Et hos Epicureos atque otiosos imprimis respiciunt commentator. nonnulli ad *Apocal. 9. v. ult.* inter quos autores annot. ad novam translationem Belgicam: qui videndi. Omnibus in universum carnalibus & Epicuri porcis nomē & definitionē athei appopriat Suidas, cum sic scribit: ἄθεον δὲ τὸ μὴ πλὴ ἀθανασίαν τῆς Ψυχῆς διασώζειν καὶ ἀνάγειν εἰς τὸ θεοειδὲς· καὶ συνάγειν αὐτὴν πρὸς τὸ θεῖον ἀῤῥήκτοις καὶ ἀλύτοις δεσμοῖς. ἢ τ' ἀναυλία τύτων. τὸ καταστρέφειν καὶ καθελκειν τὸ ἐν ἡμῖν θεῖον εἰς τὸ γηγενὲς καὶ ἀλιτήριον καὶ γιγαντῶδες, ἢ πτανικὸν δεσμωτήριον. Cum hoc fere convenit descriptio Christoph. Besoldi in axiomatis philosophico-theologicis part. 2. p. 363. *Atheus est qui credit & curat visibilia tantum.* Confer commentatores ad *Philipp. 3. 19. & Iudæ v. 19. & 2 Petr. 2. 12.* Vt hinc rursum videas, quam latè pateat athei nomen, & quam non tantum aliquando sed ut plurimum tribuatur illis, qui Deum exsertè aut directè non negant. Conferant etiam studiosi *Danielem Tilenum* ob multiplicem peregrinationem & habitationem in Gallia, ut & variam eruditionem ac lectionem in hac diatribe de atheismo minime hospitem, *tom. 1. Syntagm. disp. 10. thesi 24. & seqq. Atheismi participati* variæ possunt esse species quæ analogicè ex collatione doctrinę de peccati participatione in genere, deque idololatriâ & magiâ interpretativâ ac participatâ desumi possunt. Qui causam veritatis & pietatis malè agendo, aut non bene agendo sive prudentes sive imprudentes atheismum promovent, atheismi suo modo participes fiunt: non minus ac medicus, qui artem medicam profitetur, læsæ sanitatis ac vitæ reus est, quamvis non volens & sciens, sed per meram ignorantiam & ἀπειρίαν ferociter contemtis tritis aliorum consiliis ac remediis, novam ac periculosam medendi methodum præter & contra artem secutus, homines perdiderit. De quo infra forte pluribus.

Accedamus nunc ad causas Atheismi. De causa principali non est quod dicamus: indubium enim est esse hominem, & impulsorem diabolum. Sed causæ impellentes & adjuvantes explicandæ. Quæ sunt vel internæ vel externæ. Internæ & proëgumenæ sunt, *tum communiores*, tum magis speciales. Illæ sunt hominis lapsi corruptio & à Deo aversio, inque ea humani ingenii cœcitas, vanitas, superbia, præsentium & antiquorum fastidium, novorum & difficillime aut minime γνωσῶν appetitus, ἀπιστία & difficultas credendi imprimis ea quæ à sensibus remota. *Istæ* spectari possunt partim in intellectu, partim in voluntate & affectibus, partim in actionibus.

ctionibus ab utroque principio procedentibus. *In intellectu, quando* quis aut cum Scepticis & Pyrchioniis sive antiquis sive hodiernis omne scibile, omnem scientiæ certitudinem explodit, ridet, in dubium trahit; aut quod libeticè quidlibet pro re natâ amplectendo aut repudiando, omnem naturalem veritatis conscientiam, omnem ejus amorem, omne naturale sciendi desiderium hominibus inditum (juxta Philosophum *Metaph.* 1. *c.* 1.) quantum in se excutit. Cujus causa est partim invidia alienæ scientiæ, partim desperatio propriæ; idque propter ignaviam suam aut ingenii paupertatem, aut occasionis difficultatem ac defectum. Quod à suo solius ingenio exspectare non possunt, ab alieno exspectare nolunt; quod suâ industriâ & labore acquirere nolunt, ab aliis inventum negant: & cum tot sæculorum experientiæ ac scientiæ minimam partem assequi & discere nequeant, aut per ignaviam & animi levitatem discere nolint; & tamen exinnatâ superbiâ & vanitate stet ipsis illud: Αἱ ἐν ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων: hinc est quod desperatione & tristitiâ in audaciam atque impudentiam versa, scepticum suum furorem in omnes scientias, omnia sapientum inventa, dictata, scripta; omnes Academias & honestessima studia, omnia Dei dona, omnes labores ac conatus effundant. 2. Quando quis contra nimio & impatienti scientiæ ardore in abdita & abstrusa quæque fertur; & quo altius evehitur, eo fortius ab altitudine inpervestigabilis veritatis repulsus in abyssum desperatę ignorantiæ & improbitatis demum dejicitur, aut instar venti in transversum fertur, & scientiam ac conscientiam & suam & aliorum turbat, subvertit. Causa hujus naufragii est. quod noluerit alicubi ingenium suum sistere, captivare, & docta Ignorantia pascere. Cum tamen in docta ignorantia non minus mentis quietatio quærenda sit, quam in scientia. Est enim & hoc scire, si certi simus non posse aliquid sciri, aut non debere investigari: ita enim aliorum in hac parte errores tutò prætervehimur, aut ex alto despicimus. Sed de docta ignorantia forte alibi & alias disseremus. 3. Vt impotens illud sciendi desiderium conjunctum sibi habet τὸ *Nil admirari*: sic & τὸ *nil credere*. Quando scil. homo in scientiæ inquisitione & processu, aut sensuum suorum, aut naturæ terminos non transcendit, aut cognitione τοῦ ὅτι non contentus est. *Primi* generis tanquam nimis idiotici à subtilioribus ingeniis, & solidè eruditis ferè rejiciuntur. *Secundi* generis inter literatos nimis multi reperiuntur. Tales enim fuerunt excellentes alioquin naturæ Mystæ philosophi, & Medici in Italia, quos Atheismum non obscurè professos testantur non tantum alii, sed & propria eorum scripta, de quibus infra. Ad hanc classem refer novos Saducæos, qui omnes operationes & apparitiones spirituum aut ad causas naturales aversis vestigiis & obtorto collo trahunt,

hunt, aut tanquam fabulas suaviter rident. *Tertii* generis sunt, qui ἀπιστίαν aut δυσπίστιαν in eo ostendunt: quod in rebus supernaturalibus, quæ Deum ejusque opera, adhæc angelos bonos aut malos, animas separatas concernunt, non admittant nisi demonstrationes Mathematicas, & quidem τὸ διότι seu potissimas, pari certitudinis & evidentiæ passu semper procedentes. Cum tamen vel accuratissima philosophandi ratio, experientias & inductiones, cognitiones ἔ ὅτι, & demonstrationes inferioris gradus; ac tales, quales subjecta materia patitur (*Ethic. Nicomach. lib.* 1. *c.* 6.) non respuat. Addo & vitam communem atque adeo totam orbitam Politiæ & Oeconomiæ axe nudę fidei humanæ sustentari ac circumferri. Dicant enim Athei & Sceptici certitudinis ἀκρίβειαν & evidentiam semper postulantes, nullam ipsi adferentes, cur verè sint & dicantur hujus aut istius magnatis, nobilis, aut honesti ac præstantis viri filii, & hæredes? An non quia mater ipsorum hoc dixit? Hic sane mera fides & quidem humana, cujus ultima analysis in affirmationem unius mulieris, absque alia ulla probatione. Hic primum cavillos suos, & sophisticas argutias exerceant; antequam ad fidem omnem divinam & humanam elevandam accedant. 4. Quando quis τῷ νοΐ seu habitui principiorum vim facit, & communia cujusque scientiæ principia temere negat aut labefactat: quin & circa receptionem communissimorum istorum: *Nihil potest simul esse & non esse*: *Et, Contradictoria non possunt esse simul vera*; tergiversatur, aut nodos exceptionum nectit. Quod illis evenit qui mordicus opinionem quamvis præconceptam contra adversarios tuendam susceperunt: qui si ipsi in atheismum non ruant, aliis saltem eo viam parant. 11. *Ex parte voluntatis* & appetitus internè impellentes causæ sunt 1. *Impatientia* alicujus defectus in affectata & solidè jactata pansophia: unde homines ad desperata consilia non raro prolabuntur. 2. *Elatio* animi, & carnalis singularitatis affectatio: quo fit ut homines quavis via, modo non trita, instar Herostrati, qui templum Dianæ incendit, ad ventosam aliquam gloriolam grassentur. Inflatum ejusmodi vanitatis utrem notat Alexander Capellus theologus Salmurienſis in libro gallico, cui tit. *Atheisme convaincu*, p. 32. Vbi vocat eum *novum & admirabilem philosophum, majorem mathematicum quam physicum, qui reductas velit atomos Democriti &c. qui postulat sibi dari certam materiam, & promittit se productum ac formaturum inde mundum huic nostro similem.* Addit ibidem: *Vbi ediderit demonstrationem modo dictam* (atomorum scil.), *videbitur, an hæc ipsius promissio tam bene fundata sit, ac præceptoris ipsius Archimedis &c.* 3. *Ferox* & indignus omnium sapientum, omnium præclarè inventorum, omnium ingeniorum, & donorum Dei præ se contemptus. 4. Qui contemptus etiam ad propria, quæ olim bene didicerunt,

runt, se extendit : adeo ut agant, saltem agere se profiteantur, ut omnia obliviscantur & dediscant, quæcunque unquam ex aliorum scriptis aut institutione didicêre : ut scil. miraculosum ipsorum ingenium instar rasę tabulæ solummodo inventis & observationibus propriis inscribendis idoneum reddatur. III. *Ex parte actionum* ex duobus illis principiis intellectu & voluntate promanantium, impellentes causæ sunt, potissimum istæ 1. *Præposțera* illa methodus, quando incipiunt quidam à summis seu ultimis, hoc est judiciis & dictatis Magistralibus, antequam fuerint discipuli, aut terminos & elementa perceperint : contra illud philosophi: *Oportet discentem credere*; immo contra monita scripturæ *Iacob.*3.1. 1 *Corinth.* 3.1. 2. 2. *Securitas* carnalis, vita profana, imprimis derisio religionis & pietatis : qui idcirco fidei naufragium faciunt 1 *Timoth.* 1. *v. ult.* Celebrem illum *Franc. Rablæsium*, & cum eo *Deperium*, *Goveanum* ex multis nominat *Calvinus tract.de Scandalis*, quos gustu veritatis antea imbutos cœcitate percussos dicit, quod sacrum illud æternæ vitæ pignus sacrilega ridendi audaciâ profanassent. 3. Crebra religionis mutatio, & transitus de sectâ in sectam : sic videas Anabaptistas, per omnes aut multas sui ordinis sectas discurrentes, tandem in Libertinismi aut Atheismi præcipitium ruere. Idem docuit experientia, de vertumnis, Eceboliis, Libertinis, Enthusiastis, qui κορυφὰς ἀιρέσεων ἀπὸ πασῶν ubi decerpserint, hoc est, omnium olera (ut non ineptè *Lutherus de Sebastiano Franck*) ubi perreptaverint, in proprio tandem suffocantur. Sed imprimis hoc obtinet in illis qui à Christianismo ad Mahumedismum, & Iudaismum deficiunt; aut qui in verâ religione apud nos educati, aut è Papatu ad nos profecti ut canes ad vomitum redeunt. Non possum non quin adscribam memorabile dictum celebris Theologi Veneti, quo ad mentionem injectam reditus Marci Antonii de Dominis Episcopi Spalatensis candidè affirmabat : *Eum, qui à reformatâ religione deficit ad Papatum, esse aut bestiam, aut atheum.* Hæc verba Venetiis in conventu NN. 13. Martii anno 1625. ex ore ipsius audiverunt Nobiliss. & excellentiss. D. Girardus Donhof Celsis. Vladislai tunc Poloniæ principis supremus Oeconomus seu aulæ præfectus, & eruditiss. D. Andreas Colvius amicus noster, tunc Nobilissimi equiti Berckio Belgarum ad Venetos Legato à sacris concionibus; qui illico verba illa in diarium suum (quod audita, visa, gesta, memoranda, non pauca continet) retulit; ibique mihi legenda & inde enotanda exhibuit. Idem nuperrimè per literas ex eodem diario suo addidit, Nobiliss. D. Donhof eodem tempore à Theologo illo serio monitum, ut anniteretur gustum & cognitionem Euangelii (reformatæ scil. religionis) Principi suo pro viribus impartiri. 4. *Perversa* illa sapientiæ divinæ, natura-

naturalis, & humanæ methodus, quod se solis, & in se nascentibus bonis (ut verbis Senecæ utar) contenti, tantum propriis experientiis suis innitantur, indeque omnem Dei & creaturarū cognitionem de novo fabricare velint; libris & historiis omnibus, etiam sacris diffisi, tanquam mendacii & περιτολογιῶν suspectis. Qualem fere causam seu viam Atheismi video & gaudeo etiam notatam ab eruditiss. *Mersenno in commentar. in Genesin p.* 232. Sane *Aristoteles* non veretur sapientem non expertum præferre experto non sapienti *Metaph.* 1. *c.* 1. Et huc facit tritum illud Hippocratis: *Ars longa, vita brevis, occasio volucris, experientia fallax* (seu *periculosa*) Confer quæ habent commentatores in utrumque autorem, & ea hodiernis nostris empiricis absque libris, absque studiis, absque artibus & literis nihil non otiosâ & desultoriâ aliquâ cogitatione perspicientibus repone.

Atque hæ quidem causæ antecedentes, seu internè impellentes, quas, 5. refert scriptura ad *stultitiam*, tanquam ad primam & generalem radicem *Psal.* 14. 1. Vide ibid. commentatores. Sequuntur *externæ*; quæ sunt vel impulsivæ, vel, instrumentales seu adjuvantes. Impulsivæ seu procatarcticæ sunt vel propriè dictæ, quæ tales per se & ex natura sua; vel impropriè dictæ, quæ tales per accidens, nudæ scil. occasiones ἀφορμαί. *Posterioris* generis sunt. 1. *Indocti* & malè consuti libri, qui rerum sacrarum explicationem & defensionem præ se ferunt. 2. *novæ* impugnationes atheorum, minus solidæ, quæ dum ab unâ parte Atheismo & libertinismo occurrere videntur, ab alterâ eidem portam aperiant. Tales sunt *Vanini in Amphitheatro*, sed quem consultò hoc ita egisse catastrophe ipsius ostendit, & passim notat hoc *Mersennus*. *Campanellæ*, *Postelli*, *Cardani*, *Gaffarelli*, *Taurelli*, necnon Cabalistarum, Paracelsistarum, & larvatorum fratrum roseæ crucis scripta ab hoc incommodo omnino non esse libera, prudentiores facile vident; quamvis nolim de intentione eorum hic judicium ferre. 3. *Naturalia* quædam temerè aut imperitè credita & jactata supernaturalia: quorum illi causas naturales cum deprehendant, inde occasionem sumunt omnia illa intra naturæ terminos compingendi. 4. *Specialiter*, ut cochlea testæ suæ, sic illi uni atque alteri experimento de virtutibus magneticis seu idiosyncrasiis, & de viribus imaginationis perpetuo inhærentes, illis legibus etiam maxime supernaturalia subjiciunt, & ex iis aut ex occultâ aliquâ arte Magiæ naturalis, sive astralis omnes illos effectus deducunt. 5. *Quod* vident, pios, justos, industrios, eruditos, sæpissimè in Rebusp. & à Magnatibus negligi, fucos autem & improbos in deliciis esse atque evehi. Atque hæ quidem occasiones, quæ avidè arripiuntur, involvunt noxam aliquam eorum, qui illas hominibus

objiciunt, & habent rationem ſcandali dati. Sequuntur & aliæ *occaſiones ſed planè per accidens*, & innoxiæ tum quod ad rem ſeu factum in ſe, tum quod ad intentionem agentis ſive formalem ſive virtualem. 1. *Idem* naturę tenor; & recurrentes ac ſtabiles omnium naturalium vices. Vide 2 *Petr.* 3.4. 2. *Permiſſio* peccatorum. 3. *Quod* malis tam benè ſit, & bonis tam malè. Vide *Pſ.* 73.4. *Quod* Deus nõ ſemper aut ſtatim exaudiat; quodque non ſtatim puniat. Vide *Eccleſ.* 8. 11. 12. *Cauſæ procatarticæ* primariæ, & quæ per ſe ſunt tales 1. *Graſſantes apoſtaſiæ*, & hæreſes, quæ maximam hominum partem abripiunt. Corn. à Lapide in commentar. ad epiſtol. Iudæ v. 11. ait, *hæreticos tandem fieri atheos, omnemque hæreſin eſſe regiam viam ad atheiſmum.* Idem inculcat ad 2 *Petr.* 2. *v.* 10. & noſtris applicat. Idem agunt paſſim alii ſcriptores Pontificii: quorum aliquos infra citabimus. Quam verè autem has conſequentias nectant, & an non melius conveniant illæ plurimis libertinicis Papiſmi & Ieſuitarum diſcipulis atque alumnis; alibi diſquirendum. 2. *Contentiones* & conteſtationes pro illis acerrimę. 3. *Conficta miracula*, apparitiones & revelationes; item vitæ & legendæ ſanctorum: imprimis cum impoſtores talia fingentes ἀπαντοφόρῳ deprehenduntur; aut ipſæ hiſtoriæ ſe ipſas ἀτόπων & mendaciorum ſatis redarguunt; aut ipſi Doctores, quibus conſcientia non eſt plane cauterizata, commentis illis bellum indicunt. Hæc homines cum vident eccleſiis Chriſtianis obtrudi, & vulgo pluris fieri in negotio religionis, quam ipſas ſcripturas; in ἀπιςίαν dilabuntur, putantes omnia ab hominibus ingeniosè eſſe conficta, idque ut plebei in devotione contineantur. Adderemus breviter viginti ſex inſulſas & inſanas rationes, quibus hodie vana & profana ingenia, & ſe & alios exercent, quas unum in faſcem quaſi collegit *Merſennus p.* 234. quaſque ipſe ibidem, & ante eum autores pro veritate religionis, infra nominandi, imprimis & *Pleſſæus* ſtudioſis noſtris familiaris, & ubique gallicè, belgicè, latinè proſtans, ſatis ſuperque diluerunt. Habes etiam capitales Atheorum & Epicureorum objectiones, apud *Plutarchum de placitis philoſoph. cap.* 7. Et *Sextum Empiricum lib.* 3. *c.* 1. Et *Plinium lib.* 2. *c.* 7. Quas repetit, & ſolvit *Valeſius in ſacrâ philoſophiâ cap.* 58. Conferēdi *Eſpenceus in* 2 *Timoth.* 3. *p.* 106.; & autores de Providentiâ *Theodoretus*, aliique indicati in noſtra *diſſertatione de Termino Vitæ.* Sed quia animus non eſt virorum iſtorum egregias reſponſiones otiosè nunc tranſcribendi, & ubi opus, elucidandi; conſultò ab objectionum delineatione abſtineo.

6. *Inſtrumentales* & adjuvantes cauſæ ſunt partim remotiores partim propiores, partim magis communes partim magis propriæ. 1. *Neſarii* præceptores; qui ſive gratis ad oſtentationem ingenii, ſive ſpe didactri, ſive ut turbent Reſpublicas & ordinem omnem inter homines conſtitutum pervertant,

vertant, passim quoscunque possunt hujus disciplinæ consecraneos faciunt. Infamis ille Vaninus Tholosæ combustus fatebatur Neapoli tredecim fuisse emissos, qui per omnem Europam venenum hoc spargerent; sibi autem sortitione aut designatione contigisse Lutetiam, ubi etiam strenuè spartam suam exornaverat, ut refert *Mersennus pag.* 671. 11. *Libri*, partim apertè, partim per cuniculos Atheismum promoventes partim M. S. (quorum meminit *Mersennus p.* 1830. & *in libro* Gallico, *contra Deistas*) partim typis editi; quorum infra aliquos indicabimus. Quod autem Mersennus ibid. addit de *libellis quos Cracovia, Geneva, & aliæ urbes plurimæ (totidem impietatis asyla) excudunt* &c. id quidem explicari velim; & judicium, prudentiam, caritatem in illo desidero. De Genevâ certum est, nihil tale affirmari posse. De Cracoviâ, ubi papatus dominatur, ipsi viderint. Sed fortè male quis ipsi retulit, aut ipse malè intellexit: ut per errorem pro Racovia (oppido in Polonia, ubi antehac Sociniani blasphemos suos libros ediderunt) Cracoviam regni Polonici metropolim, ubi celebris Academia est, substituerit. 111. *Colloquia*, dissertationes, dubia, &c. quæ huc faciant. Inter quæ maximè incautos irretiunt, quæ exercitii causa & ad ostentationem ingenii, aut sub aliena persona instituuntur. Huc refer dissertationem Perroni Regi Galliarum oblatam; cujus supra meminimus. Et disputationem quodlibeticam coram Leone x. cum ex duobus alter omnibus rationibus probaret esse Deum, alter negaret; & ipse judicium tale ferret: *Tua quidem opinio verior est* (ea scil., quæ Deum probaret,) *sed tua* (contraria scil.) *facit hilariorum vultum*. IV. *Sectæ* philosophorum aut religionum, quæ proprio quodam genio Atheismo obstetricantur: *Prioris* generis sunt 1. Pyrrhonii & Sceptici. 2. Epicurei. Nec tam procul abeunt, Hermetico Lullistæ, & Hermetico Paracelsistæ; Breviter antiqui & novi Cabalistæ. Quis enim unquam inter senos unum atque alterum monstrare poterit ab Atheismo, aut Deismo seu Libertinismo, aut neutralismo in religionis negotio & professione immunem? *Posterioris* generis sunt, Enthusiastarum, Spiritualium, & Phantastico contemplativorum & sublimantium familiæ, de quibus mox dicemus.

Ad causas adjuvantes imprimis referendas puto speciosos illos & subdolos prætextus, quibus Atheismi mysterium peragitur, quique totidem sunt allicia hominibus capiendis: aliquid enim videntur prima fronte polliceri à vero & bono non alienum. Dum enim generaliter hoc dicitur, nec in specie, aut partibus, aut ἐπομένοις omnibus & corollariis explicatur, facile incauti & minus solidè docti aut pii inescantur. Dolosus enim versatur in generalibus. Sed venenum instar scorpii habent in cauda. 1. Prætensa libertas philosophandi, etiam tollendi aut in dubium vocandi omnia

naturalis luminis principia atque axiomata, hactenus communi Christianorum & extraneorum philosophantium consensu recepta; quam Socraticam, Academicam vocant: sed quæ revera in temeritatem, audacem inscitiam, & scepticam ἐποχὴν definit. II. Iactata libertas in rebus divinis & theologicis prophetandi; de quà cum appendicibus alibi agendum. Vide egregia apud *Vedelium in Arcanis Arminian.* III. Promissa ἀκρίβεια, perfectio, & innovatio omnium scientiarum: & per hanc optata omnium rerum scientia, & quidem per compendium, absque diuturno magnoque labore, absque librorum, præceptorum, scriptionum, collectionum apparatu. IV. Gloriatio, & spes facta, de inauditis & admirandis methodis, dogmatis, dictatis, subtilitatibus, inventis: quæ cum humana omnia ingenia & hactenus inventa excedant quantum lumen solare candelam, imò ipsas tenebras, utique vacuas, puras, & perpurgatas tum aures tum mentes requirunt, atque adeo deletionem, oblivionem, & præsentaneam erasionem atque abjectionem omnis scientiæ & fidei, si quam antehac quis concepit aut admisit, hoc est scepticismi aut semi-scepticismi, quin & Libertinismi professionem. Quod si quis pœnitere illud tanti aut spem pretio emere nolit, jam dicunt illum sublimibus illis capiendis (quæ qualia sint nunquam explicant) non esse idoneum: quippe à libris, præceptoribus, discentiis antiquis divortio nondum facto, præjudiciis adhuc infectum. Necesse est ergo implicita fide & cœca obedientia thaumaturgis & mirionibus illis se mancipet & in disciplinam tradat, passivè omnes infusas & impressas quasi species recipiendo: immo in casu morbi necesse est eâdem fide (miraculorum scil.) & scientiâ astrali omnem medicinam & omnes Medicos suos abneget, atque adeo sanitatem ac vitam illis totam credat & impendat, quo miraculi promissi experientiam in ipso faciant: sub fide scil. silentii: quam etiam religiosè plerique servant; quod mortui non soleant divulgare, quæ inaudita & mirabilia adhibuerint, & quam benè aut malè se curaverint. Et hæc scil. decantata illa libertas philosophandi, & compendium ad pansophiam perveniendi. V. Specimen indicii in quibusdam scientiarum defectibus aliquâ cum dexteritate factum: quod tamen ante ipsos verè & solidè eruditi omnes jam præstiterunt: qui nunquam non fatentur, crucem & metam ingeniis nostris non tantum in theologicis sed & in philosophicis disciplinis alicubi fixam esse: nec unquam scientias & Academias per omnia fore perfectas. Ex bonis autoribus, quos difflant, argumenta illa, adjunctis solutionibus omissis, depromunt plerumque, quæ pro suis admirandis & inauditis subtilitatibus venditant. Hinc perperam apud idiotas, & nomine tenus literatos sed revera indoctos & instabiles (2 *Petr.* 3.) concludunt: *Et crimine ab uno*

nosce

nosce omnes. VI. Specimen alicujus speculationis aut inventi plerunque non tam novi aut admirabilis, quam nova veste induti; & consequenter Stoicum in morem non tam re, quam verbis seu terminis (quales ex. gr. Lullii, Paracelsi, Campanellę, καινοφωνίαι, ἀκυρολογίαι, τερατολογίαι, ad imitationem agyrtarum, erronum Cingarorum excogitatæ.) In quo uno atque altero ejusmodi specimine cum non sine rhetoricâ perpetuo se jactant (haut aliter ac Empirici circumforanei in uno liquore aut unguento:) hinc fit, ut incauti paria ab illis in omni scibili exspectent; interim instar piscis dolosâ illâ escâ ex elemento suo, hoc est principiis & axiomatis Theologiæ tum supernaturalis tum naturalis extrahi se patiantur. Quid intendant aut non intendant tales vertiginosi novatores nos non dicemus, (Deus novit), sed operis effectus & occasiones solummodo indicamus. VII. Prætensa hereseωn refutatio, & zelotica cum iis contentio. Odiosum quidem est hoc applicare: necesse tamen est præmonere. In Papatu sane (quidquid protestentur de intentione sua) ita nonnulli oppugnant veritatem scripturæ & religionis Christianæ ut omnium Atheorum, Libertinorum, infidelium, armis contra nos utantur, atque ita communem Christianismi causam illis non obscurè prodant. Videatur modo *Cardinalis Perroni libellus de Insufficientiâ scripturæ, Disputatio Iesuitæ Regourdi de Scriptura, Arnaldica & Veronica commenta* quæ scripturæ non tantum sed & luminis naturalis principium subvertunt, aliaque istius farinæ, & conferantur cum scriptis *Sebastiani Francki* Enthusiastæ, Libertinorum in Gallia (quos refutat *Calvinus*) & eorum, quorum argumentis respondet *Bellarminus*, omnium denique, quorum furores detegit Nobiliss. *Marnixius*, *in tract. contra Enthusiastas*; & videbit infrunitos illos Libertinos non tam speciosè & ingeniosè causam illam egisse ac Pontificios. Videantur *Mestresatus contra Regourdum*, aliique ex nostris *Promachi tract. de Scripturâ*; imprimis etiam *Vedelij Rationale Theologicum*, ubi ostendit Perrono-Verronicum εὕρημα recta deducere ad Atheismum. Quod si excipiant, se non sentire, sed assumere tantum illa, ut nos ad absurdum deducant: Resp. hoc à Vanino aliisque Atheis eodem colore dici posse; quasi ex aliena persona, aut κατ' ἄνθρωπον & κατὰ βίαιον illa intorqueri à se: interim dum nihil reponunt, saltem nihil solidi, inficiunt incautos & hæret lateri lætalis arundo. Hoc saltem habent Athei & Libertini, ut cum libri ipsorum prohibentur, sua tamen absque ulla adjuncta refutatione sub sigillo approbationis Romanæ publicè prostare & omnibus propinari gaudeant. Hinc est quod nullibi plures Atheos & tutius versari videas, quam in Papatu; imprimis Romę, in Italia, in Gallia: cujus historiã infra texemus.

 VIII. Præ-

VIII. Prætensa refutatio Atheismi: qui prætextus subtilissimus, & nocentissimus. Vsus est eo *Iulius Cæsar Vaninus*, qui atheismi apostolatum suum nactus apud Parisienses, disputationibus adversus Atheos virus suum hoc texit, & ad illud spargendum autoritatem ac viam sibi munivit. Quin & tract. edidit tit. *Amphiteatri æternæ providentiæ divinæ*; in quo magno ut, videtur, molimine, & novo ac solidiori modo providentiam Dei defendit. Sed revera in nonnullis causam ita defendit, ut potius destituat ac prostituat. Hæc enim ars artium: Si tantus scil. Atlas tam raris tam novis ex philosophiâ & theologiâ machinis adhibitis sustinere non potest, ergo nihil certi, nihil solidi aliunde exspectandum. Detexit passim has ejus artes laudatus nobis sæpè *Mersennus*. De Campanellæ, Postelli & similium novis machinis & singularibus μεθοδείαις, quibus hanc causam agunt, idem forte quis suspicetur. De intentione tamen eorum nolo judicare. *Apologia Paschasii* impingit *Iesuitæ Garassio* Atheismos, quod exemplo Vanini (qui impia sua axiomata depromebat sub nomine alieno, tanquam referens dicta ab Alexandro quodam aut alio Libertino) sepulta & obsoleta Libertinorum dicta in publico quasi theatro denuo pronuntiaret, *lib.* 5. *p.* 841. Deum peccati autorem faceret *p.* 854. sub personâ Libertini in dubium vocaret passionem Christi *p.* 839. Lachrymas Christi, dictum Christi de camelo per foramen acus ridendo prostitueret *p.* 837 841. Ebrium vocet *Incherubinatum* (encherubine) *p.* 827. 852. breviter quod profanitates Rablæsii & Machiavelli longè superet *p.* 30. & quidem prætextu pietatis & zeli contra Atheistas, Libertinos *p.* 825. IX. Prætextus pietatis, sublimati & deificati spiritus, singularis & rigidæ honestatis. Sic olim perversè contemplativi quidam ad eam perfectionem & deificationem perveniisse se putabant, ut affirmarent: *Se nullum habere Deum, sed usque adeo se sibi esse mortuos ac Deo unitos, ut ipsimet Deus effecti sint*: ut refert celebris Theologus Mysticus *Ioh. Ruysbrochus in Apolog. sua cap.* 2. Imprimis hodierni Enthusiastæ nostri dum spirituales videri volunt, & hac specie simplicioribus imponunt, strenuè ἀθεΐζουσι, ut quidem mysteria ipsorum detexit, & pietatem ac autoritatem potestatum Belgii contra monstra illa imploravit Nobiliss. Marnixius Sanct. Aldegondii dominus. Sed unum testem omni exceptione majorem contra Atheismum *familiæ caritatis*, seu *Henrici Nicolai* (de quo alibi) produco *Theodorum Cornhert* in Belgio notum Libertinum, saltem plus quam Semi-Libertinum, qui in *Specimine injustitiæ deificati Henr. Nicolai*, *præfat.* refert se cum Henrico illo & sectatoribus ipsius multis annis familiariter conversatum, apertam confessionem hanc ex illis audivisse, *Ego sum Deus*. Atque hactenus μεθοδείαν τῆς πλάνης exposuimus. Conferat, cui vacat, ea quæ de causis & occasioni-

casionibus Atheismi notavit *VVigandus*, & ex eo *Prateolus de hæresibus*, & *Tilenus tom.* 1. *syntagm. disp.* 10. §. 24. 25. 26. 27. Et *Charron. de* 3. *verit. lib.* 1. *c.* 3. ubi quinque causas recenset.

DE ATHEISMO,
PARS SECVNDA,

Resp. GUALTERO de BRUYN Amisfurt. *Ad diem* 29. *Iunii* 1639.

ADjuncta Atheismi partim concomitantia partim consequentia notamus nunc ista 1. blasphemiam, cujus definitionem & species nuperrimè ad 3. decalogi præcept. explicuimus. Convenienter huic præsenti negotio, suffecerit distinxisse eam in palliatam magis, & apertam. *Illa* est quando quis non serio nec tam ex sensu suo, quam captandæ tãtum (ut excusare solent) oblectationis causâ in Deum & sacra blasphemias evomit; & sic facit ea materiam joci, & risus. In quo genere excelluêre inter antiquos Lucianus, inter recẽtiores Franciscus Rablæsius, quos sequuntur plures alii hic nõ nominandi: homines indigni & obscuri; nisi forte Iesuita Garasse, qui celebrem se reddit per adversarium Paschasium: ut videre est *in apologia Paschasii tit. l'Antigarasse* supra cit. Vide 2. *Petr.* 3. 3. *& Iudæ v.* 18. *Ista* est quando quis apertè & ex professo Deum blasphemat; cujus modos & exempla suppeditat cõmunis experiẽtia, & nos quædam tunc indicavimus. Interim legat, cui vacat, *Henrici Stephani tractatũ præparatoriũ ad apologiam pro Herodoto part.* 1. *c.* 14. *&* 25. ubi vulgatas quasdam in Italia, nominatim inter clericos, blasphemias recenset. II. *Cumulum* omnium impietatum, vitiorum, & scelerum, adversus primam & secundam tabulam: quæ hic recensere supervacaneum. Quibus enim honestatis, fidei, obedientiæ vinculis, & à quo peccati genere retineatur ille, qui Deum abnegat? III. In specie Conscientiam cauterizatam, νοῦν ἀδόκιμον, ἀσύνετον καρδίαν, ejusdemque πώρωσιν & indurationem. IV. Desperationem, nisi resipiscant. V. In nonnullis etiam resipiscere nesciis, peccatum in Spiritum sanctum. De quo Scultetus in ideis concionum ad cap. 6. ad Hebræos p. 106. *Quæstio adhuc expedienda: An etiam abnegatio Christi, quæ fit corde in Epicureismum prolapso, sit peccatum in spir. s.? Respondent affirmatè apostolus noster infra cap.* 10. 26. *Petrus* 2. *Petr.* 2. 20. *Christus ipse Luc.* 11. 24. VI. Iudicia & terrores omnipotentis, quibus eos etiam in hâc vitâ persequitur, & plerumqne exemplariter punit: inter quæ emicat infelix & ignominiosa mors. Lucianum à canibus laceratum refert *Suidas*. Anonymus quidam, qui præsente Calvino in hospitio omnem Dei cultum & spem meliorts vitæ deridens subinde

inde nefariè ingeminabat, blasphemam scripturæ detorsionem Atheis usitatam (teste *Henr. Stephano tract. modo citato part.* 1. *c.* 14. *p.* 102.) *cœlum cœli domino, terram autem dedit filiis hominum,* à Deo diris torminibus repentè percussus est, quo factum, ut subinde magno boatu vociferaretur, ô Deus, ô Deus: cui quidam ex hospitibus homo probus sed facetus: *Tune Deum invocas? an philosophiæ tuæ oblitus es? cur non in suo cœlo finis Deum quiescere?* Et quoties ille tonabat, *O Deus,* hic alter subsannans regerebat. *Ubi nunc est illud tuum Cœlum cœli domino.* Sic *Calvin. comment. in Psal.* 115. Cum anno 1464. XVII. Kal. Iun. causa cujusdam civis Atheismi ab Episcopo Andegavensis accusati ageretur Parisiis, & verba Athei istius à procuratore Episcopi referrentur, aula curiæ parlamenti (ubi causa agebatur) bis contremuit, & lapis ex alto cecidit; postridie cum eadem causa revocaretur aula rursum tremuit, & trabs à propriâ sed e longè dimota fuit demissa ad duos pedes absque ruinâ; adeo ut omnes qui aderant hortore consternati, & pene examinati fuerint. Ita refert *Monstreletus tom.* 3. Et post eum *Ludovicus d'Orleans c.* 26. de fede præsidum. Et ex iis *Honsdorfius Theatri c.* 25. *Et Mersenn. epist. dedicator. ad comment. in Genesin.* Franc. Rablæsius ebrius obiit, ridens eos qui de conversione ad Deum hortarentur. Bonaventura de Perieres author Cymbali mundi (quem Atheismi seu Epicureismi insimulant *Honsdorfius in Theatro judiciorum Dei cap.* 24. Et passim *Mersennus in Genesin*) in desperationem incidit & infelices manus sibi intulit: ut refert *Honsdorf. loc. cit.* De Tragœdiis Atheorum Machiavello Politicorum imprimis ipsi Machiavello laudatorum (Cæsaris Borgiæ ducis Valentini, Oliverotti, Castrucii Lucensis, Ludovici Sfortiæ, &c.) consule historias, aut si compendio studes, libellum historicum in 8. cui tit. *Speculum Tragicum.* Alia exempla, & pleraque illa in monitis & exemplis à Politicis scriptoribus passim allegantur, ubi agunt de Principibus impiis, injustis, & tyrannis. Nec prætereundi, qui infamibus & extremis supplicis subjecti, quales celeberrimus & doctissimus ille Atheismi antecessor & apostolus Iulius Cæsar Vaninus Theologus Pontificius, qui detectus & convictus Tholosæ exsectâ prius blasphema lingua vivicomburium passus est. Godefridus à Valle (quem Pontificii fingunt ex Calvinista Atheum factum, apud *Henricum Fits in Britanno machiâ Ministror. lib.* 1. *c.* 12.) author libri de *Arte nihil credendi,* anno 1572. Parisiis combustus. Et alius anonymus ibidem nuper combustus referente *Mersenno p.* 672. *commentar. in Genesin.* editor. anno 1623. sed qui potius Pseudo-Iudaizans; quam Atheus dicendus: cujus opinio fere convenire videtur cum Martini Seidelii Silesii, cujus epistolæ exstant apud *Socinum Disput. de Adoratione Christi adversus Christian.* Francken & Franciscum Davidis; & cum

& cum Georgii Novarienſis Bononię combuſti, de quo *Baptiſta Mantuanus lib. 3. de patientiâ cap. 13.* Meminit *Honſdorf.* dicto *libro Exemplorum ad decalogum* Lipſiæ in fol. ann. 1570. edit. (unde alii compendio ediderunt *Theatrum ſeu exempla judiciorum Dei adverſus flagitia &c.* Belgicè) cujuſdam *Ligneroles* paraſiti aulici, qui apertè atheiſmum profeſſus tandem tragicum exitum habuerit; & Stephan. Iodelli gallici poëtæ, quem Epicureum & Atheum dilapidatis bonis inediâ confectum dicit. De poſteriori quid fuerit diligenter inquiſivi, ſed in bibliotheculâ meâ nihil invenire potui: donec ἔμψυχον βιβλιοθήκῃ Clariſſ. D. Rivetum conſulerem, qui ſuggeſſit; fuiſſe eum nobilem Pariſienſem, dominum de Lymodin & obiiſſe anno 1573. ætatis 41. nihil ab amicis poſt obitum ejus editum, quod Atheiſmum ſaperet: quin contra verſus ejus nonnullos contrarium apertè docere; quales illi, quos inſerit Antonius de Verdier ſuo Catalogo: *Amour n'eſt point ce grand Dieu qui ſous ſoy, Tient l'univers gouverné par ſa loy.* Et paulo poſt: *Vn autre Dieu ce grand œuvre à baſti, Et à ſon veuil à ſeul aſſubjetti, Toute ame au ciel & en terre compriſe.* Quos opponit poëmati Ronſardi de Cupidine, ubi illum introduxerat loquentem: *Ie ſuis amour le grand maiſtre de Dieux.* Idem laborem Bezæ in pſalmis vertendis ſic commendat: *Beze fut lors peſte acculli, qu'il retouchoit ceſte Harpe immortelle: Mais pour-quoy fut Beze d'elle aſſailli? Beze aſſailloit la peſte à tous mortelle.* Addit idem „Eximius D. Rivetus forte rumorem Atheiſmi ei impacti ex eo proceſ„ſiſſe, quod cum primus inter Gallos tragicum cothurnum induiſſet (po„ëtam enim Tragicum fuiſſe *Honſdorfius loco cit.* agnoſcit) & quidem feli„citer; in pago quodam juxta Lutetiam Ronſardus, Muretus, Baiffius, „Belleau & alii poëtæ, poſtquam genio indulſiſſent, ibi hircum repertum „in honorem Iodelli tanquam Tragicorum Coryphæi mactârint. Quâ „de re agit *Binetus in vitâ Ronſardi*, & id totum ludicrum ac ſcenicum fu„iſſe proteſtatur. Hactenus Cl. D. Rivetus, qui in medio relinquit, an ob idem factum Atheus ſit dicendus, niſi aliunde alia authentica teſtimonia ſuppetant. In cujus ſententiâ & nos acquieſcimus, & gratias ei & noſtro & publico nomine debemus. Interim Ethnicum illud ſacrificium neutiquam probandum. Sed de familiari & omnibus poëtis fere communi cacoëthe, in Gentilium religione mimeticè & verbis & factis exprimendâ aliquid diximus *in Diſput. de Gentiliſmo.* Interim non poſſum diſſimulare; mihi poſt primam hujus diſp. editionem in mentem veniſſe, factum hoc de hirco ſacrificato refutari à *Ioſepho Scaligero tanquã mendaciũ, in refutatione fabulæ Burdonum*, quæ cum opuſculis ejus edita eſt in 8. *pag.* 145. Infelix exitus Pontificum Romanorum, qui Atheiſmum aut Epicureiſmum non obſcurè præ ſe tulerunt, peti poteſt ex hiſtoriis Pontificum; fuerunt

autem inter alios Benedictus IX. Bonifacius VIII. Alexander VI. &c. Adderem Protagoram Abderitanum, quem ferunt ob Atheismum capitis damnatum ab Athenienſibus & profugum in mari periiſſe. Sed de pœnis ab humano judicio inflictis infra erit dicendum in problematis practicis. An autem Protagoras fuerit Atheus, itidem infra in problematis hiſtoricis diſquirendum. VII. Adjunctum eſt, quod virus hoc atheiſmi longè latèque diffuſum ſit; & quaſi univerſale tum ratione locorum, nationum, ſtatuum, temporum &c. Vide hiſtorica, quæ infra notamus. VIII. Quod familiare magnatibus, aulicis, clericis & curialibus Romanis, & ſimilibus. Hinc vulgata illa dicteria: *Exeat ex aulâ, qui volet eſſe pius.* Et, *fides laicorum optima.* Et illud Baptiſtæ Mantuani: *Vivere qui ſanctè cupitis diſcedite Româ. Omnia cum liceant non licet eſſe pium.* Et illud Pii II. *Non audet Stygius Pluto tentare quod audet Effrenis monachus, plenaque fraudis anus.*

Signa 2. Ad adjuncta Atheiſmi imprimis notanda ſigna & gnoriſmata, quibus deprehendi poſſint. Sunt autem I. Negant, aut ſaltem omni datâ occaſione in dubium trahunt ſupernaturalia; miracula ſcil. prophetias, apparitiones & operationes ſpirituum: & cum factorum luci obloqui nequeant, ad naturalem vim, antipathias ſcil. & ſympathias, ad fictas craſes & peculiaria hominum quorundam temperamenta, ad vires intellectus humani, aut phantaſiæ omnia referunt. II. Studiosè conquirunt & exagitant quæcunque invenire ſe putant in ſcripturis, paradoxologa, & ἄτοπα, ἀδύνατα, contradictoria, & ſic ſcripturæ autoritatem tam in hiſtoriis quam in dogmatis hominibus ſuſpectam & contemtam reddunt. III. Eamque & cum luce humanæ hiſtorię, & cum ratione ac ſcientiâ naturali committunt: quaſi ſcil. veritas cum veritate pugnaret. Et huc omnem eruditionem, ſi quam habent, ſpeciosè conferunt. IV. Paſſim Scholas & Academias, eorumque Doctores & ſtudia traducunt; imprimis Theologos; tanquam homines fantaſticos, infrunitos, & vitæ civili ac ſuavitati convictus humani ἀπαθεῖς: quippe ab omni ingenii & judicii, literarum & morum elegantiâ & venuſtate alienos. V. Omnes Libertinorum, Lucianorum, ac Atheorum dotes ſaltem mediocres, ut & vulgaria eorum bene geſta, admirantur, & in cœlum extollunt; quaſi nullus cum illis paria facere poſſit. VI. Metum omnem, & juſtam ſolicitudinem hominibus excuſſum eunt, & nil niſi ſecuritatem atque hilaritatem provocant, alioſque ad eam adducunt; juxta illud I Corinth. 15. 32. *Ede, bibe, lude &c.* Et hoc epiphonemate Epicureus poëta Lucretius tetricam religionem dimittit: *Tantum religio potuit ſuadere malorum.* VII. Hinc etiam ab animarum paſtoribus qui doctrinâ & exemplo ad Dei timorem, gravitatem, &c. manuducunt, abhorrent; eos tanquam ſtyges, aut aves infelices, Alaſtoras, nigras nubes

paſſim

passim declinant & traducunt; immo ad conspectum & auditum eorum haut aliter ac Felix *Actor.*24.35. horrore perfunduntur; aut ut olim oracula diabolica ad ingressum Christiani, (*Tertullianus Apologet.c.*23.) hilares & Epicureæ eorum dissertationes conticescunt. VIII. Atheismos & Lucianismos aliorum cupidè referunt, & historicè ac oratoriè edisserunt: & siquidem tempora & homines ita requirant, frigidam eorum rejectionem, aut elumbem ac novam refutationem subjungunt, aut tanquam ἄλυτα quædam & admirandas subtilitates in medio relinquunt. IX. Quod privatim, & apud suos, aut talium abominationum capaces aut helluones, & fautores, Lucianismos suos effundunt: interim, ubi res, locus, tempus ita requirit, strenuè religionem aliquam simulant, & gravissimè contestantur contra eos qui atheismi ipsos insimulant. Eleganter ostendit hoc autor *Antimachiavelli*, gallicè *part.*2.*p.*236.237. in Machiavellistis, nominatim in Caligula. De Vanino refert *Mersennus* supra citatus. X. Quod religionem ac pietatem, quam titulo tenus præ se ferre videntur, saltem strenuè negant se ejus hostes esse, nunquam aut rarò ac parcè admodum exerceant: ubi scil. religio publica non imponitur, aut ubi libertas conscientiæ viget, aut promiscuè quævis religio permittitur. *Parcus Deorum cultor & infrequens*, de se olim canebat Epicuri de grege porcus. XI. Quod ægerrimè ferunt publicè scribi, disputari, prædicari, contra atheos, & de atheis sive in thesi sive in hypothesi. Ita ut videantur tacitè pungi, aut telis iis se induere, quæ nemine nominato in altum mittuntur. Nimirum hæc vis est malæ & irrequietæ conscientiæ. Disputationem hanc meam ipsis admodum gravem & molestam fore & ante hac fuisse certum est. *Castellio* scribens *tractatulum de calumnia*, præmonebat inde dignoscendos calumniatores, si illum libellum suum ferre nequirent. Plura Atheorum gnorismata, ex causis adjuvantibus & prætextibus supra delineatis desumi possunt. Hæc aliaque partim πιθανὰ, partim εἰκότα & verisimilia, unde suspiciones & præsumtiones desumi possunt, ut tantò melius nobis caveamus, aliosque incautiores præmoneamus, conjunctim accipienda sunt, non seorsim. Et quæ non prosunt singula, multa juvant.

Conveniunt cum Atheismo 1. Odium Dei; de cujus natura & differentiis 3. alibi à nobis dictum est. II. Blasphemia, de quà ad 3. præceptum. III. Peccatum in Spiritum sanctum. IV. Induratio, & conscientia cauterizata. V. Ἀπιστία, ἀνόητος καρδία, ἀποστασία. VI. Saducæismum, Neo-Enthusiasmum seu Libertinismum, & similes furores non tam Atheismo cognata, quam species dicendas putamus. Quomodo autem omnia ista abominanda ab Atheismo differant, facile erit cuivis ex singulorum descriptionibus cum discriptione Atheismi collatis desumere. *Pugnantia* Atheismi

sunt 1. directè & primario Theologia, Religio, & tota fidei ac pietatis praxis. 11. tanquam antidota sunt rerum divinarum & humanarum solida scientia, & quæ ad apparatum illum faciunt. De quibus infra.

4. Sequitur pars Elenctica; ubi excutienda occurrunt trium generum problemata 1. Magis dogmatica 2. practica. 3. historica. Problemata dogmatica sunt 1. *Probl.* An detur cognitio Dei naturalis cõgenita. *Resp.* sunt qui omnem Theologiam naturalem negant tam congenitam, quam acquisitam; & sic hodie Sociniani. An longè ab hâc opinione absint Remonstrantes, ego non dicam, sed lectori ipsorum *apolog. cap. 1. sol. 25. b.* expendendam relinquo. Nostri communiter ex *Roman. 1. 18.* cum *2. 15.* & *Iohann. 1. 9.* esse theologiam innatam, hoc est statuunt κοιναὶς ἔννοιας seu notiones innatas, latens scil. rationis & religionis semen naturale, quod se habeat ad modum habitus principiorum: qui in adultis in actum educitur, & unde actus theologiæ elicitur absque demonstratione, perceptâ modo terminorum apprehensione: aut aliter ac primorum principiorum veritas suo lumine radiat & in mentem nostram se infundit, simulac enuntiationis termini percipiuntur: adeo ut nullius hominis adulti mens ab actuali istius veritatis coruscatione & sensu ad explicationem & perceptionem terminorum omnium possit esse libera. Damascen. lib. 1. de Orthod. fid. c. 1. πᾶσι γὰρ ἡ γνῶσις τοῦ εἶναι θεὸν ἀπὸ φυσικῶς ἐγκατέσπαρται. Augustin. in *Psalm. 44. Deus ubique secretus est ubique publicus, quem nulli licet ut est cognoscere, & quem nemo permittitur ignorare.* Idem tract. 106. in Iohannem: *hæc est enim vis veræ divinitatis, ut creaturæ rationali jam ratione utenti, non omnino ac penitus possit abscondi: Exceptis enim paucis, in quibus natura nimium depravata est, universum genus humanum Deum hujus mundi fatetur autorem. In hoc ergo quod fecit hunc mundum in cœlo terrâque conspicuum &c. notus omnibus gentibus Deus.* Confer & *Aristotelem 1. de cœlo cap. 3. Senecam epistol. 117. Ciceronem de naturâ Deorum, cum commentariis Xysti Betulei.* Cognitionem naturalem acquisitam non est quod hic persequamur; cum pauci illam negent. *Congenitam* plures negant; & qui concedunt, non uno modo illam explicant, aut probant. Pontificii vulgo testimoniis à nobis allatis addunt *Psalm. 4. 7.* idque ex interpretatione Hieronymi, Augustini, Lyrani &c. sed non videmus hoc esse solidum. Flaccius Illyricus disputans pro corruptione naturali, contra prætensum liberum arbitrium, ita nonnunquam loquitur, ut fere videatur ἀναλήθεις & notiones impressas negare. *Molineus in tract. de Cognitione Dei p. 62.* censet axioma hoc: *Est Deus*; non videri ejus evidentiæ & ἀξιοπιστίας esse ut absque demonstratione veritas ejus percipiatur, quomodo aliorum principiorum, ut *Totum est majus sua parte*: rationem addit, quia fuerunt, qui perceptâ terminorum cognitione

gnitione, negarunt tamen esse Deum. Sed longè aliud est exterius negare axiomatis alicujus veritatem, & aliud eam interiori mente & conscientia nom sentire, aut ea non convinci; Invenias etiam vertiginosos Scepticos qui ex mera animi vanitate & malitia externa disputatione in dubium trahant veritatem primo primorum principiorum: *Nihil potest simul esse, & non esse; Contradictoria non possunt simul esse vera.* Vt ab objectionibus Aristoteliçorum, Socinianorum, & aliorum dubitationibus aut ἐυαντιοφανίαις juniores se expediant suggerimus has conclusiones tanquam fontes solutionum. 1. Est congenita quædam seu innata cognitio Dei, quam Theologiam naturalem, προλήψεις, impressas notiones κοιναὶς ἔννοιαις, lumen naturale, naturæ dictamen & synechdochicè legem naturæ aut synteresin, metonymicè rationem naturalem indigetant. 2. Non quod actualis aliqua sit aut eliciatur cognitio Dei ab infante recens nato: aut species intelligibiles una cum intellectu & memoria illi inditæ sunt, ita ut μαθήσεις adultorum tantum sint ἀναμνήσεις, (discentiæ sint reminiscentiæ, ut verttit Tertullianus) quod volebat Plato. Neutiquam; nam respectu actualis cognitionis rectè dixit Aristoteles: Hominis mentem habere se instar rasæ tabulæ. 3. Neque ut notiones illæ idem planè sint cum vi naturali ratioccinandi, seu cum ipsa potentia intellectivâ. 4. Sed quod sint ab eâ distinctum quid, habens se ad modum dispositionis, aut habitus principiorum, immo pars generalis habitus principiorum. Quod si quis notionem habitus illi minus accuratè adaptari putet, dicat facultatem naturalē; quomodo de *conscientia* communiter Scholastici cum nostris philosophari solent. 5. Consistit autem hæc facultas, seu vis, seu aptitudo facultatum rationalium, seu lumen naturale in eo, quod intellectus veritatem principiorum potest sine ullo labore, prævio studio, aut ratiocinatione comprehendere, & positis ponendis (cognitione scil. terminorum) de facto sic eō-prehendit, ex naturali quâdam necessitate & insito sibi pōdere in hunc veritatis sensum atque assensum delatus & inclinans: haut aliter ac voluntas, ex naturali quâdam necessitate sine electione præviâ appetit bonum ut sic,, aut ultimum finem: Et ut oculus sanus & apertus lumen aut visibile quodcunque ingestum aut objectum, non potest non videre; Et certe requirit hoc natura primorum principiorum, ut non probentur, sed sumanturr. 6. *Complectitur* habitus ille principiorum, seu vis illa naturalis intellectuas (siquidem cum *Durando ad 3. dist. 33. qu. 1.* aliisque recētioribus malit quiis habitum superadditum negare, cum sufficiat naturalis vis ipsius intellectus tum practici tum speculativi, quam cum *Thoma in 3. dist. 23. art. 2. ad 1.* ejus necessitatem statuere) veritatem principiorum absque discursu aut dermonstratione, simplici quasi intuitu percipiendi, principia partim theo-

retica, partim practica. *Illa* sunt, vel *universalia*. Nihil potest simul esse & non esse &c. vel *particularia*, primo primum : Deus est. Secundo primum: creator est, gubernator est, judex est. *Ista* sunt, *universale*, bonum est faciendum, malum fugiendum : *particularia*, primò primum, Deus rectè colendus est : Secundo prima, quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris &c. Vis percipiendi, & secundum eam actualis absque prævio studio perceptio. Principiorum particularium tum theoreticorum tum practicorum propriè & formaliter constituunt theologiam naturalem congenitam. *Quod si* quem infantem in solitudine educari contingat, nec unquam terminos istius axiomatis, *Est Deus*, illi ab alio exponi ; eum tamen insitâ sibi ἀγχινοίᾳ, sed non absque præviâ quamvis non tam operosâ observatione, inductione, & ratiocinatione actualem illam cognitionem : *Quod sit Deus*, eliciturum putamus. 8. *Aliud* est ignorantia putæ negationis, aliud pravæ dispositionis, de quâ 1 *Thessal.* 4. 1 *Corinth.* 15. *Ephes.* 4. &c. 9. *Aliud* est cognitio salutaris & efficax, quâ scil. immutamur, ut quæ novimus opere ipso exprimere conemur ; aliud non salutaris & inefficax, & frigida, quâ nihilo reddimur meliores, de quâ 1 *Iohann.* 2. 4. 10. *Aliud* est cognitio pura absque errore ; & aliud impura dubiis, erroribus &c. contaminata. 11. *Probl.* An sint Athei, hoc est, homines qui credant non esse Deum? *Resp.* Esse Atheos nemo dubitat. Sed quæ sit Atheismi illius ratio, propius explicandum est, præmissa hac tabella,



Nunc

Nunc istis conclusionibus sententiam nostram explicamus 1. *possunt* esse, & sunt Athei practici, qui Deum non colunt, de quibus *Psalm.* 14. 4. 2 *Tim.* 3.4.5. 2. *Athei* speculativè interpretativè seu indirectè, qui talia Deo attribuunt, aut talia de illo negant, ut per necessariam & proximam consequentiam contra lumen naturale, Deum negent. De quorum gradibus & speciebus supra actum est. 3. *Externè* disputantes, immo & malitiosè ac contra sensum suum negantes. 4. *Internè* ignorantes, ignorantia scil. pravę dispositionis de Deo quod ad quæstiones, *quid sit*. & *quis sit*; immo & ignorantia puræ negationis, quod ad quæstionem *an sit*, seu *quod sit*; idque ad tępus & in casu solitarię educationis, ubi à nemine audiunt esse Deum; & in statu solitudinis ac investigationis constituti, dum palpando eum quærunt, momento illo ante actualem cognitionem & inventionem (aliquam enim hic inquisitionis & ratiocinationis morulam intercedere facile concedimus;) ratione, inquam, absentis istius actualis cognitionis & inventionis, quæ est motus & discursus intellectualis terminus ad quem, ignorantes tales impropriè possent dici Athei; haut aliter ac fideles qui in infantia habebant semen, radicem & spiritum fidei, infideles possunt dici negativè seu contradictoriè, quia non habent actualem fidem. 5. *Intus* dubitans, qui ad tempus dubitationibus *an sit Deus* vexatur, & nonnunquam iis succumbit, adeo ut ipse formaliter possit dici dubitare, excludendo aut fisteudo subinde actualem fidem, seu certam cognitionem. 6. *Intus* opinantes; cum scil. aliquando ex incerta & probabili verisimilium collectione putant se attingere posse, aut jam fere attigisse apicem impietatis suæ, & improbi voti; quod est, ut ab omni sensu & metu numinis simul & semel liberati sint. 7. *Intus* studiose affectantes totalem numinis ἀναισθησίαν atque adeo ἀπίστυ suæ πληροφορίας hoc est cupiti Atheismi in animo suo certitudinem & evidentiam. Atque hæc impiarum ejus cogitationum (*Psalm.* 10. & 14. *Iob.* 21.) & conatuum summa: ulterius enim ire eum non sinunt trabales illi luminis & dictaminis naturalis, & æternæ legis divinæ clavi; ut rationibus sequentibus cuivis æquo istarum rerum arbitro facilè persuasum iri speramus. *Prima*; tum sequeretur nullum γνωστὸν τ̃ θεῦ homini cuique venienti in hunc mundum in & cum natura à Deo esse insculptnm: quod est contra *Rom.* 1.18. coll. cum 2.14. 15. Theologia enim illa congenita non magis potest abesse ab homine, quam intellectus rationalis. Vide *commentat. in Rom.* 1. aliosque autores mox citandos; nominatim & *Mersennum in Genes.* 1. *v.* 1. ubi à *p.* 235. usque *p.* 279. argumentum hoc de notionibus impressis fusè persequitur. *Secunda*, sequeretur hominem aliquem esse sine lege naturæ, syntereśi & conscientia naturali; Quod absurdum est, & legem eam non posse deleri plane de mentibus homi-

hominum docet experientia,& egregiè disputant Scholastici ad 1.2.*quæst.* 94.*art.*6. Nominatim & *Zuarez tract. de legibus libr.* 2. *cap.* 13. & ex nostris *VVilletus in Roman.*2.14. Confer *Armin. disputat.*14. *thesi* 8. *Tilenum tom.* 1. *disputat.*10.*thesi* 6. 7. & cujuscunque ordinis ac Professionis scriptores, de *lege naturæ*; de *Conscientia*, speciatim de *cauterizata*. *Tertia*, tum homines essent inferiores diabolis, (adde & damnatos in inferno) in quibus scintillæ illæ cognitionis exstinctæ non sunt juxta illud *Iacobi.* 2. 19.; sed consequens absurdum. Ergo. *Quarta*, sententiam nostram evincit experientia universalis & consensus communis omnium gentium: quem allegant Theologi naturales, infra citandi;& omnes locor. commun.scriptores: inter quos *Vorstius de Deo Disp.*1.*th.*10.*Arminius Disput.priv.*14. *thesi* 4.&c. vide nostrum *Thersitem Heautontimor. sect.* 2. *c.* 4. Has quatuor rationes Sociniano Remonstrantico tenebrioni ibidem oppositi pro asserendâ thesi nostra: *Speculativè nulli sunt Athei, qui certo persuasi sunt non esse Deum.* Sed quia idem, ut videtur, anonymus indoctis & ineptis suis exceptionibus alias ineptias addere non destitit: addatur ratio. *Quinta*; Si omnis cognitio numinis & omnis lex naturæ, ac naturalis conscientia, plane abjici posset, tum nullum lumen remaneret in homine, quod excitatâ conscientiâ illum redderet ἀναπολόγητον; sed posterius est absurdum ex *Roman.* 1. 19. 20. *Sexta*, quia contraria sententia admodum favet Atheis, & argumenta contra eos magnam partem labefactat. *Mersennus loco cit.* ostendit primum & palmarium Atheorum argumentum duci, ex negatis notionibus menti humanę naturaliter & ἀχωρίστως impressis. *Septima*, Eadem contraria sententia cum Socinianis colludit, & juvat imprimis exceptionem eorum ad hypothesin argumenti quod pro deitate Christi ex opere creationis tanquam deitati proprio (quippe ex quo certâ naturalis luminis demonstratione concludatur æterna creantis deitas & omnipotentia *Rom.* 1. 20.) orthodoxi adferre solent. Confer *Disp.* nostram *de Creatione part.*1.*thesi* 4. *Denique*, accedit consensus Theologorum imprimis eorum qui contra Atheos disputant; inter quos *Mersennus* passim, & exsertè *pag.* 246. reliquos tum patres, tum Scholasticos, tum recentiores vide infra citatos. Hic nunc adde commentatores in *Roman.*1. *Martyrem, Pererium, Corn. à Lapide*; & qui Socinianas exceptiones refutârunt, *Pareum* & *VVilletum*; quibus adde alios Antagonistas Sociniśmi,inter quos *Ioh.Iunius in Refutatione prælectionum Socini c.*2.& *comment.Riveti in Psal.*19.; ut & commentatores quoscunque in *Psal.* 19. & 10. & 14. & 53. Videbis neminem asserere, quidquid Athei blasphement & externè negent, quidquid intus persuadere sibi conentur, eos tamen certò persuasos esse, *Non esse Deum*; aut hoc potuisse perficere; quippe reclamante ipsorum animo

nimo & obluctante conscientiâ, ut *p.* 246. loquitur *Mersennus*, & graphicè hoc depingit *Tilen. tom.* 1. *disp.* 10. *th. ult.* & breviter totam hanc controversiam acutus epigrammatographus Ovenus lib. 3. epigr. de Atheo:

Insipiens in corde suo, non est Deus, inquit,
Dixit; at hoc nullus credidit insipiens.
Insipiens negat esse Deum si nemo, quis ergo
Atheus est? Nullum qui velit esse Deum.

Consideremus nunc novissimas & interpolatas exceptiones atque objectiones adversarii Remonstrantici; tum ut veritas à nobis contra Atheos asserta illustrior sit; tum ut lectores, quorum interest, specimen habeant eruditionis, candoris, conscientiæ istorum hominum. Notandum *primo* „quod cum omnia disputaverit, tandem concludat *p.* 180. Fateor do„ctissimos etiam Theologos quosdam ex pietate erga Deum in eam sen„tentiam propendere, quæ statuit notitiam Dei hominibus singulis sic „infixam esse, ut penitus evellatur nunquam &c. plausibilis & ipso pieta„tis zelo commendabilis sententia est: à quâ tamen publicè asserenda „prudentia quemvis verbi divini concionatorem absterrere debet, ne irri„sores qui fortasse aliquamdiu, vel per annos integros non aliter quam „per ludibrium de Deo cogitant, per imprudentiam in malo etiam con„firment. Neque enim securum esse judico & firmum, hanc fidem, quod „Deus sit, omnium mortalium mentibus tam certo inditam esse. *Et pag.* „187. Vt non temere asserendum sit, neminem mortalium esse, quin „Deum agnoscat. Apud plures fortasse in dubium id vocabitur, quam „ipsi vereamur. *Et rursum paulo post*: Incertum est, si non falsum, an nulli „sint speculativè Athei. Notandum *secundo*; defendi posse antithesin no„stræ assertionis, vel quod nunquam fuerit naturalis notitia Dei in homine; vel quod sit quidem in omnibus, sed in quibusdam plane amittatur. Priori modo defendit eam Socinus. Posteriori modo defendere videri vult adversarius Remonstranticus: qui Socini errorem manifestè quidem non rejicit (ut nec socii ipsius in *Apologia cap.* 1. *fol.* 25.) sed tamen à suâ as„sertione distinguit *pag.* 179. adducto hoc simili: An non possum enim „statuere, aliquam esse Dei naturalem notitiam, & tamen aliquos ab eâ „deficere, sicut omnes à naturâ homines sumus, & tamen nonnulli om„nem humanitatem deponunt. Sit ergo hæc controversia: An Theologia quam omnes Theologi (exceptis Socinianis) hactenus naturalem vocant & agnoscunt, partim *congenita* (habitus scil. principiorum intellectui superadditus aut naturalis vis intellectus à Deo impressa) partim *acquisita*; in hominibus aliquibus plane amittatur aut aboleatur, ita ut contraria notitia illi succedat, & mens hominum istorum (Atheorum) tali speculativâ

cognitione & certa persuasione informetur ut positis ponendis, hoc est quando quis Deum ipsis proponit, aut illis cogitationes de illo suboriantur, tum certo mens eorum eliceret hunc actum scientiæ aut perfidiæ suæ atque in eo acquiescat: *quod non sit Deus*. Haut aliter ac Thersites & ego directè & speculativè sumus Apapæi, quippe qui certo persuasi sumus nullum esse Papo-Monarcham à Christo institutum. Et quomodo Socinianì speculativè sunt Α' ὁμοῦσιοι, quippe qui certo persuasi sint nullum esse τὸ ὁμοῦσιον filii Dei. Nos *Neg.* ducti argumentis præced. thesi allatis. Si quis serio Socinianam opinionem rejiceret, & totalem amissionem omnis notitiæ naturaliter impressæ, & insuper ex libro naturæ per ratiocinationem acquisitæ solummodo defendendam susciperet, is tamen urgeretur incommodis & argumentis supra positis. idque *primo* quia habitum naturalem principiorum, seu vim illam intellectus humani, ab homine separat: cum propria naturalia speciatim intrinseca & absoluta à subjectis suis separari non possint, sine implicatione contradictionis. Sicuti libertas à voluntate, risibilitas ab homine, extendi seu habere partem extra partem à quantitate & corpore, &c. Sed vis illa intellectus modo dicta est tale proprium; Ergo. *Secundo*, quia ex hypothesi adversarii *p.* 118. si quis ex nullis testimoniis tam internis conscientiæ, quam externis libri naturæ (per quæ palpando Deus inveniri potest) Deum deprehendat; is facile potest demonstrari ex homine in belluam, aut per negligentiam aut per malitiam degenerasse; atqui posterius absurdum, & implicat contradictionem, ut homo retinens speciem & formam essentialem hominis mutatus sit in animal irrationale. Vnde constat vel ipsius adversarii confessione non posse magis à naturâ rationali separari totaliter illud lumen naturale à Deo impressum, quam libertatem aut appetitum boni (sivè veri sive apparentis) à voluntate humanâ. Quod si dicat, se *belluam* metaphoricè accipere: rectè & belluis metaphoricis non repugnat alicui sensui numinis, stimulis naturalis rationis velint nolint obnoxias esse, etiam cum maximè Deum oppugnant, & belluino more vivunt. *Tertio*; si ad eum statum devenirent homines ut certa falsæ suæ & contrariæ fidei seu ἀπίστιας Atheisticæ persuasione credant non esse Deum; sequeretur hanc falsam fidem seu hunc errorem speculativum, ex hypothesibus Remonstrantium etiam suo modo dicendum esse innoxium, atque adeo publicè privatimque tolerandam ejus confessionem; quatenus scil. non esset contra naturalis & proprii sensus, ac conscientiæ stimulos, saltem quatenus & quamdiu illi profiterentur se non sentire sic contra scientiam aut conscientiam suam, sed ex merâ & certâ intellectus sui persuasione ac convictione: itaque contra hanc persuasionem non posse se aut debere ullum axioma credere, re-

re, recipere, aut profiteri. Quod si adversarii eorum dicant ipsos errare; responderent se idem sentire & dicere de accusatoribus suis, atque adeo tantundem utrimque dici: juxta methodum apologeticam omnium fanaticorum & hæreticorum, quam præformarunt ipsis Remonstrantes in *Vindiciis contra Vedelium lib.*1. *c.*1. *p.*10.14.16. & *cap.*3. *p.*13. & *lib.*2. *cap.*2. *p.*104. & *cap.*8. *p.*148. & *cap.*9. Dicet enim prætensus ille Atheus speculativus se non magis à novâ istâ methodo apologeticâ excludendum, quam Servetum, Franciscum Davidis, Socinianos alioque hæreticos; aut quam Libertinos seu Atheos secundi generis, de quibus Remonstrantes *loc.cit.* loquuntur: Nisi probent 1. Magis professione suâ secundum intimum animi sensum prolatâ peccari à se contra naturam & lumen naturale, quam à Socino negante Dei præscientiâ futurorum. 2. Suam hanc hæresin magis esse contra conscientiam & ex merâ malitia, quam blasphemas alias hæreses, Libertinismos, Atheismos: vel sic, Atheismos secundi generis, hoc est practicos, aut indirectos, aliasque blasphemas hæreses non ducere originem suam ex propria hominum negligētia, aut malitia (quamdiu scil. ipsi hoc non confitentur) suam autem ducere. 3. Libertinos & secundi generis Atheos nō degenerasse ab hominibus in bestias; se vero degenerasse. Cōtra quæ naturæ aut rationis humanæ indita semina, principia, naturales notiones, æternam legem peccarit? Immo addet, se potius venia ac cōmiseratione, & minori insectatione, odio, pœnâ dignum, quam ullum alium hæreticum aut Epicureum, aut Atheum secundi generis, hoc est Libertinum; quod ad statum bestialem à ratione humunâ illi nondum degenerarint, ipse autem in eo statu nunc constitutus sit. Hæc & similia conformiter arcanis & dictatis Remonstranticis Vanino alicui ad rogum damnato commonstranda essent; siquidem absque principiis & notionibus impressis, quas nos cum Antagonistis Atheorum (inter quos *Mersennus* in hâc palestra ob tantam in Galliâ Atheorum frequentiam exercitatus) tam studiosè defendimus, cum illo congredi velint. Horridus enim ille Vaninus, usque ad extremum vitæ scientiam suam omnibus Antagonistis suis non desiit opponere, ejusque libertatem postulare & defendere. Cum enim more solito imponeretur illi à judicibus ut à Deo, Rege, & justitia veniam postularet: Negavit se id posse facere: Non à Deo, quandoquidem eum esse certum non esset, nec ipse crederet: Non à Rege, quod nihil in eum peccasset, immo nullum se fideliorem subditum rex habuerit: Non à justitia seu judicibus, quod in eos non peccasset, & illi ipsum maxima injuria afficerent; & si diaboli essent in inferno, ut quidē hoc credi & dici solet, se potius devoturum judices, ut ab illis auferantur. Alii addunt dixisse ipsum: Se potius Deum precaturum ut vindicaret:

sed quia certum non esset, Deum & diabolos esse, relinquere se hoc in medio: hoc est se nec veniam à Deo & judicibus petiturum, nec vindictam imploraturum. Hæc à fide dignis mihi ita relata hic referre visum fuit, ut Thelogiæ naturalis æternæ (ne in ipso quidem inferno abolendæ, non magis quam rationis humanæ) veritatem retinendam & contra Atheos tales (quidquid simulent & protestentur) urgendam ostenderem. Paulo aliter tragicam Vanini historiam refert *Mercurius Gallicus*. Sed de hoc infra. Leviculas autem & volaticas Sceptico-Remonstrantis nostri non tam rationes quam suspiciones, conjecturas, interrogationes, ut dissolvant juniores, & tanto evidentius rationum nostrarum soliditatem pervideant, suggerimus hos fontes solutionum. 1. Exteriorem Dei negationem, & malitiosam ac hypocritam protestationem, quæ verbali contentione peragi solet, non esse eandem cum interiori scientiæ & conscientiæ negatione, immo istam illâ non includi aut necessario & ἀχωρίστως cum illâ conjunctam esse. Quod docent exempla Atheorum & Epicureorum ab autoribus passim citata: inter quæ Anonymi apud *Calvin. in Psal.* 115. *supra cit.* & Caligulæ apud *Suetonium in Caligulâ cap.* 51. coll. *observatione Philonis Iudæi*, & *Tilen.* quæ in *Therside* nostro citavimus. Adde quæ Theologi commentantur de Abnegatione Petri, & de distinctione hæreseos in externam & mentalem: quæ analogicè huc applicanda. 11. Aliud est interiori scientiâ & conscientiâ (sed errante) aliquem ad tempus certo persuasum esse, Deum non esse gubernatorem universi, aut creatorem, aut futurorum præscium aut immutabilem, aut infinitum &c. & aliud aliquem intus certò persuasum esse, contra impressum illud principium particulare primo primum: *Est Deus*. Prior persuasio si post adhibitas omnes convictiones alicubi statuatur (quod ego ex Epicurei, aut Deistæ aut Sociniani conscientiæ suæ convictionem prætendentis affirmatione non facile admitto, sine aliis documentis) illa utique dicenda est indirectè & per consequentiam Deum ipsum negare & tollere: sed inde non sequitur, hominem illum intus speculativè videre, & certo persuasum esse: *Non est Deus*. Vt infra ad objectionem Remonstrantis perspicuè pluribus instantiis ipsum docebimus. 111. Aliud est tentatio, suggestio diaboli & carnis: & aliud ejus receptio: aliud item lucta & pugna cum cogitationibus atheis: & aliud victoria: aliud volatica cogitatio, aliud fixa & constans scientię aut fidei (seu potius ἀπιστίας) contrarię persuasio ac certitudo, quâ mens humana informetur, & tanquam rasa tabula omni sensu & notione naturali numinis jam vacua & exuta conscribatur. Prius *non negamus*: quia nec scripturę nec rationi repugnat, ut testimoniis & experientiis hominum fidem hic adhibeamus. *Mersennus p.* 280. refert quendam merore

merore confectum, conqueſtum ſe de Dei exiſtentia dubium, idque 30. rationibus, quibus diabolus eam à mente ejus tollere niteretur: qui tamē ad ſaniorem mentem redierit. Poſterius *negamus*, quidquid athei quidam ex ſua experientia aut affirmatione, & cum iis anonymus Remonſtrans Atheorum veracitate in teſtimonio dicendo nimium fiſus hic cōtradicant. Ratio eſt, quia repugnat ſcripturis & rationibus à nobis allatis; ſpeciatim huic. Quod tali certitudine informari intellectum hominis, prohibet vis illa & lumen intellectus intus impreſſum: niſi ſolidè probent, illud planè in hominibus illis aboleri, manente ſcil. mente rationali; quod tamen de diabolis, & damnatis in inferno affirmare non auſint, ſaltem probandum non ſuſceperint. Reliquos fontes ſolutionum ſequenti parte pertexemus.

DE ATHEISMO.

PARS TERTIA.

Reſp. GUALTERO de BRUYN Amisfurt. *Ad diem 6. Iulii 1639.*

FOns ſolut. IV. eſt; Aliud eſt dubitationis & ſuſpicionis, incertitudo; aliud certa perſuaſio ἀδιάπτωτος ſcientiæ aut fidei. Quantum differant dubitatio & certitudo nōrunt tyrones philoſophiæ. V. Rurſum, aliud eſt opinio, cujus aſſenſus infirmus & vacillans, eſt enim opinio, ut à nobis hic ſumitur, *acceptio unius partis cum formidine alterius*, ut *Bonaventura in 3. diſt. 24. qu. 5.* aliud certa perſuaſio, quæ explicitam mentis convictionem, quietationem ſeu acquieſcentiam dicit; ſive illa ſit fides, ſive ſcientia. Requiritur enim ad aſſenſum firmum & certum, ut mens huic vel illi enuntiationi ita aſſentiatur, ut de veritate ejus non dubitet, nec aliquo modo metuat, ne iſti enuntiationi aſſentiendo erret. Sed hæc docebunt anonymum noſtrum tyrones philoſophiæ; aut ipſe diſtinctiones terminorum iſtorum diſcat ex lexicis philoſoph. & Theologic. *Ruvii tract. de Habitibus, commentat. in Ethic. Nicomach. libr. 5. Alſtedii Hexilogiâ in præcognit. Philoſoph.*: Vel ſi ita malit ex *diſputat. Bellarmini & Antagoniſtar. de certitudine fidei*, & *Baronii Philoſoph. Ancillante Exercit. 3.* Et Scholaſtic. ad *Thomæ 22. quæſt. 2. art.* 1. I.

VI. Notitia Dei eſt habitualis: aut actualis. Illa abeſſe nunquam debet nec etiam totaliter abeſt: iſtam ſæpè abeſſe contingit, immo aliquo in caſu abeſt ſine peccato: neque enim tenentur omnes homines ſingulis momentis enuntiati iſtius, *Eſt Deus*, actualem & formalem cognitionem elicere, aut cogitationem exercere, apprehendendo & dijudicādo. Aliudergo eſt abeſſe ad tempus actuales cogitationes, ſeu actualiter elici-

tam cognitionem de Deo à mente Athei, idque per negligentiam & malitiam; & aliud est abesse notitiam Dei quæ ad modum dispositionis, seu habitus permanentis primitus impressi & deinde per observationem ac ratiocinationem ex libro macrocosmico efformati concipitur. Nota est distinctio inter privationem actus seu partialem, & habitus aut facultatis, seu totalem. In dormiente aut affectibus opthalmicis laborante est privatio visus priori modo, in cœco posteriori. Cum de Atheo speculativo, & certò persuaso disputatur, intelligitur & contrariæ formæ (ita loqui liceat) positio & habitus seu facultatis permanentis privatio: haut aliter ac quæri solet an aliquis sit injustus, impius, blasphemus, apostata, Iudæus, Epicureus &c. Non agitur ex. gr. de unâ altera transeunte & volaticâ cogitatione qua quis de Christo non assentitur firmiter huic veritati *Christus est ὁμοούσιος cum patre Deus*: ut inde dicatur hæreticus interior, mentalis, & speculativus, qui certo persuasus sit, Christum non esse ὁμοούσιον. VI. Aliud est actualiter abesse aliquo tempore, hoc est non elici actuales cognitiones istius enunciati, *Est Deus*: seu non adesse ejus cogitationem, aut certum assensum: & aliud adesse insuper contrarium assensum actualem, & quidem certum, absque intellectus recalcitratione, absque obluctatione dictaminis conscientiæ, absque formidine partis oppositæ: quotiescunque scil. aut admirandi opera & judicia Dei in oculos quotidie incurrentia, aut aliorum admonitiones & convictiones occasionem dant de Deo cogitandi. Illud si fieri concedant autores, istud tamen minimè concederent. Quidquid enim apud illos occurrit de suffocatione, obliteratione, obfuscatione luminis & theologiæ naturalis ad tempus aliquod in paroxysmo scil. furoris & impietatis suæ: quidquid de conscientiæ cauterizatione, de stupore, de lethargo, de ἀναισθησία; illud neutiquam referendum 1. *ad* totalem Theologiæ naturalis exstirpationem & abolitionem. 2. *nec ad* assensus & persuasionis contrariæ certitudinem quâ mens ipsorum informata & actuosa esset, 3. *immo* ne quidem ad stuporis, eclipseos, soporis & cessationis istius æquabilem absque offensione & interturbatione processum, aut longam continuationem, quotiescunque occasiones ingruunt sopitam conscientiam suscitaudi & vellicandi. Sic *Tilenus*, aliique à nobis *cit.* Quibus adde *Calvinum lib.* 1. *Institut. c.* 4. *sect.* 3. Ex Recentioribus *VVeemsus à lathoquar* non inconcinnâ similitudine exprimit dilucidorum & turbulentorum intervallorum vicissitudines. Sicuti, inquit, literæ succo cœparum scriptæ non videntur nec leguntur, sed ad motæ ad ignem leguntur, sic &c. *In Tract. de quatuor filiis degeneribus, sect.* 1. *de Atheis cap.* 1. legantur quæso ipsi autores à nobis citat. & quicunque contra Atheos probant esse Deum. Non enim fert ra-

tio

tio Theſium ut in re tam manifeſtâ omnium Theologorum & Philoſophorum verba ubivis obvia deſcribamus. Sed ut mens ſextæ hujus noſtræ diſtinctionis melius percipatur, Actualis ἀγνωσία Dei poteſt tripliciter ſpectari, negativè, privativè, contrariè. *Negativa* ſeu contradictoria eſt, cum quis actu non cogitat de illâ enuntiatione. *Eſt Deus*; & conſequenter aſſenſum veritatis iſtius non elicit, aut in ſe ſentit. Qualis eſt in infantibus, etiam adultis, cum abſque culpâ ſuâ alii utili aut neceſſariæ cogitationi mens eorum intenta eſt. *Privativa* & culpabilis eſt duplex. *Una* cum quis adultus plerumque, aut admodum frequenter, aut continuo aliquo tempore non cogitat de iſtâ propoſitione, *Eſt Deus*, idque negligentiâ aut malitiâ ſuâ; & conſequenter ingenium & memoriam non exercet, nec inſiti ſeminis per oblatas & quæſitas quaſque occaſiones germinationem & incrementum procurat. *Altera*, cum ſubinde cogitat & recordatur iſtam propoſitionem, non tamen ſemper ad cogitationem ejuſdem, firmum aſſenſum elicit: & conſequenter aſſenſuum actibus multiplicatis, habitum Theologiæ naturalis non confirmat. *Contraria* conſideratur dupliciter vel exterius vel interius. *Exterior*, eſt cum quis verbis directè & apertè negat principii iſtius veritatem: *Eſt Deus*. *Interior* rurſum dupliciter ſpectari poteſt; *Una* eſt ut inquiſitio, ſeu actus intellectus inquirens & cogitatio informis: *Altera* eſt ut cogitatio formata, & perfecta intellectio per certitudinem viſionis. *Illa* eſt actus intellectus deliberantis, & conſequenter formabilis tanquam motus, via, & tendentia ad terminum; Iſta eſt terminus ſeu res motu facta, intellectio formata, & firmus aſſenſus. Ad contrariam Dei ἀγνωσίαν refer conatum eorum qui volentes ſcientes omnium rerum, concluſionum, principiorum, cognitionem & aſſenſum abnegant & abjiciunt atque adeo univerſale mentis ſuæ vacuum affectant, ut hac ratione ad veram ſcientiam perveniant. VII. Aliud eſt voluntas, ſtudium, lucta, conatus formaliter & firmiter aſſentiendi; aliud effectus formatæ conſiderationis & firmi aſſenſus. Prius autores concedunt, & nos cum illis; poſterius minimè propter rationes ſupra allatas. Ne quis autem putet videri nonnullos & hoc cõcedere, aut ſaltem in medio relinquere, cum dicunt, ſi monſtrum unum atque alterum tale exſtiterit, non poſſe illud toti naturæ & ſpeciei humanę præjudicare; notandum illos de exteriori negatione & quidem contra internum ſenſum & naturale conſcientię dictamen, tantum loqui; non verò de interiori certitudine aut perſuaſione: ut cuivis verba eorum inſpicienti ilico patebit. Quod ad pauca illa monſtra externè negantia, dicimus, ſi nomina eorum prodantur, & vita ac mores diligenter examinentur, facile quid commonſtrari poſſe, unde conſtaret illos ab internis ſtimu-

ſtimulis & teſtimoniis non fuiſſe omnino immunes, quidquid externè ſimularent; ut quidem vanè ambitioſum & mendaciſſimum animal eſt homo. In Caligulâ id ſupra probatum eſt. De Iul. Cæſare Vanino (qui alioquin ſupra omnes alios univerſale axioma noſtrum videretur configere) reſponderi poteſt, eum primum vinculis commiſſum timore, tergiverſatione & Theologię ſimulatione non obſcurè prodidiſſe, non fuiſſe ſe ſine ſtimulis, & recalcitratione propriæ mētis, certò perſuaſum ac ſecurè ἄπιστον. Si quis objiciat, eum amore & ſtudio conſervandę vitæ, externè tantum ſimulaſſe ſenſum numinis, intus autem revera non fuiſſe ſimulatum: facile mihi erit regerere, eum etiam ut honori prætenſæ & affectatæ inſolubilis ſubtilitatis, & fortitudinis ac conſtantiæ apud ſocios ſuperſtites (cum quibus ille fœdus inierat) totamque Atheorum, Libertinorum & Scepticorum poſteritatem ſaltem conſuleret, externè tantum ſimulaſſe quaſi intus nihil ἓ γνωσῦ, aut aliter, ac locutus eſſet, non ſentiret. Dici enim non poteſt quam profunda ſit vanitas, ambitio, & deceptio cordis humani. Potuit & hæc illi cauſa fuiſſe continuandi Atheas dubitationes & diſputationes; quia forte putavit propter miſerandum illum ſtatum, dilatum fore ſupplicium ſuum, cui ſecundum leges ſe obnoxium videbat. Quidquid ſit unius mendaciſſimi & deſperatiſſimi hominis, qui in hâc tragœdiâ jam ſæpe fefellerat, furibundus conatus non debet hic facere teſtimonium ſufficiens, unde λίαν μέγα hoc ἄτοπον in præjudicium naturæ humanæ exſtruatur, & una difflentur omnes rationes à nobis allatæ cum univerſali aliorum hominum experientiâ. Alterum exemplum, quod ſupra omnia videretur aliquo modo aſſertionem noſtram in dubium vocare, obſervavi apud *Henricum Stephanum* in tract. gallico tit. *l'Introduction aut traité preparatif à l'Apologie pour Herodote cap.* 14. *pag.* 105. Vbi refert nobilem quendam Italum in civili bello Gallico ſclopo trajectum ſe Regi cōmendaſſe (pro eo quod alii moribundi Deo ſe commendant) & voluiſſe ut illi dicerent, ipſum jacturam facere fidelis miniſtri. Eundem ſæpe in vitâ familiaribus ſuis confeſſum, deſiderare quidem ſe ut juxta cum aliis in Deum crederet, ſed non poſſe. Inſuper oblectaſſe ſe blaſphemiis contra Deum & hiſtorias ſcripturæ datâ occaſione eructandis. Quorum exempla refert iſta duo. Vnum eſt; Deum iniquè egiſſe quod genus humanum propter morſellum pomi condemnationi ſubjeciſſet. Alterum; nihil ſe didiciſſe in novo Teſtamento, niſi hoc unum, quod Ioſephus eſſet magna beſtia, qui nullâ zelotypiâ laboraret &c. Sed totam hanc hiſtoriam, ſi propius intueamur, ne jota in eâ inveniemus, quod ſubvertat theſin noſtram. Fuit hic homo Atheus ſecundi generis, ſeu Libertinus; ad hæc Atheus practicus, ut & Epicureus; qui

ut in

ut in Deum non credebat in vitâ, sic in morte ad eum accedere nec ausus nec potuit; Non quæsivit ergo eum in agone; quia forte stupor & lethargus nondum excussus fuit; & in ultimo articulo si aliquatenus excuteretur, defuit usus sermonis, quo internos stimulos aliis referret; aut hypocrisis & profunda ac desperata ambitio docuit eum vulnus hoc tegere. De Italo illo cujus moribundi horrendum epiphonema ex *Sabellico, Iovio,* & *Ioh. Baptistâ dial.* 2. refert *Mersennus p.* 674. *Chi piu puo, piu tiri*, qui plus potest plus trahat, hoc est, qui fortior est ad se trahat; quo se dæmoni aut Deo commendabat: de illo, inquam, dicendum, illum blasphemiis & furiosâ desperatione turgidum hæc eructasse; instar plurium blasphemorum cum blasphemiis animam suam eructantium (de quibus alibi) & Iuliani Apostatæ: *Vicisti ô Galilæe*; quem tamen ideo non dicemus in vitâ & in morte certò persuasum fuisse, nullum esse Deum. Exemplum Selii apud Martialem lib. 4. epigramm. 16. *Nullos esse Deos, inane cœlum &c.*, si quis proferat, eâdem cum distinctione respondendum. *Bellarminus in tract. de morte*, meminit cujusdam Athei: ut & *Samuel Ward in Concione ad Iohann.* 13. fœminæ cujusdam in Angliâ, sed ad saniorem mentem reductæ. Sed eadem distinctio adhibenda. Par ratio est exempli Diagoræ, quem *Theodoret. lib. 6. de curatione gr. aff.* aliique nonnulli videntur facere crassum & directum atheum. Concludimus ergo nullos dari Atheos speculativos propriè dictos, qui scil. certo persuasi sint non esse Deum 1. nec quod ad ἀγνωσίαν τοῦ θεοῦ aut ἀθεότητα habitualem seu consuetam, eamque aut negativam, aut privativam, aut contrariam; quod solum sufficit assertioni nostræ firmandæ. 2. Nec etiam quod ad actualem ἀγνωσίαν & ἀθεότητα (quod ex abundanti addo) si non merè privativam, saltem contrariâ interiorem, per firmatam scil. cogitationem, & assensus certitudinem.

Restat nunc objectiones Remonstranticas summatim exhibeamus, & 2.
notis illustremus. 1. Quia ipse concedo multos esse speculativè atheos indirectè; qui animæ immortalitatem oppugnant, qui non credunt Deum esse justum, aut gubernatorem mundi, qui plures Deos statuunt. Atqui illi omnes conscientiâ teste sciunt se directè Atheos esse, „nec consequentiam illam negabunt. Rationem hanc addit *pag.* 183. „Quid enim Deus significat apud omnes homines, nisi naturam aliquam „sublimem, quam oporteat homines ut judicem colere? Qui talem na„turam esse negat, is solus, is, inquam, & nemo alius directè Deum ne„gat, & Deum negare se scit: nam is solus attendit quid vocabulum Dei „sibi velit. Primam rerum causam agnoscere non satis est, ut quis di„catur Deum fateri &c. *Resp.* Si inter directè & indirectè seu per consequentiam aliquid affirmare aut negare, & inter quæstionem quis aut qualis sit Deus, nulla sit distinctio, ut quidem tenebrio hic à Remonstranticis

hypothesibus longè recedens (*in Apolog. cap.* 1. *fol.* 25.) contendit; utique respondeat ad ista. Sociniani negant præscientiam Dei; statuunt duos Deos; negant verum & æternum Deum (Spiritum Sanct. scil.) esse substantiam aut personam, sed faciunt ex illo accidens aliquod; nolunt adorare verum & æternum Deum (spir. sanct. scil.) ergo sunt Athei speculativè, qui certo persuasi sunt non esse Deum. Si enim *ex animo sentiunt* Deum non præscire futurâ, *cum sint* Philosophi & Theologi, *quis sibi persuadere poterit eos tam stupidos esse, ut non agnoscant se per consequentiam Deum negare*: ut verbis ipsius *p.* 176. hunc nodum nectam. Ex Socinianorum & Vorstii Atheismis de quantitate & finitate, compositione, mutabilitate Dei &c. à Becano & Eglisemmio illi per solidas consequentias (judicio totius Christianismi) impactis, simile judicium eliciat, si placet, & conferat cum *Apologiâ loco cit.*, Et *Vorstij scriptis Apologeticis*: ut videant lectores quomodo more sceptico & Sociniano hic saltem adversario suo obstrepat, ne scilicet ita liquido advertant imperitiores, ipsum ad temeritatis, ἀπαιδευσίας, & vanæ contentionis non obscuram confessionem adactum. De David-Ioristarum Atheismis, quos Antagonistæ ipsorum per consequentiam ipsis impingunt, idem concludat tenebrio; & de Sceptico-Libertinorum Atheismo secundi generis & de similibus simile esto judicium. Illos ubi in eodem genere & ordine Atheorum deprehenderit; subjungat consilium de Syncretismo cum Socinianis & David-Ioristis ineundo, quem se hactenus non posse repudiare, satis ostendit *cap.* 17. *p.* 144. Addimus, Reformatos doctores cum sectatoribus suis, qui controversias illas intelligunt, per consequentiam Remonstranticam, & quidem solidissimam ipsorum judicio, esse Manichæis, Turcis, Atheis affines; quippe qui pertinaciter teneant & defendant illa dogmata, unde sequatur, Deum esse autorem peccati, simulatorem, injustum, tyrannum &c. hoc est, Deum non esse Deum. Iam conclude, eos directè tollere Deum, atque adeo speculativè ac directè esse Atheos, qui certo persuasi sunt non esse Deum. Videt jam quam telam ex merâ & ambitiosâ contentione ad ignorantiæ & temeritatis luæ palliationem sibi texuerit: eam retexat, si potest, sed convenienter hypothesibus propriis, & sociorum in *Apologiâ, Vedelio Rhapsodo, Responso ad Professores Leidenses*, Den Rechten Remonstrantschen Theologant / & farragini apologiarum Vorstianarum &c. nominatim *apologet. Exeges. cap.* 1. 11. Est con-
„tra sacram scripturam. An non impiâ malorum vita colligit Popheta
„(*Ps.* 14. 1.) &c. Non est Deus. Quo jure ita colligit nisi præsupponat
„fieri posse, ut eo stultitiæ homines prolabantur. In postremo infami
„scripto hanc defensionem addit. Sensus est, Prophetam absurde statue-
„re ad

„re ad impiorum quorundam deteſtationem, quod dicant in corde ſuo, „Non eſt Deus, ſi nos rectè ſtatuimus, ipſos ne quidem poſſe id in corde ſuo dicere. Addit ibidem, me argumentum hoc diſſimulare, & ſenſum ei affingere, quem pro ſuo non agnoſcit; & citat in margine *paginam libelli mei* 182. *Reſp.* 1. Argumentum hoc non diſſimulavi, ſed ſolutionem ejus ibidem indicavi: non poſſe ſcil. locum illum *Pſ.* 14. 1. ut nec *Epheſ.* 2. 12. intelligi de Atheis directis & ſpeculativis, qui certo perſuaſi ſint &c. nec ullum interpretem (excepto tenebrione noſtro, cum Socinianis) ſic loca illa accipere: ſequeretur enim alioquin, cum loquantur univerſaliter: de omnibus impiè viventibus toto illo pſalmo deſcriptis coll. cum *Pſ.* 94. & *Rom.* 3. & de omnibus Gentilibus *Epheſ.* 2. deſcriptis, omnes illos fuiſſe tales Atheos ſpeculativos & directos; quod abſurdum eſt; & in eum finem digitum intendi ad commentatores, nominatim ad *Corn. à Lapide in Roman.* 3. *p.* 55. & ad autores paulo ante citatos, *VVilletum in Rom.* 2. 14. *Arminium*, *Tilenum &c.* Sic ego tum perſtringebam hoc argumentum, minimè illud diſſimulans. Ipſe etiam ſibi contradicens teſtatur me non diſſimulaſſe, quia addit, *affingere me ei ſenſum, quem pro ſuo non agnoſcat.* Hic oppoſitum in appoſito, dicerent logicorum filii: Sed quia nonnulli inſtar raſæ aut potius malè conſcribillatę tabulæ, veram ac ſolidam ſapientiam nec didicerunt, nec etiamnum doceri volunt aut poſſunt, quamvis quis iis manuductionem præſtet: repetamus ergo reſponſum, & ſolutiones autorum ad quos digitum intendimus. 2. *Dicimus* Atheos innui *Pſalm.* 14. indirectos, non directos, & practicos non ſpeculativos; innui illic atheos dicentes, quærentes & hoc agentes ut quietè credere poſſint non eſſe Deum; non verò tales qui hoc aſſecuti ſint, ſaltem non innui eos, qui certo perſuaſi ſint, non eſſe Deum. Sic commentatores textus illos accipiunt. Vide *Lorinum*, apud quem complures alii citantur. *Genebrardus*, *Ianſenius*, *Muis &c.* exponunt de indirectis Atheis qui negant Dei providentiam, & juſtitiam vindicantem mala, præmiantem bona. Et ſic paraphraſis Chaldaica: *non eſt poteſtas Dei in terra,* In hunc finem urgent autores citati, vocem אלהים (non יהוה) hic adhiberi, quæ notat Deum ut gubernatorem & judicem. *R. Sel. Iarchi* exponit de Nebucadnezare, alii de Sanheribo, aut ſimilibus eccleſiæ perſecutoribus. *R. Sel.* ſequitur *Lyranus*, qui addit: Eum non negaſſe omnem Deum, ſed Deum Iſraelis. Merſennus, de Atheis directis, qui conatu tales ſunt p. 246. *Addas his nonnullos fuiſſe adeo impios, ut conati ſint perſuadere ſibi, Deum non eſſe, & quamvis hoc perficere non potuerint reclamante animo & obluctante conſcientiâ, tamen ſcriptura de illis pronuntiat juxta eorum conatus; & ſic ait Deum illos non cognoviſſe. Auguſtinus, Cajetanus, Salmero, Toletus,*

A Lapide in Rom. 3. exponunt & probant ex circumstantiis textus accipiendum esse de vita impia, seu atheismo practico, qui est status corruptionis omnibus hominibus communis, quamdiu gratiâ Dei non illuminantur. Illi enim ita vivunt, & eo tandem deveniunt, ut vel *explicitè vel implicitè dicant non est Deus*, sunt verba Corn. à Lapide. Qui tamen admittit expositionem Salmeronis: *Omnis insipiens, hoc est, impius & peccator, hoc ipso quo peccat, in corde suo implicitè & virtualiter dicit*, Non est Deus: *quia ita libere & impudenter in Deum peccat, ac si Deus peccatum ejus non videret, sed punire non posset aut vellet &c. atque huic expositioni favet, quod ita explicare se videatur Psaltes v.* 2. Et sic ferè *Lorinus comment. in Psalm.* 14. Porro distinctionem inter Atheismum practicum, & speculativum, ex iis quæ de errore practico & speculativo philosophantur Remonstrantes *in præf. Apologiæ p.* 8. analogicè colligat; & inde explicet illud suum *p.* 182. *Nam practicè impium esse, ex eo quod speculativæ impietati indulgeatur, proficiscitur*: de quo problem. 3. sequenti tribus verbis. 3. *Ad locum Ephes.* 2. respondimus in *Therside nostro pag.* 183. *ex notis Camerarii.* Quod sillæ ad manum non sint, consulant *notas Bezæ*; ne huc omnia transcribamus. 4. *Nunquam* calumniam illam probabit anonymus, quà nos aspergit, quasi statuerem, *Impios non posse in corde suo dicere, non est Deus.* Contrarium statuo. Vide quomodo cogitationem deliberantem & informem, à cogitatione formata, hoc est verbo mentis (*Thomas* 22. *qu.* 2. *art.* 1.) & ab intellectione seu visione ejus verbi certa, ac firmo assensu supra di-
„stinxerim. 111. Qui scis nullos esse tales Atheos, cum nemo sciat
„quid in homine, sive in aliis hominibus sit, nisi spiritus hominis, qui
„in ipso est. *Resp.* Ineptam hanc objectionem *in Therside nostro* refutavimus dicendo, scripturam, & universalem experientiam, ac rationes inde deductas nobis hic suffragati. Sed *excipit* 1. *hic agi* de liberis hominum cogitationibus, quas novit solus Deus: philosophos autem disputare de facultatibus humanæ naturæ, quas demonstrent ex argumentis earum rerum, de quibus controversia nulla sit. *Resp.* Quid si homo aliquis protestaretur se nihil scire, nihil intelligere, immo docilitatem nullam in se habere; se principii istius, *Nihil potest simul esse & non esse*, veritatem non percipere; se nullum unquam intelligere discursum in actu signato aut exercito; se nullam habere legem naturæ, nec conscientiam accusantem aut excusantem; nullum in se esse voluntatis motum, nullam boni ab intellectu propositi electionem aut mali fugam & similia; an non de actionibus illis liberis judicaret philosophus, & monstro illi Sceptico mendaciter & contra interiorem sensum suum protestanti, universalem experientiam, rationem, scripturam opponeret? Præterea esse actiones

aut

aut passiones quasdam in intellectu & voluntate, quæ in *humanæ cogitationis penetralibus absconduntur* (ut ipse loquitur) quæ tamen non sint liberæ, à philosophis doceri potest, & à *Thoma* 1.2.*quæst*.10.*art*.1. & 2. Nobis non vacat elementa artium & scientiarum ad quæstiones quasque Theologicas inculcare. 2.*Exc*. Ad instantiam meam, quod Remonstrantes pronuntiarent, nostros omnes ex fide suâ de prædestinatione & perseverantiâ nihil aliud concludere posse, quam desperationem aut securitatem, cum tamen non noverint quid sit in corde cujusque reformati: sic excipit; *Resp*. ,,nos concludere non quid in ipsorum animo sit, sed quid ex ipsa doctri-,,na sequatur, si consequenter loqui velint. *Resp*. Cum omnes & singuli reformati qui doctrinam illam sic intelligunt, & sic credunt, certoque persuasi sunt, sic eam se habere & non aliter; protestentur se nec posse velle nec velle posse inde aut theoreticè aut practicè sentire ullam securitatem aut desperationem, sed potius omnia contraria, si consequenter loqui velint, & conformiter interiori sensui & conscientiæ suæ: Remonstrantes tamen omnibus & singulis opponunt universale illud axioma: Fides, sensus, & applicatio talis prædestinationis & perseverantiæ nihil aliud in te producit aut producere potest, quam desperationem &c. 3. *Exc*. Ad instantiam meam, *Objice & Theologis, qui de resipiscentiæ, fidei* &c. *actibus, de anatomia conscientiæ &c. accuratè disserunt, & tamen nullius hominis conscientiam unquam viderunt præter suam*: Sic excipit; ,,Si Theologi pœnitentiam, fidem, & spem & reliqua illa pronuntiarent ,,(quod ego facio de Atheismo) omnibus aut nullis inesse, diceret eos pa-,,ri temeritate peccare. *Resp*. Dic ergo temeritate eos peccare, qui ex scripturis *Galat*. 5. *Iacob*. 2. & universali experientia statuunt in nullius unquam hominis corde fuisse fidem vivam & salvificam, quæ caritate destitueretur. Quidquid carnales & πρόσκαιροι credentes à Thersite edocti contra protestẽtur. *Temere sumitis vobis ea scire, quæ solus Deus homini conscius novit*. Neminem fidelem, qui vivum gratiæ desiderium, & dolorem secundum Deum super peccatis suis sentiret ut & studium bonorum operum esse in statu desperationis, aut revera desperare (ex *Math*.5. 3. 4. 6. *Psalm*. 51. 19. 2 *Corinth*. 7. 10. 11. *Rom*. 6. 6. 8. 14.) quamvis in media lucta cum desperatione, & in paroxysmo tentationis Satanicæ ipse exclamaret, se desperare. 4. *Exc*. Ad instantiam meam; *Objice & tibi, qui omnem meam pietatem esse hypocrisin peremptoriè judicas, & ,,tamen non novisti quid sit in corde meo* &c. sic excipit; Possunt multa ,,deprehendi & reprehendi simulata, quamvis de eo quod in alieno ,,animo latet absconditum nihil temerè pronuntiemus. Addit præterea: se omnem pietatem meam hypocriseos non damnasse &c. nec omnes à

se statui diabolicos, quorum aliqua redarguitur hypocrisis &c. *Resp. Fieri* potuit ut conscientia, aut humanus saltem pudor eum hic monuerit. Quænam alioquin & quanta temere effutiisset, ostendit satis *Therstes noster* collatus cum ipsius *Accurato Examine p.* 36. 60. 62. Quomodo de cordis mei cogitatione & intentione temerè judicârit, ostendi in nostro *Therstite Heautontimor. sect.* 3. *cap.* 4. & *cap.* 2. *p.* 262. 263. Quid sit de injustâ exaggeratione meâ, quâ ex dictis ejus hanc consequentiam necto; Me ergo judicari ab illo, quod sim cum diabolo, & non cum Christo &c. videat cui vacat *Therstt. sect.* 2. *c.* 7. *p.* 205. ubi refuto hanc adversarii assertionem: *Fidelis si peccatum facit, in præsenti quatenus facit, ac dum facit ex diabolo dicitur esse* &c. *à salute aberravit, à Deo ad diabolum defecit* &c. Quam in postremo scripto etiamnum tueri, aut potius miseris subterfugiis involvere & lenire conatur *c.* 32. Sed mittamus hæc, & alteri occasioni reservemus. Suffecerit exceptioni huic reponere: Me quidquid profitear, his aut illis animi mei cogitationibus, motivis, rectis & simplicibus intentionibus actum & coactum, talem veritatem & causam Dei profiteri, propagare, defendere &c. non desinit tamen de intentione meâ interiori, de pietate, devotione erga causam ac cultum Dei secus judicare: nec tamen scit quid sit in homine. Videat ergo quomodo dictum apostoli huc negotio non sit applicandum. Sed faciet huc solutio sequentis argumenti. „IV. Multi omnia ea dixerunt & fecerunt, quibus se speculativè Atheos „demonstrare possent. Addit in postremo scripto ad defensionem hu„jus argumenti: Nam quî possimus in cognitionem ejus venire, quod in animis latet, nisi per dicta ac facta. *Resp.* Facta, probant Atheismum practicum, quem concedimus; de quo supra. Ad dicta respondent Antagonistæ Atheismi, si inter homines aliquando tale monstrum inveniatur, quod præfractè neget Deum, facere hoc contra interiorem sensum, & conscientiæ dictamen; quod antea ipso actu sensit, aut post paroxysmum & lethargum impietatis denuo sentiet, velit nolit. Itaque ex testimonio impiissimi & mendacissimi hominis unius atque alterius minime tamen perpetuo aut constanti, non posse extrui axioma, contra communem Theologiam & Philosophiam, scriptura, rationibus, & experienta universali & exinde constanti testimonio singulorum hominum Gentium, Iudæorum, Christianorum, doctorum, indoctorum, proborum, improborum suffultam. Cor hominis perversum est *Ier.* 17. & seducit homo proprium cor *Iac.* 1. quidni homines decipiat hypocritica & mendaci persuasionis ac certitudinis internæ ostentatione & jactatione, dicendo; se nihil quacunque occasione unquam sensisse aut credidisse de Deo, aut nihil jam amplius sentire, credere, immo de opposita parte ne quidem aliquate-

quatenus dubitare. Non credo. Ratio est, quia οὐκ ἔστι ἀναγκαῖον ἅπτε λέγειν, ταῦτα καὶ ὑπολαμβάνειν, teste philosopho *lib.* 3. *Metaphysic. cap.* 3. At adversarius noster credit furioso & mendacissimo Atheo; qui alias nihil fere credit, qui myriadibus fidelium animarum, de suo sensu & praxi interiori circa corruptionem suam & omnimodam gratiam Dei, qui omnibus Christianis de sensu & praxi circa doctrinam de Trinitate, Christi persona, & satisfactione fidem non adhibet, ut hodiernos Pelagianos & „Socinianos faciat ipsis longè pientiores. v. Temeritatem tuam plane „testatam facis contra universalem omnium gentium, religionum, æta„tum (ut tuo verbo utar) experientiam, addam etiam, quod gravius est, „contra scripturam. An non enim ex impia malorum vita colligit pro„pheta, stultum, cum animo suo sic statuere &c. *Resp.* probat esse Atheos sic est; indirectos & practicos: sed non istius generis & formæ, quales Sociniani fingunt, qui aut plane notitia Dei destituti sint, aut speculativè & certo persuasi, non esse Deum. Et sic omnibus voluptuariis Deus venter est, & avaris thesaurus *Philipp.* 3. *Coloss.* 3. Quos tamen omnes non credimus speculativè & certò persuasos &c. Opponebas etiam in *Therʃit. Heautontim. p.* 180. 182. universalem experientiam, unde necesse est, cum audimus multos esse Atheos, accuratè distingui & explicari Atheismum. Adversarius videns se in angustias redactum; & universalem experientiam ac *Psalmum* 14. frustra pro Atheismo hoc controverso allegari, cum tantum doceant omnium eruditorum & accuratè hæc pensitantium judicio, multos esse Atheos, quorum genera ipsi istic explicueramus: mirabili verborum suorum interpretatione, ἀσαφηνείᾳ & „temeritati suæ epithema quærit in postremo scripto: Quid ego per u„niversalem experientiam mihi voluerim, non videtur intellexisse: hoc „volui, quod ubique & semper inventi sunt, qui vererentur Atheos esse „tales etiam qui sibi persuaderent, nullum esse numen. *Resp.* judicet lector de glossa. Nos cum post omnes Antagonistas Atheismi, universalem experientiam allegamus, postulatur ut probemus de singulis (quorum corda scil. non novimus) hoc quod dicimus: nullum scil. inter Ephesios (& sic inter reliquos Gentiles) speculativè Atheum unquam fuisse *p.* 181. Consulantur philosophi de Inductione, Experientia. Et hic noster universalem experientiam adversus me inclamat; quæ tamen non progreditur ultra quosdam, qui metuerint, aut putarint cum nostro anonymo Remonstrantico, esse *fortasse* (hanc enim limitationem semel atque iterum exsertè addit) speculativè Atheos certò persuasos &c. Et hæc scil. universalis experientia. Sed quomodo experientiam hanc me„tus seu dubitationis quorundam; An non sint Athei speculativi, pro-

bat. 1.

„bat. 1. *Quia* Theologi laboriosè contra Atheos probant esse Deum, „non tantum ut linguas eorum coërceant, sed magis ut animas tum ip„sorum, tum & aliorum adversus eorum ratiunculas erudiant. *Resp.* Et probant philosophi quocunque modo possunt primo prima universalia principia theoretica, ut & practica supra recensita; unde tamen non sequitur aliquem speculativè ἄναρχον esse qui certo persuasus sit de parte oppositâ. *Deinde* rationes adferuntur, ut homines, à partis oppositæ certo assensu non tantum, sed etiam tum ab exteriori assertione aut disputatione, tum ab interiori tentatione, dubitatione, opinione, voluntate „& studio avertamus. 2. *Quia Erasmus in paraphrasi Math.* 6. 31. dicit Eth„nicos aut Deum esse non credere, aut non credere eos curam agere „mortalium. *Resp.* Nec Erasmus, nec ullus mortalium, nec tu ipse credis, Ethnicos fuisse tales Atheos; de quibus hic quæritur. Contrarium probant Scriptores antiqui contra Gentiles, & ex recentioribus *Eugubinus libr. de Perenni Philosophiâ*; & *Plessæus de Veritate religionis Christianæ*. Et Nemo melius hoc potuit scire quam Erasmus, qui Ethnicorum libris pervolvendis maximam ætatis partem insumserat. Nihil aliud voluit, quam eos verum Deum non cognovisse, juxta 1 *Thess.* 4. aut cognitione efficaci ad praxin fiduciæ (de quâ *l. c. Math.* 6.) non cognovisse. Quâ ratione „generaliter dicuntur ἄθεοι *Ephes.* 2. 3. *Quia Acontius Stratagem. Satanæ lib.* „1. hoc affirmat. *Resp.* Sit ita; quid tum? Et tu affirmas, & Sociniani tecum; quorum autoritas hic non admittitur: Qui contra eos ex professo disputo. Quam longè autem abfuerit Acontius ab occulto Socinismo, aut saltem syncretismo cum eo, disci potest, quod Sabellianorum hæresin præcisè excludat, Photinianorum vero minimè, immo eos symbolo suo (*libr.* 7. *p.* 341.) non obscurè includat: de quo alibi monuimus. 4. „*Quia* ipsa Athei appellatio & vocis proprietas, planum facit, quæ fuerit „sententia veterum. *Resp.* Iam diximus Atheum significare, eum qui modo negat Deum sive speculativè sive practicè, sive indirectè, sive directè: sicut hæreticus, notat eum qui negat articulos aut articulum fidei. Sed hoc nihil ad internam mentis certitudinem & persuasionem, ad exstirpationem Theologiæ naturalis. *Calvinus ad Ephes.* 2. 12. ab adversa„rio citatus nihil habet pro ipsius sententiâ. Lector quæso eum consu„lat. VI. Quid? an fieri non potest ut aliquando impii in eo errore ver„sentur, ut &c. *Resp.* respondi in *Thersite*: Ad quod in postremo scripto nihil reponit, quod examen aut notam requirat aut mereatur: nisi quod recoquit, dubitationem, fluctuationem ac disceptationem ad tempus à me concedi? quo putat rem confectam esse. Sed minime hoc sequitur, ut di„stinctiones supra præmissę ostendunt. VII. Si Deus ex sententia nostrâ homi-

„homines nonnullos dat in reprobum sensum, cur non possit eos hoc „ipso peccato indurare ut conscientiam plane cauterizatam habeant, nec „amplius credant Deum esse. *Responderam*, à posse ad esse non valet con„sequentia. *Replicat* ille in postremo scripto : Ineptitissimè ; argumentor „enim non à posse ad esse, sed ab esse ad posse, hoc modo: Qui homines „in reprobum sensum dat ob antecedentia peccata, is etiam potest hoc „ipso reprobo sensu aliquando homines indurare &c. *Resp.* Acutè sane. Quasi Rhetoricus tuus prosyllogismus & syllogismus, si logicè absque crypsibus & enthymematis plenâ formâ proponantur non debeant esse tales : Si possunt esse aliqui Athei qui non credant &c. Ergo aliqui Athei sunt. Sed possunt esse, Ergo. Vides jam cõclusionem tuam directè opponi meæ, quæ sic se habet : *Speculativè nulli sunt Athei, qui certo persuasi sint non esse Deum.* Hæc ergo major negatur, & tota hæc argumentatio præscinditur; à posse enim ad esse non valet consequentia. Quod si dicis, ego hoc syllogismo, & conclusione contentus sum, prout eam nunc in formâ expressi. *Resp.* 1. jam conclusionem illam rejicio, quia committitur fallacia ἀγνοίας τοῦ ἐλέγχου, & mutantur termini in faciendâ oppositione. Hic possem subsistere. 2. Sed condonato illi hoc elencho, cujus habitum pravâ consuetudine videtur sibi contraxisse ; ex abundanti detegamus & alias ipsius ineptias. Syllogismi tui, qui ad prioris syllogismi à me expressi minorem probandam faceret, major *Negatur.* Tu eam proba, & rationem adfer consequentiæ. Hic tacet ; & more solito probationem mihi imponit: *Redde mihi solidã rationem* &c. Hoc scil. *accuratum examen*, hæc refutatio mearum Thesium. Sed opponamus illi geminum: Cum doceatis, Deum homines dementare (sic enim *Therstites in examine*; quod in postremo scripto *c.* 58. excogitato commento miserè incrustare voluit) redde mihi solidam rationem, cur non possit hoc ipso illos facultate intellectivâ privare? Dices, quia hoc implicat contradictionem, ut manens homo sit absq; ratione. Idem & ego dico : implicat & repugnat justitiæ & juri divino, legi creationis, & naturæ rationali ut homo non sit sublex Deo (Confer *disp. de Iure & justitiâ Dei*) ut nulla sit in illo lex æterna, nulla synteresis, nulla conscientia, ut nullo vel tenui filo à Deo supremo domino dependeat, ut quibuscunque machinis & convictionibus adhibitis absque omni sensu numinis, absq; omni metu judicii & judicis suaviter acquiescat in illâ certâ persuasione suâ, *non est Deus*; & sic in formâ sit Atheus directè speculativus. Ratio hujus rationis est, quia ne quidem diaboli, aut damnati in inferno ad eum statum perveniunt, quorum vermis non moritur. *Deinde*, adde & hanc rationem, quia homines illi qui in reprobum sensum dicuntur traditi *Rom.* 1. 24. & excœcati, indurati, dedolentes, cõscientiâ cauterizati

rizati *Epheſ.*4.18.19. *Exod.*9. coll.cum *Roman.*9.17.18.& 11.7.non privantur omni ſenſu numinis, ita ut contraria forma mens ipſorum induta ſit, inque eâ certò ac ſecurè acquieſcant; ſed exſertè de iis contrarium aſſeritur *Roman.*1.*v.*30. ubi dicuntur θεοστυγεῖς, & *v.*32.τὸ δικαίωμα τοῦ θεοῦ ἐπιγνόντες &c. & *c.*2.14.15. 1 *Timoth.*4. 1. 2. Vbi ſuperſtitio illis adſcribitur, quam ab ἀθεότητι diſtinguendam rectè notat *Calvinus in Epheſ.* 2. 12. à te citatus. Et ſic induratis Iudæis zelus Dei *Rom.* 10. Idem de Atheo Pharaone eſto judicium. VIII. An fieri non poteſt, ut aliquamdiu „impii in eo errore verſentur, ut non credant Deum eſſe ullum, omnia„que à fortuna exiſtere. *Reſp. Non propriè quæritur quid poſſit eſſe, ſed quid „ſit. Replicat ille*: Immo à me quæritur quid eſſe poſſit: ſi certo affirma„rem aliquos ſpeculativè Atheos eſſe, eſſem temerarius &c. *Reſp.* potuit ille millena alia quæſita in medium proponere; ſed eo ipſo non refutat aſſertionem meam. Si ego theſin hanc defendam, Chriſtum eſſe θεάνθρωπον, & ſatisfeciſſe pro peccatis noſtris; Et Antagoniſtæ accuratun examen & refutationem meæ theſeos præ ſe ferentes; loco argumentorum quæſtiones iſtas in medium projiciant: An non potuiſſet Chriſtus aliud quid adſumere quam humanâ naturam? An non potuiſſet alio modo homo liberari &c. Vtique directa & opportuna reſponſio eſſet: Non quæ„ritur propriè quid poſſit eſſe &c. Quod autē ſubjicit: Nunc ipſum teme„ritatis accuſo qui neget ullos eſſe ſpeculativè Atheos, cum cogatur fateri „tales eſſe poſſe. *Reſp.* conſequentia non valet: quod multis inſtantiis „poſſet probari. Adhæc antecedens longè à vero abeſt. Nec faſſus ſum nec cogor fateri. Qui enim diſputationem adverſarii præſcindit regando majorem; eo ipſo non probat minorem. *Deinde* minorem exſertè negavi; dicendo eos qui fortunæ tribuunt omnia, non eſſe abſque omni ſenſu numinis: addidi Atheos qui dici ſolent, non dici ilico eâ acceptione quâ vult adverſarius: in quem finem cito *Camerarium* (adde nunc *Calvin. & Beſam*) *in Epheſ.* 2. & *Vorſtium diſput.* 1.*de Deo theſi* 19.20. alioſque autores ſupra *part.* 1. *theſi* 1. & 3. citatos. *Denique* addebam, *ſi per errorem in„telligit fluctuationem, ac diſceptationem ad tempus aliquod, non repugnanus & „nihil contra nos. Replicat* noſter: Ajo me per errorem intelligere erro„rem, id eſt opinionem errori addictam. Ajo etiam nihil ad rem facere, „an ad tempus aliquod errent, an perpetuo &c. Ergo quod ad tempus „aliquod concedis, egregiè facit contra te. *Reſp.* Sic ludos facit in re ſeriâ, & lectori ſuo imponit: mala fide, verba reſponſionis & diſtinctionis meæ, quæ alterum faciunt membrum, detruncando, quæ immediatè ſequuntur: *Sin vero ignorantiam pravæ diſpoſitionis, quæ in ſuo genere ſpeculativa & certa ſcientia habeatur, quâ hominis mens informata inclinetur ac facilitetur ad*

tur ad eliciendam talem actualem conclusionem, Non est Deus, *Negamus*. Iam videt lector, quam apposita sit ejus responsio. IX. Conjecturas quas accumulat in peroratione sua *pag.* 186. 187. hic non prosequimur; quia ipse iis non fidit, quod formulis illis indicat: *An non vulgo credimus?* Et, *Quid enim verisimilius*. Et, *Sed ut hæc se habent, talia tamen videntur, ut non temerè asserendum* &c. Et *Apud plures fortasse in dubium illud vocabitur, quam ipsi vereamur*. Et, *cum natura nostra ita corrupta sit, uti quidam (Contra Remonstrantes scilicet) testantur, ut ægrè sibi certò persuadere possit, Deum esse*.

Lustremus exceptiones ipsius ad nostra argumenta 1. *Exc.* ad arg. no- 3.
„strum à Theologia congenita, & communibus notionibus, *Excipit* 1.
„Ineptè, Potest, inquam, naturalis notitia exstingui. *Resp.* eadem opera facultatem intelligendi, & principiorum notitiam congenitam, & conscientiam non tantum posse exstingui, sed & de facto in non paucis (probante id universali tua experientia) exstinctam esse. Profer unum (ut inductionem nostram & conclusionem Antagonistarum Atheismi experientia, scripturis, & rationibus hactenus allatis subnixam infringas) in quo exstincta fuerit. Proba hoc aut ratione aliqua, aut divina revelatione, aut testimonio humano: non verò pete à me, (quod facis *p.* 185. & 181.) ut probem inter omnes & singulos impios nullum talem fuisse. Sufficit mihi consueta formula Inductionis: *Nec ullum potest dari dissimile exemplum*. Et hac methodo omnia scientiarum axiomata & theoremata hactenus exstructa sunt. Singularia enim cum sint infinita, ab affirmante ἐπιστημονικῷ pertransiri nec possunt, nec debent. Sed opponens tenetur dare instantiam. Sed vadimonium hactenus deseruisti: neque enim testimonium divinum, nec ratio ulla à te adferri potuit. Vltima analysis est in testimonium humanum. Sed illud nullum est quam impii & hypocritici unius atque alterius Athei, qui infames homines, quam testabiles nobis debeant esse, tu nos doceas. Et tamen ὃ δεῖνα, seu ὀνδεὶς ille Atheus ubi sit, & quis sit, & quale ac quam constans ejus testimonium hactenus non indicatur. Nunc judicent lectores, quam accurati disputatores sint „Neo-Sceptici nostri & quam justè epiphomena hoc sibi accinant: Vides „enim hic Christiane lector quam miseris argumentis eorum temeritas „nitatur, quam facile clamant Remonstrantes, qui magis circumspecti „sunt rerum æstimatores, quam ipsi, nihil aliud quam Scepticos esse. „II. *Exc.* Ad arg. nostrum, *Tum nulla esset syntereseis & conscientia naturalis*; „*Excipit.* 1. *Mirabilem* esse connexionem. Si Petrus est speculativè Athe- „us, ergo nulla est syntereseis vel conscientia naturalis in Paulo. *Resp.* Si „verba mea non detruncasset, nullo colore potuisset illudere mihi & lectori. Sic enim immediatè addebam: *quæ nititur cognitione numinis omni homini*

homini à naturâ indita contra Rom. 2. 14.15. *cum* Ioh. 1.9. Actor. 14.15.16. 17.& 17.22. Psal. 19.1.2.3.4. *omnesque commentatores, excepto Socino. Vbi enim non est cognitio seu γνωσὸν legislatoris, ibi nullum opus legis in cordibus scriptum. Iam vero conscientia omnibus creaturis rationalibus inest, ut rectè* Armin. disp. 14. th. 8. & Tilen. tom. 1. disp. 10. th. 6. 7. *nec potest lex naturæ penitus exstingui aut deleri, ut comentat. observant ad* Rom. 2. 14. *inter alios* Willetus pag. 121. Conferantur quæ de communibus notionibus & innatâ ac naturali Dei cognitione disputat. *Mersennus in commentar. in Genesin* contra Raymundum de Sabunde. Adde autores supra cit. Sed pergit noster conscius „ludum illum tantum esse ludum. Si enim, inquit, velit nihil aliud con„cludere, quam tum in ipso Petro nullam syntereſin, neque conscientiam „naturalem remanere, fatebor verum esse &c. Temere præsupponit nun„quam conscientiam impiorum exstingui. *Resp.* tum concedat eidem operâ etiam facultatem intelligendi & ratiocinandi posse in homine exstingui. Est enim lex illa naturæ non tantum actuale judicium, sed etiam lumen ipsius, quod veluti permanenter continet legem illam primitus in scriptam, & potest semper actu illam repræsentare. Videantur Scholastici ad 1. *qu.* 79. *art.* 12. & 13. & 22. *qu.* 94. Sed forte noster ludit ambiguo in voce syntereseos & conscientiæ. Nos intelligimus permanens aliquid, quod plane exstingui, & contrarium ejus introduci atque inhærere negamus; nisi humanitatem, & naturalem vim intellectus tum theoretici tum practici exstingui quis dicat. Et ipse *p.* 185. fluctuat aut rem involvit, cum negat se concedere, scintillas cognitionis esse exstinctas: atqui illæ scintillæ tanquam intus apparens prohiberent extraneum, hoc est, non permitterent ut contrarium sui subjectum occuparet, & quidem totaliter. Quod si regerat; actum contrarium (si non habitum permanentem) posse ibi ad tempus saltem existere. *Resp.* 1. *Non* potest talis actus mentis, qualem dicit certa persuasio, illic existere, ubi naturale principium actus contrarii perstat. 2. Non agit thesis nostra de puro puto actu transeunte; sed partim formaliter innuit aliquod permanens sive habitus, sive consuetudinem; partim, idem præsupponit, cum dicit, *Nullum esse Atheum speculativè, qui certo persuasus sit* &c. Nam à volaticâ cogitatione nemo dicitur Atheus speculativus, ut nec ab actione transeunte tanquam à formâ inhærente dicitur quis talis aut qualis. Rectè Bonaventura in 2. dist. 38. n. 39. *In animâ dicuntur esse, quæ sunt in eâ per modum quietis? Talia enim potius di„cuntur esse ab anima, quam in anima.* Addit adversarius: Si quæ in impiis „aliquando conscientia permaneat, non sequi tamen eam necessario eum „notitiâ, vel metu aliquo Dei conjunctam esse. Non est ita: potest etiam „conscientiæ flagellum remanere ex hominum metu, quamvis homi-

num

„num nemo sit sceleroso conscius; docuit enim experientia, quæ occulta „sunt, palam sæpe fieri per autorum imprudentiam à quâ nemo sese o- „mnino tutum esse intelligit. Sæpe etiam per obscura indicia, quæ cum „suspicionem in animo relinquant, necesse est ut etiam relinquant metum. *Resp.* Hic quidem insigniter juvat Atheos, & ad argumentum Antagonistarum (quos passim, & infra citamus) docet excipere. Sed dicat quæso, an cum nemo hominum conscius est sceleris ab homine Βαυκοπανύργῳ commissi, nullius altioris causę sensus & metus ipsum agitet quam proprii ingenii & oris, ne per illud prodatur, aut manuum, ne eas sibi inferat, aut irrationalium creaturarum quarumcunque, ne vindictam de se sumant. Ego hactenus putavi hic θεῖον quid subesse, & digitum Dei: cum conscientia dicatur vicarius supremi judicis. Sed ne terminos & elementa semper inculcemus; videantur Antagonistę Atheorum infra indicandi, quin ipse *Arminius disp. priv.* 14. *thesi* 8.; nec non *disputationes de Syntereſi & Conscientia ad loca Thomæ modo cit.* Aut ex nostris *Perkinsus tract. de conscientia cap.* 1. *Amesius lib.* 1. *c.* 1. & 2. Et patres, ut & philosophi &c. quorum magnam partem indicant Polyanthææ. IV. *Exc.* Ad arg. nostrum, *tum omnes homines essent longe inferiores diabolis, essentque omnes scintillæ cognitionis* (*de quibus* confessio Belg. art. 14.) *in iis magis exstinctæ quam in diabolis, qui „speculativè Athei non sunt* Iacob. 2. 19. &c. *excipit*: Subtilis logicus, qui sic „argumentatur. Si aliqui sunt speculativè Athei; ergo omnes homines „sunt diabolis inferiores. Item sic: Si cognitio exstincta est, ergo etiam „scintillæ cognitionis exstinctæ sunt. *Resp.* Quod ad priorem consequentiam valet illa pro thesi meâ contra antithesin Socini (cujus hanc esse sententiam indicâram initio istius capitis *p.* 147.) qui negat omnem naturalem Dei notitiam. Anonymus noster in postremo scripto, ut aliquâ ratione declinaret argumenta nostra, distinxerat inter absolutam absentiam notitiæ naturalis, & inter ejus amissionem: illam in omnibus aut aliquibus cum Socino nec affirmat, nec contra eum negat; quod si fecerit aliquando ad Kal. Græcas, tum non stringet illum hoc argumentum, pariter ac Socinianos, nisi *omnes* mutetur in *aliqui*, & sic ipsius hypothesibus opponatur. Posterior consequentia, etiam solida est, quia *scintillæ*, & *notitia ingenita* (de quâ nos agimus) sunt realiter idem. Sed condonandum hoc παράδειγμα ignorantiæ terminorum, quæ huic disputatori familiaris est. Ad „ipsum arg. nostrum respondet, gratis se largiri omnes homines quoad „cognitionem diabolis longe inferiores esse, quos à summa rerum scientia „δαίμονας Græcis appellari &c. *R.* Egregia ἀδολεσχία & ἀπαγωγή. Nõ quęritur de scientia quàvis; sed quęritur de impietate & Atheismo an in eo homines in terris superẽt diabolos; & an notitia de γνώσῳ Dei in tãtũ ipsis sint

riores, ut naturalis Theologia, synteresis & conscientia in illis plane exstingui possint, & sæpe exstinguantur, in istis verò non exstinguantur. In illis post lapsum scintillę illę judicii & justitiæ Dei vicariæ aut non remanserint, aut plane aboleantur; in his contra. Idem absurdum duci posset à desperantibus, peecantibus in spiritum sanct. damnatis in inferno; quorum vermis nunquam moritur, quique adeo omni sensu & metu numinis totaliter exui non possunt. Reliqua problemata cum practicis & historicis quartâ & ultimâ, ni fallor, parte expediemus.

DE ATHEISMO.

PARS QVARTA.

Resp. GUALTERO de BRUYN Amisfurt. *Ad diem* 13. *Iulii* 1639.

I. III. PRobl. An distinctio Atheismi in speculativum & practicum sit legitima? *Resp. Affi.* Membra enim non coincidunt, ideoque non sunt confundenda, non magis quam scientia theoretica & practica. Vt enim nulla praxis est quæ non præsupponat cognitionem, & nulla cognitio quæ non ad utilitatem aliquam dirigi possit: Sic nullus est practicus Atheismus, qui non præsupponat aliquam corruptionem theoriæ seu judicii mentis; & nullus speculativus qui non procedat ad corruptionem praxeos; sunt enim sibi mutuo causæ; prout in aliis omnibus intellectus & voluntas vide Scholasticos *ad* 1. 2. *qu.* 135. *art.* 3. *&* 5. *& ad qu.* 9. *art.* 1. Nec est fides, aut error in fide sine actu voluntatis: de quo in Disput. *de praxi Fidei*; & *Thomas* 22. *qu.* 2. *art.* 1. Quamvis ergo non seperentur à se invicem Atheismi illi, tamen distingui possunt, & secundum elementum prædominans, aut ultimum actum specificantem sic denominari & distingui. Vbi ergo magis consistit & subsistit in verborum jactatione & blasphemiis, aut in interiori mentis dubitatione, dicitur speculativus: ubi magis in factorum impietate, dicitur practicus. Conferatur distinctio idololatriæ speculativę, & practicę. Et sic fere hæresis possit distingui in theoreticam & practicam: ut illa magis consistat in professione errorum contra articulos fidei: ista magis in moralibus erroribus contra decalogum, aut operibus contra eundem, aut in utrisque. Scitum illud Augustini: *Hæreticus disputat contra fidem, malus Christianus vivit cõtra fidem.* Quod si quis hæresin speculativam explicet, errorem qui nõ sit contra conscientiam: & practicam, errorem, quem quis mordicus tuetur contra scientiã & conscientiã: non repugnabimus, modo ne illam faciat innoxiam,

noxiam, aut commentum Theologorum, cum nonnullis Scepticis, contra 1 *Timoth.* 1. 13. 15. *Roman.* 10. 3. Facile enim quis eodem colore Atheismos Saducæorum, & similes faceret innoxios. IV. *Probl.* An liceat disputando probare esse Deum. *Resp.* 1. Vbi periculum est ab Atheorum furoribus, parcè, cautè, compendiosè, & perspicuè hoc præstandum: ubi non est, potest abstineri, imprimis coram rudioribus & infirmioribus, & in institutionibus catecheticis. Suffecerit ibi plerumque præsupponere & sumere hoc principium. 2. Tractatio instituenda est κατασκευαστικῶς potius, quam ἀνασκευαστικῶς; hoc est argumenta potius pro veritate proferenda, quam adversariorum objectiones refutandæ: ne dum dicuntur talia, doceantur; & diabolus cum corruptâ carne occasionem sumat horrendis ejusmodi cogitationibus hominum mentes perturbandi. 3. Alia tamen ratio est librorum qui eduntur, quam institutionum, quæ fiunt vivâ voce. In illis, præsertim si dogmatici, aut elenctici sint, vix demonstratio hæc præteriri potest: in istis pro re natâ potest. 4. Alia ratio est institutionum & disputationum Academicarum; & alia ecclesiasticarum. Illic armari debent Theologi contra omnis generis Antagonistas. Eâ tamen cautela & reverentiâ hoc agendum, ne videatur ventilari problema dialecticum. His distinctionibus adhibitis, admittimus, inter Christianos non debere disputari (siquidem necessitatem non faciat nobis impiorum importunitas) An sit Deus. Quo analogicè applicandum prudens Philosophi monitum Topicor. lib. 1. c. 11. *Nec verò oportet omne problema aut omnem thesin in quæstionem revocare: sed eam de quâ dubitare qui spiam possit* τῶν λόγῳ δεομένων, καὶ μὴ κολάσεως ἢ ἀισθήσεως (1. *egens rationis non pœnæ aut sensus*), *Nam qui ambigunt utrum oporteat Deos colere, & parentes deligere, nec ne, pœnâ; qui verò dubitant utrum nix sit alba, nec ne: sensu indigent.* V. *Probl.* An omnes homines propter naturæ suæ corruptionem dici possint Athei, quamdiu non convertuntur. *Resp.* voce Atheismi latè sumptâ pro Atheismo speculativo indirecto *aff.* de Gentilibus & extraneis saltem ex *Ephes.* 2. coll. cum 1. *Thessal.* 4. quia verum Deum non agnoscunt. An non etiam de iis qui in populo Dei educati verâ ejus cognitione aliquatenus imbuti sunt. *Aff.* de Atheismo practico, ex *Psalm.* 14. & 53. & coll. cum *Rom.* 3. VI. *Probl.* An quis ab Atheismo à nobis descripto possit converti; & consequenter an possit aliquis ejus gradus, imprimis summus cadere in electos nondum actualiter vocatos & conversos. *Resp. Aff. pr.* quia nullum peccatum legimus à quo ἀδύνατον sit resipiscere, & pro quo non sit orandum, quam peccatum in spiritum sanctum *Hebr.* 6. cum 1. *Joh.* 5. *Post.* non video cur affirmari non possit de electis, in infantiâ non fœderatis, & consequenter omni regeneratio-

nis

nis semine & sanctificatione Spiritus destitutis. De fœderatis quod ad Atheismum indirectum itidem conceditur; & docet Augustini exemplum qui non tantum electus & interna gratia ac semine sanctitatis fœderalis præditus, sed insuper actualiter rudimentis fidei ac pietatis initiatus in Manicheismum incidit; qui merito ad Atheismum indirectum reducitur. Quamvis nolim dicere Manicheismum ut habitum Augustino insedisse: sufficerit dicere ut dispositionem quandam. Sed de supremo gradu hujus mali, hoc est, de Atheismo speculativo directo, crulun forte videbitur hoc affirmare. Memorabile est exemplum fœminę cujusdam in Anglia, quæ (referente *Samuele VVardo in concione ad Iohann.* 13. *v.* 17. *pag.* 515. edit. Angl. in 8.) cum annis aliquot vixisset in professione atheismi (dubitantis scil., An esset Deus) tandem convicta fuit, & tunc ægrè consolationem super hoc peccato suo admittere potuit. VII. *Probl.* An Antichristus sit futurus Atheus? *Resp. Aff. A Lapide comment. in Daniel.* 11. 37. & in *Thess.* 2. 4. & in 2 *Petr.* 3. *v.* 4: Quod scil. directè Deum omnem negaturus sit, & ipse volet solus coli ut Deus. Nos *Neg.* Ridiculus hinc & stolidus esset ille Antichristus, qui hâc ratione mundum seducturum se putaret. Est ergo locus 2 *Thess.* 2. intelligendus de Atheismo practico, & speculativo indirecto: non verò de constanti & directa professione ac doctrinâ, *Ego solus sum Deus.* 2. *Petr.* 2. non agitur de Antichristo, sed de omnibus carnalibus irrisoribus in genere. Quæ *Daniel* 11. 37. habentur, Antiocho conveniunt. Sed de hoc ex professo agitur in controvers. de Antichristo. Nos Pontifici Romano ut Antichristianismum, ita & Atheismum impingimus tum speculativum, quod partim apertè partim per consequentiam ea sibi tribuat quæ Deo & mediatori Christo convenunt; tum practicum, propter mores & regimen. Vide hoc probatum ab autore *Bruti Fulminis* in principio, ubi de impietate Pontificum; & *Laneo, Pouelo, VVittakero, Downamo, Vigniero, Beumlero, Tileno, Gomaro*, aliisque disputantibus de Antichristo. Fuerunt etiam in illâ sede, qui non tantum communi hoc respectu, sed insuper peculiari quodam Atheis & impiis accensendi sunt, ex. gr. *Sylvester* II. *Benedictus* IX. *Iohannes* XIII. *Gregorius* VII. *Alexander* VI. *Leo* X. *Paulus* III. *Iulius* III. De quibus consulendi historici, & scriptores modo cit. cum *Plessei mysterio Iniquitatis*, ejusque defensore *Riveto.* VIII. *Probl.* An ἀθεότης sit minus malum, quam δεισιδαιμονία? *Resp.* Ita quidem disputat *Plutarchus lib.* περὶ δεισιδαιμονίας: ubi eam describit, quod secundum eam homo statuat esse Deos, ἀλλὰ λυπηρὸς καὶ βλαβερός. Idem statuit *Bodinus lib.* 4. *Politicæ cap.* 7. *p.* 759. Distæ in suis scedis (apud *Mersennum in libro gallico supra part.* 1. *citato*) damnant *Bigotos* credentes pœnas infernales peccatorum, pejores esse Athes, qui

Deum

qui Deum apertè negant. Nos *Neg.* quamvis enim superstitio strictè ex mente Plutarchi accepta nihil aliud sit quam Atheismus indirectus (sic enim sub finem libelli: ὁ δὲ δεισιδαίμων τῇ προαιρέσαι ἄθεος ὤν) tamen minus malum est ἀθεόθητι prout eam describit Plutarchus circa principium. Ἡ μὲν, inquit, ἀθεότης κρίσις οὖσα φάυλη τοῦ μηδὲν εἶναι μακάριον καὶ ἄφθαρτον εἰς ἀπάθειαν τινα δοκεῖ τῇ ἀπιστίᾳ τοῦ θείου περιφέρειν, καὶ τέλος ἐστὶν αὐτῇ τοῦ μὴ νομίζειν θεόν. Et sub finem libelli: Οὐκ οἴεται θεοὺς εἶναι ὁ ἄθεος, ὁ δὲ δεισιδαίμων οὐβούλεται, πιστεύει δὲ ἄκων, ἀποθανεῖν γὰρ φοβεῖται. Saltem ut vox illa vulgò superstitionem quamvis significat (quomodo & *Actor.* 17. & ipse Plutarchus in fine, ubi εὐσεβείας ἐν μέσῳ κειμένης duo extrema facit ἀθεότητα & δεισιδαιμονίαν) minime dubitandum est, quin minus malum sit superstitio. Confer *disp. de Superstitione.* IX. *Probl.* An injectiones purè diabolicę in mentem hominis circa quæstionem: *An sit Deus*, dicendi sint Atheismi? *Resp. Aff.* objectivè scil. quatenus procedunt à diabolo. Sed nullo modo sunt subjectivè respectu hominis, qui tantum invitus patitur illos colaphos Satanæ; & nullo modo iis cooperatur, aut consensum aliquem præbet. Sed attigimus aliquid de injectionibus *Disp. de Desertionibus spiritual.*; & forte pluribus agemus *Disp. de Tentationibus.* X. *Probl.* An motus primo primi in fidelibus, aliæque cogitationes ac suggestiones carnis de Atheismis, sint formaliter malę; & an illis inde sit tribuendus Atheismus, & ipsi denominandi sint Athei. *Resp. Aff. pr.* & hactenus peccatum ac culpa illis tribuenda. *Neg. post.* Vt enim propter tentationes ad desperationem, & luctam cum eâ, immo nec propter cogitationes quasdam desperationis (informes sc. & intellectus sive animi tantum fluctuatis & luctantis) & consequenter voces desperatorum emissas, nemini fidelium desperatio formaliter tribuitur, aut ipse desperatus dicitur: sic nec propter ejusmodi tentationes Athei sunt dicendi; Atheismi enim oppugnatio est, non victoria. XI. *Probl.* An præstantissima, expeditissima, sufficientissima, & unica ratio sit probandi deitatem contra Atheos, & apud homines, quicunque tandem sint, dummodo judicii & sanæ mentis expertes non sint; ex revelationibus factis in V. & N.T. *Resp.* sic quidem censent Remonstrantes in *Confessione cap.* 1. *sect.* 2. & *Apolog. c.* 1. *sect.* 2. *fol.* 25. Vbi totam causam notionum naturalium & interni testimonii ex conscientiâ cujusque hominis, ut & argumentorum ex libro & principiis naturæ & sic totam fere methodum probandi Deum, adversariis Atheis tradere videntur addito insuper hoc ἐξουθενισμῷ: *Remonstrantes sequi amant plana, facilia, & brevia, quæ rudes & indocti sine ullo labore statim percipiunt, & doctissimi quique coguntur admittere, nisi cavillatores agere & manifestè prævaricari velint.*

Quale hoc est : Ista signa, prodigia, virtutes &c. facta fuerunt : Ergo Deus est : & is qui ea fecit verus Deus est, & Religio, quam iste præscripsit, vera ac divina religio est. Hoc argumentum primâ statim fronte palpari potest. Catera quæ ex principiis philosophicis deducuntur, tam operosè sunt elaborata, tot exceptionibus involuta, tot distinctionibus, hypothesibus, postulatis intricata, ut indoctus ea sæpe assequi non possit, & doctissimi quique non raro reperiant, quod in iis desiderent. Resp. 1. Ita difflatur & superbè contemnitur, quidquid omnium Theologorum, Philosophorum, Philologorum ingenia hactenus comportarunt, adversus protervos & impios Atheorum Scepticismos. Remonstrantes scil. soli hic viri sunt, reliqui ὡς σκιαὶ ἀΐσσουσι. 2. In specie ab armamentario hoc relegantur notiones naturales & synteresis ac conscientia; quas mordicus retinendas, & per quas Atheos felicissimè oppugnandos censent, qui hæc tractant, immo sine quibus principiis demonstrationes adversus eos nullas posse instrui contendimus. Videantur omnes autores qui probant esse Deum : nominatim *Plesseus de Verit. relig. Christ. c.* 1. *Mersennus in Genes.* 1. ante nobis cit. *Lessius contra Atheos*; Ex philosophis, Metaphysici omnes quorum Disputationes aut systemata studiosorum manibus hodie teruntur. Ex philologis *Lipsius epistola ad Berchemium Cent.* 2. *ad Belgas.* Quin & ex Gentilibus *Empiricus contra Mathem. lib.* 8. *cap.* 1. & *Cicero libr.* 1. *de Natura Deorum*; & *Dion Chrysostomus orat.* 12. Quibus addant suum *Grotium, in Demonstratione religionis*, in principio : imprimis & *Vorstium in lib. de Deo*; & Præceptorem suum *Arminium Disp. privat.* 14. *à th.* 4. *usque ad finem.* Ipsum etiam Socinianum *Volckelium cum Crellio, in Institutionibus lib.* 1. *cap.* 5. ubi naturæ instinctum non rejicit. Plures autores, inter quos patres & scholastici, pro universali consensu mox citabimus. 3. *Argumentum* hoc suum ex historia V. & N. Testamenti desumptum, quomodo opponent illis, qui totam autoritatem scripturæ negant, aut in dubium trahunt, quod faciunt Athei; imprimis si qui inter Gentiles, aut Turcas educati sint ? Hic manus dandę erunt, & arma abjicienda novis his & compendiosis disputatoribus, quamdiu in supernaturali illo principio (scripturæ scil.) adversarii Athei cum ipsis non conveniunt. Nullum patet effugium; quia naturale lumen & principium omnibus hominibus commune δοκησίσοφοι nostri explodunt, aut tanti non faciunt. 4. Denique ipse anonymus Remonstrans à nobis in *Thersite Heautontimor.* edoctus, & vi veritatis adactus quidquid pro speculativis Atheis & abolitâ naturali notitiâ Scepticè in nos disseruisset, tandem ita concludere coactus fuit in postremo scripto cui tit. Gymnas. Vltraj. p. 187. *Hinc etiam Deum esse firmissimè* (N.B.) *demonstrabimus, qui se nullo negante infinitorum hominum conscientiis tam intimè insinuavit, ut & impii plurimi, alii reluctantes, alii incogitantes ei testimonia*

monia omni exceptione majora præbuerint. Et post p. 188. *Quod si præter conscientiæ testimonia quæ in plurimis apparent, quamvis in singulis apparere non possunt, unde neque opus est de singulorum conscientia disputari: si præter hæc inquam, & alia velimus conquirere testimonia, quibus nunquam destituitur Deus, & per qua palpando inveniri potest, mox ea tam infinita occurrent, ut qui ex nullis eorum deprehendat, eum ex homine in belluam &c. degenerasse &c.* Et sic post Theologię naturalis Scriptores, Atheistarum Antagonistas, philosophicos libellos, & Locor. commun. scriptores per cœlum, lunam, aërem &c. discurrit; ac tandem concludit: *Quis non intelliget ipsos* (homines scil.) *non tam creatos esse rationales, ut ingrati vivant, quam ut tantum benefactorem palpando quærant &c. præsertim cum hoc ipso fine intus habeant conscientiam ejus nomine velut pro tribunali sedentem & justa minantem &c.* Si hæc cum dictatis sociorum in Apologia, & τοῖς ἰδίοις ante effutitis conciliare possit, erit nobis κατ' ἐξοχὴν Conciliator. 5. Quod socii prætendunt se ea proponere, quæ rudes & indocti sine ullo labore facile percipiunt: hoc non liberat eos à prævaricatione & syncretismo cum Socinianis, si non etiam cum Sceptico Libertinis, hoc est Atheis secundi generis. Manet tamē quæstio; an nō supra dictata ipsorum modo recēsita, sint vera & utilia quædam refellendis Atheis. Si sint, ne culpent & fastidiant ea, atque una universalem omnium sapientum consensum. Sin minus: jam frustra obtendunt ingenia rudiorum. Sive enim capiant, sive non capiant; sive cum labore, sive absque labore; veritas tamen in se una eademque est. *Deinde* addo, eos more suo hic ludos facere. Cum agitur de quæstione an sit Deus, non tantum rudibus, sed & ingeniosis ac doctis, immo iis imprimis, satisfaciendum est: ex illis enim pauciores, ex his plurimi sunt Athei; de quorum convictione Theologis laborandum sit. Quin *Episcopii Theses* (ubi nihil de Theologia naturali) doctis scriptæ sint, nemo opinor negabit. Totam *Apologiam Remonstrantium* nihil aliud fere tractare quam Metaphysicam Rhetoricam seu declamatoriam Socinianorum, nōrunt illi qui modo eam leviter inspexerunt, & quidem in gratiam non rudiorum, sed literatorum. Quod satis ipsi ostendunt, cum ne quidem usque in hunc diem à se impetrare potuerint, ut in vernaculum sermonem, in gratiam auditorum suorum eam transtulerint, eamque *Censuræ* confessionis suæ à *DD. Professor. Leidensibus* latinè & vernaculè editæ, opposuerint. Sed tollat ludicrum & ineptum hunc prætextnm, omni exceptione apud ipsos major Eruditiss. philologus & I. C. Grotius, qui *Demonstrationem Religionis Christianæ* belgico carmine conscriptam (in quâ methodo consuetâ, ex principiis philosophicis ex libro naturæ & conscientiæ, probat deiatem) dedicat popularibus suis Batavis, nominatim rudioribus; nautis

scil. & navalibus sociis, quibus propter commercia cum Indis aliisque Barbaris sæpe contra Atheos & infideles agendum est. XII. *Probl.* An hactenus inventa & à sapientibus adhibita sit genuina & certa quædam ratio divinitatem seu numen ejusque providentiam, atque una communia cognoscendi principia contra Atheos, Scepticos, Epicureos, alioisque fanaticos defendendi; sic ut solidè atque evidenter convicti sint, si non passivè, saltem activè? *Resp. Aff.* Cum toto Christianismo, cum omnibus scholis ac sapientibus theologis & philosophis, antiquis, & recentioribus, cujuscunque in religione Christianâ Professionis. Vt nihil dicam de Ethnicis, Mahumedistis, Iudæis. Classes & titulos probationum infra *thesi* 4. indicabimus. Hanc universalem omnium sæculorum sapientiam otiosè rideri & explodi nolimus, tritamque ac tutam hanc viam removeri, ut novam nondum inventam, nondum exploratam, sed in merâ potentia acchao, seu mavis imaginatione & vanitate promissorum & magnorum hiatuum adhuc hærentem ei substituant. Qui enim hoc agunt, aut temerariis illis conatibus favent, causam Dei & veritatis apud atheos & Scepticos nimis prostituunt & manus impiorum (prudentes an imprudentes, Deus novit) non parum confirmant; insuper in rectam rationem, lumen naturale & dona Dei iniurii sunt, immo & in ipsum spir. sanctum, qui hanc methodum ipse docuit, & adhibuit. *Ies.* 40. *Psalm.* 19. *Actor.* 17. *Ronan.* 1. &c. uti mox dicetur. Spero eos, qui guttam pietatis habent, à temeraria hac & periculosa opinione recessuros, ne blasphemiis implicentur, quasi scil. spiritus s. in scriptura rationem ac methodum convincendi Epicureos aut atheos incertam, & minus evidentem ac tutam nobis tradidisset & ipse usurpasset: adeo ut ipsius conceptus nunc demum à philosophastro aliquo juvari, perfici aut corrigi debeant. XIII. *Probl.* An in hac methodo partem & quidem præcipuam faciat probatio seu cõsequentia ab effecto ad causam, seu ab operibus ad opificem, quam vulgo cum dicto *Dionysio Areopagita viam causalitatis* appellant, & probationem ex libro naturæ. *R. Aff.* & probatur 1. autoritate & exemplo spir. s. *Roman:* 1. *v.* 19. 20: *Act.* 14. 15. 17. *&* 17. 27. 28. *Ps.* 8. 2. 4. *&* 19. *v.* 1. 2. 3. *&c. Iobi* 38 & 39. *Is.* 40. 21. 22. 26. *Ierem.* 10. *v.* 10. 11. Quæ loca diligenter expendenda, in quibus ipsum Deum, prophetas, apostolos hac methodo disputantes audies. *Secundo* defenditur hæc methodus contra omnes exceptiones: ut videre est apud Scholasticos in 1. *qu.* 2. *artic.* 2. *&* 3. *Tertio* est ea feliciter hactenus usurpata & adhibita ab omnibus omnium sæculorum sapientibus. Quibus hodie reclamatur ab uno atque altero inepto philosophastro aut abactiosis quibusdam novaturientibus Atheniensibus (*Actor.* 17.) aut ab hominibus vix semi-literatis, præsertim in metaphysica & theologia naturali tam hospiti-

hoſpitibus, ut ne terminos quidem unquam didicerint aut fando de iis audiverint. Sed ſunt qui ineptias & vertigines iſtorum hominum jam detexerunt, & porro detegent. Interim videantur per occaſionem, & conferantur, 1. *ex patribus, Lactantius lib. 1. cap. 2. Euſebius lib. 1. præpar. euang. Theodoreti ſermones de providentiâ*, & *de Curatione græc. affect. orat.* 3. Dictus *Dionyſius Areopagita de divinis nominibus cap.* 17. *Damaſcenus lib. 1. de orthod. fide c.* 3. 2. *Ex ſcholaſticis, Thomas opuſc.* 6. & *lib.* 1. *c. Gentes cap.* 12. & 13. & *ſummæ p.* 1. *qu.* 2. *art.* 2. & 3. cum *Cajetano*, aliiſque commentatoribus. *Magiſter Sententiarum lib.* 1. *diſt.* 3. & ibidem omnes ejus commentatores. 3. *Ex Theologis naturalibus & antagoniſtis Atheorum, Epicureorum, Gentilium &c. Savonorola in Triumpho crucis lib.* 1. *cap.* 6. *Raymundi de Sabonde in theologia natur.* (quæ in gallicum traducta à Michaele de Montagne) *cap.* 1. *Steuchus in Perenni philoſoph. lib.* 7. *c.* 22. *Ludovicus Vives, de veritate relig. lib.* 1. *cap.* 9. *Mutius Panſa in oſculo Chriſtianæ & Ethnicæ philoſophiæ Pleſſeus de veritate relig. Chriſt. capp.* 1. 11. 12. *Thomas à Ieſu de procuranda ſalute Gentium lib.* 11. *cap.* 6. 8. *Poſſevinus lib.* 10. *biblioth. ſelectæ cap.* 2. 414. *Charronus verit.* 1. *lib.* 1. *cap.* 6. 7. *Petr. Molineus* in libello *de cognitione Dei*, *Alſtedius in theologia Naturali*, *Grotius in libr. de veritate fidei*; *Gul. de Aſſonville in Atheomaſtige.* Adde & tract. gallicos c. Atheos, *Alexandri Capelli* in 12. *Baruchi Canephi atheomachum* in 8. Infantici *Hotman. tract. tres*, ubi in 1. *de providentia cap.* 2. Et Anglicos *Smithi* cui tit. *telum adverſus Atheos*, qui una cum concionibus ipſius editus; *Ioh. Veemſe of Lathoquar* in tract. *de quatuor filiis degeneribus*; *Martianus Fotherbii in atheomaſtige tract.* 1. 4. *Ex locorum commun. ſcriptoribus*, qui quidem mihi familiariter noti, aut nunc ad manum, *Philippus Melãthon, Muſculus, Calvinus, Martyr Hyperius, Zegedinus, Daneus, Tilenus, Polanus*, in loco cõmuni *de Deo.* Conſer eoſdem in loco *de providentia*, alioſque ſcriptores qui ex profeſſo providentiam defendunt, ut *Leſſius contra Atheos*; *Andr. Gorrutius de providẽtia*; *Zwinglius de Providentia*; 5. *Ex commentatoribus ad loca ſcripturæ* modo cit. *Pineda, A Lapide, Lorinus, Villetus, Rivetus, Pareus* &c. 6. *Ex concionatoribus, practicis, aſceticis, Bonaventura in Itinerario mentis in Deum. Bellarminus de aſcenſione mentis in Deum* &c. *Taffinus de emendatione Vitæ. Preſtonus Concione in theſ.* 1. 7. *Ex Metaphyſicis, Zwarez*, aliiq; vulgò. 8. *Ex eruditis Iureconſultis, Politicis, Medicis, Philologis, Gentiletus in Antimach. part.* 2. *axiom.* 1. *Lipſius in epiſtol. ad Berchemium*; *Grotius de veritate religionis*; *Chriſtoph. Beſoldus in ſpecimine locor. commun. part.* 2. *p.* 19. 363. *edit. in* 16. *Valeſius cap.* 58. *Philoſoph. ſacræ.* 9. *Ex heterodoxis aut ſuſpectis*, *Arminius* & *Vorſtius* ſupra citati Imprimis *Volckelius* Socinianus *in Inſtitution. lib.* 1. *c.* 2. 3. 4. 5. *Ioh. Trithemius in libro octo quæſt. Qu.* 8. quæ eſt *de providentia.* 10. *Ex Gentilibus.* Vt *Ariſtoteles lib.* 8. *Phyſ. Acroaſ. Sextus Empiricus, Maximus Tyrius diſſert.* 1. Alios complures vide citatos apud *Pleſſeum*

cap.2.& 12.adv.Mathematicos p.317.319. Cicero lib. 2. de Natura Deorum. Seneca de Provid. Galenus lib.3.de usu partium: quem illustrem locum descripsit *Beza in notis ad Rom.1. 19. 11. Ex Iudæis, Maymonides in constitut. de fundamentis legis cap.1. XIV. Probl.* An huic probationi deitatis inserviat,& præsupponatur cognitio sensuum ; & an rectè hoc medium cognoscendi deitatem tum ad nostri ipsius convictionem & confirmationem, tum adversariorum confusionem adhibeatur, & contra antiquos ac novos Scepticos defendatur? *Resp. Aff.* ex *Iesaiæ 40.v.21.26. Actor.17.v.27.Ps.19.1.2. 3.4. 5. & 8.v.4. Roman. 1.v. 19. 20.* & autoribus præced.probl. citatis. Nec à scepticismo aut saltem semi-scepticismo,plane purgari potest pseudo-philosophia eorum, qui temere hoc principium cognoscendi & investigandi deitatem rejiciunt ; & consequenter tacitè accusant spir. s., quod in scripturâ homines ad sensuum testimonium in his aliisque quæstionibus revocando à veritate abduxerit,& deceperit. Confer etiam *Ioh.20.v. 27. & Luc. 24. v. 39.40.* Hæc suffecerint monendis iis, qui Christianum nomen & scripturæ divinitatem profitentur. Objectiones scepticorum contra testimonium sensuum apud philosophos refutatas vide. XV. *Probl.* An ergo periculosa nonnulla philosophemata partim manifestè falsa & absurda, partim incerta, involuta, & contorta præsertim circa Metaphysicam & Theologiam naturalem ; quâ hæc trita ac tuta via investigandi deitatem ab ipso spir. s. commonstrata submovetur ; non tantum rejici sed etiam ad periculum commonstrandum,hominesque incautos præmonendos, affinitate & consequentiis scepticismi, Libertinismi, Atheismi premi possunt? non obstante quod authores eorum Dei cognitionem immo & religionem aliquam profiteantur. *R. Aff.* Quamvis enim quis apertè non neget Deum sed contra ejus cognitionem cõstanter profiteatur, immo & contra atheos defendat, (quod etiã antiquis Epicureis & Saducæis, & hodiernis Deistis frequentatũ; ne quid dicã de Socinianis,Vorstio,Taurello) cõsequẽtiis tamẽ illis periculosa & temeraria philosophemata urgeri possunt.Quod si veritatis cõvictioni,& sanioribus cõsiliis locum det,utiq; desistendum : sin minus,prætextu & protestatione peculiaris sæpe opinionis & puri puti mentalis erroris (siquidem error judicetur,) pseudo-philosophemata ejusmodi absolvi nõ debẽt. Videtur hoc vergere ad semi-Libertinismum illum, Sociniano-Remonstranticum, *de hæresi speculativa*: quem doctè & solidè detexit *Vedelius in Arcanis Arminianismi.* Probatur hæc nostra sentẽtia. 1. *ex* scripturâ, *Ps.14.1. Eph.2.12.1 Thes..4 5, 1 Cor.15.32.33. 34.Ps.94.7.& 59.8.& 10.11. Iob.21.14.15.* ubi Atheismi aut Epicureismi cõsequentiis gravantur, qui tamen omnem numinis aut providentiæ divinę cognitionem apertè non oppugnabant. 2. *Ex* analogiâ, idololatriæ sive cras-

ve crassioris sive subtilioris, directæ aut indirectæ quæ similibus consequentiis gravatur, quidquid homines contra consequens protestari soleant. Huc refer avaros, voluptuarios, &c. *Ephes.* 5.5. *Coloss.* 3.5. *Psalm.* 106. 19.20. *Iesa.* 44.15.16.17. 1 *Corinth.* 10.7.20.21. 3. *Ex* analogia magiæ indirectæ seu interpretativæ: quâ gravantur infinitæ actiones & vacuæ observationes eorum, qui ab omni fœdere diabolico, & nefaria magia se alienissimos esse protestantur. Vide quæ notavimus in *disp. de Magia.* 4. *Ex* analogia aliorum errorum circa meritum Christi, justificationem gratuitam, & observationem legis ceremonialis quos rigidis consequentiis in ipsis fidelibus & fratribus persequitur apostolus *Galat.* 2. *v. ult.* & 5. *v.* 2. 4. Conferatur *qu.* 30. & 80. *catechesios Belgicæ.* 5. *Ex* praxi quotidiana & communi consensu quorumvis theologorum & sapientum, qui gravibus aut capitalibus erroribus circa deitatem & Dei attributa, item circa Dei verbum, promissiones, cultum, atheismi consequentiam impingunt. Vide supra *part.* 1. *thesin* 1.3.4. Vbi imprimis notanda exempla Taurelli aliorumque philosophorum, item scriptorum de Deo, ut Vorstii, nec non Politicorum & aulicorum; quos tamen cognitionem Dei, & religionem aliquam, nonnullos ex iis veram religionem professos constat. 6. *Ex* sensu & praxi Theologorum orthodoxorum, qui Papatui, Papis, & curiæ imprimis Romanæ, Iesuitis & squamis eorum, tum propter dogmata, tum propter mores & artes parum Christianas Libertinismum aut Epicureismum, atheismum imponere solent: uti infra suo loco indicabimus. Huc refer consequentias, quibus tum Libertini, tum Sociniani, tum neutrales, tum vertumni, Ecebolii, apostatæ gravantur. Oblitus sum *part.* 1. *th.* 2. ad scribere Iudæis synonyma esse Epicurum seu Epicureum & מין *min* i.e. hæreticum, apostatam, ut videre est apud *Maymonidem tract. de Idololatria p.* 83. edit. hebraico-lat. Vossii in 4. XVI. *Probl.* An parci Deorum cultores & infrequentes, aut pro re natâ in religionis negotio subinde neutrales aut neutralibus proximi, si vanitati ingenii tãtum indulgeant, ut cõtendant theologiã naturalem seu naturalem deitatis investigationem ac probationem à nemine sapientiũ (ne quidem à patribus, & theologis Christianis) hactenus ostensam; ac propterea rationes à se excogitatas, sed falsas, aut ineptas, aut obscuras, & involutas tutæ & tritæ illi viæ temere substituant: an atheismi aut scepticismi consequentiis, infelix & vertiginosa ipsorum Philosophia ad absurdum adigi possit; & incautioribus præcipitia illa commonstrari? *Resp. Aff. cum dist.* præsertim si non sint idiotę, aut amabili insaniâ seipsos ludant. Medici titulum & praxin affectantes si damnum sanitati aut vitæ alicujus inferant, extra culpam non collocantur; quamvis protestentur se intentione bonâ novam optimamque suo

que suo judicio medendi methodum à se excogitatam adhibuisse & receptæ ac tritæ methodo substituisse. Sic Atheismi & Septicismi expugnatores, si causam (quamvis per errorem & imprudentiam) Atheis aut Epicureis, aut Scepticis prodant, & manus eorum confirment, ratione periculosæ suæ philosophiæ, & temerariæ innovationis consequentiis Atheismi (saltem participati & interpretativi seu indirecti) in angustias adigi possunt: ne scandalosæ ipsorum opiniones nimium grassentur, & incautos abducant. Iure merito infelices illi disputatores his absurdis & consequentiis pulsantur, qui præjudiciis novi scepticismi Loiolitici contra autoritatem scripturę imbuti, universalem dubitationem de omnibus principiis & veritatibus (inter quas & illę, quod sit Deus, quod Deus colendus, quod sit discrimen inter honestum & turpe &c.) vanitati humani ingenii persuasum eunt: ut instar rasæ tabulæ cognitionem omnino novam de novo sibi quærat. Sed hujus periculosæ methodi non pauca sunt incommoda, quorum unum atque alterum hic cursim indicamus. *Primum* est, quod homini perperam persuadetur, ut volens & sciens sipsum denudet omni naturali cognitione, assensu, & persuasione veritatis sive habituali, sive actuali, etiam primorum principiorum tum theoreticorum, tum practicorum. Atqui homo adultus non potest absque peccato vel ad momentum esse in statu ἀγνωσίας Dei, & cultus divini, h. e. in statu Atheismi: non potest veritatem detinere in injustitiâ; non potest dubitationibus suis, aut affectatâ purę negationis ignorantiâ communes notitiones de Deo & rebus divinis inducere aut obfuscare. Vera Dei cognitio primo decalogi præcepto nobis præscribitur: ut docent communiter omnes interpretes. Et quis ille vermis qui obloquatur spiritui Sancto. *Secundum est*, quod homo ad statum illum solitudinis, hoc est, ad ignorantiam puræ negationis aut universalem dubitationem detrusus, nimis incertus est an unquam ad veram solidamque principiorum & veritatum cognitionem perventurus sit. Non est ergo spes pretio ementa, nec incerta certis præferenda. Difficultatem hanc auget, quod via & ratio, quæ obtruditur, ex hâc abysso ignorantię emergendi, & ad certam cognitionem enitendi nimis lubrica & invia sit; saltem fatentibus ipsis autoribus, obscura & perplexa; ita ut à paucis capi possit. Quid si ergo quis maneat in illâ dubitatione & ignorantia? quid si semper discat & nunquam ad cognitionem veritatis perveniat? Quid si per scepticismi vortices in abyssum desperationis & Atheismi detrudatur? Cui hoc imputabimus? An non musteis illis muginatoribus, qui nec seipsos nec alios intelligunt, nec ab aliis, præsertim rasis tabulis & nimium patientibus κυνοφορίων admiratoribus intelligi possunt? *Tertium est*, quod hâc ratione altius

tius in ignorantiæ & Atheismi cœnum impinguntur, qui de Deo, deque ejus cognitione ex utroque libro seu principio & naturæ & scripturę minus rectè sentiunt: quodque eximium illud donum Dei, *Rom.* 1. 19. sana scil. & sobria Philosophia Theologiam naturalem fundans, & supernaturali ancillans hac ratione contemnitur; & arma nobis eripiuntur, quibus veritas fidei hactenus contra extraneos, & hæreticos feliciter defensa est. Hæc ab iis considerari velim, qui orthodoxæ theologiæ & pietatis cura tanguntur. XVII. *Probl.* An non ad illustrandam & perficiendam philosophiam, ad hunc statum dubitationis & universalis ignorantiæ primùm amatori sapientiæ deveniendum est? *Resp. Neg.* Quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona. Atqui talis affectatio ignorantiæ, & sequestratio omnis cognitionis, & oblivio veritatis, quam diximus, est malum, peccatum scil. contra primum decalogi præceptum, & contra *Iohann.* 17. 3. *Philipp.* 1. 9. 10. *Proverb.* 4. 5. & 23. 23. Videntur hi homines similes, illi fatuo Philosopho, qui amore sapientiæ oculos sibi eruebat, ut tanto liberius philosophari posset. Sensus enim externos abnegant, & in impietatis abysso versari eos proclamãt, qui ad cognitionem Dei sensuum auxilio utuntur. Insuper lumen internum principiorum naturalium ad tempus exstinguere conantur, ut sc. lumen affectatæ & admirandæ suæ cognitionis accendant. In utroque tacitè accusare mihi videntur spiritum s. *Rom.* 1. 19. 20. *Iesa.* 40. *Actor.* 17. 27. *Rom.* 2. *v.* 14. 15. 2 *Thessal.* 1. 8. *Iacobi.* 2. 19 XVIII. *Probl.* An suspiciendi sint, an potius suspecti debeant esse conatus philosophici illorum, qui scripturæ autoritatem suspectam habent propter nonnulla, quæ ibi occurrunt, carnali ipsorum sensui minime congruentia: qui probata & communia in orbe Christiano principia & axiomata luminis naturalis in Logicis & Metaphysicis relucentia explodunt, nec meliora ipsis substituunt: qui consequenter arma nobis ereptum eunt, quibus hactenus patres, scholastici, recentiores Theologi & Philosophi Theologiam naturalem probârunt, supernaturalem contra infideles, atheos, hæreticos defenderunt: qui docent de omnibus dubitare, & consequenter antiquum scepticismum reducunt: qui Physicam Mosaicam & scripturariam à spir. s. dictatam tam parvi faciunt, ut suos conceptus de universo & rerum naturâ illi longè præferre videantur: Qui omnes demonstrationes Deitatis hactenus in orbe Christiano ab omnibus adhibitas, tanquam ineptas diffiant; inter quas etiam illa est ab operibus ad opificem, Spiritui s. in scripturis frequentata: quique consequenter divinitatem scripturæ labefactant & Spir. s. ineptiæ & pseudographematis in probatione deitatis tacitè insimulant, & sic manus atheorum atque infidelium confirmant: Qui impeditissimè, obscurissimè, absurdissimè, & ineptissimè

tissimè omnium causam Dei c. atheos & scepticos egerunt: qui profitentur se conscientiæ bonæ in omnibus coram Deo & hominibus servandæ votum non feciſſe: qui admirantur & probant novum Scepticismum Lojoliticum, & blasphemam istorum præceptorum sophisticam contra autoritatem scripturæ; quam præced. disputatione ex parte deteximus: qui parci sunt Dei cultores & infrequentes, etiam secundum illam religionis formulam, à quâ denominari volunt. *Resp.* Non video rationem cur tali philosophiæ Neutralismus, aut Epicureismus, aut Libertinismus, aut Scepticismus & conseqnenter Atheismus (sed cum termino diminuente, indirectus scil. & participatus, ad minimum) impingi non debeat, & de hoc accuratè & maturè præmoneri, quorum interest. De assectis istius philosophiæ, & fautoribus non uno modo statuendum. Videndum unde prodierint, quamdiu & quâ constantiâ quibusque machinis saxum hoc volverint; quomodo monitiones ab aliis sibi factas acceperint; an aliquâ ratione piscatores icti cœperint sapere, & à præcipitiis quibusdam sibi magis cavere; quibus mediis institutionis gavisi fuerint; an non idiotica ignorantia elementorum philosophiæ præsertim artis logicæ & scientię metaphysicæ, ut & theologiæ homines in hanc vertiginem egerit; an intervalla delirii melancolici aut amabilis insaniæ speculationes eorum non patiantur. Interim dum suaviter in vertiginosis & periculosis philosophematis sibi applaudunt, absurdis & consequentiis quamvis ingratis & durioribus vellicandi sunt, si forte à veterno suo excitari possint. Habemus exemplum Apostoli *Galat.* 5. *v.* 2. 4. & *Philipp.* 3. *Quorum Deus est venter* & 1 *Corinth.* 15. *v.* 33. 34. *Ne errate. Corrumpunt mores bonos colloquia mala. Evigilate justè, & ne peccate. ignorantiam enim Dei quidam habent. ad pudorem vobis loquor.* Simili modo urgentur Pontificii à Catechesi nostrâ qu. 30. ubi dicuntur *reipsâ negare unicum servatorem Iesum*; & qu. 80. ubi missa dicitur *abnegatio unici sacrificii Iesu Christi* in cruce peracti. A Theologis vulgò Papæ imponitur ex 2 *Thess.* 2. *quod extollit se supra omne id quod Deus & numen appellatur.* Et sic quam plurimæ hominum minime malorum actiones & observationes urgentur absurdis consequentibus, idololatriæ, magiæ, superstitionis; qui tamen ab illis quam maximè alieni sibi videntur. De quo in *disp. de Idololatriâ indirectâ, Magia, superstitione.* XIX. *Probl.* An antiqui Sceptici & Pyrrhionii Atheorum & Libertinorum promotores aut satellites, cum fanaticis nugis suis antehac solidè refutati sint: An vero hæc laus reservata novis quibusdam hominibus. *Resp. Aff. pr. Neg. post.* Ex iis quæ apud *Tertullianum*, *Augustinum*, *Sextum Empiricum*, & recentiores Philosophos occurrunt.

Sequun-

2. Sequuntur nunc problemata magis practica 1. *Probl.* An Athei, profitentes scil. & spargentes Atheismum in Rempubl. sint admittendi aut in eâ tolerandi. *Resp.* Practicos vix toleratos alicubi in Rebus publicis Christianis, indubium est. Sed quæstio est de speculativis, si quidem cætera neminem lædant, suum cuique tribuant, & secundum leges civiles vivant. Nos *Neg.* si scil. Atheismum directum aut & Epicureorum, Saducæorum, ac similium indirectum profiteantur & spargant; Ratio est; Quia *corrumpunt bonos mores colloquia prava.* 1 Corinth. 15. Atqui non est ferendum ut civium mores corrumpantur. *Except.* Quid si prætendant, se nec contra scientiam nec contra conscientiam paradoxa illa profiteri; nec de falsitate eorum hactenus convictos esse: ergo sibi libertatem tantisper concedendam &c. *Resp.* Petimus à Remonstrantibus nostris, qui aquilæ sunt in talibus, ut solidè ipsis respondeant. Nos rationem consequentiæ negamus 11. *Probl.* An tales possint,& debeant à Magistratu coërceri; & quomodo? *Resp. Pr. Aff.* ne scil. spargant & aliis affricent hoc malum, Quod si non tantum simpliciter apud alios profiteantur, sed professioni insuper blasphemias addant; pœnæ iis irrogandæ. Qualis autem coercitio & pœna requiratur, id legibus & judicibus determinandum relinquitur. Canonistæ & I. CC. in Papatu statuunt eos qui evomunt blasphemias hæreticales (ad quas reducuntur Atheismi exteriores seu vocales, ut constare poterit ex descriptione blasphemiæ apud *Thomam* 22. *quæstion.* 13. *art.* 1. & *Navarrum Manual.* 1. *cap.* 12. *n.* 81. 82. &c.) infami mitrâ conspicuos, alligatâ linguâ & sine pallio in publicum ducendos, flagellis cædēdos,& in exilium mittendos;si scil. plebei sint: sin nobiles,sine mitrâ producuntur,in monasterium ad certum tēpus detruduntur, aut etiam multantur.Sic *Nic. Aimericus Direct. Inquis.part.* 2. *c.*66.Et *Diaz.in praxi Criminali Can.c.* 110.ubi de blasphemiis.Adde *Royas Episcopū Sergentensem De Hæretic.part.*2.*assert.*12.posse aliquando ad remos dānari; si scil. consuetudo blasphemandi accesserit.Particulares,magis decisiones habent *Bullæ Leonis* x. *Iuli* 111.*Gregorii* x111. de quarum interpretatione videndi *Cherubinus in Summâ Bullarii tom.* 1.*pag.* 137. imprimis *Quaranta in Constitut. Pontif. p.* 145. Quod si quis pertinaciter defenderit suos Atheismos, & se ita sentire professus sit, pœnas hæreticorum aut apostatarum illi imponunt. Quæ autem sit pœna hæreticorū juxta ipsos,& quid nos de opinione illorum judicemus; alibi dicendum est, *Disp.de Hæreticis.* Interim consuli possunt Casuistæ, Canonistæ, & Iuristæ eorum *tit.de Hæresi*; inter alios *Iordanus Brunus I. C. lib.* 5. *de Hæreticis cap.* 12. 13. 14 &c. qui hanc causam strenuè & fusè agit. Confer & *Bullam Innocentii* IV. *anno* 1243. Et *Director. Inquisit. part.* 1. *p.* 149. Lege Mosaicâ pœna

mortis in blaſphemos ſtatuta *Levit.* 24. quàm etiam hodie non fore nimis ſeveram diſputat *Zepperus de Polit. Moſaic. lib.* 4. *c.* 8. Et jure civili eſſe capitalem ex *Novell.* 77. *l.* & *l.* 7. §. *ult. de Injur.* probant *Menoch. Farinac. Tholoſanus*, *Althuſius*. Quandoque linguæ præciſionem aut perforationem, *Boër*, *Clar.* & cum iis *Althuſ. Dicaiolog. lib.* 1. *cap.* 101. *n.* 30. Richardus Anglus Imperator anno 1258. datâ operâ blaſphemâtibus pœnam capitalem conſtituit. Carolus V. Conſtitut. Criminalibus cap. 106. *pro ut blaſphemia atrocior leviorve fuerit, ut in corpore membri velut linguæ reſectione aut evulſione, vel etiam mulcta coërceri poterit.* Mitiorem pœnam (certe nimis) præſcribit Ludovicus anno 819. *Aliter* conſtitutiones Auguſtanę anno 1530. Quas conſtitutiones Imperii vide apud *Goldaſtum tom.* 3. & ex parte citatas â *Zeppero lib.* modo alligato. Confer *theſin proximè* ſequ. *probl.* I. III. *Probl.* Quid faciendum, ut expugnemus Atheiſticas diaboli injectiones? *Reſp.* Conſilium generale hic ſequendum; ut eas ſimpliciter removeamus, & contemnamus. Quod ſi accedant aut ſeorſim mentem tranſeant cogitationes ex carnis corruptione ſuccreſcentes, mens ab iis ad preces, aliaſque ſalubres meditationes, & ſoliloquia divertenda. Neque enim directè contraeundo, aut operosè ac diu verſando illæ cogitationes ordinariò profligari ſolent. De quo conſulendi Practici, ubi agunt de Tentationibus, & de ſpiritu blaſphemiæ; Nos etiam ſtrictim quid notavimus in *diſp. de Deſertionibus ſpiritualibus.* IV. *Probl.* An omnis hæreſis deſinat in Atheiſmum; ut vult *Campanella in Atheiſm. Triumphato in præfat.* & *Corn. à Lapide commentar. in* 2 *Petr.* 2. 1. *p.* 365. *Reſp.* De hæreſibus detrahentibus circa principium fidei, ſcripturæ ſcil. autoritatem, perfectionem, &c. ut & circa eſſentiam atque attributa Dei, Trinitatem, & ſimiles articulos primo primos, nolumus negare quin facile in Atheiſmum mutentur. Idem dicimus proximè poſt illas evenire hæreſibus addentibus, ex. gr. cum adduntur principia fidei, objecta adorabilia, ſervatores & mediatores &c. De aliis hæreſibus circa articulos de gradibus, partibus, & mediis ſalutis tum impetratæ tum applicatæ ex. gr. de ſacramentis, Eccleſia &c. (niſi ſint quæ integros articulos de vita æterna, aut reſurrectione tollant) non ita hoc affirmari debet. V. *Probl.* An Atheiſmus, Epicureiſmus, & Scepticiſmus expeditiſſimè detegi ac profligari, & rudiores contra eum prȩmuniri poſſint, ſi viri cætera honorati & in dignitate conſtituti, veramque religionem profitentes hominibus atheiſmi ſive directi ſive indirecti & participati vulgò ſuſpectis familiariter immo familiariſſimè utâtur; eoſq; in cœlum evehât, quin & cauſam eorum cõtra veritatis ac pietatis zelotas pertinaciter defendendâ ſuſcipiant. *R. Neg.* Videntur enim, qui hoc agunt,

craſſa

crassâ ignorantiâ & stolidâ ac culpabili in rebus divinis, ac simplicitate laborare : aut in Dei, veritatis, religionis negotio tepere ; φιλήδονοι μᾶλλον esse quam φιλόθεοι 2 *Timoth.* 3. : aut valido novitatis, curiositatis, vanitatis, ambitionis œstro agitari ; aut, quod pessimum, occulto aliquo Epicureismi & Atheismi afflatu ad hanc mundanam & carnalem societatem ferri ; juxta axioma, *simile quærit simile.* Absterrere eos debebat timor & amor Dei, & periculum seductionis propriæ aut aliorum, scandalum piorum, impiorum neutralium, infirmiorum &c. Et tot paternæ monitiones in scripturâ per spir. s. consignatæ, *Psalm.* 1. 1. & 16. 3. 4. 1 *Corinth.* 5. *v.* 11. 2 *Corinth.* 6. 14. 17. *Ephes.* 5. 6. 7. 8. 11. 1 *Cor.* 15. 33. 34. 2 *Ioh. v.* 10. VI. *Probl.* An crimen sit politicè coërcendum, & cujus nomine actio injuriarum institui possit, si quis reformatus theologus aut philosophus absurdam & periculosam alicujus Pontificii aut Libertino-neutralis, aut nomine tenus reformati Philosophiam aut Theologiam Atheismi consequentiis gravet & urgeat, ut incautos & rudiores tantò melius præmoneat. *R. Neg.* alioquin condemnaretur *Vedelius*, qui Remonstrantismum *in arcanis* suis hoc modo urfit, & *Sladus*, *Eglisemmus*, aliique antagonistæ Conr. Vorstii, cum Seren. *Rege Magnæ Britanniæ* qui Vorstianam Theologiam hac methodo oppugnarunt. Quid etiam coram istiusmodi judicibus fieret Melanthoni ; Calvino aliisque primariis reformationis Theologis infra citandis, si Pontificii & Iesuitarum filii actionem injuriarum adversus illos instituant, quod Papismo, Papæ, Cardinalibus, & Clericis ac Theologis Papalibus multiplicem Atheismum impingant ? Quid animi & spei esset reformatis in regnis, Provinciis, & Vrbibus Papisticis, e. gr. in Gallia, Polonia, Ducatibus Iuliacensi, & Montensi, Coloniæ, Aquisgrani &c. Si quis excipiat, hæc esse longè dissimilia : quod ibi ageretur causa religionis, & quidem contra theologos & religionis antistites ; Repono, non minoris momenti esse theologum Pontificium aut sacrorum antistitem Atheismi aut Scepticismi arguere, ipsiusque theologiam talibus consequentiis oppugnare, quam Pontificium quem philosophum, aut politicum, aut philologum, aut mathematicum, aut Musicum, aut Iureconsultum, aut medicum, aut nobilem, aut mercatorem. *Deinde*, dato hic esse longè dissimilia (uti non sunt;) quâ ratione expediret se *Zanchius*, qui *in tract. de operibus creationis* Simonem Portium, aliosque philosophos Italos, quamvis externâ religionis professione Pontificios, in suspicionem atheismi vocavit : & *facultas Theologia Heidelbergensis*, quæ anno 1610. in judicio de causâ Conr. Vorstii, Taurellum medicum & philosophum quamvis religionis professione Lutheranum, ob nonnulla periculosa philosophemata in Metaphysicâ & Theologia naturali, Atheum in forma appellabat. Idem dicendum

de Gentileto, aliisque Anti-Machiavellicis & scriptoribus contra Atheos tum politicis tum theologis supra *parte prima indicatis*, qui hominibus aulicis & politicis religionem Christianam in communione ecclesiæ Romanæ aut reformatę exercentibus atheismum publicè victuris scriptis imponunt, & de maxima atheorum inter Christianos frequentia tragicis boatibus (& quidem non immeritò) conqueruntur. Emicat inter illos *Mersennus*, cum nonnullis aliis Atheorum flagellis, supra citatis, & porro citandis. VII. *Probl.* An si quis puro mentis errore aberraret in novis, involutis ac periculosis philosophematis præsertim circa Theologiam naturalem & Metaphysicam per absurdas scepticismi, libertinismi, atheismi consequentias revincendis; ita ut illæ consequentiæ aut omnes aut partem aliquam sive revera & in se, sive judicio particulari unius atque alterius præjudicio laborantis aut theologi non satis solidè, saltem non satis evidenter concluderent: an in judicio publico ad instantiam hominis libertino-Pontificii & ab ipsis Pontificiis pariter ac reformatis theologis & philosophis cum vertiginosa ac periculosa sua philosophia explosi injuriarum condemnari debeat. *Resp. Neg.* 1. Laudabili zelo veritatis ad minimum tantum tribuendum est, ut purus putus ille error mentis aut defectus subtilitatis & judicii (si quis esse putatur) si non laude, saltem venia dignus habeatur. Neque enim omnes theologi & philosophi, qui causam veritatis aut pietatis pro modulo defēdunt æquè dextrè per omnia hoc agunt. 2. Cōtrarium docet praxis tribunalium politicorum, ibi enim inauditum est, cōdemnari veritatis defensores, si ab adversariis Pontificiis, Remonstrantibus, Socinianis, Libertinis, Neutralibus Dubitantiis aut Scepticis actionem injuriarum institui contingeret. 3. Hac porta semel ipsis aperta, non video quomodo illa claudi possit: præsertim in Gallia, Polonia &c. ubi reformati Doctores majorum vestigiis insistentes pro re nata Antichristianismi, Libertinismi, Atheismi, & similibus consequentiis Papismum, nominatim novos Scepticismos Iesuiticos urgere non verentur. De quo *thesi proximè sequenti* nonnihil notabimus. 4. A minori ad majus: quod si in regno Galliæ *theses de Antichristo Ierem. Ferrerii* Professoris Nemausensis (postmodum apostatæ) an. 1605. aut 1606. (ni fallor) ab actione cœptæ institui, & *liber de missa* pereruditi *Aubertini* à molestia illi creari cœpta 1635. exemptæ sunt: quanto major moderatio expectanda est à tribunalibus & in Rebuspubl. reformatis, siquidem in similibus concertationibus theologicis aut philosophicis Pontificii aut Libertino-paradoxi, de consequentiarum duritie aut acerbitate orthodoxiæ defensoribus litem moveant. Autor libri cui tit. *mysteria patrum Iesuitarum*, edit. secundæ, in appendice historica de nonnullis gestis contra Cyrillum nupe-

nuperum Patriarchã Cõſtantinopolitanum, refert Muphti h.e. ſummum ſacrorum apud Turcas præfectum ſeu Põtificem, ſua ſententia abſolviſſe Cyrillum per Ieſuitarũ perfidiã accuſatũ, quod edito libello cõtra religionẽ Mahumedicã in tribunali politico reum ſe feciſſet. 5. Artificium illud de politizandis controverſis aut argumentis, & conſequentiis purè Theologicis ac Theologico-philoſophicis, iiſq; hac ratione ad tribunalia politica trahendis, ut veritatis defenſoribus tantò compendioſius os obſtruatur, novum non eſt, in Gallia, Germania &c, ubi ſupremæ poteſtates à religione noſtra alienæ ſunt. Quæ remedia iſtic adhibeant orthodoxi, vide apud ICC. præſertim Germanos *Reinking*, *Mathiam Stephani*, *Carpzovium*, *Arumeum*, alioſque alibi citatos. Sed inſolens & novum eſſe, ſiquidem invaleſceret in regnis & rebuspublicis reformatis, ut Iudæi, Enthuſiaſtæ & Libertini, (præſertim Henric-Nicolaitæ, David-Georgiani, Paracelſo-Weigeliani, Ioh. Bohemiani) Sociniani, Franciſco-Davidici, Philoſophi Taurelliſtæ, Hermetici fratres roſeæ crucis, & ſimiles, arrepta occaſione ex abſurdis conſequentibus quibus orthodoxi eos urgent, actionem injuriarum inſtituerent, & in judicio triumpharent: quidquid orthodoxi de zelo & ſinceritate ſuâ poteſtarentur, & eccleſiarum, Academiarum, præſtantiſſimorum Theologorum exempla & conſenſum hâc in parte prætenderent. 6. Denique ad hominem reponi poſſet illis propria apologia, quà à ſuſpicione & conſequentiis Atheiſmi ſe eximendos, contendunt quamvis peſsimè diſputarent & Atheis cauſam proderent: quomodo quidem pro modulo Atheiſmum refutare intendunt. VIII. *Probl.* An actio injuriarum talibus in caſibus, nominatim in caſu intentati per conſequentiam ſcepticiſmi aut Atheiſmi (ſaltem participati & indirecti,) æque permittenda non eſſet heterodoxis pariter & orthodoxis, ac in caſu intentati furti aut adulterii, aut perjurii, aut homicidii, aut criminum publicorum ex. gr. ſeditionis, proditionis &c. *Reſp. Neg.* Aliæ enim ſunt accuſationes perſonales (ita loquar) aliæ reales: illæ propriè & directè cauſam doctrinæ cum aliis quamplurimis communis, aut opinionis peculiaris in theologia ſupernaturali aut naturali ſeu philoſophia pneumatologico-metaphyſica concernunt: iſtæ particularem ſtatum, vitam, mores alicujus. Si Taurelli Conr. Vorſtii, David Georgianorum, Weigelianorum, fratrum roſeæ crucis, Deiſtarum in Gallia, aliorumque fanaticorum opiniones, Atheiſmi aliiſque conſequentiis premantur: immò ſi Pontificii & reformati, hæreſes, idololatriam, ſuperſtitiones, Atheiſmos, Anti-chriſtianiſmum diſputando ſibi mutuo imponant: non datur actio injuriarum, in Regnis & Rebuspubl. reformatis, aut etiam Papiſticis, ubi libertas exercitii aut ſaltem conſcientiæ conçeditur, ut in Germania,

non vero σκληρὰ ἀντὶ σώφρων. Videant, an hoc non sit tristitiâ afficere corda justorum, & confirmare manus impiorum. *Deinde* non absurdè aut importunè (in plerisque saltem aut quod ad rem ipsam) præcipitia & pericula scepticarum istarum vertiginum & involutionum ostensa esse eaq; absurdis consequentibus pressa, judicabunt omnes aliæ scholæ theologicæ & philosophicæ; uti jam quædam judicare cœperunt. Quibus ut quatuor aut quinque Professores extemporaneum suum judicium obrepticiè & subrepticiè extrusum opponant & præponant, non videtur facere ad unitatem & concordiam Christianam. *Denique* cogitandum fuerat judicibus illis, siquidem ipsorum sensu non satis solidæ aut evidentes visæ fuissent consequentiæ, Professorem illum communis veritatis & philosophiæ vindicem errasse tamen errore erudito, & cum multis aliis ipsi communi. Ita ut in ipso solo exemplum palinodiæ & ludibrii in gratiam omnium novaturientium & phanaticorum non debuisset statui. Magnos enim poterat laudare autores theologos & philosophos, reformatos & Protestantes (aliquos ex iis in hâc disp. indicamus,) quorum exemplo adversariorum heterodoxias & periculosas opiniones scepticismi, enthusiasmi, atheismi consequentiis gravârat. Sed hæc aliaque huc spectantia in hypothesi forte à nobis, aut ab aliis ex professo explicabuntur. XIII. *Probl.* An conveniat theologo reformato directè & indirectè vindicare causam Libertino-Pôtificii, qui in reformatum theologum libellos famosos criminibus politicis sine ullâ probationis specie fartos & alibi publicâ autoritate cõdemnatos, lege sc. uti prætexebat, talionis & ex justâ vindictâ vulgârat, nullâ aliâ de causâ, quam quod impatiêter ferret vertiginosas & periculosas suas opiniones toti Christianismo, omnibusque scholis theologicis & philosophicis oppositas, refutatas atque explosas esse, inter alia argumentis ac consequentiis scepticismi & atheismi, indirecti scil. & participati? *Resp. Neg.* Ostenderet enim theologus ille non tam se conspirare tacitè cum Pontificiis, Iesuitarum sociis, & Libertinis, quam theologiam suam habere atque usurpare ad meras contentiones privatas, & & mundi hujus vanitates, & rotationes. XIV. *Probl.* An privata suspicio & metus de alicujus inclinatione ad atheismum, quem quis amico privatim ad necessariam cautelam aut mali præventionem aperit, possit fundare actionem injuriarum in foro politico. *Resp. Neg.* Qui enim suspicatur & metuit, non asserit, non κατηγορεῖ. Adhæc qui privatim amico suo, aut amico suspecti illius, aut utriusque ad necessariam cautelam aut ad mala prævenienda, aut alium aliquem honestum in finem hanc suspicionem & hanc tacitam animi sui sollicitudinem ac metum sive coram sive per literas aperit, is minimè infamat, nec injuriam infert. XV. *Probl.*

Quibus

Quibus conveniat invigilare adversus atheismos ? *Resp.* Omnibus, qui veritatem & pietatem amant. Sed peculiari ratione Magistratibus, ut potestate suâ eos coêrceant : & philosophis ; ac multò magis Pastoribus & Doctoribus Theologis, ut eos deprehendant & refutent. Frustra ergo eos ab his sacris tanquam arcanis physicis aut speculationibus mathematicis aliisque philosophicis arcere studeant nonnulli, & res suas curare jubent. Nemo enim sanus negare potest, quin commentationes theologiæ naturalis, pneumatologiæ, & metaphysicæ ad eruditionem & curam theologicam pertineant, non minus, immo multo magis quam ad Mathematicos, Medicos, Iurecõsultos, Philologos, Politicos, pragmaticos. Solent etiam vulgò theologi non tantum in rebus theologicis in genere, sed etiam specialiter in logicis, metaphysicis & theologia scholastica haut paulò melius versati esse, quam multi eorum, quos jam nominavimus. XVI. *Probl.* Quid si novi sceptici, Pyrrhonii, & novi Academici in scholis & ecclesiis grassari incipiant, qui sub prætextu & titulo philosophico omnia in dubium trahant aut subvertant, an theologi essent ardeliones aut ἀλλοτριεπίσκοποι si talibus pro modulo se opponerent ? *Resp. Neg.* Quia theologorum speciali, immo & specialissimæ curæ atque inspectioni commissa est juventus philosophiæ studiosa studio theologico destinata. Si in cursu philosophico ingenia illa pervertantur, & pravis seminibus conserantur, frustra plerumque in cursu theologico ad restitutionem eorum laborant theologi. *Quo semel est imbuta &c.* Et *error parvus in principio fit magnus in fine.* Et, *Quidquid est peccatum in primâ concoctione, non corrigitur in secundâ.* Et quamvis paradoxi illi philosophi (e. gr. Taurellus, & philosophi in Academiis Italiæ, de quibus conqueritur consilium delectorum Cardinalium) scripturam & theologiam supernaturalem primo impetu non petant, immo maximè protestentur, se illam nolle tangere : indirectè tamen & per consequentias certitudinem ejus in animis multorum exstinguunt aut labefactant. Neque enim dextrè explicari ac defendi potest theologia supernaturalis sine principiis, axiomatis, consequentiis & regulis consequentiarum, quæ ex lumine naturali in artibus ac scientiis, præsertim logicâ & metaphysicâ resplendent. Vide quæ habent *Canus, Pererius, Melanthon, Hyperius, Keckermannus, Alstedius, Hornejus, Vedelius, Dieſtius*, de usu philosophiæ in theologia. Accedit quod per schema illud politicum seu philosophicum excussa omni cognoscendi tum certitudine, tum modo ac methodo hactenus probata, via munitur ad artem dubitandi aut nihil credendi, & arma eripiuntur sine quibus autoritas scripturæ & mysteria contra fanaticos aut infideles defendi nequeunt. Nec satisfaciunt, cum dicunt se theo-

ologica & mysteria religionis Theologis in solidum relinquere: modo vicissim theologi ipsos suaviter & libere sinant philosophari. Tantundem enim faciunt, ac si aperti hostes aut suspecti vicini omnia ante-muralia omnesque aditus limitaneæ urbis occupent, cum protestatione de ipsa urbe non occupata aut occupanda: Notum est illud vulgatum de veritatibus seu capitibus religionis, quod *fide tenentur, ratione probantur*. Et quid si prætextu & sub involucro terminorum & controversorum philosophicorum tota theologia naturalis directè impugnaretur, atque una theses nonnullæ aut hypotheses theologiæ supernaturalis sive directè sive indirectè labefactarentur? An hic tacendum theologis? An deserendi orthodoxi philosophi, qui veritatem cõtra novos illos Scepticos tuẽtur? Nõ arbitror. Tum tua res agitur, paries cum proximus ardet. Conferantur leges Academiæ Witebergensis à *Melanthone* cõceptæ, & ipsius *consil. theologicis part.* 1. *p.* 199. insertæ. XVII. *Probl.* An si theologi tẽpestivè invigilẽt, & ejusmodi Neo-scepticismis aut infelicibus philosophematis obsistant, adhibitis etiam durioribus veris tamen consequentiis: ilico philosophos illos hæreseos, aut atheismi in forma accusare dicendi sint? *Resp.* Quod si Theologi ab odiosis illis terminis abstineant, nec in forma talem accusationem instituant; utique per odiosarum consequentiarum nexus odiosum hoc sive accusatoris sive inquisitoris munus invitis ipsis imponendum non est. Errores detegendi sunt, & pericula ac præcipitia candidè indicanda: quidquid sit de intentione, & de docilitate aut pervicaciâ errantis. Si error non sit gravis & quidem in fundamento fidei, nec accedat pertinacia: utique hæresis non est; nedum ut errans sit dicendus hæreticus. Sunt enim præter hæreses, propositiones erroneæ, periculosæ, scandalosæ, malè sonantes, piarum aurium offensivæ (uti notum ex vulgaribus Casuistis & Canonistis; & nos aliquando notabimus in *disput. de Hæresi*:) à quibus cavendum est, illis qui orthodoxiæ, pietati, & paci student. Modicam & in omnibus bene constitutis Academiis dissentiendi libertatem non tango. Adde, quod Corinthii & Galatæ non erant hæretici aut athei; quos tamen gravissimis hæresẽn & atheismorum consequentiis urget ac terret apostolus, ne tales fierent. Vide 1 *Corinth.* 15. 32. 33. 34. *Galat.* 3. 1. 2. 4. *v.* 9. *&* 5. *v.* 2. 4.

3. Sequuntur problemata magis historica: quorum 1. est; *Probl.* An semper apud homines qui humanitatem non exuerunt, & certis legibus vixerunt coercitus ac punitus fuit Atheismus? *Resp.* De indirecto *Neg.* De directo externo contradicente simul & blasphemante? *Aff.* neque enim societas hominum, aut bonum civile consistit sine cultu & metu numinis. Pleræque Gentes capitali supplicio Atheos subjecerunt: Vide

Cicero-

Ciceronem lib. 1. *de Natura Deorum, Platonem de Republ. lib.* 10. *Valer. Maxim. lib.* 1. Athenienſes ob Diagoram Melium unam ex Cycladibus inſulis ejus patriam dictam *Melos*, deleverunt. Ipſum ut & Theodorum ac Protagoram exilio mulctarunt: Socratem capitis damnârunt, quod viſus fuiſſet Deos negare. De quibus conſulendus *Laertius, de vitis Philoſoph.* Epicureus Româ expulſus, teſtis *Suidas in voce ἄθεος.* 11. *Probl.* Quorum Atheorum hodie in Chriſtianiſmo maximus videatur eſſe numerus: plebeiorum, an eruditorum; naturalium, an politicorum ſeu Machiavellicorum, quos ita vocant? *Reſp.* Siquidem experientiam & ſcripta eorum, qui obſervatione & experientia hic præcellere videntur, conſulimus; videntur Politici reliquos numero vincere. Contra illos enim præcipuè inſurgit *Merſennus*, & *Campanella*: contra eoſdem probat providentiam Dei & immortalitatem animæ *Leſſius*, & titulus libri eos exſertè præſcribit, contra *Atheos ſive politicos.* Eoſdem in commentar. paſſim locis cit. perſtringit *A Lapide*: & *Contzen Politicæ lib.* 1. *c.* 13. *& lib.* 2. *c.* 14. 15. Et illi quidem omnes Theologi Pontificii; adeo ut de Chriſtianiſmo Papali minimè dubitandum videatur. Sed unum addendum eſt quod illi obliti ſunt, aut non audent dicere: *Politicos* (quos illi appellant) ſeu Machiavellicos, ſignificatione & complexu ſuo comprehendere eccleſiaſticos imprimis in ſuperioribus hierarchiæ gradibus conſtitutos, quales ſunt Papæ, Cardinales, Epiſcopi, Prælati Regulares &c. Vide infra *theſin ult.* Reformatas Reſpubl. iiſdem magis quam alterius generis Atheis eſſe infectas facile quis diſcet; ſi modo iſtos hominum ſtatus perluſtrarit, 1. Magnatum & nobilium. 2. aulicorum & miniſtrorum politicorum. 3. militum. Proximi numero illis videntur ex voluptuariis in plebe, immo, in omni ordine. Poſt illos ſunt ex avaritiæ mancipiis. Minimi numero ſunt Naturaliſtæ. 111. *Probl.* An *Sociniani, Franciſco-Davidici*, & ſimiles *Anti-Trinitarii* dicendi ſint Athei. *Reſp.* 1. *Directe* & formaliter non ſunt tales? 2. *ſed* quia negant quis ſit unus verus Deus, præterea circa pleroſque fundamentales fidei articulos, facilis inde eſſet in directum Atheiſmum prolapſus. 3. *Saltem* indirectus aliquis Atheiſmus illis tribui poteſt: quia contra lumen naturæ ſubvertunt Dei ſimplicitatem, infinitatem, immutabilitatem, præſcientiam; adhæc animæ immortalitatem. Confer *notas Bezæ in Epheſ.* 2. *v.* 14. Et ſic accipiendus *VVigandus* cum *in libro contra Arrianos* in Polonia agit de Atheis & contra eos probat eſſe Deum. IV. *Problem.* An aliquo ſcientiæ aut conſcientiæ colore aut minima veriſimilis ſpecie Pontificii paſſim noſtræ religioni Atheiſmi originem adſcribunt immo & non nulli Atheiſmum in forma. Prius faciunt *Leſſius libr. cit. cap.* 1. *Merſennus* paſſim, ſed obſcurius;

Campanella vero impotenter & aperte per totum *Corn. à Lapide commentar. ad 2 Petr. 2.* & *3. p. 362. 365. 374. 380. 381. 382. 384. 385.* & *ad 2 Tim. 3. 9.* & *ad 1 Cor. 11. 24.* Posterius faciunt *Lindanus in Dubitantio dial. 2 p. 245. 247.* Quem laudat *Theod. Petrejus* Carthusianus *in catal. hæreticorum*, in voce *Atheistæ*. *Prateolus de Hæresibus lib. 1 n. 77. tit. Athei*, inter multas alias legendas (quas ibi vide) & *hanc* ex Lindano assuit addito lemmate marginali ut sit tanquam purpureus pannus latè splendens: *Diabolus ab Euangelicis per diem invocatur decies*, Sic *Hosius. Feuardentius lib. 2. theomachiæ Calvinist. cap. 12. §. 2.* nostros vocat lenones Libertinorum. Et *lib. 1. cap. 13.* quod ad Plinii atheismos confugiunt, eosque palam amplexantur, & *cap. 14. §. 25.* Quod Satana sint deteriores: quippe qui minus omnipotentiæ divinæ tribuant quam Satan. *Iohannes Lensæus in oratione c. Pseudopatriotas p. 36.* reformatos vocat Libertinos. *Gulielmus Rosseus de justâ Reipubl. Christianæ in reges impios & hæreticos autoritate cap. 4.* & *5. edit.* Antvverp. apud Keerbergium anno 1592. contendit protestantium hæresin Mahumedismo & paganismo deteriorem esse, & quod credant animas esse mortales, & pejus vivant quam athei & bestiæ, & quod doctrina eorum sit merè belluina, Epicurea & Atheismi plena & quod Satanam sibi Deum faciant. *cap. 10.* doctrinam eorum dicit esse perjuram & Machiavellicam, immo ea longè pejorem. Hinc Wilhelmus Princeps Arausionensis illi dicitur Machiavellista & Atheista. Confer & *p. 688. 783. 784. 822. 295. Anonymus*, qui *animadversiones* scripsit *in historiam Thuani, cap. 2. pag. 4.* Melanthonem facit atheum. *Stephanus Moquot* Iesuita ex professo hoc agit ispiso quodam libro gallico in magno 8. constante *paginis* 842. Burdegalæ cum privilegio & approbatione apud Iaques Millanges 1624. cujus tit. *Ab. egé de l'Examen & censure des bibles & corps de la doctrine des Eglises pretendu-reformées de France &c. ou les ministres sont combatus avec leur propre maximes, & convaincu de conduire les ames droit à l'Atheisme, ostans toute parole de Dieu du monde.* Personatus Iesuita sub nomine Theonesti Cogmandoli in Secretis Calvino-Turcicis, consid. 4. *Religio, sive ut propriè loquar, atheismus Calvinistarum seditiosus, inquietus, crudelis est, qualis olim Ægyptiorum &c.* Iesuitæ Monasterienses anno 1607. Theses editas ad disputandum proposuerunt, hoc titulo: *Credo Calvinisequarum*, ubi religionem reformatam blasphemiæ, Turcismi, atheismi accusant, & reformatos Ethnicos; immo ipsis diabolis pejores, & prorsus atheos esse contendunt. *Mersennus* in tract. contra Deistas tit. *Quæstions rares & curieuses &c. cap. 3, p. 34.* impingit nostris, quod non distinguant inter bonitatem & malitiam moralem; adeo ut Gentiles melius de hoc scripsisse dicat, quam Calvinum, Lutherum, Chemnitium, eorumque discipulos &c. Ad-

&c. Adde *Lessium de Antichristo pag.* 284. edit. in 8. *Arthurum de Invocatione sanctorum thes.* 91. *c.* 4. *Possevini biblioth. lib.* 8. ubi de atheismis hæreticorum. *cap.* 6. *Gulielm. Assonieville in Atheomastige ; Reginaldi & Giffordi Calvino Turcismum. Perpinianum Orat.* 8. *Claudium Carnin. in defens. utriusque politiæ p.* 38. 48. *Corretum contra discurs. la Noue pag.* 288. *Resp.* 1. Priores rogamus, ut secum habitent, & coram Deo in conscientia statuant, utri potius occasionem dederint Atheismo, Pontifices cum curia Romana, & clero irreformabili; an vero nostri qui abusus & corruptelas tam in cultu publico quam in moribus postulante ita conscientia sua & salute ecclesiæ detexerunt, & quantum in se est sustulerunt. 2. Posteriores cum responso archangeli Michaelis dimittere possemus : *Increpet te Deus ô Satan.* Sed consideremus quem malæ causæ & conscientiæ suæ accusatores illi quærant tibicinem. Vt omnes ante hac citatos præteream : solus *Possevinus libr.* à nobis *cit.* satis operosè & post illum *Henricus Fitz. Simon* Iesuita in *Britannomachia Ministrorum lib.* 1. *cap. ult.* breviter & apertè hoc agit. Titulus capitis est : *Reformationem ad Atheismum veluti ad centrum magno impetu ferri.* Et in fine capitis sic illud concludit : *Ex ipsa natura reformationis, veluti ex genuina radice Atheismum germinare : ita ut sine eo fructu, reformatio ab omnibus, effœta, infelixque arbor censeatur.* Sed quo argumento tam horrendum carmen nititur. *Causæ*, inquit. *illæ sunt.* 1. *quia à vobis Deus author peccati constituitur.* 2. *quia solius fidei justificatio asseritur.* 3. *quia liberum arbitrium tollitur.* 4. *quia sublato extremi judicii timore animæ immortalitas denegatur.* Ad 1. *Resp.* satis superque à nostris (quos infinitum esset hic recensere) demonstratum est, nos nihil de providentiâ Dei circa malum credere aut docere, quod non scriptura sexcentis locis, & cum eâ patres, Scholastici & ex recentioribus Pontificiis præstantissimi tradidissent. Vid. post omnes alios *Chamierus*, & *Rivetus in Cathol. Orthodox.* Ad 2. *Resp.* nos hic docere idem quod scriptura, patres, Et recentiores nonnulli Pontificii. Vide laudatos modo authores : quibus adde imprimis *Davenantium de Iustificat.* & *Ministros Hanovienses contra Cosmam Morelles*: & *Balth. Lydii appendicem ad Perrini historiam VValdensium* nostro idiomate editam. Et nos ex Pontificiorum propria confessione apologiam hujus veritatis compendio exhibuimus, *Disp.* peculiari, cui tit. *Vis veritatis* &c. Ad 3. *Resp.* Quidquid liberi arbitrii *Augustinus*, *Prosper*, *Fulgentius*, *Bernhardus* aliique in *Sylvii* libello cui tit. *Sententiæ Spirituales* cit. adhæc *Thomas* cum suis, præsertim Dominicanis *Cajetano*, *Bannes*, *Medina*, *Sumel*, *Rispolis*, *Alvarez*, *Doctoribus Duacenis* & hodiernis *Lovanienſibus* (quorum *libelli apologetici contra Iesuitas*, nuper editi &c.) in homine tollunt, idem & præterea nihil nos in illo tollere.

Pro-

Probêt prius eos fuisse Atheos: deinde âd nos accedât. Cõfer *tabellas* nostras *in problematis theologicis*, & *in catechizatione catechismi Remonstrantici* per retorsionem calumniis illis oppositas: & *Ferrii scholasticum Orthodoxum*, cum ejusdem *apologia c. Perrinum*, *Tvvissi Vindicias gratiæ*, *Riveti Catholicum Orthodoxum*, *Ejusdemque & aliorum epistolas de Termino vitæ*, uno volumine editas. Ad 4. *Resp.* insanas hominis istius suspiciones & consequentias, ilico concidere, ubi quis nostrorum confessiones, ac capitum istorum de quatuor novissimis & animæ immortalitate explicationes modo inspicere dignatus sit. v. *Probl.* An reformati vicissim, & quomodo Papatum Libertinismi, scepticismi, atheismi suspicionibus & consequentiis gravent? *Resp. Aff. cum dist.* non quidem in singulis membris seu subditis ecclesiæ Romanæ, sed in capite, h. e. Papâ; ejusque curiâ Romanâ, & curialibus; adhæc ecclesia consistoriali & Cardinalibus; nec non repræsentativa ecclesia irroformabilis Cleri Antichristiani: specialiter etiam in Iesuitis, & si quę sint istius generis locustæ: omnibus denique in laicis gulæ & ambitionis mancipiis, qui illis malorum architectis, capiti scil., curiæ, clericis, Iesuitis in omnibus promiscuè ad orthodoxæ fidei & pietatis exstirpationem, auctorati sunt, *habentes speciem pietatis, & vim ejus abnegantes* 2 Timoth. 3. Rationes quæruntur *Primo*, in generali methodo tradendi theologiam Papisticam tum in credendis tum in faciendis, quæ ad Academicos & Scepticos accedere videtur. Vide modo *recentiores commentatores ad Summam Thomæ*, & *Bellarmini controversias*, & variantes atque incertas *interpretationes Concilii Tridentini*: ubi pleraque quæstionibus variariumque opinionum enumeratione perstrepunt, & tandem in ἐποχὴν, aut probabilem conjecturam, aut contentionem desinunt. In theologia elenctica mendaciis, calumniis, contradictionibus, falsificationibus pleraque superstruuntur. Vide *Iac. Laurentii conscientiam cauterizatam*, *VVilleti tetraslylon Papismi*, *Mortoni apologias catholicas*, aliosque *in bibliothecâ nostrâ* indicatos. *Secundo*, In tota theologia morali seu Casuistica: ubi pietatem, honestatem, & inoffensam conscientiam non uno modo homines dedocent; tum generalibus quibusdam regulis & distinctionibus, de peccato veniali, de opere operato, de attentione virtuali, de dispensationibus Papalibus, de consuetudine, de taxa pœnitentiaria, de indulgentiis; tum pluribus specialibus determinationibus per omnia decalogi præcepta, nec non sacramenta, & agenda ecclesiastica. Specimen *peculiaribus catalogis* dederunt *Molineus* & *Drelincourt* minister Parisiensis, sed uterque lingua vernacula. *Dorscheus* theologus Argentoratensis nuper idiomate latino idem conatus, tit. *Theologia moralis Iesuitarum contra bonos mores Christianorum* 1645. in 4. Addi hic debent *Catechismus Iesuiticus*, & *Mysteria patrum Iesuitarum*, cum *apologia* eorundem tit. *Stateræ c. Sylvestrum à Petra sancta*. *Tertio*, in Libertinicis disputatio-

putationibus de autoritate, perfectione, & perspicuitate scripturæ. Videndi hic antagonistæ Pontificiorum (inter quos *Mestresatus c. Iesuitam Regourdum in præfat. p.* 14. 15.) qui ostendunt iisdem armis oppugnari hic reformatos à Pontificiis, quibus Christiani ab Atheis & infidelibus. *Cl. Cloppenburgius* indicavit syncretismum Papistarum cum Enthusiastis & Libertinis, peculiari disp., quæ cum aliis ipsius *disp. in* 8. nunc edita. Confer & *disp.* nostram *de novo Scepticismo Loiolitico*. Hodierni enim Iesuitæ, opportunè importunè, supra omnes alios hunc atheismum promovent: hinc scripta eorum *viam ad atheismum* dicenda censet Mestresat. loc. cit. *Quarto*, in nova methodo Verronica: per quam viam sterni ad Atheismum, ostendit *Nic. Vedelius in Rationali theologico*. Confer *disp.* nostram *de Ratione humana in rebus fidei*. *Quinto*, in impiis & Machiavellicis artibus regiminis Papæ-curialis Romani, totaq; praxi conclavis, & curiæ, atque adeo Epicurea vita, & atheisticis moribus ecclesiæ virtualis, consistorialis, curialis, repræsentativæ clericalis, laicalis, si quæ totâ Antichristianæ impietati se consecravit: in quo genere excellunt, aliqui Iesuitarum tum discipuli, tum fratres seu sodales laici. Quo nomine atheismus practicus seu Epicureismus à nostris nõ tãtum, sed etiã à nonnullis testibus veritatis in medio Papatu Papistis imponi solet. Aliquos ex multis supra *part.* 1. indicavimus: plures ex *Illyrici catalogo testium veritatis* & *Plessei Mysterio* privata cujusq; diligentia supplebit. Ex nostris legẽdi *Centuriatores Magdeburgenses*, *Balei vitæ Pontificũ*, *Zegedini speculũ Pontificum*, *Iacobi Capelli Romanæ ecclesiæ sanctitas*, *Thomæ Nageorgi poëma de regno Papistico*, *Henrici Stephani tract. præparator. ad apologiam Herodoti*, *Marnixii Sanct-Aldegondii Tabulæ*, *seu alvearium ecclesiæ Romanæ*, *Edvvini Sandis relatio de statu Europæ*, *angl. & gall.* deniq; scriptores nostri de Antichristo, supra indicati. Ex Principibus, Magistratibus, & scriptoribus politicis supra indicavimus *Brutum fulmen c. excommunicationem Sixti V.* Et *apologiam Principis Arausionensis* contra proscriptionem Regis Hispanarum. Adde nunc autorẽ Secretorum Turco-Papisticorum sub nomine Iusti Iustini Iustino-politani, consider. 4. *Si Atheos quæris*, *nusquam plures quam in ipsa Roma invenies* &c. *quotus quisque Romæ Cardinalis est*, *quot prælati*, *quot regulares irregulares*, *quibus facilius ex Homero aut Virgilio purgatorii fabulas persuaseris*, *quam resurrectionem mortuorum* &c. Idem consider. 49. adducit testem Erasmum in adagio, dulce bellum inexpertis: *Quot enim sunt apud nos*, *qui nec resurrectionem corporum credunt*, *nec animum credunt corpori superstitem? Et interim per istos sævitur in hæreticulos*, *qui dubitant an Pontifex Romanus habeat jus in animas purgatorio cruciatos*. Ex Theologis videatur *Rob. Abotus in defens. cathol. reform. Perkinsi*, *part.* 3. *ad præf. p.* 5. 6. *Lutherus in colloquiis*, *consiliis* &c. supra cit. *pag.* 97. 98. & passim. Sed ne ad hyperbolas ipsius

hæc referant nonnulli, audiant mitissimi & moderatissimi ingenii virum Melanthonem tom. 2. consilior. theologicor. p. 376. *Pii etiam infirmi, tamen dociles, discernantur ab Atheis & idolorum defensoribus, qui cum universam ecclesiæ doctrinam inanem fabulam esse statuant, tantum eò retinent usitata idolla, quia vident simulationem superstitionis adferre opulentiam, & nervum esse potentiæ.* & part. 1. pag. 100. *palam Epicuræi καὶ ἄθεοι qui securè* &c. Calvinus lib. 4. Institut. cap. 7. §. 27. *Iulius, Leo, & Clemens & Paulus &c. qui nihil aliud de Christo tenuerunt, nisi quod didicerant in schola Luciani. Sed quod tres aut quatuor Pontifices enumero? Quasi vero dubium sit qualem religionis speciem professi sint jampridem Pontifices cum toto Cardinalium collegio, & hodie profiteantur. Primum enim arcanæ illius theologiæ, quæ inter ipsos regnat, caput est, Nullum esse Deum. Alterum, quæcunque de Christo scripta sunt ac docentur, mendacia esse & impostura. Tertium, doctrinam de futura vita & ultima resurrectione meras esse fabulas. Non omnes ita sentiunt, & pauci ita loquuntur, fateor: jam pridem tamen hæc ordinaria esse cœpit Pontificum religio. Hoc cum sit notissimum omnibus, qui Romam noverunt &c.* VI. *Probl.* An *Libertini*, & *Enthusiastæ*, præsertim *Henric-Nicolaitæ*, *David-Georgiani*, atheismi consequentiis urgendi sint? *Resp. Aff.* Quia nonnulli eorum omnem deitatem, quantum in se est, evertunt & negant, quippe eam cum creaturis confundentes, aut ab ea non distinguentes. Et quia omnes divinitatem aut necessitatem scripturæ oppugnant, ut & necessitatem cultus externi, & discrimen honesti & turpis in externis operibus. Præterea angelos & spiritus, resurrectionem mortuorum, immo & totum Christum mediatorem in allegorias transformant. De quo alibi forte dicendum. Interim autores, qui ista edocent, require in nostra *Bibliotheca Theolog.* VII. *Probl. Sociniani*, & si qui proximè ad illos accedunt; quales specialiter se produnt omnes illi, qui quemque in sua religione salvari contendunt? *Resp. Aff.* Cum dicunt quemque in sua religione salvari, & quod omnes unum Deum colere putantur, viam sternunt ad Neutralismum, Scepticismum, Libertinismum, & consequenter ad indirectum atheismum. Hanc opinionem esse barathrum omnis atheismi, affirmat *Stapletonus in orat. Acad.* supra parte 1. cit. Propter hanc opinionem, potissimum Politici συνωνύμως dicuntur Libertini & Athei *Cornelio A Lapide in* 2. *Petr.* 1. 1. (ubi *p.* 365. ait numerum talium admodum crescere) *Adamo Contzẽ, Lensæo, Stapletono.* Ex nostris *Vedelius in arcanis Arminianismi part.* 1. *lib.* 1. *c.* 1. *& p.* 3. *lib.* 2. *c.* 10. *& c.* 4. *lib* 2. *c.* 10. præcipitia Scepticismi & atheismi ex hoc capite potissimum probat; qui videndus. Accedit quod Sociniani negent quis sit verus Deus; ut & Dei præscientiam, resurrectionem carnis hujus, immortalitatem animarum, ac pœnas infernales: In quo genuinos Epicureos & Deistas (quales in Gallia

è *Mer-*

è *Mersenno tract. gallico* supra cit. oppugnantur) se ostendunt. Ex *tract. Socinian*o in vernaculum nostrum sermonem traducto per socium quem Remonstranticum. Partem mysteriorum istorum deteximus in *catechizatione catechismi Renuonstrantici.* Nec dici poterit determinationem hanc nimis rigidam & insolentem esse: cum Melanthon inter Protestantes moderatissimus non veritus fuerit errorem Antinomorum de legis & operum necessitate deliramenta, *sophisticas præstigias, sycophanticas Cynicorum conciones, manifestam insaniam, Cyclopum & Cynicorum furorem, scurrilitatem* appellare. tom. 2. Consil. p. 361. 358. 357. VIII. *Probl.* An jure meritoque Remonstrantes *religioni orthodoxæ & reformatæ* Atheismum sive indirectum sive participatum impingant, propter doctrinam de Dei infinitate *Apolog. c.* 1. coll. cum *Respons. ad Excerpta Professor. Leidensium pag.* 88. De doctrina reformatorum de prædestinatione & gratia in synodo Dordracena anno 1619. stabilita videnda *præfatio Tileni ad notas suas in canones Synodi Dordracenæ. Resp. Neg.* Aut enim manifestè blasphemiam vomunt adversus doctrinam scripturarum; aut vanè fingunt, quod non est; aut si tale quid sit, turpiter fallaciam accidentis committunt. Christus crucifixus si prædicetur, posset eadem consequentia dici causa impietatis, aut prolapsus in atheismum; est enim ruina multorum *Luc.* 2. & scandalum ac stultitia 1 *Cor.* 2. Sed hoc totum per accidēs. IX. *Probl.* An *satyrica omnis* stolidarum superstitionū, comētorū, fabularū, humanarumq; traditionum derisio, Lucianismi & atheismi meritò accusari possit? *R. Neg. Erasmum in colloquiis* urbanè in stolidas superstitiones hominumq; abusus jocātē (rò nimium ipsius, si quod sit, nolo defendere) Lucianismi accusant recētiores Pōtificii. Ex nostris etiā *Petrū Viretū* & *Marnixiū Sanctaldegondiū.* Sed nos factum eorum defēdimus in *disp. de lacrymis. Kelletus in miscellaneis theologicis* poëtæ cui vernaculo Hierarchico-Papalis regiminis in ecclesia Anglicana antagonistæ titulum atheismi tribuit: sed nos ordinem humanum in præjudicium causæ Dei introductum, & multiplici abusu se prostituentem tanti faciendum non putamus, ut rigidum ejus examen atheismi accersendum putemus. X. *Probl.* An *Scepticismi aut Semi-scepticismi*, aut *Neutralismi*, & consequenter indirecti & participati atheismi suspectus esse possit Pontificius quis externa professione, seu titularis; idemque parcus Deorum cultor & infrequens; scripturæ etiam tum communi afflatu Pontificio & Iesuitico, tum peculiari suo sensu tenuis aut dubius æstimator; adhæc apertè profitens quemque in sua religione salvari, quod omnes sub nomine Christiano degentes unum colant Deum; insuper vitæ morumque puritate atque integritate secundum legem Dei susque deque habitâ; quippe cujus votum nunquam fecerit; præterea theologiæ naturalis, logicę, metaphysicæ principiis atque

axiomatis generalibus, & toti antiquo atque hodierno Christianismo (patribus scil., scholasticis, &c.) receptis ac communibus exemplo Scepticorum, Atheorum, omniumque fanaticorum rejectis & explosis: nec non sublatis & negatis omnibus argumentis, quibus hactenus demonstrata est deitas & veritas contra atheos & Scepticos, nec substitutis aliis quæ certius atque evidentius hanc causam defendant; multis etiam circa theologiam naturalem & deitatis probationem, ut & circa physicam Mosaicam ac sacram, præter & contra autoritatem scripturæ determinatis; denique fidelium reformatorum devotione ac sancta ad verbum Dei commotione redactâ ad affectus & animorum motus, qui ex actione fabularum in theatro concitari solent. *Resp. Aff.* Quod si enim singula illa apud pios & eruditos theologos ac philosophos præsumtiones faciunt (uti in præcedentibus problematis ostensum,) quanto magis omnia illa simul sumta, & in uno subjecto concurrentia. Cui amplius hoc mirum sit, ille mihi aut Sceptico-libertinismi merito suspectus erit, aut pro maximo ignorantiæ & stuporis miraculo habebitur, aut pro vanæ contentionis & pertinacis levitatis mancipio: imprimis, si reformatæ religioni innutritus sit. Qui vero insuper orthodoxum quem contra deliras, periculosas, ac scandalosas perplexorum istorum assertiones fideliter monentem, in gratiam eorum injuriæ condemnet; quod scil. non satis evidenter de istis constet: næ is *Calvinum, Melanthonem*, alioque supra cit. pari si non majori ratione condemnet, ac Pontificiis de illorum mendacio & calumniâ conquerentibus causam adjudicet. Fuit enim utrobique non personalis obtrectatio, aut exprobatio absque manifestâ utilitate, aut necessitate; sed realis ac necessaria doctrinæ alicujus censura, impugnatio, convictio, confusio, deductio ad absurdum: ut ipsi autores aut saltem sequaces absterreantur & ab ea abducantur. Confer supra *thesi* 1. XI. *Probl.* An *Diagoras Milesius* & alter *Melius* (duos enim hos distinguit *Suidas*) *Protagoras, Theodorus, Euemerus, Tegeates, Nicanor Cyprius, Diogenes Smyrnæus* &c. qui inter omnes Atheos antiquitus celeberrimi habiti sunt, tales revera fuerint? *Resp. Aff.* Illud & credunt, *Plutarchus lib.* 1. *de placitis qu.* 7. & ex eo *Theodoret. de Curat. gr. aff. serm.* 2. & 3. & 6. Videtur tamen *serm.* 6. *p.* 86. edit. gr. lat. Commelini in fol. ex communi fama & aliorum opinione id potius referre, quam ex sua: ait enim φάσι & λέγουσι. De iisdem affirmat *Suidas*, imprimis de Diagora Melio. *Epiphanius in compendiar. fide explicatione*, de Protagora & Theodoro. Sed non immerito quis suspicari queat tales vulgo andivisse, quod mythologicam deorum Theologiam, & stolida sacra Gentilium exploderent: ita ut illis Atheismi condemnatis idem evenerit, quod Socrati; cujus apologiam habes apud *Xenophontem, Platonem, Maximum Tyrium*. Et certè videmus in hac sententia esse Clementem Alexandrin.

andrin. in Protreptic. p. 11. Vbi ait, se mirari quod eos σωφρόνως βεβιωκότας, καὶ καθεωρακότας ὀξύτερον τῶν λοίπων ἀνθρώπων τὰ ἀμφὶ τὰς θεὰς τούτους πλάνην, ἀθέως ἐπικεκλήκασιν &c. Et refert ibidem nonnulla eorum dicta & facta, unde Atheismi forte insimulati, justiùs tamen judicandi sunt errori vulgari se opposuisse. Diagoræ & Heracliti physici, & Eudæmonis Comici dicta & facta refert etiam *Epiphanius in Ancorato* circa finem. *Idem* tamen in *compendiar. fide Expos.* planè aliter ac *Clemens* censet de Theodoro; Illum scil. putasse non esse Deum, & ideo omnes hortatum ad furta, perjuria, rapinas &c. Et sic fere de Diagora Melio *Suidas*; & ex recentioribus *Lipsius epistol. cit. Athenagoras in Orat. pro Christianis* ait ei malitiosè dicam impietatis ab Athenienses impactam. De eodem & Protagorâ in eandem sententiam *Cicero lib.* 1. & 3. *de Naturâ Deorum*, & *Lactantius libr.* 1. *Instit. cap.* 2. *Idem in libro de Irâ Dei cap.* 9. *Irenæus lib.* 2. Anaxagoran ἄθεον nominat; sed nominis similitudine, ut opinor, deceptus. Meminit & Diagoræ *Diodorus Siculus lib.* 13. Et *Valerius Maximus de neg. relig.* Protagoræ vita exstat apud *Philostratum, Suidam, Laertium, Agellium lib.* 5. *c.* 3. Meminit ejusdem *Arnobius lib.* 8. *Lactantius de Ira Dei cap.* 9. *Theophilus lib. ad Autolycum* 3. ubi Clitomachum Academicum & Critiam ejusdem impietatis consortes facit. XII. *Probl.* Quo sensu Maris Chalcedonis Episcopus *Julianum Apostatam* Constantinopoli fortunę sacrificantem appellarit Ἄθεον? apud *Sozomenum l.* 5. *c.* 4. *Resp.* 1. Quia aut Atheus est aut bestia, qui à Christi fide ad Gentilismum relabitur: appellabat enim eum ibidem παραβάτην, id est, *desertorem fidei.* 2. *Quia* Ethnicorum theologiam & idololatricum cultum seu πολυθεότητα nomine ἀθεότητος traducere solent Christiani scriptores: tot enim & tales Deos, & tali modo colere, per proximam & necessariam consequentiam tantundem est, ac nullum Deum agnoscere & colere. Sic Theodoretus de curat. græc. Affect. serm. 3. Οὐδὲ μόνοι γε ἄθεοι Διαγόρας ὁ Μιλήσιος, καὶ ὁ κυρηναῖος Θεόδωρος, καὶ Εὐημέρος ὁ Πλατωνικὸς &c. πάνταπασι μὴ εἶναι θεὸς, &c. ἀλλὰ καὶ Ὅμηρος, καὶ Ἡσίοδος, καὶ οἱ τῶν φιλοσόφων ξυμμορίαι &c. Vide reliqua. Clemens Alexandrin. in Protrept. p. 11. sic de Gentilium Theologia & religione: ταῦτα τῶν ἀθέων τὰ μυστήρια. Ἀθέους δὲ εἰκότως ἀποκαλῶ τούτους, οἱ τὸν μὲν ὄντα ὄντως θεὸν ἠγνοήκασιν &c. δίτῃ ἐνεσχημένοι τῇ ἀθεότητι· πρωτέρᾳ μὲν, κατ' ἣν ἀγνοοῦσι τὸν θεὸν, τὸν ὄντας ὄντα μὴ γνωρίζοντες θεόν· ἑτέρᾳ καὶ δευτέρᾳ ταύτῃ πλάνῃ, τοὺς οὐκ ὄντας, ὡς ὄντως νομίζοντες &c. XIII. *Probl.* Quid de celebri *philosopho Pomponatio* statuendum? an ad classem Atheorum referendus? *Resp.* Sic passim judicare videntur, Pontificii (in quorū Ecclesia & Academia vixit,) *Delrio in Disq. Magicis Mersennius p.* 395. & suffragātur aliqui ex nostris. *August. Niphus* philosophus Italus illi coætaneus *Immortalitatem animæ* peculiari *tract.* cōtra ipsum probavit. Et *Mirandula*

*randula Eversione singul.certamin.à l.*21.*usq;* 30.Ex nostris *Zachius tract.de Operibus Creationis* cõtra eundem, ni fallor & *Simonem Portiũ* eandem causam agit.*Keckerm.in præcog.philosoph.*perstringit eum,quod miracula Christi,Dei providentiã, & similia fidei mysteria impugnarit. Vide & *VVierum lib.*5.*de præstig.*Sed contra *Gul. Gratarolus Medicus Italus*(quem propria scripta uno volumine in 8. Basilea edita, & testimonium *Bezæ in epistolis*, ut & *in dedicatione libelli* cujusdam,aliorumque præterea doctorum virorum suffragia, quorum familiaritate Basileæ & alibi usus est, à pietatis zelo commendant) eum contra calumniatores tuetur, & piè pro eo tempore vitam cum morte commutasse scribit : in *epistol. dedicator.*Operibus Pomponatii anno 1567. Basil. editis præfixâ. Confirmat apologiam suam *elogio Pauli Iovii.* Sed illud, ut verum fatear, tanti non est: neque enim satis constat,quam longe ipse Iovius ab Atheismo fuerit. Illud penitius considerandum,quod respondet : Eum ex mente Aristotelis negasse animæ immortalitatem : quod, ut illi cum aliis philosophis ac Theologis ita judicantibus commune fuit (*Plutarcho,Galeno, Aphrodisæo, Iustino Martyre, Theodoreto, Origene, Nysseno, Nazianzeno, Cajetano in* 3. *Anima*) sic non debet hic fraudi esse : nisi probari posset illum sub hoc scemate subdolè & tutò voluisse hunc Atheismum spargere in animos auditorum. Nisi itaque alia ex dictis, scriptis, factis ejus certior demonstratio suppetat, utique in benigniorem partem, immo in optimam accipienda sunt illa, quæ ille pro modulo & conditione sua de Fato, Providentia Dei, & prædestinatione conscripsit: in quibus si non rei dignitati, & solidis Theologis per omnia satisfaciat, saltem hoc præstat, ne nigra Atheismi nota illi tam peremtoriè inuratur. Hæc ego in re dubia: postquam omnia ejus opuscula præsertim modo nominata videre contigit : qui ante multos annos ex lectione solius tract. *de Incantationibus* (ubi placitis Avicennæ & Averrois nimis adhærescens, in supernaturalibus quibusdam satis miserè fluctuat)& ex communi aliorum judicio siniſtram magis de illo opinionem conceperam.XIV. *Probl.*An *Cardanus* Naturalium Atheorum numero eximendus ? *Resp.* Admodum suspectus est quod Mâgiæ faverit ; immo ab exercitio ejus non alienus fuerit. Vide eum *de Varietate rerum lib.*8.*c.*43. & passim hoc illi impingit *Delrio in Disquis. Magicis* ; & post eum *Mersennus in Gen. p.*602. Qui idem cõtendit *p.*533.& 1830.eum Atheis favere.Quidquid sit de ejus sensu aut intẽtione:constat saltem eum vt virum eruditiss. ita absurdis suis quibusdã philosophematis indulsisse,ut sive sciẽs sive inscius, nimiũ novis Scepticis, Lucianis,& Atheis cõcesserit. Vide *l.*12.*de subtilit.c.de Naturâ hominis*, ubi omnes actiones humanas ad temperamẽtum & naturam corporis videtur referre. Addit *Mersennus p.*251.eum summam libri de *tribus Impostoribus* ibidem

bidem referre. Quod tamen nondum potui videre. Plura periculosa passim in ipso notavit *Scaliger* (quāvis nō raro iniquus censor;) quæ omnia *Apologia sua* postmodum edita non diluit. Quid de viri Atheismo statuendum sit, in medio relinquatur: modo juniores moniti sint erudita ejus scripta cum judicio perlegere, & tātum Mathematica ac Physica particularia ab illo discere. In divinis enim & spiritualibus loquitur tanquā ἄπειρος & scripturarū, & internæ ac spiritualis praxios, omnis deniq; solidæ Theologiæ, immo ipsius scholasticæ & Metaphysicæ. xv. *Probl.* Quid judicādum de *Bonavētura de Periers* ? *Resp. Honsdorfius in libro* supra *cit. ad* 3. *præcept.* eum numerat inter Atheos. Et sic *Henricus Stephanus tract. præpar. ad apologiā Herodoti c.* 26. *p.* 364. ubi autorem dicit libri detestabilis, cui tit. *Cymbalum mundi*; & proprio gladio desperabundum se transfixisse. Mersennus in Genesim p. 669. eum vocat *Bonaventuram de* Perez, & describit, tanquam *monstrum*, *impiissimum nebulonem*; addit: *quem plurimi Atheum fuisse asserunt &c. atque notarunt illum in vita fuisse impiissimum*, *& morte periisse.* Refert ibid. non fuisse autorem *Cymbali Mundi* (quod habet *Honsdorf.* & *Henricus Stephanus*) sed in gallicum illud transtulisse, & sic editum anno 1538. Præterea librum illum constare quatuor dialogis; & plurimas fabulas de Iove, Mercurio &c. complecti per *quas fidem catholicam irridere*, *& ea*, *quæ de Deo verissima esse dicimus & credimus*, *rejicere velle videtur.* Quod si Deo, de cœlo, inferno sacris literis revelata rejiciat, utique subscribimus Mersenni judicio: sin vero fabulas tantum de purgatorio, aliaque hominum commenta, utique hinc Atheismi non convincitur. Sed erunt forte qui excipiant summum fuisse oratorem & poetam, & hæc solummodo vulgarium tunc poetarum & literatorum more (quam laudabili & Christiano nunc non disputabo) ita descripsisse. Quibus reponi potest: nihil vetare, quin Lucianum omnesque prophanos & impios poetas atque antiquos literiones imitando quis subdolè Atheismum, Epicureismum, Gentilismum hominum animis instillet; quamvis stylum ludicris ambiguitatibus, & jocis, item mimesibus, prosopœiis &c. ita moderetur, ut si quis hæc ad examen revocet, colore aliquo eludere & elabi possit. Quomodo meminimus à Sceptico-Libertinis & Epicureis nebulonibus alicubi in Belgio omnem pietatem & fidem Christianam dicteriis quibusque apud homines traductam esse, exempli gratia, Tragœdia scribitur, & in theatro exhibetur tit. *Iphigenia*: in quâ Ethnica illa, de Hecate triformi, de diis sanguine humano, idque ex consilio sacerdotum, placandis perstringuntur. Si quis pius metuat (ut quidem autores illos novit) eos mysterium Trinitatis, & redemptionis nostræ per sanguinem Christi velle deridendum proponere & sic Epicureismo, Deismo, aut Turco-Socinismo viam munire: quomodo hoc evincet; cum

promptum semper sit effugium; rideri tantum fabulas Gentilium. Vt ad Bonaventuram revertamur, dum has theses scribens, de illo inquiro, commodum ex auctione aliquâ nactus sum ejus tract. cui tit. *Nouvelles recreations* &c. editum denuo Rhotomagi anno 1606. apud Raphaelem du Petit Val, qui se nominat typographum Regium. Eum carptim percurrens, offendi nihil aliud esse quam *colloquia prava*; hoc est, narrationes & dissertationes, meris morologiis, vanitatibus, obscœnitatibus, nominis divini abusibus refertas, quo quidem nemini nisi Epicureis (quibus voluptas summum bonum) placere potest. Et tamen librum cum auctore in cœlum tollit, quisquis præfationem præfixit. Sed ne meipsum fastidiosâ libri ejus lectione, & lectorem relatione eorum, quæ eo continentur, multum fatigem, sufficerit ex primâ novell. quæ instar præambuli est, annotasse, quod dicat se libellum illum oportunè tunc edere, ut in mediis bellis civilibus & publicis calamitatibus habeant unde se oblectent imprimis matronæ & virgines, quas ad lectionem nominatim scurrilium quæ ibi occurrunt, contentiosè invitat. Summam autem & maximè convenientem huic vitæ nostræ doctrinam esse: *Bene vivere & lætari*; quod postea interpretatur: *ridere*. Vt autem media ad finem ducentia ab illo instituuntur, non video aliud quid illum fuisse, aut saltem ibi voluisse formare, quam pinguem & nitidem Epicuri de grege porcum, seu mavis Menippum, aut Diogenem. XVI. *Probl.* Cur *Theologi Heidelbergenses* ante annos aliquot *Nicol. Taurellum* philosophum non ignobilem, dixerint Atheum Medicum, *in literis ad Deputatos Synodi Holland. super libro & causâ Conr. Vorstii perscriptis*? Et an non falcem miserint in alienam messem, & indignè traduxerint istius aliorumque similium magnorum virorum inventa ad illustrandam & perficiendam philosophiam? *Resp.* Arbitror eos respexisse paradoxa non pauca quæ imprimis *compendio Metaphysico*, & *Triumpho Philosophiæ* inspargit; & ad divina ac Theologica passim applicat: quibus limites communis hodierno Christianismo Theologiæ transiliri, & dogmata nonnulla conquassari, atque adeo Scepticis, Libertinis, aliisque fanaticis & secundi generis Atheis causam nimis tradi non immerito metuendum est. De intentione illius viri nolumus judicare, nec cætera ejus inquirimus. Aliter etiam judicamus de ingeniosis ipsius *disputationibus, in naturalibus* contra Piccolomineum, Cæsalpinum, aliosque physicos: ubi omnem libertatem Socraticam tollere nolimus: nec theologici hoc fori est, sed medici, physici, mathematici: quomodo vicevèrsa, metaphysica, pneumatologica, & theologica naturalia non tam, nedum solius, physico-medici & mathematici fori sunt, quam theologici. Videant ergo juniores, ut cum judicio legant philosophemata ejus, quæ naturalia transcendunt. XVII. *Probl.* Quid

de *Cam-*

de *Campanellæ* novis, ut putat, inventis,& disputationibus adversus Atheos sentiendum? *Resp.* Hoc quidem rectè, quod intendit probare naturalem esse sensum numinis, & naturalem aliquem cultum secundum rectam rationem; & religionem Christianam nuspiam cum eâ pugnare. Sed cogitandum an satis feliciter oppugnet Atheos, dum naturæ & rationi tantum tribuit, ut ex eâ quasi accersat & demonstret Theologiam supernaturalem; & dum spretis Theologorum ac Philosophorum axiomatis & omnibus receptis in Christianismo & apud Theologos philosophandi methodis substituit sua quædã (uti gloriatur) εὑρήματα, vel minus solida (quippe ipsius affirmatione non raro subnixa) vel Stoicorum & Paracelsistarum in morem novis terminis & acurologiis involuta, ut ingeniis loco compendii tanto plus molestiæ & confusionis adferant; quæ si penitius inspiciantur, comperiemus ea nihil solidi aut admirandi præ tam diu tritis ac probatis sapientum dictatis adferre. Sic ex.gr. *in Atheism. Triumph. cap.* 2. Hoc fundamentum toti demonstrationi religionis substernit. Esse tres pri-
„malitates seu præeminentias, potentiam, sapientiam, amorem; de qui-
„bus ex professo in suâ Metaphysicâ: Ens primum per illa tria essentiari,
„secunda verò entia horum participio, ac in tantum esse, existere, &
„vivere in suo quoque gradu, in quantum perseverant in eis potestatis,
„sapientiæ, & amoris radii, participationes, cuique pro ratâ suâ &c. Ibidem, legem naturæ & rectam rationem si quis in puris naturalibus sequatur ac servet, illum vivere Christo summæ rationi atque autori naturæ, à quo sumus participio rationales, & sic posse immunem esse à damnatione quod ad pœnam sensus, ac frui bonis naturalibus & Deo ut fine naturali &c. *Cap.* 11. ait ex incarnatione patefactam esse di-
„stinctionem personalem patris ac filii explicitam; quæ apud philosophos
„nesciebatur, nisi sub umbra, & aliquo pacto, aut secundum ratio-
„nem tantum. Postea verò in apparitione spiritus s. hujus ab eis distin-
„ctio patuit &c. Addit ibidem: vide etiam subtiliter inquirendo rem o-
„mnem licet simplicem, qualis est calor, constitui vel integrari partipatio-
„nibus potentiæ, sapientię, & amoris &c. ac tantum esse rem quamcunque,
„quantum potest esse & prę sentit esse, & amat esse *cap.* 9. distinguit religi-
„onem quadruplicem *naturalem*, quæ est cultus cunctarum rerum juxta *Ps.*
„19.1.2.3. *animalem*, quæ supra naturalem cultum addit illud obsequium,
„quod bruta præstant superioribus sibi beneficis causis; Deum enim natu-
„raliter diligunt, ut ait S. Thomas sed animaliter omne beneficum principium; propterea elephas lunæ genuflectit, & se baptizat à coitu, & solem aves prę cinunt in mane &c. *Rationalẽ*; quæ est idem quod Theologia naturalis & inde cultus ac metus numinis, *Supernaturalem*, quam revelat Deus

in scripturâ. Istis & similibus sexcentis quæ *in Atheismo Triumphato*, *in Metaphysicâ*, *libris de sensu rerum*, aliisque operibus venditat *Campanella*, putamus Libertinis causam tradi, & Scepticis atque Atheis religionem deridendam prostitui; immò homines superbos & curiosos in scepticismos, & Atheismos hâc occasione nonnunquam incidere: quamvis Campanella volens & sciens nihil tale intendisset. An cerebri infirmitati & intervallis maniacis, aut deliriis melancholicis, an verò omnia innovandi & evertendi prurigini, & quidem sub prætextu zeli & pugnæ adversus Epicureos, Atheos, hæreticos (Calvinistas scil. quos in præfat. Atheos appellat) hæc tribuenda sint, nos non dicemus, qui viri illius vitam & studia proprius intueri non possumus. Alterutrum saltem in illo visi sunt animadvertere socii ejus, qui illum 30. annis in Italiâ captivum & inclusum detinuerunt; ut conqueritur *in præfat. ad Metaphysicam*. Videtur etiam passus infestationes & illusiones dæmonum (quod malim dicere, quam eum in Magiæ directæ suspicionem vocare,) sic enim lib. 12. Metaphysicæ cap. 3. *Angelos pravos sæpe fugavi divina invocatione, & persecutiones passus sum ab eis.* Ibid. *Mihi comparuit in tribulationibus non semel vario vultu & horribili nescio quis, & fugatur nomine Dei.* Et cap. 12. art. 4. *Quæsivi utrum Deus posset immutare fatum & mala hominum. Ille dæmon, qui se Deum esse simulabat, respondit, se posse abbreviare mala & alleviare, & accelerare vel tardare, non tollere, si fato sunt decreta & prædestinatione. Tunc ego dixi ad illum: si Deus prædestinat fato immobili; ergo & tempus & modum rei. Prædestinat res fato immobili; ergo & tempus & modum rei. Ergo non potest accelerare, neque allevare mala. Hoc argumentum ipse, quamvis à me scriptum non intellexit, & respondit me esse stultum; quasi ejus responsum non percepissem.* XVIII. *Probl.* Quid de *Iulio Cæsare Vanino*? *Resp.* Eum fuisse celeberrimum & consummatissimum Atheum, si cum multis aliis comparetur. *Mersennus p.* 156. vocat eum Atheorum Cæsarem, qui aliquando nomen sanctissimæ religiosorum congregationi dederit, sed quæ statim illum ut verum monstrum evomuerit. *p.* 673. quique cum tredecim aliis missus sit ad furores illos propagandos. Quæ de illo primâ editione hujus disp. scripsi, habui ex *Mersenni commentariis in Genesin*, & *apologia filiorum seu hæredum Stephani Paschasii contra Iesuitam Garasse*, & lectione libri *Vanini* cui tit. *Amphiteatrum æternæ providentiæ divino-magicum* &c. Lugduni 1615., denique ex adversariis & observationibus eruditissimi & amicissimi D. Andreæ Colvii ministri ecclesiæ Gallo-Belgicæ Dordracenæ. Dialogos *Vanini* physicos tit. *de Admirandis naturæ reginæ deæque mortalium arcanis*, Lutetiæ 1616. nondum tunc videram; nec contuleram *Rosseti historias tragicas* gallicè editas, nec 5. tom. Mercurii Gallici. Ex duobus postremis hæc nunc addo. *Il fit*, inquit Rossetus, *revivre ce meschant & abominable*

minable livre, que l'on intitulé, les trois Imposteurs, que l'on imprime à la veue & au grand scandale des Chrestiens. Il composa un livre des causes naturelles, & le dedia à Monsieur Bassompiere, il donnoit à la nature, ce qui n'appertient proprement qu'au createur de l'univers & de la nature mesme. La Sorbonne de Paris condamna ce livre au feu &c. Mercurius Gallicus vernaculo sermone editus tom. 5. ad ann. 1619. pag. 63.64. *Au mois de Novembre de l'an passé, fut arresté prisonnier en la ville de Tholouse un Italien, Philosophe & grandement docte, qui alloit monstrer par les logis aux enfans de maisons qui desiroient scavoir parfaictement la Philosophie. Il soustenoit & enseignoit, que nos corps estoient sans ame, & que mourans tout estoit mort pour nous, ainsi que les bestes brutalles : que la Vierge (ô blasphemæ execrable) avoit eu cognoissance charnelle comme les autres femmes, & d'autres mots bien plus scandaleux, du tout indignes d'escrire ny de reciter. Par son eloquence il glissoit tellement sa pernicieuse opinion dans l'entendement de ses auditeurs particuliers, qu'ils commencerent à balancer en la croyance de ceste saulse doctrine ; ce qu'estant venu à la cognoissance du Parlement, il decreta contra ce nouveau Ministre : Et estant pris, & interrogué, il soustint ses instructions veritables. Surquoy son proces luy fut faict, & l'Arrest donné, portant condamnation de faire amende honorable nud en chemise, la torche au poing & traîné sur une claye, la langue coupée & bruslé vif, ce qui fut executé au commencement de Fevrier, au lieu appellé la place du Salin. Il mourut avec autant de constance, de patience & de volonté qu'aucun autre homme que l'on aye veu : car sortant de la Conchiergerie comme joyeux & allegre, il prononca ces mots en Italien;* allons, allons allaigrement mourir en Philosophe, *mais bien plus pour monstrer sa constance en la mort, & un desespoir en l'ame, lors que l'on luy dist qu'il criast mercy à Dieu, il dit ces mots en la presence de mille personnes, Il n'y à ny Dieu ny diable, car s'il y avoit un Dieu je le prierois de lancer un foudre sur le Parlement comme du tout injuste & inique ; & s'il y avoit un diable, je le prierois aussi de l'engloutir aux lieux sous-terrains ; mais parce qu'il ny à ny l'un ny l'autre, je n'en feray rien.* Sunt & alii, qui ejus meminerunt, *Continuatio Mercurii Gallo-Belgici*, & *Graumontius in vitâ Ludovici* XIII. sed qui mitius de illo sentire & pronuntiare videntur: uti vir eruditus plurimæ lectionis mihi nunc indicat ; nam libri nunc ad manum non sunt ; nec vacat inquirere. Sit ergo hic Vaninus inter eruditos atheos tanquam aquila, aut Homerus quis, à quo omnes alii denominari, aut ad quem atheismi omnes reduci possint: quomodo hactenus Epicurus, Lucianus, & similes hãc vicem præstiterunt. Vbi tamen proportiones, & leges similiũ, & graduum differentiæ servandæ sunt. Neque enim omne simile est æque simile, nedum ut simile sit idem. Desperatorum dictis dicta similia ab aliquo proferri possunt, qui tamen formaliter non est desperatus. Sic similia aut affinia Lucianicis aut Epicureis excidunt subinde alicui, qui tamen in formâ

Lucianus non est. Vti de Erasmo mox dicemus. XIX. *Probl.* Quid de *Paulo Iovio* historico, & Episcopo Nucerino? *Resp.* Virum illum nimis ethnicè passim loqui, non immeritò animadvertit *Delrio in disquis. Magic.* alibi nobis cit. scil. in *Desper. causâ Papatus.* Quantum discrimen honesti & turpis ab illo factum sit, collige ex ipsius Epicureo judicio de sodomiâ Leonis X. Sic enim in ejus vitâ lib. 4. p. 192. 193. edit. in 8. *Non caruit etiam infamia, quod parum honestè nonnullos è cubiculariis (erant enim è tota Italia nobilissimi) adamare, & cum his tenerius atque liberè jocari videretur. Sed quis vel optimus atque sanctissimus princeps in hac maledicentissima aula lividorum aculeos vitavit? & quis ex adverso tam malignè improbus ac invidiæ tabe consumptus, ut vera demum posset objectare, noctium secreta scrutatus est? At si aliqua ex parte eo nomine fugillari inclyta virtus potuit, Leo certè cum superiorum principum fama comparatus æstimatione rectissima continentiæ laudem feret. Quòd si falsò notatus (ut credi par est) iniquam subiit invidiam, miserabilem profectò principum conditionem existimaverim, quando eorum mores ad arbitrium paucorum improborum favam potius quàm benignam interpretationem accipiant. Sed alia principis, alia hominis esse vitia, quis nescit? hæc uni privata conditione quum noceant, etiam aliquibus fortasse prosunt: illa verò ab dira potestate, & luctum & calamitatem universis mortalibus apportant: idque verissimum esse constat præclaro quondam populi Romani testimonio, qui neminem sibi principem Trajano meliorem exoptavit, quanquam eum illicitæ libidinis ac ebrietatis censura notasset. Sed demus aliquid humanitati Leonis uti in summa licentia fervidæ ætatis ac prosperæ valetudinis æstu agerrimè sustinenti, postquam in magnis salutaribusque virtutibus optimi atque benefici cognomentum facile meruerit.* Sed non mirum hæc publicè victuris chartis ita ostentari, cum sodomia non faciat irregularem, uti operosè defendit *Quaranta in Constitutionibus Pontificum in voce. Irregularitas.* XX. *Probl.* Eâdem hâc occasione quæro de *Ioh. Casâ* archiepiscopo Benevêtano, & Pontificis ad Venetos legato? *Resp.* Certum est eum edidisse poëma Italicum tit. *Il furno,* in quo horrendum flagitium sodomiticum commendat & extollit tanquam opus divinum & sanctum *mestier divino, mestier santo.* Quod obstitisse illi refert *Thuanus in historia,* quò minus fieret Cardinalis? *Petrus Victorius in epistola dedicatoria* præmissâ editioni gr. Politicorum Aristotelis Florentiæ 1552. (quam una cum illa dedicatoria recudit Andreas Wechelius 1577. Francofurti in 4.) eum ab eruditione (quod minimè negandum docet ejus libellus Ethicus tit. *Galatheus, seu de Moribus*) & eximiis virtutibus profusè commendat? *Virtutes autem illæ tuæ solidæ ac firmæ quæ uno omnium ore celebrantur, ac mirificos sui amatores cotidie inveniunt, cum honore non parvo dignitateque decoratæ sint, videbantur adhuc altiore gradu dignæ, ut probi viri non sine causa sæpe quæsti sint (en probitatem & sanctitatem Romanam), tibi eum honorem*

rem delatum non esse, ad quem alii minoribus fortasse laudibus commendati, facile pervenerunt. Nec tamen non Alexander Farnesius optimus ac clarissimus juvenis tuique amantissimus, qui plurimum olim in hoc potuit, ac de probitate doctrinaque tua egregiè semper sensit, non magnoperè pro te laboravit, ut mihi ipse crebrò, cum apud nos maneret, commemoravit: & tibi enim ipsi honorique tuototo animo favebat, & hanc rem avo suo pontifici Max. laudi datum iri intelligebat. Sed vincit sæpe omnia omnium studia fortunæ iniquitas ac fatum ipsum quod tibi nunc non sine damno summi ordinis contigit: cui, quamvis amplissimo ac sanctissimis pluribus honestissimisque viris fulgenti splendoris aliquid decorisque virtutibus tuis attulisses: vera tamen laus est, dignum se præbere maximis honoribus, non altissimum dignitatis locum adipisci. Ignosces autem mihi, si hoc vulnus nunc refricui; ut enim te reliquis bonis instructum libenter video, ita hac quoque specie auctum incredibiliter cupio. Poëma hoc ab illo editum fatetur ex Pontificiis *Thuanus tom. 2. histor. p. 621. 642. 643. Hardingus contra Iuellum*, sed scelus Epicureum extenuare studet, quasi non tam laudasset quam extenuasset flagitium sodomiticum. Quod falsissimum est. Objecerunt hanc maculã sanctitati Romanæ, ex nostris non pauci, *Sleidanus in historia, Beza in præfat. ad poëmata sua edit. in* 8. &c. quorum aliquos puto fuisse testes oculatos, *Petrum Paulum Vergerium, Iuellum, Marnixium Sanctaldegondium*: qui citant editionem Venetam apud Pompejum Nave. *Carolus Molineus* apud Wolphium *lectionum memorabil. centur. 16.* ait librum Venetiis editum, cum Casa ibi Papæ legatum ageret. Quia autem à Pontificiis sæpe negari solet, nostrique propterea mendacii argui, indico in manus nostras beneficio amplissimi hujus Reipubl. senatoris nuper incidisse editionem poematum aliquot Italicorum Florentiæ in 8. ann. 1548. apud Bernardum Iuntam hoc titulo: *Il primo libro del l'opere barlesche. Di M. Francesco Bernerdi, M. Gio. della Casa, del Varchi, del Mauro, di M. Bino, del Molza, del Dolce, & del Firenzuola: ricorreto & con diligenza ristampato.* Vbi post fol. 132. habetur sceleratum hoc poëma hoc tit. *Capitulo di Messer Giovanni della Casa sopra il forno*, constans pag. 6. versibus 166. Exemplar illud intuli in bibliothecam publicam ut sub publica custodia perpetuum sanctitatis Romanæ monumentum exstaret & præfractè negantibus ostendi posset. Hac occasione moneo & obtestor omnes veritatis amantes, ut & hic & alibi libris ejusmodi, quorum nunc pudet Papistas, aut quos alioquin abolitos aut expurgatos velint, publicis bibliothecarum custodiis & obseratis capsis committant, quò per bibliothecarios conspectus eorum concedi possit illis, quorum interest. Hoc ni fiat, privatorum bibliothecis auctione publica distractis, quovis pretio in nassam suam per emissarios exemplaria omnia pertrahent adversarii, & abolebunt: nostrisque postea dicam falsi scribent. XXI. *Probl.* Quid de *Petro Aretino*

retino. Resp. Fuit is magnus atheismi doctor; putaturque autor famosi illius libri de *Tribus impostoribus*: uti refert *Mersennus p.* 1830. ex indicio amici, qui librum illum legerat, & judicabat esse stylum Aretini: Quid liber contineat (nunquam enim vidi) discres ex *Mersenno loc. cit.* Aretini epitaphium apud *Iovium in Elogiis virorum doctorum*, & alterum apud *Guizeppe Pazzi* indicat qualis & quantus atheismi præco fuerit. Sic enim Pazzi in libr. cui tit. *Continuatione della monstruosa farina*, Venetiis 1609. *Qui giace l'Aretini poêta Tosca, Che disse mal d'ogn' un fuor che di Dio; ma si scuso dicendo no'l conosco.* Aliter sic, *Qui giace estinto quell' amaro Tosco; Ch'ogn' huom vivendo col mar dir trafisse. Vero e che mal di Dio giamai non disse. Che si scuso, dicendo, io co no'l conosco.* XXII. *Probl.* Quid de *Cremonino philosopho* peripatetico non incelebri in Acad. Patavinâ, qui ante paucos annos obiit? *Resp.* Antehac ab eruditiss. viro & amico mihi communicatum erat epitaphium, quod dicebatur sibi feciisse: *Totus Cremoninus hic jacet.* Sed postea ab eodem aliunde aliter informato monitus revocavi illud in primâ hujus disp. editione. Quid de illo sit cum facilius sit suspicari, quam asserere, exhibeo solummodo hæc verba celeberrimi philosophi Fortunii Liceti, ex historia propriorum operum cap. 16. *Semper habens animum ad immortalitatem animorum excolendam; animadvertens opinionem Alexandri* (Aphrodisæi scil.) *de immortalitate rationalis animæ magnum indies* (*N. B*) *incrementum suscipere, cum maximo ingeniorum in peripato tenellorum damno: continenter urgebam opus antea diu cœptum de animæ immortalitate ad aures Aristotelis.* Ibid. paulo post: *Etsi Cæsar Cremoninus collega meus & Aloysius Albertus s. scripturæ publicus interpres ambo D. Federici Pendasii discipuli me seniores, ambo doctrinæ Aphrodisæi cultores non semel dixerint se volumini meo contradicturos: qui nullâ contradictione relicta diem obeuntes fato cesserunt.* XXIII. *Probl.* Quæ de *Politiano, Hermolao Barbaro, Mureto, Lipsio*, aliisque literatoribus aut poetis non paucis referuntur, an Lucianio-neutralismi, aut semi-ethnicismi, aut epicureismi eos suspectos reddant? *Resp.* De Politiano refert *Plesseus in libro de veritate religionis Christianæ*, quod diceret nunquam se bonas horas suas pejus collocasse, quam in lectione scripturæ. De Hermolao Barbaro (quamvis patriarchâ Aquiliensi) *Monlorius in tract. de Entelechia*, quod casu nactus colloquium cum dæmone, ex illo quæsiverit, quid esset Aristotelis entelechia. Qualem finem habuerint, & an postea mutati sint, mihi non constat. Saltem ut studia eorum erant, videbantur non dissimiles pluribus, si non pleriisque philosophiæ professoribus in Italiâ, aut Averroi Arabi qui fastiditâ christianâ religione dicebat se malle animam suam esse cum philosophis. Muretum in vita sua impietatis & Epicureismi satis suspectum fuisse innuunt verba *Lipsii in præfat. ad librum de pronuntiatione linguæ latinæ*: &

epi-

epigramma Bezæ (quod vide in ejus poëmatis,) *Gallia quod peperit, pepulit quod Gallia monstrum. Quem Veneti profugum non potuere pati &c.* Eum tamen sub finem vitæ admodum devotum, immo & sacerdotem factum prædicat *Iesuita Bencius in oratione funebri*, quę cum Mureti orationibus edita. Lipsium aut Semi-Ethnicum, aut Libertinum & vertumnum, & religione usum ut nummo non paucis argumentis cõtendunt *Thomsonus in refut. Divæ virginis Aspricollẽsis*, & pereruditus scriptor Anonymus *in dissertatione de Idolo Hallẽsi*. Eum tamẽ postea ad eximiã devotionem (sed superstitiosam, proh dolor!) conversum multis prædicat vitæ ejus scriptor *Carolus Scribanius*. XXIV. *probl.* An de *Erasmo* simile quid suspicari liceat: atque adeo jure eum Lucianismi accusent recentiores nonnulli Iesuitæ; & ante illos *Lutherus in colloquiis, in tit. eruditi?* *Resp.* Nolim illum cum superioribus literatoribus comparari. Aliud enim in illo fuit religionis, lectionis sacræ, & rerum divinarum studium; uti opera ipsius abunde testantur. Fateor ipsum nimis, ἀνθεκπάρεσκον & politicum videri in negotio religionis & ecclesiæ reformandæ; nimis etiam subinde similem Sceptico in doctrina de Trinitate; nimis similem Ethnicis in doctrina de gratia Dei, libero arbritrio, salute Gentilium; nimis similem Luciano & profanis irrisoribus in dicteriis & jocis quibusdam De Deo, rebus divinis, & verbo Dei. Sed tamen hinc nullo modo concludendum illum fuisse atheum, aut Lucianum, aut Arrianum, aut omnis religionis cõtemptorem. Contrarium patet ex historia vitæ & mortis ejus variisque nostrorum apologiis, quos in scriptis polemicis c. Pontificios, data occasione instituunt. *Vide Pauli Merulæ apologiã* præfixã duabus cẽturiis epistolarum Erasmi à se editis Lugd. Batav. in 4o. Paulò moderatius etiam est judicium *Possevini in apparatu sacro*: ubi viri ingenium in quibusdam non malè describit; in quibus tamen humanitus eum quid passum dicam; non vero infirmitatem illam fuisse in illo elementum prædominans. XXV. *probl.* De *Franc. Rablæsio?* *Resp. Calvinus in tract. de scandalis* propter profanam sacra ridendi licentiam eum perstringit. Et Lucianicum & celebre ipsius, quod exstat, scriptum satis eum arguit. Fuerat is monachus Frãciscanus. Postea excucullatus ad medecinã, se contulit. Habet nõnulla de ipso *Scevola Sammarthanus in elogiis*, & *Thuanus in libro de vita sua pag.* 23. edit. Genevensis in fol. exstat etiam *epistola græca Budæi ad Rablæsium*. Illum ebrium obiisse & risisse eos, qui Deum ejusque misericordiam illi proponerent, habet *Honsdorfius in Theatro*. XXV. *Probl.* Quæro de *Epicuro*, an apertè aut Deum aut Dei cultum tum verbis tum factis negaverit; & si non, an nihilominus atheus dici possit, & athei omnes ac numinis contemtores ab illo denominari? *R.* Quod ad *pr. Neg.* Numen enim agnovit, uti constat ex *Laërtio*, & poëmate sectato-

ctatoris ejus *Lucretii*. Quin & formam religionis seu cultus admisit & ipse exercuit, & *librum* scripsit *de pietate erga Deos*, teste *Laertio*, & *Cicerone lib.* 1. *de Natura Deorum* (cujus posterioris verba notatu digna velim videri), & *Plutarcho in libro c. Colorem Epicureum*? Vide *Piccarti observat. Historico politicas*, & *Lambinum in Lucretium pag.* 9. Quod ad *Post. Aff.* ob negatam scil. providentiam, & summum bonum in voluptate collocatum. Athei vocem esse πολύσημον, & latè se extendere, *part.* 1. *hujus disp.* ostensum est. Posemus ad hæc quærere de multis aliis tam veteribus, quam recentioribus ex. gr. de *Luciano*; de *Stephano Doleto*, cujus meminit *Prateolus libr. & tit. cit.* De *Bocacio*, quem *cap.* 2. Atheum facit *Campanella*, & jungit cum autore libri *de tribus Impostoribus*: de cujus tamen instituto longe aliter *Fr. Iunius in notis ad Refutationem libelli Italici*, *A viso piace vole* &c. à Bellarmino editam, & Controversiæ de Pontifice subjunctam; itidem de *Gul. Postello*; Deniq; de Paracelso, Weigelio, fratribus roseæ crucis: sed nolumus ex professo prosopographiam instituere.

4. Nunc digitum intendamus ad praxin. Continet autem ea 1. Vsum hujus doctrinæ. 2. Consilium aliquod. Quod ad prius, usum nunc notamus duplicem, unum paræneticum seu adhortationis, alterum cõsolationis. *Ille* est geminus 1. ad gratiarum actionẽ quod per Dei gratiam (per quam sumus quod sumus) non simus tales. 11. ad conatum, ut totis viribus refugiamus, avertamus, & præveniamus illos furores, toto corde detestemur usque ad minimam illorum speciem aut occasionem: cõtra veræ & salutari cognitioni, fidei, ac cultui Dei nostri magis studeamus. *Motiva* hujus adhortationis non est quod delineemus; quæ ex capitibus de Dei cognitione, Fide, Respiscentiâ, sanctificatione nominis divini huc applicari possunt. *Media* sint ista. 1. Assidua oratio, ut Spirit. sanct. sensus nostros in Christo custodiat, mentes certas reddat & confirmet, persuadeat omnia credenda. 2. Reverentia scripturæ: cui nos submittamus; ingenium captivemus, si quid occurrat, quod capere nõ possumus alicubi enim sistenda est angustia rationis nostræ. 3. Luminis naturalis, & sobrię sanæq; philosophiæ usus: quousq; pertingere potest. Extra illos terminos verum est, simplicitatem & fidem laicorum esse optimam. 4. Amor & honor veritatis agnitæ: ne eveniat nobis illud 2 *Thessal.* 2. 10. Reliqua media partim declinanda partim adhibenda petantur ex causis & oppositis Atheismi *primâ hujus Disput. parte* designatis. Imprimis pietati & conscientiæ & vitæ integritati studendum tum ut nos ipsos tum ut alios ab atheismis præservemus aut revocemus. Male enim viventes, dum student declinare supplicium, fabricant sibi aut obtrudi patiuntur atheismos, *Psalm.* 10. 9. Fæmina illa Anglicana, cujus meminit *Samuel VVardus conc. in Iohan.* 13. 1. post conversionem suam ab atheis-

atheísmo sæpe protestabatur dubitationi suæ maximam occasionem datam à vita dissoluta viti docti (Concionatoris, uti arbitror) in illâ civitate degentis. Theologorum vanitati idem asscribit *Fr. Iunius in lib. de Theologia c.* 17. vide quæso. Vsus *Cõsolationis* est: quod admirãda Dei benignitas & potẽtia cõtra tot tãtasq; Atheorum machinationes conservet pusillum illum gregem & aliquos veros nominis sui cultores: & porro conservatura sit.

Consilium de profligandis & exstirpandis atheísmis est, ut adhibeantur 5.
prophylactica, & antidota, tum publica, tum privata. *Illa sunt* 1. ut Christianorum liberi ab infantiâ in scholis, familiis, ecclesiis fideliter in veritate fidei instituantur. De quo pluribus in loco de Catechizatione. 2. Ne locus, saltem ne honor sit impiis & ἀθέοις in Republicâ: contra ad dignitates promoveantur verè pii & religiosi. Imprimis hoc agendum ne in aulis tanti fiant, & præ aliis omnibus aut saltem plerisque habeantur ac dicantur *gens de service*: uti stylo aulæ dictos suo tempore in aulâ aut aulis gallicis testatur Autor Antimachiavelli (*Gentiletus*) *part. 2. axiom. 1. pag.* 233. edit. gallicæ in 16. 3. Vt libri eorum prohibeantur. 4. Vt imprimis in scholis & Academiis præficiantur viri pii & religiosi: quod speciatim observandum in professionibus facultatum & artium extra Theologiam; ubi adiaphorum quid, si non ridiculum & præter decorum, nonnullis hæc ἀκρίσια videtur: Hinc factum, ut Athei, Epicurei, sive Machiavellistici, sive naturalistæ, Iuris, Politices, Medicinæ, Matheseos, Philosophiæ, Literarum cathedras nõ rarò insederint, qui nullã prorsus pietatis aut religionis formã profiterentur. Memorabiles sunt leges, quas de cõsilio Melãthonis facultati artium figebat Academia Witebergensis; quas vide in tom. 1. cõsil. Melanth. Et confer ejusdem præfat. ad physicam suam, ubi sic loquitur. *Et gratia debetur omnibus qui partem aliquam (physicæ) rectè & simpliciter monstrant, ac præsertim iis, qui cum multi audacissime corruperint simplicem doctrinam, ut Democritus, Epicurei, Stoici, Pyrrhonii & horum similes, monitores sunt junioribus, ut vitent monstrosas opiniones, & rectâ artium via quærant veras sententias, nec putent ingenii decus esse ludere præstigiis opinionum, sed acquiescant in veritate, ac Deo gratias agant, quod in hac caligine humanæ mentis aliquas tamen scintillas suæ sapientiæ vult lucere &c.* Et paulo post: *Sed multo plus mali est in ipsa consuetudine petulanter contradicendi veris sententiis. Hic verè est, ut inquit Euripides* ἀκόλαστος γλῶσσα δισχισὴ νόσος. *Quare plurimum refert ingenia recentia præmunire & quantum fieri potest assuefacere, ut ament moderatas sententias gravi autoritate traditas, nec artium metas evertant.* Inde arceantur authores & libri omnes Epicureismum, aut pietatis ἀλιγωρίαν redolentes. Et Aristotele, Ptolemæo, Plinio, Seneca, Platone, Avicenna, Averroe, Hippocrate, Galeno, Iustino, Tacito, Horatio, Homero,

mero, Luciano, Aristophane, Pindaro, &c. (quos ibi interpretari solent, aut ad quorum modulum commentationes suas efformare) quid occurrat, quod à pietate & verâ religione alienum sit, id ex mente eorum non urgeatur & defendatur (ut ātehac in Academiis Italiæ Aristotelem & Averroem suum sectantibus sæpe fieri solet): nec historicè & paraphrasticè enarratum in medio relinquatur, & sic aculei in animis imperitiorum: sed potius solidè & piè refutetur; ut semper cognitio Dei nostri & religio Christiana triumphet. Quod cum non raro negligatur tam in scholis quam Academiis: hinc fit ut teneri adolescentum animi sensim sine sensu Atheismo, Epicureismo, Gentilismo imbuantur. Talia enim cum dicuntur docentur. Immo vix absque periculo coram quibusvis auditoribus referuntur, quamvis adhibitâ summâ detestatione, & solidissimâ refutatione.

5. Vt cōsciētia & prudentia adhibeatur in artibus & disciplinis tradēdis nec petulantibus ingeniis permittatur subversis scientiarum principiis Academico-sceptică philosophandi rationem introducere. Huc faciunt pia monita *Melanthonis* jam cit. *In istis hoc est in antidotis*, consideramus Præparationem, & applicationem. *Præparatio* continet per quos, & per quæ seu ipsum apparatum. *Per quos*; per literatos, & scientiarum peritos eosque firmi cerebri, ne in melancholicas, aut vertiginosas cogitationes incidant. Idiotæ & infirmi cerebri quamvis fidei suæ retinendæ, Atheisticis tamen sophismatis refellendis non ita sufficiunt. Requiritur enim hic peculiaris ἀγχίνοια, & multarum rerum scientia. *Per quæ* est *primo* sacrarum literarum, præsertim locorum difficilium & ἐναντιοφανῶν (quibus ventilandis plerumque occupantur adversarii) accurata cognitio. *Deinde* scientia universalis universalium, imprimis Metaphysica, Pneumatica, Physica, ad quam refer generalem Astronomiam, Geographiam, Opticam, & speculationes de sonis, ponderibus &c. *Denique* notitiam particularium, seu Historiam antiquam, novellam. Sine hoc apparatu argumenta contra illos instrui, objectiones & exceptiones eorum dilui, nec scripturarum historiæ & dogmata contra eorum cavillos defendi queunt. Quod discent juniores, ubi præstantiores aliquot commentatores in scripturam, aut saltem locorum difficilium interpretes, adhæc Antagonistas Atheorum, Epicureorum &c. mox nominandos consuluerint. Pertinet ad hunc apparatum bibliotheca contra Atheos; quam constituunt scriptores antiqui, & recentes, philosophi ac Theologi. Antiqui Theologi sunt patres illi qui contra Gentes veritatem religionis defendunt, ut *Athenagoras*, *Iustinus*, *Tertullianus*, *Minutius*, *Clemens Alexandrin.*, *Origenes*, *Tatianus*, *Theophilus*, *Lactantius*, *Arnobius*, *Iulius Firmicus*, *Eusebius*, *Theodoretus*, *Cyrillus Alexandrinus*, *Augustinus*: ubi sæpè occasio est deitatem, ejusque unitatem, sapientiam, justi-

tiam,

tiam, creationem, providentiam, item animæ immortalitatem, resurrectionem probandi. Inter Philosophos antiquos sunt *Plato, Plotinus, Aristoteles, Sext. Empiricus, Cicero de Natura Deorum, Seneca*, quare viris bonis malè accidat *cum commentar. Mureti*, aliique, quos patres citati, & inter recentiores *Eugubinus, Plessæus, Mutius Pansa* exhibent. Recentiores philosophi sunt cõmentator. in libr. 8. physicor. & in 12. Metaphysic. & scriptores quicunque Metaphysici; quorum catalogum non est quod hic texam. Adde iis *Marsilium Ficinum*, utrumq; *Picum Mirandulam*, & *Mutium Pansam* modo cit. Ex Theologis intermediæ ætatis sunt Scholastici, & nominatim *Thomas contra Gentes*, Idemque *in summâ*, cum suis commentatoribus: post illum *Savanorola in Triumpho crucis*, *Raymundus de Sabunde in Theologiâ Naturali*. Ex recentioribus Theologis sunt præter *Eugubinum* & *Plessæum* jam cit. *Georgi Pacardi Theologia naturalis*: *Charroni tres veritates*, Gallicè: *Iohannes Ludov. Vivaldus in opere Regali*: *Petrus de la Cavalleria in zelo Christi*: *Leonard. Lessius contra Atheos*: *Petrus Molineus de cognitione Dei*: *Campanellæ Atheismus triumphatus*: *Postellus in tract. de Orbis concordiâ*. *VVigandus in tract. supra cit.* *Smithus adversus Atheos* Anglicè, qui tract. cum postremâ editione *cõcionũ ejus* prodiit; *Alstedii Theologia naturalis*: *Zachariæ Boërii demõstratio symboli cõtra Atheistas*, & post omnes *Mersennus in cõment. in Genesin*, qui operosè & doctè Atheorum exceptiones dissolvit. Ex Philologis hoc egerũt *Ludov. Vives in libro de Veritate religionis*: *Lipsius in Epist. ad Berchemiũ cẽt. 2. ad Belgas & in physiol. Stoicâ l. 1. diss. 13. 14. 15. 16. Grotius in Demõstratione Religionis*. Ad Atheos scripturarum oppugnatores retundẽdos faciet *Sixtus Senẽsis lib. 6. & 7. biblioth.* & scriptores qui dubia, ἐναντοφανῆ, & ἄλυτα scripturæ expediunt; quiq; philosophica, historica, chronologica, topographica, architectonica ex professo explicant: quos vide in *nostrâ bibliotheca*. Atheos politicos seu Machiavellicos refutant Antagonistæ Machiavelli, qui ex professo eum oppugnant, quales *Gentiletus*, *Stephanus Iunius Brutus* (id est *Plessæus*,) & *Possevinus*: qui duo posteriores cum Principe ejus excusi sunt. Qui in tractatibus politicis, aut theologico-politicis hæc attingunt, ut *Ribadinira de Principe*, *Stapletonus in orat. Academica c. Politicos*, *Thomsonus contra Lipsium*. Quo refer nonnulla, quæ occurrunt apud *Coretum* & *Possevinum contra discursus Domini la Noue*, *Burchardum in autonomia*, *Pamelium de religionibus diversis non admittendis*, similesque complures, una cum præstantissimis syntagmatis & systematis politicis in *bibliotheca Theologica* jã indicatos, partim in iteratâ editione *disp. de Libertate conscientiæ* indicandos. Conferri possint *disp. nostræ de Iure & justitia Dei*; & scriptores de lege naturæ, & de communibus notionibus, quales præter scholasticos ad Thomam, *Hennigius tract. peculiar.* *Seldenus de Iure naturali & Gentium cap. 7. & 8.*

& 9. *Zwarez de legibus*, aliique complures alibi nominandi. Si juniores in cursu Academico delectum aliquem adhibere, & compendio studere malunt: autor ipsis sum ut rationes familiariter & perspicuè propositas quærant in *Plesseo* aut *Alstedio*: subtilius & scholasticè in *commentatoribus Thomæ*, aut autore aliquo Metaphysico: Autoritates vero & consensum populorum, sapientum, in eodem *Plesseo* aut *Eugubino*. Quod ad speciales disputationes pro providētiâ Dei, animę immortalitate &c. eas nō tantum in autoribus cit., sed & in ordinariis suis Theologis ac philosophis invenient. Peculiariter c. Atheos immortalitatem animæ vindicârunt *Leon. Lessius & Ant. Sirmondus* uterque dictæ societatis Iesu theologus. *Applicatio*, consistit in illis tribus. 1. in detectione. 2. convictione. 3. fugâ aut coercitione. *Detectio*, quomodo ab omnibus imprimis à viris eruditis, peragenda, desumi potest ex signis & prætextibus *hujus Disput. parte* 1. & 2. annotatis. *Convictio*, habet κατασκευὴν, & ἀνασκευὴν. *Illius* methodus seu tituli ac classes argumentorum tantum modo hic indicandi. Omnibus post habitis unius Mersenni (qui omnia complectitur) hic exhibebo. 1. Est, quod omnes creaturæ numinis existentiam aliquo modo affirment. 2. quod omnes homines illam cogitationem habeant. 3. Quia necesse est aliquid esse à seipso. 4. Ab æternitate veritatis. 5. ab optimâ entitate & bonitate. 6. Ex axiomate: quidquid habet virtutem movendi, habet ab alio. 7. Ex gradibus Entium. 8. Quia Deus est lumen cætera manifestatum; estque per se notum, Deum esse. 9. Quia creatura est ens productum ab alio, de nihilo. 10. Ex singularum creaturarum pulchritudine. 11. Ex lege naturali immutabili. 12. Ex appetitu nostro. 13. Ex dissonantium rerum concordia. 14. Ex rerum gubernatione. 15. Ex scientia Metaphysica, ejus objecto &c. 16. Ex Arithmetica & Algebra monade scil. numeri principio, aliisque numerorum admirandis. 17. Ex Geometria; figurarum scil. & dimensionum abstrusis & admirandis. 18. Ex Musica; ubi de Macrocosmi & microcosmi harmonia, & de Musicæ mundanæ cum humana collatione. 19. Ex Astrologia; stellarum scil. ordinata revolutione, imprimis motus diurni ab oriente in occidentem pernicitate. 20. Ex Mechanica; imprimis maganaria quæ vi minima maximum pondus tollit. 21. Ex quibuslibet scientiis & artibus. 22. Ex aliis scientiis inferioribus. 23. Ex omnibus divinationum speciebus. 24. Ex sex determinationibus rerum, quæ natura sua indeterminatæ. Sunt autem quantitatis, dispositionis & partium, durationis, figuræ, multitudinis individuorum & specierum, intensionis graduum, & existentiæ. 25. Ex rebus moralibus. 26. Ex omnibus artefactis & ex astris. 27. Ex omnium entium collectione. 28. Ex Geographia & Hydrographia. 29. Ex paupertate; ex

vultuum

vultuum, vocis, scripturæ, statuum, incessuum diversitate. 30. Ex fine, ad quem omnia tendunt. 31. Ex eo, quod objectum assignari debeat, quod amorem nostrum terminare atque satiare valeat. 32. *Ex* variis absurdis & incommodis, & ex commodis, quæ ex oppositâ seu variâ sententia consequuntur. 33 *Ex* Optica. 34. *Ex* Gnomonica. 35. *Ex* Architectura. 36. *Ex* Nautica. *Et* hæc diffusissima κατασκευὴ. Ἀνασκευὴ ipsius in solutione & insectatione exceptionum Atheisticarum occupata: quas, numero 26. hic non exhibeo, quia non fert ratio Thesium eas refutare. Consulatur ipse *Mersennus p.* 234. & *Valesius*, *Plesseus* aliique supra *parte* 1. *cit.* Medullam earum habes apud *Plesseum*; & eos qui Providentiam Dei defendunt. Nos in cursu & repetitione locorum communium, quam in hac Academia singulis sesquiannis præter propter absolvimus, hactenus istas classes argumentorum studiosis nostris proposuimus, easque pro virili deduximus & defendimus. Argumenta sunt vel insita vel assita. Illa sunt magis quasi à priori, vel magis à posteriori. *Priora* ducuntur ex principiis & axiomatis quibusdam luminis naturalis. 1. Non datur in causis processus in infinitum. 2. Nihil est à se ipso; seu nihil est causa sui ipsius. 3. Quidquid movetur ab alio movetur: & sic tandem deveniendum ad motorem immobilem. 4. In ordine est aliquod primum. *Posteriora* ducuntur 1. ab ornatu perfectione, ordine, actionibus, viribus creaturarum seu universi *Psalm.* 8. & 19. *Ies.* 40. *Rom.* 1. 2. A naturâ intellectuali angelorum, diabolorum eorumq; apparitionibus, operationibus, energematis. 3. Ab homine microcosmo cõsiderato tum in natura sua, & partibus essentialibus, integralibus &c. tum in symbiotico ordine œconomico, politico, ecclesiastico, scholastico, cum mutationibus, prȩmiis, pœnis in hac vita. *Psal.* 8. coll. cum *Ies.* 40. & *Ecclesiaste Salomonis* 4. A miraculis & vaticiniis *Ies.* 64. *Argumenta assita*, seu testimonia sunt. 1. *Interna*, syntereseos & conscientiæ *Rom.* 2. Hic de communibus notionibus. 2. *Externa*, consensus omnium Gentium, & doctrina omnium sapientum. Sed rationibus omnibus subductis, & iteratis cogitationibus sæpius recurrentibus, deprehendimus ordinem & naturę & melioris nostrę cognitionis hunc potius & tutius servandum, ut demonstratio ab effectis ad causam ab operibus ad opificem & gubernatorem primo tanquam palmaria & universalis, quæ omnes alias in se complectitur, ponatur; quippe à quâ omnes aliæ dependeant & ex quâ deriventur, & quam omnes præsupponant. Legem enim naturæ & implantatæ communis notionis, & hinc agnitionem ac professionem numinis, adhæc miracula, vaticinia, ordinem politicum inter opera Dei referendum nemo ambigit. Quod ad axiomata illa de causis, de motu, de ordine, non essent illa principia complexa, nisi in operibus Dei seu creaturis ob-

ſervata eſſent illa, ex quibus inductio, & tandem theſes ac principia complexa: non eſſet obſervatio, nec inductio de & ex creaturis, niſi eſſent creaturę. Tutiſſimam autem, expeditiſſimam & evidentiſſimam eſse hanc methodum perſuadent Chriſtianis doctrina & exemplum ſpiritus ſ. *Rom.* 1. *Pſal.* 19. *Actor.* 17. *Ieſa.* 40. &c. Quem inſcitiæ, aut pſeudographematis velle arguere atheiſmus eſt, latitans ſub pallio Chriſtiani. Quod ſi quis monitus pergat ineptire, & ſeipſum ac veritatem involvere meris petitionibus principii, aut obſcuris aut incertis conſequentiis, quales *Cogito ergo ſum*, Et, *cujus idea eſt in me, illud ipſum* &c. inducto prius ſcepticiſmo, omnique notititia naturali inſita & acquiſita eraſa, aut per dubitationem ſequeſtrata, nec non negatis & ereptis omnibus principiis ac demonſtationibus antehac toti Chriſtianiſmo uſitatis, & quidem convenienter ſcripturis: utique ſuperbis illis cauſę proditoribus aut corruptoribus ſuggerendum eſt illud Tertulliani; *Scilicet Valentinianos & Marcionitas exſpectabat liberanda veritas.* Iiſdem etiam eorumque fautoribus dicere poſſent omnes omnium ſcientiarū, præſertim theologiæ ſtudioſi & magiſtri: *Redde legiones.* Facilis enim deſcenſus averni, ſed revocare gradum &c. Vbi notitia omnis, etiā de Deo & cultu Dei, de honeſto & turpi, de nemine lædendo, ſuum cuiq; tribuēdo, ſemel abjecta fuerit, & principia luminis naturalis, ac regulæ cōſequētiarum cum totâ logicâ & metaphyſicâ profligata, unde quis ſibi aut aliis ad placitum theologiā naturalem & ſupernaturalē reſtituet, unde arma ſuppetent? quibus utramque contra infideles, fanaticos, Scepticos, hæreticos, Libertinos defendat? Hæc cum non ſint fori geometrici, aut optici, aut mechanici, theologis, & veræ religionis ac pietatis conſortibus ſeriò cogitanda ſunt. Deus non irridetur. *Væ illi homini per quem unus ex minimis ſcandalizatur.* Quid ſi rudiora, aut volatica, aut diſtorta ingenia perplexis, ambiguis, incertis, obſcuris (à paucis enim ſua capi fatētur novi Heroſtrati) illis inaniis & phantaſmatis ſpecie novè inventæ aut illuſtratæ philoſophiæ irretita, aut ad deſperationem obtinendę ſcientiæ adacta ſcepticiſmi & libertiniſmi periculis objiciantur; cui hoc imputabitur? Et quid dicemus de ingratis illis, qui in ipſa veritatis meridie petulanter cæcutire volunt, ſemper quærentes nunquam ad cognitionem veritatis pervenientes. Verè pia illa anima Melanthon præſagiebat triſtia noſtro Belgio à fluvio ſanguinis & petulantia ingeniorum: uti refert *Henr. Antonides in præfat. ſyſtem. theolog.* Sed de Atheiſmi fœcunditate & periculis in Belgio noſtro infra tribus verbis monebimus. Eſt autem methodus diſputandi cum Atheis vel generalis, vel ſpecialis. Illam nunc delineavimus. Specialis pro ratione adverſariorum potiſſimum eſt quadruplex 1. adverſus Atheos *practicos*, & Epicuri porcos; quibus nulla fere ex notatis

notatis argumentis opponenda, sed tãtum quotidianis judiciis Dei & quatuor novissimis conscientia vellicanda. 2. *Deistas* & naturalistas seu potius Gentiles; contra quos argumenta illa non instruenda (qui Deum non negant:) sed solum ea quæ *primo* justitiam & providentiam Dei evincunt: *deinde*, autoritatem scripturæ, & veritatem religionis Christianæ: quæ apud Locor. commun. scriptores: & autores supra cit. occurrunt. 3. Contra *Machiavellistas*, qui religionem habent pro invento humano: quorum maximus numerus. Hi, quia nomine & professione literati aut Politici sunt, reipsa tamen abdita scientiarum non penetrarunt, armis illis modo propositis oppugnari non debent, nec opus est. Bene observat *Campanella* Machiavellum omnium scientiarum, excepta sola historia humana (tantum fere Romana) fuisse imperitissimum. Itaque sola fere historia opponenda est, & inde judicia Dei in Machiavellistas ipsis suggerenda: Et intus notiones naturales effodiendæ, ac ad proprium sensum & metum ipsorum provocandum. Peculiaria autem Machiavelli axiomata à *Stephano Iunio Bruto, Possevino, Gallo Anonymo* (*Innocentio Gentileto* IC.) *tract.* prolixo quem dedicat Duci Alensonio, *Molano in tract. de Fide servanda*, *Campanella* imprimis *cap.* 18. 19. *Contzen, Tholosano, Bodino, Althusio, Keckermanno, Thomsono contra Lipsium*, aliisque scriptoribus politicis satis excussa sunt. Reliqua, quæ in fraudem religionis Christianæ ab Ethnico-Machiavellicis (in quibus cum Deistis conveniunt) passim jactantur, dissolvunt Apologistæ pro veritate Religionis jam cit. 4. Contra *Naturalistas*, seu φιλομαθεῖς philosophos, Medicos, Mathematicos, Scripturarios, Historicos &c. Illis, quamvis numero paucioribus, Mersenni armamentarium propriè extructum est. *Coercitio*, qualis sit supra dictum est.

Restat tractatus hujus pars Historica, cujus sciographiam aliquam dabimus. Distribuimus Atheismum 1. in eum qui fuit ante natum Christum, 11. & eum qui post. 1. *Ille* est vel ante diluvium. vel post. Ante diluvium fuisse in posteris Caini *Lamechum*, & similes *Genes.* 4. & *Nephilim* ac potentes illos (Machiavellistas scil.) *Genes.* 6. non est improbabile. De ipso *Caino* vide *Targum Hierosolymitanum in Genes.* 4. Huc referenda mythologia de Cyclopibus, qui apud *Homerum Odyss.* 9. Deorum cõtemptores & ἀθέμιστοι, id est exleges; & Gigantibus, qui tanquam θεομαχοῦντες describuntur apud *Ovidium Metamorph.* 1. Vide *Natalis Comitis mythologiam lib.* 9. *cap.* 8. *& lib.* 6. *cap.* 21. Imprimis etiam *anonymi libellum observationum* editum cum Natalis mythologiâ Genevæ apud Crispinum 1612., tit. *Gigantes*. Post diluvium in historia sacra comparent *Pharao, Sennaherib* & inter Israelitas *Psal.* 10. *&* 14. *&.* 94. in histor. profanâ *Antiochus*, *Critius*, *Prodicus Chius*, *Diogenes, Protagor. Diagor. Theodor. Euemerus*, (de quibus postremis supra dixi- 6.

diximus) *Epicurus*, *Lucretius*. 11. Post Christum, *primis sæculis* fuerunt, *Herodes Actor*. 12. & irrisores illi 2 *Petr*. 3. *Lucianus*, *Caligula*, *Plinius* (uti patet ex *lib*. 2. *c*. 7.) *Anastasius Imperator* (referente *Paulo Diacono libr*. 15.) His adde *Hermogenem*, *Phrygellum*, Nicolaitas, Valentinianos, Arabicos, Gnosticos, Manicheos, similesque hæreticos (de quibus consulendi *Augustin*., *Epiphanius*, *Philastrius* &c.) etiã hæreticos aut paradoxos philophos qui animam mortalem fecerunt. Vide *disp*. *de Creatione*. De Gnosticis & similibus hæreticis Irenæus lib. 2. cap. 58. *Qui quidem Epicuri philosophiam, & Cynicorum indifferentiam æmulantes, non Iesum magistrum &c. Intermedia ætate* & sequioribus sæculis usque ad annum 1500. excelluêre in hoc genere Curiales Romani, & Papæ non pauci, quorum aliquos supra notavimus. *Fridericum* 11. Imperatorem Atheis annumerant Pontificii. Vide *Contzen lib*. 2. *politic*. *cap*. 14. *Lipsius in monitis & exemplis Politicis tit*. *de Impietate* 4. dicit illi sæpè in ore fuisse: *Tres fuisse insignes impostores, qui genus humanum seduxerunt, Moysen, Christum, Mahumetum*. Idem refert ibidem Alphonsum X. Hispaniarum Regem solitum subinde providentiam Dei culpare & dicere: *Si principio mundi ipse Deo adfuisset, multa melius ordinatiusque condenda fuisse*. Fuerunt etiam corruptis illis sæculis subinde fanatici nonnulli ab ecclesiâ Romanâ damnati: quos require apud *Alphonsum à Castro*, *Prateolum*, *Lutsenburgium*, *de hæreticis*; & in *annalibus Baronii* ac *Bzovii*, *eorumque Epitomatoribus*. *A sæculo decimo quinto* oppugnata superstitione imprimis erupit aut detectus fuit Atheismus omnis generis scriptis, dictis, factis. Posset distribui secundum partes seu factiones religionum, aut secundum nationes. Priori modo deprehendi posset frequentia atheorum in partibus, quidẽ Papistarum, ex multiplicibus querelis theologorum & Politicorum ejusdem professionis, quos per totam hãc disputationem citavimus: ubi imprimis consulendi, qui contra Atheos ex professo scripserunt. His addi debent *Libri confessionales*, *Indices expurgatorii*, *indices librorum prohibitorum*. In partibus & politiis Protestantium quanta sit frequentia constare poterit ex scriptoribus nostris hactenus citatis: inter quos imprimis consulendi, qui contra atheos scripsere; quibus addendi præstantiores concionatores quos indicamus in *bibliotheca theologica*; & scriptores politici, ac Iurisconsulti, *tit*. *de religione*, *impietate* &c. Sed præstat secundum nationes indaginem seu indicium hoc instituere. Incipimus ergo ab *Italiâ* religionis & pietatis arce (uti præ se ferunt) secundum antiquam scil. expositionem numeri apocalyptici λατεῖνῳ. Illic vulgatus est horribilis *liber de Tribus Impostoribus* autore *Petro Aretino*, ut vult *Mersennus supra cit*.; aut *Poggio Florentino* ut vult *Campanella in Atheismo triumphato*: qui illum librum videtur legisse. Renascentibus

centibus bonis literis antiqua Lucianica, Epicurea, Horatiana, Lucretiana &c. recocta, exculta, adaucta; Resuscitatâ philosophiâ Græcâ, ut & Medicinâ, Mathesi, nonnulli eorum Professores cum præstantissimis illis disciplinis Atheismos suos propinant, idque prætextu antiquitatis, & autoritatis antiquorum. Sic cum *Aristotele* de Dei providentiâ, de supernaturalium ad naturales causas revocatione, cum *Galeno* de animæ essentiâ, cum *Averroë* de intellectu universali, & mundi æternitate, cum *Avicenna* de miraculis & prophetiâ per corporis temperamentum &c. suaviter ἀθείζουσι, imprimis philosophi & Medici in Italiâ; de quo vide sis querelas *Pererii in præf.* ad *disputationes physicas*, & *Consilium Delector. Cardinal.* datum Paulo III. & passim *Delrio in Disquis. Magic. Mersennum libr. cit.* & *Fortunium Licetum supra thesi* 5. *probl.* 21. *cit.* Hæc causa fuit, quod tot tractatibus de Immortalitate Animæ coram ibi confligendum fuerit; quin & decretum in *Concil. Lateran.* sub Leone X. faciendum *sess.* 8. (Vide quæso) Confer *tract. Naclanti Episcopi Clugiensis*, & *Augustini Niphi de immortalitate animæ.* Et *disp. nostræ de Creatione part.* 10. Scholis in Italia sic constitutis, non mirum ad Curiales Romanos, & inde ad ecclesiasticos, Politicos, & plebem virus hoc strenuè propagatum: adeo ut Itali propterea passim Atheorum nomine traducantur: (quod viris melioris notæ tamen non præjudicat.) Habuerunt ibi præter Machiavellum publicum Doctorem Atheismi κατ' ἐξοχὴν, Petrum Aretinum, Vaninum Neopolitanum, cum tredecim aliis ejusdem missionis de quibus supra. Porro de Italis & Romanis Atheis atque Epicureis, imprimis etiam Clericis consulenda *Henrici Stephani præpar. ad apologiâ pro Herodot. c. supra cit.* Enotavimus *part.* 1. de Italis & curialibus Romanis verba *Petri Matthei*, & *part.* 4. verba *Calvini lib.* 4. *Instit. c.* 7. §. 27. Addimus ex apologia Wilhelmi Principis Arausonensis p. 66. edit. lat. in 8. *In domo principis Parmensis atheismus & aliæ virtutes Romanæ in delitiis habentur, & hujusmodi libertatem nusquam uberius invenias, quam apud hæredes Petri Aloysii.* Vulgò Romę & in Italia homines fatui & stolidi dicuntur boni Christiani (teste experientia, & *Hospiniano lib.* 6. *de Monachis cap.* 66.) Ita ut in ipsorum lingua synonyma nunc facta sint stultitia & Christianismus. Melanthon aliquando Italo theologo occinebat: *Vos Itali vultis disputare Deum, seu Christum, esse in eucharistia, quem non creditis esse in cœlo.* Idem in consiliis theolog. part. 1. p. 100. *Quid si injustis armis oppressi fuerimus, tamen præstabimus ut literæ nostræ depingant posteritati adversarios nostros, qui cum &c. Et in his sunt quidam belli homines, palam Epicuræi καὶ ἄθεοι, qui securè irrident omnes religiones. Tales ferunt nobis de religione leges. Sed reprimo me.* Hanc causam puto esse, cur eximius theologus *Zach. Ursinus in epist. ad amicum* (edita olim à Pareo cum miscellaneis catecheticis)

cheticis) Italiam vocaret *cloacam diabolorum*; & Iosephus Hallus in Epistol. dec. 4. Epist. 10. *Italiã feces seu excrementa orbis terrarũ, Romam Italiæ.* Ex Italia & curia Romana tanquã impietatis arce, omnisq; atheismi fœcunda matre in universã Europã (ut olim Gẽtilismus ex Ægypto in totũ orbẽ) diffudit se hoc malum, imprimis in *Galliam*, (ubi teste *Tholosano tom. 3. syntax. artis mirab. c.* 1.) societas Atheorum ad 60000. millia excreverat: immo una Lutetia anno 1623. jam 50000. contineret teste *Mersenno commentar. in Genesin p.* 671. ubi in unica domo possis aliquando reperire 12. qui hanc impietatem vomant. Vide eundem *in epist. dedic.* & in *præfat. Alexander Capellus in præfat. tractatus gallici c. Atheos*, ait plures nunc profanos & atheos esse, quam olim tempore Gentilismi. Neapoli præter Vaninum tredecim missi erant ut furorem hunc, & societatem propagarent, teste eodem *Mersenno p.* 673. Inter doctos Atheos Iul. Cæs. Vaninum ex scriptis hoc nomine notum (quem tamen Lucil. Vaninum vocat *apologia Paschasii tit. l'Antigaraſſe p.* 30. & 823.) describit ex parte *Mersennus p.* 156. 671. & alium anonymum *in præf.* Rablæsium describit dicta *Apologia p.* 30. 31. Godefridi de Valle Parisiis combusti jam meminimus. *Beza in notis ad Iohann.* 21. *v.* 22. refert Postelli quendam sociennum Tholosæ combustum, qui diceret se esse Iohannem Euangelistam. Quam ferax monstrorum istorum sit Gallia docet quotidiana experientia, & *tract. Calvini c. Libertinos*, & *Mersenni contra Deistas*, & varii tractatus supra cit. contra Atheos vernaculo idiomate ibidem editi, & *Antonii Sirmundi tract. de Immortal. animorum*, & *Antimachiavellus Gentileti.* Tales tamen plerique sub nomine & professione Pontificiorum delitescunt. In *Hispaniâ* quamplurimos esse Atheos, saltem practicos clamat experientia & exprobrant ipsis scriptores Gallici, ex quibus supra unum atque alterum citavimus. An autem post Italiam Hispanis secundæ partes tribuendæ sint, nõ Gallis: inter ipsos unius religionis Pontificię consortes disceptandum relinquo. Videntur saltem Hispani zelo Pontificiæ religionis omnibus aliis palmam velle præripere. An propter hunc prætextum minus athei sint dicendi, alii disquirant. Saltem Galli hodierni Hispanis palmam impietatis tribuunt, ut videre est in *Vindiciis Gallicis c. Martem Gallicum Patritii Armacani cap.* 29. & in *Ieremiæ Ferrierii Catholique d'estat*: ubi telum hoc ab Hispanicis & Austriacis in Gallos emissum, in eosdem, omnesque Gallos ipsis faventes retorquet. Negari tamen non potest quin à tempore Francisci I. Gallicam aulam & inde totum regnum magis ac magis omnis impietas & atheismus inundârint. Quod nõ dissimulat *Gentiletus* in suo *Antimachiavello p.* 232. 233. 235. 286. Et *Thuanus ad ann.* 1572. ubi in causas lanienæ Parisiensis inquirit, deque tam inmani perfidiâ judicium fert. *Ant. Sirmundus præf. libri de Immortalitate animæ* innuit, non paucos esse hodie in Galliâ, qui eam negent

gent. *Carolus Paschalius in tract. de virtut. & vitiis cap.* 15. de multitudine sectæ atheorum conqueritur. *Iulius Cæsar Scaliger*, qui in Galliâ vixit ac scripsit, testatur se infinitum pœne atheorum numerum noviſſe. Formalia ejus verba citat & laudat *Clapmarius lib.* 5. *de arcanis Rerumpubl. cap.* 4. ubi ait atheismum esse in fidei negotiis velificari, & sacra diripere. Quam frequens fuerit velificatio, & consequenter atheismus (hâc notione acceptus) in Galliâ, Angliâ, Germania, Belgio (& ubi non?) à tempore reformationis, nimis notum est. De direptione sacrorum tum violenta in bello, tum fraudulenta in pace, infinitæ sunt quærelæ: quarum autores alibi indicamus. Quod si sacrilegia & abusus bonorum ecclesiasticorum nomine atheismi veniant (uti vult *Clapmarius* aliique auctores supra parte 1. citati,) jam colligi potest, quotuplices atheismi hac tempestate regnent. Vt ad Galliam revertar, non immerito ex debitis indiciis & verisimilibus suspecti possunt esse inde adventantes & ad libertatem Batavicâ cõfugientes etiã politici & literati, quamvis deitatem profitentes & probare satagentes. Hanc prudentiam justorum secundum monitum Apostoli *Ephes.* 5. 15. docere nos deberet experientia, & vel unus ille tract. *Mersenni* cui Titulus: *Quæstions rares & curieuses, theologiques, naturelles, morales, politiques, & de controverse, resolues par raisons tirées de la philosophie, & de la theologie &c. A Paris chez Pierre Billaine* 1630. Vbi *p.* 112. & 146. ejusdem libri indicatur author esse Marinus Mersennus. Hic autor in præfatione ad Cardinalem Richelieu conqueritur, quod ante annos aliquot impietas sub nomine Atheismi vomuerit blasphemias contra Deum; quæ etiam flammis in terris hic expiata sit. *Sed quod renata sit in corde Galliæ ex cineribus infelicis illius* (Vaninum intelligit) *alia secta, quæ sub nomine magis specioso exposuit venenum magis contagiosum, quam prius. Complices hujus sectæ fabricarunt nomen Deistarum, ut ita decipiant animas simpliciores & credulas, par l'opinion qu'ils leur donnent du recognoistre un Dieu, & leur dessein est cependant de sapper sourdement les colomnes & les fondemens de la verité catholique.* In ipso libro rhytmos quosdam Deistarum cum prosâ exhibet, quibus rationes abominandæ istius sectæ continentur. Quod si in Galliâ suspectos habent omnes etiam maximè sanos qui ex Belgio, aut Angliâ, aut aliis locis, ubi pestis grassatur, eò adveniunt; non mirum est si animarum curatores suspectos habeant Semi-scepticos aut Semi-Libertinos, aut Libertino-Pontificios inde ad nos adventantes, qui religione & inoffensa coram Deo hominibusque conscientia, se communi suspectorum sorte non eximunt. Confer, quod idem *Mersennus* jam ante monuerat *in commentariis in Genesin* (anno 1623. editis) *pag.* 233. in tantum numerum atheos in Galliâ excrescere, ut periculum sit ne hæresibus Calvinianis & Lutheranis, aliisque id ge-

id genus atheismis succedant. Idem *pag.* 156. sic præmonet contra offucias protestationum ac simulationum Gallorum suorum: *Sic enim passim eos audire potes, cum ajunt se nihil contra conscientiam facere, se lumen rationis in omnibus sequi, se malle mori quam pejerare, quam ullum velle decipere. At revera mentiuntur.* Cum ergo ipsi Galli & quidem Pontificii contra Gallos complures nos ita præmoneant, nimis Batavæ aures nobis essent, si homines ex Italiâ aut Galliâ sub specie & titulo Pontificiæ professionis scepticè & vertiginosè sophisticantes, circa metaphysicam & theologiam naturalem, artiumque principiis & axiomatis funditus eversis, meliora magno hiatu pollicentes sed nihil aut parum præstantes, insuper dubiis de scripturæ absurdis, contradictoriis, insolubilibus homines, quibuscum familiariter agunt, subinde vellicantes, solutionem eorum nunquam aut raro præstantes, suspectos non haberemus, tanquam eos qui ordinem scholarum, artium, & studiorum prudentes aut imprudentes perturbatum eant, atque adeo causam veritatis & pietatis cõtra Scepticos & fanaticos aut ipsi derideant, aut aliis prodendam & deridendam prostituant: juxta illud Thomæ p. 1. qu. 32. art. 1. & qu. 46. art. 2. *Cum quis ad probandam fidem christianam inducit rationes, quæ non sunt cogentes; cedit in irrisionem infidelium. Credunt enim quod hujusmodi rationibus innitamur & propterea credamus.* Et Melanthonis part. 2. consil. p. 202. ubi legem hanc facultati artium & philosophicæ in Acad. Witenbergensi figi curavit: *non concedat proponi materias absurdas, falsas, inanes: sed jubeat veras & profuturas vitæ eligi, quod propter multas causas utile est. Primum enim conducit inseri veras & bonas opiniones teneris mentibus. Deinde ad amorem veritatis assuefieri juventutem, multo melius est Reipubl., quam ad studium defendendi paradoxa, & labefactandi communes & honestas sententias comprobatas veris judiciis sapientum. Et quia paradoxa non veris argumentis, sed tantum sophismatum præstigiis defenduntur, consuetudo sophisticæ postea religionem (N.B.) & gravissimarum rerum deliberationes turbat, immo & privatim in mentibus ciet magnos tumultus, easque tandem Pyrrhoniis dubitationibus de religione & aliis multis rebus implicat. Experientia etiam ostendit pravas esse naturas & seditiosas, quæ amant absurdas & monstrosas opiniones, & artium conturbationes.* Ne ergo ab ingeniis Libertinicis & novaturientibus præsertim ex tã suspectis & infestis locis Italia scil. aut Galliâ ad loca tã suspecta & infesta, quale Belgium nostrum, tãquã cõmune Libertinorum receptaculũ cõvolãtibus, ecclesiis & scholis periculi quid creetur, providendum est illis, qui sciunt se Deo aliquando rationem reddituros. Nec timendum erit ne nimium hic soliciti & diligentes simus. Vide *Gal.* 4. 11. 2 *Cor.* 11. 3. Quãtã autẽ suspicionis materiã Belgicũ seu Batavicum cœlum suppeditare debeat, mox dicemus. Nec prætereũdum inter Gallos ad propagationẽ atheismi plurimum confer-

conferre pruritum & licentiam rara, inaudita, nova, seu innovata quævis defendendi, ad meram ingenii & acutulæ eloquentiæ aut vanæloquentiæ ostentationem. Inter complures vernaculo suo idiomate hanc palmam affectantes, occurrit *Gaffarellus* & quidem sacerdos, cujus *curiositates inauditæ*, Sorbonæ Parisiensis censurâ notatæ sunt. Is tamen ut Libertinicam insolentiam suam scandaloso hoc scriptionis genere cõmissam defendat, adducit exempla Clericorum complurium in Papatu, qui libros cõtra aut præter religionem & pietatem ediderint: quales *Albertus Magnus*, *Abbas Trithemius*, *Rogerus Bacon*, *Ioh. de Rupescissa*, *Petrus de Aliaco*, *Iunctinus sacerdos & theologus Florentinus*, *Aurelius Augurellus*, *Pantheus*, *Marsilius Ficinus*, *Bernardus Mirandulanus*, *Thomas Cajetanus*, *Iohannes Ingegnerus*, *Abbas Ioachimus*, *Cardinalis Bembus*, *Æneas Sylvius*, *Poggius Florentinus*, *Theophilus Folengius* sub nomine *Merlini Coccai*. De Atheismo in *Polonia* & edito Atheo libello *Cracoviæ* an. 1588. tit. *Simonis religio incerto autore*; ut & in *Lithuania*, *Scotia*, *Anglia*, quod refert ex *And. Philopatro*, *Dureo*, *VVigando*, *ibid. Mersennus*, *Henricus Fitz in Britannomach*, *lib.* 1. *cap.* 12. *lib.* 2. *c.* 8. Id cum grano salis accipiendum. Nolumus alioquin negare, Respubl. reformatas huic pesti etiam esse obnoxias. *Autor notationum in historiam Thuani* sub nomine *Ioh. Baptistæ Galli IC.* Ingolstadii 1614. *cap.* 11. refert una cum mutatione ab Henrico VIII. introductâ *Atheismis Briandi* (*quem Henricus per jocum, suum apud inferos, vicarium vocabat*) *insulam miserrime fuisse deformatam.* Quis fuerit ille Briandus, & quid de eo sit, non vacat nunc inquirere. Huc referenda quæ *Henricus Fitz* de atheismis in Angliâ ex theologis reformatis istius gentis refert ut ex *VVithgifto in defens. pag.* 31. *&* 278. *Eduino Sandis in Relatione pag.* 45. edit. angl. *Kingo in lectionibus super Ionam sect.* 32. *p.* 442. Item *Parkes*, *Barlou*, *Iethia*, ibid. citatis. Longè plura ex editis concionibus & libellis practicis & commentariis (ut *VVilleti in Judæ v.* 10. *&* 18.) enotari possent. Non frustra à theologis reformatis scripti sunt ibidem vulgari idiomate tractatus contra Atheos; quorum aliquos supra recensuimus. Nec est de nihilo, quod comes Essexius supplicium subiturus protestaretur se nunquam atheum fuisse, aut Papistam: uti habet *Petrus Mattheus* histor. Gallus, & *Cambdenus part.* 4. *historiæ* ad annum 1601. p. 804. Quid quod Ioh. Casus philosophus Oxonienses in prolegomenis ad physicam p. 14. 15. 16. gravissimè contestatur & prænonet philosophię studiosos contra atheismos tunc grassantes, subjiciens hæc verba; *Vereor*, inquit, *ne nimis longus & prolixus sim. Sed facile dabis mihi veniam* (*studiose lector*) *si decrepitam ætatem, vel potius delirium hujus mundi consideres, in quo hoc opus scripsi. Horrendum est dictu quidem* (*& tamen dicendum*) *multi sunt hodie incredibiliter stulti, qui audeant: cæ-*

tera quis neſcit? totus horreo verba repetere, qui (inquam) audeant dicere (O tempora!) non eſſe Deum. Iſtos ſi oraculis divinæ philoſophiæ urgeas, fanatico quodam ſpiritu & furore perciti, hæc ipſa negant, & certè non mirum, cum ipſum Deum eorum authorem negent. Si non vidiſſem, ſi non audiſſem hæc monſtra, (Hacketum blaſphemum illum Atheum, alioſque ab inferis furenter excitatos ſcorpiones & locuſtas intelligo) certè tam multus, vehemens & copioſus in hac causâ non fuiſſem. Sed quoniam vidi non ſolùm iſtos, ſed iſtorum aliorumque furias, ſatyraſque volantes in Deum, in Dei verbum, in fidem, in eccleſiam & Academias, optimarum literarum aſyla; operæ pretium eſſe putavi, bellum illis palam indicere, & rationis telis illorum inſaniam, furorem, blaſphemiam pro viribus configere, Deumque in primis docere, ſine cujus cognitione totum humanarum artium & ſcientiarum ædificium ruit. Philoſophia enim non eſt philoſophia, ſi Deum non ſapiat. Quod *ad Germaniam*, nominatim partes illas, ubi Proteſtantica religio obtinent, quamplurimis atheis refertas eſſe haut obſcurè innuunt *Honſdorfius & Lonicerus in Theatro tit. de Atheis & Epicureis. Lutherus tom. 1. meditat. conſolat. conſiliorum* &c. edit. Francofurtenſis in 8. anno 1571. per Henr. Petrum Rebēſtock ubi *p. 96.97.* graviſſimè cōqueritur de multiplici epicureiſmo, cui homines euangelium profitentes paſſim immerſi erant. *Brentius homil. 35. in Luc. 20. p. 433.* dicit eſſe inter Chriſtianos innumeros ſectatores & ſucceſſores Saduceorum. Citantur etiam à *Lindano in dubitantio dial. 2.* nonnulla ex *Andrea Muſculo, & Ioh. Spangenberger*: ſed illa pertinent ad atheiſmum practicum, & corruptos mores; de quibus in concionibus in Germania editis graviſſimæ querelæ quamplurimæ obſervari poſſent. Supra *part. 1.* notavimus quid ex concionibus *Sculteti in Ieſaiam.* Nec eſt de nihilo, quod *Clapmarius lib. 5. de arcanis cap. 4.* conſiderationem illam de atheiſmo inſeruerit. *Beſoldum* virum doctiſsimum quid à Proteſtanticâ religione ad Papiſmum abduxerit, ego nō dicam quia particularitates illas non novi. Liberè fateor me ſuſpicatum ſubinde, virum illum à devotionis & pietatis ſtudio non alienum, (ut ſcripta ejus teſtantur) ſcandalizatum fuiſſe moribus Epicureis multorum, qui Proteſtantes audire volunt. Speculativi & practici atheiſmi in Germaniâ Proteſtantica non parum vidētur promoveri per ſcepticiſmos & libertiniſmos dictorum Hermeticorum, Paracelſiſtarum, fratrum Roſeæ crucis, Weigelianorum, & ſimilium. De quibus vide *Sennertum in tract. de chymicorum cum Galenicis & Ariſtotelicis conſ. & diſſ. cap. 4. & 5.* & *Libavii refutationem Famæ & confeſſionis fraternitatis R.C.; Nicol. Hunnium, Stechmannum, Beeckmannum*, alioſque antagoniſtas Weigelii alibi indicatos. De *Dania* forte intelligenda verba *Hemmingii in tract. de lege naturæ*, ubi dicit hodie multos eſſe atheos. Sed de *Dania, Norvvegia, Holſatia, Suetia, Livonia* non eſt nunc otium aut animus

nimus in concionibus ibi editis inquirendi. *Belgium* noſtrum, verè Libertinorum omniumq; fanaticorum monſtrorum Africam, his peſtibus quam maximè fuiſſe & etiamnum eſſe obnoxium, negari non poteſt: *Franc. Iunius* ſcribēs in Batavia ajebat multos certatim ruere in ἀθεότητα *lib. de Theol. c.* 17. Nec fruſtra tam operosè cōtra Atheos deitatem aſſeruit *Iohānes Taffinus* in celebri tract. *de Emēdatione vitæ*, gall. & belg. De Enthuſiaſtarum & Libertinorum atheiſmis vide quæ Nobil. Montis *Sanct-Aldegondii dominus Phil. Marnixus*, Illuſtr. Belgii Fœderati Ordines monuit *in tract. c. Enthuſiaſtas*, & in *epiſt. dedicator.*, quam poſtea peculiari *apologiâ* gallicè editâ c. anonymum quendam defendit. *De Henric-Nicolaitis*, aliiſque Enthuſiaſtis abominanda quædam indicamus in *diſp. de Meditatione*, *in fine*. Vſque in hodiernum diem multi ex Belgis, præſertim Batavis, novitatis nimis avidi Libertiniſmo nimis patienter & ſtolidè admirantur, fanaticos quoſque hic ortos & emergentes, aut aliundè ob libertatem ſeu licentiam ſectarum huc confluentes Libertinos, neutrales, atheos benignè ferunt, cumque iis familiariter converſantur, eos pro ſolitâ imprimis in exteros & peregrinos humanitate in deliciis habent. Oblectantur enim aut morum civilitate; aut urbanitate & dexteritate in ſalibus & jocis; aut promptitudine aut ſaltem oſtentatione alicujus ingenii; aut aliquâ eorum ſive eloquentiâ ſive loquentia; aut facultate poëtica; aut aliqua arte & thaumaturgiis atque inventis mathematicis & mechanicis; aut aliqua ſolius arithmeticæ & geometriæ practicæ, exercitatione. Hæc aliaque ſolidæ ſapientiæ & pietati, quæ delicatulis & verſatilibus hominibus nimis moroſa & moleſta, vulgò præferuntur. Hic pietatis honos. Hinc fertilis atheorum, libertinorum, Lucianorum, neutralium apud nos proventus, furor, inſolentia. *Lipſius epiſt. cit.* dicit ſe plurimos noviſſe qui Deum negarent; & ibidem illi res erat cum Berchemii amico, viro literato: ſed hic hærebat in Belgio Papiſtico. In Hollandia nuper fuit indoctus & ἰδιωτικὸς quis *Torrentius*, opificio & arte pictor: is quod à penicillo exſpectare non poterat, à garrulitate ſua quæſivit, qua incautas & voluptuarias mulierculas, alioſque inſanos quoſdam homines, in profeſſionem Epicuream (ad quam propendebant) traheret atque una argento emungeret, ita ut nonnulli foro ceſſerint. Summa Atheiſmi ejus videbatur eſſe: Infernum eſſe hic miſerè vivere; cœlum vero hic benè vivere, & bonarum rerum eſſe. Senatus Harlemenſis conquiſitis teſtimoniis ex conſilio ſeptem præſtantiſſ. ICC. quæſtionem de illo habuit: ſed cum non confiteretur, viginti annorum incarceratione fuit multatus. Inde paucis annis poſt demiſſus, in Anglia ad tempus aliquod publico ſtipendio honoratus vixit; unde bello civili exorto, ſtipendio deſtitutus, in Hollandiam cum

rediiſſet

rediisset anno 1644. Amsteldami obiit & sepultus est. De causa & gestis ejus, in archivis & scriniis urbis Harlemensis (si cui hæc tanti sint) plura conquiri possunt. Fuit & alius quidam idiota Alcmarianus nomine *Nachtegaelius*, qui anno 1614. aut 1615. (si bene memini) ob atheas blasphemias de tribus impostoribus Hagæ-Comitis effutitas ab ordinariis deputatis Ordd. Hollandiæ in exilium pulsus est. Plura ejusmodi monstra recenseri possent si historia scribenda esset & non potius æternis tenebris sepelienda illa nomina, quæ publicâ judicum sententia, aut propriis scriptis, orbi non innotuerunt. Saltem constat, Bataviam nostram tanquam hæreseon, Libertinismorum, & atheismorum sentinam ubivis fuisse habitam; ac propterea hæreticos ac fanaticos alibi dilapsos aut extrusos, prætensa loci libertate seu licentia illectos, hic sibi asylum quæsivisse. Notum quomodo Anabaptistæ & Enthusiastæ olim hic nidulati sint; & post eos idem tentarint Novi Arriani & Sociniani. Quorum stratagema anno 1586. hic Vltrajecti refert deligentissimus Belgarum historicus *Petrus Bor Vltrajectinus*. Et alterum anno 1598. ipsi detegunt, scil. *Ostorodus & Voidovius in apologia c. decretum Ordinum Belgii*; quorum etiam meminimus *in disp. de Necess. & util. doctrinæ de Trinitate*. Tertium ante quinquenium conceptum, quod in spongiam incubuit, detegunt notulæ nostræ ad epistolam ministri Sociniani nomine Sartorii belgicè una cum *catechesatione catech. Remonstr.* editam. Invenio *in epistolis Socini*, *epistol. 3. ad Radecium*, fuisse in belgio *Concilium peregrinantium Christianorum*: quod revera colluvies fuit monstrosorum hæreticorum, Libertinorum, & fanaticorum. Habuit ibi Socinus emissarium & proxenetam suum *Cornelium Daems Antwerpianum* Goudæ in Hollãdia habitántem: cujus meminit *in epistolis p. 97. 105. 348. 349. Fr. Puccius Fidelinus* (quem depingit *Socinus in epistolis epistol. ad Radecium*) ad tempus in Batavia substitit, & mostrosum illum fœtum de *natura & gratia Goudæ* excudendum dedit. *De Davide Georgio, Huberto Medico*. Nigro vulgò dicto, olim á Dordracenis ejecto, qui Goudæ vixit & obiit, deque aliis istius generis fanaticis aliisq; compluribus Belgium nostrum dehonestantibus nunc non vacat cõmentari, ut semel finem faciam. Et pertinet hoc ad historiam Enthusiastarum & Libertinorum. Quod si latè accipiatur vox *athei*, pro eo, qui nullam religionem externè in communione ecclesiæ alicujus visibilis in Christianismo profitetur, utique nullibi talium majorem numerum invenies quam in nostro Belgio: qui vulgò apud nos Libertini, aut Semi-Libertini aut neutrales vocãtur. Laxam illam significationem puto respexisse *Joh. Maccovium part. 4. loc. comm. disp. 15.* ubi ait per sacramenta tanquam tesseram & publicam professionem discerni *fideles à profanis & atheis*. Quod

si per

si per atheos intelligas Politico-Machiavellistas & corruptos aulicos, homines mundanos, ambitionis mancipia; tales certè in Belgio non pauci; inter quos non postremi, qui, peregrinationibus Gallicis & Italicis abusi, quasi ad fastigium artis atheisticæ contenderunt, & ex illis scholis tanquam ex equo Trojano ad pietatem, simplicitatem, fidem prædecessorum suorum apertè aut per cuniculos subruendam prodiisse videntur. Atheos si quæras secundum acceptionem *Clapmarii supra cit.*, qui scil. in negotio religionis velificantur; & tales fert terra Belgica. Nunquam melius hoc apparuit, quam ab exordio factionis Remonstranticæ anno 1611. & deinceps usque ad annum 1619; & post instaurato jam ordine & pace ecclesiis restituta. Denique atheismos & atheos practicos vitæ & morum corruptelis chrīstianismum prostituentes si intelligas, quamplurimos deprehendas apud nos hodie necesse est, quibus obtigit sæculum & regio religionum ferax pietatis sterilis. Et huc procul dubio respiciunt frequentes concionatorum querelæ & exclamationes. Quod atheorum & Libertinorum tanta frequentia. *Quemadmodum* enim *bona opera profitentur Deum; ita mala quodammodo loquuntur: Non est Deus, nec est scientia in excelso*: sunt verba *Cypriani de dupl. martyr. Profitentur se Deum nosse, sed factis eum abnegant. Tit.* 1. 16. Et huc applicanda verba Bernardi serm. 33. in Cantica. *Væ generationi huic à fermento phariseorum quod est hypocrisis: si tamen hypocrisis dici debet: quæ jam latere præ abundantia non valet: & præ impudentia non quærit. Serpit hodie putida tabes per omne corpus ecclesiæ: & quo latius, eo desperatius: eoque periculosius quo interius. Nam si insurgeret apertus inimicus hæreticus: mitteretur foras & aresceret: si violentus inimicus, absconderet se forsitan ab eo. Nunc vero quem ejiciet: aut à quo abscondet se? Omnes amici omnes inimici: omnes necessarii & omnes adversarii: omnes domestici: & nulli pacifici: omnes proximi: & omnes quæ sua sunt quærunt. Ministri Christi sunt: & serviunt Antichristo. Honorati incedunt de bonis domini, qui domino honorem non deferunt. Inde is quem quotidie vides meretricius nitor: histrionicus habitus: regius apparatus: inde aurum in frenis: in sellis & calcaribus: & plus calcaria quam altaria fulgent. Inde splendidæ mensæ & cibis & sciphis: inde commessationes & ebrietates: inde cythara & lyra & tibia: inde redundantia torcularia & promptuaria plena eructantia ex hoc in illud. Inde dolia pigmentaria: inde referta marsupia pro hujusmodi volunt esse & sunt ecclesiarum præpositi, decani, archidiaconi, episcopi, archiepiscopi. Nec enim hoc merito incedunt: sed negocio illi quod perambulat in tenebris. Olim prædictum est: & nunc tempus impletionis advenit. Ecce in pace amaritudo mea amarissima. Amara prius in nece martyrum: amarior post in conflictu hereticorum: amarissima nunc in moribus domesticorum. Non fugare non fugere eos potest ita invaluerunt: multiplicati sunt super numerum. Intestina & insanibilis est plaga ecclesiæ: & ideo in*

pace amaritudo ejus amariſſima. Sed in qua pace? Et pax eſt, & non eſt pax. Pax à paganis: & pax ab hereticis: ſed non profecto à filiis. Vox plangentis in tempore iſto. Filios enutrivi & exaltavi: ipſi autem ſpreverunt. Spreverunt & maculaverunt me à turpi vita: à turpi quæſtu: a turpi commercio: à negocio denique perambulante in tenebris. Superest ut jam de medio fiat dæmonium meridianum ad ſeducendos ſi qui in Chriſto reſidui ſunt; adhuc permanentes in ſimplicitate ſua. Imprimis etiam attendendum ad illos, qui Pontificiam religionem non profitentur, interim hierophantis eorum ſatis familiares ſunt, ſi non eorum proxenetas ſe præbeant; nec à Ieſuitis, quippe ingeniis Machiavellico-politicis, ita abhorrent; cum pſeudo-clericis eorum edunt, bibunt, ludunt, & quam ſuaviſſimè delitiantur; atque ita ſub illis magiſtris quotidie in deterius proficiunt. Ieſuitarum coryphęos prętextu religionis ἀθεΐζειν, & pietatem quæſtui habere, jampridem à noſtris oſtenſum eſt: quin & de iiſdem hoc affirmant ipſi Pōtificii nominatim, *VVatſonus*, apud *Robertum Abotum* 3. *part. defenſ. cathol. reform. Perkinſi ad præfat. p.* 6. Conferantur *Concla-ve Ignatii*, *Ars Ieſuitica*, *Catechiſmus Ieſuiticus*, *Myſteria patrum Ieſuitarum*, *Ludovici Lucii hiſtor. Ieſuitica*, *Nupera ſcripta Sorboniſtarum*, aliaque alibi citanda. Autor libelli anglici editi 1643. tit. *Myſterium Iniquitatis p.* 2. ait ædificandæ illic Babelis Ieſuitas fuiſſe architectos; qui ſocios & auxiliatores ſibi aſciverint quoſdam atheos politicos. O utinam diſcamus & ſapiamus!

DE UNICA ET SIMPLICISSIMA DEI ESSENTIA.

Reſp. IOHANNE ALMELOVEEN, Vltrajectino,

Ad diem 10. *Iunii* 1637.

Quandoquidem de Deo etiam vera dicere periculoſum, omni cum reverentiâ, & ἀκειβείᾳ ſalutaris ejus cognitio per certa attributa nobis inveſtiganda. Dividuntur ea vulgo in primi & ſecundi generis. Illa ſunt unitas, infinitas, immutabilitas. *Iſta*, intellectus, voluntas, potentia: *ad quæ omnia alia reduci poſſunt. Inter attributa primi generis primum eſt* unitas, *quo tres illos conceptus ſeu notiones comprehendimus* ſingularitatem, primitatem *ſeu* independentiam, *&* ſimplicitatem, *ſub quâ continetur* ſpiritualitas *ſeu* incorporeitas, *quippe ſpecies ſimplicitatis. Notione* ſingularitatis *ſeu unitatis ſingularis excludimus* πολυθεότητα, *quæ primo & directè unitati Dei opponitur. Notione* primitatis *&* ſimplicitatis *excludimus omnem dependentiam, poſterioritatem, minoritatem, compoſitionem, multiplicitatem ac diviſionem, quæ indirectè unitatem ſubvertit, & conſequenter* πολυθεότητα *quandam implicat. Nos in præſentiarum tantum de ſimplicitate ex lumine & libro tum naturæ tum ſcripturæ acturi,* I. præcognitis quibuſdam præmiſſis II. Theſin principalem probabimus III. Antitheſin una cum rationibus adverſariorum refutabimus. IV. Poriſmata & uſus quoſdam annotabimus.

Ad

AD faciliorem hujus rei explicationem præcognoſcenda ſunt iſta. *Primò*; Simplicitas in genere eſt modus, quo ens per ſe unum eſſe intelligitur, & opponitur compoſitioni aut multitudini, aut utrique, prout vox preſsè vel latè accipitur. Videantur de Simplicitate & compoſitione Scholaſtici ac Metaphyſici. Compendium ſi quærant ſtudioſi, adeant ex recentioribus *Combachium Metaphyſ. c. 5. & 23.* aut *Lexicon Philoſophicũ Goclenii*, aut *Diſtinctiones Caſtanei*. Nos ſtrictè intelligimus hic ſimplicitatem non tantum comparativè, qualis eſt in angelis & animabus ſeparatis, nec tantum ſimpliciter ſimplicem, qualis etiam materię primæ, formæ, differentiæ ultimæ & ultimatè abſtractis convenit; ſed eam, quam vocant, abſolutè & ſummè ſimplicem, per quam fit ut *res nec in ſe ſit compoſita, nec aliquid ipſi componibile, nec ipſa alicui componibilis. Secundò*; In hac ergo diſputatione non tantum quæritur an Deus ſit liber ab omni compoſitione propriè dicta ubi extrema ſunt realiter diſtincta, ſed etiam ab impropriè dicta qualis eſt ex Eſſentiâ & eſſe, ex naturâ & ſuppoſito ſeu ex eſſentiâ & ſubſiſtentia, ex genere & differentiâ, atque adeo an liber ſit ab omni multiplicitate, diſtinctione ſeu diviſione, prioritate & poſteritate in eſſentiâ ſua; nam diſtinctionis & multitudinis tranſcendentalis perſonarum atque adeo modorum & relationum longè alia eſt ratio, ut infra videbitur, *theſi 5*. *Tertiò*; Vox ſimplicitatis quamvis videatur poſitiva, revera tamen eſt negativa, quia formaliter enuntiat in Deo non eſſe compoſitionem aut multiplicitatem. Nihilominus materiale ejus ſignificatum eſt perfectio poſitiva, per quam Deo convenit talis negatio; quomodo per τὸ *incorporeum* materialiter ſignificatur ratio *Spiritus*. Pari modo ſe habet in omnibus Dei attributis negativis. Quod autem nos negativè illa attributa concipimus & proferimus, hoc provenit ex ordine ad creaturas, quia ſignificantur nominibus creaturarum per viam negationis, & in ordine ad illas concipiuntur. *Quartò*; ejuſdem generis & momenti cum ſimplicitate ſunt attributa incommunicabilitatis, infinitatis, immutabilitatis, incomprehenſibilitatis, incorporeitatis, inviſibilitatis; immo ex ea fluunt, aut quocunque alio neceſſario nexu cum ea ἀχωρίστως cohærent; ita ut hac ſublata omnia illa tolli aut labefactari neceſſe ſit. 1.

Simplicitatem, quam diximus, Deo competere, probamus iſtis rationibus; quorum, *Prima* eſt, *Ieſ. 44. 6. & Apocal. 1. 8. & 21. 6. & 22. 13. Rom. 11. 35. 36.* unde colligimus primitatem & independentiam Dei tam in eſſendo quam operando; independentiam dico à ſubjecto, à cauſis tam internis quam externis, à principio quocumque priori aut ſuperiori; Eſt enim, ut 2.

nim, ut *Iustinus Martyr*, οὐσία, ἄναρχος καὶ ἀναίτιος, & ut divinè canit. Iul. Cæsar Scaliger Exercit. 365. sect. 10.

Sine principio principium; absque fine finis,
Cui præteritum non abit, haut subit futurum.
Ante omnia, post omnia, totus, unus. Ipse.

Atqui si Deus ex partibus, aut accidentibus, aut modis compositus esset, jam non esset simpliciter primus; quia partes sunt priores composito, & principia (unde modi aut accidentia dependerent) sunt priora principiatis, ut notum ex Philosophiâ. *Secunda*, Ex omnimoda & infinita Dei perfectione, qua est actus purus sine ullius potentiæ admixtione. Si enim esset potentia in Deo, esset quid imperfectum seu perfectibile, cujus actus esset perfectivum, per quem accederet illi ulterior aliqua perfectio. Majoris consequentia probatur, quia omnis compositio ut & compositum est ex actu & potentia: nam genus, materia, pars integrata, essentia, natura, subjectum habent rationem potentiæ; contra differentia, forma, pars integrans, existentia, suppositum, accidens, habent rationem actus. Minor probatur. *Tum* quia repugnat absolutæ Dei perfectioni, ut in ipso sit aliquid perfectibile; *tum* quia partes seu principia, unde componeretur, essent imperfectiora composito, & sic ex iis nihil posset fieri aut componi, quod absoluta & infinita perfectione præditum esset; *tum* denique quia in Deo esset potentia passiva, radix mutabilitatis, possetque Deus in partes aut Principia componentia resolvi, & corrumpi contra *Psal.* 102. 28. *Iacob.* 1. 17. *Numer.* 23. 23. 1 *Timoth.* 1. *v.* 17, *Rom.* 1. *v.* 23. Vnde constat Deum tantum esse quod est, nec posse non esse, & aliud esse. Hinc rectè Damascenus Orthod. fidei lib. 1. c. 4. σύνθεσις δὲ ἀρχὴ μάχης, μάχη δὲ διασάσεως. Διασάσις δὲ λύσεως, λύσις δὲ ἀλλότριον θεοῦ παντελῶς. *compositio enim pugnæ principium: pugna vero separationis: separatio autem solutionis. Atqui solutio alienum quid penitus à Deo est. Tertia*, Quia Deus est absolutissimè & perfectissimè unus ac idem *Deuter.* 6. 4. *Psal.* 102. 28. nihilque in ipsius essentia realiter diversum. Atqui ubi nulla distinctio, ibi nulla per extremorum distinctorum unionem compositio. Probatur autem omnia, quæ sunt in Deo, esse Deum, esse unum, idemque ac ipsum 1. ex nomine *Iehova*, יהוה אשר אהיה Gr. ὁ ὤν *Exod.* 3. 14, 15. cum *Apocal.* 1. 8. ὁ ὤν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος. 2. Ex eo, quod propriè, synonymica & directa prædicatione ea, quæ se videntur habere ad modum accidentium aut adjunctorum, de ipso prædicentur, ut e. gr. lux *Ioh.* 1. 9. cum 1 *Ioh.* 1. 5. caritas 1 *Ioh.* 4. 8. 16. Qui ergo est quod est, & cujus, quidquid est in ipso, est ipse, is nullas habet partes, accidentia, modos, aut principia quæ aliud sint

ab ipso.

ab ipso. 3. Quia attributa, quæ nos tanquam diversa concipimus, de se invicem prædicantur essentialiter, quippe quæ essentialiter sint unum idemque inter se, ut infra explicabimus. 4. Attributa illa ex. gr. potentia, sapientia si non sunt Deus, sunt aut infinita & summè perfecta, aut non sunt. Si illud, jam erit præter unum Deum aliquod infinitum & summè perfectum, atque adeo erunt duo infinita, hoc est duo æquales Dii: sin istud, jam Deus propriam essentiam & perfectionem suam infinitam adæquatè non cognoscet, sed tantum aliquatenus & pro modulo, quia non est proportio inter potentiam cognoscitivam finitam & objectum seu γνωστὸν infinitum. *Quarta*, quia dato in Deo esse extrema tam distincta ut compositionem ingredi possint, tamen non possent inter se uniri & coalescere, nisi per actionem alicujus causæ efficientis. Atqui ubi & quæ est illa causa prior & superior Deo, quæ Dei substantiam componeret? *Quinta*, probatur ex enumeratione seu remotione omnium specierum compositionis. Compositio omnis in genere, est ex actu & potentia quia in ea altera pars ex componentibus est in potentia ad aliam, & ambę in potentia ad esse totius, quod participant; at in Deo omnia ex se esse in ultima actualitate, nec esse potentiam aliquam passivam aut perfectibilem jam supra dictum est. In specie compositionem ex partibus essentialibus aut integrantibus, hoc est corporeitatem & quidem corporis humani (quod volebant Anthromorphitæ) non cadere in Deum discimus ex *Iohan* 4. 24. *Rom.* 1. 20. 1 *Timoth.* 1. 17. *Iesa.* 40. 18. Hoc fundamento præmisso, varia argumenta proferri possunt, partim ex natura & proprietatibus corporis partim ex naturâ Dei; quæ vide apud *Damascenum Orthod. fidei lib.* 1. *c.* 4. *Thomam lib.* 1. *c. Gentes cap.* 19. 20. 21. Scholasticos *in dist.* 8. *lib.* 1. & *in partem* 1. *qu.* 3. *art.* 1. *Alphonsum à Castro in verbo Deus, hæres.* 2. *Vasquez disputat Metaphys.* 17. & ex nostris *Zanchium lib.* 2. *de Deo cap.* 2. De compositione ex subjecto & accidente probatur, quia Deus in se infinitè perfectus est continens in se omnes perfectiones possibiles vel formaliter, vel eminenter; ergo non potest ulterius perfici. Atqui esset in Deo potentia passiva & defectus, ipseque ulteriorem reciperet perfectionem, si acciperet accidentia realia, quæ sunt perfectiones quædam reales. De compositione ex genere & differentia facillimè probatur, quia Deus non est in prædicamento nec in illum propriè cadit notio generis & differentię: ut ostendunt Logici & Metaphysici pariter ac Theologi-Scholastici. Vide ex recentioribus *Vasquez disput.* 16. & Antagonistas Vorstii, nominatim *Eglisemnium*. Compositio ex essentia & existentia, ex natura & supposito à Deo removetur, quia Deus est actus purissimus, quia summe perfectus, quia primus & independens,

quia est quod est, quia quidquid est per essentiam est & non per participationem, de quo *Zanchius loco cit.* & *Thomas dicta quæst. art.* 3. & 4. *Sexta*, Accedat his argumentis consensus antiquæ Ecclesiæ & patrum, *Augustin. de Trinit. lib.* 6. *c.* 6. & 4. *lib.* 5. *c.* 1. & *lib.* 7. & 8. & 10. *Irenæi lib.* 2. *c.* 16. *Athenagor. in legatione pro Christianis. Tatianus Orat. ad Græcos. Origen. lib.* 1. περὶ ἀρχῶν. *Euseb. præpar. Euangel. lib.* 8. *c.* 2. *Athanas. in decret. Synodi Nicen. Dionysius* dictus *Areopagita de divin. nomin. cap.* 5. *Nazianzen. Orat.* 49. *seu lib. de Fide; & Orat.* 11. *de Theologia. Nysseni Orat.* 1. ad illa verba: *faciamus hominem* &c. *Cyrilli Alexandr. epist. ad Calosyrium* & *l.* 10. *contra Iulianum*, *Cassiani l.* 8. *Instit. c.* 4. *Damasceni loc. cit.* & *cap.* 17. *Æneæ Gazæi in Theophrasto fol.* 91. Authoris de Spiritu & animâ cap. 18. apud *Augustin. tom.* 3. *Gennadii Massil. de eccles. dogmat. c.* 11. Scholasticorum *ad lib.* 1. *dist.* 8. & *ad Thomæ p.* 1. *qu.* 3. per totum; imprimis ad *artic.* 7. Recentiorum omnium in locis communibus & thesibus; præsertim Antagonistarum Socini, Vorstii, & Remonstrantium, inter quos ex Pontificiis *Becanus in tract. contra Vorstium*; ex nostris *Broeckerus, Sladus, Eglisemnius* &c. Adde philosophos & metaphysicos Christianos. Quin & Platonici philosophi, omnesque extranei Gentiles, Iudæi, qui saltem Theistæ audiunt, ad suffragia hic vocari possent pro unicâ & simplici Dei essentiâ. Videantur scriptores theologiæ naturalis; & qui pro Veritate Religionis Christianæ scripserunt. Ex Iudæis illustre testimonium huic veritati præbet *Maymonides More Nebuchin part.* 1. *c.* 51. & 52. ubi etiam adfert argumenta non contemnenda. Cui veritati repugnat commentum illud de Sephirot apud *Menasse ben Israel in libello de Creatione*: de quo notamus quid in *disp. de Creatione part.* 2. Mahumedistæ consentiunt: saltem Philosophi & eruditi, uti videre est in *Politore speculi Achmedi Persæ*, referente *Phil. Guadagnolo apologiæ c. Achmedum tract.* 3. *in præfat.*

3. Veritate jam confirmatâ restat adversariorum sententiam examinemus. Fuerunt inter Ethnicos qui Deum *corpus* dicerent, aut *animam mundi*, aut *mundum universum*, atque adeo aut in se, aut cum alio extra se compositum *Epiphan. hæres.* 5. *Euseb. præpar. Euangel. lib.* 4. *c.* 6. *Damascen. lib. de hæresib.* Inter Christianos *Audiani* (perperam *Prateolo* aliisque recentioribus dicti *Vadiani*) Deo corpus & quidem humanum attribuebant *Epiphan. hæres.* 70. *Augustin. de hæres. c.* 50. *Theodoret. lib.* 4. *hæret. fabul. c.* 13. *Idem histor. lib.* 4. *c.* 19. *Nicephor. lib.* 11. *c.* 14. qui à Græcis postea dicti sunt Antropomorphitæ à *Lactantio lib.* 4. *c.* 30. Anthropiani. Affine quid erroris istius adhæsisse *Tertulliano* non obscurè colligi videtur ex *lib.* 2. *adversus Marcionem c.* 16. *& adversus Praxeam*, & testimonio *Augustin. lib.* 10. *de Genesi c.* 25. 26. quamvis *lib. de hæresibus c.* 84. innuat fuisse magis discrepantiam in voce seu abusum

ſum vocis, quam hæreſin. Sequioribus ſæculis emerſerunt ſubinde qui ſimplicitatem Dei oppugnarunt, quorum errores ilico à Scholaſticis & eccleſiaſticis oppreſſi & condemnati ſunt. Vide condemnationes ſubjectas *Magiſtro ſententiarum, anno* 1226. & 1340. &c. Meminit etiam *Becanus cap.* 1. *qu.* 1. cujuſdam Walteri, qui eſſentiam & attributa Dei realiter diſtinguebat. Noſtra memoria Sociniani hæc monſtra opinionum ab inferis denuo ſuſcitarunt, nullum alium in finem, quàm ut Chriſtianiſmi fundamentum Deum ſcil. unum & trinum convellerent. Hinc in *Catecheſi Racovienſi loco de cognitione Dei cap.* 1. ex claſſe attributorum Dei expungunt, ſpiritualem Dei naturam, ſimplicitatem, infinitatem, inviſibilitatem. Eodem fere tendere videntur *Remonſtrantes in Confeſſione.* Quin & in Apologiâ aſſerunt, *ne jota quidem de ſimplicitate Dei in ſcripturâ eſſe* cap. 2. fol. 41. *deinde totam diſputationem eſſe metaphyſicam*, Ibid. & ſcepticè ſatis totam hanc Chriſtianiſmi doctrinam exagitant ibid. & fol. 42. *Tota penè metaphyſica proluendus eſt animus, antequam intelligas quid ſit compoſitio, tum an & quid ſit compoſitio ex eſſe & eſſentia, ex actu & potentia; an compoſitio hæc ſit vera compoſitio: An ſimplicitati Dei repugnet, ſi volitiones & actiones Dei liberæ ab eſſentia Dei dicantur diſtinctæ; quia inexplicabile videtur, quomodo, ſi diſtinctio nulla ſit, volitio Dei libera eſſe poſſit, imo quomodo volitio deſinere ac ceſſare poſſit, cum eſſentia libera non ſit, ſed ſemper eadem prorſus maneat, nec deſinere unquam poſsit: Item, cum de Deo expreſſe dicatur, quod juſtum quem amat, à juſtitia ſua deficientem odio habeat & averſetur, quomodo amor iſte & odium ſubſequens amorem, reſpectu ejuſdem ſubjecti, ſit ipſa Dei eſſentia, quæ eadem ſemper manet, & quæ ſunt ejus commatis alia. Et quotuſquiſque mortalium quæſtiones iſtas intelligit? habent ibi acutiſsima ingenia, in quo exerceant induſtriam ſuam. Et poſtquam id fecerunt, altercationes eorum aridiores ſunt arena. Crucem diceres eos ſibi ipſis fixiſſe, ex qua ſuſpenſi hæreant. Remonſtrantes itaque earum deciſiones Doctoribus Academicis relinquunt, & iis omnibus, quibus licet in arido iſto pulvere luctari & ſe jugulare. Tertio, Et cur faciant aliter? ut intelligantur neceſſe non eſt, juxta ipſum horum Cenſorum fundamentum, quod in Synopſi ſuæ Theologiæ purioris poſuerunt. Diſput. III. Theſ.* 19. Quicquid Scriptura non continetur, quamvis ſimpliciter ab ea non diſſentiat, non eſt neceſſarium ad ſalutem dogma. Vide, quæſo, reliqua. Nec mirum, cum anno 1611. profanas diſput. *Conr. Vorſtii de Deo*, approbando ſuas feciſſent. Ille enim in *libr. de Deo p.* 207. 209. 210. 214. 219. 221. 246. delineârat Deum corporeum, viſibilem, mutabilem, accidentibus ſubjectum, in quo eſſent res plures, &c. quæ monſtra opinionum exegeſibus, apologiis, aliiſque ſcriptis polemicis adverſus totum Chriſtianiſmum defendere non deſtitit. Videatur *Apologia Regis Magnæ Britanniæ, Egliſemnii Criſis & Hypocriſis, Examen Reſponſi Vorſtiani ad articulos*

articulos ex Angliâ transmissos, scripta Sladi, Ministrorum Leovardiensium, Piscatoris, Sibrandi Lubberti contra Vorstium, & contra Grotium Vorstii patronum, & *Bogermanni ac Sopingii contra* eundem *Grotium*, denique *judicium Synodi Nationalis Dordracenæ anno* 1619. *de Doctrinâ & scriptis Vorstii.* Nuper etiam *Crellius* Socinianus *in supplemento Institutionum Volckelii* simili fere modo Dei essentiam descripsit, citato etiam honoris causâ, & in margine allegato libro *Vorstii de Deo.*

4. Rationes quas ab adversariis jam recensitis unquam adductas scimus, aut alioquin adduci posse quis putaret, breviter sic diluimus. *Prima*, est, ne jota haberi in sacris literis. *Resp.* Si terminis scholarum & hodie usitatis, aut si explicitè per theses & antitheses omnia ibi non decidantur, per consequentiam tamen doctrina hæc inde colligitur, ut *thesi* 2. supra ostensum est. Confer. *Disput. nostram, De ratione humanâ in rebus fidei*; & alteram, de *Articulis & erroribus fundamentalibus. Secunda*, tota doctrina est philosophica, scholastica, metaphysica, Ergo nihil ad fidem & pietatem Christianorum. *Resp. Negamus* materialiter & in se esse philosophicam, quamvis formaliter dici posset talis, quatenus terminis philosophicis & scholastice proponitur, & ab adversariorum strophis pseudo-philosophicis vindicatur. Idem posset objici doctrinæ de omnibus attributis Dei, etiam iis quæ Sociniani & Remonstrantes ipsi proponunt, item de Trinitate, Christi persona & naturis contra Eutychen & Nestorium, immo de totâ fere Theologiâ. *Tertia*, Tota doctrina hæc incerta & inexplicabilis est, ergo præstat hic si non Vorstianos aut Socinianos, saltem Scepticos agere. Antecedens probatur, quia Metaphysicis non convenit in expositione terminorum simplicitatis & compositionis. *Resp.* Non est hoc κριτήριον veritatis, ut omnes authores eam æque intelligant. Quidquid in explicatione terminorum & controversiæ hujus varient sive Metaphysici, sive Scholastici Thomistæ & Scotistæ, omnes tamen hoc certatim agunt ut omnem compositionem à Deo removeant. Vide modo *Rhadam controversiarum inter Thomam & Scotum part.* 1. *controvers.* 4. *Quarta*, In scripturis Deo membra, partes, affectus adscribuntur, ergo est in ipso aliud & aliud. *Resp.* ἀνθρωποπαθῶς hæc dicuntur, quæ θεοπρεπῶς intelligenda. Si quis enim metaphorica illa proprie velit intelligi, jam eâdem methodo probatum esset Deum esse lapidem, leonem, habere alas, esse quid (absit blasphemia) ex variis animantibus conflatum. Vocatur enim ignis, rupes, leo &c. & membra non tantum hominis sed & aliorum animantium illi tribuuntur. Dicitur præterea dormire, oblivisci, procul esse, dolere, pœnitere; irasci &c. Sed metaphorice has phrases explicandas docent *Augustinus de vera & falsâ religione cap.* 50, & *epist.* 112. & *in libr. de*

Essentiâ

Essentia divinitatis, *Novatianus* sub nomine *Tertulliani de Trinitate cap. 6. & 7. Hieronymus epistol. 15. Isidor. lib. 3. Etymolog. Gregorius lib. 14. Moralium cap. 22. Damascen. lib. 1. de Orthod. fide cap. 14. Quinta*, Quia in Deo sunt plurima attributa realiter ab ipso & inter se distincta, saltem ita distincta ut non sint ipse Deus, Ergo. *Resp. Neg. antecedens.* Sunt ipse Deus, nec realiter differunt ex. gr. bonitas, justitia, potentia, intellectus, voluntas. Sunt qui concedunt distingui ex natura rei formaliter, ut *Scotus* cum suis, quia quamvis sint eadem res simplex, tamen ex natura rei sunt dictinctæ rationes formales, non enim ratio formalis & definitio unius ex. gr. intellectus aut justitiæ, est definitio & ratio formalis alterius ex. gr. voluntatis aut misericordiæ, quam sententiam subtiliter contra omnes Thomistas defendit ex recentioribus *Rhada* Episcopus Pactensis *loc. cit.* Alii vero ut Thomistæ & recentiores Pontificii plerique (cum quibus puto facere philosophos & Theologos reformatos) verius & accuratius statuunt hic distinctionem rationis ratiocinantis & ratiocinatæ. *Illam* quidem à parte intellectus nostri, tum propter eminentissimam Dei perfectionem quæ non potest unica ratione repræsentari, tum propter finitudinem & angustiam intellectus nostri, qui non potest totam Dei perfectionem unico conceptu adæquatè concipere, sed indiget ad eam concipiendam multis conceptibus inadæquatis, hinc fit ut pluribus conceptibus formalibus realiter distinctis divisim unam eandemque rem concipiat, conceptibus, inquam, analogicè desumptis à rebus creatis, quæ per multas distinctasque qualitates præstant ea, quæ essentia divina per se. *Hanc* verò à parte rei, quia varii sunt conceptus objectivi non realiter, actu, in se; sed virtualiter seu eminenter in effectibus, egressibus & terminationibus distincti. Hanc distinctionem propriè vocant rationis ratiocinatæ, virtualem aut eminentem; seu (ut terminis Scotisticis eam aptemus) ex natura rei formalem non actu sed virtute aut eminenter. Ita ut hujus posterioris distinctionis aliquod sit fundamentum à parte rei, non quidem in ipso Deo, sed in effectibus Dei. Quamvis enim una & simplex sit essentia & perfectio divina, non tamen operatur secundum adæquatam suam rationem. Vnde dicimus Deum punire malos secundum rationem justitiæ, salvare suos secundum rationem misericordiæ, producere bucephalum ad ideam equi, non hominis; Alexandrum vero ad ideam hominis non equi. Actu quidem attributa justitiæ & misericordiæ, ut etiam ideę hominis & equi in ipso Deo non multiplicantur aut distinguuntur; sed distinguuntur solummodo virtualiter in ipsis effectibus, seu in terminatione ad opus aut effectum talem & talem. Distinctionis

hujus naturam ex vulgaribus authoribus Metaphyſicis,& Logicis, ſuis diſcant juniores, & rei præſenti applicent. Exempla duo plerumque ſolent produci, animæ & luminis ſolaris. Anima realiter una in homine, virtute ſeu eminenter triplex eſt vegetativa, ſenſitiva, rationalis; quia una illa forma præſtat in homine, quòd vegetativa in plantis, ſenſitiva in brutis. Lumen ſolis unicum cum ſit, virtute tamen ſeu quod ad effectus ſuos, continet in ſe vim exſiccativam & calefactivam. Sed cum illuminat, aut calefacit, aut exſiccat non operatur ſecundum omnem ſuam rationem. Illuminandi enim actione, quâ tali, non exſiccat aut calefacit quamvis à vi luminativâ non ſit ſeparata vis exſiccativa aut calefactiva, ſed habent ſe ad illuminationem per accidens; quia lumen non operatur ſecundum omnem ſuam rationem, ſed tantummodo ſecundum rationem illuminandi. *Inſtantia* 1. Si perſonæ & relationes in Deo differunt realiter, ergo multo magis attributa. *Reſp. Neg.* conſequentia. Longè enim diverſa eſt ratio. Perſonæ ita ſunt realiter idem cum eſſentiâ, ut tamen relativè inter ſe opponantur; ad hæc non ſint de eſſentiâ; hoc eſt non ſint prædicata eſſentialia, quæ intrinſecè in eſſentiâ includantur: quorum neutrum in attributis locum habet. *Inſtant.* 2. quæ eſt Walteri. Attributa ſunt in diverſis prædicamentis, ex. gr. eſſentia in ſubſtantia, bonitas in qualitate. *Reſp.* Iam pueri in ſcholis nôrunt Deum eſſe in prædicamento analogicè. *Inſtantia* 3. Quæ de ſe mutuo & de eſſentia non poſſunt in abſtracto, caſu recto, & ſynonymica prædicatione prædicari, illa non ſunt realiter idem. Sed verum prius. Ergo. *Reſp.* Eſt fallacia figuræ dictionis: mutatur enim ſenſus identicus in formalem. Prædicatur aliquid de alio aut in ſenſu identico aut in ſenſu formali. Attributa ut conſiderantur à parte rei & quatenus ſunt in Deo atque adeo cum eſſentia & inter ſe plane idem ſunt, poſſunt de ſe invicem prædicari ſenſu identico, ſic rectè & veriſſimè dixeris: *Eſſentia ex parte rei eſt vita, voluntas ex parte rei eſt intellectus*, & vice verſa, & ſic in aliis. Sed ut attributa concipiuntur à nobis, & ut ſunt in noſtris cõceptibus, verè ac propriè de ſe invicem prædicari non poſſunt, in ſenſu ſcil. formali, ratio eſt, quia ſic non ſunt planè idem ſed ratione ratiocinante & ratiocinata (virtuali ſcil.) diſtinguuntur: plures enim ſunt conceptus objectivi virtualiter diſtincti qui reſpondent pluribus conceptibus formalibus realiter diſtinctis. Non poteſt ergo dici: *Conceptus objectivus voluntatis eſt conceptus objectivus intellectus*, aut, *attributum miſericordiæ eſt attributum juſtitiæ punitivæ.* Notandum tamen, eſſe aliquas propoſitiones quæ in utroque ſenſu accipi poſſunt; illæ ſcil. quæ conſtant copulâ *eſt* ex. gr. *Intellectus eſt voluntas, intelligere eſt velle, miſericordia eſt juſtitia.* Quæ in abſtracto & in ſenſu identico acceptæ ſunt veræ, in ſenſu vero formali falſæ.

Sunt

Sunt & aliæ quæ ſemper accipiuntur in ſenſu formali, atque adeo ſub illis terminis abſolutè & ſemper ſunt falſæ, in quibus ſignificantur actus eſſentiales aut notionales. Eſſentiales, ut, *intellectus intelligit, voluntas vult. Notionales, ut, pater generat, filius generatur, ſpiritus ſ. procedit.* Quæ tantum veræ ſunt, quando ſignificatur aliquid Deo convenire ſecundum eam rationem, ſecundum quam verè convenit: ſed falſę ſunt, quando ſignificatur aliquid Deo convenire ſecundum aliam rationem, quæ ſe habet per accidens & ſecundum quam verè non convenit. ex. gr. *intellectus vult, voluntas intelligit, juſtitia miſeretur, miſericordia punit.* Quæ tamen ſub aliis terminis veræ eſſe poſſunt, ſumptæ ſcil. in abſtracto, in ſe, ut ſunt à parte rei in Deo, nō vero ut attenduntur in diſtinctis effectibus tāquam principia diverſarum productionum, aut ſecundum diverſas Dei emanationes: ut, *res illa, quæ eſt voluntas, intelligit, res illa, quæ eſt miſericordia, punit.*

Sexta, quia plures ſunt perſonæ in Deo, quæ ſunt tres res ſi non plures; alia enim res, ſubſtantia, ſive eſſentia eſt pater, alia filius, alia ſpir. ſ. 6. Sic Philoſophatur *Vorſtius tract. de Deo p.* 205. 209. 219. & *in Exegeſ. apologetic. p.* 39. *in Reſponſo pleniori p.* 11. *in Catalogo errorum Sibrandi p.* 2. & 5. Et hæc Socinianis favere videntur, ad impugnandam perſonarum trinitatem. Iudæi & Mahumediſtæ eodem abſurdo urgent trinitatem ut videre eſt in *R. Davidis Kimchii reſponſo ad loca ex pſalmis pro Trinitate allata*; & in *Politore ſpeculi Ahmedii filii Zin Alabedin Perſæ*, apud *Philippum Guadagnolum in apologiâ pro Chriſtiana religione Arab-lat. contra dictum Achmedum tract.* 2. *cap.* 10. *ſect.* 8. *Reſp.* Perſonæ divinæ conferuntur dupliciter aut cum eſſentiâ, aut inter ſe. Priori modo negamus perſonas divinas realiter diſtingui ab eſſentia: ſed dicimus eas realiter idem eſſe cum eſſentiâ, diſtingui tantum ex natura rei eminenter. Quomodo fere in rebus creatis diſtinguuntur natura & ſuppoſitum; quæ quamvis realiter idem ſunt, non tamen quidquid verè, ſingulariter, & affirmativè prædicatur de uno, etiam prædicatur de altero, ſed aliquod ſingulare quod affirmatur de uno verè negatur de altero. Sic *communicari* affirmatur de naturâ, & negatur de ſuppoſito; & vice versâ *incommunicabile* affirmatur de ſuppoſito & negatur de naturâ. *Poſteriori modo*, perſonæ diſtinguuntur realiter, quia ſcriptura alium dicit patrem, alium filium, alium ſpiritum ſanctum *Iohan.* 5. *v.* 32. & 14. 16. & quia relativè opponuntur: atqui oppoſita quâ talia non poſſunt eſſe idem. Non tamen diſtinguuntur eſſentialiter; omnis quidem diſtinctio eſſentialis eſt realis, ſed non contra. Simile hoc poteſt adferri: Sicut in creatione angeli habetur ſubſtantia angeli, & creatio angeli: & tamen hæc duo non faciunt compoſitionem; quia creatio nihil aliud eſt quam ſimplex ſubſtantia angeli cum reſpectu ad creatorem, tanquam ad

eum à quo est. Atqui respectus hic non infert aliam & novam entitatem. Sic in Deo multiplicatio personarum non infert compositionem; quod non sit nisi per relationem; (omnia enim in Deo idem sunt & una simplicissima entitas): atqui relatio realis adveniens potest facere distinctionem realem absque ullâ compositione. *Instantia* 1. personæ quâ tales aut nihil sunt aut aliquid; si nihil jam negatur Trinitas; si aliquid, si entia, ergo essentiam habent, & per consequens formaliter consideratæ sunt tres distinctæ essentiæ. *Resp. Neg.* quidquid est aliquid, seu quod habet aliquam entitatem, seu formalitatem, habere etiam essentiam. Tum enim in creatis existentia & suppositalitas, quia non sunt nihil sed aliquid, haberent essentiam, & consequenter essentiæ esset essentia, & hujus rursum essentia, & sic in infinitum; quod absurdissimum est. Sic fere Vorstio hoc inculcabat *Eglisemnius in Crisi p.* 20. 21. *Instantia* 2. Vbi sunt extrema realiter distincta ibi est aliqua compositio, sed personæ quà tales sunt realiter distinctæ, Ergo. *Resp.* Compositio requirit non tantum distinctionem extremorum, sed & unionem. Sed personarum quà talium, ut formaliter sumunrur, non est unio; quia non est una persona, sed tres. *Instantia* 3. Vbi est essentia cõmunicabilis & personalitas incõmunicabilis, ex quibus resultat persona divina, ibi est cõpositio ex essentiâ & modo. *Resp.* Nolumus dicere, ut vulgo solvitur hæc objectio; *Modi non cõponunt, sed distinguunt*; aut *extrema cõponentia debent esse res, realiter distincta* (quia hoc non tolleret compositionem secundariam ex natura & supposito, essentia & esse, genere & differentia) sed sufficerit negare consequentiam; quia essentia non habet se ad modum potentiæ, nec persona ad modum actus; quod tamen requiritur in omni compositione sive propriè sive impropriè dicta. Dicit quidem persona essentiam & personalitatem seu certum subsistendi modum, sed absque omni compositione, quæ alias in persona creata concipi solet. Ratio autem discriminis est, quod essentia in creatis imperfectæ sit actualitatis & est divisibilis per id quod ipsam ad esse individui aut personæ contrahit, per differentiam scil. individualem aut personalem: deitas vero seu essentia divina nullam habet potẽtialitatem, ut per proprietates personales determinari, contrahi, actuari, possit; nam qui de se ita est hæc, & singularis, & per se existens, ut singularitas & per se existentia sint de conceptu ejus formali & essentiali, etiam de se & ex se habet ultimam unitatem & actualitatem. Hinc ergo sequitur eam per paternitatem aut filiationem, aut processionem non contrahi, actuari aut perfici: quamvis enim sint proprii actus personæ, nullo modo sunt actus ipsius naturæ divinæ ut sic & præcisè consideratæ, eam perficientes vel informantes. Axioma ergo illud: *Vbi sunt duo extrema aliqua ratione distincta, quæ concurrant ad constitutio-*

ſtitutionem tertii, ibi eſt aliqua compoſitio; ſic limitandum eſt, *quorum alterum ſit potentia alterum actus* vel, *quæ utraque non ſint in ultima ſua unitate & actualitate.* Sed in perſona divina uterque actus (ita liceat docendi cauſa diſtinguere) & *quidditativus*, quò quidditativè eſt Deus, & *relativus* ſeu perſonalis debet concipi ultimus & perfectiſſimus, quorum prior à poſteriori in ſe non actuatur aut ulterius perficitur, ſed ambæ illæ rationes formales ſunt in Deo ſecundum ultimam unitatem & actualitatem propriam. Contra quidditas creata & ejus ſingularitas aut perſonalitas ſunt duo actus, quorum poſterior tanquam ultimus priorem actuat ac determinat. Hanc puto eſſe genuinam ſolutionem hujus dubii. Nam quæ ab aliis quibuſdam ſcholaſticis adferuntur, non ſatis expedita mihi videntur, nec cum doctrinâ de compoſitionibus (ubi perplexitatem & incertitudinem Philoſophis objiciunt Remonſtrantes in *Apolog. loc. cit.*) ſatis convenire. Puto ergo in recentiori quodam *compendio Metaphyſico* circa compoſitionem Dei nimium concedi ab erudito autore mihi, cum viveret, amiciſſimo. Quin ipſe *Becanus in doctrina ſcholaſtica* alioquin ſatis ſubtilis & perſpicuus, „nimium mihi labaſcit, cum hoc aliiſque argumentis motus, concedit da„ri in Deo compoſitionem virtualem ex natura rei, quia dantur compo„nentia ſubſtantialia, quæ virtute ſeu eminenter inter ſe diſtinguuntur, „ut *eſſentia & exiſtentia*, *eſſentia & attributa*, *natura & perſonalitas.* Præterea „dari compoſitionem actualem per operationem noſtri intellectus, quia „dantur componentia ſubſtantialia, quæ per operationem noſtri intelle„ctus inter ſe diſtinguuntur. c. 1. qu. 2. præſertim in *tract. 2. theolog. ſcholaſticæ cap. 3. qu. 11. Reſut.* 1. quia compoſitio rationis ſeu mentis noſtrę nulla eſt compoſitio. Vt & virtualis illa ignota philoſophiæ. Pari jure poſſet ſtatui unitas & compoſitio inter Deum & creaturas, inter ſolem & mineralia, vegetabilia, animalia, quia tāquam cauſæ univerſales virtualiter ea in ſe continent. 11. Tota hæc ſpeculatio nititur falsâ iſtâ hypotheſi, Vbicunque eſt diſtinctio & quanta ac qualis illa eſt, ibi etiam & tanta & talis eſt compoſitio. Sed hoc falſum: requiritur inſuper diſtinctorum unio, & tranſitus à potentia ad actum. Diſtinguitur angelus à lapide, ab homine, à cœlo, à terrâ, ſed cum eo non componitur. Et ut propius accedamus, diſtinguitur proprietas perſonalis patris à proprietate filii, ſed tamē præcisè & formaliter ita ſumptæ nō uniuntur inter ſe & in ſe: nam unio in & cum eſſentia eſt in aliquo tertio. 111. Oblitus videtur Becanus proprię doctrinę, paulo ante poſitæ, ubi probaturus in Deo nō eſſe actualem cōpoſitionem, „inter alia adfert & hoc argumentum: quia quæ actu ex natura rei diſtin„guuntur, non poſſunt inter ſe uniri & coaleſcere niſi per actionem cauſæ „efficiētis, at nulla cauſa efficiēs prior Deo &c. & applicat ad cōpoſitionē ex

natura & personalitate, essentia & existentia. Atqui idem hoc argumentum valet contra virtualem, quam vocat, compositionem, si modo addas ex eodem Becano, omnem compositionem esse ex actu & potentia. Atqui in Deo non magis virtualiter quam actualiter potentialitas & actuatio locum habet. IV. breviter, ubi omnia requisita compositionis non inveniuntur, ibi nulla compositio, quocunque nomine vocetur, locum habet. Requisita autem sunt, *Primum* : Vt sint extrema distincta ex natura rei scil. sive realiter, sive formaliter, sive modaliter. *Secundum*, ut uniantur, seu ut sint unita. *Tertium*, Vt præsupponant & includant potentialitatem seu potentiam. *Quartum*, Vt sit aliqua causa efficiens hanc unionem. *Quintum*, Ex essentialibus & constituvis illis requisitis profluunt hæc consecutiva, *dependentia, multiplicitas & divisio, resolutio & mutatio* : atqui illa requisita divinæ essentiæ aptari non possunt, ergo nec ulla compositio. Rectius ergo fecerint scriptores & Doctores metaphysicę (quæ inter omnes scientias imprimis theologiæ ancillari debet,) si accuratius & pressius definiant Compositionem, *Quod sit distinctio plurium, quorum unum se habet ut actus, & aliud ut potentia.* Quomodo ex recentioribus *Meurisse*, in sua *metaphysica ad mentem Scoti lib.* 1. *quæst.* 23. *Instantia.* 4. Si personæ sunt realiter idem cum essentia, sunt realiter idem inter se; ratio est, quia, quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se. *Resp.* limitandum est hoc axioma : *quæ sunt eadem uni tertio singulari incommunicabili ea sunt eadem inter se.* Sed essentia divina est communicabilis tribus personis. Sic *Becanus Theolog. Scholastic. tract.* 2. *cap.* 2. *qu.* 3. Nihil vetat etiam vulgatam limitationem axiomati illi addere : *Sunt eadem inter se respectu illius tertii* : Et sic personæ sunt idem inter se respectu unius ejusdemque essentiæ.

Consectar. I. *Relationes illæ personales sunt reales ; & realiter à se invicem distinctæ, immo etiam oppositæ ; oppositæ, inquam, non formaliter sed fundamentaliter, quod ad ipsas relationes oppositas, quæ realiter distinctæ.* II. *Spiratio activa non distinguitur realiter in patre à paternitate in filio à filiatione, ne dentur in Deo quatuor relationes realiter distinctæ : ut rectè contra Durandum communiter statuitur à Scholasticis.* III. *Personæ quamvis realiter idem sint cum essentiâ, distinguuntur tamen ab ea ratione ratiocinata eminenter scil. ex natura rei, non actu.* 1. *Nam ita inter se sunt affecta, ut essentia sit absoluta, personalitas respectiva ; essentia communis, personalitas minime.* 2. *Quia quædam conveniunt ex. gr. patri ratione paternitatis, quæ non conveniunt illi ratione essentiæ, ut referri ad filium : & vicissim quædam illi conveniunt ratione essentiæ, & non paternitatis, ut similem esse filio. Ergo essentia & paternitas virtute & eminenter continent formalem distinctionem, quia ita se habent ac si formaliter distinguerentur.* IV. *Rectè mihi videntur Scotistæ hoc præcisè cavere ne ex essentia & relationibus, in Deo constituatur unum u-*

num unitate per se vel per accidens secundum compositionem aut quasi compositionem, nec unum per aggregationem; ne etiam dicatur essentia Dei per relationem propriè modificari ac determinari. Vide Rhadam *Episcopum Pact.*controv.inter Thomam & Scotum part.1.controv.4. append.2.p.82.83.84. v. *Maximam itaque injuriam fecit Vorstius Scoto & Scotistis, quod eos in patrocinium suæ θεομαχίας hic advocârit. Nemo enim magis abhorret ab ulla vel minima ac maximè impropria compositione in Deo admittenda, & similibus absurdis Vorstianis, quam Scotus cum suis; ut videre est apud* Rhadam modo cit. *Et* Meurisse in Metaphys. Scotisticâ lib.1.qu. 23. *Inscitiam Vorstii hac in parte jam perstrinxerat* Eglisemmius loc.cit. VI. *Malè Anabaptistarum Coryphæus & Antecessor,* Theodoricus Philippi in Enchiridio fol.4. *in V.T. pluribus nominibus Deum fuisse nominatum secundum proprietates & operationes suas, in N. T. tribus, Patris, Filii, & Spir. S.* VII. Rectè *Lutherus* vocem Germanicam dryfaltichеyt / i.e. *triplicitatem, quamvis ab omni ævo sic usitatam voluit in commodiorem & minus ambiguam commutari; & injustè propterea* Bellarmino *in Arianismi suspicionem vocatur*, præfat. ad controv. generalem II. *ad quam vide* notas Fr. Iunii. *Nos putamus Belgas & Germanos tutissimò posse imitari & exprimere Græcorum τριὰς per suum* drieheyt / *aut latinorum* trinunitas, *per* drie-eenigheyt.

Septima, Obtenduntur simplicitati omnes actiones Dei. Quæ sunt ad intra, vel ad extra. *Ad intra* sunt quæ terminantur in ipso Deo: & dividuntur in *cõmunes tribus* personis, quales intelligere & velle naturale Dei, quâ intelligit ac vult seipsum; & in *proprias* seu *personales*, quales generatio, spiratio, processio. *Ad extra* sunt, quæ terminantur in creaturis; & dividuntur in immanentes seu internas, & emanantes seu externas. Illæ sunt scientia indefinita, & definita seu ipsa decreta Dei. Istæ sunt vel generales, ut creatio, conservatio, gubernatio; vel speciales, ut opera redemptionis. De actionibus Dei, quas decreta vocamus, imprimis quæstionem movent Vorstius & asseclæ ejus Remonstrantes. Rationes ipsorum sunt istæ. *Prima*, quia decreta sunt multa, Deus est unus. *Secunda* quia decreta sunt libera, Deus est ens simpliciter & summè necessarium. *Tertia*, quia decreta habent causam efficientem Deum, & sunt illo posteriora. *Quarta*, quia Deus est ab æterno, decreta minime. *Quinta*, quia decreta sunt mutabilia, conditionata, dependentia: Deus autem est essentia immutabilis, absoluta, independens. Argumenta hæc partim per se concidunt, nec probationibus ullis ab adversariis fulciuntur, partim à Scholasticis, & Antagonistis Vorstii, nominatim *à Becano*, ut & *Alstedio in Theologia naturali*, & *D. Makkovio in collegio Miscellan. quæst. anno* 1621. *disput.* 17. 20. 23. 24. 25. 26. solidè & perspicuè satis refutata sunt: Itaque suffecerit hos fontes solutionum annotare. *Primus* est decreta Dei quoad realem existentiam

ſtentiam & ſecundum perfectionem, quam dicunt in Deo, ſunt neceſſaria, Deo eſſentialia, & quidem unus ac ſimplex actus; atque adeo ipſe Deus decernens; ſed quoad ſpeciem ſeu terminationem ſeu ſecundum extenſionem ad hoc aut illud objectum à ſe diſtinctum & libera ſunt & nec Deo eſſentialia, nec ipſe Deus. Breviter intellectus & intellectio, voluntas & volitio Dei una eſt & ſimplex, nec multiplicitatem aut diviſionem & diſtractionem, nedum oppoſitionem, nec prius & poſterius aut ſucceſſionem, nec dependentiam cauſalitatis & effectus aut cujuſcunque alterius ordinis admittens; ſed rebus intellectis & volitis ab eſſentia intellectione & volitione divinâ realiſſime diſtinctis, quippe ejus objectis, totum hoc tribuendum eſt. Et hoc ſenſu dicitur à patribus & Scholaſticis non differre in Deo, *Eſſe*, *poſſe*, *operari*. *Secundus* eſt, In decreto Dei tria ſpectanda ſunt. 1. Eſſentia Dei per modum actus vitalis ſignificata, quatenus neceſſario terminatur ad ipſam divinam bonitatem amandam, & ad omne poſſibile ſeu à Deo producibile, ſecundum ideas in mente divinâ. 2. terminatio illius eſſentiæ actuoſæ ad creaturas producendas & ſic regendas; aut non producendas & ſic regendas: illam melioris doctrinæ cauſâ dicemus *poſitivam*, iſtam *negativam*. 3. Relatio rationis, quæ reſultat ex illâ terminatione. Quod ad *primum*, dicimus eſſentiam & quidem ut actuoſam, eſſe ſimpliciter neceſſariam, & terminari neceſſario ad increatam Dei bonitatem. Quod ad *ſecundum*, terminatio ad creaturas has aut illas ut illæ ſint aut non ſint, hoc agant, aut non agant, eſt ſimpliciter libera; diviſim ſcil.: quamvis ſit neceſſaria compoſitè ſeu conjunctim. Eſt ex. gr. neceſſarium, ut Deus quid decernat de iſtius poſſibilis aut hominis, aut canis, aut arboris exiſtentiâ & actione tali aut tali: ſed liberum eſt, ut decernat in iſtam aut iſtam contradictionis partem; ut ſcil. ſit aut non ſit. Quod ad *tertium*, relatio illa ad rem futuram neceſſariò reſultat, ex hypotheſi ſcil. & poſita illa terminatione poſitivâ: poteſt tamen non reſultare, ſi non ponatur terminatio poſitiva, ſed tantum negativa. *Tertius fons ſolutionum eſt*, Decretum Dei poteſt à nobis concipi ſecundum tria momenta ſeu inſtantia rationis, aut naturæ, non vero temporis ſeu durationis, quia decretum eſt Deo coæternum, In primo concipimus eſſentiam divinam per modum actus vitalis ſignificatam, quatenus neceſſario terminatur ad Deum tanquam objectum primarium, & adhuc indifferens eſt ad creaturas. In ſecundo concipimus eandem, quatenus libere terminatur ad creaturas producendas aut gubernandas, ſine ulla ſui mutatione, vel reali additione: quia Deus immediatè per eſſentiam intelligit, vult & decernit, & ad creaturas libere terminatur, eſtque ipſius intellectio ſimul intellectio, amor, & decretum; nec in ſe producit

novas

novas actiones intellectus & voluntatis, quæ sint accidentia à subsstantiâ ejus distincta. Tantummodo accedit externa quædam denominatio & respectus rationis, quo essentia Dei per modum intelligentis, amantis, decernentis refertur ad rem intellectam amatam & decretam. In tertio ergo instanti concipimus decretum quatenus hinc resultat respectus rationis, qui ex parte Dei fundatur in ipso decreto jam liberè terminato; & ex parte creaturæ in ipsa futuritione seu existentia illius. His præmissis, jam facilè erit Vorstii objectionibus solutiones aptare. De actionibus Dei externis seu emanantibus, minor est difficultas, nec ab adversariis hoc ita urgetur. Vide *Vasquez disput. Metaphysicam* 25. & *Thomam lib.* 2. *c. Gentes cap.* 12. 13. 14.

Consectar. 1. *Doctrinâ hâc de simplicitate & perfectione essentiæ, scientiæ, ac volitionis divinæ assertâ, corruunt, quæcunque contra Providentiam Dei & absolutum, immutabile, independens prædestinationis decretum ab adversariis adferuntur, cum omnibus profanis novitatibus de scientia media, de volitione conditionata, de ordine decretorum, de concursu simultaneo* &c.

Octava, Possent etiam objici omnes aliæ relationes divinæ. *Resp.* De 7. relationibus *ad intra* & quidem *propriis*, ut paternitate, filiatione, spiratione activa, processione jam diximus thesi præced. De relationibus *ad intra*, quæ omnibus personis *communes*, quales sunt *identitas, similitudo, æqualitas*, ἐμπεριχώρησις seu mutua præsentia personarum inter se (de quâ *Rhada part.* 1. *p.* 320. 321.); dicimus eas esse relationes rationis, non reales cum Thomistis ad 1. *qu.* 42. *art.* 1. & *Capreolo ad dist.* 31. *lib.* 1. & *Becano tract.* 2. *cap.* 1. *qu.* 2. §. 7. Quamvis subtiliter pro Scoto suo contrarium tueri satagat *Rhada super* 1. *controv.* 26. Hinc ergo nulla vel minima exsurgit compositio ex parte rei. Identitas enim opponitur distinctioni, & nihil aliud est, quam transcendentialis relatio & denominatio fundata super unitatem essentiæ, notans habitudinem ejusdem totaliter indistincti ex natura rei ad seipsum. Et sic similitudo fundatur super unitatem attributorum, æqualitas super unitatem magnitudinis. Quod ad *relationes ad extra*, illæ sunt triplices; vel enim fundantur in actionibus Dei transeuntibus, ut *creator*, *gubernator*, *redemptor*; vel in immanentibus, ut *prædestinator*; vel partim in actionibus immanentibus, partim in quibusdam attributis, quæ necessario Deo conveniunt ab æterno, ut *ideæ*, *scientiæ simplicis intelligentiæ*, addit *Becanus cit. capite quæst.* 1. verbi seu λόγου, qui præter relationem, quà respicit patrem, etiam refertur ad creaturas. De quo postremo alibi forte disquirendum. Dicimus ergo relationes ad extra fundatas in actionibus Dei præcisè & formaliter sumptas, esse tantum extrinsecas denominationes, non verò reales relatio-

nes in Deo. Itaque hinc nulla compositio. Quia Deus creator, si non attendas terminationem in creatura, nihil aliud est quam Deus denominatus ab actione vitali. De idea & scientia simplicis intelligentiæ, dicimus nihil inferre quam denominationes; sunt enim nihil aliud nisi essentia divina quatenus est cognitio creaturarum, seu quatenus representat creaturas per modum actualis cognitionis illarum, sive futurarum, sive possibilium. De quibus agendum in *Disput. de Scientia Dei.*

8. *Nona*, Deus est in omnibus rebus, & omnes res sunt in Deo. Quo pertinent teratologica illa: Deum esse materiam primam, hominis animam esse divinæ particulam auræ, & Deum esse animam mundi, Deum se nobis communicare, nosque divinæ ipsius naturæ ita participes esse, ut homines deificari & in Deum transformati, cum illo essentialiter uniri, dicendi sint; qualia apud fanaticos & Enthusiastas, Henric-Nicolaitas, Weigelianos &c. occurrunt, de quibus alibi. Interim consuli poterit *tractatus* Nobiliss. Domini *Sanct-Aldegondi contra Libertinos*, & *Steckmannus in Photianismi sui appendic. 2. de vero Christianismo* cum quibus conferatur *Thomas 1. qu. 3. a. 8. & contra Gentes lib. 1 c. 17. 20. 26. 27. Resp.* Fontes solutionum breviter istos capiant φιλομαθεῖς, inde ad ratiunculas seu potius insanias illas applicent. 1. Deus est in omnibus rebus non ut pars essentialis aut integralis in toto, aut ut contentum in suo continente, aut ut subjectum sub suo accidente, aut ut accidens in suo subjecto, sed ut causa adest ei, in quod immediatè agit. Deus adest, inquam, omnibus per essentiam; non quod sit de essentia rerum, aut aliquid essentiæ earum, sive ut materia transiens aut constituens, sive ut forma informans, sive ut accidens eas perficiens. Est enim maximè unus, solus, divisus, distinctus ab omnibus: quod etiam attributo *sanctitatis* in scriptura innui posse non malè quidam opinantur. Ad hæc si in cōpositionem veniret cum aliqua re, illa esset Deo perfectior; quia omne compositum est perfectius partibus aut principiis componentibus. Vide rationes speciales apud *Thomam* ejusque *commentatorem Ferrariensem loc. cit.*, & *p. 1. qu. 8. a. 1. 11.* Omnia sunt in Deo tripliciter, in potentia ejus tanquam in causa efficiente, in idea tanquam in causa exemplari, in scientia tanquam in cognoscente. Vnde triplex esse creaturarum in Deo, eminens, ideale, intelligibile. Sed totum hoc esse est objectivum, absque ulla compositione aut permixtione sicut lumen est in aëre, & aër in lumine, *Augustin. de Genesi ad lit. lib. 4. c. 12. & lib. 14. de Trinit. c. 12. Cyrill. Alexandrin. in Iohann. lib. 9. c. 40.* Vide porro Scholastic. *ad 1. qu. 18. a. 4. & Zwarez de Deo lib. 2. c. 2.* & commentatores *ad Actor. 17. 28. 2 Petr. 1. 4.* Et Philosophos explicantes axioma illud: Quatuor quodammodo sunt omnia, Deus, cœlum, materia prima, intellectus.

XII.

III. Deus communicat extra se, seu ad extra essentiam, vitam, bonitatem suam, in genere causæ efficientis, exemplaris, finalis, & quidem non naturaliter sed liberè non per essentiam sed per gratiam; ita ut ex. gr. omnia participent de ejus bonitate, eâque sint bona extrinsecè & causaliter, sed bonitatibus propriis formaliter *Thomas* 1. *qu.* 7. *a.* 4. maneant interim & individuo & specie seu genere univoco distinctissima essentia aut bonitas Dei, & essentia aut bonitas ad similitudinem sive imaginem divinam in creaturis producta. Est autem communicatio illa essentiæ divinæ quintuplex 1. per creationem. 2. per gratiam adoptionis, 3. per gloriam & beatitudinem, 4. per amorem & desiderium, 5. per incarnationem; de quo postremo mox dicemus.

Decimo, Obtendi posset compositio divinæ Christi naturæ cum humanâ in unam personam. *Resp.* Vnio illa dicitur compositio, sicut Christus impropriè totum dicitur. Sequeretur alioquin naturam divinam esse alicujus rei partem, & ex illa unione existere aliquid perfectius, quam est ipsa natura divina. Sic ergo dicendum: personam λόγου assumsisse naturam humanam, hoc est, eam sibi univisse substantialiter, eandemque terminare per suam subsistentiam seu personalitatem non tanquam partem aut accidens quo perficiatur; sed tanquã adjunctum aut instrumentum ἐνυπόστατον, quod intimè in sua persona gestat, ut illud perficiat & per illud hominem redimat. Quia ergo divinæ naturæ nihil accessit, nec cum humana in tertiam quandam essentiam coaluit, nec proprietates utriusque naturæ permixtę sunt, nec persona λόγου habuit se ad modum potētię perfectibilis, nec humana natura ad modum actus divinã naturã perficientis: sequitur nihil hinc decedere simplicitati Dei, nec ullam vel minimam compositionis speciem admittendam. Hanc solutionem puto sufficere. Quæ cum *Thomæ contra Bonaventuram, Richardum, Scotum, Cajetanum de compositione personæ* disputat *Becanus Theolog. Scholastic. part.* 1. *tract.* 1. *c.* 6. *qu.* 3. non video sane, quomodo cum Doctrinâ Metaphysicâ de Simplici & composito, ut & cum sententia de Simplicitate Dei ab ipso Becano assertâ satis conveniant; quomodo etiam ejusmodi determinatione Anabaptistici & Zwenckfeldici conceptus satis dextrè detegi & refutari possint. Accuratius mihi philosophari videntur Scotistæ apud *Rhadam ad* 3. *controv.* 3. *artic.* 3. *Vndecima*, Opponit etiam Socinianus *Moscorovius libr. de baptismo adversus Scargam* huic axiomati: *Quidquid est in Deo, est Deus*, locum 1 *Timoth.* 6. 16. cum *Hebr.* 12. 27. unde fabricat locum Dei increatum & æternum, qui tamen non sit Deus. Simile quid agitabat *Vorstius*, *in subsidium advocatâ opinione Steuchi Eugubini*; cujus commentum profligatum vide à *Slado disceptat. scholastic. part.* 1. *p.* 50. 51. 52. *Resp.* Breviter dicimus meram esse inconsequentiam, 9.

tiam, & lucem illam inacceſſam nihil aliud eſſe quam ſplendorem majeſtatis ac gloriæ divinæ, hoc eſt, ipſum infinitum Deum, qui eſt & habitat in ſeipſo. Eſt autem hæc deſcriptio metaphorica, quales *Pſal.*93.1. *Ieſa.* 6.2.& 57.15. *Ezechiel.*1.& 10. Vide commentatores ad loca cit. imprimis *Daneum in* 1 *Timoth.*6.16. & confer. diſputationes de Immenſitate, & illocalitate Dei. *Duodecima,* Deus totum appellatur, ergo non eſt ſimpliciter ſimplex; Item, Deus non eſt individuum ex *Clemente Alexandrin. Stromat.*5. 1. denique Deus non tantum eſt in prædicamento ſubſtantiæ, ſed etiam in multis prædicamentis accidentium; & ſi quæ plures ſint iſtius commatis ſubtilitates Socino-Vorſtianæ. *Reſp.* Tyrones Dialectici ex compendiis ſuis, & libro terminorum ſeu dictionario philoſophico hæc ſolverint: non eſt ergo quod illis immoremur. Videat interim, cui vacat, *Alſtedii Theologiam Naturalem part.*1.*cap.*5.

10 Nunc Poriſmata & uſus ex hâc doctrina educimus, quorum I. Simplicitas Dei numeranda eſt inter attributa ſeu proprietates Dei. Probatur, quia ſoli Deo convenit. Quia immediatè naturam Dei ſequitur. Quia diſtincta eſt ab aliis proprietatibus ratione ratiocinatâ, ſeu eminenter. II. Vnitas, identitas, ſimplicitas Dei imprimis vindicanda eſt, ut imperfectionem, mutabilitatem, finitudinem, multitudinem, diſtinctionem, & compoſitionem ab illo removeamus; nec in deliria Ethnicorum, & veterum hæreticorum Valentinianorum, Marcionitarum, Manichæorum &c. aut etiam recentiorum Enthuſiaſtarum, Socinianorum incidamus. III. Doctrina hæc tum in ſe, tum etiam imprimis ut hypotheſis & fundamentum neceſſarium doctrinæ de infinitate, immutabilitate, æternitate, ſpiritualitate eſſentiæ, ſcientiæ, & voluntatis divinæ, ut & de Trinitate perſonarum pro re natâ & pro captu auditorum omni cum fidelitate ac reverentiâ & plane ad praxin in Eccleſiis ac ſcholis tradenda eſt. IV. Vel imprimis hinc lumen infertur ſublimi myſticæ, & piæ iſti contemplationi; quod in unicâ Dei eſſentiâ ſubſiſtant tres perſonæ, eamque totam ſingulæ poſſideant, & una perſona perpetuo ac inſeparabiliter ſit in alterâ ac cum altera, eamque complectatur, permeet, (mutuam ἐμπεριχώρησιν vocant patres Græci) poſſideat, amet, & glorificet *Iohann.* 1. 1. 5. 18.& 14. 10. 11. 23.& 17. 21. *Proverb.* 8. 22. 30. V. Errant Remonſtrantes, qui ex claſſe attributorum divinorum Simplicitatem eximunt; in quo tanto propius ad Catecheſin Racovianam & Socinianos accedunt quantò longius ab artic. 1. Confeſſionis Belgicæ, & à communi totius Chriſtianiſmi doctrina recedunt. Pejus faciunt, quod errori addant pertinaciã, & DD. Profeſſoribus Leidenſibus in *Cenſura Confeſſionis*, ut & D. *Bodechero in Sociniano-Remonſtrantiſmo* fideliter ipſos monentibus

tam

tam ferociter insultent. VI. De Dei simpliciſſima & perfectiſſima eſſentia ſpiritualiter cogitemus; omnes craſſos & terrenos conceptus, omnes ſenſibiles imagines, omnia imaginativæ facultatis phantaſmata procul habeamus; & de illo ſentiamus quæ ſentire non poſſumus (ut piè *Iul. Cæſar Scaliger exercit.* 165. *ſect.* 9.) aſcendamus per viam negationis, cauſalitatis eminentiæ. VII. Vt Deus ſimpliciſſimus eſt eſſentia; ſic & voluntate, promiſſis, factis: nullus in illo dolus, nulla hyprocriſis: Illum ergo imitemur, & ſtudeamus ſimplicitati ac ſinceritati: illius etiam verbis & promiſſis ſtemus & ſpe firmâ impletionem exſpectemus. Ipſe faciet, qui verax in promiſſis, & potens in executione. Denique Deum ſpiritum ſpirituali puroque cultu in ſpiritu & veritate colamus. Ab omni ſuperſtitionum & inanium obſervationum choragio, ab omni opere operato quàm longiſſimè fugiamus. VIII. Alii uſus practici ex reliquis attributis primi generis cum ſimplicitate connexis analogicè aut per conſequentiam huc applicari poſſunt. Ita videbimus doctrinam hanc non eſſe merè ſpeculativam, Scholaſticam, metaphyſicam, aut omnis fiduciæ ac pietatis ſterilem. Rectè Arminius Diſput. privat. XV. theſ. 10. *Hi modi ſupereminentiæ* &c. *in vita Dei & vitæ facultatibus conſiderati infinitam in Theologia utilitatem habent, & religionis veræ non minimum ſunt fundamentum.* Vbi notandum ipſum attributa illa Dei etiam includere, quæ cum Socinianis Remonſtrantes excludunt. Vt vel hinc perſpicias, quantum illi receſſerint, & imperitos aut imprudentes auditores ſuos ab Arminii Theologia, theſibus de Deo expreſsâ, abduxerint.

PROBLEMA.

SI quis dicat animam rationalem eſſe compoſitam ex quatuor elementis, aut eſſe temperamentum, aut ſpiritum animalem, aut halitum & flatum oris: item angelos eſſe animalia, eſſe aſtra, aut animas ſeparatas; præterea Deum eſſe corpus, viſibilem, animam mundi, formam cœli, unum unitate accidentali, aut analogia, aut ſpecie tantum, non vero individuo; perſonas divinas eſſe proprietates Dei ſeu diverſas denominationes tantum; denique Chriſtum mediatorem conſtare ex una natura aut duabus perſonis &c. an & quomodo veritas dogmatum ſolide defendi, & errores modo indicati cõvinci poſſint ex nudis ſcripturæ textibus abſq; adhibitis regulis conſequentiarum, abſq; terminis Logicis aut Philoſophicis? Et an omnes illæ diſputationes tanquam inutiles ad Scholaſticorum & Philoſophorum ſubſellia relegandæ ſint? An Remonſtrantium unio & tolerantia eccleſiaſtica de his non laboraret?

DE SCIENTIA DEI.

Resp. ENOCHO POTTEY Vera-Zeelando.

Ad diem 17. *Iunii* 1637.

Attributa divina primi generis dicunt perfectiones in Deo, quæ non sunt operationes, secundi vero generis perfectiones, quæ sunt operationes. Posteriores sunt duum generum, vel quæ positæ sunt in operatione immanenti, quæ non est productio, vel quæ positæ in operatione emanante, quæ est productio, sive potentiæ sive intellectus & voluntatis (nunc enim non disputamus an potentia Dei formaliter nihil aliud sit quam intellectus & voluntas solâ ratione nostrâ ab iis distincta, ut cum Scoto & Scotistis vult Vasquez ad 1. qu. 23. disp. 102. c. 3. *& probabilem hanc sententiam agnoscit* Zwarez Disput. Metaphys. 30. sect. ult. & tract. de Deo lib. 3. c. 9.) *Perfectio Dei posita in operatione intellectus dicitur Scientia, quam Deo competere docet scriptura cum de eo prædicat* σοφ*, id est, mentem, sapientiam, scientiam, intelligentiam, artem, prudentiam, consilium, omniscientiam,* Rom. 11. 33. 34. Psal. 94. 7. 8. 9. 10. 11. Hebr. 11. 10. *cum* Ps. 139. 15. Ierem. 10. 12. & 40. 28. Ier. 32. 19. *cum* Ephes. 1. 11. Iohan. 21. 17. *Suadent etiam rationes ex lumine naturæ petitæ, quas vide apud Philosophos in Metaphysicis, & Scholasticos, nominatim* Thomam contra Gentes lib. 1. c. 44. & in quæst. Disput. de Scientia art. 1. & in 1. qu. 14. art. 1. *Nos de eâ acturi.* 1. Quæ & qualis sit explicabimus. 11. Duas circa eam capitales controversias ventilabimus. 111. Appendicem de Ideis divinis subjiciemus.

IN cognitione scientiæ Dei potissimum attendendum est 1. ad distinctiones quasdam. 2. ad proprietates. 3. ad doctrinas & Vlus, qui ex hoc attributo educuntur. Quod ad *primum*, variè distinguitur, scil. in Necessariam & liberam, in simplicis intelligentiæ & visionis, in definitam & indefinitam, in speculativam & practicam, in simplicis notitiæ seu apprehensivam & scientiam enuntiabilium seu judicativam, in absolutam & conditionatam seu mediam. *Necessaria* est, quæ omnem voluntatis actum ordine naturæ antecedit. Et hâc Deus primò actu immediato, & maximè necessario cognoscit seipsum in se ipso & per seipsum. Deinde, omnia possibilia, non in seipsis sed in sua essentia tanquam causa ipsorum necessaria. Probatur autem hæc scientia possibilium ex *Math.* 3. 9. & 26. 53. Si enim potest Deus transformare

formare lapides in homines, & Christo mittere duodecim legiones angelorum; ergo scit se posse: novit enim Deus seipsum,& omnem potentiam suam. Deinde si Christus secundum humanam naturam, & Ioh. Baptista hanc potentiam Dei, & hæc possibilia nôrunt; ergo multo magis Deus. Denique si homines nôrunt sibi aut aliis hominibus possibilia; ergo Deus novit sibi possibilia. *Libera scientia* est quâ post decretum suæ voluntatis cognoscit determinatè res omnes existentes, in quacunque temporis differentia sint, sive præsentis, sive præteriti, sive futuri. *Simplicis intelligentiæ*, eadem est cum naturali quod ad objectum secundarium, possibilia scil.; non vero quod ad primum objectum, nempe Deum, hoc enim pertinet ad alterum hujus distinctionis membrum. A nonnullis dicitur intuitiva (teste *Altenstaig in Diction.*) & hâc ratione Deus ipse ad ejus objectum referri posset. *Visionis*, quâ cognoscit determinatè seipsum, & omnia alia existentia præter se. Sunt tamen Scholastici, qui strictius hanc exponunt; de scientia existentium tantum, aut futurorum contingentium. Sic ex recentioribus *Becanus Theolog. Scholast. part.* 1. *tract.* 1. *c.* 10. 1. *Arminius Disput. de Naturâ Dei* habita anno 1603. *thes.* 44. scientiam liberam, visionis, & præscientiam pro uno sumit. Postea tamen *in collegio privato Disp.* 17. *thesi* 9. longè aliam & quidem ἀκυρολόγως admodum & periculosè terminorum explicationem adhibet. *Simplicis intelligentiæ*, inquit, *est quâ se, omnia possibilia, omniumque entium naturam intelligit. Visionis est, quo suam & omnium aliorum entium existentiam videt.* Mirari subit, quid sibi velit, & unde talem terminorum acceptionem hauserit; nisi forte exscriptorum hic aliquod vitium sit. Sunt enim ab aliis post obitum ipsius Disputationes illæ editæ. Certe tale quid ex thesi proximè sequēti videtur colligi. *Castaneus in Distinctionibus* dicit hanc *Visionis* etiã vocari *intuitivam*, cujus respectu illi opposita (simplicis intelligentiæ) est abstractiva. Certè *Indefinita* & *definita*, ad sola objecta secundaria extendi debent, minimè vero ad Deum; illa ad possibilia, hæc ad futura: ideoque *præscientia* (ita dicta) propriè in duas istas distingui solet. *Speculativa*, est scientia Dei secundum propriam rationem in se ipsâ præcisè & absolutè considerata absque ullo voluntatis actu adjuncto prout scil. in seipso agit, & non in alio. *Practica* est, quæ consideratur cum voluntate conjuncta, & prout agit in alio; & hanc nonnulli vocant scientiam beneplaciti. Sed nimis anguste per hoc epithetum *beneplaciti* restringitur. Praxis enim & practicum dupliciter dici potest. (Vide *commentatores ad Thom. p.* 1. *qu.* 14. *art.* 16.) Potest enim practica scientia esse rerum simpliciter possibilium, de quibus nullum est decretum aut beneplacitum: uti bene observavit *Vasquez ad Thomam loc. cit. Becanus tract. & cap. cit. qu.* 15. & *Castaneus in Distinct.* ex recentioribus Scholastico-

lastico-Iesuitis, *Arminius loc. cit.* Scientiam simplicis intelligentiæ seu indefinitam & suam Mediam, faciunt practicam, atque adeo causam rerum, non quidem quatenus præcisè spectatur in se sed quatenus annexum habent decretum voluntatis; ita *simplicis intelligentiæ* esset causa in actu primo & remotiore, *media* vero in actu secundo proximè & propriè. De *simplicis intelligentiæ* concedimus, & convenit hoc cum communi schola; de Media negamus, & infra videbimus. *Simplicis notitiæ*, quæ & *apprehensiva* est scientia Dei, secundum quod est simplex apprehensio rerum. *Enuntiabilium*, quæ & *judicativa* est eadem scientia, secundum quod est evidens judicium eorum.

Illam subdividunt *primò* in scientiam omnium tum possibilium, tum præsentium, præteritorum, & futurorum, & sic obtinet nomen generale, *scientiæ scil. simplicis notitiæ*: *secundò* specialius in scientiam visionis, quæ cognoscit ea quæ coëxistunt alicui tempori præterito, præsenti, futuro: *tertio*, adhuc specialius respectu futurorum, quæ dicitur *præscientia*. Hanc etiam subdividunt secundum distinctionem propositionum affirmativè, negativè, de inesse, de præsenti, præterito, & futuro, quam vocant distinctionem non rerum, sed nominum. Distinctionem postremam in scientiam rerum & scientiam enuntiabilium habent *Altisiodorienſis Summ. lib. 1. c. 10.* & *Gabriel Biel ad lib. 1. dist. 35.* Scientiam *absolutam*, & *conditionatam* seu *mediam* commenti sunt recentiores Iesuitæ. Sed supervacanea est, ut infra demonstrabimus. Vt consulamus junioribus damus hanc tabellam.

Deus cognoscit
- Seipsum, *primo, necessario & intuitive.*
- Alia à se
  - Possibilia, *scientia naturali seu necessaria, simplicis intelligentiæ, indefinita*
    - Præcisè in se, & abstractivè ab actu voluntatis, quæ dicitur *speculativa*,
    - Cõjunctè cũ actu voluntatis divinæ, quæ est *Practica.*
  - Existentia
    - Communiter, futura, præterita, præsentia, quæ est *Libera, visionis, definita.*
    - Specialiter, existentia, sed tantum in differentia temporis futuri, & dicitur *Præscientia.*

Est ergo, ut distinctiones conciliemus, omnis Dei præscientia, scientia; sed non contra: nam scientia qua Deus seipsum cognoscit, non est præscientia. Indefinita omnis scientia est necessaria; sed non contra: nam scientia, quâ Deus seipsum necessariò cognoscit, non est indefinita. Omnis

inde-

indefinita scientia est naturalis; sed non contra: quia scientia naturalis, quâ Deus seipsum cognoscit, non est indefinita.

Proprietates scientiæ divinę sunt 1. quod sit una, indivisa in se, & simplicissima, quamvis secundum objecta eam distinguamus, atque adeo sit ipse Deus intelligens. Deus enim, intellectus ejus, & scientia seu τὸ intelligere, sunt unum idemque & ipse intelligit uno in actu. 2. II. Quod sit prima & independens; per essentiam, non per participationem; non causata à rebus; à quâ omnis creaturarum scientia dependet, ἀρχέτυπος non ἔκτυπος: Nullo indigens principio, nullâ specie intelligibili, nullâ revelatione, nullo lumine elevante, nullâ experientiâ aut observatione; quia ex se, in se, per se omnia cognoscit *Ies.*40.13.14. cum *Rom.*11.34. III. Quod sit æterna. IV. Quod immutabilis, & consequenter simultanea, ut in eâ non sit successio, prius & posterius, accessio, decessio: quamvis nos momenta seu instantia rationis in ordine ad objecta in eâ concipiamus. V. Quod perfecta, non tantum per apprehensionem, sed per comprehensionem; per simplicem intuitum non per discursum à noto ad ignotum, immediatè & intimè res introspiciendo; non per compositionem & divisionem, non per conceptus inadæquatos aut analogicos, aut universales, aut confusos, aut inevidentes; quia plenè & distinctissimè cognoscit res, ut sunt. *Psal.*7.10. & 139.2.3.4.5. *Ierem.*17.10. *Hebr.*4.13. VI. Necessaria determinata & certa; etiam cum versatur circa libera, contingentia, & maximè in natura sua indeterminata: ita ut nulli ignorantiæ, aut errori, aut dubitationi vel per remotissimam potentiam possit esse obnoxia. VII. Actualis, non per modum potentiæ aut habitus: ita ut per nullam ideam aut speciem intelligibilem, vel sibi coæternam vel à rebus acceptam, per nullum medium actuari possit: ipse enim tanquam purissimus actus est sibi idea, species, exemplar, intellectio, intellectus. VIII. Infinita, & intensivè & extensivè, hoc est & in se & ratione objecti; itaque nusquam abstracta, præcisa, ut cognoscat seu concipiat unum, non cognito alio, ex. gr. subjectum absque accidente, totum absque parte aut extra partem, universale abstractivè à singularibus aut extra singularia: de quo egimus in *Therſite* nostro *Heautontimor. ſect.* 2. *cap.* 6. Breviter est *Omniscientia*, ut nihil sit quod ipsum lateat; Deus aut creatura, necessarium aut contingens, naturale aut liberum, in potentia aut in actu, universale aut singulare, substantia aut accidens, res aut modus, subjectum aut adjunctum & circumstantia, causa aut causatum, ens reale aut rationis, simplex aut complexum, possibile aut futurum, excellens aut vile, apertum & occultum, nominatim cogitationes cordis, inde καρδιογνώστης *Ps.*139. *Ier.*17. *Hebr.*4. *Apoc.*2.23. denique malum

& simpliciter impossibile, quod cognoscit nõ positivè & formaliter, sed negativè & oppositivè, illud per oppositũ bonũ, hoc per oppositum possibile.

Consectar. I. *Ratione istarum proprietatum distinctè & comparativè Deus dicitur* μόνος σόφος Timoth. 1. 17. & epist. Iudæ vers. 25. (*Quomodo* Math. 19. *bonus*, 1. Timoth. 6. 15. 16. *potens, & habens immortalitatem.*) *Est enim omnis creata sapientia accidentalis, per participationem, per aliud, per gratiam, dependens, mutabilis,* ἔκλυτος *& ideata, secundaria, analogica, finita, imperfecta, divisa & multiplex.* II. *Blasphemiam &* βεομαχίαν *implicant errores* Averrois, Avicennæ, & Agazelis *philosophorum Mahumedicorum, quorum ille* in 12. Metaphys. text. 51. *negat Deum intelligere res viles, quia intellectus ejus vilesceret: iste referente ibidem* Averroe *negat Deum cognoscere singularia secundum existentias eorum, hic verò* in 3. Metaphys. c. 5. *statuit Deum singularia intelligere per universalia. Adhæc* Ciceronis 2. de divinat. & Socini, *qui negant scientiam futurorum contingentium, de quo errore infra agendum. Aristotelem, quem erroris hic insimulant nonnulli patres & Scholastici, excusant* Thom. 1. quæst. 14. art. 11. *&* lib. 1. contra Gentes c. 50.. *& ex recentioribus* Zwarez Metaph. disp. 30. sect. 15. art. 40. III. *Dei scientia cum voluntate conjuncta rectè ab* Augustino lib. 6. de Trinit. c. 10. & lib. 15. c. 13. *dicitur causa rerum*: non quia sunt ideo novit Deus, sed ideo sunt, quia novit. *Quam sententiam vide explicatam à* Thoma *cum suis* p. 1. qu. 14. art. 8. *Quod tamen intelligendum est de causa exemplari & remota: nihil enim in Deo immanens est causa proxima, per quam res ponuntur in existentia sua; sed sola actio Dei emanans seu externa est causa proxima, qua posita res ponitur.* IV. *Accuratè loquuntur recentiores, cum Deo tribuunt scientiam practicam, non quidem sui ipsius, sed aliarum rerum contra Scotum: & cum alias omnes res pronuntiant & practice & speculativè à Deo cognosci; sic Thomistæ cum quibus* Vasquez, Zvvarez, Becanus. V. *Rectè meo judicio ex principiis Thomæ Thomam corrigit* Vasquez ad qu. 14. art. 16. cap. 2. *Etiam ad possibilia se extendere practicam, quatenus scil. est de ipsis rebus prout fieri possunt, per modum principii dirigentis.*

3. Necessitas & usus hujus doctrinæ est multiplex I. ad naturam Dei intelligendam, ut recta fide in Deum nostrum feramur: est enim scientia Dei ipse Deus sciens. Præterea ad cognitionem doctrinæ de Providentia Dei, de prædestinatione, (quæ speciali modo *notitia* dicitur 2 *Timoth.* 2. 19. *Ioh.* 10. 14. *Rom.* 11. 2.) de libero arbitrio, auxiliis gratiæ & conversionis modo, de Prophetia & prophetis. II. Validè facit ad ἔλεγχον Epicureismi & omnis Atheismi, *Psal.* 94. 7. 8. item Ethnicismi, Socinismi &c. III. Refutantur etiam hinc Idololatræ, & verus Deus ab omnibus idolis discernitur *Iob.* 38. *&* 39. *&* 40. cum *Iesa.* 42. 37. Deteguntur denique errores Scholasticorum, & hodierni Papatus, ut & Vbiquistarum de *Scientia animæ*

nimæ Christi. IV. Facit ad reprehensionem & correctionem securitatis & profanitatis improborum, qui peccata peccatis accumulant *Iob.* 9. 3. 4. *Psalm.* 10. 11. V. Ad consolationem piorum, in labore pietatis & incultu Dei 2 *Paralip.* 16. 9. *Apocal.* 2. *v.* 9. *Malach.* 3. 16. *Psal.* 139. 1. 2. *&* 26. 1. 2. 3. *Iohann.* 21. 17. in calamitatibus, injuriis, periculis, persecutionibus, calumniis *Ierem.* 31. 1. 2. *Exod.* 3. 7. *Nahum.* 1. 7. *Ps.* 56. 9. *Apocal.* 2. 9. *Rom.* 9. 1. & 11. 11. 30. *Iesa.* 40. 13. 14. 1 *Thessal.* 2. 10. 2 *Paralip.* 24. 22. In necessitate & indigentiâ hujus vitæ *Deuter.* 2. 7. cum *Math.* 6. 31. 32. VI. Ad parænesin & excitationem ut in timore & tremore coram Deo ambulemus, cogitemus & ponderemus vias nostras, attendamus cogitatis, dictis, factis etiam maximè absconditis, custodiamus cor nostrum, quia Deus omnia videt, oculi ejus tanquam flamma ignis, quibus tenebras omnes illustrat, occulta omnia detegit *Hebr.* 4. 13. *Apoc.* 1. 14. *&* 2. 2. 18. *Ierem.* 16. 16. 17. Egregiè Boethius (ni fallor) *Magna nobis necessitas bene vivendi incumbit, qui omnia gerimus coram oculis Dei.*

Excutienda nunc controversia de scientia futurorum contingentium, 4.
Inter Gentiles *Cicero lib.* 2. *de divinat.* eam negavit, hâc ratione ductus, quia alioquin tollerentur contingentia, ex antiquis hæreticis Theophronius, teste *Sozomeno lib* 7. *histor. eccles. cap.* 17. Et *Niceta Chroniate in thesauro lib.* 5. *cap.* 36. Et Gnostici teste *Irenæo lib.* 1. *cap.* 5. Confer scriptores hæreseωn, *Epiphanium*, *Augustinum* &c. Socinus eandem negat *Prælection. Theologic. c.* 8. 9. 10. 11. ut tanto expeditius Ethnico-Pelagianismum suum defendat. Remonstrantes quamvis apertè Socino-Ethnicismum hic profiteri non ausint, facilè tamen colligitur eos ab eo non ita abhorrere, siquidem per auditores suos & rationes mundano-politicas sensu suo frui ipsis liceret. *Episcopius in Thesibus* ait, *videri* eam passim in scripturis Deo tribui. Adhæc disquiri permittit, an necessarium scitu sit, ad hoc ut Deus colatur, scientiam istam Deo competere. Vtrumque hoc in ipso defendunt & laudant Remonstrantes in *Apologia cap.* 2. *pag.* 44. Hinc etiam in *Vindiciis*, seu *Vedelio Rhapsodo lib.* 1. *c.* 9. *p.* 54. innuunt, probari non posse, præscientiam contingentium omnium ἐσομένων καὶ μελλόντων esse necessariam *scitu & creditu, ad hoc ut colatur Deus.* Idem *Episcopius in Epistolica Disceptatione de Termino vitæ p.* 81. eodem modo tumultuatur pro Socino, asserens: opinione illa Socini *magnis multisque difficultatibus circa divinam providentium occurri posse &c.* Socinianos præscientiam talem *non negare, quia divinam perfectionem nullatenus imminutum ire volunt, sed tantum quia futura contingentia talia esse credunt, ut cognosci non possint: divinæ itaque scientiæ non magis quidquam detrahi, si dicatur Deus nescire ea quæ scibilia non sunt, quam divinæ omnipotentiæ detrahatur, si dicatur Deus non posse, quod possibile non est, aut quod contradictio-*

nem implicat. Denique, controversiam hanc *tot tantisque difficultatum tricis involutam esse, ut ad eam evolvendam decimus tertius Herculis labor requiratur, ac nisi rationibus omnibus obstaret una divinarum prædictionum irrefragabilis authoritas, pars negans pæne præponderatura videatur.*

5. Monstrosam hanc & ab omni naturali Theologiâ pariter ac pietate Christianâ abhorrentem opinionem istis argumentis profligamus. *Primum est,* Ex apertis scripturæ testimoniis *Ps.* 139. *v.* 2. 3. 4. 5. 6. 19. *Ephes.* 1. 11. *Actor.* 15. 18. & 2. 23. & 4. 28. 1 *Petri* 1. 2. *Rom.* 8. 29. *Iesa.* 46. 10. *Secundum est,* ex iis locis, ubi Deus dicitur nosse omnia 1 *Ioh.* 3. 20. *Ioh.* 21. 17. *Hebr.* 4. 12. 13. *Daniel* 2. 22. Inter omnia autem illa sunt etiam futura contingentia: Nam specialiter de cordibus hominum libera sua electione res contingentes producentibus illud asseritur *Proverb.* 15. 11. *Tertium est,* ex prædictionibus & prophetiis, ad quas Deus imprimis provocat, & quibus se à falsis Diis discernit *Ies.* 46. 10. Hinc scitè Tertullianus lib. 2. contra Marcionem: *Tantos habet præscientiæ suæ testes, quantos fecit prophetas.* Considerentur omnes prophetiæ, imprimis Danielis & Ieremiæ, quibus regnorum & populorum vicissitudines atque eversiones (ubi tanta actionum contingentium & liberarum farrago) prænunciantur. Similiter prædictiones de erroribus, peccatis, Anti-Christianismo *Math.* 24. 2 *Thess.* 2. 2 *Timoth.* 3. 2 *Petr.* 3. &c. *Quartum est,* Quia scientia Dei est perfectissima, immutabilis, expers successionis, incrementi, æterna, una & simplicissima; ergo æquali & uno eodemque actu versatur circa omnia præsentia, præterita, futura. Nulla enim temporis differentia, quam res aliqua connotat, Dei scientiam excludit: Sunt enim Deo omnia præsentia, quamvis in creaturis seu in rebus cognitis connotent differentiam temporis præteriti aut futuri: talem tamen connotationem non recipit scientia Dei, quæ non est subjecta tempori, sed est supra omne tempus, & versatur circa tempus. *Quintum,* quia Beatitudo, ἀυτάρκεια, majestas, gloria & excellentia Dei, ac sapientia ejus, cujus nulla pervestigatio *Rom.* 11. 33. 34. *Iesa.* 40. 14. *Iob.* 41. 2. 1 *Corinth.* 2. 19. requirit scientiam futurorum. In quo enim excelleret supereminenter, si non hac in parte? præsertim cum talis scientia sit excellens aliqua perfectio, & homines naturali appetitu ad eam ferantur, & minimam ejus particulam in hominibus admirentur: atqui omnis perfectio Deo competit vel formaliter vel eminenter. *Sextum,* A decretis Dei, quæcunque Deus decrevit antequam fierent & ab æterno, ea etiam præscit: sed futura contingentia decrevit *Actor.* 2. 23. & 4. 28. *Septimum,* A providentia & gubernatione Dei; quâ Deus prospicit omnibus hominum rebus & actionibus; prævenit etiam malorum conatus, occurrit ipsorum consiliis & cogitationibus; ergo ea omnia

mnia ante perſpecta habet. Antecedens pluribus ſcripturę teſtimoniis probatum vid. *in loc. comm. de Providentiâ. Octavum*, quia omnem entitatem ac veritatem Deus novit: atqui futurorum contingentium eſt quædam entitas & veritas, Ergo. Probavimus antecedens prolixè *in* noſtra *Diſſertatione de Termino vitæ. argum.* 12. *p.* 269. 270. 271. 272. edit. in 4. *Denique* accedit conſenſus Patrum, imprimis *Auguſtini lib.* 5. *de civit. Dei cap.* 9. Vbi diſputat contra Ciceronem, qui *ut homines faceret liberos, faciebat ſacrilegos*, ut loquitur Auguſtinus: *Nam & confiteri eſſe Deum, & negare præſcium futurorum apertiſſima inſania eſt.* Ibid. lege ſis elegantiſſimam diſputationem & videbis, aut Socinum ἐθνικίζειν, aut Ethnicum Ciceronem σοκινίζειν pro liberi arbitrii ſui Helena. Ejuſdem cum Auguſtino ſententiæ ſunt patres alii, inter quos primipili qui hæreſi Pelagianæ ſe oppoſuerunt, ut *Hilarius*, *Proſper*, *Fulgentius*, *Greg. Magn.* & qui Providentiam Dei aſſeruerunt *Theodor. Chryſoſtom. Salvianus*, &c. Poſtremo omnes qui Religionem Chriſtianam contra Gentiles defenderunt, & qui vel ex profeſſo vel data occaſione, de prædictionibus veris & falſis diſſertarunt. Patribus ſurcenturiamus Scholaſticos omnes ad 1. *diſt.* 35. & *ad Thom. p.* 1. *qu.* 14. Et recentiores Pontificios, Auguſtanæ Confeſſionis, & Reformatos Theologos omnes. Addi poſſent ex Ethnicis *Proclus in Alcibiadem primum Platonis*, *Simplicius in* 8. *phyſic. text.* 408. aliique Græci Latinique Philoſophi, quorum dicta collecta vide à *Pleſſæo lib. de Veritate Religionis Chriſtianæ*, *Steucho Eugubino de perenni philoſoph. lib.* 6. *c.* 1. 2. 3. 4. 5. 10.

Conſectar. I. *Lollardis (hoc eſt, piis VValdenſibus)* Coccius theſauri Cathol. lib. 1. artic. 1. pag. 1.) *impingit & quidem fide* Trithemii in Chronic. Hirſaugenſi ad ann. 1315. *quod docuerint, Deum nec ſcire, nec punire mala, quæ ſub terra fiebant; unde in ſpeluncis & cavernis ſubterraneis abominanda & infanda multa patrârint.* Reſp. *Sed, ô bone Cocci, an Punicæ & Papiſticæ fidei contrâ innocentes homines ſufficit unus teſtis hiſtoricus, quem infamem Magum & Magiæ Doctorem fuiſſe affatim probavimus in* Deſper. Cauſa Papatus lib. 1. ſect. 4. *& veſtri nunc fateri coguntur, nominatim* Delrio, Bellarminus &c. *Præterquam quod fuerit juratus eorum adverſarius, & rigidus Papiſta. Accedit quod innoxia fides & vita iſtorum hominum ab iſtis aliiſque hæreſibus & flagitiis ex teſtimoniis Papiſtarum ſatis ſuperque vindicata ſit. Vt oſtendimus* Deſperat. Cauſ. Papatus lib. 3. ſect. 2. cap. 9. II. *Solitæ fidei, candoris, conſcientiæ & caritatis eſt Remonſtranticæ, quod ipſi Sociniſmi, nimis ſuſpecti, ut invidiam declinent & hominum oculis pulverem offundant, Eccleſiæ noſtræ ſtrenuè pro Dei præſcientiâ laboranti ac pugnanti exprobrare auſi ſint negatam futurorum contingentium præſcientiam* Apolog. cap. 2. fol. 43. Epiſcop.

Dissertat. de Termino vitæ p. 72. *Qui lusus & artes eorum non absimiles mihi videntur* Richeomi Iesuitæ Pantheo Huguonotarum detecto, *id est*, tract. de Idololatria Huguonotica. III. *Quamvis Remonstrantes velint videri nondum abjecisse omnem orthodoxam fidem, de Præscientia futurorum : tamen cum defensionem hujus veritatis tam difficilem, rationes Socini tam urgentes, doctrinam hanc tam parum necessariam esse disputent, & arenosum illud fundamentum de infinitate scientiæ divinæ tantummodo sublata doctrina de prædeterminatione & decreto voluntatis divinæ sive ad operandum, sive ad permittendum : nemo non videt, quid de ista temporum fide (an simulatione ?) statuendum sit.* Vbi aliter *cum toto Christianismo adversus Socinum se declararint, præsumptionibus illis non ultra agemus.*

6. Ratiunculas *Socini in prælectionibus loc. cit.* allatas ut solvamus chartæ angustia non fert ; nec etiam necesse est, siquis modo locos communes Theologiæ à limine salutârit. Palmarium argumentum de futurorum contingentium indeterminata veritate, & alteram amplificationem Rhetoricæ Socinianæ, de sublata contingentia, libertate, &c. satis, ut opinor, profligavimus *in dissertat. de Termino vitæ.* Si quis ex professo Socini vestigia prementem, & logos ejus operosè ac solidè refutantem quem videre cupiat, is legat *Iohannis Iunii Refutat. Prælection. Socini, ad cap.* 8.9.10.11.

7. Altera capitalis controversia restat examinanda, de scientia, quam vocant, media seu conditionatâ futurorum contingentium, quam definiunt, quod sit, *Scientia, quâ Deus ab æterno, non absolutè, sed sub conditione cognovit, quid homines & angeli facturi essent, pro suâ libertate, si cum his aut illis circumstantiis, in tali vel tali rerum ordine collocarentur.* Dissentiunt autem inter se conditionales Doctores an hæc scientia ad indefinitam an verò ad definitam sit reducenda. Item, an objectum ejus sint omnia futura conditionata, etiam quæ pendent à causis naturalibus; an verò tantum ea conditionata, quæ pendent à libero arbitrio : ut videre est apud *Becanum cap. cit. qu.* 1. Originem profanæ hujus novitatis & evanidæ speculationis toti antiquitati, omnibus Theologorum scholis incognitæ, si scire desideras, sic habe. Post exortam novellam istam sectam Iesuitarum, magna inter ipsam & reliquos Clericos cum sæculares tum regulares passim exstitit contentio. Iesuitæ aliorum, imprimis Dominicanorum authoritatem, haut aliter ac Carthago æmula Romani imperii, passim imminutum ibant. Hinc prætextus quæsiti, plausibiles occasiones omnes arreptæ. Inter alias putârunt ad rem ipsorum maximè facturas controversias celebres de Conceptione Mariæ, & de gratiæ ac liberi arbitrii concursu, ubi quidem sperabant applausum maximæ partis, tum clericorum tum laicorum sibi non defo-

defore. Disputationes illæ de gratiâ & libero arbitrio (de Conceptione Mariæ alibi dicendum est) primum Lovanii in Leonardo Lessio Pelagianismi aut Semi-Pelagianismi condemnatæ per Theologos Lovanienses, Duacenos, deinde & Episcopos Belgicos: de quo Iesuitæ conqueruntur in *Imagine primi saculi lib. 6. p.* 847. Vbi vide. Postea inter Iesuitas & Dominicanos in Hispaniâ in tantum exarsêre, dum illi sublatum liberum arbitrium & syncretismum cum Lutheranis ac Calvinistis objicerent Dominicanis, Dominicani vicissim Pelagianismum objicerent Iesuitis, ut quadriennale silentium à Papâ & summo hæreseos Inquisitore ipsis sit impositum quod ægrè solvi potuit, nisi sub istâ conditione, ut potestas ipsis esset disputandi & scribendi de illâ controversiâ, *sine suggillatione & censura alterius opinionis*, referente *Vasquez præfat. dedicat. ad Commentar.* in *Thomam*. De illâ Tragœdiâ nonnulla refert. *Petrus Mattheus historicus Gallus lib. 7. narratione* 4. §. 3. Iesuitæ ne apertè viderentur Augustino & Thomæ cum sequacibus bellum indicere, aut cum Pelagianis συγκρητίζειν, excogitârunt scientiam *Mediam*, quæ usque in hunc diem omnium Pelagianizantium asylum est. Nonnulli primum χωνοφονίας istius authorem faciunt Fonsecam, alii Molinam. Certe uterque de eo gloriatur; & posset judicio meo adhibitâ aliquâ distinctione utriusque nomen æternitati consecrari in novâ editione *Polydori de Inventoribus rerum*, aut *Pancirolli de novis repertis*; seu mavis in novis catalogis hæreseωn, si cum auctario aliquando recudantur, *Medices* scil., *Alphonsus à Castro, Patreolus, Lutsenburgius*. Sic se res habet *Fonseca* anno 1566. publicis prælectionibus & dictatis modum illum conciliandi liberum arbitrium cum gratiâ proposuerat, & conceptus suos etiam verbotenus cum auditoribus communicârat (ut testatur *ad Metaphys. lib. 6. c. 2. qu. 4. sect.* 8.) sed propter speciem novitatis typis nihil vulgârat ante annum 1596. cum ederet *commentat. Metaphysicor. tomum* 3. Primus ursinum illum fœtum Fonsecę, lambendo perfectum ac *paulatim emollitum* (ut loquitur *Fonseca*) in lucem edidit *Ludovicus Molina in tract. de Concordia liberi arbitrii & gratiæ* primum edito 1588. deinde iteratâ editione aucto 1595. Antverpiæ apud Trognæsium in 4. & *in commentar. ad* 1. *qu.* 13. ubi etiam exsertè profitetur, *hanc rationem conciliandi à nemine, quem viderit, hucusque traditam*. Vbi αὐτοδίδακτος vult videri, nec Fonsecæ mentionem facit. Demus ergo eodem spiritu actos hoc commentum fabricasse, quamvis alteri de alterius conceptibus nihil innotuisset. Illos secutus est *Fr. Zvvarez ad* 3. *p. qu.* 1. sed imprimis *peculiari tract.* qui inter opuscula Theologica primum in 4. & seorsim, deinde in fol. cum omnibus operibus ejusdem est editus. Et hic contortâ & omnia torquente ingenii sui subtilitate non parum hanc novitatem promovit.

movit. Nec minus post illum etiam *Vasquez comment. ad 1. qu. 14. Mendoza in quodlibetis.* A quorum vestigiis alii quamplures istius ordinis & commatis ut *Becanus in theolog. Scholastica, Lorinus, & A Lapide* passim *in commentariis*, cum Professoribus Colonienſibus, Moguntinis, Ingolstadienſibus &c. non recesserunt. Ajunt multa, imprimis seriem prædestinationis sine illa scientia percipi non posse. *Lorinus in commentar: ad Sapientiæ 4. p. 115. & ad cap. 11. v. 18.* Vbi tamen utens voce *videtur.* dubitationem suam prodit. *Molina de concordia &c. disput. 53. membro 1.* Sed acriter oppoſuerunt se genuini sectatores Thomæ, inter eos Dominicani *Banneʒ, Alvareʒ, Rispolis* &c. & Doctores Duaceni. Inter quos *Franc. Sylvius* edidit *sententias spirituales* in 12. & *tract. de Motione primi motoris* in 4. hoc agens ut catholico antiquorum patrum, Scholasticorum, & recentiorum consensu novitatem illam obruat; & sententiam Augustini ac Thomę (hoc est Ecclesiæ Catholicæ ut loquitur) tueatur. Inter alia tract. de *Motione* part. 2. art. 9. post recensita fastuosa hæc Molinæ verba: *Quod si hæc* ratio conciliandi *data explanataque semper fuisset, forte neque Pelagiana hæresis fuisset exorta, neque Lutherani tam impudenter arbitrii libertatem ausi fuissent negare &c. neque ex Augustini opinione concertationibusque cum Pelag. tot fideles fuissent turbati, ad Pelagianosque defecissent &c.* ita exclamat: *Sentit ergo Molina se primum istius scientiæ mediæ & optimæ rationis conciliandi libertatem hominis cum gratia Dei inventorem: quæ cum SS. illos Augustinum, Hieronymum, Ambrosium, Gregorium, Chrysostomum latuerit, uni Molinæ detecta est, quasi vero SS. illis patribus vel doctior sit vel sanctior. An Augustinus Ecclesiæ peculiariter datus Doctor, & Pelagianorum excitatus malleus non fuit tam perspicax quam Molina, &c.* Inventum illud Iesuitarum novitate sua vix notum in Batavia, nedum examinatum, commodissimum Remonstrantibus nostris visum fuit muniendis insulsis & infrunitis illis *Castellionis, Cornherti, Coolhasii, Wiggerti* & similium contra gratiam Dei & prædestinationem teretismatis. Hinc *Arminius loc. cit.* scientiam hanc mediam, sed in generalibus terminis tantum, innuit. Post eum *Vorstius lib. de Deo in notis ad Disput. 5. p. 217.* Qui tamen *p. 253*, videtur Molinæ sententiam de mediâ scientiâ mutare, & aliam opinionem non meliorem substituere *p. 253. 254.* Sed involvit hanc rem, aut seipsum non intelligit, aut intelligi non vult. Vide quid de discursu, conjecturâ futurorum, scientiæ successione, & divisione per varios conceptus in ipso tum notabat *Egli semmius Criseos p. 34 39.* & *Hypocriseos p. 44. 75.* Postea apertius hanc scientiam mediam tutatus est, & controversiæ quinquarticulanæ applicuit *Grevinckhovius* infelici illo scripto *contra Amesium*: exscriptis nonnullis, uti videtur, ex *opusculis Theologicis Zvvarezii*, quamvis vix satis intellectis, aut concoctis. Eum cum ad silentium adegisset

gisset *Amesius* doctissimo suo responso, non desierunt tamen coccysmum & crambem eandem reponere *in scriptis Antisynodalibus*. Postremam illam aciem profligavit idem *Amesius*, *in Animadversionibus de gratia cap.* 5. Post quem tamen protritum & explosum illud commentum reposuit *Episcopius in epistola de Termino Vitæ*. Sed vide contra eum disceptatores de *Termino vitæ, editos* in 4. à Clariss. *Beverovicio*.

Consectar. I. *Vltima analysis Neo-Pelagianismi Iesuitarum, & Remonstrantiũ est: in novam & commentitiã illã distinctionem scientiæ mediæ. Vnde judicet Lector quo jure illi novitates, isti distinctiones philosophicas & scholasticas in hac doctrina Ecclesiis nostris objiciant.* II. *Liquet etiam, quanta sit Papisticæ sectæ imperitia, cum tam absurdas opiniones, tamque multiplicem dissensum circa Prædestinationem & gratiam Dei nobis exprobrando, suum antiquum Catholicismum & omnimodum consensum jactare non desinit.*

Scientiam mediam ex professo refutavimus *Dissertat. de Termino Vitæ arg.* 15. *pag.* 275. edit. in 4. ubi ostendimus eam nullam esse nisi purè indefinitam seu simplicis intelligentiæ: Hic istas rationes breviter opponimus. *Prima*, Conditiones quæ apponuntur, ut dicatur scientia conditionalium, vel sunt futuræ, vel non. Si prius, jam sunt objectum scientiæ *visionis*: Sin posterius, jam sunt objectum scientiæ simplicis intelligentiæ. Ergo nulla est scientia media. *Secunda*, omnia sunt à Deo absolutè præordinata, & dependent ab ejus voluntate. Ergo independenter à scientiâ conditionalium ea decrevit Deus: nam & ipsas causas conditionales liberas tanquam providentiæ suæ effectum ordinavit. Quod plurimis scripturæ testimoniis, consensu antiquitatis (nominatim *Ambros. lib.* 1. *Offic. cap.* 13. *Chrysostom. lib.* 6. *de Providentiâ*, *Augustin. lib.* 5. *de Genes. ad liter. cap.* 22. *Homilia* 23. *inter* 50. *Enchirid. cap.* 98. *lib.* 5. *de civitat. Dei cap.* 9. 11. *& lib.* 7. *cap.* 9. *Prosperi lib.* 1. *de vocat. Gentium cap.* 14. *& in epistol. ad Ruffinum*) Scholasticorum *Thomæ in* 1. *p. qu.* 22. *&* 116. *& de Veritate qu.* 5. *& lib.* 3. *contra Gentes cap.* 17. 64. 76. 97. 28. 102. probandum est in loco communi de Providentia Dei. Si quis excipiat, esse aliquam voluntatem Dei conditionatam, absurdum per multo obscurius & absurdius probatum ibit. Vide commentitiam illam voluntatem à Dei perfectione remotam & alia argumenta contra scientiam mediam in *Disser. de Term. vitæ p.* 276. 277. 278. 279. Rationes pro scientia media nullas ferè alias ex scriptura video adferri quam ex *Math.* 11. 21. 1 *Samuel* 23. *sic Zvvarez*, *Becanus*, *Vorstius*, Remonstrantes. Ad quas respondit *Amesius contra Grevinckhovium*, *& contra Antisynodalia loc. cit.* Addit *Becanus cap. cit. quæst.* 5. apud patres esse frequentem quæstionem, cur Deus creaverit angelos & primos parentes, eisque 8.

præceptum impoſuerit, cum ſciret illos peccaturos; eoſdem patres ſæpe docere, Deum eripere juſtos ex hoc mundo, quia prævidet illos peccaturos, ſi diutius viverent. Hinc ergo eruitur ſcientia illa conditionata. *R.* ſequitur hinc veritates illas enuntiabiles à Deo ſciri, ex. gr. Si abſque auxilio ſpeciali ſubſequentis ſeu ſecundæ gratiæ meæ talis ac tanta hominum malitia & Satanæ tentatio circumſiſtat Titium aut Mævium, utique ſeduceretur. Quæ enunciatio reducitur ad illam: Omnis homo, etiam Titius, abſque auxilio ſpeciali &c. à tanta malitiâ neceſſario ſeduceretur, hæc propoſitio dicit, non quid determinatè futurum ſit, ſed quid abſolutè ſit poſſibile, ſeu quæ ſit conſequentia rerum. Non magis ergo hinc evincitur ſcientia media quam ex iſtis: *Si homo diſcurrit eſt rationalis*, vel, *qui utitur diſcurſu, eſt rationalis.* Et, *Si Petrus à Deo totaliter deſeritur, excidet totaliter ex gratiâ*, quæ eadem eſt cum illâ, *Petrus à Deo totaliter deſertus excidit ex gratia.* Et continetur iſta; *Omnis fidelis à Deo totaliter deſertus excidit ex gratia.* Pari abſurditate ſcientiam mediam eliciat quis ex Galat. 1. v. 8. *Si nos aut angelus è cœlo euangelizet vobis, præter id quod euangelizavimus vobis, anathema ſit.* Et ex Iohann. 8. 55. *Si dixero, quod non noverim eum, ero ſimilis veſtri, mendax.*

Conſectar. Vaſquez in 1. p. qu. 14. art. 13. diſput. 65. cap. 1. 2. 3. 4. Becanus cap. cit. qu. 6. 7. 8. 9. 10. 11. *negant Deum futura contingentia certo præſcire in decreto ſuæ volntatis niſi remotè; ſed certitudinem petunt tum ex infinita vi & perſpicacitate divini intellectus, tum ex determinata veritate futurorum contingentium; unde dicunt proximè oriri. Quos eo tandem redigi neceſſe eſt, ut aut cum modernis ſociis ſuis* Catharino, Ianſenio *aliiſque* (*quos deſignat* Zvvarez Opuſc. de Scientia cap. 1.) *conjecturalem faciant hanc ſcientiam, ſiquidem futurorum iſtorum ante actum voluntatis divinæ nulla poteſt fingi determinata veritas; aut contra communem doctrinam Auguſtini & Scholaſticorum ſtatuant, Deum certo quid ſcire quia futurum eſt, & conſequenter res futuras eſſe cauſas ſcientiæ Dei. Sed pluribus & ex profeſſo hæc excutiuntur* diſp. *proximè ſequenti, quæ eſt* de ſcientiâ mediâ. *Conferri poteſt* Rivetus in diſſert. epiſtolicâ de Termino vitæ; *imprimis in* Catholico Orthod. tom. 2. p. 340. *edit. in* 4.

De Ideis in Deo.

1. IDeas Deo tribui, deque iis tractari à Theologis conſtat ex *Auguſtin. tom. 4. lib. Octuoginta trium Quæſtionum quæſt. 46. & lib. 5. de Geneſi ad literam c. 13. 14. & epiſt. 115. & lib. 11. de Civit. Dei c. 10. 11. & lib. 12. c. 26. Iuſtino Martyre Orat. paranetic. ad Gentes, Clemente Alexandrin. lib. 5. Stromat. Dionyſio* dicto *Areopag. de divin. nominib: c. 5. Ambroſ. lib. 1. Hexaemer. c. 2.*

Boethio

Boethio de consolat. lib. 3. metro 9. (ubi videnda commentar. Thomæ) *Bernard. in epistol. de Vita solitar. ad fr. de monte Dei. Anselmo in Monolog. c. 5. Scholasticis omnibus ad Lombard. l. 1. dist. 25.* ubi inter & supra alios omnes *Bonaventura.* & ad *Thom. 1. p. q. 15.* Et nostris Theolog. *Danæo ad Lombardi lib. 1. dist. 35. & in physicâ Christianâ part. 1. p. 48.* edit. in 8. *Zanchio de Deo lib. 3. qu. 2. c. 3. Polano lib. 5. syntagm. Alstedio Theolog. Natur. part. 1. c. 16. Amesio in Medullâ*, aliisque. Quibus adde Philosophos & Metaphysicos Christianos, & cum iis *Scaligerum Exercit. 29.* Ex philologis *Rhodiginum lib. 16. lection. antiqu. c. 17. Ludovicum Vivem ad Augustin. de civit. Dei loc. cit.* Scripsit prolixum & peculiarem *tractatum de Ideis Gabriel Buratellus*: sed cujus exemplar hactenus mihi non obtigit.

Idea in genere describi potest, *forma imitabilis ab agente per intellectum*, seu 2.
(ut Biel ad lib. 2. dist. ult.) *Est exemplar ad quod agens per intellectum respiciens, producit ideatum.* Durandus: *est ratio rei apud intellectum existens objectivè, ad cujus imitationem aliquid est producibile.* Thomas de verit. qu. 3. art. 1. *Est forma, quam aliquid imitatur ex intentione agentis præstituentis sibi finem.* Bonaventura loc. cit. *Est similitudo rei, per quam res cognoscitur & producitur.* Synonyma sunt imprimis si de divinis ideis intelligatur, *rationes, formæ, similitudines, sapientiæ, vires effectivæ, causæ primordiales, conditiones, speculationes, exemplaria, species, cogitationes, naturæ, quidditates* &c. Ad rationem ideæ tres conditiones requiruntur. 1. ut sit forma objecta intellectui, ad cujus similitudinem producatur res ad extra. 2. ut ista similitudo rei ad extra sit ex intentione ipsius operantis. 3. Vt effectus productus sit intentus à particulari agente. Cum enim equus producit equum sibi similem, non est idea in equo producente. Potest autem ea esse aut realiter in intellectu, aut objectivè. Distinguitur ab exemplari, quod hoc vel late omnem formam imitabilem, vel strictè externam formam sensibus objectam notet: idea verò tantum formam internam. Est autem talis idea omni agenti intellectuali necessaria: de quibus videndi Philosophi *ad 7. Metaphys. c. 8. & ad 1. Ethic. c. 6. & ad Isagogen Porphyrii.* Metaphysici passim, ubi agunt de Causis. Platonici ad *Parmenidem* seu *dialogum de Ideis.* Sunt autem ideæ vel in Deo, vel in agente rationali creato, angelo scil. aut homine. Vox ideæ divinæ ambigua est, aut enim appropriatè & personaliter dicitur de secundâ personâ filio scil., aut propriè & essentialiter de totâ trinitate. Priori modo dicitur de filio, quia omnia per ipsum facta sunt, tanquam per exemplar & ideam creaturarum. Vide *Thomam c. Gentes 4. cap. 13. Augustin. 11. de Civit. Dei c. 29. Vasquez ad 1. disput. 176. 5. 40. 46. 47.* Posteriori modo propriè & ὑσιοδῶς dicitur de Deo trinuno. Quia ideæ propriè & immediatè sunt in essentiâ divinâ ut sic, & in intellectu divino ut intel-

lectu divino ut intelligente. Atqui essentia, intellectus, intelligere sunt tribus personis communia & essentialia. Adhæc esse causam per intellectum convenit Deo ratione essentiæ, quæ est communis tribus personis. Atqui in perfectâ ratione causæ includuntur ideæ. Ergo. Denique quæ Deus operatur ad extra sunt unius Dei, quatenus habet unam essentiam: Atqui hæc est communis tribus personis. Ergo. Ideas in Deo propriè acceptas definit Augustinus loc. cit. *principales formas seu rationes rerum, stabiles, quæ ipsæ formatæ non sunt, ac per hoc æternæ & semper eodem modo se habentes, quæ in divina intelligentia continentur.* Theodoretus de curat. græcor. affect. serm. 4. explicat per *νοητὸν παράδειγμα intellectile exemplar* Albertus Magnus in exposit. cœlestis Hierarchiæ, Pseudo-Dionys. Areopagitæ vocat *radium divinum.* Dictus Dionys. Areopag. lib. 4. de divinis nominibus: *exemplar sempiternorum Deo semper præsens, ad quod Deus cuncta, quæ sunt, aspiciens, molitus & fabricatus est.* Communiter nunc definiunt recentiores Scholastici, quod nihil aliud sit Idea, *quam essentia divina, quatenus est cognitio creaturarum seu quatenus repræsentat creaturas per modum actualis cognitionis earum seu speciei expressæ.* Sic Becanus tract. 1. 10. quæst. 8. Scotus ad 1. dist. 35. quæst. unicà, *Idea est ratio æterna & incommunicabilis in mente divina, secundum quam aliquid est formabile extra, tanquam secundum propriam rationem ejus.* Fonseca in Metaph. lib. 7. c. 8. q. 2. sect. 6. *Est circumscriptus conceptus formalis, seu, peculiaris ratio formalis cujusque rei factibilis à Deo in mente divina existens.* Polanus ita describit: *Idea sunt formæ in mente divina existentes, quas imitantur res creatæ ex intentione Dei creatoris determinantis sibi finem.* Alstedius: *Est conceptus formalis, seu peculiaris ratio formalis cujusque rei factibilis in mente divinâ existens.* Ad intelligendam Ideam divinam, concipiamus eam tanquam relationem in Deo, (est enim exemplar, & omne exemplar est relatio) cujus correlatum sit ideatum, quod sunt omnes res præter Deum, factibiles scil. Subjectum (ita loqui liceat) est ipse Deus, sunt enim ideæ in Deo: Et quidem non quà concipitur ut essentia; sed ut intellectus, seu essentia intelligens. Fundamentum ejus est imitabilitas Dei, seu perfectionum Dei, quæ vel formaliter vel eminenter sunt in ipso. Finis ejus, qui hic habet rationem formæ seu formalis, est, quod sit principium cognoscendi & producendi. Porro hæc propria seu attributa partim negativè, partim affirmativè enuntiata de Ideis divinis notanda 1. Esse illas necessario ponendas in rerum naturâ: etiam in ipso Deo. Probat hoc breviter *Scotus in 1. dist. 35.* Deus omnia causat, vel causare potest rationabiliter: habet ergo rationem, secundum quam format: non autem eandem omnium; ergo singula propriis rationibus format. Non autem rationibus extra se, quia non

eget

eget in efficiendo aliquo alio à se : igitur rationibus in mente suâ. *Alexander Ales ad 7. Metaphys. text.* 44. sic probat : Deus est causa efficiens omnium rerum, aut per modum artis aut per modum naturæ. Non istud, quia sic Deus necessariò produceret ad extra. Ergo illud, hoc est, per modum artis. Omnis autem efficiens per modum artis requirit exemplar ad quod respiciens operetur. Cum enim agens non sit determinatum per formam naturalem ad hoc potius quam ad illud producendum, opus est ut determinetur per aliquid aliud : Illud autem est exemplar seu idea. Scholastici communiter, & cõpendiosè, ex iis *Capullus*, quatuor causas, cur ponantur ideæ, ex Augustino proponunt. I. propter rationes participandi. 2. propter rationes agendi. 3. propter rationes assimilandi. 4. propter rationes cognoscendi. II. Esse in Deo ipso, non extra Deum (quod haut obscurè voluit Plato cum suis) : non quidem formaliter, seu subjectivè, ut sigilli forma in cerâ, sed virtualiter : III. Esse æternas & immutabiles. IV. Non esse res ipsas à Deo producendas, quatenus divino intellectui objiciuntur, ut voluerunt, *Scotus, Durandus, Ocham, Gabriel Biel*, qui citat *Gerson libr. de Vita spirituali animæ lect.* 2. hoc est, non habere eas rationem objecti, in quo tanquam in imagine cognita cognoscantur creaturæ : sed esse ipsam cognitionem creaturarum, seu speciem expressam formaliter eas repræsentantem. V. Esse causas rerum effectrices, & quidem simpliciter primas ac principales in suo genere. VI. Essentiam Dei prout consideratione nostrà præcedit omnem actum intellectus non esse ideam, sed prout est cognitio & quasi expressa creaturarum similitudo; contra *Basolis*, *Richardum* & nonnullos recentiores. VII. Non omnem scientiam seu cognitionem Dei dicẽdam esse ideam, quia scientia visionis, quâ Deus cognoscit res futuras non habet rationem ideæ, consideratur enim tanquam purè speculativa : atqui idea pertinet ad scientiã practicã, & est ipsa formalis ratio creaturæ in mente divina existens, quatenus ab eo spectatur imitanda aut imitabilis in agendo. Quod patet ex definitionibus supra allatis. VIII. Malè at impropriè admodum dividunt nonnulli ideas in speculativas & practicas ; cum omnes sint practicæ, quippe rerum factibilium. IX. Ideæ solum repræsentant res quod ad esse earum possibile, & modum quo fieri possint. Non ergo repræsentant res in esse futuro seu futuritionem & existentiam earum; nisi ut possibilem : & modum ut in actu exercito poni possit in esse. Ratio hæc est, quia præcedunt in signo rationis omnem actum voluntatis divinæ, seu omne decretum : atqui sine eo nulla rerum futuritio. X. Distinctio in ideas actu & potentia, rectè explicari potest; haut aliter ac causa distinguitur in actu & potentia. XI. Simpliciter impossibilia & mala culpæ, privationes ex. gr. tenebræ,

mors &c. non habent in Deo ideas: quod vide explicatum non tantum à theologis; sed etiam ab *Alcinoo in lib. de doctrina Platonis cap.* 9. XII. Ideæ omnes in Deo una sunt, & realiter idem cum Deo; nec in ipso Deo possunt realiter distingui, cum nihil aliud dicant quam conceptum divinum seu Deum cognoscentem cum relatione imitationis passivæ, & cum fundamento seu ratione fundandi talis relationis. Distingui tamen possunt, ratione ratiocinata, & eminenter, in ordine scil. ad distincta ideata seu res factibiles, ut diximus *in Disput. de Simplicitate Dei.* XIII. Ideæ in Deo & in seipsis, à nobis intelligi aut investigari nec possunt, nec debent. De his aliisque Theorematis operosè disputant Scholastici supra cit. & *Thomas in quæst. Disputatis tract. peculiari.* Ex recentioribus *Zvvarez in Metaphys. de causa exemplari; Meurisse in Metaphysicâ Scotisticâ lib.* 1. *qu.* 16. 17. *Vasquez in* 1. *qu.* 15. *Fonseca in Metaphys. loc. cit. Rhada part.* 1. *contr.* 29. Et *Petrus Capullus in commentariis ad lib.* 1. *sententiar. Bonaventuræ dist.* 35. qui supra omnes alios minutim & doctè omnes quæstiones explicuisse mihi videtur.

3. Opponuntur huic veritati de Ideis in mente divina, *Ideæ*, quas vocant, *Platonicæ*, quæ dicuntur esse universales naturæ à singularibus non tantum mente abstractæ, sed etiam realiter & ipso actu separatæ, seorsimque existentes. Quas dicit esse invisibiles, incorporales, supermundiales (ut loquitur *Tertullianus cap.* 18. *de Anima,*) perpetuas & immobiles, participari ab individuis, nec existere in ipsis individuis, & esse ipsas individuorum communes seu universales naturas. Hinc Platonici αὐτοἰπποι, αὐτοανθρωποι, αὐτοαγαθὸν, universale scil. & summum bonum, in quo consisteret beatitudo, prout etiam de solis ideis ajebat esse scientiam; & ideas esse veritates, res autem ipsas tantum imagines idearum. Hanc opinionem Platonis refutavit passim *Aristoteles*, imprimis *Metaphys. lib.* 1. *c.* 6. *&* 7. *& lib.* 7. *c.* 14. *& lib.* 13. *c.* 5. *& Ethic. Nicomach. lib.* 1. *c.* 6. Sententiam tamen ejus multi laudant, & de ideis in mente divinâ accipiunt *Augustin. in* 83. *quæst. jam cit. & lib.* 12. *de civit. Dei c.* 26. *& lib.* 7. *c.* 28. *& lib.* 1. *retract. c.* 3. *& epist.* 58. *&* 56. *Clemens Alexandr. Stromat. lib.* 4. *&* 5. *Euseb. lib.* 11. *de præparat. c.* 1. *Plutarch. de placit. lib.* 1. *c.* 10. *Laertius in vita Platonis, Apulejus de dogmat. Platonis, Seneca epist.* 58. 65. 66. *ad Lucil. Alcinous de doctrina Platonis cap.* 9. Eustratius & Simplic. *apud Thomam de regim. princip. lib.* 4. *cap.* 4. Philo & Plotinus *apud Eugubin. lib.* 1. *c.* 12. *Stobeus in Eclogis physicis c.* 12. *Scotus in dist.* 35. *quæst. unica. Franc. Mayronis in* 1. *dist.* 45. Et *Picus de Exam. Vanitat. lib.* 6. *cap.* 1. Et fautores Platonicæ Philosophiæ *Ficinus, Bessarion, Petrus Crinitus, Sebast. Foxus, Piccolomineus* &c. Ex recentioribus, huc inclinant cætera non

ra non Platonici ſed Ariſtotelici *Petr. Capullus* Minorita Epiſcopus Converſanus *in commentar. ad* 1 *Bonaventuræ diſt.* 35. *quæſt.* 1. *punct.* 1. Et *Meuriſſe metaphyſ. Scotiſtica lib.* 1. *qu.* 16. *concl.* 2. Quibus accedat *Lipſius* Stoicæ philoſophiæ ſectator *lib.* 2. *phyſiol. Stoicæ diſſert.* 3. Nos contra non vanis rationibus ducti ſtatuimus Platonem minimè tradidiſſe veram illam Theologiam, quam ipſi affingunt, ſed illud potius quod Ariſtoteles in eo impugnat. Rat. 1. quia, quidquid de æternitate, ἀφθαρσία & præſtantiâ idearum more ſuo peroret, facit tamen eas naturas & eſſentias communes à Deo & ab individuis creaturis realiter diſtinctas, *de Republica l.* 6. ubi diſp. τὴν τοῦ ἀγαθοῦ ἰδέαν μέγιστον εἶναι μάθημα. In Timæo menti adſcribit ideas, & tribuit eas Diis & hominibus, ita ut ſint quiddam Deo & hominibus quibuſdam commune. *Epiſtol.* 7. *ad Dionis propinquos*, dicit ideam eſſe intelligendi vim hominibus inſitam. Idem in *Parmenide* unum diſtinguit per hæc tria; ſenſibilia, intelligibilia ſeu ideas, & illud quod eſt ſupra iſtas ideas, Deum ſcil. Quam mentem præceptoris ſui, ita explicat *Marſilius Ficinus in argumento, quod dialogo* illi præmiſit. II. Quia non eſt credibile Ariſtotelem ita pervertiſſe Platonis mentem, cum 20. annos illum audiviſſet, & viverẽt diſcipuli Platonis, qui præceptorem ſuum à calumnia vindicaſſent. III. Quia ſic accipiunt ejus mẽtem & cum Ariſtotele faciunt *Iuſtinus Martyr in orat. ad Gẽtiles*, ferè ſub ſinem *Tertull. de Anima c.* 18. *Irenæus l.* 2. *c.* 19. *Ambroſ. lib.* 2. *Hexaem. c. &* 2. *Nazianz. orat.* 33. *& ib. Elias Cretẽſis, Cyrillus lib.* 2. *c. Iulian. Thomas p.* 1. *qu.* 6. *a.* 4. & alibi, ut & *Alexander, Averroës*, aliique commentatores Ariſtotelis. Sic etiam recentiores commentatores ad loca cit. Ariſtotelis, quos omnes nominatim indicare haut operæ pretium. IV. Ipſi Platonici *Plotinus*, *Porphyrius*, *Proclus*, aliique quos ſecutus eſt Proclus, Platonem ita non explicant, ut cum Theologia noſtra conveniat, fatente *Ficino in comment. ad Dionyſii cap.* 5. *de divin. nominibus.* V. *Theodoretus* aliter Platonem explicat, ſaltem nihil certi ex illo ſtatuendum putat, de *Curat. Græc. affect. ſermone* 4. *p.* 94. Et ſic recentiores Platonici fluctuant, dum alii ideam explicant genus logicum, *ſic Ramus ſchol. Logic. lib.* 3. *c.* 2. *&* 7. alii cauſam: ita ut plane ſynonyma Platoni eſſe contendant ἰδέαν & αἴτιον, *ſic Serranus argum. in Parmenidem.* VI. Accedant recentiores Peripatetici plerique in controverſia de Vniverſalibus, & in commentariis ad loca Ariſtotelis cit.

Conſectar. 1. *Romano-papiſtica fide* Concilium Conſtant. ſeſſ. 16. *inter errores VViclefi & Huſſi refert, quod ideas ſeu eſſe ideale creaturarum in Deo negaverint, atque adeo ſine additamento has propoſitiones veras eſſe dixerint*: Omnis creatura eſt Deus, & quodlibet eſt Deus. *Conſulendi de doctrina VViclefi & Huſſi* hiſtorici eccleſiaſtici, *& ſcriptores de* ſucceſſione doctrinæ & eccleſiæ, *de-*

siæ, deque testibus veritatis, alibi indicati. Si quam phrasin aut thesin eum limitatione aut certo respectu concesserint, eam iniquum esset absolutè accipi & ad hæresin detorquerì. Cogitare debebant prius corrigendum modum loquendi Anselmi, Thomæ, aliorumque scholasticorum, quo statuerunt, ideas esse creaturas objectivè in Deo. Secundo *opponuntur ideis Æones Valentini, & genealogiæ Gnosticorum, quæ enatæ partim ex ideis Platonicis* (teste Tertulliano loc. cit.) *partim ex Hesiodi theogonia.* Tertio, *Cabalistarum & Rabbinorum sephirot: de quibus superiori* disp. de Dei simplicitate.

COntroversiam de scientiâ mediâ, cujus nos solummodo gustum studiosis nostris tunc dederamus, annis aliquot post unus ex discipulis ex professo & doctè pertractavit, & publicâ disputatione sub nostro præsidio ventilandam proposuit, Diatriben illam visum est hic inserere, tum ut studiis φιλομαθῶν inserviat, tum ut hinc constaret de eximio quorundam discipulorum nostrorum supra ætatem in rebus theologicis profectu.

DE CONDITIONATA SEU MEDIA IN DEO SCIENTIA, *SECTIO PRIMA,*

Autore & Resp. M. MATTHIA NETHENO Reessensi

Ad diem 9. Decemb. 1643.

Post formatum controversiæ statum, mediam quorundam sententiam ad examen revocans.

1. PVrgatam dedimus voluntatem divinam, à fuligine Conditionatorum Decretorum, quibus conspurcare eam conabantur Pelagianæ hæresios incrustatores; idque pro ea facultate & gratia, quam nobis indignis famulis suis Creator & Dominus noster concesserat: juvat nunc aspirante eadem illius gratia pergere in suscepto tam bonæ causæ patrocinio & sapientissimum Creatoris universi intellectum à monstrosa seu prodigiosa scientiæ conditionatæ fœditate immunem præstare. Quod autem antea in genere monui de tribus illis controversiis, quas hisce disputationibus examinandas suscepimus, ab iis cætera fere omnia Hypotheticorum placita dependere, id inprimis de hac scientia intelligendum, ultimo totius causæ hypotheticæ refugio, quæ defensoribus suis ut necessarium fundamentum supponitur ad declarandum totum divinę prædestinationis mysterium & gratiæ divinæ, in universa hominis peccatoris circa initium, medium & finem salute infallibiliter procuranda, efficaciam: quod ipsum pluribus etiam ostendit Clariss. *Tuvissus in præfat. dissert. de scient. media.* Recens est

hæc

hæc controverſia nec in antiquis PP. Scholaſticorum aut Philoſophorum libris & commentariis Theologicis agitata: ſed ante paucos annos à Lojolæ poſteris, mendaciorum architectis & ſcholaſticæ Theologiæ corruptoribus primariis, in Academia Salmanticenſi primum contra Monachos Dominicanos, mota, unde poſtmodum ad alias Chriſtiani orbis Academias dimanavit. Primus hunc ſcientię conditionatæ fœtum, Pelagianiſmo gravidus, clam enixus eſt Petrus Fonſeca Ieſuita, obſtetricantibus Lud. Molina & Fr. Suario itidem Ieſuitis. Ex quibus *Molina* eam primus omnium ſcripto *de Concordia libro* in conſpectum omnium protulit anno 1588. & contra Dominicum Bannes iſtius Concordiæ oppugnatorem defendit: á quo deinde ſectatores ejus Moliniſtę dicti. Hinc & ipſe *Fonſeca in Metaph. lib. 6. cap. 2. quæſt. 4. ſect.* 8. gloriatur ſe primum hujus ſcientiæ authorem & inventorem fuiſſe, cujus cogitatio ſibi primum inciderit an. 1566. cum materiam de Providentia divina & Prædeſtinatione in publicis lectionibus ingreſſus, hæreret implicitus difficultatibus, quæ ibi moveri ſolent: iſtius verò ſcientię inventum omnium pene objectarum difficultatum tenebras depuliſſe, ut nova quædam lux mentis ſuæ oculis oborta videretur, lætaturque adeo hoc ſuum inventum, quibuſdam ex auditoribus verbo tenus tum temporis communicatum, ſubactum poſtea magis, ſubauctum & rationibus confirmatum eſſe à Molina, à Suario, à Vaſquio, à Mendoza aliiſque quos reliqui deinceps Ieſuitæ ad unum omnes ſecuti ſunt, ut hæc communis nunc ſit totius Ieſuiticæ ſocietatis ſententia. Tantis vero partium ſtudiis controverſia hæc in principio agitata fuit, ut poſt contentiones Academicas ad ſummum Rom. Pontificis tribunal provocatum ſit. Longa eſt hiſtoria longæ ambages, quas ne quidem in tranſitu propoſita theſium brevitas luſtrare patitur. Eventus hic fuit ut partes diſſidentes poſt conſultum ſuum Apollinem dicere potuerint, quod olim poſt conſultos juris interpretes Demipho ille Terentianus. *Feciſtis probè: incertior ſum multò, quam dudum.* Manet ſcil. hodie dum ſcientia media pomum contentionis inter Papiſtas: ſunt qui propugnent, ſunt qui oppugnent. Quo autem tempore caput efferre cœpit Remonſtrantica factio, cujus myſteria partim è Socinianiſticis, partim è Lojoliticis capſulis petita ſunt; quotquot ex illis cum Socino & Vorſtio exiſtimarunt futura contingentia libera, propter incertam & ambiguam ipſorum naturam præſciri à Deo non poſſe: vel præſcientiam talium futurorum in dubium vocarunt, unde nec in Confeſſione nec in Apologia nec in Synodalibus ipſorum clara quæpiam & luculenta hac de re extat confeſſio, qualem decebat eos, qui ſuſpicionibus nimii cum Socinianiſmo ſyncretiſmi gravari ſe ſciunt; vel apertis ſcripturæ

teſtimoniis convicti, præſcientiam iſtam dixerunt ſe credere, modum ignorare & conditionatæ Ieſuitarum ſcientiæ, aliunde quam ex decreto divino certitudinem ſuam mutuantis, remigio cauſam ſuam promovere ſtuduerunt, inter quos fuere cum primis totius incepti author Arminius & poſt eum Nic. Grevinchovius. In Synodalibus quindecim iſti diſputatores *ad art.* 1. & 4. obiter ejus mentionem faciunt, ſed ibi quantum ſatis eſt reſpondit *Ameſius Antiſyd. art.* 1. *cap.* 1. *th.* 29. *& art.* 4. *cap.* 5. *th.* 4. A noſtris DD. ſimul ut cognita, ſimul tanquam plenum delirii Ieſuitarum nugamentum, tanquam fallax abominabilis Pelagianiſmi tectorium & veræ Theologiæ ludibrium exploſum fuit: niſi quod contra torrentem DD. ivit unus atque alter; quos tamen, ſaltem duos ex iis, ſcimus verborum ſpecie & explicandi modo potius, quam reipſa ab orthodoxis diſſenſiſſe, nihilque de juvando aut incruſtando Pelagianiſmo & Semi-Pelagianiſmo cogitaſſe.

2. Sed nunc ſcientiam ipſam in ſcenam producamus, ut, quid monſtri ſit, intelligere valeamus. Definitur ea *à Lud. Molina* primo illius, poſt inventa Fonſecæ, incruſtatore & defenſore in *comment. ad* 1. *partem Thomæ, qu.* 14. *art.* 13. *diſp.* 17. quod ſit *ſcientia, qua Deus ex altiſſima & inſcrutabili comprehenſione cujuſque liberi arbitrii in ſua eſſentia, intuitus eſt quid pro ſua innata libertate, ſi in hoc vel illo vel etiam infinitis rerum ordinibus collocaretur, acturum eſſet, cum tamen poſſet, ſi vellet, facere ipſa oppoſitum.* Alibi adhuc clarius ait: certitudinem totam divinæ ſcientiæ circa actus liberi arbitrii creati provenire ex *ſcientia media, qua ante omnem actum ſuæ voluntatis cognovit, in quam partem arbitrium pro ſua libertate ſe eſſet flexurum, ex hypotheſi quod ea auxilia & concurſus vellet illi conferre, ſciturus contrarium, ſi in partem contrariam pro eadem libertate arbitrium ſe eſſet flexurum.* Ex. gr. ſciet per hanc ſcientiam ante omne ſuum decretum Deus, quod Titius qui nunc profitetur Reformatam Religionem, Papiſticam amplexurus ſit, ſi iterum in has terras introducatur inquiſitio Hiſpanica: & contra Sempronius ejuſdem Religionis particeps, in ea ad mortem uſque conſtanter perſeveraturus ſit: licet & hic deficere & alter conſtans manere potuerit & forte neutro vivente inquiſitio introducenda ſit. Ex orthodoxis unus in Diſp. de Prædeſt. th. 31. dicit *eam eſſe, qua Deus, ex infinito ſcientiæ ſuæ lumine, quædam futura, non abſolutè, ſed certa conditione poſita, prænovit.* Similiter alter in Loc. comm. *Scientiam iſtam vocari ait, qua ex hypotheſi res futuræ cognoſcuntur, etſi abſolutè futuræ non ſint aut nondum ſint.* Ab aliis aliter definitur, prout quiſque eam vel breviore gyro includit vel latiores habenas indulget vel eandem ſæpe rem diverſis, ut fieri ſolet, verborum formulis diverſoque conſiderandi modo proponit, ſed ut totum myſterium atque ut ita dicam quinteſſentia

ſcientiæ

ſciētiæ iſtius omnium ſimul oculis exponatur lubet eam referre extractā ex Moliniſtarum placitis à *Gul. Gibieuf* Sorboniſta & Chymiſta hic non illaudato. Sic ille de Lib. Dei & creat. lib. 1. cap. 13. *Eorum* (Moliniſtarum) *ſententia eſt, ut Deus Opt. Max. eligere poſſit efficaci & abſoluta voluntate homines ad gloriam, ſine libertatis diſpendio obtinendam, aut etiam ad aliquos voluntatis actus temporarios, illæſa arbitrii libertate exercendos, debere, antequam in eo ſe voluntatis decreto firmet, noſſe quo tempore & in qua occaſione homo futurus ſit melius diſpoſitus, quibus rebus magis afficiatur, quibus denique modis conditionibus aut circumſtantiis poſitis liberum ejus arbitrium hoc aut illud operabitur; cumque præviderit hominem ſub talibus circumſtantiis poſitum, tali motioni & vocationi obtemperaturum, tum demum & non prius poſſe abſolutè prædefinire conſenſum ejus*: VOLO EUM ID VELLE: *& cum eodem cognitionis genere præviderit ſub quibus circumſtantiis ſit in finem uſque perſeveraturus, tum poſſe abſoluta voluntate eligere illum ad gloriam. Quodſi ſecus faceret, oportere aut Deum neceſſitatem inferre voluntati, ut omnino vellet, quod ipſe decrevit aut exponere ſe periculo, ut id non fieret, quod ipſe efficaciter intendit.*

Hæc de re: videamus de nomine. Vocatur ſcientia hæc à ſuis autho- 3.
ribus *Conditionata* non, quaſi illa nondum ſit in Deo ſed poſitâ conditione aliquâ demum ponenda; (quia illam actu æquè ac ſimplicis intelligentiæ & viſionis ſcientiam Deo ineſſe volunt) ſed quia pro objecto habet res ex conditione futuras: id eſt, quibus abſolute non convenit ulla futuritio, ſed dependenter ab aliquâ conditione; ita ut quia in iſto æternitatis momento, quo à Deo præſciuntur, conditio eſt indifferens ad futuritionem & non futuritionem, ſimul iſtæ quoque res ab ea pendentes eandem habeant ad futuritionem & non futuritionem indifferentiam. Vnde *apparet primo*: Quod de iſtis rebus futura ſolum exiſtentia prædicetur, non ideò fieri, quaſi non poſſit prædicari quoque præſens aut præterita: (nam *Math.* 11. prædicatio eſt de re præterita) ſed quia ab æterno ante mundum conditum, proindeque ante ullam rei creatæ exiſtentiam præſentem aut præteritam à Deo conſideratæ fuerunt. *Apparet ſecundo*: Iſtas res ex conditione futuras, tametſi prout hujus ſcientiæ objectum conſtituunt, inter ſe prorſus conveniant, ex accidente tamen diſtingui, quatenus ex iis quædam, accedente poſtmodum actu quodam voluntatis divinæ, tranſeunt in res abſolutè futuras adeoque objecta evadunt ſcientiæ viſionis: quædam vero in hoc ſolum ſtatu permanent & conditione in æternum non explenda vel ponenda, ipſę ad ſtatum abſolutæ futuritionis nunquam evehuntur. Pro meliori tamen & objecti iſtius & præſentis quæſtionis declaratione. *Notandum* 1. Omnia futura conditionata ad duas claſſes revocari poſſe, quarum prima contineat ea, quæ conditiones

habent possibiles ; altera , quæ impossibiles ; utraque verò tria distincta genera : quorum primum sit necessariorum in quibus necessaria ; secundum contingentium,in quibus contingens; tertium disparatorum,in quibus merè casualis & fortuita est consequentis ex antecedente illatio. *Notandum.* II. Ex omnibus istis futuris conditionatis tantum ea,quæ in prima classe secundum genus constituunt continere proprium ac domesticum hujus scientiæ objectum sicut patet ex allegata Molinæ descriptione , quamvis nostrorum modo citatorum definitiones generales sint & laxiores. *Notandum.* III. Futura illa conditionata, quæ sunt hujus loci , respectu causarum liberarum considerari posse vel in Deo vel in angelis vel in hominibus. Quo loco rursum insuavis est novorum suavis Concordiæ authorum discordia , quibusdam angelicos tantum & humanos , ut princeps Molina , quibusdam vero divinæ etiam voluntatis actus huc reducentibus, ut Fonseca, qui tamen hic aperit nobis quoddam Iesuiticæ iniquitatis mysterium : Cum quo alias facit Zuarez , & recentiores Iesuitæ fere omnes. *Notandum* IV. Certam esse apud Deum futurorum conditionatorum non modo necessariorum, sed etiam liberorum,præscientiam, ab utraque parte concedi , at fundamentum certitudinis non unum statui. Nam à Molinistarum parte , *Molina* princeps certitudinem hanc provenire statuit à supercomprehensione cujusque arbitrii creati : Zuarez autem & plerique alii eam derivant nunc à sola altitudine intellectus divini , nunc à determinata rerum ante omne decretum veritate : multis tamen locis ex utraque juncta unum certitudinis istius fundamentum constituunt. Rursum in adversa parte Nostri vix aliam certitudinis istius rationem proferunt , quam ex decreto divino , ut olim Scotus : alii actualem rerum in æternitate præsentiam adducunt aut quædam ex his conjungunt : sed in specie cum de his futuris contingentibus sub conditione rationem adversariis reddunt Thomistæ , recurrunt ad conditionata quædam decreta in Deo actu existentia. Qui tamen inter illos præsentiam rerum in æternitate à decreto deducunt ut Rispolis aliique videntur cogi ad similem conditionatam rerum in æternitate præsentiam statuendam. Propter objectum igitur conditionatum hactenus à nobis expositum scientia hæc vocatur *Conditionata* : vocari alias à patronis suis & vulgo etiam consuevit *Media*,quia participat aliquid de naturali & necessaria , simplicis intelligentiæ & visionis scientia, medioque inter binas utriusque distinctionis species loco tabulari debet. Eandem ob causam etiam à Fonseca, primo & genuino parente suo, *Quodammodo Mista* appellatur, quia scil. est talis , uti diximus chimæra & mistum ex bestialitate & humanitate monstrosissimum monstrum, ab ipso conceptum, fœtum &

ita

ita loquar, in dias luminis auras exclusum. Hic autem rursus inter Molinistas est dissidium, quia, sicut ex nostris modo cit. prior illam reducit ad naturalem & simplicis intelligentiæ ita Zuarez ad liberam & visionis scientiam: alii autem sibi magis consentientes tertiam, ut par est, inde scientiæ divinæ speciem constituunt.

Istis præcognitis quæstio capitalis hæc est: *An detur talis scientia in Deo,* 4.
qualem vidimus à Iesuitis primum inventam & à Dominicanis monachis oppugnatam? sive: *An Deus, antecedenter ad decretum suum adeoque præciso determinato concursu & cooperatione sua, sed his tantum suppositis: si creaturam rationalem crearet, in his vel illis occasionibus & circumstantiis poneret, cum eaque indeterminato & indifferenti concursu vellet concurrere; certò scire possit in quam oppositionis partem liberum istius creaturæ arbitrium se esset, pro innata sua libertate, determinaturum?* Affirmant DD. *Hypothetici*, negant *Absoluti*: libet enim nunc resumere terminos initio positos, ut complectamur etiam eos qui extra Papatum vel Molinistarum vel Thomistarum placitis accedunt. Posterior ex nostris modo cit. hic inter partes litigantes se medium interponit putatque abjectis quibusdam Hypotheticorum hypothesibus scientiam istam mediam, ab abusibus suis vindicatam, magno in Theologia adjumento futuram. Vult igitur *loco* 3. *de Deo tit. de scient. Dei & loco* 12. *de Act. Dei Provid.* Deum scire quid in istis aliisque circumstantiis constitutus homo facturus sit: sed ita ut velit hoc intellectum. *Primò* de actionibus malis, ad quas non effectivè sed permissivè concurrit Deus: *Secundo*, de actionibus communibus & hanc vitam concernentibus; non autem de spiritualibus, quarum omnis laus soli Deo debeatur: *Tertio*, de actionibus singularibus, quæ jam constituto per decretum in rebus ordine, non pendent aut necessario sequuntur ex generalibus decretis & sententiis, alias per visionis scientiam cognosci ex illis decretis: ex. gr. reprobum salvandum, si credat, quia generale Dei decretum sit omnem credentem salvandum. *Quarto*, ut velit illam constitutionem & seriem rerum, ex qua infallibilitas pendet, etiam ex Dei Providentia seu ordinatione & constitutione derivandam, vel ut aliis verbis dicit supponendum esse conditionatum Dei decretum ne res vel à se ipsa vel à Fortuna & casu vel Stoico quodam fato poni existimetur. *Quinto*, ut necessarium non putet tertiam inde scientiæ divinæ speciem constitui, sed posse commodè ad simplicis intelligentiæ scientiam reduci, quia illud sit absolutè necessarium, ut Deus omnes modos possibiles causarum secundarum, sive solæ sive cum aliis agant, ab æterno conspexerit ac proinde quid ex unaquaque hypothesi posita, infallibiliter fieret aut non fieret, si causas illas produceret, eas conservaret & cum eis hoc vel illo modo concurreret vel hoc aut illo

modo disponeret aut disponi sineret: extra quod nihil petat hæc scientia. De *abusu* hujus scientiæ quæ monet, ea ex restrictione secunda satis intelliguntur. *Vult enim primo*; Non debere per hanc scientiam viam sterni ad prævisa merita humana (eadem fidei ratio) in eligendis & servandis statuenda. *Vult secundò*: Non debere per eam tolli ex voluntate humana omnem physicam Dei actionem in hominis conversione.

5. Mihi vero hos ipsius conceptus, tum inter se, tum cum adversariorum & nostra sententia, diligentius conferenti, videtur vir, alias propter insignia in Ecclesiam merita Reverendus, aut non intellexisse (sit venia dictis) scientiæ istius mysteria, aut ista temerè & sine accuratori præmeditatione, quod malim, in chartam conjecisse miserèque admodum illius causam egisse. Vt à *definitione* ipsius th. 2. proposita initium faciamus; nescio quomodo in malum sonent nec commodam satis interpretationem admittere videantur illa verba: *etsi absolute futura non sint, aut nondum sint.* Eccui enim promtum non erit evidenti consequentia hinc educere alterutrum ex hisce consectariis: Aut æternitatem non esse totam simul sed velut tempus triplicem durationis suæ differentiam habere: quæ affinia essent Socinianæ & Vorstianæ Theol. quam vir Clariss. satis apertè detestatus est: Aut futuritionem rerum in tempore & ævo non esse æternam, sed temporariam, & nunc adhuc quotidie novas produci rerum futuritiones: quod ab omni sobria ratione est quam alieniissimum. In *restrictionibus* & limitationibus istis, tanta cura adjunctis, accidit viro optimo, quod multis syncretistis, qui neutri parti certò adhærentes ipsi sæpè sibi non constant, sed instar navium, orta tempestate, nunc sursum nunc deorsum, nunc antrorsum nunc retrorsum, nunc in dexteram nunc in sinistram partem, incerto cursu feruntur. Ecquid enim? An in actionibus malis, in actionibus vitæ, in actionibus & exemplis singularibus, à generali aliquo decreto non pendentibus, locum habebit scientia media, in reliquis non habebit? Ergo in quibusdam actionibus dabitur ante omne decretum futuritio aliqua, in reliquis non dabitur: Et cum futuritio illa sit æterna dabitur aliquid creatum à creatore independens, dabitur aliquid simpliciter æternum præter Deum, adeoque dabitur Creatura creator, finitum infinitum, dependens independens: quæ cum apertam habeant in adjecto contradictionem, nihil illis absurdius dici potest. Et cur, si in quibusdam actionum generibus hoc videtur concedendum, in reliquis non videtur? Sat scio quantumvis laboret vir Clarissimus causam disparitatis afferre non poterit, in qua homo cordatus acquiescat. An verò futuritio quibusdam in actionibus à se, fatalis & necessaria videtur, in reliquis non videtur? At istud videri non bonum videtur, nec etiam

videri

videri potest. Si in uno vis concedere, etiam in alio teneris concedere; aut si id non vis, nihil concede: quod & optima ratione fieri potest. Nam *quod ad primam restrictionem*: licet vere dicatur ad actionem malam non effectivè sed permissivè concurrere Deus, si vid: ea spectetur formaliter, quâ mala, vel si præcisè consideres vitiositatem actui adhærentem; tamen etiam verè dicitur, Deum effectivè concurrere ad actum, vitiositati subsstratum, in quo peccati materiali æquè entitas est aliqua in suo genere, atque in virtutum formali. Et quamvis per decretum non sit author Deus furitionis ipsius vitiositatis seu irregularitatis in peccato: tamen etiam illius respectu est quædam futuritio, cujus author Deus æquè ac materialis in peccato, futuritio scilicet actualis suæ permissionis circa ipsam vitiositatem. *Quod ad secundam*: licet homo in primo regenerationis momento cum jacet in peccatis mortuus non habens in se ullum vitę spiritualis principium, merè ad sui regenerationem se habeat passive: tamen, à morte peccatorum ad vitam spiritualem à Deo excitatus, etiam activè concurrit cum Deo in productione actus supernaturalis: sic tamen ut principium vitę spiritualis internum, nuper à Deo inditum, non ita per omnia sit approportionatum actionibus vitę spiritualis, quales debebant esse, sicut alterutrum principium vitę est approportionatum actionibus vitę temporalis præsentis. Sed inde non sequitur Deum scientia media hujus vitę actiones prævidere posse, illius non posse: non magis quam hæc ratio obtineret in actionibus vitæ temporalis, quæ producuntur ab homine sano & ægro: quia omnis regenitorum, in operibus vitæ spiritualis, imperfectio est ab inveterato peccati originalis morbo, à quo in hac vita non plenè liberantur, quamvis, si Adamus non peccasset, aut ipsi sub eodem cum ipso fœdere comprehensi non fuissent, etiam perfectam in hoc genere sanitatem habuissent; prout & illam habuit benedictus salvator noster. *Quod ad tertiam*, illud solum monuisse sufficiet, ea, quæ de generalibus sententiis & decretis à Deo formatis intermiscet, ex quibus per visionis scientiam statim videat Deus, quid in singularibus consequenter & necessariò eventurum: lituram mereri ex iis quæ *disp. præced. th. 7. concl. 2.* à nobis dicta sunt. Non enim hæc παῤῥησίαν opponuntur errori Algazelis Mahometici philosophi, existimantis, Deum singularia intelligere per universalia: quem tamen abominari meritò debent omnes Orthodoxi tum Philosophi tum Theologi. *Quod ad quartam*; dicit vir Clariss. supponendum esse in istis scientiæ mediæ exemplis & actionibus à se admissis conditionatum Dei decretum. Atqui istud si bene explicet, ut scil. velit decernere jam ante Deum, si quid in ista occasione futurum sit, id ex voluntate ejus ita futurum; quod tamen nunc

eventu-

eventu ipso non sit futurum, quia nihil, in ista rerum occasione velit esse futurum; si porro ex animo id dicat, ut meritò præsumimus de tam spectatæ probitatis viro, sibique constet; jam noster est omnemque scientiam mediam, quam videtur alia porta admittere, hac eliminat. Quæstio enim est: Num ante omnem suæ voluntatis actum ista conditionata certô prænôrit Deus? quod istis verbis disertè negatur. Id si nolit cogetur volens nolens ex necessitate evidentis consequentiæ admittere, ut ante dicebamus, creaturam quæ sit creator, finitum quod sit infinitum, dependens quod sit independens: imô fatales Stoicorum tabulas, in quibus non tantum creaturis, sed ipsi etiam creatori duræ necessitatis leges adamantinis literis exaratæ sint. *Quod ad quintam*: postremum hunc ad disterminandum mediæ suæ, de scientia media, sententiæ agellum, æquè infeliciter limitem collocavit ac præcedentes omnes. Si enim admittatur media ista scientia, nisi quis temerario ausu receptas antiquitus terminorum significationes absque doctiorum S. C. aut mediocrium P. S. immutare velit; necessariò tertiam divinæ scientiæ speciem constituet, quia per eam cognoscitur aliquid medium inter merum possibile & absolutè futurum, quæ duo reliquarum scientiarum, ubi ad alia extra & præter Deum referuntur, ex communi sententia & recepta significatione, objectum constituunt. Fatemur quidem necessarium ut Deus ab æterno conspexerit omnes possibiles modos causarum secundarum in actionibus vel solitariis vel sociis, ac proinde ut certo nôrit quid hac illave occasione posita futurum esset aut non futurum: sed quæritur, num ante conspectionem decreti sui, quod novit Deus firmum esse & immutabile certamque in executione futuri eventus existentiam inferre. Id vero probandum esset viro Clariss. Quod tantum abest ut faciat ut sequentibus iterum verbis negare & lethali rursus ictu scientiam istam è medio tollere videatur. Quid enim aliud sibi vult addita ista declaratio: *si causas illas produceret, eas conservaret & cum eis hoc aut illo modo concurreret?* Quæro enim an non vir Clariss. nobiscum admittat concursum Dei prædeterminantem causas omnes secundas ad individuos etiam actus? Quidni? Ergo quicquid in istis circumstantiis fieret (de positivo loquor) id fieret vi concursus divini, causas secundas, tanquam instrumenta sua, moventis & applicantis: & per consequens quicquid ab æterno futurum fuit in istis circumstantiis, id vi decreti divini futurum fuit. Quæ enim est ratio concursus divini ad esse actuale præsens, eadem est decreti ad esse futurum. Hæc de *restrictionibus* istis: quod autem *abusus* illos supra memoratos ab hac scientia, cujus, ut, cum bono Deo, probabimus, nullus legitimus est usus, remo-

removere conatur: perinde facit ac si Papatum Romanum, Missam, Mariolatriam, ebrietatem vel adulterium reformare vellet; cum ut istorum, ita & hujus scientiæ natura omnis in abusu consistat, & ista consectaria tam sint scientiæ mediæ quartò modo propria, quam sit homini esse risibilem.

DE CONDITIONATA SEU MEDIA IN DEO SCIENTIA,

SECTIO SECUNDA.

Autore & Resp. M. MATTHIA NETHENO Reessensi

Ad diem 20. *Decemb.* 1643.

Exhibens argumenta adversariorum.

QVia igitur ut existimabat Vir Clariss. medium hic inveniri non potest, quin media ista scientia vel in totum admittenda vel in totum abjicienda sit: videamus nunc Hypotheticos pro Pergamis suis, quibus possunt, argumentorum copiis magno studio & ingeniorum contentione magnaque alacritate pugnantes. 6.

Principio igitur ut ostendant non esse hanc suam scientiam χθὲς καὶ πρώϊω excogitatam aut miseri Iesuitæ cujuspiam, in jejunis suis speculationibus evanescentis, & phantasticis illusionibus extra se extra orbem cælumque supremum, nescio in quam Vtopiam aut rerum inane, abrepti, delirium: varia proferre solent ex V. N. Q. T. partim Dei ipsius, partim Christi salvatoris, partim SS. Prophetarum oracula; quibus hæc scientia media tam certò tamque manifeste exprimi ipsis videtur quam si totidem verbis scriptum esset, dari mediam in Deo scientiam. At quænam illa? *Gen.* 11. 6. de Babylonicæ turris ædificatoribus inquit Deus, *si sibi relinquantur, non desituros à cogitationibus suis, donec eas opere compleant*: quod tamen non factum, etiamsi à Deo certo præcognitum, quia conditio posita non fuit. Rursum *Exod.* 34. 16. Coll. cum *Deut.* 7. 3. 4. & 1 *Reg.* 11. 2. Deus intercidit Israelitis ne filios vel filias suas cum filiabus aut filiis Canaanitarum & hominum exterorum matrimonio jungant; cujus ratio loco ultimo sic exprimitur: *profecto inclinarent animum vestrum post Deos suos*; vel ut vulgata habet versio, *certissimè enim adverterent corda vestra &c.* Quod & in Salomone, ob positam conditionem, impletum, in aliis Israelitis, in quibus hæc conditio antecedens impleta non fuit, neque consequens istud impletum fuit; tametsi etiam in illis posita conditione implendum Deus præ-

viderat. Similiter 1 *Sam.*23.11.12. cum rogasset Iehovam David: *An, siquidem Kehilæ maneret, Saul venturus esset ad capiendum ipsum? & si ille adveniret, an Kehilitæ traditurі essent ipsum in manus Saulis?* responsum accepit *& Saulem venturum & Kehilitas ipsum in manus Saulis tradituros, si maneret.* Vtrumque sub ista conditione libera futurum certo præscivit Deus, & tamen, ipso fugam arripiente, neutrum factum. Item Propheta Elias 2 *Reg.* 2.10. cognita Elisæi famuli sui petitione dicebat ei: *Si videris me assumi à te futurum est tibi sic; sin verò minus non est futurum.* Vbi ex duplici eventu, eadem certitudine prægnito, ex libero Dei & Elisæi arbitrio dependente, prior in actum deductus fuit, alter, conditione omissâ non fuit. Ipse etiam Elisæus postmodum Ioaschum Regem Israelis increpans, 2 *Reg.*13.19. asseverabat; *si quinquies aut sexies percussisset terram, percussurum etiam ad consumtionem fuisse; nunc quia ter solum percussisset, ter etiam Syros modo percussurum.* Vltimum è V. T. oraculum est iterum ipsius Dei, qui *Ezech.*2.16. 17. ad Prophetam ait; *Nonne si ad populos ignoto sermone & impedita lingua mitterem te, ipsi auscultaturi essent tibi? Domus vero Israelis nolent auscultare tibi, cum nolint auscultare mihi, nam tota domus Israelis obfirmata fronte & duro corde sunt.* E novo autem testamento adducunt verba Christi *Math.*11.21. de Tyriis & Sidoniis convertendis, *si editæ fuissent apud illos ejusmodi virtutes, cujusmodi apud Chorazitas & Bethsaiditas: & Matth.*24.22. cum dicit *non servandam esse ullâ carnem, nisi decurtentur dies isti*; Item *Matth.* 26.53. cum affirmat *patrem missurum plusquam duodecim legiones angelorum, si id peteret.* Afferri etiam posset locus *Actor.*22.18. ubi in apparitione Paulum Hierosolymis exire jubet Salvator, *quia testimoniũ de se nõ sint suscepturi.* Vidit igitur in istis locis, ante omne decretum suum, Deus, quid istæ causę liberæ in hac vel illa circumstantia & occasione facturæ essent; in reliquis vidit, qui, ex liberis quibusdam actibus præviis, eventus secuturi: in quibus tamen plerisque quia vel à Deo vel ab hominibus posita non fuit conditio, neque actu secutum est conditionatum, tunc æquè, ut alia, quæ conditione posita, postmodum facta sunt, ut sic dicam, futuribile; quod nunc omni futuritionis statu & spe ad illum statum excidit, & sicut factum non est, ita in æternum non fiet. Quæ cum scriptura dicit, quid aliud dicere videtur quam dari mediam scientiam in Deo? Quia *manifestum hinc est primo*, ista futura conditionata infallibili certitudine fuisse prægnita, quia non hominum fallaces & conjecturales prævisiones & prædictiones hic referuntur sed divina oracula, partim immediatè ab ipso Deo primo & summo & summo vero, partim mediatè per Christum & Sanctos ipsius Prophetas in V. T. prolata. *Manifestum hinc est etiam secundo*, ista certo prævisa & prægnita fuisse ante omnem actum voluntatis

tatis divinæ : quod sic ostenditur. *Quia cum futura ista conditionata ex libero creaturæ arbitrio pendentia infallibiliter hic cognoverit Deus ; unum ex tribus necessario consequitur, ut veritatem eorum cognoverit vel ante omne actuale decretum suum, vel simul cum eo, vel post illud. Non post illud*, quia illud non potest esse sine aliquo reali effectu, qui producatur in aliqua temporis differentia, unde res absolutè accipiat esse vel futurum, vel præsens, vel præteritum. Iam autem in futuris istis conditionatis omnibus, præcisè ut sic spectatis, nullus producitur realis effectus in aliqua temporis differentia : quod patet in omnibus illis exemplis ubi posita conditione conditionatum aliquod infallibiliter futurum erat, quod nunc, missâ pro isto tempore conditione, ut factum non est, sic nec in æternum futurum est, quod alias secus esset. V. G. in populis istis ignoti sermonis & impeditæ linguæ apud Ezech. nulla fuit mutatio facta ex eo, quod auscultassent prophetæ, si ad ipsos missus fuisset: neque etiam in futurum erit ulla mutatio, quia & ipsi & propheta mortui sunt & eadem tempora jamdudum elapsa ne virtute quidem divina reduci possunt. *Non etiam simul cum decreto* futura illa conditionata cognoscuntur, quia licet istam conditionatam futuritionem & decretum, ut solem & lucem, conjuncta statuamus, concedi tamen debet quædam non temporis sed naturæ prioritas aut posterioritas. Ergo ex istis scripturæ testimoniis non solum apparet, quod *infallibili certitudine* cognoscat Deus ista futura conditionata; sed etiam quod *ante omne actuale voluntatis suæ decretum* : quod nihil aliud est quam dari mediam scientiam, quæ ex istis duobus membris commode definiri potest.

His scripturarum & Theologiæ supernaturalis, uti existimant præsidiis fulti majore etiam confidentia, quas habent è Theologia naturali rationes, in medium producunt. Putant enim per hanc scientiam singularem quandem in Deo constitui sapientiam, quæ in nostra via non possit. Sic igitur *secundo* argumentantur : *si ad prudentiæ ac sapientiæ rationem spectat nihil moliri vel agere, nisi perspectis ante mediis ad finem certo obtinendum accommodatis, prævisoque quid ex hoc illove medio, sic aut sic, in ista vel illa occasione, adhibito consecuturum esset aut non consecuturum : utique non potest Deo prudentissimo & sapientissimo negari talis scientia, per quam ante omne voluntatis suæ decretum nôrit, quibus mediis possit aut non possit, salvâ hominum & angelorum libertate, obtinere in ipsis finem suum*. Ex. gr. ut hominem Salvare possit, scire necesse est, in qua rerum occasione ille pro libertate voluntatis suæ, semper ad hanc vel illam oppositionis partem indifferenti, assensurus sit vocationi divinæ aut non assensurus ; quò sic deinceps, non violenta & rapiente, sed attemperata voluntatis genio operatione atque efficacia, ef- 7.

fectum finemque propositum infallibiliter assequatur. Sed primum illud, inquiunt, quam maxime pertinet ad rationem prudentiæ & sapientiæ, *uti* secundum Zuarez de scient. condit. fut.conting. cap. 4. *vel ex rebus humanis conjectare licet. Nam*, inquit, *si ego cupio aliquid alteri persuadere : ut prudenter id faciam, multum confert prænosse, in quo tempore aut opportunitate soleat ille melius esse dispositus, & quibus rebus magis affici soleat, & sic de aliis circumstantiis. Quodsi omninò præscirem, quid esset facturus tali & tali modo exoratus, talis cognitio utilissima esset ad statuendum, quid agere oportet & ad applicandum media accommodata.* Imò si Iesuitæ alicui parum credimus, ipse hoc Salvator docet Lucæ 14.28. & seqq. *Quis*, inquit, *ex vobis, si velit turrim ædificare, non prius considens computat sumtum, an habeat, quæ ad ejus perfectionem requiruntur? ut ne, postquam statuerit fundamentum & nequiverit eam perficere, omnes, qui spectârint, incipiant illi illudere, dicentes : Homo iste cæpit ædificare & nequivit ædificium perficere. Aut quis Rex proficiscens, ut committat prælium adversus alterum Regem, non prius consultat considens, an possit cum decem millibus occurrere illi, qui cum viginti millibus venit adversus ipsum? Alioquin cum adhuc procul est, legatione missa rogat ea, quæ ad pacem spectant.* Si ergo in creaturis hæc tanta reperitur perfectio, num eam summo creatori negare fas erit? num creaturæ erunt sapientes & prudentes, sed creator earum, quod absit, imprudens & temerarius, è cujus tamen liberali manu & inexhaustis thesauris illud donum acceperunt homines viventes & demortui, accipient nascituri & deinceps victuri?

8. Hoc igitur pacto vindicare solent à DD. absolutorum injuriis maximam Dei prudentiam & sapientiam Hypothetici & acerrimos se illius vindices præbent. Quid rei sit, postea videbitur, nunc *tertium argumentum* sic instituunt : *Datur objectum scientiæ mediæ : ergo & ipsa datur*, quia necessarium ut Deus omne objectum scibile per aliquam scientiam cognoscat; nisi velimus dicere esse aliquod scibile Deo incognitum adeoque tribuere omniscio inscitiam, quod absurdum. Antecedens igitur sic probant: Omne objectum scibile cognoscitur à Deo vel ante vel post decretum suum. Ante decretum suum cognoscit primo omnia absolutè fieri possibilia præcisè ut sic; de quo non est dubium : secundò futura contingentia sub conditione, quæ indifferentia sunt ad futuritionem seu non futuritionem, elevata supra meram possibilitatem, depressa infra absolutam futuritionem. Ex. gr. quid hæc vel illa creatura rationalis pro innata sibi libertate actura esset, si cum his illisve circumstantiis poneretur in tali vel alio rerum ordine. Vnde tum juxta nonnullos ex generalibus quibusdam maximis à se ab æterno factis, colligit quidnam ipse ad istam creaturæ suæ actionem circa illam velit agere præmiando vel puniendo

vel

vel connivendo : quomodo & *Fonseca* vult, Deum priùs scire, quid creaturæ in his illisve circumstantiis, volituræ aut acturæ essent, quàm norit, quid ipse in hac vel illa occasione volituru aut facturus esset. A quo delirio etiam ex nostris Theologum quendam non omnino immunem fuisse liquet ex præcedentibus : quamvis ipse actiones, è generalibus regulis & decretis pendentes, è scientiæ mediæ objecto exemtas velit. Iam vero dari ante omne decretum divinum tale objectum scibile sic videtur ostendi posse. Concursus & determinatio propria arbitrii creati non dependet à voluntate divina, aut potentia Dei executrice, ergo ante omne suum decretum potest cognoscere Deus, quid liberum arbitrium creatum volituru & facturum esset, si hæ vel illæ conditiones ponerentur. Bonitas illationis hinc patescit, quia quod non dependet à determinatione voluntatis aut potentiæ executricis Dei, id ante omnem voluntatis divinę actum est scibile : & DD. Absoluti ideo negant illud esse scibile, quia dependeat concursus arbitrii creati futurus à voluntate divina. Ergo si non dependet, præciso omni voluntatis divinę actu, est scibile. Quod autem non dependeat, probatur primò, quia concursus Dei non est influxus in arbitrium creatum, sed cum arbitrio creato in effectum, ut cum duo equi influunt in tractionem ejusdem currus, aut similitudine magis appositâ, cum pater & filius influunt in tractionem ejusdem navis. Quamvis enim per sociatum utriusque causę concursum, eadem producatur actio, idem opus, sic ut hic non detur distinctio formalis ex natura rei, distinguuntur tamen isti concursus, propter terminos suos diversos, virtualiter. Quia igitur volitio arbitrii in præsenti esse non dependet à concursu vel operatione Dei, neque in esse futuro pendet à decreto, quia quomodo Deus res in tempore exequitur sic ab æterno decrevit exequi. Probatur secundo, quia concursus arbitrii creati, quâ talis, nihil aliud importat, quam ordinem operationis ad causam secundam. Iam vero iste ordo non pendet à causa prima, quia non illa, sed causa secunda est terminus hujus ordinis, à quo præcise ratio hujus ordinis desumenda est. Cognoscit igitur Deus ante decretum suum tum merè possibilia, tum sub cõditione futura : post decretum suum cognoscit omnia absolutè in tempore futura : quod rursum extra dubiũ est. Primi illius objecti cõsideratio, quia est simpliciter in Deo necessaria, utpote quæ revera nihil aliud est, quam consideratio attributi omnipotentiæ divinæ, quod Deus ignorare non potest, constituet scientiam simplicis intelligentiæ : tertii verò objecti consideratio, quia nititur interveniente libero Dei decreto, constituet scientiam, quæ communiter vocatur visionis. Ergo consideratio intermedii istius objecti, dabit intermediam quandam in Deo scientiam : nisi,

ampliatis terminis receptis, ad aliquam ex prædictis scientiæ divinæ speciebus eam velis reducere, in quo parum admodum est situm cum ex dictis rem dari constet. Atque ista probatio hactenus allata brevius etiam sic institui posset: *Cognoscitur a Deo vel mera rei possibilitas vel conditionata futuritio, vel absoluta futuritio. Primum cognoscitur à Deo per simplicis intelligentiæ, ultimum per visionis scientiam. Ergo & medium illud, quod plus est quam mera possibilitas, minus quam absoluta futuritio, similiter per aliquam scientiam cognoscetur; quæ alia esse non potest quam hac media.*

9. Pergamus ad *quartum argumentum*, quo ita nos renitentes in angustum cogent Hypothetici, ut si rimam etiam qua elabamur, adhuc inveniamus, felices nos imposterum prædicare possimus. *Datur*, inquiunt, *in futuris istis conditionatis, ante omnem voluntatis divinæ actum, determinata veritas. Ergo & scientia media, per quam illam cognoscat Deus.* Antecedentis demonstrationem sic moliuntur: Quocunque momento possunt de re quapiam formari propositiones contradictoriæ, eo illa determinatam habet veritatem: quia, ut docet Aristoteles de Interp. cap. 7. *Quæcunque rerum universalium contradictiones sunt universaliter, earum necesse est alteram esse veram vel falsam: & quæcunque sunt de rebus singularibus, ut, est Socrates albus, non est Socrates albus.* Quod & cum Aristotele verum agnoscunt omnes alii philosophi. Assumunt: Atqui de his futuris conditionatis, ante omnem actum voluntatis divinæ possunt formari propositiones contradictoriæ; ut, si Petrus constituatur in tali rerum ordine abnegabit dominum suum; &, non si Petrus constituatur in tali rerum ordine, abnegabit dominum suum. Ergo ista futura conditionata etiam in isto æternitatis momento determinatam habent veritatem. Atque istis jam allatis nititur altera quoque antecedentis probatio, à nonnullis adduci solita, quia, ut in contradictoriis, ita etiam in necessarię disjunctionis propositionibus, altera pars est & fuit ab æterno determinatè vera, altera falsa. Tales autem propositiones similiter hic ante omnem divinæ voluntatis actum formari possunt. Ex. gr. Petrus in isto rerum ordine convertetur, aut non convertetur, abnegabit dominum aut non abnegabit & similes alię. Cum ergo & in contradictoriis & in disjunctivis istis enuntiatis, ante omnem divinæ voluntatis actum, sit veritas aliqua, necesse est eam per aliquam scientiam intelligi à Deo, quia alias non esset *Deus scientiarum* 1 *Sam.* 2, 3. *cujus intelligentiæ non sit numerus Psal.* 147. 5. quibus elogiis supereminentissimam omnium veritatum scientiam scriptura Deo vendicat. Iam vero non poterit istam veritatem intelligere Deus per scientiam naturalem & simplicis intelligentiæ, quia illa tantum est veritatis in merè possibilibus: neque per scientiam liberam & visionis, quia illa est tantum veritatis in

absolute

absolute futuris præsentibus & præteritis ; itemque decretum supponit, quod hic non licet. Ergo per istam mediam scientiam ; quæ cum scientia naturali est ante omne decretum. Potuisset forsan ex utroque hoc argumento, tertio vid: & quarto unum commodius sic formari. *Datur objectum cognoscibile, quod nec per simplicis intelligentiæ nec per visionis scientiam à Deo intelligitur. Ergo dabitur media scientia.* Sed cum probationes utriusque argumenti, tametsi ad eundem syllogismum revocari potuissent, sint inter se diversæ, non erimus ea in re admodum scrupulosi.

Quintum nunc *argumentum* petetur à modo explicandi certitudinem i- 10
stius præscientię mediæ ; qui cum apud Hypotheticos non unus sit, non uno etiam modo hic argumentari poterunt, sed unus quidem sic, alter vero aliter. Etsi vero huic argumentandi rationi, cum pro scientia media depugnant Hypothetici suum, inter alia argumenta, peculiarem locum assignare vulgò non soleant, forte quia hic inter ipsos non satis convenit : quia tamen causæ fundamenta tangit & suam videtur difficultatem habere ; proponemus eam ex cujusque hypothesi propriis ipsorum verbis aliunde desumtis. Primum locum dabimus *Molinæ*, qui *in 1. partem. q. 14. art. 13. disp. 14. concl. 1.* in secundo argumento ex sua hypothesi sic loquitur : *Deus per scientiam naturalem se ipsum comprehendit & in se ipso omnia quæ in ipso eminenter sunt, atque adeò liberum arbitrium cujuscunque creaturæ, quam per suam omnipotentiam potest condere. Ergo ante ullam liberam determinationem suæ voluntatis, ex altitudine suæ scientiæ naturalis, quæ infinitè superat singula, quæ in seipso eminenter continet, penetrat, quid liberum arbitrium cujusque creaturæ, datâ hypothesi, quod velit illud creare in hoc vel illo ordine rerum, cum his vel illis circumstantiis aut auxiliis, pro sua innata libertate sit facturum, cum tamen, si vellet, posset continere actum aut facere oppositum ; & si esset id facturum, ut liberè potest, Deus idipsum prospiceret, non vero quod reipsa ab eo faciendum esse prospicit. Indignum namque altitudine & perfectione divinæ scientiæ, imò & impium minimeque cohærens cum tanta comprehensione liberi arbitrii singularum creaturarum, esset, asserere Deum ignorare, quid ego pro libertate mei arbitrii essem facturus, si me constituisset in alio ordine rerum, vel si in hoc ipso in quo me constituisset statuisset conferre mihi majora aut minora auxilia, quam reipsa donare statuit, vel si concessisset mihi longiorem vitam aut graviores tentationes permisisset.* Hinc deinde probat contra Thomistas Deum non indiguisse existentia rerum in æternitate, ut cognosceret, quænam contingentia essent futura aut non futura, sed cognovisse ex libero suo decreto, quo elegit hunc rerum ordinem. Sed quousque sunt à nobis posita ejus verba probant, ex intentione authoris, dari scientiam mediam. *Suarez* autem *de scient. fut. conting. absol. cap. 8.* de omnibus futuris contingentibus tum absolutis tum conditionatis

onatis sic in genere rem explicat: *Dicendum est Deum cognoscere hæc futura solum per simplicem intuitum veritatis, vel rei, quæ futura est in sua temporis differentia & prout in illa futura est & secundum omnes conditiones existentiæ, quas in illa est habitura.* Id est, ut eodem capite inquit, illa sufficienter non cognosci in causa nec cognosci sine causa vel non cognosci effectum talem in sola virtute causæ illiusve influxu & determinatione, sed cognosci videndo emanationem ejus à sua causa. Sequenti libro *de scient. condit. fut. conting. cap.* 7. speciatim de his futuris conditionatis inquit: *licet res actu non existat neque absolutè extitura sit, propositio conditionata habet veritatem, per habitudinem & conformitatem ad illam sub existentia apprehensam cum prædicta conditione & divinus intuitus ratione suæ infinitatis extendi poterit ad videndum quid tali rei conjungeretur aut quid ab illa prodiret, si tali modo constitueretur.* Rhætorfortis autem noster etiam locum Suarezii citat ubi de futuris contingentibus absolutis & conditionatis instituta comparatione sic loquitur: *Sicut in absolutis de causa existente vel præsente in intuitu Dei ut existens verè affirmatur in eadem mente Dei, tale effectum esse libere dimanaturum ab illa, non quia in virtute causæ hoc videat Deus, sed quia intuitu suo videt causam illam tametsi liberam, tanquam influentem in illum effectum: ita in his conditionatis, de causa ex hypothesi concepta, ut præsenti sub tali existentia possibili, potest verè affirmari & cognosci in mente Dei, hunc determinatum effectum esse dimanaturum ab illa causa libera ex eadem hypothesi; non quia in virtute causæ talis effectus determinatè cognoscitur, sed quia verè in se & actu secundo esset ad illum determinanda.* Ab istis non abludit *Fonseca*, qui *Metaph. lib. 6. cap. 2. q. 2. sect.* 7. clarius etiam dicit, *simpliciter quidem & absolutè veritatem enuntiationum de iis futuris, quæ ex libero arbitrio pendent*, (sive absoluta sint sive conditionata) *non ex causis* (intellige completis sic ut primæ causæ operatio non excludatur) *sed ex futuris eventibus judicandum.* Et in hujus sententiæ confirmationem argumenta etiam nonnulla adducit. *Primum* est, quia enuntiationes, de quibuslibet futuris, non dicunt aliquid esse aut non esse in suis causis, neque etiam fore aut non fore per suas causas, ut est apertissimum, sed absolutè fore aut non fore. *Secundum* est, quia enuntiationem de quolibet futuro, etiam necessario, esse actu veram, nihil est aliud, quam esse nunc talem in significando, qualis aliquando res erit in essendo: falsam autem è contrario. At in hac consideratione nulla habetur ratio de causa sed de ipso eventu. Cumque vel affirmativus vel negativus eventus revera futurus sit, efficitur ut simpliciter & absolutè altera sit determinatè vera, altera falsa. *Tertium* quia enuntiationes de futuris actibus liberorum agentium determinatè veræ sunt aut falsæ apud Deum, ac proinde simpliciter & absolutè veræ aut falsæ. Cum ergo voluntas sit ex se indeterminata

ad op-

ad oppoſita, quibuſvis etiam ſuppoſitis circumſtantiis, fit ut, ex ea ſic cognita, cognoſci non poſſit determinatè futurus ejus effectus, ac proinde ex ſolis eventibus futuris judicanda ſit in hoc rerum genere veritas enuntiationum de futuro. Vult igitur *Fonſeca* futura iſta contingentia libera ſive abſoluta ſint ſive conditionata, ut in cauſis ſuis, quantumvis completis, continentur, à nullo intellectu eſſe cognoſcibilia, ne à divino quidem, ac proinde à nobis ſimpliciter non eſſe cognoſcibilia, quia nos futura ſolum ex cauſis naturaliter cognoſcere poſſumus; à Deo tamen qui aliam quoque habeat cognoſcendi rationem, ea cognoſci ex ſimplici intuitione eventus neceſſario ſic vel ſic, in abſolutis abſolutè, in hiſce conditionatis ex conditione ſuppoſita, ſecuturi. Argumentum ergo hactenus propoſitum in forma tale eſſet: *Si poteſt aſſignari ſufficiens ratio, quomodo Deus in futuris illis conditionatis ante omne voluntatis ſuæ decretum videat determinatam veritatem: dabitur ſcientia media, per quam iſtam veritatem videat. Atqui verum prius. Ergo & poſterius. De majoris* conſequentia non eſt dubium. *Minorem* probat ex ſua hypotheſi *Molina*, quia Deus id poteſt videre in ſupercomprehenſione cujuſque arbitrii creabilis, creati aut creandi: Aliter *Suarez* ex ſua hypotheſi, quia Deus etſi hoc non videat in virtute cauſæ, ut vult Molina, poteſt tamen id videre per ſimplicem intuitum veritatis, quæ hic eſt, quia cauſa eſſet vere in ſe ad actum illum aliquando determinanda, ſive ut *Fonſeca* loquitur poteſt id videre ex eventibus, poſita conditione, ſimpliciter & abſolutè futuris.

Extremum nunc, exercitus Hypothetici pro ſcientia media depugnantis, *agmen* ex latebris ſuis erumpens, in apertis ſeſe campis conſpiciendum dabit: quod conſtat conglomeratione argumentorum quorundam, quibus ſummam iſtius ſcientiæ neceſſitatem nobis perſuadere conantur. Vis probandi omnis hæc eſt: *illam ſcientiam neceſſario in Deo admittendam eſſe, ſine qua veritates Theologicæ extra omnem dubitationis caliginem luce ſua conſpicuæ & ab omnibus non ſolum Chriſtianis ſed & extra Chriſtianiſmum rectè ſecundum naturales luminis ductum judicantibus, probatæ & receptæ, defendi, & graviſſimæ abſurditates evitari nequeunt: de quo non eſt dubitandum.* *Sed hanc ſcientiam mediam eſſe talem* ſic ex ipſorum mente demonſtrari poteſt: *Primo* quod ad voluntatem Dei: *Abſque hac ſcientia non poteſt ſapienter Deus condere decreta ſua libera*, ſed temerario impetu, proutcunque fors ferat, aliquid decernet. Scimus blaſphema & abominanda eſſe iſta; ſed quomodo id, quod dicunt, probant Hypothetici? *Suarezius* ſic probat: quia, inquit, voluntas eſt cæca & ab intellectu ducitur: & ideo non poſſet intellectuale agens per 11

voluntatem ſecum ſtatuere de tali effectu abſolutè efficiendo, vel tali fine conſequendo, niſi per intellectum prius infallibili ſcientia judicaſſet, tali vel tali modo illum finem vel effectum comparari poſſe. Quod adeò verum eſt, ut etiam de his rebus, quas Deus per ſeipſum efficit, non poſſet habere voluntatem abſolutam illas faciendi, niſi prius in ſe cognoviſſet potentiam ſufficientem ad illas faciendas. Quid enim eſt præcognoſcere talia media eſſe talia, ut per illa poſſit infallibiliter obtineri talis finis, niſi cognoſcere quod ſi talia media ponantur, ille effectus per illa infallibiliter fiet. Hæc autem inquit eſt ſcientia conditionata, de qua agimus. Sic igitur *Sapientia decretorum divinorum* abſque ſcientia media ſalvari non poteſt: *ſed nec eorundem immutabilitas abſque iſta ſcientia, ut ex noſtris inquit, vir Clariſs. ſupra cit. videtur poſſe defendi.* Nam, juxta ipſum, Deus primò ſtatuit homini vitam proponere ſub conditione legalis obedientię, poſt lapſum vero ſub conditione fidei in Chriſtum. Ergo vel hanc hypotheticam ſcientiam lapſus oportet legali fœderi præponere, cui poſtea Deus alterum ſubordinavit, vel dicendum eſſet Deum primo fœdere decreto & præcognito, tum demum poſt lapſum hominis mutaſſe propoſitum & alterum fœdus ſubſtituiſſe. Sic vir Clariſſimus, qui idem in præcedentibus innuere videtur, ideo hanc ſcientiam admittendam eſſe, ut aliquo modo explicari poſſit, quomodo Deus per decretum ſuum non ſit author vel cauſa mali: Sed probationem, quæ iſtius ſcientiæ eam ad rem neceſſitatem oſtendat, additam non video, neque quæ mea eſt ingenii tarditas, proprio indagine, ſolidam invenire poſſum. *Secundo*, quod ad intellectum divinum, *non poteſt ſine hac ſcientia, juxta adverſarios, ſalvari omniſcientia Dei, ab Ethnicis etiam credita & deprædicata*: quia, ut *Fonſeca* contendit, incertus eſſet Deo prædeſtinatorum numerus, niſi Deus certò præſciret, eos de quibus ex æternitate, more intelligendi noſtro ad cœleſtem beatitudinem eligendis quaſi deliberabat eſſe ad finem uſque in ejus gratia liberis omnino actibus perſeveraturos. Tum vero infinitæ poterunt Deo quæſtiones dubię proponi, ut olim Apollini Delphis ex tripode oracula fundenti, ad quas Deus ſine hac ſcientia nihil certum & perſpicuum reſpondere poterit niſi ſimpliciter per neſcio: quod durum eſſet. Exempli gratia. Deliberet apud ſe Iacobus Patriarcha, ſi hujus, ſi illius, ſi iſtius, ſi alterius puellæ Cananęæ nuptias ambiret eſſetne aſſenſum impetraturus nec ne? cum tamen certo apud ſe conſtituerit, unicam tantum Rachelem ex omnibus ad connubii ſocietatem ineundam ſollicitare. Faç potiatur eâ, nec ullam præterea infidelem ad connubium ſollicitet, dicendum erit juxta DD. Abſolutos, Deum abſolutè decreviſſe, ut Rachelem non aliam in uxorem acciperet; reliquarum nullam quia ad

connu-

connubium sollicitârit, vel uxorem duxerit, nõ fuisse à Deo decretum, ut id fieret, sed & sollicitationem & ductionem illam mansisse in statu meræ possibilitatis: ac proinde, quia præscientia divina innititur absoluto voluntatis decreto, nõ poterit juxta ipsos respondere hic certi quippiam Deus, quia nullum præcessit decretum Dei liberum addens merè possibilibus futuritionem aliquam; nullum sequetur, quia omnia Dei decreta æterna, nulla temporalia. Similis esset ratio, si pergeret quærere; qualem cum Cananæis puellis quas nunquam ambire velit vitam habiturus esset? & an satis ex voto, si hanc illamve uxorem duceret? an liberos susceperus? quomodo ii victuri? qui evasuri? quæ munia aliquando obituri? quas in uxores ducturi? ubi & quando morituri? Item si casus similes animo agitasset Sichemus, filius Hemor in negotio Dinæ: aut scire aliquis cuperet, si ad hoc illudve munus publicum aspiraret, essetne voti compos futurus, aut quosnam in administratione illius casus & eventus habiturus, nec unquam tamen illis, penes quos potestas, operam suam eam ad rem offerret, & quæ alia addi possent infinita ex his & similibus casibus aliis. *Tertiò* quod ad potentiam Dei executricem: *nisi Deus* (Quinta hæc est ratio apud Fonsecam de verbo asscripta) *hac scientia conditionata præsciret futuros eventus liberos; non esset certa & infallibilis divina providẽtia*, quæ certis mediis, accommodatis tamen ad rerum ipsarum naturas utitur ad propositos fines suarum actionum ad finem perducendos juxta illud Sapientiæ Septimo: *Attingit à fine usque ad finem fortiter & disponit omnia suaviter.* At divinam providentiam non esse certam, sed falli posse, impium omnino & impossibile esse palam esse. Ergo &c. Sequela ex eo probatur, quia multa intendit Deus absolutè efficere interventu liberorum actuum creatarum voluntatum. Cumque dixisset ad divinam providentiam pertinere, ut præsciverit, quinam & quibus temporibus futuri essent mechanicarum artium inventores & excultores, quinam & quibus temporibus rerumpubl. authores legumque conditores & liberalium artium scientiarumque inventores & professores, antequam huic quasi deliberationi de hac rerum universitate condenda absoluta ejus voluntas quasi accederet: addit: De quibus tamen omnibus Deus Opt. Max. ambigeret possetne ea ad exitum perducere, nisi prius more cogitandi nostro certo intelligeret forè, ut certorum hominum voluntates propositis sibi opportunè earum rerum utilitatibus aut dignitatibus sibi essent obsecundaturæ.

Quarto, quod ad tria prædicta junctim: *sine hac scientiâ non apparet ratio conciliandi arbitrii nostri libertatem primo cum decretis divinis adeoque prædestinatione & reprobatione. 2. cum certa futurorum præscientia. 3. cum divina providentia adeoque gratia Dei in hominis conversione.* Quia sine ista scientia, decreta illa

ta illa absoluta certam inferunt voluntatis determinationem reique futuræ existentiam & necessitatem omne liberum voluntatis exercitium antecedentem; quæ directe tollit omnem arbitrii libertatem, utpote, positis omnibus ad agendum requisitis, ad hanc illamve oppositionis partem adhuc indifferentem. Similiter & certa illa præscientia necessariam ponit rei contingentis à libero arbitrio producendæ futuritionem, ante omnem liberi arbitrii actum; quod proinde iterum cogitur necessitate antecedente sic & non aliter operari. Denique concursus ille Dei prædeterminans, sive in operibus naturæ, sive in operibus gratiæ, frangit & violenter rapit, non suaviter ducit lib. arbitrium. Sed contra admissa semel hac scientia, omnia illa prædicta cum libero arbitrio non pugnare, sed amicè & suaviter consentire, liquido & ad oculum demonstrari potest; quia tunc contingentia libera non ideo erunt, quia Deus ab æterno decrevit voluntates creatas concursu suo efficaci ad eas sic producendas determinare; sed Deus decernet absolutè futura, & præsciet absolute futura & providentia sua cum voluntate concurrendo efficiet, ut certò fiant, quia jam, ante omne decretum, præscientiam & actualem providentiam suam, Deus ex imperscrutabili altitudine intellectus sui, certò cognovit, quod istæ causæ liberæ in tali rerum ordine, quem decreto voluntatis, approbativo & permissivo ex omnibus aliis elegit, constitutæ, pro innata sua libertate, sic essent acturæ, cogniturus contrarium, siquidem pro sua libertate, ut poterant, contrarium acturæ fuissent. Vnde nullum omnino præjudicium libertati voluntatis & rerum contingentiæ affertur: sed omnia salva manent perinde ac si nullum decretum, nulla præscientia, nulla providentia fuisset, esset aut foret. Hic verò locus est, in quo se admodum jactant adversarii: hinc libros suos de hac & affinibus materiis scriptos Concordias vocant. Quin juvat audire thrasonicum Molinæ Iesuitæ in hoc argumento typhum. Is in sua Concordia quæst. 14. art. 4. disp. 1. *Nos pro nostra tenuitate* (hem qualis modestia Iesuitæ!) *rationem totam reconciliandi libertatem arbitrii cum divina gratia &c. bene cum scientia media & facillimo negotio reconciliamus. Quæ si data explanataque semper fuisset, forte neque Pelagiana hæresis fuisset orta, neque Lutherani tam imprudenter arbitrii nostri libertatem fuissent ausi negare, obtendentes cum divina gratia, præscientia & prædestinatione cohærere non posse, nec ex Augustini opinione & concertationibus cum Pelagianis tot fideles fuissent turbati ad Pelagianosque defecissent, facileque reliquiæ illæ Pelagianorum in Gallia, quarum in epistolis Prosperi & Hilarii fit mentio, fuissent extinctæ.* Viden' ut simię sui placeant catuli? Enimvero tam lepidus fœtus nisi à talibus parentibus in lucem edi non potuisset.

DE

DE CONDITIONATA SEU MEDIA IN DEO SCIENTIA,

SECTIO TERTIA.

Autore & Resp. M. MATTHIA NETHENO Reesſenſi

Ad diem 29. Decemb. 1643.

Exhibens reſponſionem ad argumenta præcedentia.

SEd nos hinc ad ſeria regreſſi, videamus quid opponi 12.
debeat iſtis Hypotheticorum argumentorum cohortibus tanto impetu in nos irruentibus. *Primum agmen* conſtare video ex congeſtis variis S. literarum teſtimoniis & in prima ſtantem acie locum *Gen.* 11.6. Sed jam ante edico vobis Hypothetici, iſte miles prorſum non pugnabit contra nos. Vos eum larvatum per vim conjeciſtis in hanc pugnam. Nam *non deſituros Babylonios à cogitationibus ſuis, donec eas opere compleant*, haud ex genuina textus Hebraici veritate, ſed ex manifeſta Papiſticæ verſionis depravatione dicitur. Verba Dei apud Moſen hæc ſunt: ועתה לא יבצר מהם כל אשר יזמו לעשות *Et nunc non præcidetur ab illis omne quod, vel omnia, quæ cogitaverunt ad faciendum?* Hunc igitur militem, Hypothetici, ſi ſapitis, contra nos in aciem ne producatis. Si vultis eo adhuc nonnihil vexare veſtros Thomiſtas & ludere cum verbo divino, hoc nos impedire non poſſumus. Pergamus ad *ſecundum* pro media ſcientia *teſtimonium*, tribus locis parallelis à Sp. S. proditum. Sed hic data occaſione in genere monemus quod ſatis in hiſce cõtroverſiis omnibus moneri non poteſt: *Nec decreta, nec præſcientiam, nec actualem Dei providentiam propriè, primo & immediatè eſſe circa res hypothetica enuntiatione vel effatis generalibus: ſed tantum circa res enuntiatione propria & ſingulari expreſſas.* Qui aliud ſibi quid imaginatur, ille nidos murium, ex putribus Pelaginiſmi quiſquiliis, ſponte naſciturorum ſtruit in capite. Nos aſſertionem hanc noſtram, quoad primum membrum de divinis decretis, probavimus *diſput. prioris theſ.* 7. quoad tertium, neminem repugnaturum confidimus: & ſecundi eadem eſt ratio & argumenta pro primo membro adducta ad ſecundum etiam & tertium a quovis mediocriter exercitato facile accommodari poſſunt vel ipſa ſe potius accommodant. Pro majori tamen rei evidentia ad hoc quod præ manibus eſt, præſcientiæ divinæ exemplum dicimus: Si ſtatuatur primarium præſcientiæ divinæ objectum fuiſſe tale: *Si Iſraelitæ duxerint uxores alie-*

alienigenas ſeducentur ad colendos Deos alienos : vel iſtud : *Omnis Iſraelita ducens uxorem alienigenam ſeducetur ad colendos Deos alienos* : jam mere conjecturalis fallax & falſa ſtatuetur divina præſcientia, quod abſurdum & blaſphemum. Ratio eſt, quia ſi unum vel duo afferam exempla contraria, jam & enuntiationis hypotheticæ conſequentia & iſtius ſimplicis univerſalitas corruerit. Non puto tam abſurdos futuros adverſarios, ut negare ſuſtineant, talia ulla unquam exempla viſa aut lecta in populo Iſraelitico. Quanquam interdictum illud tale eſt, ut omnes etiam Chriſtianos non minus, quam Iudæos, concernat : quorum proinde ſi dentur exempla, qualia ipſa etiam quotidiana ſuggerit experientia ſatis magno numero, jam res confecta ſit. Sed non abibimus à ſacris literis vel populo Iſraelitico. Machlon igitur & Chiljon, filii Elimelech & Naomi, Bethlehemo Ephratæ oriundi, cum, ex terra Iſraëlis ob famem profugi, habitarent ad tempus in agris Moabitarum, duxerunt ibi uxores Moabitidas, alter Opram, alter Ruth, matrem poſtea Obed, Davidis proavi, nec ab illis tamen ſeducti fuerunt ad colendos Moabitarum Deos ; quod multis documentis ex primo capite libri Ruth oſtendi poſſet, ſi illa res tanti foret. Imo tantum abeſt ut iſti viri hac occaſione ad Moabitarum idololatriam adducti fuerint, ut etiam Ruth ab ea abducta ſit, ad verum Deum Iſraelis colendum. Itaque quod cum bona Hypotheticorum venia fiat & abſque ſenſibili cauſæ ipſorum detrimento, (Neque enim vidi ipſos hoc in teſtimonio & ſimilibus aliquid præ cæteris quæſiviſſe præſidii) in locum iſtius enuntiationis Hypotheticę univerſim loquentis, ſubſtituemus aliam, in qua iſta generalis enuntiatio ad certam & individuam perſonam accommodetur hoc modo : ſi Salomon duxerit uxores alienigenas, ab iis ad idololatriam inducetur. Quamvis neque hanc proprium præſcientiæ divinæ objectum exprimere ſtatuamus, ſed iſtam potius : *Salomon ducendo iſtas & iſtas uxores alienigenas, ab iis ad hanc illamve certam idololatriam inducetur.* Hoc modo omnibus ſcripturæ teſtimoniis unam tribum, de hic & nunc loquentium, reductis, cogitandum eſſet de vera aliqua & certa reſponſione, qua omnia hæc loca Sophiſticis adverſariorum unguibus lancinata, in nativum ſuum decus aſſerantur. Equidem reſponſiones hic apud diverſos authores pro ingeniorum & ſcientię, apud eoſdem pro teſtimoniorum oppoſitorum varietate, varias & diſcrepantes invenio. Quibus omnibus nimiam in ſalvandis ſcripturæ teſtimoniis anxietatem & curam exprobare videtur *Theodorus Smiſing* Scotiſta, qui dicit neceſſe non eſſe, ut ad illa reſpondeatur quia, inquit, non ajunt Deum habere ſcientiam futurorum ſub conditione ante determinationem ſuæ voluntatis, ſed ſolum habere ſcientiam illorum. Quod quidem veriſſimè dictum eſt,

ſi os

si os tantum velimus occludere adversariis, qui satis frigide communiter hæc scripturæ loca pro sua causa solent allegare, non autem quæramus quomodo ipsi nobis in explicanda illa scientia satisfacere possimus. Quia adhuc quæritur quomodo in nostra via hæc scire possit, cum neque ex ipsis locis probetur cognosci illa post determinationem voluntatis divinæ. Atque hic *Smising* arripit cuneum Thomistarum, qui an feliciter satis hunc nodum solvat, mox videbimus. Quare mihi damnandus minimè videtur istorum Doctorum labor & conatus, quamvis responsiones illorum nec in totum placeant nec in totum displiceant, quas hoc loco omnes commemorare operæ pretium non videtur. Nominatim tamen, quia ex V. T. locus 1. *Sam.* 23. ex N. *Matth.* 11. ab adversariis potissimum urgeri solet, sunt qui respondeant *ad primum*, in responsione Deum non tam respexisse quid ex conditione futurum esset, quam quid jam in præsenti esset, nimirum: Saulem & Kehilitas eo jam esse animo, ut manente Davide, ille ad urbem accedere, hi Davidem in manus illius tradere velint, & se nolle ipsorum voluntates immutare aut Davidem repentino aliquo injecto terrore vel edito miraculo liberare: *Ad secundum*, præterquam quod manifestam inferat ruinam gratiæ isti universali, verba illa Christi non esse sumenda in rigore suo, sed tantum prout satisfaciunt scopo Christi, qui ibi sit exaggerare summam istorum Galilæorum contumaciam & duritiem: quod quidem hic faciat hyperbolica quadam formula, ut *Lucæ* 19. 40. quæ tamen necessariam non inferat conditionis cum suo conditionato connexionem. Nam & *Lucæ* 11. Salvator ait, *si hi silebunt, lapides clamabunt*, cum tamen in lapidibus nulla esset omnino dispositio aut potentia nisi obedientialis, ut cessantibus discipulis ipsi in laudes Christi erupturi fuissent. Quas solutiones multi tum ex Pontificiis tum ex nostris etiam amplectuntur. *Amesius* quoque noster, ut in posteriori loco connexionem partium ostendat esse dividuam & non necessariam, opponit similem enuntiationem hypotheticam ex *Lucæ* 17. 31. Vbi Abrahamus diviti epuloni, *Si Mosen*, inquit, & *Prophetas non audiunt* (fratres tui) *ne si quidem quispiam ex mortuis resurgat, persuadebuntur.* Vnde concludit: si credidissent Tyrii & Sidonii visis miraculis, etiam Mosen & prophetas audivissent. At hoc non feciſſent, quia vicini Iudæis non potuere Mosem & prophetas penitus ignorare, & si potuissent, debuisset Deus, juxta Remonstrantes, necessario hominibus sic ad vitam æternam dispositis, prophetam mittere aliquem, atque adeò conversi fuissent. Puto responsiones istas contra adversariorum insultus facilè defendi posse; etsi rationem non videam, quare in posteriore loco sequi non possimus explicationem *Ruperti Abbatis Tuitiensis*, qui dicit: Ideo Tyriis & Sidoniis

non

non fuisse signa talia divinitus procurata, quia pœnitentiam acturi fuerint ad temporales tantum pœnas evadendas, non autem æternas; atque ad terrena bona retinenda non autem ad regnum cælorum consequendum, eoque depulso metu, exemplo Ninevitarum, rursus ad pristinos mores redituros: uti hæc verba ipsius Lovanienſibus refert Clariſſ. *Twiſſius p.* 169. Iuxta hanc vero expositionem mens Christi ferè talis fuisset: si impius Achabus, impii Ninevitæ ad externam tantum prædicationem & pœnę denuntiationem, externam pœnitentiam egerunt, multo magis facturos id fuisse Tyrios & Sidonios visis miraculis, quæ apud Chorazitas & Bethsaiditas factę fuissent. In quo absurdum nihil est, cum homo etiam irregenitus naturæ viribus externam & hypocriticam ejusmodi ob metum pœnæ resipiscentiam possit agere, quamvis alias ad bonum vere spirituale mortuus, & natura sua miraculis commoveri homines plus soleant, quam nuda verbi prædicatione. Necessaria tamen illatio in verbis Christi nequę sic esse posset. Verum admissis hisce ad prædicta loca responsionibus, nondum satisfactum est difficultatibus, quæ in reliquis latent scripturæ testimoniis, in quibus negari non potest, necessariam esse partium connexionem & conditionati ex conditione posita consequentiam; neque dici sermonem esse de eo, quod jam in præsenti est. *Thomistæ* videntes scientiam talium conditionatorum negari in Deo non posse, fundamentum illius ponunt *decretum conditionatum* quod actu in Deo existat, ex quo prævia illa cognoscantur. Sic ad omnia hæc scripturæ loca respondet in summa operis de auxil. lib. 1. c. 7. Did. Alvarez, *quod veritas illorum futurorũ contingentiũ conditionatorum fundetur in decreto, quo Deus statuit ponere in esse consequens eorundem conditionatorum, illud efficiendo vel permittendo ex hypotheſi, quod ipsa conditio purificacetur in esse. Quia tamen ex prædicto decreto conditio non fuerit posita in esse, ideo neque ipsum consequens fuisse positum in esse.* Addit in responsione ad secundum argumentum, *decretum hoc esse conditionatum ex parte objecti voliti, eaque de causa non esse necesse, ut inferat mutationem realem in creatura.* In quibus si quid esset solidi, omnis jam difficultas sublata esset; sed non consultum reor, ut isti pelliceæ cymbæ in procelloso hoc mari vitam committamus. Nam præterquam quod in istis decretis voluntas Dei videtur à conditione extra Deum suspendi, Ex. gr. si hoc vel hoc fiat, à quacunque demum causa, ego decernam & juxta decretum meum faciam, ut hoc illudve consequatur; quod tamen nollent Thomistæ: etiam antehac probavimus non posse esse primum immediatumque voluntatis divinę decretum, quod effertur enuntiatione hypothetica. Et hoc loco contra illos *primo* sic argumentor: si per decretum voluntatis divinæ totum esse futurum præsens & præteritum conditionati seu

ti seu consequentis pendet ab antecedente; ita ut illo posito à quacunque causa, quocunque loco & tempore, ponendum sit consequens & illo non posito non ponendum; jam simili ratione cócatenatas inter se rerum ideas & præsentiam in æternitate debent admittere. Sive ut breviter dicam, si velint statuere hic conditionata ejusmodi decreta, debebunt statuere etiam conditionatas ejusmodi ideas & rerum in æternitate præsentiam. Ratio est quia præter decretum etiam ideas & rerum in æternitate præsentiam, rationem præsciendi in Deo statuunt & utramque à decreto divino derivare debent. Quid autem tandem erunt conditionatæ ideæ, conditionata rerum in æternitate præsentia? quomodo illa debitè ipsi concipient & commode aliis sine hæsitatione explicabunt? *Secundo*: quæro, utrum circa conditionem seu antecedens absolutè decreverit aliquid Deus, nec ne? Si primum, jam vel decrevit ponendum aliquando, vel non ponendum. Si ponendum, jam & decrevit consequens ponendum, & sic utrumque certissimè futurum est. Si non ponendum, ergo nec consequens unquam ponendum, quod proinde nulla ratione futurum esse potest. Si dicant nihil decretum circa antecedens, pro ut volunt, prius ratione determinatam esse voluntatem Dei circa eventum rei conditionatæ quam de conditione quicquam decernat absolutè; jam nihil quoque circa consequens, decretum, cujus futuritio tota à futuritione antecedentis suspensa est. Neque juvat, si dicant, post decretum & per decretum suspensam esse, ante non fuisse: quia cum ante decretum conditio nihil sit, Deus volet Ens dependere à non ente: quin si demus tum mox dependere, cum conditio sit non ens, ipse quoque eventus erit non ens, adeoque idem simul erit & non erit, quod contradictorium. *Alvarez* hic videtur ponere decretum aliquod absolutum & explicitum de consequente implicitum de antecedente vel conditione. Cum enim in ipso opere de auxiliis lib. 2. disp. 4. num. 8. dixisset *in futuris conditionatis, quæ nunquam ponentur in esse, per decretum conditionatum statuisse Deum, ut eveniret consequens si impleretur cõditio importata in antecedente futuri conditione*, mox addit: *sed quoniam absoluta & efficaci voluntate decrevit, ut consequens non sit futurum, eâdem etiam efficaci voluntate statuit, ut conditio ejusdem conditionati non ponatur esse*. Sed hæc ratio decernendi in perfectissimo numine sic satis imperfecta constitui videtur. Quo enim te cunque vertas, cogeris frustranea in Deo ponere decreta & entia multiplicare citra necessitatem. Si enim dicas in signo rationis priori, id est, ante absolutum decretum factum esse conditionatum, cui usui erit, prius rem ab incerta conditione velle suspensam, quam postea absolutè nolis futuram? Si in signo rationis posteriori, quæro iterum, cui usui, cum jam ante absolutè nolis rem

futuram ? Deinde si de alterutro explicitum decretum esset formandum, videtur potius formandum de conditione antecedente, quam de consequente, quia ipsa conditio est prius quid ipso consequente & ejus quasi causa, cum tota futuritionis ratio in hoc ab illa dependeat.

13 Ex Nostris *Guil. Tvvissus*, cujus doctissimis lucubrationibus multum debemus, etsi protestetur sibi nequaquam placere, decretum Dei appellare conditionatum ; tamen nec probandam ipse responsionem adfert ad locum 1 *Sam.* 23. dum *in locum conditionati substituit generale aliquod Dei propositum sive decretum de ciendis creaturis suis ad motus suos congruenter naturis ipsarum Deumque ex propensione animi in Kehilitis atque generali isto decreto ea Davidi prædixisse : neque futurum providenti rerum administrationi divinæ decorum fuisse, ipsos invitos cogere ad Davidem ex manibus Saulis liberandum* lib. 1. c. 27. Idem animadvertit Metaphysicæ Suarezianæ Repurgator *D. Revius. Patet autem hoc* 1. quia ut nullum conditionatum, sic nec ullum, propriè loquendo generale est Dei decretum, quod sæpius jam inculcamus. Et cum non possit res aliqua de statu possibilitatis transire in statum qualiscunque futuritionis, nisi per decretum divinum, quem bolum omnibus ferè paginis adversariis suis deglutiendum proponit vir doctiss. mirandum videtur quomodo persuadere sibi potuerit, ab uno aliquo generali adeoque confuso decreto tot rebus distinctis futuritionem datam. *Patet* 2. quia Deus non raro creaturas ciet contra naturas & dispositiones suas, ut docent tot miracula & miraculosæ animorum immutationes. Quod nec ipsum virum doctiss. fugere potuit cum addidit, *quod congruentia hæc infinitam admittat latitudinem nec dæmonibus nec angelis perscrutabilem* : quasi scil. supra naturam aut contra naturam agere sit etiam ad congruentiam naturæ attendere. *Patet* 3. quia ex periculosa illâ locutione videtur non minus colligi posse scientia media, in quo tamen monstro debellando tantopere sudavit vir doctiss. quam ex illa Molinæ sententia statuentis, Deum, ex supercomprehensione cujusque liberi arbitrii creati, videre quid in his illisve circumstantiis acturum esset. Ista enim supercomprehensio includit & inspectionem dispositionis naturalis intimarumque, ut sic dicam, lib. arbitrii fibrarum & propositi illius de congruenti motione generalis, ut *Tvvissus* ait, vel ut aliter dicere possemus notitiam generalium quarundam maximarum, nim : quod lib. arbitrium, ut octo, in istis circumstantiis sic in aliis sic ageret, aliud, ut sex, in iisdem rursus aliter & sic deinceps. Nisi quod *Tvvissus* noster generale illud decretum à Deo conditum & Molina maximarum ejusmodi notitiam ex ipsa voluntatum creabilium & creatarum natura petitam velit : quod tamen de summa rei nihil decerpit. Posita verò ista scientia, longum aliud Hypotheticarum

opinionum

opinionum aliarumque absurditatum σύρμα admittendum esset viro doctiss. non ignotum magis, quam exosum. Quibus omnibus eò etiam magis gravandus esset vir doctiss. quod existimet lædi decorum providentiæ divinæ si ab isto generali decreto recedat Deus: neque tamen, ut mihi quidem persuadeo, ipse vir doctiss. id læsum affirmaret, vel quando Abimelechum, illicitos Saræ complexus jam tacita cogitatione præoccupantem, tanquam freno cohibuit: vel quando Pharaonem, pertinaciss. mè populum Israelis in servitute detinere volentem, tot calamitatibus ad eum dimittendum coëgit. Et hoc *unum* σφάλμα quod in responsi illius ad præsens exemplum accommodatione comparet, *alterum est*, quod supponat vir doctiss. fuisse de natura & naturali dispositione Kehilitarum, habere animum Davidem in manus Saulis tradendi: quod tamen liberum planè & contingens naturaque incolumi mille modis variabile erat. Probationem hic aliam non adducam, nisi quam ipse suppeditat vir doctis. qui agnoscit *penes Deum esse vel vertigine percutere, vel saniora & nunquã antea cogitata consilia suggerere vel diabolicis illusionibus homines prostituere, vel à diabolicis præstigiis immunes custodire, etiam facie rerum externarum subito immutata, novorum consiliorum capiendorum materiam suppeditare.* An verò si id faciat, naturæ vim inferre, aut homines invitos cogere dicetur? A quocunque dicatur, certè non dicetur à doctiss. *Tvvisso*: De cujus quidem sententia hactenus. Melius ipso rem hanc expendit & accuratius proposuit terribilis ille post mortem etiam Pelagianismo hostis *Amesius*, qui in Cõtract ad Grevinckhovium Rescriptione c. 15. *Dignum*, inquit, *& hoc accurata contemplatione: decretum Dei vel ut formale statutum & explicitum concipi, vel ut implicitum & virtuale, quod virtute alterius decreti includitur: implicitum verò tantum dari in futuris conditionatis contingentibus, quæ nunquam existunt, quia virtute actualis decreti hoc vel illo posito existerent. Decrevisset Deus, liberare Davidem à manibus virorum Ceilæ mediante fuga, non mutatione animorum præter ordinem. Ex hoc actuali fluit conditionatum illud contingens: si non fugiat David tradetur.* Et hoc sensu ait se dixisse futurum conditionatum decreto libero inniti adeoque per visionis scientiam intelligi, quæ non fit de iis tantum, quæ absolutè futura sunt, sed & de iis quæ ex actuali decreto jam facto fluerent ex hac vel illa conditione posita. Terminos distinctionis, etiam alibi lectos, non memini à quoquam præsenti negotio vidisse sic accommodatos præterquam ab *Amesio*. Quæ cum olim ex ipsius mente apud alium relata legissem, gaudebam inventum à tanto viro, è cujus ingenio nil nisi limatum prodiret, dignum patellis Iesuiticis & Remonstranticis operculum. Sic enim ad præsentem locum quadrare videbatur responsio, ut nihil posset aptius. Sed non videtur vir æterna me-

na memoria dignissimus sibi ipse hic adhuc satis feciſſe, quãdo iſtum ſuum conceptum accurata contemplatione dignum præmonet. Itaque & mihi eum poſtmodo ad examen revocanti viſum eſt, quibuſdam in exemplis locum ei non inepte aſſignari & aliis etiam in controverſiis uſum ſuum iſti diſtinctioni eſſe poſſe, non tamen omni difficultati, hic motæ, ſimul & ſemel amovendæ parem eſſe. Hærebam, primo in hoc ipſo loco quem citat *Ameſius*, quia, cum primò reſponſum eſſet venturum ad obſidendam urbem Saulum, non apparebat, quomodo hoc ex iſto decreto flueret. Ac tametſi iſthunc facile ſcrupulum eximi poſſe viderem, ponendo novum aliquod decretum vid: Ego Saulo volenti propter Davidem cum exercitu Kehilam ire impedimentum non ponam præter Davidis fugam, unde mox ſequitur, ſi non fugiat David venturum Saulum; occurrebant tamen in aliis exemplis quamplurimis vaſtæ abyſſi & profundæ voragines, è quibus iſtius cortice diſtinctionis enatare non poſſem. Occurrebant inprimis verba Eliſæi ad Ioaſchum, ſi quinquies aut ſexies percuſſiſſet terram, deleturum Syros ad internecionem fuiſſe: Occurrebant verba Chriſti ad diſcipulos: Si rogaret patrem, mittendas ab eo plus quam duodecim legiones angelorum. De illationis veritate & neceſſitate etiam dubitare nefas exiſtimabam, neque tamen in quaſcunque formas me converterem ex iis quæ in tempore facta adeoque verè à Deo ab æterno decreta ſunt, decretum formare ullum poteram, unde per evidentem & neceſſariam conſequentiam iſta implicita decreta explicari & virtute latentia in apertum proferri poſſent. Chriſti enim verba ad hoc actuale & explicitum decretum revocare: Ego Chriſto filio meo quæcunque petierit, indulgebo; ineptum videbatur, quia decretum ineptum utpote confuſum & univerſale nimis complectens multa quaſi individua vaga eaque de cauſa indignum Deo. Tandem lectus inter alios etiam *Rhætor fortis* noſter viſus eſt reſpondiſſe omnium accuratiſſimè & & eam hærenti in ambiguo menti viam oſtendiſſe, quæ recta ad veritatis arcem deduceret. Ex illo igitur hoc pro certiſsimo & indubitato fundamento ſuppono: *Quod voluntas Dei ad nulla entia, vel quæ actu ſunt, vel quæ ſunt in potentia ſeu aliquando actuanda ſeu in actum nunquam deducenda, ſit indeterminata, dubia, aut ſuſpenſa, ſeu habens in ſe potentialitatem, ſuſpenſionem & privationem actus ſecundi, qualis reperitur in voluntate creata, ſed quod ſit, ut in* 2. diſt. 27. q. 1. Scotus *ait, per eminentiam ſui actus reſpectu omnis entis ab æterno determinata.* Quia ut Hypotheticorum Princeps Zuarezius agnoſcit Metaph. c. 2. diſp. 30. ſ. 9. num. 42. *Cum dicitur Deus poſſe velle & non velle, illud poſſe non dicit potentiam activam vel paſſivam, ſed dicit ſolum indifferentiam ejuſdem actus ut ad hoc objectum terminetur.* Vt in exemplo: cum dico Deum

poſſe

posse diligere Iohannem & odisse Petrum, illud posse non dicit potentiam in Deo actuabilem seu indifferentem ipsius voluntatis, sed tantum indifferentiam actus seu volitionis divinæ, ut terminetur in hoc objecto & dicatur amor; ut terminetur in isto, & dicatur odium. Hoc verriculo non tantum purgari possunt à sordibus scientiæ mediæ omnia illa scripturæ loca, quibus ea conspersum & sædatum eunt Hypotheticorum proceres: sed etiam hoc ariete validè concutitur & evertitur omne Decretum in Deo Conditionatum, Antecedens, Nonperemtorium, Congruum, Disjunctivum & quicquid est confinium apud Hypotheticos circa Dei voluntatem nugarum. Sed, ut in præsenti difficultate ex præsuppositio hoc fundamento rem, quemadmodem concepi, distinctè explicem: Considero in objecto scientiæ divinæ *duos status* possibilitatis & futuritionis, sed *tria momenta*. *Primum* quando Deus intuendo suam omnipotentiam vidit quid absque contradictione à se fieri possit. *Alterum*, quando omnium fieri possibilium modos, connexiones & concatenationes apud se decreto absoluto præfinivit, id est, quid causa, quid effectum, quid medium, quid finis, quid prius, quid simul, quid posterius foret aut non foret; sed cum hac cautione, *si vellet eas futuras*, *Tertium*, quando inter illas res, sub conditione tali præfinitas, discrimen statuit, relicta quibusdam conditione illa & super addito tali decreto: *nolo futuras*: ab aliis sublata conditione ejusque in locum substituto tali decreto: *volo futuras*: In tertio momento statuo rem demum extrahi ex statu possibilitatis in statum futuritionis; in prioribus duobus manere in statu possibilitatis, hoc tamen discrimine, quod eas in primo per naturam & ante omnem voluntatis actum cognoscat, in secundo post actum voluntatis. Neque *primò* mirum hic videri debet, quod statuo actum voluntatis divinæ, circa rem in æternum non futuram, sed in statu possibilitatis mansuram, quia hoc etiam admittit Hypotheticorum Princeps, quando l.c.n.49. vult *mutationem, quam vocat objectivam, etiam in rebus nunquam futuris suo modo intelligi. Nam*, inquit, *hoc ipso, quod Deus decrevit, ut illæ nunquam sint, intelliguntur habere aliquam habitudinem ad existentiam, quam ex se non habebant. Nam ex se erant quasi indifferētes, per decretum autem Dei determinantur ut nunquā existant. Et hæc sola mutatio sufficit, ut aliter etiā cadāt sub scientiam: nam jam cognoscuntur per scientiā visionis, ut nunquā futuræ.* Cur ergo & nobis non liceat dicere de rebus nūquā futuris, decrevisse Deū, si vellet futuras, ut sic fierēt, deinde, se nolle futuras. Neq; *secundò* mirum videri debet, quod videar in secundo illo momento statuere in Deo decretum aliquod conditionatum. Ex.gr. si vellem eas res futuras, sic vellem esse futuras aut sic essēt futuræ; quia hoc in tantum differt à decretis conditionatis Hypotheticorum, ante à nobis impu-

impugnatis,quantum lux à tenebris & cœlũ ab inferno diſtat. Nam *Primo* hæc conditio libere eſt à Deo poſita, eſt in Deo & ab eodem liberè removeri poteſt, ita ut ejus hic voluntas à nulla alia extra ipſum incerta conditione ſuſpendatur. Vnde neq; *Secundo* ulla in Deo velleitatis imperfectio ſtatuitur cum nihil ſit quod ſanctum ejus deſiderium impedire poſſit. *Tertio*, quia hic ſubſiſtere & terminari actum voluntatis divinæ non dicimus circa illa non futura, ſed in ſuperveniente mox decreto libero: nolo futuras. *Quarto* quia hoc neceſſariò flagitant allegata ab Hypotheticis ſcripturæ loca, in quibus de tempore futuro eſt ſermo & firma inter antecedens & conſequens ex divina prædictione connexio invenitur, ut intelligamus quomodo illa utriuſque partis connexio firmata ſit non caſu & fortuito,neque ex natura partium neque ex circumſtantiarum quarundam congruitate, neque à ſtoico quodam fato,ſed à libero Dei decreto. Vnde quia poſtmodum nunquam fiunt, neceſſe eſt in iſto momento hanc ſubintelligi conditionem, ſi vellem futuras eſſe. *Quinto* quia ex communi hominum piorum inſtinctu videtur non male colligi ejuſmodi conditionatum circa res non futuras decretum. Si enim petant ipſi à Deo, ut ſiquidem decreverit ipſis in cultu virtutis & ſalutis promotione adjumento futuras, eas largiatur; ſin impedimento & laqueo, non largiatur; Item, ſi decreverit dare ipſis filios probos,quos ſuo ipſe ſpiritu regat, det ſibi filios, Sin aliter, ne det; quæro annon illa mentis deſideria talia ſint, ut piè cæleſti numini repræſentari poſſint? Si ſunt,ergo dabit Deus filiis ſuis deſiderium cordis ipſorum. Si dabit,ergo ex duobus contradictoriis alterum fiet, alterum non fiet ex. gr. largietur opus vel non largietur. Si non largiatur iſta non largitio ab æterno futura fuit, largitio non fuit: & tamen homo pius ſupponit hic de iſta largitione non futura decretum divinum, quod videlicet largitio opum ipſi in laqueum futura eſſet. Hic igitur nunc pedem figo ſecurus omnis Pelagiani molimini omniumque tabularum ſcholaſticarum ſophiſticæ loquacitatis, etiam concedendo, ſi de eo anxiè laborent, omnia illa hypothetica enuntiata, ex ſcripturis allata, loqui de eo quod futurum & non quod præſens eſt; item firmiſſimam eſſe inter antecedens & conſequens connexionem, ita ut quam certò Deus eſt verax, tam certò illa ſic vel ſic, ut prædicta erant, eventura fuiſſe: conſiderato hic etiam loco *Matth.* 11. de Tyriis & Sidoniis ante ipſorum finalem in peccatis perſeverantiam & mortem: *Dico* quod Deus futura illa conditionata ab æterno viderit & nunc adhuc videat, non per mediam aliquam ſed per viſionis ſcientiam, in decreto ſuo prædeterminante connexionem & concatenationem,non tantum omnium entium, præſtituto tempore futurorum, in tertio; ſed etiam ullo tempo-

tempore fieri possibilium, in secundo illo momento. Ita ut Deus in hoc momento ex decreto suo etiam scire possit, si alium mundum creare vellet quot in eo angeli homineſque forent; quæ item Reſpubl. & qui in Rebuſpubl. Reges & Principes, qui ſacrorum adminiſtri, qui linguarum & artium inventores & doctores: & quæ ſimilia per mediam illam ſcientiam cognoſcere eum volunt Hypothetici: Ideo vero in nulla temporis differentia in rebus mutationem fieri, quia ſuperveniente decreto abſoluto decernit Deus ut non ſint futurę. Ecquid igitur evicerunt nunc ſuis argutiis Hypothetici? Anne certam aliquam ejuſmodi futurorum contingentium in Deo notitiam dari ante omnem voluntatis actum? vellent hoc illi quidem, ſed nihil pro aſſerenda media iſta ſcientia ex iſtis ſcripturæ locis exſculpent: quæ Sophiſticis ipſorum unguibus erepta, hoc tantum probant cognoſci illa certò à Deo, ſed nonniſi poſt decretum Dei: quod & nos libenter damus & mediam iſtam ſcientiam funditus evertit.

Nunc igitur poſtquam Hypotheticos omni ſcripturarum præſidio, in 14
quo ſe admodum inſolenter jactare ſolent, depulimus, metuendum non eſt, ne contortis quibuſdam & ſophiſticis ratiunculis, multum contra veritatem proficiant. Videntur illi quidem *ſecundo argumento*, quod *Zuarez* primarium exiſtimat, præclaram quandam per hoc ſcientiæ mediæ figmentum in Deo conſtituere ſapientiam, ſed revera humanam non divinam. In hominibus fatemur talis ſcientia media inſignem quandam arguet ſapientiam & perfectionem, ſed quæ ſimul notet ipſorum ut creaturarum, ab alio in fieri, eſſe, & operari dependentium, imperfectionem, non aliter quam edere, bibere, dormire, ambulare & quæ ſunt iſtius generis alia. Homines enim adhibito ſtudio præcognoſcunt quid ſit ex hoc vel illo ſecuturum, ſi rem ſic vel ſecus aggrediantur, ne decernant vel adhibeant media obtinendo fini parum accommodata, quantoque id ſtudioſius & accuratius agunt, tantò aliis ſapientiores haberi meritò ſolent. Sed in eo jam eſt ipſorum imperfectio, quod media invenire debent ad fines accommodata: facere autem quæ volunt, non poſſunt, accommodata. An igitur Deum hic miſeris homuncionibus & perfectiſſimum creatorem imperfectis creaturis aſſimilabimus? qui ſicut propter omniſcientiam non habet neceſſe, longo ſe labore & moroſa contemplatione fatigare ad quippiam cognoſcendum, ita propter omnipotentiam timere non debet, ut medium decernat propoſito fini non ſatis idoneum, quia media quantumvis etiam in ſpeciem humilia & abjecta, dum decernit, facit apta, facit alta, valida & efficacia ad dejicienda mundi excelſa & quicquid inani propriæ ſapientiæ, dignitatis, roboris & virtutis perſuaſione

ſuaſione ſe extollit contra Deum & cauſam Dei. Et num alligabimus eum, naturæ mediorum explorandæ, antequam ſapienter aliquid decernat, qui etiam media contrariæ naturæ adhibet ad fines naturæ ſuæ prorſus contrarios obtinendos, non aliter quam ſi per aquam calefaceret aut per ignem frigefaceret? Ipſe eſt, qui è tenebris lucem producit: ipſe eſt qui peccata natura ſua ad gehennam & damnationem tendentia, facit eſſe occaſiones promovendæ electorum ſalutis, animæque ipſorum aridæ, in cultu fidei ſpei & charitatis, fœcundandæ, non aliter quam fimo & ſtercoribus agri nõ ſatis fœcundi impinguantur ad uberem omnis generis fructuum proventum. Sed videlicet hæc ſunt illa Sathanæ profunda, ad quæ primum ſcientiſſimo urinatori Fonſecæ penetrare datum fuit, unde nobis extraxit iſthanc ſcientiæ mediæ gemmam, nemini ante viſam, nemini auditam. Audiamus eum hæc propriis verbis nobis declarantem. *Itaque*, inquit loco ſuperius citato ſect. 8. *rem hunc in modum habere credebamus, ut quemadmodum ii, qui ſapienter magnum opus aliquod moliuntur, prius apud ſe cogitant, quid ex eo conſecuturum ſit, quam abſolutè ac determinate illud facere decernant; ita Deum Opt. Max. more intelligendi noſtro* (Ieſuitarum intellige Pelagianizantium) *priuſquam abſoluta determinatáque voluntate vellet mundum condere, quaſi apud ſe deliberantem cogitaſſe, quid eſſet ſecuturum, ſi cœlum & terram & omnia, quæ in eis continentur hoc ipſo modo & ordine, quo ea diſpoſuit, conſtitueret.* Hunc quidem hominem ſatius fuiſſet antequam Deum ſic deliberantem conciperet, pro male ſano iſto cerebro curando hellebori doſin non admodum parvam aſſumſiſſe: expuliſſet utique magnam partem craſſorum ejuſmodi humorum, qui illum, ad tam groſſos de ſummo illo creatore conceptus formandos, diſponebant. Et qui vos eſtis Fonſeca, qui vos Molina, qui vos Suarez, qui vos cæteri Ieſuitæ, novi myſterii iniquitatis promotores, ut audeatis ita illotis pedibus invadere arcana, & tremenda Dei conſilia & illius ſapientiam in ſapientiam filiorum Adami commutare, ut niſi omnes fibras ac fibrillas humanæ voluntatis ante proſpexerit, nihil poſſit ſapienter decernere. Audite, ſi erudiri vultis, ſanctiſſimum Dei prophetam ita deliria veſtra redarguentem. *Quis veſtrum expendit ſpiritum Iehovæ? ut vir à conſiliis ei docuit eum? cum quo communicavit conſilium, ut inſtrueret ſe, doceretque ſe iter judicii: doceret, inquam, ſe ſcientiam & viam ſummæ prudentiæ notam faceret ſibi? En gentes tanquã gutta e ſitula & tanquã flos pulviſculi in lancibus reputantur.---- Omnes Gentes velut nihil ſunt coram eo, minus nihilo & inanitate reputantur ei.* Ieſ. 40. Audite, ſi pudefieri noſtis, tumidum illum è gentiliſmo Monarcham, poſt vitam in agris cum pecudibus actam, mente reverſa Excelſo benedicentem viventiſq; in perpetuum laudes gloriamque decantantem: *quod dominatus*

ſit

ejus sit dominatus æternus & regnum ejus in omnes generationes: Omnes vero habitatores terræ, ut nihili reputentur & pro voluntate sua faciat in exercitu cœli & habitatoribus terræ, neque sit qui prohibeat manum ejus, aut dicat ei, quid facis? Dan. 4.

Et nos ipso virtutem suggerente decurramus sine fatigatione hanc 15
viam nostram & fugientem à facie nostra imbellem, quæ super sunt, argumentorum turbam consectemur, dum nullum supersit amplius. Et ecce *tertium* contendit, dari ante omne decretum divinum aliquod objectum scibile, quod nec ad simplicis intelligentiæ, nec ad visionis scientiam, prout illæ in scholis sumuntur, referri possit, nempe futurum sub conditione, medium inter merum possibile & absolutè futurum & tam ad futuritionem quam non futuritionem indifferens. Sed num existimant boni isti viri, nos tanquam humiles subditos ipsos in Theologia pro Dictatoribus agnoscere, qui cæca simplicique obedientia nos ipsorum dictatis submittamus? nihil minus. Non sumus Pythagoræi, imo nec ipsi Pythagoræ; non sumus Papistę, imo nec ipsi Papæ. Probent igitur nobis, si viri sunt, dari ante omne decretum Dei aliquod tale objectum scibile: promant nobis causas præter decretum divinum, quarum vi atque efficacia aliquid merè possibile è statu suæ possibilitatis ad qualemcunque futuritionem evehi possit. Quamdiu id non faciunt, non facient autem in æternum, tamdiu ne existiment nos istis larvis & spectris argumentorum terreri posse. At enim, quamvis hic desint vires adversariis solidam aliquam probationem afferendi, non deest tamen voluntas, pro solida, speciosam aliquam obtrudendi. Contendunt nim: dari ejusmodi scibile, quia, inquiunt, concursus voluntatis cum Deo & determinatio ejus propria est independens à voluntate & concursu Dei: ac proinde abstractè à voluntate & concursu Dei, id est ante omne decretum divinum sciri potest quid liberum arbitrium creatum positis his illisve conditionibus voliturum & facturum esset. Consequentiam agnoscimus, sed antecedens quomodo probant; *Primò*, quia concursus Dei est tantum in effectum, non in arbitrium creatum ac proinde arbitrii concursus est à Deo independens. Atqui hoc est dubium per æquè dubium probare, quia talem concursum nos in summam Dei majestatem summe injurium statuimus, qui non subordinatum & subditum, sed socium & æqualem Deo facit in operando hominem. *Secundò*, probant, quia ordo operationis ad causam secundam, non dependet à causa prima. Sed licet non dependeat à causa prima terminative, quia prout sunt diversi termini, sic, respectu terminorum, diversi etiam ordines: non sequitur tamen, quod non dependeat effectivè, id est, quoad entitatem & produ-

ctionem sui, seu ita ut eximatur subordinationi isti essentiali & intrinsecæ, quam creatura dicit ad suum creatorem adeoque regimini directioni & providentiæ divinæ: sicut relatio, quæ est inter patrem & filium terminativè quidem pendet à solo filio, sed effective etiam à Deo, à cœlo, à patre, à matre. Imo verò non difficile erit nobis ostendere etiam concursum arbitrii creati, qua talem, non esse independentem à voluntate & concursu divino, his peremtoriis demonstrationibus. *Primo*: Quod continetur intra latitudinem Entis creati, id non potest esse independens à voluntate & concursu creatoris, quia hoc implicat. Atque concursus arbitrii creati, quâ talis, continetur intra latitudinem entis creati: Ergo. *Secundo*. Nulla creatura in suo fieri & esse potest esse independens à Deo. Ergo nec in suo operari; par enim ab utraque parte est ratio. Iam autem esset in operari creatura à Deo independens si concursus ipsius, qua talis, ab ipso esset indepẽdens. Quia igitur falsum est prius, falsum etiam posterius. Veritas ista suo fulgore omnes dubitationum tenebras dispellit & vel invitos in assensum rapit adversarios, ita ut etiam politicus ille è Fuliensium cõgregatione monachus, *Petrus*, inquam, *à S. Ioseph* suavis suæ *Concordiæ disp. 4. sect. 2.* in ipso limine notatum velit: A nemine dubitari quin ad cognitionem futurorum sub conditione necessarium sit aliquomodo (heu quam difficulter ex invitis pectoribus erumpit veritas!) decretum divinum. NB. *cum nihil possit esse futurum sive absolute sive sub conditione, nisi Deus ut prima causa velit ad id concurrere.* Verba sunt clara & diserta quamvis alias & hac ipsa sectione & in toto libro cum magistris suis Iesuitis fidelis discipulus cantilenam eandem canat. Non sunt igitur ulla futura conditionata quæ peculiare & novum scientiæ divinæ objectum constituant sed de illis secundum veritatem sic statuendum. *Primo*: In quibus futuris conditionatis antecedens & consequens essentialiter & necessario inter se connectuntur, ita ut ista connexio suam necessitatem habeat in principiis primis atque communibus, ex formali ipsorum ratione, primo, per se, per omnia, necessariis, ut, si conjungas bis bina, habebis quatuor, si lapis fiet homo, fiet animal rationale & similia, quæ immutabilem habent necessitatem independentem à decreto divino, illa Deus cognoscit per scientiam naturalem & simplicis intelligentiæ. Sed ista non sunt futura conditionata contingentia, verum necessaria; quia quamvis contingens sit in se & liberum respectu voluntatis divinæ, dari hominem, illud tamen simpliciter necessarium, si detur fore animal rationale: & de his nulla inter nos & adversarios est quæstio. *Secundo*, in quibus futuris conditionatis antecedens & consequens ex natura sua accidentaliter ex solo autem decreto divino, per respectum extrinsecum, necessario con-

rio connectuntur, qualia fere continentur scripturæ locis, quæ citare hic solent Hypothetici, illa Deus cognoscit post decretum suum, per scientiam visionis, quia nihil merum possibile potest ullo modo esse futurum, nisi per decretum Dei; de quo jam habuimus confitentem reum *Petrum à S. Joseph.* Imo quod amplius, extendimus hoc etiam ad ea futura conditionata, quæ ex intrinseco & naturali principio, sed tamen impedibili, necessitatem habent naturalem sed non prorsus immutabilem, ut si est ignis uret, quia in fornace Babylonico non ussit *Dan.* 3. si est ferrum mergetur in aqua, quia natavit tempore Elisæi 2 *Reg.* 6. & ut ibi sic mille aliis locis Deus, si vellet, posset concurrere cum igne, cum ferro & qualibet re gravi. Istis igitur etiam futuris conditionatis hoc pacto ad duas receptas scientiæ divinę species revocatis nullum supereſt tertium objectum, propter quod tertia quædam seu media in Deo scientia constituenda sit.

Quartum adversariorum argumentum æquè ut tertium elumbe est. 16
Dicunt enim dari in futuris illis conditionatis contingentibus ante omnem divinæ voluntatis actum certam & determinatam veritatem. Quod sanè quid aliud est dicere, quam dari veritatem secundam, quæ non sit à primo vero, dari in rebus contingentibus certitudinem & determinationem ad hanc vel illam oppositionis partem, absque causa certificante & determinante. At, inquiunt, ante omne decretum divinum possunt de iis formari propositiones contradictoriæ. Et quid tum postea. Ergo habebunt determinatam veritatem, quia omnis ejusmodi contradictionis pars altera est determinatè vera, altera falsa. Hoc quidem ipsis hic non illubentes concedimus: quandocunque una contradictionis pars determinate est vera, alteram esse determinatè falsam: sicut & hoc in quolibet *momento in quo* alteram partem esse determinatè veram alteram falsam: sed id similiter locum habere, in quolibet *momento à quo* vel signo rationis; id vero est quod ab ipsis probatum velimus. Si enim spectes hæc enuntiata contradictoria in signo rationis quod præcedit omnem actum divinæ voluntatis, id est, ante causam cujus vi hæc pars est determinatè vera & sic altera falsa, neutrum est determinatè verum, neutrum determinatè falsum sed utrunque indifferens ad veritatem & falsitatem: quia, ut sumamus exemplum ab adversariis allatum, sicut ante omne decretum divinum ipsa extrema, Petrus, constitutio in tali ordine & abnegatio domini sunt non entia, non vera, non scibilia; sic & habitudo quam concipimus inter Petrum, ut subjectum & constitui in tali ordine, ut adjunctum; item inter Petrum constitutum in tali ordine, ut causam efficientem & abnegationem domini ut effectum vel magis defectum, non

est habitudo, non entitas, sed abyssus nihilitatis & meræ possibilitatis: pro indeque nec vera nec falsa, nec cognoscibilis nec ignorabilis. Ratio est evidens, quia ut nullus effectus ante & absque causa sua, ita & nullum ens quomodocunque futurum, ante & absque decreto Dei, summi Entis; à quo, veluti omnis Entitatis fonte, sicut promanare debet entitas extremorum in istis propositionibus: sic etiam connexionis & mutui inter extrema respectus. Atque eadem omnino valet responsio ad alteram illam quorundam probandi rationem de enuntiatis disjunctivis, quia illa disjunctionis necessitas fundatur in natura contradicentium.

17 In *quinto argumento* primum se offert *Molina*, qui vult Deum futura ista conditionata certò scire posse ideo, quia Deus exactissimè comprehendit naturam cujusque liberi arbitrii. Contra quem sic procedimus: si hæc est ratio sufficiens quare futura ista conditionata Deus cognoscat; jam certò etiam cognoscet, quid sua voluntas in quaque occasione sit volitura, quia suam voluntatem non minus exactè cognoscit quam cujusque creaturæ. At falsum est posterius juxta *Molinam*. Ergo & prius. Iterum: si illa ratio est sufficiens debet dari aliqua occasio, in qua voluntas creata non sit indifferens, verum certò inclinetur ad hanc oppositionis partem præ illa, quia alias non magis sciri potest sic, quam secus acturam. At juxta Hypotheticos talis occasio dari nequit. Ergo ratio non est sufficiens. Neque hic terrere nos debent ipsius clamores, quibus indignum hoc perfectione divinæ scientiæ, imo impium esse & minimè cohærere dicit, quia dicit non probat: neque Iesuitas suos hactenus iis clamoribus terrere potuit, qui in hac sententia ab ipso discedunt. Vbi illi se coram illo, ab isto crimine purgârint, nos deinde videbimus, an tale quid à nostra parte operæ pretium futurum sit. Succedat nunc *Suarezius*, qui cum *Fonseca* non vult illa cognosci in virtute causæ sed ex eventu certò futuro. Si enim quæras quomodo possit in istis conditionatis hunc determinatum effectum cognoscere Deus? Respondet quia causa verè in se actu secundo esset ad actum illum determinanda. Non quæro nunc, quomodo intelligat hoc, quod illa non cognoscantur in virtute causæ, quæ ipse sine dubio intelligit in sensu copulativo, cum tantum in disjunctivo verum sit, id est, prout spectatur causa secunda in se, non consideratâ naturali subjectione ad decretum & providentiam Dei: si effectus jam sit determinatus & causa secunda ad illum determinanda, illud quæro, unde & à qua causa sit ista determinatio? Hic expediat *Suarezius*, si quod habet, acumen suum; hic Rhodus est, hic saltet. Certè non est à se, quia

nihil

nihil sui ipsius causa: non à causa secunda, quia illa ante effectus productionem omni momento indifferens & indeterminata, illum determinare non potest: non etiam à causa prima, quia & illa, juxta Hypotheticos se indifferentem servat, usque dum videat, quo arbitrii creati bilanx inclinet, ante nec certò decernit nec determinat quicquam. Vnde conficitur si Deus tale futurum conditionatum videat, quod videat non ens, non scibile, ac proinde nihil videat. At *Suarezio* quidem videtur futura effectus determinatio à se esse, quia primam secundamque causam à futura determinatione rejicit. Quam viam tametsi ei jam præcluserimus, tamen, ne sperare possit ullum hic exitum, monstrari possunt non difficulter multa obstacula & incommoda, quæ hanc viam prorsus reddunt inviam. Nam *primò*, si Deus videt effectum jam ante, non in virtute causæ contingentis, in se, extra causas suas determinatum, tum non videt eum qua contingentem, sed qua necessarium: quod quidem grave est ex Hypotheticorum mente ἀτόπημα. *Secundò*, erit aliquid præter Deum, quod esse habeat in se & à nulla causa. *Tertio*, Causa secunda necessario ad illum determinabitur, quia ex omnibus possibilibus hoc jam ante & extra suas causas, habuit ab æterno futuritionem & esse determinatum. Qui ineluctabilis est contradictionis labyrinthus, è quo exitum non inveniet *Suarez*, quibuscunque id etiam tentet sophisticis argutationibus. Sed desperare hic socios adhuc vetat Suarezius, qui agnoscit *non esse quærendam commensurationem inter scientiam hanc & objectum, quia illa non sit certa ex objecti certitudine, sed solum ex eminentia & perspicacia divini intellectus, qui potens est certius cognoscere hæc objecta, quam ipsa sint cognoscibilia. Illa enim*, inquit, *sicut non sunt ab æterno, ita ex se incerta sunt & consequenter ex parte ipsorum nulla ratio talis scientiæ dari potest. Nihilominus tamen Deus infinita vi sua illa cognoscit & quasi vincit illam difficultatem.* Si objicias, ista repugnantiam & contradictionem involvere, quia sicut divina potentia non potest facere id, quod de se non est factibile, ita nec scientia divina scire id, quod ex se non est scibile, debereque omnino inter scientiæ & objecti certitudinem & infallibilitatem esse adæquationem & commensurationem: *Respondet* distinguendam esse in objecto duplicem habitudinem, unam principii, cum in ipso objecto est quædam entitas seu realitas per quam possit esse principium alicujus scientiæ; & talem entitatem in objecto hujus scientiæ non dari. Alteram quasi termini, cum potest determinare divinam scientiam, etiamsi ab æterno non habeat existentiam æternam ad Deum, sed tantum pro suis temporibus ita, ut hæc terminatio sit tantum extrinseca denomina-

tio proveniens ab ipsa scientia. Sed talis distinctio non est, nisi turpis principii petitio, quæ pueris fortassis os oblinet, homini autem cordato non satisfaciet. Annon contradictorium est, ut terminare dicatur scientiam objectum aliquod quod non habet terminos, nisi per extrinsecam tantum denominationem, quæ in re fundamentum non habet, sed in scientia? Imo vero sicut quod non est tactibile non potest terminare divinam potentiam, aut ab ea extrinsecam denominationem talis terminationis accipere: ita & quod non est scibile non terminabit per denominationem extrinsecam scientiam divinam. Atque ut unum ita & alterum manifestam dicit repugnantiam, in qua constrictus cum suis hæret *Suarezius*, tanquam mus in pice, quicquid contra in adversum nitatur. Videndæ & lustrandæ adhuc obiter rationes Fonsecæ, quibus confirmare nititur de veritate futurorum contingentium liberorum non ex causis, sed simpliciter ex futuris eventibus judicandum. Notandum vero hic minus accuratam loquendi rationem esse, dicere, illa cognosci ex causis. Quamvis enim ut scire est rem per causam cognoscere, ita præscire sit præcognoscere, tamen Philosophi à quibus ista loquendi ratio desumta, non hucusque extenderunt illud scire & præscire & per causam intelligunt eam, cujus solius vi & respectu necessaria est inter antecedens & consequens connexio reliquis exclusis. Illam vero hoc loco esse constat solum decretum divinum rebus contingẽtibus extrinsecum, cum intrinseca nulla detur. Sed quid tum necesse est causas secundas in se absque isto decreto & consequente concursu spectatas, prorsum indeterminatas, in assignanda præscientiæ ratione causæ primæ conjungere? Damus ergo *Fonsecæ*, quod & verissimum, ex causis secundis præcise & seorsim spectatis ea nullo modo præscire posse. Verum rationes ipsius contra primam etiam causam directæ ratiunculæ sunt & satis leves. *Ad primam dicimus*: licet enuntiationes de futuris illis contingentibus sæpè absolute dicant rem fore aut non fore: non tamen quenquam posse certam accuratam & solidam habere cognitionem veritatis, quæ est in iis, nisi cognitis causis & earum ad effectus suos habitudine. Et quid ineptius tali argumento. Vulgus hominum, cum de istis futuris loquitur, aut sapientes, cum vulgari modo, absolutè dicunt rem fore aut non fore: Ergo de istarum enuntiationum veritate ex solo eventu judicãdum ex eoque potest certa istorum futurorum scientia jam ante haberi. Etiam homo sapiens non judicat se habere certam alicujus rei scientiam, nisi certam nôrit causam, in qua fundetur effectus ille. Non spero quod ipsum etiam Deum fæci hominum potius, quam sapientibus conformare velint Iesuitæ. *Ad secundam dicimus*: iterum concedi quod ponit, sed non sequi quod infert. Scimus enuntiationem de istis futuris veram, talem nunc esse

esse in significando, qualis aliquando res erit in essendo: sed ut hinc inferat, de veritate talium enuntiationum & futurorum iis enuntiatorum ex solo eventu judicandum, probet nobis quomodo res futura exiſtentiam sit habitura, nisi à certa & determinata causa ac proinde quomodo veritas talium enuntiationum sciri possit, non cognita ista causa, unde res futura futuritionem & præsens certam exiſtentiam habeat. Nam, quod mussitat de eventu vel affirmativo vel negativo revera futuro, id in quarti argumenti principalis solutione abundè confutatum est. *Ad tertiam & ultimam dicimus*: Non dubitari quin enuntiationes de ejusmodi futuris apud Deum sint determinatè veræ aut falsæ, sed dubitari an aliunde sint, quam ex causa, unde est determinata in futuris veritas aut falsitas, id est, ex decreto divino prima & infallibili omnis futuritionis causa, absolutè de rebus sic an secus futuris statuente. Hic vero est scopulus quem refugiunt Hypothetici & cum ad probandum res devenit, stant loquaciſſimi Sophiſtæ magis muti, quam pisces.

Ad triarios res rediit, *ultimum* adversæ partis *refugium*, quo sublato nullum erit antrum quo se recipere queant amplius. Conantur enim hic persuadere nobis summè necessariam esse istam in Deo scientiam ad veritates alias luce clariores defendendas. Quid sit de ista scientia & jam satis vidimus & impostérum, volente Deo, adhuc magis videbimus. Dicimus ergo, sicut in practicis, ex Apostoli monito, non sunt facienda mala, ut eveniant bona, sic nec in theoreticis confingenda falsa vana & inepta ut defendantur vera. Quin si inter hæc vera & alia vera pugna quædam intercedere videatur, & quis velit, ut conjungamus ista vera, respondebimus potius cum doctiss. *Cajetano*, nos scire quod verum vero non sit contrarium, sed nescire hæc vera jungere, sicut nescimus alia mysteria fidei quæ credimus; quam ut ad formandam pro nostro intellectu concordiam falsi quid comminisci velimus aut aliorum commentum admittere. Sed religiosiſſimi PP. Iesuitæ hæc parum videntur curare, quibus ut religio non est, piis fraudibus & technis nutantem Antichristi sedem statuminare, sic nec ineptis & vanis commentis Pelagianam sententiam contra adversarios defendere. Nobis tamen irasci nequaquam debent, quod mediam hanc scientiam, Veritatum, ut videtur, pugnantium conciliatricem, ab ipsis tam liberaliter oblatam, non ambabus ulnis amplectimur; quam non modo inter suos Monachis Dominicanis, sed ne ipsi quidem Clementi Octavo Deo suo & Pontifici ter Opt: Max: quantumvis astuti Sophiſtę & callidi rerum suarum promotores, probare potuerunt. Verum enimvero non videmus quid in receptis istis veritatibus magnopere desiderare possint Hypothetici, ut mediæ istius scientiæ usum tam ne- 18

cessarium

ceſſarium eſſe nobis perſuadere conentur. Primo enim quomodo probabit nobis *Suarezius* non poſſe Deum ſapienter aliquid decernere, niſi præſuppoſita media hac ſcientia? An quia voluntas per ſe eſt potentia cœca? At pudeat illos accommodare hæc perfectiſſimæ Dei voluntati quæ de creata tantum dicuntur eam ob cauſam, quia objectum ejus non invenitur in ipſa, ſed in rebus extra ipſam, quarum ipſa non eſt cauſa, ut proinde ab intellectu duci in objectum ſuum neceſſe habeat; quod in divina voluntate longè ſecus eſt, quæ, quia cauſa eſt omnis futuritionis præſentiæ & præteritionis, ipſa ſibi format ſuum objectum, ut proinde in illud ab intellectu duci neceſſe non habeat. Neque interim tam ſumus abſurdi ut negare velimus eſſe ordinem aliquem eſſentialem inter objectum intellectus & objectum voluntatis tum in humana tum in divina voluntate; ſed iſte ordo ſalvatur per antecedentem poſſibilitatis in objecto volendo cognitionem, quam ſimplicis intelligentię ſcientia præſtat, per quam fit ut intelligere præcedat velle in Deo & velle procedat ab intelligere. Vlterius aliquid urgere non poſſunt Hypothetici, quin ſimul mediæ iſtius ſcientiæ in iis etiam rebus neceſſitatem debeant ſtatuere, quæ ab arbitrii libertate minimè ſunt dependentes: quod hactenus nondum fecerunt: niſi quod unum in iſta fuiſſe ſententia *Becanus* commemoret. Doleo vero quod iſti hominum generi ſe in hac cauſa adjungat ex noſtris Theologus quidam compluries citatus. Sed non videtur futurus adverſarius adeò importunus, cujus omnis impetus conſiſtit in vix videri, quomodo divinorum decretorum immutabilitas defendi poſſit abſque iſta ſcientia; cui ſi opponas aliorum bene videri, non video quid contendere amplius poſſit vir Clariſſ. Et ita eſt ſanè. Quando enim primis parentibus propoſuit ſub conditione obedientiæ vitam Deus, non eo docuit, quid ipſe futurum decreviſſet aut non futurum, ſicut neceſſario intelligi debent verba viri clariſſ: ſed potius ad quid creaturam ſuam obligaret, addita indebita mercedis retribuendæ promiſſione: quod & abſque conciliatrice iſta ſcientia cum Euangelio optimè convenit & abſque divinæ voluntatis mutatione conſiſtit. Hoc vero quid quæſo eſt: *Deum priori fœderi & decreto alterum ſubordinaſſe*? An exiſtimat vir clariſſ. voluiſſe Deum primo & principaliter ſalvare hominem per opera, ſed ſimul decreviſſe ex prævisione lapſus per hanc ſcientiam, ſi iſto fine excideret aut iſtud medium inutile redderetur, ſalvare per fidem? Alium enim ſenſum in verbis illis non video. At vero ſi talia de Deo concipere abſurdum non ſit, jam eadem opera, tota gratię cauſa, naturę patronis tradatur, quia totius Pelagianiſmi hæc baſis: poſſe fine ſuo fruſtrari altiſſimum. Equidem video è quibus initiis iſta proceſſerint, & quo modo ficulnea

culnea ista mediæ scientiæ folia quæsita sint. At nos ista parum tangunt, qui alium quam ipse decretorum Dei ordinem statuimus. Prout enim in temporaria decretorum executione primo creat hominem Deus justum & integrum, secundo generale operum fœdus cum ipso init, tertio lapsum permittit, quarto homines huc usque pares discriminando, reprobos in violato isthoc operum fœdere linquit sub maledictione & post mortem temporalem æternum damnat, cum electis autem gratiæ fœdus init in Christo istius fœderis mediatore eos per spiritum suum & verbi prædicationem vocat ad communionem regni sui, propter Christi merita, fide apprehensa, justificat & in filios adoptat: per inhabitantem in ipsis Spir. Sanct. indies magis magisque sanctificat, ac per mortem ex statu miseriæ plenissimè extractos in cælestem gloriam assumit: sic in æterno decreto seu intentione juxta finis mediorumque inter se ordinem contrario & inverso modo se habere statuimus; quamvis alias doctiss. *Tvvisso* facile accedamus statuenti, omnia illa quæ circa electos in tempore agit Deus, unius in decreto æterno medii rationem habere, cujus finis sit gloria misericordiæ divinæ: quæ circa reprobos, item unius, cujus finis sit gloria justitiæ divinæ. Hæc sunt tremenda illa & cum humili silentio veneranda, æternæ prædestinationis mysteria, velut acies quadrata campo exposita, ab omni parte sibi constans, ab omni parte periculorum & cladis secura. Nequid intactum relinquamus, existimat idem Vir Clariss. quamvis nullam suæ opinionis rationem proferens, absque ista scientia non posse explicari, quomodo Deus per decretum suum non sit author peccati. At nos cum aliis haud infimi subsellii Theologis illud absque ista scientia jam ante præstitimus. Ex abundanti vero & hoc addimus, si quod hic incommodum, illi ipsius æquè, ne dicam magis, sententiam obnoxiam fore, ac nostram. An non enim tametsi haud constans sibi, vult futuritionem actionum illarum, quas scientiæ mediæ objectum constituit, inter quas & suum peccatis locum facit, pendere à conditionato Dei decreto? neque vero hic ratio apparet quare, cum has quidem actiones à decreto absoluto, istas vero à conditionato esse suum habere statuat, non similiter author sit earum actionum quæ à conditionata, quam earum, quæ ab absoluto decreto esse suum accipiunt. Vbi hic ipse se expedierit, eadem imo leviore opera nos expedierit. Videamus quænam circa *intellectum Dei* veritas defendi sine istius mediæ scientiæ præsidio non possit. Hæc scilicet communis tum scripturæ tum naturæ vox, *Deum esse omniscium*. Nam, uti contendit *Fonseca*, incertus erit Deo Prædestinatorum numerus. Fateor ita dicēdum in via Hypotheticorum, ubi decreta divina

à libero hominis arbitrio, non in Absolutorum, ubi liberum hominis arbitrium à decretis divinis suspenditur. Sed in disputando suam viam pro vera, & contrariam pro falsa supponere, est se adversariis ridendum dare. Alii dicunt multas & infinitas Deo quæstiones ab homine proponi posse in futuris illis conditionatis liberis, quæ tamen ob conditionem nunquam ponendam, nunquam futura sunt, ad quas nil certi Deus respondere possit. Sed nos ipsis aliquid certi respondere possumus, vid: nullam esse quæstionem talem, ab humano vel angelico intellectu imaginabilem, ad quam non perspicue respondere possit Deus, posita conditione si sic & sic esset. At quomodo? Hoc jam ante satis declaravimus in responsione ad primum adversæ partis argumẽtum, vid: Deum ista scire ex libero voluntatis suæ decreto, quo non tantum modos & connexiones rerum in tempore futurarum, sed etiam nunquam futurarum & tantum fieri possibilium apud se ab æterno præfinivit, sed cum hoc discrimine, quod ista vellet fieri, hæc nollet: quæ tamen si vellet, sic futura essent, quemadmodum præfiniverat. Tertio, sine hac scienta adversarii putant certam esse non posse & infallibilem *Dei providentiam*, quia sine illa media ad fines propositos juxta rerum naturas accommodata adhibere non possit. Quod certum est si Deus, ex Hypotheticorum sententia, disponat omnia suaviter & non juxta Absolutos pertingat etiam à fine ad finem fortiter. Sed cum illud incertum, imo falsum sit, incertum quoque & falsum est quod ex eo deducitur. Quin hic est scopulus offensionis, in quem semper incurrunt rostratæ Hypotheticorum naves, quod sine ratione, sine scriptura, imo contra rationem, contra scripturam existiment, creatorem ut creaturas invenire in mediis ad propositos fines congruitatem & aptitudinem, non per decretum dare. Tandem vero Gordium illum nodum objiciunt, de instituenda decretorum, præscientiæ & providentiæ divinæ cum libero arbitrio *concordia*, qui multis jam sæculis doctissimorum virorum ingenia exercuit, quem sine istius suæ scientiæ gladio insolubilem putant. Sed habeant sibi *suavem* illam suam *concordiam*, quam ipsos docuit Spiritus carnis, propriæ excellentiæ persuasione intumescens, non Spiritus Dei humilitatis verbi, in intimam fidelis animæ auriculam insonans. Nos illam nolumus concordiam, quæ Deum homini, creatorem creaturæ subjiciat & si vel maxime nullis humani, addo & angelici, intellectus viribus ista conciliari inter se possent, mallemus missa omni libertate esse servi, quam, erepta Deo gloria, sacrilegi. Neque tamen ante istius scientiæ conciliatricis inventum tot sæculis frustra laboratum est à viris doctissimis ad inveniendam talem concordiæ viam, quam modesta hominum ingenia sine offendiculo calcare pos-

care possent. Ecce ante tot annos commonstravit eam intentis digitis in medio papatu *Thomas Aquinas*, cætera Papista, hic Orthodoxus: & adhuc monstrat non discipulis tantum suis, sed etiam ipsis doctrinæ suæ hoc in puncto adversariis, *Quod libeto* 11. *art.* 3. modo possent oculos suos tenebris assuetos, ad lucem tam perspicuæ veritatis attollere, quam ex Aquinatis ore etiam docet *Amesius* noster *Antisynod. art.* 1. *cap.* 1. *th.* 31. Imo vero libertatem arbitrii cum divina conciliare præscientia, non admodum magnam in se difficultatem, continet, cum omnis de præscientia difficultas sit ex decretis præfinientibus & efficaci decretorum executione, quæ prima fronte ipsam tangere libertatis radicem videntur. Verum priorem difficultatem etiam absque media ista scientia sustulimus disputatione præcedente: in quo puncto alii rigidius cum adversariis procedentes omnem ipsis disputandi ansam uno verbo præcidunt, dicentes, ut præscientia in intellectu, sic deceta in voluntate esse operationes ad extra quidem, sed in Deo immanentes nec se foras immediatè exerentes. Quare, si quid adhuc difficultatis superest, id totum ad potentiam divinam & actualem rerum omnium in tempore juxta æternum decretum providentiam referendum: de qua agendum erit disputatione sequenti. Interim tamen ne promissa in futurum responsio siniſtram forte in adversariorum animis suspicionem generet, ex abundanti hoc loco *Dicimus primo*: Ne quidem juxta ipsorum viam necessariam esse hanc scientiam ad explicandam divinæ providentiæ cum libero arbitrio concordiam; quia ne apparens quidem inter illa duo est discordia, si concursum Dei universalem, indeterminatum & indifferentem statuas ad hanc vel oppositam actionem, sed à creatura determinari tam ad exercitium quam ad speciem actionis; quomodo concursus solis determinatur à generante ad generationem, à statuario ad statuæ, à pistore ad panis, à sartore ad vestis, à sutore ad calcei confectionem: quem nemo unquam somniavit pugnare cum arbitrii libertate. Atqui talem concursum Dei docent adversarii, ut videre est apud *Bellarminum*, *Becanum*, *Molinam*, *Fonsecam*, & quos non? quam verè autem talem statuant præsentis non est disquisitionis. *Dicimus secundo*: Dato, per solam hanc scientiam maximas Theologiæ difficultates facillimo negotio explicari posse, quæ alia ratione non possint, vel eo ipso nomine suspectam merito eam esse, quod tam facilem in gravissimis theologicis quæstionibus responsionem subministret, præsertim in iis, quæ tanquam humano ingenio ἄλλοια ipse Sp. Sanctus, appositio quasi inscrutabilis profunditatis sigillo, obsignavit, ut est æternum divinæ prædestinationis mysterium illiusque in tempore per infallibilem potentiam executio. Et tamen uti cum *Guil. Gibieuf* observat etiam *Theodorus Smi-*

rus Smiſing plerique Theologię ſtudioſi apud Papiſtas deſcendunt in hanc de ſcientia media ſententiam non ob rationem & fundamenta ejus, ſed ob eam, quam præ ſe fert facilitatem ad explicandum illud difficile myſterium concordię inter libertatem arbitrii creati & efficaciam gratiæ, divineque præſcientiæ & providentię certitudinem: quod quidem *Auguſtino* aliiſque veteribus, imo & ipſi Gentium Doctori, humano ingenio inexplicabile viſum fuerit. Et ſibi etiam aliquando, propter iſtam quam præ ſe fert facilitatem, prædictam placuiſſe ſententiam idem *Smiſing* alibi teſtatur, ſed, diuturna tandem omnium, quæ de hac quæſtione ſcripta ſint conſideratione, diſplicuiſſe. *Dicimus tertio*: Etiam procedendo ex conceſſis adverſariorum hypotheſibus, plurimum abeſſe, ut iſtud cerebri Ieſuitici delirium, ſcientia, inquam, media ad certiſſimam intentionem, præſcientiam atque executionem divinam cum libertate creata, conciliandam, & ad enodandas, quæ antiquitus circa iſta puncta moveri ſolent, difficultates, aliquid valeat. *Primo* enim cum in ea ſpectetur actio liberi arbitrii creati, præciſa ab omni actione & concurſu Dei; inter concurſum Dei & creaturę, juxta adverſarios, non realis, ſed rationis modo datur diſtinctio. Iam quæro: An igitur ab operatione mentis noſtrę, ſeu ficta iſta diſtinctione, quæ ſimpliciter eſt non ens, dependet iſta concordia? Et quid ſi mens non cogitet de iſtorum concurſuum diſtinctione, cum utriuſque una & indiviſibilis ſit actio, num, diſſoluta protinus omni concordia, diſcordia & pugna erit? non fit veriſimile. *Secundo*: In mente divina non valet iſta concordię ratio. Ergo ſimpliciter non valet neque apud nos valere debet. Probatur antecedens, quia Deus non concipit ut diſtincta, quæ reipſa diſtincta non ſunt. Sed concurſus arbitrii creati & divinus reipſa diſtincti non ſunt: quod utrumque docent adverſarii. Ergo Deus unum abſque altero non concipit aut per talem abſtractum conceptum prædictam concordiam explicat. Quid hic dicent adverſarii? Anne ſeraphicum ſuum Fonſecam, illuminatiſſimum Molinam & jubilatum ſacræ Theologiæ profeſſorem Zuarez capere rationem concordiæ, quam nec Deus capiat? Etſi ſint impudentiſſimi, non tamen mihi perſuadere poſſum, ſic adhuc frontem perfricuiſſe.

DE

DE CONDITIONATA SEU MEDIA IN DEO SCIENTIA.

SECTIO QVARTA, & ultima.

Autore & Resp. M. MATTHIA NETHENO Reessensi.

Ad diem 16. Iulii & Augusti 24. horis solitis.

Exhibens argumenta Nostra contra Scientiam Mediam.

ET nunc profligatis omnibus adversariorum copiis, 19
quid supereſt, quam ut ipsam scientiæ mediæ arcem, omni præsidio nudatam, signo dato diripiendam & ab imis fundamentis evertendã demus. Sit igitur *primum* nostrum *argumentum* tale : *Distributio scientiæ divinæ, in simplicis intelligentiæ & visionis scientiam, exhaurit totam naturam objecti scibilis. Ergo non datur media quædam.* Consequentia est evidentissima : de antecedente igitur solum laborandum, quod sic probo : Omne objectum scibile vel est in statu impossibilitatis, quod repugnantiam dicit ad existendum ; vel in statu possibilitatis, quod non dicit ; vel in statu existentiæ, qui pro existentiæ, diversitate triplex iterum distingui potest ; status futuritionis, existentiæ futuræ ; præsentiæ vel actuationis, existentiæ præsentis ; & præteritionis, existentiæ præteritæ. Iam vero quicquid est in statu impossibilitatis, è quo nulla entia Deus extrahit, item quicquid est in statu possibilitatis, è quo multa extrahit ad statum existentię, totum hoc, quantumcunque est, quod certe maximum est, id omne Deus novit per naturalem & simplicis intelligentiæ scientiam, ante omne decretum suum, quia ad illa cognoscendum nihil requiritur, præter exactam cognitionem attributi omnipotentiæ divinæ, quæ Deo naturalis est. Præterea quicquid est in statu existentiæ sive futuræ sive præsentis sive præteritæ, id omne Deus novit post decretum suum, per visionis scientiam, quia nihil ex statu possibilitatis ad ullam futuritionem evehi potest nisi per solum decretum divinum : quod & adversarii negare non audent, & si auderent, antehac satis probatum est & in sequentibus adhuc amplius probandum.

20 *Secundum argumentum* sic procedat. *Quodcunque objectum non est scibile, ejus nulla datur apud Deum scientia. Sed futurum conditionatum, ante omnem divinæ voluntatis actum, non est scibile. Ergo ejus nulla datur apud Deum scientia.* Major in confesso est: Minor sic probatur. *Primo*: Quodcunque objectum ex natura sua est indifferens ad futuritionem & non futuritionem, seu non magis futurum, quam non futurum, illud tanquam futurum non est scibile. Sed objectum scientiæ mediæ, quod non audent diffiteri adversarii, est tale. Ergo. *Iterum*; Quod objectum nulla necessitate est necessarium, id non est scibile. Atqui scientiæ mediæ objectum nulla necessitate est necessarium. Ergo. Minor patet, quia cum duplex sit necessitas, consequentis ex causa rei antecedente, & consequentiæ ex principio conclusionis antecedente, neutra datur in objecto, scientiæ mediæ. Non consequentis, quia illa non potest coincidere & stare cum contingentia consequentis. Atqui illam velle sublatam est negatio naturalis liberi arbitrii, quod sublata contingentia salvum manere non potest. Non etiam consequentiæ; quia nullum in rerum natura infallibilitatis principium, ex quo sine erroris periculo, conclusionem hanc inferre liceat: Ergo istud posita conditione futurum est. *Tertio*: Quod objectum nulla veritate est verum, illud non est scibile. Sed objectum scientiæ mediæ est tale. Ergo. Probatur Minor; in quo nec est prima nec secunda veritas, in eo nulla est veritas. Sed in objecto scientiæ mediæ nec est prima nec secunda veritas. Ergo. Non prima, quia illa est solus Deus. Non secunda, quia non à prima v. gr. in hoc futuro conditionato: si David maneat, Saulus Ceilam veniet, secluſa omni divinæ voluntatis determinatione, non potest esse veritas secunda, quia obturatur fons, per quem emanare potuerit ista veritas à veritate prima, sine qua nulla datur veritas secunda. Quæ veritas etiam propria luce sua tam est perspicua, ut invitos etiam animos ad assensum trahat, nec ullis sophismatum nebulis se obscurari patiatur. *Quarto*: ex concessis adversariorum sic argumentari licet: Deus ante decretum suum non potest certò præscire actum liberum absolutum futurum, ut ipsi agnoscunt. Ergo nec actum sub conditione futurum. Non dubito consequentiam illam adversariis ridiculam videri, sed optima ratione firmari potest, etiam procedendo à minori ad majus. Actus liber sub conditione futurus & minus est cognoscibilis quam absolute futurus. Ergo si hunc Deus ante decretum suum certo præscire non potest multo minus illum, qui difficilius cognoscitur. Antecedens patet quia actus liber conditionatus remotior est ab actu ergo à cognoscibilitate actus, cum unumquodque ita sit cognoscibile, prout est actu. *Quinto*: Quod, in genere rei futuræ, est non ens & nihil, illud non

lud non eſt ſcibile, quia cognoſcibilitas ſequitur modum eſſendi, in quo fundatur, ita ut determinatè aliquid tanquam præſens præteritum aut futurum cognoſci nequeat, niſi habeat eſſe ejuſmodi determinatum. Sed objectum ſcientię mediæ in genere rei futuræ eſt non ens & nihil, quia cum hic non ſpectetur ut præſens & habens jam eſſe determinatum in ſe, ſed tantum ut futurum & habens eſſe in ſua cauſa, nulla ante decretum divinum in cælo vel in terra vel in quibuſcunque ſpatiis imaginariis excogitari vel dari poteſt cauſa, unde ſuum eſſe qualecunque futurum determinatum habeat. Ergo prorſus non eſt ſcibile. *Sexto*: ſiquo modo objectum ſcientię mediæ eſſet ſcibile, deberet ex apprehenſione iſtorum enuntiatorum, quibus illud efferri ſolet, certo ſciri poſſe conſequentis futuritio. At hoc falſum, quia cum enuntiatum conditionale nec antecedens nec conſequens ponat in eſſe, ſed tantum dicant partium συνημμένων connexionem, quæ utraque parte falſa, vera, & utraque parte vera, falſa eſſe poteſt, ut docent Logicorum ſcholæ: ſi ex poſitione antecedentis certo cognoſci debeat conſequentis poſitio, debet neceſſaria eſſe inter utramque partem connexio. At in iſtis enuntiatis conditionalibus v. g. ſi Tyrii vidiſſent iſta miracula, pœnitentiam egiſſent; ſecluſo omni voluntatis divinæ actu, nulla poteſt eſſe quocunque etiam modo neceſſaria connexio, quia non eſt ab illa ſumma & abſoluta neceſſitate, qua ſola res in ſe contingentes ſecundum eſſe futurum ab æterno certo modo determinat. Ergo contingens fallibilis adeoque falſa eſt connexio. Conantur illi quidem diſtinctionis alicujus ſubſidio hic evadere; ſed per viam prorſus inviam. Novo enim & hactenus inaudito commento perſuadere nobis conantur duplices eſſe enuntiationes conditionales, quaſdam argumentativas, in quibus vi antecedentis illatio formalis eſt & neceſſaria; quales illæ, de quibus Logici ſolent præcipere; alias vero ſimplicis coexiſtentiæ atque affirmationis unius de alio, ſub tali conditione: quæ proinde Logicis innominatæ hactenus fuerunt: de quibus *Becanus* Ieſuita, agens *De ſcientia Dei quæſt.6.* ait: eas quoad formam & modum eſſe hypotheticas; quoad ſenſum vero æquivalere categoricis, in quibus unum ſimpliciter de alio affirmatur: differre nihilominus ab utriſque, ab hypotheticis, quia non ſit neceſſaria in iis conſecutio, ſed ſolum conjunctio; à categoricis, quia non affirment aliquid ſimpliciter, ſed ſub conditione. Mirabile genus enuntiationum! & Hypothetici credo, ut monſtrum ſcientiæ mediæ defenderent non dubitarent tantum Logicam, ſed ipſam quoque Philoſophiam & Theologiam in monſtrum aliquod transformare. Quis enim hoc pacto perſuadere ſibi facile patiatur doctrinam logicam tot ſæculis à feliciſſimis ante & maxime poſt Ariſtotelem ingeniis excultam tan-

tam tanta laboraſſe hactenus imperfectione, ut nunc demum poſt ſcientiæ mediæ inventum ab Hypotheticis diſcendum ſit quot & quę ſint ſpecies enuntiatorum conditionalium; cum res ipſa manifeſte oſtendat eos in fugam & extremas anguſtias conjectos voluiſſe, iſtius ſecundi enuntiatorum conditionalium generis inventione, nubem quandam oculis noſtris objicere, ne agnoſci poſſint amplius, quam tamen ad majorem etiam ipſorum confuſionem, micantibus veritatis radiis diſpellere facillimum eſt. *Primo* enim coexiſtentia vel eſt neceſſaria vel contingens, vel certa vel incerta, vel infallibilis vel fallibilis; niſi forte inter hæc etiam medium aliquid ſomniando invenerint; quod quia hactenus nondum declararunt, adhuc quidem tanquam ex conceſſis argumentabimur. Si igitur primum, bona, eſt in iis conſequentia & conſequens ex antecedentis vi recte infertur, quia nunquam falſo deprehendetur argumentatus fuiſſe, qui ſic procedat. Si alterum, fateri debent nullam poſſe certam ejus dari ſcientiam, in quo nulla eſt certitudo. *Rurſus*, annon ridiculum eſt negare iſtas enuntiationes eſſe illativas, cum ipſi illas loco propoſitionis conſtituant in diſcurſu, per quem Deus ex hac media & conditionata ſcientia, provehitur in ſcientiam rerum abſolutam. Nam primo, ſecundum illos, ante omne ſuum decretum ita procedit Deus: ſi Petrus in iſtis rerum circumſtantiis vocetur, aſſentietur vocationi. Tam faciendo decretum abſolutum de conditione, aſſumit: Atqui in iſtis rerum circumſtantiis vocabitur. Hinc tum infert & per viſionis ſcientiam intelligit: Ergo aſſentietur vocationi. Si bonus eſt ſyllogiſmus, jam non ſimplicem coexiſtentiam ſed neceſſariam conſequentis cum antedente connexionem habebit major. Si hoc non admittunt, jam pejus homine Deum argumentantem faciunt. Neque vero ſolum in ejuſmodi ſyllogiſmis enuntiata hæc conditionalia majorum loco ſtatuunt, quod ad rationem conſequentiæ inter antecedens & conſequens demonſtrandam ſatis eſt, ſed etiam in antecedente cauſam præſtuunt conſequentis, quâ poſita effectus infallabiliter ſequatur. An vero etiam in nova iſthac Logica prioritas naturæ inter cauſam & effectum ſublata eſt, ut à poſitione cauſę ad poſitionem effectus procedendo, nullam faciamus conſequentiam, ſed coexiſtentiam tantum & conjunctionem aliquam? Forte etiam fruſtraneæ erunt in Logicis & ad vexandos tantum tyrones traditæ enuntiationes copulativæ, quibus hactenus res conjunctas & coexiſtentes efferre conſuevimus. Saltem non erunt neceſſariæ. Monendique erunt impoſterum doctores Logici, ſi integre diſciplinam tradere velint, ne obliviſcantur tradere novam quandam, inter enuntiata copulativa & conditionalia

hæc,

hæc, æquipollentiam. Denique si, ad formandas propositiones hypotheticas, requiruntur partes solum coexistentes & nullam inter se illativam connexionem habentes, annon posthac bonum se Logicum probabit, qui dicat: si illud est animal, est gallus, est asinus aut simile quid: si est homo est eruditus, est claudus, est cæcus, est formosus: item scribit, ambulat, discit, docet & quæ sunt aliâ ejus generis vel adjuncta vel effecta, quæ cum homine unquam possunt coexistere: si baculus stat in angulo, cœlum est rotundum, Iohannes est Romę, Imperator saltabit & ejusmodi infinita.

Nos vero hinc jam pergamus ad *tertium argumentum* quod sic habet; *Si* 21
daretur media aliqua in Deo scientia, deberet esse causa aliqua cujus vi voluntas in ista vel ista occasione, infallibiliter determinetur in hanc partem non in illam. At talis causa nulla est. Ergo neque datur scientia media. Majoris consequentia est manifesta: *primo*, quia cum voluntatis ex se indifferentis & indeterminatæ sit aliquis effectus determinatus, necessario illius causa aliqua assignari debet; nihil enim in creatis determinatum sine causa determinante: *Secundo*, quia sine causa nullum effectum Deus potest intelligere, quia ejus intellectio est perfectissima. Vnde si dicant Deum ista cognoscere ex eventu futuro, sicut in præcedentibus audivimus, quæro, annon perfectior multo futura sit Dei cognitio, cognita ipsa etiam causa, quod negare non audebunt. Minor vero sic probatur: *Si sit talis aliqua causa, erit vel concursus divinus aut cælestis, vel angeli & homines præsentes & instigantes, vel ipsa voluntas hominis, vel ipsius complexio & proprietates individuales, vel objectum, vel locus, vel tempus, vel quædam ex his conjunctim vel omnia simul*: aliæ enim causæ vix videntur esse. *Atque nulla est harum omnium. Non concursus divinus*, quia ille ex se est indifferens & attemperat se voluntatis inclinationi, sicut concursus solis naturis rerum sublunarium se attemperat: imo non tenet se ex parte causæ, nisi aliquatenus & specie tantum aliqua in operibus gratiæ supernaturalis, sed tenet se ex parte effectus, in eum una cum voluntate influendo. *Non etiam concursus cælestis*, quia & ille indifferens agitque immediatè tantum in corpus & spiritus animales ac vitales, non in spiritum rationalem seu ipsam animam. *Non angeli vel homines alii*, quia nec illi in voluntatem quicquam reali efficientia possunt, sed ut cœlum influentiis suis, sic isti morali tantum efficientia disponere possunt ad hoc vel illud voluntatem nostram, non determinare, *Non ipsa voluntas hominis*; quia cum illa, positis omnibus ad agendum requisitis, sit maneatq; ad agendum aut non agendum, item istud vel aliud agendum, indifferens, accidentarium illi est, quod determinetur in hanc præcise partem, non in oppositam. *Non complexio*

aut proprietates individuales, quia & illæ tantum inducere & disponere possunt, & si ab illis hæc determinatio, cum non sint in nostra potestate, homo ageret ex necessitate naturæ; quod repugnat. *Non objectum* quia nullum objectum homini in via propositum voluntatem ipsius efficaciter movere aut determinare potest, sed tantum allicere, *Non locus*, quia ille non est voluntati naturalis, sicut rei gravi imus, levi supremus; qui locatum suum continere trahere & conservare dicitur. *Non tempus*, quia illius nulla est efficacia, ne in corpora quidem, nedum in spiritus. *Non etiam quædam conjunctim, vel omnia simul*, quia quicquid ponas aut componas voluntas semper manet indifferens ad hanc illamve partem. Nec excogitare quicquam in mundo poteris, quod juxta Hypotheticos hanc voluntati indifferentiam auferat, eamque ad hanc præcisè, non ad istam, partem determinet. Supereſt ergo ut vel Casus, novus quidam Deus & Præses humanarum atque angelicarum voluntatum, eas determinet, vel Fatum dura necessitatis lege divina humanaq; omnia involvat: quod quidem necessarium hujus scientiæ consequens esse, postea dicemus.

22 Nunc ad *quartum* accedamus *argumentum* quod tale est: *Si datur media ista in Deo scientia, dabitur aliqua vocatio ex congruo, qua Deus locum, tempus, prædicatorem, verba omnesque circumstantias, ita accommodatè ad naturam & captum vocati attemperat, ut homo in talibus circumstantiis certissimè assensum præbeat vocationi divinæ ad fidem, quem in aliis circumstantiis & occasionibus non præberet.* Neque puto in istius consequentiæ vi ostendenda multum nobis laborandum esse (quamvis intelligo ex Remonstrantium grege ipsisque etiam Iesuitis non deesse, qui crassa quadam ignorantia vel inadvertentia, & scientiam mediam defendant & vocationem ex congruo rejiciant,) quia etiam terminos scientiæ mediæ & vocationis ex congruo intelligenti liquidissimum est non nisi in scientia media fundari talem vocationem & illa admissa hanc, ut necessarium consequens, admittendam. Alterius sic altera poscit opem res & conjurat amice: quod & maxima Hypotheticorum pars libenter agnoscit. Iam pergamus: *Atqui non datur aliqua talis vocatio ex congruo. Ergo neque scientia media.* Minor ab adversariis negata novam exhibet controversiam quæ proinde pluribus posset argumentis & accuratius pertractari, ut factum à Clariss. *Tvvisso in Vindiciis lib. 1 tit. 2. de Elect. Digress. 6.* Nos impræsentiarum istis argumentis sententiam nostram firmamus 1. Quia suasio congrua, etiam à præstantissimo oratore instituta, in naturalibus non semper est efficax, cum Rhetorica proprie non sit facultas persuadendi, sed tantum dicendi appositè ad persuasionem. Multo igitur minus in spiritualibus, quæ superioris adhuc sunt ordinis. 2. Quia quælibet suasio Euangelica non est efficax a-

pud

pud regenitum; quod teſtantur graviſſimi nec abſque horrore nominandi ſanctiſſ. Dei virorum lapſus. Ergo nulla apud irregenitum, cum nulla ejuſmodi ſuaſio magis congruat homini irregenito, quam quælibet regenito. 3. Quia nulla dari vel excogitari poteſt ſuaſio congrua homini nondum renato: nam, ut ſcriptura teſtatur mortuus eſt talis in peccatis ſuis *Eph.* 2. 1. *Col.* 2. 13. ac proinde nullam habet potentiam, plus minuſve proportionatam ad actus vitæ ſpiritualis eliciendos, cui externa ſuaſio quæcunque aut qualiſcunque poſſit congruere: ſicut homo mortuus morte corporali nullis Tullianæ eloquentiæ viribus, nullis Demoſthenicis fulminibus excitari aut ullo modo diſponi poteſt, ut reſurgat ad vitam corporalem. *Tvviſſus* autem noſter etiam pulchrè hoc loco oſtendit, non poſſe apud irregenitum quacunque ſuaſione aliquid obtineri, ſive in genere jucundi, ſive utilis, ſive honeſti rem tentes, quia ipſa morte magis amarum homini irregenito Sathanæ, mundo & propriæ carni valedicere, & utilitatem atque honeſtatem rerum cæleſtium ludibrio habet mente in terram defixus. 4. Quia unica Petri die Pentecoſtes habita concione converſę ſunt circiter tres mille animæ *Act.* 2. 41. quod ſane per vocationem congruam fieri impoſſibile, quia ut quiſque homo vultu, oratione & inceſſu ab aliis differt, ſic quoque complexione & diſpoſitione. Differebant & iſti auditores Apoſtoli natione, alii Parthi, alii Medi, alii Cappadoces, alii Arabes; differebant ſexu, alii viri, alii fœminę: differebant ætate, alii adoleſcentes, alii juvenes, alii viri, alii ſenes; differebant denique vitæ inſtituto & dignitate, alii mercatores, alii opifices, alii docti, alii indocti; & ſimilia, quæ in tanta hominum multitudine infinitam ferè gignunt varietatem, ad quam orationem ſic attemperare, ut omnibus congruat prorſus impoſſibile videtur. 5. Quia dare poterit aliqua creatura rationalis, quæ per abſolutam Dei potentiam ſalvare, alia quæ per abſolutam potentiam damnari non poterit. Si enim in iſtis circumſtantiis congrua ſit vocatio iſtius hominis, in aliis non ſit, non implicat creari poſſe à Deo aliquem hominem aut liberum arbitrium, cujus reſpectu nulla detur congrua, aut etiam cujus reſpectu nulla detur incongrua vocatio; quia dari non poteſt ratio, quare magis repugnet in omnibus circumſtantiis, quam in quibuſdam, aut in his magis, quam illis; item cur ſaltem una hora dari non poſſit, in qua iſti incongrua, hinc congrua vocatio nulla dari poſſit? & quæ unius horæ, eadem ſeptimanæ, menſis, anni & totius vitæ eſt ratio. Agnoſcunt ſententiæ iſtius abſurditatem ipſi etiam adverſarii & ad eam declinandam hoc ſolent reponere: etſi quidem nulla hic ſit contradictio metaphyſica, eſſe tamen contradictionem moralem, id eſt poſſibile non videri, ut ex tot mille modis Deo

per scientiam mediã cognitis homini alicui creato non conveniat saltem unus, qui congruam, aut etiam alius, qui incongruam vocationem possit constituere, sed scire debent morales isti Theologi nos parum morari istam moralem non contradictionem, cum nostra metaphysica non contradictio eos hic in angustum cogat, nec se per illam moralem non contradictionem ullo modo constringi aut vinciri patiatur.

23 *Quintum* nunc sequitur *argumentum* & satis per se ad convincendum evidens & efficacia sua mediam istam scientiam ex imis & primis fundamentis subvertens. *Objectum scientiæ mediæ est simpliciter non ens & nihil. Ergo ipsa scientia non scientia.* Antecedentis probationem sic molimur. Si futurum conditionatum, ante decretum divinum, est ens aut aliquid, habebit entitatem suam vel à natura sua, vel à causa alia extra se. Non à natura sua, quia per naturam suam est indifferens ad futuritionem & non futuritionem & non magis futurum quam non futurum. 2. Quia alias semper futurum esset, nunquam præsens aut præteritum. Quod enim adjunctum à natura est, id à subjecto suo est inseparabile saltem in generica & specifica natura. Non etiam habet entitatem suam à causa alia extra se, illam naturæ ad futuritionem & non futuritionem indifferentiam, vi sua determinante ad futuritionem: quia illa causa vel erit extra vel intra Deum. Extra Deum nullum est agens in causis secundis tantæ virtutis & efficaciæ, ut res in statu possibilitatis constitutas possit sublimare ad qualemcunque futuritionem seu absolutam seu conditionatam. Deinde futuritio illa fuit ante mundum & tempora condita ab æterno. Sed ab æterno nulla fuit creatura, nedum ut operari quicquam potuerit aut ipso actu operata sit. Ergo intra Deum causa quærenda istius futuritionis æternæ. Atque si Dei naturam cum suis attributis tum in communicabilibus tum communicabilibus consideres, nullum, quò te cunque vertas, aliam futuritionis istius causam invenire poteris, quam voluntatem & decretum divinum. Fassum id supra audivimus Fulienſem illum Monachum *Petrum à S. Ioseph.* Cum quo etiam *Penotus* vi veritatis convictus *Propugnaculi sui lib. 3. c. 31. prop. 1.* ex Augustino asserit, *Divinum decretum esse principium essendi omnium futurorum contingentium. Augustini* autem ipsius verba hæc sunt. *Enchir. cap. 95. Non ergo fit aliquid nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo.* Quando igitur DD. Hypothetici omnem hic divinæ voluntatis actum removent, annon omnem quoque objecti scientiæ mediæ entitatem tollunt? cum sublata causa eaque solitaria, effectum quoque solitarium tolli, immotus sit Logicorum canon. Quid igitur supereſt, unde volitio creaturæ aut effectus ejus, ex se tantum possibilis, pro illo instanti sit certò futu-

futurus? aut quæ jam, tranſmigrationis iſtius è ſtatu meræ poſſibilitatis in ſtatum futuritionis, cauſa aſſignari poteſt? Anne dicent ideo volitionem & effectum futurum, quia creatura ſic volitura & ſic actura eſt; Sed hoc eſt mutatis tantum vocabulis id quod in quæſtione eſt Sophiſtica argumentandi ratione pro certo & indubitato velle obtrudere. Quia id ipſum eſt quod quæritur: nempe, unde factum ſit ut cum creatura per ſe æquè ſit non volitura ac volitura, æquè aliud & oppoſitum actura, pro hoc in inſtanti certò ſit volitura & ſic actura? nam creaturam poſitis iſtis circumſtantiis volituram, dicit volitionem creaturæ ex ſe mere poſſibilem pro tali inſtanti eſſe certò futuram. Hærent igitur hic & hærebunt adverſarii, tanquam aviculæ in perticis viſco illitis & quo magis annitentur ſe expedire aut ſophiſtico motu ingenii alas vibrabunt, quò magis ſe omnibus cordatis ridendos proſtituent. At enim agnoſcere ſe juxta nobiſcum dicunt adverſarii, nihil quocunque modo poſſe futurum eſſe, niſi per decretum divinum. Interim opus non eſſe exiſtimant, ut aliquod decretum actu ſit in Deo de iſtis futuris conditionatis; ſed ſatis eſſe, ſi foret in Deo poſita conditione. Quod etiam aliter ſic enuntiant: Licet hic non ſupponatur decretum liberum præexiſtens in Deo, ſupponitur tamen ex hypotheſi ponendum, ut ab illo effectus dimanare poſſit. Sed non ſic evadent: quia ſi futuritio effectus eſt à decreto divino, tanquam à cauſa, illud non ſequi ſed præexiſtere jam ante neceſſarium eſt, cum poſito effecto cauſa non demum poni ſed jam ante poſita eſſe debeat, ne trahant plauſtra caballos. Quodſi ergo Deus ante cauſam poſitam cognoſcit effectum, manet & æternum manebit, quod cognoſcat non ens, adeoque non verum, non ſcibile. *Secundo*, annon æternitatem decretorum divinorum ſatis apertè convellunt iſti, dum ea à temporariis conditionibus ſuſpendunt, quibus poſitis ea ponenda ſint? Ergo nondum etiam fortaſſe ſatis apud Deum certa totius mundi adminiſtrandi & hominem ſua providentia dirigendi ratio; cum fieri poſſit, ut incidentibus variis occaſionibus & motibus liberi arbitrii, nova adhuc quotidie decreta condat. *Tertio*: Cum ipſi decretum iſtud liberum ponendum in hoc velint conſiſtere, ut approbet rem bonam, aut permittat rem malam: annon eo ipſo negant decretum divinum eſſe ullo modo cauſam, à qua futuritio rerum dimanare debeat? quia decretum iſtud approbativum aut permiſſivum futuritionem aliunde, & quis dicat unde? productam accepit & tanquam antecedens jam præſupponit. *Quarto*: ex propriis eorum verbis & hypotheſibus tale contra eos dilemma formo: Si ponendum eſt decretum liberum ut ab illo effectus dimanare poſſit: ponendum eſt vel li-

berè vel neceſſario. Si liberè, poteſt non poni adeoque effectus eſſe non futurus. Quomodo igitur erit aut præſcietur futurus? Si neceſſario, jam auſertur Deo ſua in decretis de rebus ad extra formandis libertas; quod eſt abſurdum, in Philoſophorum aut Theologorum ſcholis non tolerandum. Hactenus igitur prima antecedentis probatio cum ſuis vindiciis paulo prolixior: ſequentes contractiores erunt & magis ſuccinctæ: Altera igitur probatio ſic habet: Res nullam habent poſſibilitatem ante & citra potentiam Dei, unde fluit illa poſſibilitas. Ergo & nullam futuritionem ante & circa decretum Dei, unde fluit illa futuritio. Igitur talis conditionata adverſariorum futuritio eſt non entitas & ipſum futurum conditionatum ante omne Dei decretum non ens. Iterum; inter abſolutè poſsibile & abſolutè impoſſibile nullum datur medium. Ergo nec inter futurum abſolutè & non futurum abſolutè. Ergo quod fingitur medium eſt non ens. Denique non datur aliqua idea ſtorum futurorum conditionatorum in mente divina. Ergo ipſa ſunt non entia, quia omnium, quæ cognoſcit Deus, aliqua eſt in ipſo idea. Antecedens ſic probatur: Idea in mente divina pertinet vel ad ſpeculativam ſcientiam in Deo & eſt principium cognoſcitivum: vel ad practicam ſcientiam & eſt exemplar in creaturis exprimendum, uti docet *Thomas* 1.*p.q.*15.*art.* 1. & 3. Sed idea talium contingentium ad neutrum genus ideæ prædictum referri poteſt. Ergo non datur. Non enim pertinet ad ſcientiam ſpeculativam, quia talis idea ante omne decretum divinum quidditatem rerum & exiſtentiam tantum repræſentat poſsibilem, nullo modo autem futuram; non etiam ad ſcientiam practicam, quia talis idea poſt decretum divinum repræſentat rem, ut actu futuram ſecundum actualem ſuam exiſtentiam.

24 Sicut in fœcundo ſolo magna ad exhilarationem cultoris frumenti, ita ex falſiſsimo ſcientiæ mediæ commento magna ad abominationem piorum & ipſorum etiam, ſi quis illis ſenſus ſupereſſet, adverſariorum, abſurdorum conſequentium naſcitur copia, ita ut nullo negotio ea vel integris modiis admetiri poſsimus. *Primo enim impingit hæc ſcientia in veritatem Logicam, ab ipſa etiam natura traditam, quæ eſt, enuntiatum connexum ſi verum ſit eſſe neceſſarium & ſi non ſit neceſſarium, non eſſe verum, eò quod hic non partium ſed conſequentiæ ſpectetur veritas, quæ poteſt dari parte utraque falſa.* Ita ſi aſinus volat, habet alas; verum eſt: Si eſt præceptor, caſtigat diſcipulum, falſum: quia ibi vera, hic fallax & falſa conſequentia. Quod manifeſtum eſt, ſiquidem ad plenam ſyllogiſmi hypothetici formam conſtruendam, aſſumtionem & concluſionem in utroque exemplo apponas. Ex. gr. Atqui aſinus volat. Ergo habet alas: Atqui eſt præceptor: Ergo caſtigat

castigat discipulum. Si assumtionem hic supponas tanquam veram, debebis, vel propositionis negare consequentiam, quod in primo exemplo non potes, ubi necessaria & vera; in secundo potes, ubi contingens & falsa consequentia: vel debebis conclusionis necessariam admittere veritatem: aliud hic effugium non patet. Atqui hæc scientia negat enuntiatum connexum necessarium semper esse, si verum sit, sed verum dari posse quod necessarium non sit. V.g. si Petrus constituatur in tali rerum ordine, abnegabit dominum suum: & quæ sunt hujus generis alia. Comminiscuntur quidem adversarii, ut hoc telum evitent novum aliquod enuntiatorum conditionatorum genus ex partibus, nullam inter consequentiam sed meram conjunctionem & coexistentiam, habentibus. Sed illos se futilitate istius commenti tueri non posse, ad argumentum secundum satis ostensum fuit. Alius quidam gratiæ universalis & scientiæ mediæ interpolator dicit, commune illud axioma, de propositionibus conditionalibus, verum esse in Logica misellorum, sed non in Logica Dei. At num novus iste Logicus hac ultima mundi senecta in paradisum raptus & ad inspiciendam altissimam Dei Logicam admissus fuit, ut tam magistraliter nobis dictaret quod hic apud nos in lumine naturæ est veritas, ibi in lumine gloriæ esse falsitatem. Equidem nisi alia nobis documenta proferat, haud facile nobis persuaderi patiemur, Deum, authorem luminis naturalis, tenebras pro luce, mendacium pro veritate animis nostris inseviisse aut veritatem secundam, quæ non subordinetur & consonet primæ. Aliud effugium hic quærit *Vasquez* cum suo discipulo *Luisio Turriano*, qui coexistentiam & meram unius partis cum altera conjunctionem non urgent, nec ad arcanam quandam Dei Logicam confugiunt, sed communem Logicæ divinæ & humanæ veritatem agnoscentes, duplex nobis consequentiarum genus in istis enuntiatis cudunt: unum in materia necessaria necessarium, utpote quod reduci possit ad aliquam propositionem universalem: alterum in materia contingenti, contingens quidem, quando ex antecedente singulari infertur consequens quod poterat non sequi, nec potest reductio fieri ad aliquam propositionem universalem; verum tamen & bonum, quia sufficiat ad veritatem istius consequentiæ, si consequens revera ex antecedenti sequatur. Si quæras quomodo in illis propositionibus contingentibus ulla certa connexio esse possit; pro exemplo adducunt verba Elisæi ad Ioaschum 2.Reg.13.19. *Si quinquies aut sexies percussisses, etiam Syros ad consumtionem percussisses*; ubi connexionem dicunt, fuisse ex promissione Dei: quod pro similibus propositionibus observandum sit. Nolo jam dicere eos turpiter hic principium petere dum supponunt id quod in quæstione est, an scil. detur ulla talis propo-

sitio conditionalis, quæ veram habeat, sed non necessariã connexionem; hoc tãtum dico hærere hic magnos istos DD. in cõtradictionum dumetis implicitos tam miserè, ut etiam à tyronibus exibilari mereantur. Ecquid enim? an à promissione divina erit connexio istius & similium propositionum, aliarum forte à comminatione; & tamen à Deo per scientiæ mediæ dioptram videbitur ante omne decretum suum? An vero sunt promissiones ejusmodi & comminationes non à libera voluntate sed à natura divina, ita ut integrum ipsi non sit eas sic vel secus formare? Etsi satis cæci sunt adversarii, huc tamen usque prolapsuros non existimo. Porro autem, si à decreto divino est veritas istius connexionis, quid periculi est simul dicere necessitatem an vero posito decreto aliter cõnexio se habere potest, ac decretum est, & si non, cur non quæso connexio illa hoc respectu dicetur necessaria? Imo si vera sit ex decreto prævio, sine quo promissio aut comminatio esse non potest, necessaria erit, non necessitate consequente, quam ex decreto divino provenire statuunt adversarii, sed necessitate antecedente, à qua velut scopulo abhorrent. Res ipsa cogit fateri Iesuitas illos vertigine correptos, cum ista chartis mandarent & veritati, quam obscurare & oppugnare unicè molirentur, tam illustre etiam inviti testimonium præberent. Quodsi interim sunt & aliæ quædam hic propositiones, quarum connexio secundum ipsos non sit ex promissione aut comminatione, id est, ex decreto Dei prævio, aliam nobis ejus causam reddere debent Iesuitæ. Quodsi fecerint, non poterunt autem quicquid caput scalpant Sophistæ, videbimus tum quid ulterius respondendum sit. Sed de hoc jam satis.

25 Plurimas etiam alias negat vel evertit hæc scientia veritates partim ex lumine naturæ, partim ex lumine scripturæ manifestas, quas ne per incertum vagemur melioris ordinis ergo reducimus vel *ad Voluntatem* vel *ad Intellectum* vel *ad Potentiam Dei* vel *ad has tres facultates simul. Voluntatem* igitur Dei quod attinet; *Primo statuit hæc sententiã absurdum absurdorum, Dari in rebus creatis futuritionem certam, ante omne decretum divinum, & sufficere ad futuritionis illius productionem decretum, posita conditione, ponendum, aut decretum concomitans objectum scientiæ istius, non actuale sed ad modum possibilis.* Quasi vero posito effectu causa demum ponenda, aut quasi ad certam futuritionem posibile decretum, quod potest non esse, sufficiat; aut quasi ex decreto concomitante necessitas consequens emergat, uti alias contendunt. Neque hoc tantum sed & *Secundo in consimili genere aliud non minus grave absurdum statuit; manere scil. post determinationem divinæ voluntatis, de omnimoda non futuritione rerum, tamen futuritionem adhuc aliquam.* V.g. Electo hoc rerum ordine à Deo, cæteris omnibus rejectis ac

non

non esse jussis; manere tamen verum in alio rerum ordine, istis vel istis lubricis & incertis conditionibus positis, hoc vel illud, quod poterat æquè non evenire ac evenire, certò eventurum. *Tertio*: *Assignari poterit ex hac scientia ratio & causa prædestinationis divinæ ex parte nostra.* Quia cum inter conditionatam & absolutam scientiam reperiatur ordo essentialis & naturalis dependentia unius ab altera, ita ut sine illa prævia per hanc nihil scire possit Deus; reperietur etiam talis ordo inter objecta istarum scientiarum, ita ut, sine futuro conditionato prævio, futurum absolutum esse non possit. Ergo hoc dependebit ab illo vel tanquam à causa causatum, vel saltem tanquam à regula & conditione necessaria regulatum & conditionatum: prius enim in signo rationis intelligitur Petrus in istis rerum circumstantiis assensurus Deo vocanti & in gratia perseveraturus, quam Deus possit de illo facere ordinatum aliquod & rationabile prædestinationis decretum; ita, ut ratio ordinis in mediis, ad finem supernaturalem, in priori signo prævisæ, rationem prædestinationis sortiatur in signo sequenti nec absque illa hæc unquam detur. Qui error geminus est antiquo *Fausti* Regiensis Episcopi & Semipelagianorum errori, sive affirmative illum, sive negativè consideremus. Affirmativam illorum sententiam: Prosper in epist. ad August. refert his verbis: *Qui autem crediturí sunt quive in ea fide, quæ deinceps per Dei gratiam sit juvanda, mansuri sunt, præscisse ante mundi constitutionem Deum; & eo, prædestinasse in regnum suum, quos gratis vocatos, dignos futuros electione & de hac vita bono fine excessuros esse præviderit.* Id est, breviter loquendo: *Hominem prædestinatum ex prævisa fide & bonis operibus*: quod duplici modo intelligi potest vel post prævisam fidem & bona opera vel propter. Vtroque sensu propositionem esse veram aperte contendit *Becanus*, ita ut nullus Semipelagianus potuerit apertius. *Fonseca* autem *Molina*, *Suarez* aliique timidius loquuntur, dicendo: etsi bonus usus liberi arbitrii, à Deo per scientiam mediam præcognitus, non sit causa ratio vel conditio, propter quam Deus aliquos prædestinaverit, tamen prædestinationem factam non fuisse sine præscientiæ boni usus liberi arbitrii futuri: ex hypothesi, quod in talibus circumstantiis homo poneretur, ita ut præscientia liberi arbitrii futuri sit conditio, sine qua decretum conferendi adultis media ad salutem non habuisset rationem prædestinationis, sed retinuisset rationem communis providentiæ; quod ab illis didicisse videtur *Arminius*, quando *contra Perkinsum* ait, suasionem internam Spir. Sanct. sufficientem adhiberi ex decreto providentiæ, cum certa præscientia fore ut rejiciatur: suasionem autem efficacem ex decreto prædestinationis, cum certa præscientia fore, ut acceptetur & fi-

dem converſionemque operetur. Id vero ex ſcientia media conſequi, manifeſtius eſt quam ut probari oporteat & prædicti authores libenter agnoſcunt. Vnde *Bellarminus* verè quidem & rectè ſtatuit, prædeſtinationis divinæ nullam rationem, ex parte noſtri, aſsignari poſſe, ne conditionem quidem ſine qua non prædeſtinaretur is, qui prædeſtinatur: non tamen aut ſcientiæ mediæ aut vocationi congruæ congruenter. Iſti igitur authores negativam Semipelagianorum ſententiam apertè defendunt & affirmativam quoque, ſi ex prævisis bonis operibus explicetur per poſt prævisa bona opera. Negativam enim illorum ſententiam citāte Alvarez ita Fauſtus ipſe expreſsit de gratia & humanę mentis arbit. lib. 2. cap. 3. *Niſi præſcientia exploraverit, prædeſtinatio nihil decernit*: cujus ampliorem explicationem habemus ib. cap. 2. *Præſcientiam & prædeſtinationem Dei malè intelligunt aſtruentes, quod inde humanorum actuum cauſa naſcatur*; & in epiſt. Proſperi ad Auguſt. ubi eos docere ait: *Removeri omnem induſtriam tollique virtutes, ſi Dei conſtitutio humanas præveniat voluntates: & ſub hoc prædeſtinationis nomine fatalem quandam induci neceſſitatem, aut diverſarum naturarum dici Dominum conditorem, ſi nemo aliud poſſit, quam factus eſt.* Non ovum ovo, magis ſimile, quam prædictorum authorum ſententia huic negativæ Semipelagianorum atq; etiam affirmativæ juxta priorem explicationem. Quin tametſi cum *Becano* ita craſſe non profiteantur etiam Deum propter prævisa bona opera homines elegiſſe; tamen nec ab hoc errore planè immunes eſſe hinc liquere poteſt; tum quia aliā nullā prædeſtinationis cauſam aut intra aut extra Deum agnoſcunt (Beneplacitum enim & voluntatem Dei, cauſam agnoſcunt collocationis in tali rerum ordine atque etiam decreti de iſta collocatione, ſed non decreti electionis, cujus immediatum objectum eſt gratia & gloria, non autem talis conſtitutio) tum etiam, quia bonum uſum liberi arbitrii circa gratiam non ſtatuunt effectum prædeſtinationis; quod omnino debebant, ſiquidem voluntatem Dei unicam prædeſtinationis cauſam agnoſcerent, tum denique, quia omnis prædeſtinationis, quoad eventum, certitudo aut incertitudo ſuper hac ſola prævisione boni uſus liberi arbitrii fundatur. Aut igitur irrationale ſtatuant prædeſtinationis decretum neceſſe eſt & temere ac fortuito ſine ulla cauſa intra vel extra Deum factum, aut iſtum prævisum bonum uſum liberi arbitrii illius antecendentem conditionem, rationem & cauſam prędeſtinationis agnoſcant neceſſe eſt, cum vocatio congrua & conſtitutio in tali rerum ordine, contingens occaſio tantum ſit, nullo modo cauſa acceptæ & rectè adhibitæ gratię & formalem prædeſtinationis rationem non attingat. Adde his aliud argumentum ex ipſis adverſariorum hypotheſibus, qui docent

docent Christum & Mariã ad altiorem quandam gloriæ eminentiã, præ omnibus reliquis SS. prædestinatos, quia Deus prævidebat, ipsos melius usuros libero arbitrio, quam cæteros. Vbi apertè meliorem liberi arbitrii usum altioris cujusdam & nobilioris prædestinationis causam statuunt. Quod sic ostendo: quia illius melioris usus causa principalis vel est gratia vel liberum arbitrium. Non gratia, quia si propter majorem gratiam melius usi fuissent, jam cæteris melius usi non fuissent; ut evidenter apparet in simili. Si enim tres equi æqualium virium trahant pondo trecenta, & duo ex illis trahant ducenta pondo: tres illi equi, quoad internas trahendi vires earumque exertionem non melius trahunt, quam duo: sic aliquis cum gratia ut tria, respiscentiæ fructum proferens ut tria, non melius utetur libero arbitrio, quam alius habens gratiam, ut duo eique respondentem fructum proferens. Superest ergo ipsum liberum arbitrium esse causam istius melioris usus, qui jam ante prævisus causa est prædestinationis ad excellentiorem gloriam. Vnde sic argumentor. Quomodo se habet excellentior liberi arbitrii usus prævisus ad prædestinationem excellentiorem; ita se habet minus excellens lib. arbitrii usus prævisus ad prædestinationem minus excellentem. Atqui excellentior usus lib. arbitrii prævisus habet se ad prędestinationem excellentiorem, tanquam causa ad effectum. Ergo & minus excellens usus ad minus excellentem prædestinationem. Ergo & omnis bonus usus ad omnem prædestinationem. Quod erat probandum. *Quartò, Prædestinatio igitur potius respectu scientiæ istius postdestinatio vocanda fuerit, quam respectu objecti temporarii prædestinatio*, quia ad scientiam mediam ordinem dicit essentialem qui abesse non potest: ad objectum temporarium, ordinem accidentalem, qui nullam ad essendum necessitatem imponit. Amplius & *Quinto, In arduo hoc æternæ prædestinationis negotio, quod ad reprobationem quorundam hominum, cæteris non pejorum & tamen posthabitorum, non opus erit cum Apostolo confugere ad absolutam Dei potestatem ac dominium in suas creaturas & tumultuantem contra Deum stultam stulti hominis rationem isthoc capistro frenare, dicendo, O homo tu quis es, qui ex adverso respondas Deo? num dicet figmentum fictori, cur me tale feceisti? Annon habet potestatem figulus in lutum, ut ex eadem massa faciat aliud quidem vas ad decus aliud vero ad dedecus?* Rom. 9. 20. 21. Expeditior hic & planior pro tali homine via: dicendum illi potius: Stante Reprobationis tui decreto apud Deum non tui solum sed etiam Dei ipsius respectu contingens fuit, te fieri vas ad dedecus. Deus te tantum locavit in tali rerum statu, in quo etiam tu pro indifferentia libertatis tuæ, quicquid ille decrevisset, credere, bene operari & salvari potuisses, imo non potuisset te repro-

bare Deus, etiamsi voluisset, nisi jam ante omne decretum suum, te in istis rerum circumstantiis pro innata voluntatis tuæ libertate gratiam & vocationem divinam repudiaturum atque in peccatis tandem moriturum præsciviſſet. Sic Paulus sic Hypothetici? quid distãt æra lupinis? *Sexto: Nulla quoque ratio fuerit cur exclamemus cum Apostolo: O profundas divitias tum sapientiæ, tum cognitionis Dei; quam inscrutabilia sunt ejus judicia, & ejus viæ imperveſtigabiles!* Quia jam penetrarunt ad istas profunditates urinatores Hypothetici. Dicent enim ideo elegit hunc, ideo illum reprobavit, quia prævidebat ante omne decretum suum hunc in istis rerum circumstãtiis crediturum, bene operaturum & ad finem perseveraturum aut si aliquando gratia Dei excidat, ante mortem resipiscentiam acturum, illum vero in istis gratiam repudiaturum, aut si acceptet, ad finem non perseveraturum & in peccatis moriturum. Scio quid hic respõdeant, abyssum vid: inscrutabilis judicii divini in hoc consistere, quod cum Deus infinitas rerum circumstantias noviſſet, in quibus etiam Reprobi gratiam acceptaturi & salvandi fuissent, æque ac illi qui actu sunt electi, itemque infinitas alias in quibus electi à salutis via retroceſſiſſent adeoque æternum periiſſent, non minus item, quam illi, qui nunc actu ipso sunt reprobi: eum elegerit rerum ordinẽ, quem videbat congruum istis ad damnationem & mortem, his ad salutem & vitam perducendis. Atqui nos jam probavimus cõsensum esse in sententia Hypotheticorum de æternæ prædestinationis causis cum antiquis semipelagianis, qui nullam hic relinquunt abyssum. Et ne errent adversarii, ista electio hujus rerum ordinis præ alio his fortasse congruo, quibus præsens incongruus, aut aliis incongruo, quibus præsens congruus; non abyssus aliqua est divinæ prædestinationis, sed potius, si juxta scripturas judicare velimus, profundum aliquod Sathanę à Iesuitis nuper penetratum. Ratio est, quia prædestinatio æterna pro formali & immediato objecto habet gratiam eique infallibiliter annexam gloriam prædestinatis conferendam, quæ partes & gradus sunt unius & ejusdem benedictionis divinę. Similiter, si de Reprobatione loquamur cujus verum & immediatum objectum est denegatio gratię medium à parte Dei ad manifestandum gloriã justitiæ suæ in quorundam damnatione, ad quod necessitate hypothetica infallibiliter sequitur peccatum creaturæ, causa damnationis, ut effecti: ut satis probant tum nostri ex scripturis & rationibus inde depromtis, tum ipsi quoque in medio Papatu Thomistę in suis scriptis de auxiliis divinæ gratiæ. At vero istius decreti, quod ipsi hic prætendunt, si per externum respectum conferatur ad veram prædestinationem, proprium & immediatum objectum est collocatio in congruo

rerum

rerum ordine; si cum vera reprobatione, in incongruo : quod longe est aliud. Imo ne quidem ad istam collocationem per accidens & contingenter sequitur gratiæ efficacis aut gloriæ in electis collatio & receptio ; aut denegatio gratiæ adeoque peccatum in reprobis & propter peccatum damnatio. Quibusnam fidiculis, quæso ex ullis scripturis ullisve PP. qui orthodoxè & cum scripturis contra Pelagianos dimicarunt, talem nobis prædestinationem talemve reprobationem extorquebunt Hypothetici ? Tentent & agant quicquid velint, certum est quod nullis. Atque hęc una est ratio : altera est, quia abyssus illa Paulina se extendit ad omnem prædestinationem & reprobationem : & omnis prædestinatio & reprobatio continet abyssum illam, aut monstrent nobis exceptionem. At vero Iesuitica illa abyssus non extendit se ad omnem prędestinationem & reprobationem, nec omnis prædestinatio & reprobatio Iesuitica continet in sese abyssum illam : Nam ipsimet agnoscunt non implicare contradictionem metaphysicam, ut detur homo, cui nullus rerum ordo congruus, aut alius, cui nullus sit incongruus. Quid, si jam Deus illum prædestinare velit & ad certissimam gloriam perducere, hunc reprobare & propter peccata damnare: dicetne, velut cum Hercule in bivio constitutus ? Aut violanda est libertas illorum hominum; aut iste necessario reprobandus & damnandus, hic vero Prædestinandus & salvandus. Dura conditio ! Patet igitur quod neque abyssus illa Paulina sit eadem cum Iesuitica, neque prædestinatio & reprobatio Iesuitica eadem cum Paulina.

Intellectum Dei quod attinet, *Primo : scientia media frustraneam in Deo facit simplicis intelligentiæ scientiam.* Si enim necessarium est in Deo, ante omnem voluntatis suæ actum pręscire quid à libero arbitrio in hac vel illa rerum dispositione futurum esset ; cui fini, quęso hic simplicis intelligentię scientia ? Annon poterit, aliquid sub conditione à creatura futurum, cognoscere Deus, nisi jam ante viderit esse simpliciter & absolutè illud possibile ? At inquam : quod ab omni æternitate, etiam in signo rationis, ante omne decretum divinum, ex natura sua fuit futurum sub conditione ; id in nullo æternitatis momento potuit cognosci, ut merum possibile : quia de natura ejus est nunquam fuisse in statu meræ possibilitatis, sed supra illum evectum esse. Vnde si cognosceretur ut merum possibile, falso cognosceretur; quod de Deo vel cogitasse impium. Sic juxta adversarios, nos autem simplicis intelligentię necessitatem & usum optimè tueri possumus ex eoque mediæ etiam scientiæ vanitatem ostendere. Quando enim per eam videt Deus esse aliquid absolutè possibile ; annon eo ipso videt, aliquid 26

quoquo modo futurum, posito decreto ipsius, quod solum illud ex statu meræ possibilitatis extrahere & ad quamcunque futuritionem promovere potest? Quo concesso, obscurum non puto istam cognitionem sufficienter divino prælucere intellectui ad aliquid sapienter & cum ratione decernendum. Frustra igitur ad hunc finem alia quædam cognitio, qualis est scientia media, necessaria venditatur. *Secundo. Facit hæc scientia intellectum Dei pendere ab objecto externo, ideam suam illi advenire aliunde rationeſq; adeo rerum æternas prioritate naturæ prius esse in creatura quam in Deo, creaturamque hic non dependere à Deo, tanquam suo, sed Deum dependere à creaturis tanquam suo exemplari.* Quæ omnino absurdissima sunt & manifestam involvunt contradictionem. Si enim increatum à creato, infinitum à finito, æternum à temporario dependeat; nec illud increatum, infinitum & æternum, nec hoc creatum finitum & temporarium erit; sublatoque adeo, cum creaturis, creatore, non parvum & magnum, de quo Physici disputant, sed maximum & hactenus inauditum dabitur vacuum, eritque totus mundus spatium magis imaginarium, quam sunt illa extra mundum, ex quibus Deus adhuc nondum excluditur. *Tertio. Ponit hæc scientia proprie dictum in Deo consilium*: de quo rectè Iul. Cæsar Scaliger: *Tam est impia vox in divinis consilium, quam pluralitas Deitatis.* Exerc. 365. sect. 8. Tametsi enim statuat Deum ex altitudine intellectus sui statim scire, quæ congrua sint media ad finem propositum, quod homo nonnisi post morosam meditationem, accuratam inquisitionem, inspectionem & cum aliis collationem, rectè assequitur: tamen statuit Deum non sua voluntate efficere & mediis dare, sed ab extra accipere congruitatem & efficacitatem illorum, quam ex natura sua habeant, à decreto Dei independentem. Hæc autem prima est in creatura consultante imperfectio & omnis reliquæ imperfectionis principium. Vnde & juxta Hypotheticos illa altera in Deo exoritur, quod, antequã sapienter aliquid possit decernere de salute Petri, prius videre debeat, quo & quousque se inclinatura sit bilanx libertatis ejus in hoc illove rerum ordine sc. si in isto rerum ordine collocetur, repudiata omni gratia mea, perseverabit in peccatis; si in illo, credet quidem, sed ad tempus tantum & in peccatis suis morietur; si in isto, credet, deficiet, resipiscet, & perseverabit; si in hoc denique credet & non interrupto cursu ad finem perseverabit. Sed annon hoc est, Deo scientiarum, ignorantiam, & simplicissimo intelligentiæ actui, mentis discursum tribuere? Ita enim in toto hoc negotio Deum nobis argumentantem faciunt: Si Petrus in isto rerum ordine collocetur, salvabitur. Atqui in isto ordine collocabitur. Ergo salvabitur. Primum igitur quæstio Deo ignota statuitur: An Petrus salvabitur? Secundo,

cundo, ad illius certam cognitionem habendam, Deus non ut nos ſtatim medium aliquem quęrit terminum, qui cum cæteris, varia ratiocinandi forma diſponi poſſit: ſed per ſcientiæ mediæ ſpecillum ex chimærico quodam creaturarum non exiſtentium libro, ignotiſsimam quandam propoſitionem diſcit, quæ ſemper conſtituit argumentationis prædictæ majorem hypotheticam. Vnde ſyllogiſmus ſemper evadit Hypotheticus, nunquam primæ ſecundæ aut tertiæ figuræ, nunquam disjunctivus. Cum jam illam majorem præcognovit, tum demum poteſt ipſe ſapienter aliquid decernere & addere de ſuo minorem, ut ex utraq; fluat certa concluſio. Decernit igitur, v. gr. Atqui collocabitur in illo ordine. Ex quibus præmiſsis ſponte fluit hæc concluſio. Ergo ſalvabitur. In hoc igitur & ſimilibus exemplis aliis nihil deſideratur eorum quæ ad verum & proprium mentis diſcurſum requiruntur. Nam 1. Debet extra ſe currere Deus, ad chimæricum illum creaturarum poſsibilium librum ut inde diſcat veritatem aliquã extra ſe, quę exprimitur in Majore: mox recurrere intra ſe, ut videat veritatem aliam intra ſe. Ex qua veritate *extra ſe*, quæ præcedit, & *intra ſe*, quæ ſequitur, oritur una communis veritas concluſionis, utrique præmiſſarum innixa. 2. Datur prius natura cęteris æternitatis momentum, in quo Deus novit propoſitionem illam majorem, in qua, licet vaga & incerta, terminatur ſcientia media, minoremque ſibi, ad eliciendam concluſionem, adjungi non poſtulat; cum locum in Deo habitura fuerit etiamſi nullus Petrus aut Paulus ad talem collocationem præordinatus, aut mundus ipſe nunquam condendus fuiſſet. Certa ergò & nota majore hac, ignota poteſt eſſe minor & proinde ex majori & minori reſultans concluſio, cum tamen omnes tres propoſitiones ſint de re aliqua futura. Summa, Creator redigetur in ordinem creaturę, creaturæ in modum diſcurret, creaturæ in modum conſultabit & ipſi perfectioni deerit perfectio!

Potentiam Dei quod attinet, decretorum executricem; *primum ea per* 27
ſcientiam mediam ex ſe indifferens vaga & determinanda, non certa determinata & determinans ſtatuitur. Quod conſectarium adeo adverſariis non videtur abſurdum, ut tanquam certiſsimam veritatem alibi apertè doceant, & contrariam potius ſententiam abſurdam imò abſurdiſsimam judicẽt. Quare & de eo ſequenti diſputatione, cum bono Deo, ex profeſſo agendum erit. *Secundo*: Quod *hæc ſcientia introducat craſſum Pelagianiſmum & homini in ſtatu naturæ lapſæ extra gratiam conſtituto ad bonum ſupernaturale, quod eſt extra ſphæram activitatis ejus, vires & facultatem tribuat*: ex evidentia rei etiam vidit & agnovit *Clemens Octavus* Papa Rom. Cum enim in publica illa diſceptatione Romana, in qua ipſe Præſes, Monachus quidam,

dam, ni fallor, Carmelita ſciẽtię mediæ patrocinium ſuſcepiſſet, quæſivit ex eo : *Quid provideret per ſcientiam mediam Deus* reſpondit Monachus : *Bonum uſum liberi arbitrii.* Et mox regeſſit Papa: *An ex natura, an ex gratia? ſi ex natura? hoc eſt ſecundum Caſſianum. Si ex gratia? hoc eſt contra Molinam.* Eruditum à Papa Rom. reſponſum! Quod hominum genus ut leviter dicamus, aliis magis quam ſacris curis deditum, in momentoſis Theologiæ capitibus, quale & hoc, amplius quicquam non vident ſæpè, quam talpæ. Neque vero nos ejus hic ideo adducimus teſtimonium, quaſi acquieſcere in eos conſcientiæ noſtrę debeant. (Abſit: quid enim nobis cum Antichriſto?) ſed ut ratione ab ipſo allata omnes & addita Papę authoritate Papiſtas adverſarios magis etiam urgeamus, quibus & hoc deliberandum relinquimus, annon hęc Papa dixerit tanquam ſummus controverſiarum judex adeoque papali & infallibili illo ſpiritu correptus? Quodſi ita eſſet, certè admodum largiter &, ſine dubio, ad mortem peccarent Ieſuitæ, qui ſpiritui iſti Papali per vivę vocis oraculum ſe revelanti, tam pertinaciter adhuc hodie obloquuntur. Et quamvis hoc judicium Papæ malum dicant, tamen, ut ſunt ſagaces culpam omnem ab ipſo tranſlatam, in accuſatores ſuos transferre ſatagunt. Quæruntur enim hic malè cauſam ſuam apud Pontificem delatam quia ipſi æquè ac adverſarii agnoſcant omne opus ſalutis pendere à Dei gratia præveniente & comitante, adeoque Deum non prævidere ſcientia iſta bonum uſum liberi arbitrii, qui gratiam præcedat: ſed liberum arbitrium gratia præventum dum eidem intus cor pulſanti liberè conſentit, eadem comitante prius ſe determinare ad opus ſalutis, non prioritate temporis, ſed rationis tantum, quam Deus author gratiæ intelligatur per gratiam adjuvantem concurrere ad idem opus ſalutis perficiendum. Hanc autem liberi determinationem præciſe ut ſic ſpectatam ſeu ratione diſtinctam à determinato concurſu divino, conſtituere proprium ſcientiæ mediæ objectum: quamvis aliàs eadem ſit atque indiviſibilis, authoris gratiæ, & libertatis humanæ operatio. Anne ſic quidem à crimine objecto ſatis ſe purgarunt Ieſuitæ? Imo vero quicquid in ſpecioſum verborum velum obtendere conentur, lucem multis locis velum tranſmittit veritatiſque radii produnt anguem Pelagianum in herbis deliteſcentem. Quia cum gratia ipſorum per ſe vim certam ad hominis converſionem non habeat, ſed a libero arbitrio accipiat, quod ex ſufficiente efficacem illam reddit, quando prævidet hac ſcientia Deus bonum uſum liberi arbitrii prævidet ſolis naturæ lapſæ, nullis gratiæ, viribus inſtructi, accommodationem ad concurſum & gratiam ſuam indifferentem, qua accommodatione indifferentia gratiæ & potentia ad non convertendum

dum tollitur & potentia oppoſita ad convertendum in actum deducitur. At vero iſta accõmodatio vel illa collateralis ſui aſſociatio ad gratiam ad ſimultaneum influxum in opus ſalutis producendum, quod tum certo ſequitur: annon eſt opus ſupernaturale? Nemo hoc niſi Pelagianus negaverit. Et cum abſque gratiæ adjutorio homo in ſtatu miſeriæ id præſtet? annon ex naturæ viribus bene utitur libero arbitrio? hoc autem ſolum Papa ipſis pro crimine imputabat. Vin' autem videre hic cum antiquis Pelagianis convenientiam? Non opus multa indagine. Audiatur modo *Hilarius* in epiſt. ad Auguſtinum, qui ſtatuiſſe ſui temporis Pelagianos ait: *Exhibendam ab eo fidem cujus naturæ id voluntate conditoris conceſſum eſt.* At quiſnam ex eorum ſenſu talis? Id docet verbis ſequentibus cum ſic pergit: *Et nullam* (naturam) *ita depravatam vel extinctam putant, ut non debeat vel poſſit ex ſe velle ſanari, propter quod vel ſanetur quis à ſua, vel ſi noluerit, cum ſua ægritudine puniatur. Nec negari gratiam, ſi præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantum medicum quærat, non autem quicquam ipſa jam valeat.* Quantum differt hoc *velle ſanari* ab accommodatione illa liberi arbitii ſuique ad concurſum gratię indifferentem aſſociatione? Equidem videre non poſſum. Et tamen illi homines clamabant; nullum hominem ad ullum opus ſibi ſufficere, æque ut Ieſuitæ omne ſalutis opus à Dei gratia pendere. Sed verum iſtorum verborum ſẽſum & primum erroris fontem ibidem recludit Hilarius. *Neque enim*, inquit, *alicui operi curationis eorum annumerandum putant, exterrita & ſupplici voluntate unumquemque ægrotum velle ſanari.* Interroga de hoc Ieſuitam aliquem, interroga Remonſtrantem, interroga Anabaptiſtam aut quemvis alium ex modernis Pelagianis? Invenies idem dicere quod antiqui, fontes horum eodem infectos veneno, quo illorum. *Secundo*: *Non licebit jam amplius ad veram humilitatem animis hominum ingenerandum, ut olim chariſmata, ita quævis bona ſalutaria cum Orthodoxa antiquitate totaque ſcriptura ſoli divinæ bonitati & efficaci, potentiæ inſuperabilis, operationi, accepta ferre & dicere homini nimis magno ſui ipſius admiratori: Quis te ab aliis diſcernit? quid autem habes quod non receperis? Quod ſi etiam accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* 1 *Cor.* 4. 7. In promtu erit reſponſio: Ego me diſcerno ab improbis: ego me feci vas in honorem, & jure merito converſionis & ſalutis meæ laudem mihi quoque arrogare poſſum. Deus tantum theatrum & occaſionem dedit boni operis cum aliis improbis ſępe communem. Ego ex propriis naturæ viribus volui à morbo liberari, Deum ut Medicum, gratiam ut medicinam amplexus ſum: & ſic comitante & adjuvante gratia cum eadem gratia opus ſalutis meæ perfeci, non aliter ac in quotidiana Medicinæ praxi medicina naturam ju-

vat in depellendo morbo & sanitate acquirenda. Alius quispiam ignavus eandem, vel etiam majorem habens, quam ego occasionem, eam non arripuit nec salutarem hunc, quem ego, conatum adhibuit. Hinc ego jam ab illo improbo discriminor, mihi vita, illi mors æterna debetur ex vi promissionis & comminationis divinæ. Vah spiritus superbiæ! *Tertio*: Vt ex lege talionis agamus: *posita ista scientia, frustranea erunt omnes vocationes, omnes suasiones & dissuasiones, hortationes, dehortationes, promissiones, comminationes, obtestationes & quæcunque media salutis Deus adhibet circa eos, quos posuit in tali rerum ordine, in quo vidit ipsos non permovendos aut salvandos*: eodem modo, ut illi contra nos argumentantur cum docemus maximum hominum partem ex mero Dei beneplacito ab ipso reprobatam. *Quarto*: *iidem homines novissimo die varia contra Deum gravamina, varias querelas nec plane iniquas movere poterunt.* Querelam *Iustitiæ*, ut qui circa omnes se indifferentem non servârit, sed alios quidem in congruis, se vero in incongruis rerum circumstantiis locârit, cum tamen meritis & dignitate æquales essent, antequâ id Deus decerneret. Querelam *Crudelitatis*, ut qui viderit ipsos in aliis rerum circumstâtiis locatos æq; probos futuros ac reliqui, nec tamen voluerit ipsos locare in talibus circumstantiis, adeoque impedierit bonum, quod revera futurum, posita aut ponenda ista collocatione & promoverit malum, quod revera tunc futurum non erat. Quasi delectatus fuisset ipsorum peccatis & interitu, aut ipsis invidisset bona sua opera & æternam felicitatem. Querelam denique *larvatæ Hypocriseos*, ut qui simulârit se intentionem habuisse ipsos salvandi, quam tamen non habuerit, locaturus eos alias in alio congruo rerum ordine: adeoque ipsis Euangelium & verbum suum annuntiari curârit ad propriæ condemnationis aggravationem & hoc pro insigni adhuc beneficio ab ipsis agnosci voluerit. Non procedimus hic nisi Iesuiticis & Remonstranticis consequentiis, quas si bene solvant, rem facient nobis gratissimam.

28 *Ad tres istas Facultates simul* quod attinet: *Posita ista scientia, modi entium, contingentiæ scil. & necessitatis, eximuntur divinæ providentiæ*, qui tamen est, ut rectè *Thomas* ait, universalis provisor totius Entis. E. g. Videt per scientiam mediam, ante omne decretum suum, *Deus*, Petrum istis rerum circumstantiis ex innata sua libertate assensum vocationi cœlesti præbiturum. Ergo, si salvatum cupiat, tantummodo necesse habet, illi prospicere de congrua aliqua vocatione: de modo consensus nil opus habet decernere, ex decreto cognoscere, & juxta decretum exequi. Neq; vero modi tantum entium, *sed ipsa etiam quædam entia dabuntur independentia à voluntate, sapientia & potentia, primi & summi entis*, quia effectum

effectum causæ liberæ, prout subjicitur scientiæ mediæ, necessario debet concipi, ut producendum ex mero hominis arbitrio & potentia illi subserviente. Quo pertinet & concursus ille Dei indifferens, ab homine determinandus in hanc illamve partem. Qui proinde tametsi in ipsa scientia media includatur, dependentiam tamen istius entis à primo ente non magis arguit, quam alia aliqua potentia subserviens in homine puta facultas locomotiva, quæ æque necessario requiritur atque concursus ille indifferens; aut quam arguit dependentiam voluntatis divinę ab humana, quod Deus eundem illum effectum, quem cum creatura efficit, efficere non possit absque illa. Quod utrinque conceditur sed consequentia negatur. Viden' igitur plura dari entia independentia, quam unum, imo centena millena & millies millena isti uni adjungere licebit. Atque istud est πρῶτον ψεύδος contrariæ sententiæ in seipso palpabile & sine magno molimine expressum, cum sponte efflueret, non aliter quam, aurea Ovidii ætate, *sponte sua fruges tellus inarata ferebat.*

Altius tamen assurgamus. Quis tam in hisce controversiis est hospes, 29
qui ignoret quanto conatu studeant adversarii nostram denigrare sententiam invidioso illo *Fati Stoici* consectario? quamque se ab eo abhorrere protestentur? non aliter, quam à portis inferni. *At vero illud ipsum fatuum Stoicorum Fatum, divinæ, angelicæ & humanæ libertati duras gravissimæ necessitatis compedes injiciens, per hanc scientiam, velut per decumanam portam, introducitur?* Negant? At probatio facilis: Objectum scientiæ istius ordine naturæ & rationis præcedit ipsam scientiam. Prius enim debet aliquid esse, antequam intelligatur esse. Scientia vero ista præcedit omne in Deo decretum, adeoque & scientiam ex decreto ortam & potentiam decreti executricem. Ergo ista contingentia conditionata non solum ante omnem actum potentiæ divinæ, quæ tantum decreta voluntatis exequitur, sed ipsius etiam voluntatis & intellectus divini, habent futuritionem suam atque è statu meræ possibilitatis egressa sunt. At vero unde aliquam, id est, conditionatam illam futuritionem ante, non dico decretum, sed etiam scientiam mediam, quæ decretum antecedit, quacunque demum ratione acceperunt, inde quoque omnem id est absolutam futuritionem possunt accipere, quia istæ duæ futuritiones non differunt essentia aut specie sed gradu tantum, ut lux vespertina & meridiana. *Deinde*, si à decreto divino res illę accepissent absolutam futuritionem pro conditionata, debuerunt ab eo decreto accepisse, quo Deus statuit in illis circumstantiis locare creaturam: quia alias Deus sibi non sumit arbitrium absolutè & directè aliquid statuendi de humanis & angelicis actibus, ne scil: SS. Libertas offēdatur aut lædatur. Sed ab eo

decreto non acceperunt, quia illud decretum ne quidem tangit absolutam eorum futuritionem, nedum ut ejus causa sit: Verum creaturâ jam collocata in istis circumstantiis absolutè adhuc contingens est & nullo quocunque etiam respectu necessarium, eam hoc & non aliud acturam. *Quid?* quod juxta plerosque Iesuitas, per scientiam mediam quoq; videt Deus, quid ipsius voluntas in omni occasione & ad quamvis conditionem volitura sit. Quod etsi neget *Molina & Suarez* cum paucis forte aliis tamen communem debere esse scientiæ mediæ defensoribus hypothesin, validè probat & contra prædictos authores satis defendit *Rispolis lib. 1. q. 1. concl. 2. pag. 87.* Hoc igitur supposito, scivit Deus ante decretum suum quem ipse rerum ordinem electurus esset. Non potuit igitur alium eligere. Et si ordo circumstantiarum certus ante decretum divinum, jam ablata conditione ante omne decretum certa quoque est absoluta futuritio omnium istorum, quæ dicuntur sub conditione futura. Non potuerunt igitur Deus vel creaturæ rationales aliter disponere res suas quam dispositæ sunt; nec res ipsæ aliter fieri possunt, quam sunt: neque per absolutam quidem potestatem Deus poterit efficere, ut non sint, vel ut aliter sint. Erit igitur Iehova Deus noster, quem scriptura asserit cœlos inhabitare & quicquid vult facere, Homericus quidam Iupiter, qui delectissimum filium suum Sarpedona, cruētis Patrocli manibus & instanti mortis necessitati, eripere volet, sed fatalibus constrictus vinculis non poterit, idemque telum quod Sarpedonem letho dabit, paterna ipsius quoque viscera perfodiendo, in tristes luctus ac muliebres ploratus omnipotentem conjiciet. Apage istiusmodi Theologiam quę omnipotentem nobis fingit potentia destitutum! At enim quia hic jugulum adversariorum petimus, omnibus ingenii viribus pugnant, ne ferrum recipere cogantur. Contendunt enim potuisse Deum contrarium ejus quod à voluntate creata fit, aut velle, si bonum sit, aut permittere, si malum: quia inquiunt, per eandem scientiam mediam ante omne decretum scivit Deus, voluntatem creatam, si in alio rerum ordine collocata fuisset, contrariam facturam fuisse & potuisset Deus eadem libertate, qua nunc istum elegit, alium elegisse rerum ordinem. Quod vero nunc non possit contrarium velle, id fieri propter divinæ voluntatis in decreis suis constantiam, qua quæ semel absolutè decrevit, nunquam postea refigit. Sed irritus hic conatus, non sic evadunt infortunium. Nam primo hinc infero: posito uno decreto de rerum ordine, mox alia entia infinita, de quibus nihil certo decretum, absolutè futura sunt, independenter ab omni voluntate divina. Dei tantum erit de congruis aut incongruis

gruis rerum occasionibus cogitare & cum creaturis naturaliter & indifferenter concurrere; ipsi tum actus determinati & effecta istis actibus ad extra producenda, sponte provenient. Deo hic nil seritur, nil metitur. Et hæc *Fatum* non sapiant? 2. Si potuit Deus velle cõtrarium ejus quod à creatura fit, potuit velle creaturam constituisse in alio ordine: & si hoc, potuit vanam & falsam reddere scientiam suam, per quam prævideratse hunc rerum ordinem electurum. 3. Qui probatur creaturam in aliis circumstantiis contrarium certò facturam, cum semper retineat indifferentiam libertatis suæ non implicet creaturam in nullis circumstantiis contrarium facturam, ut sæpius ante dictum. Hæc ad istam exceptionem: *Novo* nunc *argumento* idem *Fatum* demonstrari potest ex iis quæ tradit *Fonseca*, pater hujus scientiæ, de actu voluntatis divinæ, qui in sequenti signo rationis actum scientiæ mediæ statim excipit. Vult enim futura illa contingentia conditionata transire in statum absolutæ futuritionis tantum per actum voluntatis divinæ approbativum, si bona sint, aut permissivum, si mala & istis actibus illa, ut absolutè futura, à Deo cognosci. Quo nihil dici potuit ad stolidum *Fatum* introducendum accommodatius. Si enim hoc tantum Deus facit ad absolutam eorum futuritionem: ergo jam sunt absolute futura ante omnem divinæ voluntatis actum, quę certam determinatamque futuritionem tribuat. Consequentia patet, quia approbatio in bonis, aut permissio in malis, non tribuit contingentibus ullam, nedum absolutam futuritionem. Quando enim gubernator urbis approbat hostes à præsidiariis militibus fortiter depulsos: aut permittit hostes per vim irrumpentes urbem diripere; nullam vel repulsioni isti vel huic direptioni futuritionem tribuit: aut si ad creatorem ire malimus: Quando Deus in prima creatione approbavit omnia opera sua, quæ fecerat; aut permisit lapsum Adami: certè nec rebus illis nec lapsui futuritionem ullam, adde nec actualem existentiam (cum futuritio ęterna sit, hęc in temporalibus temporalis) contulit, sed collatam præsupposuit. Et quomodo omnino per istã permissionem, quæ ipsis est tantum negatio & cessatio ab actione, aliquid futurum esset. An vero Deus nihil agendo & solum cessando potest rebus, ad futuritionem & non futuritionem indifferentibus, certam tribuere futuritionem. Quocunque se vertunt in *Fatum* incidunt. *Pergo*: sicut illi contendunt in futuris conditionatis ante omne Dei decretum posse formari propositiones contradictorias, in quibus necessario altera pars debuerit esse vera, altera falsa; sic ego de effecto conditionato dicam: illa à conditione abstractus, aut absolutè futurus fuit aut non. Si futurus, ergo & ipsa

sa conditio futura absolutè, quia, ante omne decretum divinum, illa duo inter se connexa sunt, ut quamvis unum sine altero concipi, non tamen sine altero existere unquam possit: sed ut ipsa certissime & infallibiliter sibi coexistere debeant: cum cæteroquin fallibilis esset Dei præscientia. Vnde sicut posita conditione, effectus conditionatus, sic posito effectu conditionato conditio inevitabili legi poni debet. Non potuit igitur de illo effectu vel conditione aliter decernere intelligere aut circa illa operari Deus, quam fatalis hęc futuritio jusserit. Si autem effectus iste absolutè sit non futurus, tum neque conditio est futura. Vnde rursum emergit invisum illud adversariis *Fatum*. Aliter etiam hoc argumentum institui posset de conditione sic: Aut conditio illa, absolutè sumta, futura fuit aut non futura. Si futura: ergo inevitabiliter etiam effectus conditionatus. Si non futura: ergo & necessario effectus conditionatus non futurus. Quæ ratio disputandi & proba est & eadem consequentiæ vi *Fatum* introducit. Quia tamen adversarii de scientia media disputantes futuritionis in conditione nullam habent rationem, sed tantum in effectu conditionato, possumus facile hic nos attemperare ipsorum genio. Etsi interim nihil vetat & de conditione & de effectu conditionato separatim formare propositiones contradictorias non habita σχέσεως intercedentis ratione. *Contraillos* verò qui scientiam quoque mediam ad ipsam Dei voluntatem accomodant, ut hodie pleriq; faciunt Iesuitæ & omnes merito facere deberent, etiam speciatim procedendi ratio sat facilis ostenditur: Si enim posita quacunq; conditione Deus novit quid ipse voliturus: jam sciet quot angeli aut homines forent si mundum alium creaare vellet, quidve illi acturi essent, si crearentur. Posito igitur uno illo decreto, quod velit creare alium mundum, non potuit aliter vel de numero angelorum & hominum eorumq; qualitatibus & actionibus statuere: nec potuerunt angeli homineſq; plures vel pauciores, meliores vel pejores esse, vel aliter quam agāt egerintve & acturi sunt, agere; in quo manifeste apparet *Fatū*. Amplius de uno illo decreto dicendum; etsi nos ignoremus, Deum tamen scire, qua conditione posita ipse velit alium mundum creare & qua conditione posita illa conditio ponenda. Idque videtur inferre explicatio *Fonsecæ*, cum statuit Deum non scire, quid ipse circa creaturas decreturus sit; nisi ante cognorit, quid quæque creata voluntas in hac vel illa occasione factura esset. Talis enim prævisio de actibus creatarum voluntatum semper potest esse conditio ad quam aliquid velit Deus. Ex. gr. Si istæ voluntates in tali aut in tali ordine cōstitutæ sic agent: ego apud me decernam, ut sit iste ordo, vel ut creetur mundus, in quo sit talis ordo. In quibus si verum Deus prævidet,

non

non poterit aliter decernere nec res aliter esse. Atq; isto pacto conditiones & effectus cõditionati in sphęra ęternitatis magna orbium & motus varietate perpetuo in gyrum aguntur, alia sursum alia deorsum, alia dextrosum alia siniſtrorsũ alia horsum, alia istorsum; nusquã fixi poli aut termini, nullus ubi incipias, nullus ubi subsistas locus dabitur. Nullæ Ptolemaicæ, nullę Tychonicę, nullę Copernicanę, seu verę seu fictę, hypotheses exlegem & extraordinariã istius motus incertitudinem ad certas leges atque ordinem revocarent, flacceſceret hic *Regiomontani*, *Purbacchii*, *Galilæi* & *Kepleri* ingenium. Et illa tam mirabilis Fatorum machina involuit secumq; rapit Deum humanaq; omnia. Sed quoniam hic noviſſimè in Fonſecam incidimus, qui tantum ſapit ſupra alios conſortes ſuos, antequam progrediamur, unico ſolum argumento demulceamus homini caput nonnihil: quod quidem tale ſit: Si Deus non poteſt ſcire, quid ipſe circa creaturas decreturus ſit, niſi poſt quam vidit quid creatę voluntates in om nibus acturæ eſſent: tum quoque nihil poteſt ad extra agere, niſi prius aliquid agat creatura quæpiam: quia non eſt ratio, quare in actionibus æternis Dei & creaturarum minus retineatur iſte ordo, quam in præſcientia de iſtis actionibus, cum ipſi dicant eo modo & ordine omnia fieri, quo per ſcientiam mediam præſcita ſunt. Atqui conſequens eſt falſum. Ergo & antecedens. Minor probatur, impoſſibile eſt, ut cum Deus primum inciperet creare, vel præextiterit aliqua creatura, nedum, ut aliquid egerit. Sed hæc de commento iſto *Fonſecæ* obiter. Pulchre autem iſtud de *Fato* argumentum diducit & conſequentiis non minus firmis, quam verbis ad rem accommodatis valide urget doctiſſ. Rhetor fortis in epiſt. dedicatoria ad Nobiliſſ. Lacu-Varriæ Dominum, ubi ex Neopelagianorum familiis Remonſtrantes potiſſimum, dociles illos Ieſuitarum malorum magiſtrorum, diſcipulos, hunc in modum affatur: *Dicite enim per Deum immortalem, nec conſcientias candidiores obteſtari verebor, & quæ Deo libertas ſalva eſſe poſſet, ſalvâ veſtrâ ſcientia mediâ, & actuum contingentium decreto conditionato. Nam obtinente hoc dogmate, futuritionem habente antecedenter ad Dei tum ſcientiam, tum decretum, omnes quotquot ærumnæ mortalibus, miniſterio cauſarum contingentium, eveniunt, morbi contagioſi, mors inopina ex ædium ruina, pauperies, exilium, uxoris & liberorum mors immatura & acerba, imo ſecures, laquei, rogi, furcæ, rotulæ, iſta verò quoniam Dei voluntatem & commentitiam hanc ſcientiam antevertunt, nulla ſpes, nulla conſolatio, patientia denique nulla in Deo ſupereſſe poteſt. Nonne Deus ita mortales, alloqueretur? Ferenda, non fienda eſt (mei viri) quæ vos læſit, Fortuna Fatalis. Iſta enim ab æterno meam providentiam antegreſſa: non potui ego præpedire, non potui ego non votis fatalibus Contingentiæ ſubſcribere, illa aleam jecit, Parcarum exaravit*

exaravit tabulas, sententiam adamantinam dixit sortem atram vel albam, ab æterno in æternum statuminandam, vel me invito, finxit. Et pari per omnia ratione, res secundæ, nobilitas imperium, prospera valetudo, numerosa soboles, bonorum omnium affluentia, vita longæva, mors felix & placidissima, aurea suppellex, quæ causarum liberè & contingenter operantium subsidio & ope obveniunt, eandem providentiam antevertunt. Ecquid jam spei, gratitudinis, submissionis, conscientiæ officii in Deum & obedientiæ debitæ homines jam teneret? Ista enim inscio & invito Deo obtigerunt: Mihi credite, hoc est fidem, spem, patientiam, gratitudinem, orandi studium, debitam submissionem, omnem denique officii in Deum conscientiam, religionem extirpare, expectorare, imo funditus evertere, & pessumdatâ gratiâ, profligata providentiâ Dei, imo Deo è solio deturbato, Fortunæ, sive novæ Deæ, Contingentiæ, aras, vota, preces & sacrificia instituere. Pathetica verô ad modum sunt, quæ justa rei indignitate motus subjungit: *O tempora! o mores! o miserandam sponsæ Christi conditionem! Ista tamen in pulpitis, in Academiis, in scriptis publicis, moderatoris Theologiæ nomine, larvata & fucata incedunt. Domine Jesu nonne ista vides? Audis quæ sponsa tua patitur? quasi illa vidua, defuncto marito, nec opprobrii haberet vindicem. At vides, Domine, exaudis, reposces.*

30 Ex iis, quæ hactenus contra scientiam mediam disputata sunt, manifestum est, totam præsentis controversiæ difficultatem recidere in hoc punctum: *An futura conditionata libera, ex sua natura ad futuritionem & non futuritionem indifferentia, ab æterno potuerint transisse in statum rei futuræ aliter quam per decretum divinum, quod causa sit omnis, qualiscunque etiam, futuritionis?* Hoc est fundamentum fundamentorum, cui tota causæ moles incumbit; hoc est postulatum illud, quod & nos adversariis concedere & ipsi nobis probare non possunt. Hoc est centrum, illud ex quo ducuntur deformes & absurdæ istæ hypotheses, quibus tum Philosophiam, tum sacram quoque Theologiam miserè conspurcant DD. isti Hypothetici. scil: Voluntatem Dei esse in faciendis decretis cęcam potentiam, nisi lumen præfulgeat scientiæ mediæ: Media ad finem quemcunque habere efficaciam & congruitatem ex natura sua, ad quam Deus attendere cogatur in decretis sapienter formandis, quæ quidem certum eventum habitura sint: Futurorum cõditionatorum liberorum veritatem aut falsitatem non cognosci ex causis suis aut ex decreto divino, sed ex ipso rei eventu: Deum ante omnem voluntatis suæ actum posse videre certitudinem in rebus ex natura sua prorsum incertis: summa, dari ens aliquod independens à summo ente. Quorum omnium absurditas tum per se patet tum in præcedentibus, ubi opus fuit, ostensa est. Colophonem disputationi imponant nonnulla adhominem argumenta. *Primo:*

Pudet

Pudet multos consequentiarum, immediate ex scientia media eductarum. Ergo scientia est pudenda. Antecedens patet ex antedictis. Ex. gr. plurimos pudet asserere, Deum ante omne decretum suum nosse, quot angeli hominesque forent, si alium mundum creare vellet. Quod evidenter sequitur ex ipsorum sententia, si Deus dicatur nosse ante omnem suæ voluntatis actum, quid posita quacunque conditione futurum sit; quia mundus absq; angelis & hominibus esse non poterit, aut si fingas ibi creaturas quasdam producendas innominatas & nunquam in hoc mundo visas vel auditas; jam de illis procedet eadem argumentandi ratio. Quem ictum declinare voluit *Grevinchovius*, dicendo illud hypotheticum esse de futuro necessario. Vult enim supponi Deum angelorum & hominum numerum certum creare velle, & hoc suppositio necessarium dicit, ut is angelorum & hominum numerus existat, quem Deus velit. Sed bene ostendit illi *Amesius* futurum hoc prorsus non esse necessarium, nisi supposito hoc, quod jam ante decreverit, tot angelos hominesque creare. Sed præcedente decreto locus non relinquitur scientiæ medię sed tantum visionis, hic vero nullum decretum prę supponitur, verum essentialis & proprius scientię medię actus proponitur. Sed & possumus supponere, quod vult *Grevinchovius*, neque tamen hoc supposito necessarium est, ut is angelorum & hominum numerus existat, quem Deus velit scil; ante, quam iste numerus definitus sit, sed quem velit post numerum jam ante definitum; id est, sequitur hinc necessarium esse, ut Deus postea velit eum angelorum & hominum numerum, quem per scientiam mediam, ante omnem suæ voluntatis actum, vidit definitum & se voliturum. Quo nihil ad dilirium Stoicorum *Fatum* introducendum aptius dici potest. *Secundo, Posita hujus scientiæ veritate, ex ipsis adversariorum hypothesibus & modo argumentandi contra nos, evidenter colligemus, tolli omnem Dei & creaturæ libertatem, Deumque, quod horrendum, peccati authorem constitui. Primum* sic: Quod impedimento est ne voluntas divina & humana se in utramvis partem pro sua indifferentia determinare possit; id tollit libertatem Dei & creaturæ. Sed conditiones & circumstantiæ istæ sic divinæ & humanæ voluntati impedimento sunt, Ergo. Minor inde confirmatur, quia infallibiliter juxta ipsos Deus præscit, quid ipse vel creatura sit factura positis conditionibus. Quod si jam eo ipso momento, quo ponuntur & positæ sunt conditiones, retineret suam utraque voluntas indifferentiam, nihil infallibiliter & certo Deus præscire poterit, ubi neque respectu Dei aut creaturæ quicquam est certum. *Alterum* sic: si Deus cõstituit hominem in talibus occasionibus, in quibus videt eum infallibiliter peccaturum, Deus est author

peccati: quia ipsi dicunt & nobis continuo oggerunt: qui facit aliquid ad quod alterum infallibiliter sequitur, eum istius rei causam esse. Atqui verum antecedens ex ipsorum confessione. Ergo & consequens. *Tertio. Dantur etiam ex adversariorum confessione, multi actus liberi, absolutè à Deo citra scientiam mediam definiti & prædeterminati, ubi Deus nec insipienter aliquid decrevit, nec causarum libere agentium libertatem læsit. Ergo supervacua prorsus & inutilis ad defendendam vel Dei sapientiam in decretis suis formandis vel arbitrii nostri libertatem, media ista scientia.* Si enim in quibusdam decretorum, absolutè citra præscientiam mediã actus creaturarum liberos prædefinentium, exemplis nihil deceſſit ſapientiæ divinæ, nihil libertati humanæ, quare etiam in cæteris omnibus? Dari autem talia decreta & tales actus ex adversariorum confessione, patet exemplo Christi hominis: de quo etsi dicat *Molina* ad divinam providentiam pertinuisse, ita res disponere, ut servata in ipso libertate omnino non peccaret, quod & factum sit; idem tamen, ratione & unanimi PP. consensu victus, cogitur affirmare, si Christus spectetur quoad ea, quæ naturæ ipsius ratione gratię unionis insunt, eum nullâratione potuisse peccare, & contrarium implicare contradictionem 1. *parte quæst.* 14: *art.* 13. *disp.* 18. *membro* 4. Quid hoc aliud, quã violenter à veritate pressum confiteri, *opus non fuisse ut Deus conditionali scientia præsciret, quibusnam occasionibus voluntas Christi obeditura esset divinis præceptis, antequam absoluta voluntate ea illi imponeret*: Prout hæc sunt ipsissima verba Fonsecæ lib. 6. cap. 2. q. 5. sect. 12. qui & addit: *Certum enim erat illum omnino esse obtemperaturum, cum ne in sesu quidem diviso peccare posset.* Similia dici possunt de angelis per Dei gratiam confirmatis & beatis in cælo animabus. Atque hoc primum: alterum est, quia fatentur adversarii, quod *Deus multos ex his hominibus, quos in statu conditionato perditum iri intelligebat, salvos facere decreverit & alios in sua obstinatione relinquere*: quæ itidem verba ex *Fonseca* allegat Rispolis lib. 1. q. 1. concl. 1. pag. 31. & hoc concesso non video, quare etiam dici non possit Deum multos, quos videbat in statu conditionato salvandos, decreviſse condemnare. Quodsi ergo talia decreta Dei non sunt insulsa aut stolida, si per illa creaturarum libertas non destruitur, sed in salvãdis perficitur, prout hic putamus facile consensum præbituros adversarios, habemus institutum nostrum. *Quarto.* docent ipsi adversarii: *Primo*, Concursum Dei & arbitrii creati, non re sed ratione tantum distingui: *Secundo*, Deum non fingere distinctiones rationis, hoc est nõ concipere ut distincta, quę nostra solum imperfecta ratione distinguuntur: *Tertio*, Scientiam Dei esse propriam & perfectam quæ totam rerum prout in se sunt, quidditatem perfecte penetrat & comprehendit. Ex quibus hypothesibus

thesibus facillimum est contra scientiam mediam sic argumentari ; *Inter quæ non est sufficiens distinctio ad fundandam distinctam cognitionem , eorum unum sine altero non cognoscit Deus* , quia scientia ejus est perfectissima , cui non potest objici unum sine altero ex iis quę non re , sed ratione solum distinguuntur. *Atqui inter concursum Dei & arbitrii creati non est sufficiens distinctio, ad fundandam distinctam cognitionem* ut patet ex hypothesi prima. *Ergo illos Deus distincte non cognoscit* : *Ergo non datur scientia media* , quia illius objectum statuitur concursus liberi arbitrii , ut sic. Neque video quid salvis hypothesibus suis cum ratione ad hoc argumentum excipere possint adversarii. Nos vero hic præsentis disputationis terminum figemus postquam , Dei beneficio , collapsos quasi ad clangorem tubę sacræ Hierichuntinos scientiæ istius mediæ muros & ima illius fundamenta convulsa ac eversa conspeximus. Det porro Deus Opt. Max. adversariis videre tenebras suas & ad lucem gratiæ divinæ aspirare: nobis vero digne in luce sua ambulare , donec tandem post lucem gratiæ exoriatur nobis in altera vita lux glorię. Fiat , fiat.

DE JURE ET JUSTITIA DEI.

Resp. CORNELIO GENTMAN Goesa-Zelando.

Ad diem 15. *Iunii* 1639.

De Iure & justitiâ Dei duplici ratione in Theologia tractari potest. Vnâ , quatenus per ea describitur natura divina, in loco communi de Deo. *Altera quatenus fontes sunt legum divinarum & humanarum , ad quas omnium actionum bonitas aut malitia moralis ex igitur , in loc. comm. de* Bonis operibus.

AD explicationem attributi divini, quod Dominium Dei appellamus , pertinet determinatio de Iure Dei , An & quale illud sit. Nos præmissis necessariis præcognitis, ad præcipua quædam problemata respondebimus. Iuris acceptiones varias habent ICC. ad *tit. de Iustit. & Iur.* & *Scholastici* ad 22. *q.* 57. *a.* 1. & ex illis Casuistæ. Distinguunt ibid. Scholastici , fas à jure , & jus à lege. Ac fas volunt notare proprie legem divinam, jus verò legem humanam. Sed (quidquid sit de phrasi latina) hoc usu scripturæ minime probatur , ubi δικαίωμα Deo tribuitur *Rom.* 1. *vers. ult.* Ius à lege *ibid.* cum *Thoma.* distinguunt , quod jus sit objectum justitiæ ; lex verò ratio ejus scripta. Aliter *Isidorus in etymolog.* ubi jus dicit esse nomen generale , legem verò juris speciem. Quamvis autem Scholastici & Casuistæ Thomam secuti Ius divinum cum lege Dei plerumque confundant, nos 1.

tamen ab eâ distinguendum putamus. Quod jus concipiatur quid intra Deum & formaliter quasi in Deo; cum respectu tamen ad creaturam sive existentem sive possibilem : lex verò extra Deum & effectivè à Deo, dicit enim regulam practicam, quam Deus judicat servandum esse à creaturâ, atque adeo vult eâ creaturam obligare, & actuali revelatione & imperio secundum illam voluntatē obligat. Itaque lex divina quà talis non potest dici vim habere obligandi Deum, jus verò contra. Scio distingui vulgo triplicem considerationem legis, ut est in se, ut est in legislatore, ut est in subdito. Sed essentialis definitio legis est ejus, quæ spectatur in se, ut habet vim dirigendi & obligandi, cujus fundamentum proximum est revelatio & imperium legislatoris. Nam conceptus æternus regulæ practicæ in mente divina cum voluntate obligandi non ponit legem nec ullam vim habet dirigendi & obligādi juxta illud *Deuteron* 29.29. coll. cum 2 *Sam.* 7. &c. ut pluribus explicatur in doctrina de *Voluntate Dei* : ubi distinguitur in occultam & revelatā. Est ergo nobis hic jus divinum idea rectitudinis & bonitatis Dei circa gubernationem creaturarum rationalium, cum potestate in legem seu præcepta se diffundendi ac per ea creaturas dirigendi & obligandi. Non ergo differunt realiter in Deo rectitudo (Heb. יֹשֶׁר *Ioscher*) δίκη, δικαίωμα, dominium, ἐξουσία, potestas, τὸ δέον, autoritas legislatoria. Ex descriptione hac colligimus jus divinum seu potestatem esse attributum relativum, & referri ad creaturas quatenus à Deo gubernari possunt, aut gubernantur.

2. Quod ad divisionem juris, varie illa explicatur. *Thomas* 1. 2. *qu.* 91. legem (quam cum jure confundit) facit quadruplicem ; æternam, naturalem, divinam, & humanam. Alii Scholastici dividunt jus in naturale, & positivum; & hoc rursum in divinum & humanum; illud in veteris & novi testamenti, hoc in jus gentium, civile, canonicum. Iurisconsulti dividunt in publicum & privatum; in naturale, Gentium, civile ; in commune & proprium : in scriptum & non scriptum ; in mutabile & immutabile. Distinctiones illæ & quidem solæ à Scholasticis ad Thomam pertractantur imprimis à *Valentiâ* & *Vasquez ad* 1. 2. & *Azorio Institt. moral. tom.* 3. *l.* 1. coll. cum *tom.* 1. *l.* 6. *c.* 1. 2. *Becano Theolog. Scholast. part.* 2. *tom.* 1. *tract.* 3. *à Francisco Zuarez volumine peculiari de legibus*, aliisque alibi indicandis. Ex nostris *Amesius lib.* 5. *Cas. consc. cap.* 1. fere intra eosdem terminos se continet. Sed ut verum fatear, nunquam mihi visæ sunt illæ distinctiones exhaurire totum illud γνωστὸν, quod scriptura hâc in parte nobis exhibet : & consequenter sufficere variis quæstionibus tum dogmaticis tum moralibus in Theologia enodandis. Vt ergo nobis & aliis si non omnino satisfaciamus saltem occasionem ulterius

ulterius meditandi ſuggeramus, tentandum an non paulo accuratius, & evidentius hæc explicari queant. Sit ergo jus aliud finitum ſeu creaturæ, & aliud infinitum ſeu divinum. Illud verſatur inter creaturam & creaturam, quatenus ſcil. una ordinatur ad aliam, eamq; obligat aut ab eâ obligatur. Eſtque vel angelicum, vel humanum. Vtrumq; hoc immediatè & formaliter tale dicēdum eſt; quāvis denominetur etiam divinum à fundamento ſuo, quod eſt jus divinum præſcribens aut permittens talem obligationem creaturarum inter ſe. Et ſic intelligitur juris divini eſſe ut liberi obediant parentibus, ſubditi magiſtratibus, ut quiſque poſſideat bona ſua &c. Porro de jure angeli in angelum, ex ſcripturis vix aliquid determinari poteſt; itaque doctæ ignorātiæ hic ſtudendum. Quia autem ſcriptura tanquam norma actionum hominibus data eſt, omnes fontes juris humani illic referantur primariò, & ſecundario in lumine naturali ſeu recta ratione; unde neceſſariæ concluſiones educi debent: Quæ autem libera ſunt & in utramque partem determinabilia pro ratione circumſtantiarum, ea determinantur, & regulæ juris & æqui ad eadem explicantur à legitima poteſtate à Deo inter homines ſtabilita. Cujus determinationes omnes vim juris humani obtinent, quouſq; ſcilicet rectæ rationi & ſcripturæ non repugnant. Semper enim convenienter naturæ, rectę rationi, & ſcripturæ omnia agenda & præſcribēda ſunt. Sed hoc ſpeciale jus humanum legum latoribus & Iuriſconſultis relinquimus: Nobis agendum eſt de Iure divino proprie & contradiſtinctè ſic dicto. Vt quodlibet jus in genere eſt neceſſitas & poteſtas recta adhærens perſonæ ad aliquid agendum, aut omittēdum, aut permittēdum: ſic etiam dicatur jus divinum eſſe neceſſitas & poteſtas recta, quâ Deus aliquē obligat, aut obligare poteſt. Obligatio hęc propriè, aut impropriè, dicitur: & ſic jus. Impropriè dicitur jus Dei eſſe, quo obligat creaturas omnes irrationales. Quæ Dei ſunt ejuſq; arbitrio, dominio, uſui & legibus naturalibus ſubjiciuntur, jure ſcilicet creationis *Pſal.* 24. 1. & 50. 10. 12. Hinc etiā eas pœnis ſubjicit, quæ tamen propriè & ultimatè diriguntur ad creaturas rationales. Vide *Geneſ.* 3. 14. 17. *Exod.* 21. 29. Ius propriè dictum eſt vel ad intra, vel ad extra. *Ad intra* eſt, quod terminatur in ſolo Deo: quo Deus concipitur quaſi obligare ſeipſum, circa ſeipſum, ſeu ſibi debitor eſſe de ſeipſo. Eſt autem terminatio illa in Deo conſiderata vel eſſentialiter, vel perſonaliter. Illo modo jure poteſt & tenetur Deus amare ſeipſum: iſto modo tenetur Pater amare filium & viciſſim: uterque Spirit. S. & viciſſim. *Ad extra* eſt, quod terminatur in creatura rationali, aut in Deo quidem ſed tantum in ordine ad creaturam. Et hoc propriiſſimè ac ſtrictè jus divinū dicitur: fuitq; à nobis modo definitum.

Spectari autē potest vel ut tenet ex parte Dei, vel ut tenet ex parte creaturæ. Illo modo rursum spectatur *tum* active, *tum* passivè, seu potius terminativè. *Active* Deus obligat seipsum in ordine ad creaturas, seu circa gubernationem creaturarum rationalium: quò refer illud *Proverb.* 16. 4. *Rom.* 11. *v. ult.* coll. cum *Iesa.* 42. *v.* 8. *Passive* seu terminativè Deus obligatur à seipso, & sibi est debitor, in iis quæ pertinent ad gubernationem creaturarum. Deum obligari & teneri jure aliquo, quod realiter sit ipse Deus (nullum enim δικαίωμα supra aut extra Deum normam facit, & τὸν ἔσχατον καὶ τὸν πρῶτον aliqua ratione limitat & determinat: hinc Deus dicitur sibi esse lex) constat ex 2. *Timoth.* 2. 13. *Hebr.* 6. 18. 2. *Thessal.* 1. 6. *Habacuc.* 1. 13. *Genes.* 18. 25. coll. cum *Rom.* 3. 5. 6. *Ius divinum ad extra*, ut spectatur seu tenet ex parte creaturæ rationalis, est *subjective* necessitas & potestas adhærens personæ, ut rectè quid agere aut omittere possit; *objectivè* adhærens rei ut rectè agi aut omitti possit. Ius hoc divinum creaturę rationali præscriptum, est vel naturale seu absolute necessarium; vel liberum seu hypotheticè necessarium. *Illud* obligat absolutè ex necessitate naturæ divinæ *tum* creaturam ut subjiciatur, & debitum reddat; *tum* Deum, ut præscribat & exigat, ita ut oppositum ejus implicaret contradictionem: Sic ex. gr. juris divini naturalis est, ut creatura rationalis Deo obediat & sublex sit, aut ut pœnam luat: hoc est, ut obligetur ad debitum officium; aut si hoc negligat, ligetur ad reatum & debitum supplicium. Hujus juris axiomata *negativè* si concipiantur sunt ista: Deus non potest seipsum abnegare. Non potest gloriam suam alteri dare. Non potest dimittere creaturam rationalem, ut non sit ὑπόδικος aut sublex Deo. Non potest peccata remittere absque satisfactione: seu injuriam sibi illatam impunitam dimittere. Deus non potest mandare, dispensare, aut concedere creaturæ rationali, ut se odio habeat, nomen suum blasphemet. *Affirmativè* si concipiantur sunt ista. Deus tenetur quærere & promovere nominis sui gloriam. Deus tenetur gubernare & judicare mundum, quamdiu mundus est. Deus tenetur creaturæ rationali cultum sui naturalem præscribere. Deus tenetur in casu chasmatis per interventionem peccati, hominem quemcunque salvandum per justificationem & conversionem ad gratiam & gloriam suam reducere: nam stante peccato homo non potest cum Deo uniri; 1. *Iohan.* 5. 1. coll. cum *Habac.* 1. *Iesa.* 1. nedum ut Deus personaliter sibi unire posset naturam peccatricem, ut curiosè & blasphemè satis disputarunt *Scotus*, *Gabriel*, aliique insigniores Scholastici. *Ius divinum* liberum (quod aliter dicitur positivum) & hypotheticè tantum necessarium est, tale est, quia Deus libere ita voluit: qui absque implicatione

contra-

contradictionis potuisset velle oppositum. Huc pertinent, permittere peccatum, seu lapsum angelorum & hominum & omnia peccata inde promanantia: censere homines omnes & singulos in veteri fœdere, non per capita, sed per stirpem in uno Adamo, angelos verò sive stantes sive cadentes sigillatim & seorsim æstimare, ita ut in uno homine omnes homines peccârint, in uno verò angelo omnes angeli non peccârint: Gratiam primam aut secundam, conservantem aut concurrentem seu præmoventem huic creaturæ dare aut non dare. Satisfactionem pro peccato, & obedientiam legi debitam transferre in mediatorem seu sponsorem nobis substitutum, & sic ab ejus manu in solutionem ea accipere: Præmium æternæ & cœlestis beatitudinis hominibus in primævo fœdere proponere ac promittere: Christum specialibus illis tot tantisque cruciatibus, quos refert scriptura, in animâ & corpore pro nobis subjicere. His adde legem illam symbolicam de arbore scientiæ boni & mali Adamo in paradiso latam; ut & totam legem ceremonialem, ac forensem Mosaicam; magnam præterea partem decalogi: ut in primâ tabula modum cultus instituti positivum ex. gr. per externam verbi prædicationem, &c.: in secundâ, de monogamiâ, de gradibus prohibitis, de dominiorum distinctionibus, de potestate Magistratus, de homicidio, &c. De omnibus enim illis dici nequit, Deum ad alteram contradictionis partem ex naturæ suæ necessitate fuisse astrictum. Ad positivum hoc jus reducendum est, ejus *divinum permissivum*, ut vocant. Quid si aliter distinctiones has digeramus sequenti tabella?

Ius divinum est
- Naturale seu necessarium
  1. Impropriè, ad creaturas irrationales, quod ad dependentiam suam & subjectionem ad Deum in genere.
  2. Propriè, seu ad intra terminatum in ipso Deo, ὑποστατικῶς. ὑποστατικῶς.
  3. Propriissimè seu ad extra terminatum in creaturis rationalibus, easque obligans ad officia
     1. Circa Deum, cultum scil. naturalem in genere & in specie.
     2. Circa proximum, amorem ejus scil. &c.
     3. Circa alias creaturas.

Libe-



3. Distinctionibus his prę̃missis, attributa juris divini scitu imprimis necessaria problematis sequentibus explicamus. Sit ergo *Probl.* 1. An jus etiam locum habeat in bestiis. *Resp. Neg.* cum *Scholasticis supra cit.* Admodum autem ἀνυσολογίαις aut homonymiis ludunt illi, aut portẽta novarum opinionum procudunt, qui serio defendunt, aliquam naturæ legem bestiis à Deo inditam, ita ut generalem quorundam innocentiam singulorum generum naturę convenientem tum inter sese tum maximè erga homines servandam Deus ipsis præscripsisse videatur: atque adeo eas agnoscere Deum *Iob.* 12. *v.* 7. 8. 9. 10. peccare *Genes.* 6. 11. pœnam promereri *Exod.* 21. *Gen.* 9. 5. *Levit.* 20. 15. imaginem ac vestigium tum rationis tum voluntatis habere, sicuti scriptura passim judicat *Iesa* 1. *Ierem.* 8. *Iob.* 39. *& seqq. Proverb.* 6. &c. & Philosophi quidam ut *Plutarchus*, aliique jam pridem ostenderunt. Sic *Vorstius libr. de Deo p.* 7. & in *Parasceve Responsionis ad Piscatorem p.* 71. *& in Amica collat cum Piscatore sect.* 1. *&* 94. quę tamen primum per *aliquatenus* post per *impropriè & tropicè* more suo excusare conatur. Nuperrimè tenebrio quidam Remonstranticus in libro cui tit. fecit *Gymnas. Vltrajectin.* opinionem *Valesii de*

sacra

sacra philosophiâ c. 44.& 55. quâ statuit Brutis inesse rationem serio defendēdā suscepit: cui necessarię veritati secundum pietatem, aut cui bonę rei hæc moveat, nondum capio. Invenio hanc opinionem placuisse etiam Manichæis, teste *Augustin. de Hæresib.* & non male convenire hanc hypothesin thesibus Mahumetis de bestiâ Alborach, & vervecibus, quos mactant in Paschate, paradisum ingredientibus, ut habet liber dictus *zuna*; ut & deliriis Francisci Assissii & similium μελαγχολούτων, qui euangelium prædicabant avibus, piscibus, asino, lupo, quem postremum prædonem etiam à peccato suo convertisse dicitur idem Franciscus. Sed paradoxum hoc de brutorum ratione ex professo refutant hodierni omnes philosophi, & Theologi, qui videndi; & nos verbo perstringimus *Disput. de Creatione.* Accedat consensus veterum *Basil. orat.* 3. *in Adam. Augustin. de quantitate animæ cap.* 27. 28. *Autor de Spir. & animâ cap.* 48. *Autor de Fide ad Petrum cap.* 24. *Gennadius Massil. de Eccles. dogm. c.* 17. *Damascen. de duabus Christi voluntatibns.* Porro jus divinum quomodo locum habeat in creaturis irrationalibus docent *Scholastici ad* 1. 2. *qu.* 93, *art.* 4. dicentes legi æternæ eas esse subjectas non per cognitionem & judicium, sed per naturalem tantum inclinationem; non liberè sed necessario; hinc est quod impropriè dicantur obligari, non propriè, (nam ubi non est libertas, ibi non est obligatio sub peccato); atq; adeo lex æterna earum respectu propriè non habeat rationem legis. Applicari huc potest distinctio philosophica, quâ irrationalia dicuntur moveri à fine sibi convenienti, & in eum per destinata media tendere aut dirigi *materialiter*, non formaliter sub ratione scil. finis, & mediorum. Iurisconsultorum definitio juris naturalis, *quod natura omnia animantia docuit*, ab ipsis, ut & Scholasticis ac Casuistis, & ex illis ab *Amesio lib.* 5. *c.* 1. *qu.* 3. satis congruè explicatur. Cum quibus conferri potest *Bachovius in cōmentar. ad Institutâ. Probl.* 11. An jus naturale divinum à nobis propositum, idem sit cum jure naturali Iurisconsultorum. *Resp. Minime.* Est enim hoc jus subjecto & objecto merè humanum (quamvis ortu divinum), & symbioticum, pertinens ad societatem humanam quatenus illa respicit vitam naturalem & animalem; atque adeo est jus hominis in hominem, aut hominis in rem quamcunque, sed non nisi in ordine ad alium hominem. Illud vero est *primo* jus divinum reflectens in Deum. *Deinde* jus inter Deum & creaturas, *Tertio* ex divinâ potestate in creaturas dispositio & obligatio rationalium ad officia erga se mutuo & erga alias creaturas. Itaq; hoc illo cōprehenditur non vice versa. *Probl.* 111. An nostrum jus naturale divinum idem sit cum naturali illo, quod Scholastici, & ex iis *Becanus Theolog. Scholast. tract. cit. c.* 1. *qu.* 2. describunt: Quod sit jus, cujus obliga-

tio oritur ex natura rei, & inde se diffundit in præceptum. Et *qu.* 7. ait: Obligationem legis oriri ex ipsa rerum natura, si lex sit naturalis *Resp. Neg.* 1. quia Membrum hoc distinctionis Scholasticæ non exhaurit nec exprimit totum illud, quod de naturaliter necessario jure Dei secundum scripturas concipi potest: immo, ut alibi se explicant, supra limites Theologiæ, luminis & legis naturalis, seu κοιναὶς ἐννοιαις & syntereſin naturalem non ascendit. 2. quia non ostendit nec distinguit an natura illa rei, in qua jus ipsorum naturale fundatur, & unde obligatio oritur, dependeat ex natura Dei, an vero à decreto. 3. Quia consequenter non explicat aut ostendit fontem, ac primam radicem talis aut talis naturæ rerum, hoc est, non ostendit fundamentum fundamenti istius obligationis. Atqui hoc non ostenso, mens nostra non acquiescit, sed hæret in eadem quæstione & dubio: Cur ex.gr. hoc aut illud præceptum est juris naturalis magis quam aliud? Si dicas, quia ibi natura ipsius rei dicit honestum aut inhonestum? Si instem: Quare? & unde certus es? *Respondebis*, quia natura ab illo ut turpi & indecoro abhorret, & ratio naturalis contrarium dictat. Hic ultima est analysis in lumen naturale homini cuique cum natura divinitus implantatum: quod certè secundarium est principium, & unde conclusionum deductio, imprimis earum quę à primis principiis practicis remotiores sunt, sæpè fallacissima est: nisi scriptura ejusmodi primis secundisque principiis & conclusionibus (quod sæpè facit) exsertè attestetur. Quomodo ergo philosophi cum Theologis non contenti sunt distinctionem necessitatis & contingentiæ proponere: sed insuper radicem & originem utriusque investigant: ita etiam in hac quęstione de jure atque æquitate naturali agendum putamus. Nostram vero distinctionem ita explicatam defectibus & dubiis omnibus paulo plenius satisfacere si non confidamus, saltem velimus. *Probl.* IV. An ergo axiomata practica & præcepta omnia, quæ lumine naturali innotescunt aut certo demonstrari possunt, sint juris divini naturalis & absolutè necessarii: ita ut si oppositum eorum præscribat aut permittat Deus implicaret contradictionem. *Resp. Neg.* & exemplum dari potest: in conjugio inter fratres & sorores: occisione filii innocentis, quorum oppositum concessit & mandavit Deus: addi posset ex sententia præstantissimorum theologorum *ἀυτοφωνία*, quam peculiari instinctu & mandato divino à Simsone peractam censent: quæ tamen in se, per se, ordinario, & communiter indecora, turpia, inhonesta esse dictat & percipit ratio naturalis. Sed quæres, unde deducit ratio naturalis nisi ex necessitate naturę divinę & juris divini simpliciter immutabilis. *Resp.* Dici potest, deducere hoc ex revelatione juris divini non tantum naturalis

sed

sed & liberi ac positivi, & consequenter hypotheticè immutabilis, ante lapsum homini facta in Adamo; cujus scintillæ & reliquię aliquæ remanserunt post lapsum. Dicatur ergo Deum revelasse Adamo has leges juris positivi de monogamia, *Mat.* 19.4. de gradibus prohibitis &c. Et hanc cognitionem per lapsum non plane exstinctam esse, ut nec inclinationem naturalem ad talem legem ex illo jure profectam & homini latam: aut fugam naturalem & aversionem ab ejus oppositio *Probl.* v. An jus divinum naturale idem sit cum lege æterna Scholasticis ita dicta. *Resp.* Lex æterna notare potest. 1. *regulam* quamvis practicam necessarię & æternæ veritatis, ad quam naturaliter obligamur, ut ex. gr. Deum esse colendum, parentes honorandos, nemini faciendam injuriam: hę regulæ quia leges immutabiles sunt, dicuntur æternæ. 2. actum divinę mentis quo concipit & judicat regulas illas servandas esse à creatura rationali, cum voluntate eam obligandi: qua notione accipit *Thomas qu.* 93. *art.* 1. *Neg.* de lege æterna in prima acceptione: Quia multæ sunt regulæ practicæ quæ quidem sunt veritatis æternæ & hypotheticè necessariæ, quas tamen Deus aliter potuisset voluisse & nobis præscripsisse: quæque consequenter non sunt juris naturalis divini. *Neg.* itidem de lege æterna in secunda acceptione: quia indifferens voluntas obligandi hic intercedens & præcedens immo constituens bonam hujus legis partem, ostendit esse jus liberum quod ad illam partem, non vero naturale, & absolute necessarium ex necessitate naturæ divinæ. Cum ergo omne jus naturale divinum ad extra, sit legis æternæ, sed viceversa omnis lex æterna nõ sit juris divini naturalis ad extra: sequitur non reciproçari jus hoc divinum cum lege æterna, nec esse ἰσοδυναμοῦντα. *Probl.* vi. An omnia præcepta moralia quæ ad decalogum pertinent, sint juris naturalis? *Resp. Scholastici* communiter affirmãt ad 1. 2. *qu.* 94. *art.* 4. & 5. sed per jus naturale intelligunt jus divinum immutabile si nõ absolute, saltem ex hypothesi voluntatis & mãdati divini, cujus veritas nobis natura innotescit: quod propterea dicũt in se esse immutabile, ut nec abrogari possit, nec desinat obligare. Nos cõtra *Neg.* prout jus naturale supra explicuimus. Et sic ad jus divinũ liberum referimus, cultum externum & institutum tum cõmunem V. ac N. Test. tum proprium N. T. de sacramentis sc. de ecclesia visibili & instituta, etiã regulas quasdã speciales circa 5. 6. & 7. & 8. præceptum. Quod inde colligimus, quia Deus potest mandare ut quis propriam ducat sororem (quod necessario factum fuit in prima generis humani propagãtione): & sororem viduam fratris sui *Deut.* 21. potuisset etiã non instituere monogamiam. Potest mandare ut quis occidat filium innocentem, *Genes.* 22. item ut judex politicus capitali pœna afficiat filios innocentes pa-

tris transgressoris *Iosuæ* 7. & *Numer.* 16. Potuisset in primæva integritate constituisse genus humanum absque Magistratibus; & certe eum actu ita constituisse disputant Theologi non ignobiles. Adhæc potuisset ab initio cõmunionem bonorum injunxisse, siquidem non injunxerit. *Probl.* VII. An ergo ullum præceptum legis naturalis possit deleri de cordibus hominum? *Resp.* Legem naturalem communi notione Scholasticorum hic accipimus, & sic de præceptis ejus communibus *Neg.* (qualia sunt, bonum est faciendum, malum fugiendum: Deus est colendus, quod tibi fieri non vis alteri ne feceris, & si quæ his similia.) Principia prima quod ad habitum nunquam exstinguuntur: quamvis quod ad Praxin & exercitium seu actualem cognitionem & intuitum, eorumque exsertionem & usum ad axiomata practica proximè, propinquè, remotè inde deducenda, & factis ac conscientiæ factorum applicanda res aliter se habeat. Sed de præceptis particularibus inde deductis *Aff.* ex *Rom.* 1. 21. *Ephes.* 4. 18. & universali experientiâ. Vide *Scholast. ad Thomæ qu. cit. art. 6. Probl.* VIII. An Deus de præceptis juris naturalis dispẽsare possit? *R.* Hic præmittẽdæ sunt distinctiones terminorum. *Dispensatio* est, quando in aliquo casu, quo revera viget & obligat lex, tollitur obligatio legis ab aliquo homine particulari; reliquis manentibus obligatis. *Declaratio*, seu *interpretatio* legis est, quando declaratur in aliquo casu legem non obligare. Nonnulli hæc cõfundunt sed perperam. Vide *Valentiam qu. 4. de legibus puncto 6.* Et *Azorium lib. 6. Institut. cap. 1. qu. 3. Vasquez. in 1. 2. disp. 178. c. 2. Irritatio* est, quando lex aboletur antequã perfectè obligat. *Privilegium* est, quando quis excipitur ab obligatione legis communis. *Abrogatio* est, quando lex quæ jam perfectè obligabat, simpliciter aboletur & tollitur. *Derogatio*, quando ex parte tollitur, ex parte manet. Distinguunt & vulgo præcepta legis naturalis in tres ordines. Vt quædã sint universalissima principia, ex. gr. Malum faciendum non est, & bonum prosequendum. Quædam conclusiones immediatæ, & dictis principiis intrinsecè conjunctæ, & talia sunt omnia prȩcepta decalogi. Quædam sint à principiis illis, & ab ipso decalogo magis remota, ex. gr. de polygamia, de non ducenda uxore fratris &c. Sic *Zwarez lib. 2. de legibus cap.* 15. Scholastici in varias abeunt sententias. Sunt qui statuunt Deum in omnibus præceptis decalogi posse dispensare, ut *Occam*, *Gerson*, *Aliaco*, *Almaynus*; quod scil. peccata adversus hanc legem ideo solum sint mala quia Deus prohibuit. Alii in omnibus prȩceptis secundę tabulę ut ex parte in quarto præcepto, ut *Scotus*, *Gabriel*, qui idcirco præcepta illa eximunt à lege naturali rigidè sic dicta. *Durandus* & *Io. Major* negativa decalogi præcepta faciunt indispensabilia. Sed *Durãdus* excipit quintum præceptum, & sextum cum aliqua distinctione: ita ut

utrum-

utrumque faciat dispensabile. *Thomas* 1.2.*qu.* 120.*art.* 8. cum multis aliis *Altisiodor. Richardo, Paludano &c.* omnia præcepta decalogi esse simpliciter & absolutè indispensabilia, etiam per potentiam Dei absolutam; & hanc sententiam quasi communem defendit *Zwarez loc. cit.* Ratio hæc est quia continet intrinsecam rationem justitiæ & debiti, inquam, non ut procedit à lege tanquam effectus ejus, sed ut provenit ex intrinseca proportione inter objectum & actum comparatum ad rectam rationem, seu naturam rationalem. Nam lex naturalis prohibet ea, quæ secundum se mala sunt, quatenus talia sunt, & ideo supponit in ipsis objectis seu actionibus intrinsecum debitum, ante omnem legē externam, ut non amentur seu fiant; & contra præcipit bona quatenus intrinsecam connexionem & necessitatem habent cum natura rationali. Quæcunque hic objiciuntur de mutatione præceptorum ex autoritate Dei, ut *Genes.* 21. *Hos.* 1: *Exod.* 12. respondent Deum propriè non dispensare de præcepto, nec mutare præcepta formaliter ita dicta; sed immutare præcepta materialiter, hoc est, ut propriè loquamur ipsam materiam, & rem, seu actionem circa quam versatur præceptum. Et hoc facit non tanquam legislator, ad quem pertinent jus νομοθετικὸν & dispensativum, sed tanquam dominus, qui potest dominia mutare vel concedere. Sic ex.gr. Non dispēsavit de lege furti, nec Israelitis mandavit furtum; sed tanquam supremus dominus per suum dominium mutavit dominium humanum, & bona Ægyptiorū subjecit potestati Israelitarum; & sic nulla ratio furti ibi locum habet. Si qui verò autores cum *Bernardo de præcepto & Dispensatione c.* 5. hic pofuerint dispensationem, eos ajunt impropriè locutos, & exponendos, ut jam dictum est. Et hęc quidem sententia hactenus non displicet. Sed manet ulterius inquirendum quod sit fundamentum intrinseci debiti in ipsis actibus aut connexionis & necessitatis eorum cum naturâ rationali; & an omnia præcepta decalogi (quo nos, quidquid est morale referimus) sint juris naturalis divini; & simpliciter necessarii, ita ut nō tātum præceptum naturale homini inditum ex hypothesi constitutę nunc naturę impossibile sit mutari, sed nec ipsam materiā, seu actus, circa quos prȩceptum versatur? Breviter quærendum est, an actus intrinsecè mali, materialiter sumpti per autoritatem Dei prȩcipientis honestari possint, & deformitas eorum ab iis separabilis sit, quia scil. honestas aut turpitudo ejus pendeat à dominio Dei. De tribus primis præceptis decalogi quod ad negativum eorum, hoc absolute statuendum est. Neq; enim potest Deus sine abnegatione sui ipsius relaxare præcepta illa, aut creaturæ rationali cōcedere ex.g. ut Deū odio habeat, blasphemet, aliū Deū colat &c. De primo & tertio, quod ad affirmativum eorum & actus cultus naturalis, idem

ſtatuendum; ſic ex.gr. non poteſt concedere aut diſpenſare, ut Deum non colat, non amet, ei non credat, nomen ejus non ſanctificet. Sed de ſecundo præcepto dubitatur; 1. an omne negativum ejus per mutationem materiæ præcepti aliquâ ratione mutari poſſit: ex. gr. an Deus poſſit ſimilitudinem aliquã ſui qualemcunq; aut ſignum materiale exhibere; per quam pictam aut efformatam homini illi, cui eam exhibere dignaretur, licitum eſſet in poſterum Deum colere. 2. dubitatur an affirmativum ejuſdem præcepti ſi exponatur eſſe cultus inſtitutus, Deus abſque implicatione cõtradictionis ita mutare poſſet, ut aliquis nullo cultu inſtituto ſive V. ſive N. teſtamenti teneretur. Nos non videmus alterutrum, ſi dicatur, implicare. Ac prius quidem colligimus tum ex ſignis ſeu imaginibus extraordinariis, ut columbæ *Matth.* 3. tum ordinariis, ut cherubinis, & arcâ fœderis cum propitiatorio. De Quarto præcepto, ſi determinatam, & ordine recurrentem ſpeciem temporis eo deſcribi dicimus (ut quidem ego malo dicere) abſque ulla dubitatione ſtatuendum, eſſe illud juris divini poſitivi. Quod autem *Zwarez* ad quartum præceptum determinat non implicare contradictionem, ſi Deus homini licentiam daret per omne vitæ tempus, immo per totam æternitatem nullum bonum motum circa ipſum exerere, neque cultum aliquem directum & proximum exhibere, illud ſatis crudum & curioſum mihi videtur. Siquidem cultum & motum externum intelligeret, utique poſſemus in medio relinquere: ſed motus internus ſi intelligatur, malim cum Thomiſtis nonnullis ſentire hoc non poſſe fieri, nec per propriam diſpenſationem, nec per mutationem materiæ: Quæ etiam videtur eſſe ſententia *Gregor. de Valentia diſp. tom. 2. diſp. 7. qu. 4. puncto 6.* De præceptis ſecundæ tabulæ diſquirendum, ſintne ea juris divini poſitivi: & conſequenter poſſitne materia eorum mutari abſque implicatione. Zvvarez ibid. affirmat: *excepto nono de Mendacio, in quo* ait *fortaſſe eße ſpecialem rationem, vel quia etiam reſpectu Dei ipſius malum ſit, vel quia de ſe non limitatur ad materiam creatam, nec pendet ex dominio Dei in illam, vel in perſonam: ſed in quacunque materia & de quacunque perſona dici poteſt, vel denique quia ejus deformitas non dependet ex alio dominio vel divino jure, ſed ſtatim oritur ex diſſonantia verborum ad mentem.* Sic ille. De Quinto præcepto non exigua difficultas eſt, an ſcil. honor parentum quà talium poſſit mutari & aboleri; ita ut non implicaret contradictionem, ſi omiſſionem hujus actus, aut contrarium Deus alicui præſcribat. *Durandus* cum ſuis affirmat; hâc ratione, quia ut á materia reliquorum ſecundæ tabulæ ita & quinti præcepti poteſt auferri debitum: eſt enim dependentia hominis unius ab alio ſeparabilis à quocunque, ſola dependentia à Deo nullo modo eſt

ſepara-

ſeparabilis. Sed opponit Zwarez, inſeparabile eſſe debitum honorandi parentes à filio, ſuppoſita procreatione per tales parentes. Et certe malim in hãc partẽ inclinare, immo & addere, juris divini naturalis eſſe præceptũ illud generale, quod homo teneatur diligere hominẽ. *Probl.* VIII. An lex naturæ ſit mutabilis, de quo diſputant ad *q.* 94. *art.* 5. & 6. *Reſp.* 1. eſt per additionẽ. Sic Deus poſſet nova ſpecialia præcepta addere: quomodo de facto addidit ſi nõ præceptum ſpeciale ſeu explicitum, ſaltem novã præcepti explicationem, extenſionem, applicationem: *Crede in Chriſtum mediatorem*: quod tamen virtualiter & implicitè, ſeu quod ad genus, ſub primo decalogi præcepto continetur. 2. Non eſt per ſui deſitionem, quod ad univerſaliſſima præcepta, etiam quod ad præcepta particularia, ut ſcil. illa univerſaliter amplius non obligent: poſſunt tamen nonnulla modo recenſita in particulari caſu & quoad aliquem hominem mutari materialiter ſc. ita ut ſtatus objecti ſeu actus, circa quem verſatur præceptum, mutetur: ut modo dictum eſt. 3. Non eſt mutabilis ex parte ſubjecti, id eſt naturæ humanæ, ſeu naturalis ſyntereſios, in quà tanquam in ſubjecto eſt & permanet habitualiter. Hoc eſt, nõ poteſt deleri ex mẽte humanâ ſaltem quoad univerſaliſſima principia, & quoad particulariũ principiorum, & præceptorum radicem, ſyntereſin ſc. Conf. *diſp. de Atheiſmo part.* 2. & 3. *Probl.* IX. An juris præcepta rectè conſtituantur, honeſtè vivere, alterum non lædere, ſuum cuique tribuere. *Reſp.* Sunt qui negant; inter quos *Ameſius lib.* 5. *Caſuum cap.* 1. *qu.* 5. Rationes apud ipſum vide. Mihi tamen videtur non malè hoc dici: ſiquidem intelligas, ut intelligi videtur, jus hominis ad hominem. Sed de his aliiſque quæſtionibus in loco comm. de *Legibus*: & ad ſecundam decalogi tabulam, de *Iuſtitia & Iure*, agendum eſt. Rejicimns 1. *Occamum in* 2. *qu.* 19. & *Aliaco in* 1. *qu.* 14. qui ſtatuunt actum odii Dei poſſe rectè fieri, & à Deo pręcipi, ut & alia quævis contra legem moralem. 11 *Panormitanum* & quoſdam ejus ſectatores, qui ad *capitul. ultim. Extravag. de Conſtitutionibus* ſcribunt *jus naturale poſſe ex causâ tolli*, ab humana ſcil. autoritate. Sed de poteſtate diſpenſandi circa jus divinum, quam Canoniſtæ tribuunt Papę Romano, alibi diſputandum.

Probl. X. An repugnet juri divino naturali, ſi præcipiat peccata. 4. *Reſp. Aff.* & rectiſſimè annotatum à *Cajetano ad* 1. 2. *qu.* 100. *art.* 8. voluntatem divinam, etſi non ſit abſolutè determinata, ut velit aliquid extra ſe, aut ut velit hominem aliquid agere; eſſe tamen neceſſario determinatam, ut ſi velit hominem aliquid agere, velit ipſum bene & convenienter ſuæ naturæ agere: eſt enim voluntas ejus rectiſſima, fons & regula omnis bonitatis, immo eſt prima bonitas: haut aliter ac

Deus

Deus non potest docere falsum, nec velle seu præcipere, ut homo per se aut per alium fallatur, quia est prima & summa veritas. Sed hæc controversia infra in *appendice* ex professo agitabitur. *Probl.* XI. An sit juris divini naturalis & antecedat omnem voluntatis actum, præmium vitæ æternæ debitum in veteri fœdere ante lapsum cum homine inito. *R. Neg.* Neque enim probari potest implicare si Deus hominem creasset absque promisso hoc præmio: Deus enim ad præmium nemini est obligatus. *Rom.* 11.35. nisi ex præsuppositâ liberâ voluntate, & promissione. *Probl.* XII. An permissio peccati sit juris divini positivi; an vero Deus ad non permissionem seu impeditionem naturali jure & necessario obligetur. *Resp. Pr. A. Post. N.* Idque à posteriori ex ipso effectu colligimus. Deus enim de facto permittit peccata. Atqui hoc non facit præter aut contra jus & potestatem suam. *Probl.* XIII. An gratia conservans ac confirmans, angelis, (qui eam habuerunt) & hominibus (qui eam non habuerunt) in primâ creatione fuerit debita. *Resp. Neg.* Idem etiam dicendum de gratia instaurante, ut & de præparatione ad gratiam & gloriam. Quæ omnia desumuntur ex *Rom.* 11. *v.* 25. 36. cum 9. *v.* 18. 20. 21. *Probl.* XIV. An jus divinum naturale requirat, ut Deus hominem condat cum prætensâ voluntatis naturali libertate independente, qualem fingunt antiqui & recentiores Pelagiani. *Resp. Neg. Probl.* XV. An jus divinum tum naturale tum positivum postulet pœnas peccatis debitas, & consequenter non possit ea remittere absque satisfactione. *Resp.* De jure positivo Antagonistæ Socinianorum minime dubitant: idque ex *Rom.* 1. *v. ult.* & 2. 8. 9. 2. *Thess.* 1. 6. 7. *Hebr.* 2. 4. *Iesa.* 43. *Habac.* 1. *Iesa.* 1. *Exod.* 32. satis constat. Et hactenus sufficit credere, non posse Deum abnegare aut veritatem, aut jus suum positivum scil. (cujus sensum & notitiâ humanæ menti una cum lege naturæ impressit *Rom.* 1. *v. ult.*) Ita stat argumẽtum nostrorum cõtra Socinum pro necessitate satisfactionis secundum æternum & immutabile jus Dei. An autem jus hoc dici possit naturale, & necessitatis absolutæ, nec Deus aliter ab æterno concipere ac decernere potuerit, non æque liquet. Ego malo in partem affirmãtem inclinare; præsertim cum nullæ rationes cogãt nos ad oppositam. Sed de hoc infra, *thesi* 2. *de Iustitia Dei. Probl.* XVI. An jus divinum sive liberum sive necessarium postulet, ut ipse peccator pœnas luat; & sic dationem sponsoris, ejusque satisfactionem excludat? *Resp. Neg.* idque conditiones novi fœderis, & eventus à posteriori demõstravit. Frustra itaq; propter substitutionem spõsoris nostri pro nobis fingitur remissio aliqua de jure Dei, aut Dispensatio, aut relaxatio, ut nonnulli loquuntur. Nihil tale hic locum habet; sed tãtum divini juris & latæ legis interpretatio, quam facit novum fœdus & Euangelium, juxta

Rom.

Rom. 3.24.25.26.& 8.3.coll: cum *Iacob.* 4.12. Et sic nihil decessit juri divino *Rom.* 3.29. Nam declarat Deus jus suum tanquam summi Rectoris & domini esse, aut in ipso peccatore pecatum vindicare; aut in ejus sponsore, & sic peccatorem impunitum dimittere. Quantum autem differant juris dispensatio seu relaxatio, ab interpretatione: docent scriptores de legibus à nobis cit. Nulla hic est mutatio legis intrinseca aut in se per abrogationem, aut dispẽsationem à Deo legislatore quà tali factam: sed solummodo extrinseca per appositionem seu additionem sanctionis & revelationis euangelii ad revelationẽ legis operum Rom. 3.29. 30.31. strictè ita dictã, quã credere tenemur per subsumtionẽ legis fidei sub lege obediẽtię generaliter acceptę, & illius ex ista eductionẽ: posita scil. euãgelii & gratuitæ Dei promissionis revelatione, & consequenter mandato ut homo ei credat. In omnibus enim Deo loquenti fidem adhibere tenetur. Mutationi autem legis modo dictæ præsupponitur gemina mutatio una objecti circa quod versatur legis maledictio & executio, Christi scil. qui in se cum esset justus, factus est peccatum & κατάρα atq; adeo justissimè legi pœnali subjectus fuit; altera mutatio fuit nostri, à quibus cẽsitis in spõsore nostro debita omnia ablata fuerunt, & in illum translata. Et hic actus substitutionis fuit Dei non qua legislatoris, sed qua supremi Rectoris & domini. Quod autẽ quidam (inter quos *Grotius de satisf. c.* 3.) hunc actũ legis pœnalis relaxationem & dispensationem indigetãt, id impropriè dici putamus: quo modo *Greg. de valen.*, *Zwarez. modo cit.* rectè observant *Bernardum*, & *Thomam* impropriè loqui in *quæst. de Dispensatione legis naturalis.* Nam propriè hoc dici non potest: nisi ostendatur esse hanc sanctionem legis pœnalis idque ex iure Dei naturali aut positivo: *Ipse peccator in persona, & nullus sponsor pro illo luat.* Coroll. *Rejicimus Socinianos asserentes legis divinæ per euangelium abrogationem & derogationem.* Sic *Crellius de satisfact. contra Grotium c.* 3. *Probl.* XVI. An repugnet juri & justitiæ Dei, ut peccata nostra in alio, & quidem innocente ac justo puniantur. *Resp. Neg.* contra *Socinum de Servat.* Ejusque *Hyperaspistem Crellium libr. cit. c.* 4. Conferantur Antagonistæ Socinismi. *Probl.* XVII. An fuerit immutabilis juris divini, ut sponsor noster esset Deus, & homo. *Resp.* Ex *Heb.* 2. 17. aliisque locis cum *catechesi* nostra *quæst.* 16.17. inclinare malumus in partẽ affirmantem; tanquam tutiorem; & hæresi Socinianæ fortius contradicentẽ. Sunt ex Orthodoxis qui aliter sentiunt, inter quos *Calvinus* & *Beza* secuti hâc in parte *Augustinũ*. Nos cẽsemus *catechismi* nostri sententiam tutiorẽ esse. Depẽdet hęc quæstio ab alia priori an infiniti valoris satisfactio requisita fuerit? *Probl.* XVIII. An fuerit de eodẽ jure Dei, ut esset homo justus. *Resp. Affirm.* cum eadẽ *catechesi*, quæ cum cõmentatorib. suis rationes adfert ibi legendas. Quib. accedit & ista, quod posito eã fuisse & debuisse

esse Deum seu personam divinam, non potuerit ea assumere humanam naturam peccatricem. Contra quam satis profanè disputant Scholastici, alibi refutandi. *Probl.* xix. An debuerit esse secunda persona Dietatis? *Resp.* congruitates hic adferri solent: sed de necessitate non liquet. Malumus, ergo hic ἐποχήν; & quæstionem hanc inter curiosas numerare. *Probl.* xx. An omnes species pœnarum, quas sustinent homines pro peccatis, ferre debuerit, an vero sufficerit adæquatio, & compensatio per pœnam æquivalentem *Resp. Post. Aff. Probl.* xxi. An fuerit juris immutabilis, an vero liberæ voluntatis divinæ, quod Christus extensive tot tantasque pœnas ad satisfactionem pro nobis subierit? *Resp. Post. Aff. Probl.* xxii. An jure Dei immutabili naturali, an vero positivo Christus debuerit mori? *Resp. Post.* ad minimum affirmandum cum nostrâ *catechesi qu.* 40. *Pr.* etiam videtur innui *qu.* 11. Sed non ita liquet, & potest in medio relinqui. *Probl.* xxiii. An Christus in humanâ naturâ ex naturali jure fuerit subjectus legi & consequenter non tantum pro nobis, sed etiam pro se obedientiam præstiterit. *Resp. Aff.* De hoc ex professo disputatur in loco *de Justificatione*, ubi de imputatione obedientiæ Christi. Vide *Gomari disp de materiâ & formâ Justificationis* imprimis *Tilenum in syntagmate tom.* 2. *disp.* 4. *Probl.* xxiv. An in actibus religionis formaliter & proprie ita dictis locum habeat jus divinum permissivum: illudque per se sufficiat ad tales actus homini imponendos? *Resp. Neg.* De quo agendum in loc. comm. *de Traditionibus*, *de Autoritate Ecclesiæ in fidei dogmatis*, *de Ceremoniis & adiaphoris*. *Probl.* xxv. An Deus absque peccati præviśi tanquam causæ aut necessarii antecedentis sui decreti interventu posset aliquem reprobare. *Resp. Aff.* cum *August. de prædest. & gratia c.* 16. Atque ita statuunt *Arimin. in* 1. *dist.* 40. & 44. & *Aliaco in* 1. *qu.* 12. *art.* 2. & 3. *Iavellus tom.* 1. *quæst. de causa prædest. Viguerius Instit. c.* 20. 58 *Iacobus Andr. in colloq. Mompelgard. pag.* 508. *Flacc. Illyricus*, *David*, *Rungius*, *Georgius Major. in Rom.* 9. Et de facto sic reprobasse sentiunt ex nostris Theologi quiq; præstantissimi *Beza*, *Marloratus*, *Danæus*, *Martyr*, *Wittakerus*, *Perkinsus*, *Zanchius*, *Piscator*, *Ursinus*, *Hubertus Sturmius*, *Gomarus*, *Chamierus*, *Scharpius*, *Ferrius*, plureśq; alii alibi nominandi: quorum sententiâ nuper explicuit & defendit *Guil. Twissus contra Arminium c.* 2. *digress.* 8. cujus liberum publicè approbavit Remõstrantismi malleus *Guil. Amesius*. Ante Twissum idem præstiterat *Franc. Iunius in collatione cum Arminio*; sed adhibitâ conciliatione & distinctione reprobationis negativæ & positivę. Conciliationem reprobationis absolutæ quæ ascendit supra lapsum, cum ea quæ subsistit in lapsu docte & perspicue instituit *Maccovius part.* 1. *locor. comm. disp.* 27. Vbi vide *thesi penult.* Vnum est loquẽdi genus de destinatione peccati,

cati, aut hominis ad peccatū: quod mutari malimus, ut dicatur destinata permissio peccati tāquā medium fini subordinatum. Vide & cōciliationes D. *Spanhemii*, & D. *Revii in disp. de prædestinatione*. Anno 1644. Lugd. Batavorum propositis. *Calvinū* cum distinctione duas illas sententias tāquam sibi subordinatas atque adeo minimè pugnantes tradidisse certissimum est: quamvis nonnulli viri docti contra contendant, eum supra lapsum non ascendisse. Sed credendum est Bezam præceptoris & collegæ sui mentem optimè percepisse; nec dubitare nos sinunt ipsius *Calvini* verba *Institut. lib. 3. cap. 21. §. 5. & cap. 23. §. 7. 8. & cap. 24. §. 12.* & in *commentar. ad Rom. 9: 18.* & in *tract. de æternâ Dei prædestinatione*. Et in *respons. ad calumnias Nebulonis ad artic. 1. Cōfessio Gallica & Belgica* objectum prædestinationis lapsu Adami non circumscribunt. Quod autem adversarii Pelagiani de horrore illius sententiæ conqueruntur; id nos dimovere non debet ab ingenuâ veritatis confessione & defensione. Neque enim unquam per remissionem aut descensum aut emollitionem in hoc negotio quemquam eorum ad nostras partes attractum videas; sed contra ex nostris subinde aliquem per hanc dimissionem seu descensum ad ipsorum partes dilapsum: inter quos *Daniel Tilenus* (cujus *syntagmatis* prior editio cum posteriori conferenda) & alter in Germaniâ quem hic non nomino, quia in adversariorum sententiam planè & apertè non transiit, qui prius sententiam supra lapsum animosè tutatus erat contra virulentas adversariorum calumnias; sed postea nescio quibus considerationibus adductus infra lapsum descendit, & vix ibi substitit. Sunt & alii quibus ob metum & in gratiam calumniantium adversariorum, συγκαταβάσεις & emollitiones duritiei (uti loquuntur) sententię de prędestinatione, primum soliditatem ac eruditionem, deinde & orthodoxiam ex parte attriverunt; ita ut se & alios perplexitatibus, contradictionibus aut saltem umbraticis logomachiis involverint. Quod autē adversarii Neo-Pelagiani tam horridam & odiosam proclamant hanc sententiam id terrere nos non debet: scripturis enim & rationibus hic agendum, non verbis & clamoribus. Ponam hic singula hujus decreti momenta, secundum ordinem naturæ generantis & intendentis concipienda, ut adversarii si possint absurditatem unius ex illis in se, aut singulorum inter se connexionis evincant. Deus reprobavit N.N. negativè & positivè hoc est, decrevit, voluit, statuit, destinavit ab ęterno secundum beneplacitum suum 1. Eum creare. 2. permittere lapsum. 3. relinquere in lapsu & permittere finalem ejus impœnitentiam & infidelitatem. 4. Iustè illum damnare. 5. gloriam justitiæ suæ in illo ostendere. Cur injustum aut absurdum, quod Deus pro beneplacito suo statuit huic N. gratiam & gloriā

non cõferre,ſed peccatum ejus permittere, & propter permiſſum peccatum juſtiſſime eum damnare ad gloriam juſtitiæ ſuæ. Ne minimâ quidem ſpecie hic contradici poteſt, niſi prius ſolide probetur ex ſcriptura Deum homini debere gratiam & gloriam, nec poſſe pro abſoluta & ſuprema ſua poteſtate eum prę̃terire,ac ſibi relinquere,aut peccatum ejus permittere. Breviter niſi probetur eſſe ſimpliciter impoſsibile & implicare cõtradictionem, ſi tale quid vellet aut decerneret, ſicuti velle creare alium Deum, vel facere peccatum,velle mẽtiri &c.Si quę̃ras an ergò deus abſq; peccato ſeu abſq; ullo intuitu peccati ſive originalis ſive actualis prę̃teritos reprobavit,hoc eſt,decrevit nõ ſalvare ſed damnare ad gloriam juſtitię ſuæ. *R.*cum diſtinctione:Abſq; intuitu peccati tãquã cauſę meritorię & antecedẽtis illius decreti divini, cur hic minus eligeretur & magis reprobaretur quã ille:Cum intuitu peccati tanquã cauſę meritorię & antecedentis ipſius damnationis, & tanquã termini ſeu objecti (pro parte ſuâ)decreti divini, quo ſeu ſecundum quod permittit peccatum & deſtinat ad juſtã damnationem propter peccatum. Eſt ergo peccatum cauſa rei volitę, h. e. damnationis,ſed nõ eſt cauſa volitionis divinæ,ſeu Dei volẽtis;nõ magis quam fides quæ eſt cauſa inſtrumẽtalis juſtificationis noſtrę & ſalutis, ideo cauſa eſt electionis ad ſalutem.Diligenter hic notãdum axioma ſcholaſticorum: *Deus vult,hoc propter hoc,Sed non propter hoc vult hoc.*Sic Deus vult & decernit N. damnare propter peccatum. Quod ſi *τὸ propter peccatum* jungatur cũ *τῷ velle*;ſeu ponatur ſuper *τὸ velle aut decernere* Dei,dicimus eſſe falſum: quia decretum ſeu voluntasDei in ſe ſpectata nullam habet causã, nullum antecedẽs,nihil ſe prius; nihil à quo pendeat,determinetnr,limitetur,cõditionetur: quãvis res volita ſeu decreta una depẽdeat ab aliâ tãquã causâ aut conditione antecedente.Sed ſi *τὸ propter peccatũ* jungatur cum *τῷ damnare*,dicimus eſſe veriſimã.Sicuti Deus decrevit per fidẽ ſalvare Petrum aut Paulum : ut *per fidem* jungatur cum *ſalvare*,tanquam cauſa & conditio ãtecedẽs ſalutis;nõ vero cum *decernere*.In hoc ergo objecto reprobationis locum finis obtinet illuſtratio gloriæ juſtitię;locum mediorum 1.juſta dãnatio propter peccatum,2. eiq; proxime ſubordinata(ut pleriq; ſtatuunt) aut coordinata,ut ſtatuit *Tvviſſus*,permiſsio peccati. 3.quam præcedit, & cui in ordine decreti ſubordinatur creatio hominis. Hanc enim ex ſerie prædeſtinationis excludere nõ poſſunt,qui illa axiomata nobiſcũ retinẽt: Deum nihil velle, nihilq; agere fruſtra ſed certo fine:Deum ſuâ intẽtione non excidere:Finem eſſe primum intẽtione,& ultimum excutione.Quod ſi omnem veritatem non ponunt & exhauriunt,aut propter adverſarios abſtinere malunt,omittendo partes aut momẽta quędam in objecto prædeſtinationis ; facile ferimus eos ſuo frui judicio,& hic ſubſiſtere : modo

teme-

temere non cõdemnetur ſententia tot ac tãtorum theologorum, qui ſupra lapſum aſcẽdunt; præſertim cum ſuperiorem illum aſcẽſum præſcindere, nedum juxta cum aliis heterodoxiis & periculoſis acurologiis rejicere & condemnare noluerit celebris ſynodus Nationalis Dordracena an. 1618. 1619.; quamvis communem ſententiã de electione ex lapſo genere humano, propoſuerit: ad vindicias communis (etiã laicorum) fidei de ſolida Dei gratiâ & abſoluta eius volũtate cõtra Hypotheticos & liberi arbitrii patronos. Neo-Pelagiani ut orthodoxæ ſentẽtiæ odium cõcitent, ſubinde voci *reprobationis* ſubſtituunt vocem *dãnationis*: quin immo cõtendunt perinde eſſe ſive quid dicas de reprobatione ſive de dãnatione. Sed illis reponimus, pari ratione dicẽdũ eſſe, nõ diſtingui decreta Dei ab executione & perinde eſſe ſive quid dicas de decreto ſive de executione: e.g. decretum creãdi mundum eſt ab æterno, ergo & creatio mundi: & viceverſa creatio facta eſt in tempore, ergo & decretum creationis. Nullum adhuc eſt judicium extremũ, actualiter ſc. exiſtens: ergo nullum eſt judicii extremi decretum divinum. Quæ omnia ſunt abſurdiſſima. Sed ſentẽtię hujus ſuperlapſariæ (uti loquuntur Remonſtr.) innoxiã & ſanctã veritatem nullo ſcripturę dicto, nullo ſanioris philoſophię axiomate aut ratione hactenus expugnatã aut expugnabilẽ facile videbũt juniores, ſi modo ab exclamationibus & πάθεσι rhetoricis ad λόγους & præciſa argumẽtationũ pũcta adverſarios ſuos revocẽt. Rever. & doct. editiores operum ſummi Theologi & præceptoris noſtri Fr. Gomari, habebunt forte occaſionem accuratiſſimos ejus de hac quæſtione conceptus cum cygnea cantione paucis diebus ante obitum ad calamum dictata evulgandi, & ab impugnationibus ſeu inſultationibus cujuſdam malevoli, ſi quidem ulterius ſe prodat, vindicandi.

DE IVSTITIA DEI.

AD voluntatem Dei referuntur attributa duplicia *Priora* ſunt, quæ analogicè concipiuntur ad modum affectuum, ut amor, miſericordia &c. *Poſteriora* ſunt, quæ concipiuntur ad modum habituum, ut juſtitia, patientia, longanimitas &c. Inter hæc juſtitia aliquando concipitur, tanquã virtus univerſalis, & ſic idẽ eſt quod bonitas, ſanctitas, & puritas Dei. Aliquando tanquã virtus particularis; atque ita hic ſumitur & definitur, virtus Dei jus ſuum cuique tribuens. Eſtque vel in dictis vel in factis. Illa eſt cũ oratio aſſenſũ auditorum requirẽs & à nimo ipſius, & rectæ rationi, & rei conſẽtanea eſt: adeo ut in mandatis ſit æquitas, & enuntiationibus ſive dogmatũ, ſive promiſſionum aut minarũ veritas ac rectitudo. Hęc juſtitia etiã fides Dei dici ſolet 2. *Timoth.* 2. v. 13. & fidelitas *Hebr.* 10. *v.* 23. Et hac ratione in Hebr. Syriaca, Arabica lingua συνωνύμως uſurpantur, juſtitia, fides, veritas; ut alibi per occaſionem oſtendimus in *deſper. cauſa Papatus.* Cum quo convenit phraſis græca *Rom.* 3. *v.* 3. 5. 4. 6. 7. 1.

67 *Iustitia in factis* est merè distributiva (nam commutativa inter Deum & creaturas propriè nulla est *Thom.* 1.*q.*21.*a.*1.)quâ suum cuique,ut conveniens est, distribuit. Ejus objectum & effectus est jus δικαίωμα; objectum occupãs(qui & finis *cui*)est tum Deus ipse,seuDei gloria:tum creatura. Estque hæc duplex vel regiminis (seu creationis ac gubernationis judicandorum) vel jurisdictionis, seu judicii. *Illa est*, qua omnes suas actiones in creatione & gubernatione ad juris & rectitudinis suæ naturalis normam summâ æquitate instituit ac dirigit *Psal.* 33.4. adeo ut neque peccati aut injustitiæ alicujus autor sit *Iacob.* 1.13.1.*Joh.* 15. neque actionibus suis ullam declinationem à recto & justo admisceat. *Rom.* 3.5.6. coll.cum *Iacob.* 1.17.*Iustitia judicii est*, quæ secundum opera mercedem retribuit *Rom.* 2.6.7.8.9.10.*Ierem* 17.10.2.*Thessal.* 1.5. Estque hæc duplex vel remunerativa seu præmians secundum gratuitam promissionem erga bene agentes.2 *Timoth.*4.8.Vel correctiva erga malè agentes.Quam rursus possumus distinguere tripliciter in *castigantem* seu *emendantem* erga filios & amicos *Hebr.*12.5.6.7.8.9.10.11. In *præparantem*, quam & retrahentem ac reprimentem dicere liceat; erga electos nondum conversos, sive remotè sive proximè & ipso instanti ante conversionem *Act.*9. 3.4.quo referri potest *Ps.* 83.17. Denique in *vindicantem* seu punitivam propriè & strictè sic dictam, quam exercet erga reprobos.*Adjuncta* seu propria hujus justitiæ punitivæ sunt,1. quod Deo sit essentialis & necessaria (quomodo & reliqua Dei attributa) atque adeo realiter idem sit cum Deo. 2. Quod consequenter non dependeat à liberâ Dei voluntate: quasi scil. esset effectum aliquod voluntatis divinæ. 3. Quod sit attributum relativum: &, quod ad egressum sui, hypotheticum: neque enim in actum exit, nisi positâ creaturâ ejusque peccato: haut aliter ac misericordia respicit miseriam creaturæ, vel actualem, vel futuram vel possibilem. 4. Quod normam & mensuram externam nullam habeat, sed solum intrinsecum dominium,jus, & potestatem Dei:breviter Deum ipsum, ens & agens primum, perfectissimum. Hinc etiam rectè dicitur: Deus non vult aut agit aliquid, quia justum est: sed quia vult aut agit hoc, ideo justum est. *Effecta* ejus extra Deum sunt, *tum* lex pœnalis, & inde resultans jus seu δικαίωμα, tum pœna.Ius seu δικαίωμα,quod hic spectatur, distinguendum est, à jure quod in Deo spectatur, & quasi norma justitiæ illius. Hoc enim est immanens quid, realiter à Deo non distinctum: illud vero est emanans quid,& tanquam effectum extra Deum realiter ab illo tanquam causa distinctum. Hoc præcedit omnem legem sive naturæ, sive scriptam: illud vero eam sequitur, tanquam concomitans aut adjunctum, aut relatio ex eâ resultans. Hoc,quatenus naturale

est

est præcedit omnem voluntatem Dei, in signo sc. rationis seu in instanti naturæ: illud vero totum quantum est, eam sequitur, quippe una cum lege atq; imperio ex libero ejus decreto promanans. Porro hæc lex pœnalis, seu hoc δικαίωμα punitivum, quamvis essentialiter unum idemque sit, tamen propter additionem seu accessum legis fidei, seu fœderis novi, aliud est ante lapsum, aliud post lapsum. *Illud* tantum versatur circa legis moralis immutabilis, ut & symbolicæ de arbore vitæ; & scientiæ boni mali transgressionem *Gen.*2.17. *Hoc* verò circa transgressionem non tantum legis moralis sed & additamenti novi de fide & gratia Christi, quod vocamus euangelium. Hinc resultat debitum majus & extensivè & intensivè. Habet enim euangelium novas gratiæ promissiones in Christo mediatore: quæ faciunt novum objectum credibile, seu novã partem objecti credibilis. Hinc tenetur homo virtute fidei etiam in hoc objectum tendere; seu fidem suam ad illud extendere: quia Deus veritatem illam ipsi revelat & revelando fidem ejus mandat; atq; hominem ad hoc fidei officium obstringit. Estque posterius hoc δικαίωμα rursum vel veteris testamenti tempore ἐπαγγελίας, cujus formula *Deut.* 27. *v. ult.* *Exod.*20.5.7. Vel Novi Testamenti, cujus formula *Ioh.* 3. 19. 36. coll, cum *Hebr.*3.2.3.4. *Ioh.*15.22.23.24. & 26.*v.*8.9.10. Observandum autem non extendere se hoc δικαίωμα ampliatum (ita loqui liceat) ex occasione supervenientis novi fœderis, ad illos quibus non est revelatum: uti analogicè colligimus ex *Rom.*2.12. Alterum & ultimum effectum justitiæ punitivæ est *pœna*, quæ etiam per metonymiam metaphoricam *ira* dicitur. De qua peculiari loco communi ex professo agitur. Hic tantum ἐν παρόδῳ distingue subjectum pœnæ proprie sic dictæ & consequenter objectum justitiæ vindicativæ aliud esse vas dilectionis, Christum scil. τὸν ἠγαπημένον; alia vasa odii, & iræ, reprobos scil. & damnandos, aut damnatos tum homines tum angelos. *Finis* justitiæ vindicativæ, respectu *hominum*, ut absterreantur & moneantur *Ies.*26.9. respectu *Dei* ut in vindiciis gloriæ suæ acquiescat, Vide *Ies.* 1.24. *Ezech.*5.13. *Prov.*1.26. *Problema*: *Vtrum ut textus* 2 Pet.3.9. *ita* & Ezech.18.21.& 32 11. *de peccatoribus convertendis tantum, an verò de omnibus & singulis etiam nunquam convertendis intelligendus sit.* *Comparatum*, & proxime, affine justitiæ divinæ est justitia Christi mediatoris quà talis: quam tamen à justitiâ essentiali Dei quę est ipse Deus, accurate distingue, ne in errorem Osiandri (quem vide à *Calvino* in *Instit. Conr. Schlusselburgio in catal. hæreticor.* *Meisnero in Anthropologia*, refutatum) incidas. Vocatur quidem justitia Dei, quia scil. ex Deo est *Phil.*3.9. *Rom.*10.3. qui novum fœdus sancivit, sponsorem dedit, ejus vadimonium & debiti exolutionem pro nobis acceptavit, ac nobis

bis imputavit per fidē. Habet illa juſtitia ſpectata ex parte Dei judicis ad Chriſtum rationē pœnę, ex parte Chriſti ad Deum quidem ſatisfactionis, ad nos verò meriti; ex parte noſtri, ſeu ut in nobis terminatur, noſque ejus participes ſumus, rationem gratiæ, ſeu doni gratuiti. *Oppoſitum* juſtitiæ judiciariæ Dei, eſt παρανομία: quam ideò ab eâ longe removet ſcripturâ *Rom.*2.*v.*10.11.

2. De juſtitia Dei punitivâ hodie controvertitur, an illa in Deo ſit neceſſaria, quod ad egreſſum ſcil. ſeu exercitium: ita ut Deus neceſſariò puniat peccatum, quandocunque illud commiſſum fuerit. Vnde dependent controverſiæ in loc.comm. *de ſatisfactione Chriſti*, *& de Iuſtificatione* determinandæ; An ſatisfactio & juſtitia Chriſti fuerit neceſſaria; ſive abſolutè ex neceſſitate naturæ divinæ quia juſtitia eſt Deo eſſētialis & naturalis, ſive hypotheticè ex ſuppoſito Dei decreto, & comminatione legis pœnalis. Sociniani omnia illa negant. Ex Orthodoxis ſunt qui affirmant abſolutè & ſimpliciter ſatisfactionem jure Dei naturali eſſe neceſſariam; & conſequenter remiſſionem peccati abſque interventu ſatisfactionis eſſe ſimpliciter impoſſibilem, quippe naturæ Dei repugnantem. Alii defendūt hypothetice ex ſuppoſitione decreti & legis pœnalis Adamo latæ eſſe neceſſariam: ideoque alium redemtionis modum fuiſſe & nunc eſſe impoſsibilem. Alii denique videntur nullam neceſsitatem ſatisfactionis agnoſcere; ſed à verbulo aut nutu Dei (ut loquuntur) totum opus redemptionis ſupendere. Nos nondum videmus rationes, cur receptam à pluribus Sociniſmi Antagoniſtis ſententiam deſerere, & hypotheſin hanc dogmatis de ſatisfactione Chriſti adverſariis tradere debeamus. Sint ergo argumenta hæc pro ſententia affirmante, quæ ſi omnia non tenent pro primâ ejus explicatione, ſaltem tenebunt pro ſecunda. 1. *Argum.* Ex *Ieſa.*1.14.& 33.14.*Hab.*1.12.13.2.*Theſſa.*1.6 *Exod.*34.7.*Pſal.*5.5.6. *Ex.*20.5.*Deut.*4.24.*Hebr.*10.30.31.*&* 12.29.*Rom.*2.2.3.5.*&* 3.6.*&*12. 19. *Num.*14.18.*Nah.*1.3. Quæ deſcriptio oſtēdit Deum naturaliter odiſſe peccatum, hoc eſt peccatum ei diſplicere; & poſito objecto non poſſe odium ſuum ex neceſsitate naturę ſuæ adverſus illud exſerere. 11. *Arg.* *Rom.*1.32.collatum cum communi ſenſu omnium hominum, qui ut naturaliter Deum concipiunt neceſſario eſſe aliquem Deum, ſic eum gubernatorem, juſtum, & vindicem intelligunt. Hinc naturalis conſcientiæ accuſatio *Rom.*2.16.& in oppreſsione ac injuria quacunque ad Dei juſtitiam provocatio; hinc & excogitata innumera ἱλαστήρια placando numini; & luſtrationes, expurgationes, hinc à ſacrificiis profani omnes procul eſſe juſsi. Ex antiquitatibus ex profeſſo illa eruit *Stuckius de ſacrificiis Gentilium.* Poſt quem excerpta exhibuit *Grotius* ad calcem libri ſui *de ſatisfactione*

factione Christi. Vt nunc axiomata omnibus insculpta ex.gr. ἔχει θεὸς ἔκδικον ὄμμα: & alterius poëtæ: *Aspiciunt oculis superi mortalia justis*, & similia infinita una cum Theologia mythologicâ de Nemesi, Rhadamanto &c.præteream. Quę certe plus aliquid, quam liberum Dei institutum aut imperium, cujus oppositum æquè esse potuisset, indicare videntur. III. *Arg.* Sequeretur hoc absurdum: quod Deus posset concipi sub opposito hujus attributi, injustus sc. Atqui hoc fieri non potest sine abnegagatione Dei. Quicunq; enim concipit Deum sub opposito attributi cujuscunq; divini ex.gr. scientiæ, voluntatis, potentiæ, &c. ille Deum indirectè negat. Exceptio quæ ex attributo misericordiæ hic oppponi posset, facile diluitur negãdo parem rationem esse necessitatis aut libertatis in egressu seu exercitio justitiæ & misericordiæ divinæ: quod Deus creaturæ non obligetur, sed creatura Deo: De quo infra. IV. *Arg.* Videtur à posteriori id etiam piè colligi posse & huc facere *Rom.* 3. 25. 26. quod sc. Deus dederit filium unicum, & commoverit cœlum & terram, ut admirabili illo opere redemptionis defungeretur. Quod si justitiæ non fuisset satisfaciendum, vix concipi potest cur cum verbulo aut nutu, aut mille aliis modis facile esset remittere peccata; tantæ molis opus occeperit. Per se quidem hæc ratio non sufficit; tamen non minoris forte momenti est, quam rationes sententiæ adversæ. Scio rationes nostras non exiguis difficultatibus urgeri, nec forte tam evidenter omnes tolli: tamen experiemur an Antagonistæ Socinianorum etiam hac in parte defendi possint, & an non potius in illorum sententia (quæ alioquin per se absurdi nihil in Deum aut fidem implicat) permanendum sit. Saltem quidquid sit de naturali necessitate puniendi peccatum, firmum stat ex immutabili decreto & lege æterna Dei etiam naturæ & menti omnium hominum indita peccatum ex sua natura mereri pœnã, nec posse à peccato quem absolvi nisi placato numine. Fontes solutionum adversus objectiones tum heterodoxorum, tum ex Orthodoxis doctiss. *Twissi Vindic. l.* 1. *part.* 2. *digr.* 8. sunt isti 1. Distingue pœnam & satisfactionem in genere dictam, ab hac pœnæ aut factionis specie, seu speciali ejus modo. 2. Distingue volitionem seu actum voluntatis divinæ quo vult quid ex necessitate naturæ seu jure naturali & tamen liberè concomitanter: à volitione qua vult per indifferentiã & liberè antecedenter, cujus sc. oppositum potuisset velle. 3. Distingue turpitudinem seu deformitatem peccati, à reatu. 4. Egressus attributi divini relativi, quod respectum habet ad creaturas est necessarius ex hypothesi & positis ponẽdis. Sic Deus necessario agit per & secundũ omnipotẽtiã, posito, quod extra se quid agit. Sic determinatè & certo novit hoc vel illud futurũ cõtingẽs, posito sc. decreto suo de illo cõtingenti. Sic adorationis,

 & cul-

& cultus naturalis officium Deo debetur, ex hypothesi scil. seu suppositâ creaturâ rationali. Sic necessario Deus continua manutenentiâ suâ influit in quamq; creaturam eamque in esse conservat : posito scil. quod velit eam existere. Nam sine illâ manutenentiâ & influxu perpetuo existere nequit, ut nec sine concursu operari : cum dependentia creaturæ à creatore in essentiâ, existentiâ, operatione sit essentialis. Sic gubernatio & judicium justum necessario competit Deo circa peccata secundum dominium & jus suum naturale, posita scil. creatura rationali & peccati permissione ; quia necessario subjacet Deo omne rationale aut ad obedientiam aut ad pœnam pro defectu, ad compensationem injuriæ majestati & gloriæ ipsius illatæ. Hæc, aliaque in ipsa *Disputatione* objectionibus pro re nata tunc applicanda relinquebamus. Nunc visum est in iterata editione hujus disp. breviter objectiones & exceptiones præcipuas perstringere. Quarum 1. Misericordia est attributum Dei essentiale & necessarium; nihilominus egressus seu exercitium ejus est liberum; miseretur enim Deus quorum vult *Rom.* 9. Ergo par est ratio justitiæ punitivæ. *R. Neg.* consequentia ab egressu necessario aut libero unius, ad egressum alterius. Ratio imparitatis est, quod Deus nemini obligatur, nemini quidquam debet, *Roman.* 11. 33. 34. *Lucæ* 17. 10. ideo miseretur aut non miseretur pro libero suo beneplacito. Sed homo obligatur Deo, ad subjectionem & obedientiam, aut ad vicariam compensationem per debitam pœnam. Ideo necessario aut debitam obedientiam Deo præstat, aut à Deo punitur, non vero liberè, (antecedenter scil.) 11. Si in obedientia hominis citra interventum constitutionis seu liberæ voluntatis divinæ necessario & ex necessitate naturæ divinæ meretur pœnam ; ergo obedientia pari ratione meretur præmium. *R. Neg.* consequentia. Ratio disparitatis ex solutione præcedentis argumenti huc applicetur. 111. Sequeretur Deum ad extra operari ex necessitate naturæ ; quod absurdissimum. *R. Neg. minor* cum distinctione. Deus cum ad extra liberè operatur, necessario divino modo & convenienter suæ naturæ operatur. e. gr. cum liberè producit hunc aut istum hominem, necessarium est ut producat ratione præditum : aut si liberè velit angelo aut homini aliquid revelare, necessarium est revelet; veritatem : aut si liberè producat mundum, necessarium est, ut eum gubernet. Vide infra in *appendice part.* 1. *thesi* 4. *cit. Cajetanum.* 1v. Sequeretur Deum non posse dispensare ; sed necessario punire quando & quantum potest. Sed hoc absurdum. *Resp. Neg*, consequentia. Dilatio pœnæ, aut dispensatio quod ad tempus aut modum libero Dei arbitrio in hanc aut illam partem determinari potest, quamvis τὸ punire seu ipsa pœna in se & absolutè considerata sit necessaria.

ria. Idem reſponderi poteſt de gradibus ſeu incremento pœnarum in inferno, ſiquidem damnati nunquã ceſſent peccata peccatis accumulare. De quo quidem ſatis moleſta diſquiſitio. Interim ex eo, quod vix aut difficulter ſic aſſequimur, ut & noſtro & aliorum curioſis ingeniis ſatisfaciamus, nõ eſt ſubvertẽdum quod aſſequi poſſumus & ſatis perſpicimus. v. Sequeretur Deum neceſſario debere conſervare hominem damnatum: Atqui videtur abſurdum. *R. Negatur minor.* Poſito enim hominem à Deo liberè productum & liberè permiſſum peccatum: ſequitur neceſſario illum puniendum, & per conſequens neceſſario in exiſtentia conſervandum, quamdiu punitur aut puniendus eſt. An autem pœna juſtè æquivalens cuilibet peccato, neceſſariò debeat eſſe æterna, ſecundum jus Dei naturale, adeo ut Deus abſque implicatione contradictionis non poſſet aliter decernere; hâc vice nõ diſputamus: cum abſq; hoc propoſitæ objectioni ſatisfactum ſit. VI. Sequeretur terminos eſſe contradicentes, peccatum & non puniri: Sed hoc abſurdum? Ergo. *R.* Termini proximè & immediatè implicantes contradictionem ſunt, Dei univerſale, ſupremum, & abſolutum dominium & poteſtas in hominem: & hominem non eſſe ſubjectum aut obligari Deo ſupremo domino ad actualem obedientiam, aut illa deficiente ad vicariam ejus compenſationem; quod fit per pœnam. Hic tam cruda implicatur contradictio, quam ſi quis dicat Philippum eſſe patrem Alexandri, & Alexandum non eſſe filium Philippi: Socratem eſſe Hermachi legitimum dominum, aut Principem, & Hermachum non eſſe ſervum aut ſubditum Socratis. VII. Deus poteſt mitiorem pœnam inferre quam peccatum meretur: ergo poteſt per potentiam abſolutam univerſam pœnam ſuſpendere. Minor prob: Quia Deus poteſt remunerari ultra condignum: ergo poteſt punire citra condignum. *R.* Probetur perſpicuè conſequentia majoris. 2. Probatio minoris invalida eſt: utitur enim iſta hypotheſi, Quod par ſit ratio boni & mali, in ordine ad præmium conferendum, & ad pœnam inferendam. Nos eam *Neg.* Deus enim nulli creaturæ rationali præmium debet, nec ſibi debitor eſt ex neceſſitate naturæ, ſed tantum ex libera gratia & promiſſione? Sed contra creatura rationalis neceſſario debet Deo obedientiam aut vicariam compenſationem; & ſic conſequenter Deus in ordine ad illam ſibi ipſi, ſeu abſolutæ poteſtati, juri & juſtitiæ ſuæ debitor eſt. Abnegaret ergo ſe ipſum, ſi hoc debitum juris ſui naturalis ſibi non præſtaret: ſed non abnegaret ſeipſum, ſi hominem quem ex gratia & liberaliter (citra intercedentem promiſſionem) non præmiaret. VIII. Poteſt Deus cruciatum infernalem alicui inferre abſque omni demerito; ergo etiam poteſt non obſtante demerito quocunque omnem

pœnam ſuſpendere. Conſequentia probatur, quia multò pronior eſt ad benefaciendum, quam ad puniendum. *Reſp.* Conſequentia majoris cum ſuâ probatione non parum examinari poſſet. Sed ſufficiat nunc ad minorem excipere. Incertum per incertum, dubium per multò magis dubium probari. An extenſio illa poteſtatis & juris divini in creaturam ſatis ſolidè probetur infra diſpiciemus.

APPENDICIS AD DISPVTATIONEM THEOLOGICAM DE IURE ET IVSTITIA DEI.

PARS PRIMA.

Reſp. M. ANDREA LANSMAN Amſtelod. *Ad diem* 21. *Decemb.* 1644.

DE Iure Dei cum ante hac ageremus, conſtituebamus diſtinctionem juris divini in naturale & poſitivum, ſeu in neceſſarium & liberum. Cujus diſtinctionis apud Scholaſticos & qui eos ſequuntur neglectæ aut non ſatis excultæ explicationem & applicationem uti tunc admodum utilem judicabamus, quippe per tam multas theſes, hypotheſes, & quæſtiones theologicas ſe diffundentem: ita nunc operæ pretium nos facturos arbitramur, ſi eam denuo ad modum controverſiæ uberius pertractemus, & ab objectionibus virorum Doctorum, quæ poſt illud tempus in lucem prodiere, pro virili vindicemus, aliaque nonnulla ſubjiciamus, quæ ad illuſtrationem diſp. noſtræ de Iure & Iuſtitia Dei *pertinere videbũtur. Quod ad controverſiam de præſenti diſtinctione.* I. Ejus ſtatum conſtituemus. II. Rationes pro ſententia noſtra indicabimus. III. Objectiones, & exceptiones ſolvemus. IV. Poriſmata deducemus, & per modum problematum controverſorum determinabimus.

1. EST igitur quæſtio: An ſit jus aliquod divinum in Deo immanens, Deo naturale, neceſſarium, & immutabile; ita ut Deus abſque implicatione contradictionis per abſolutam ſuam potentiam & poteſtatem non poſſit velle aut non velit poſſe aliquid mãdare aut facere, quod juri illi repugnet, Vel ſic, An ſit aliquod jus Dei in ordine ad creaturam, quo ipſe abſolutè teneatur & obligetur, ita ut poſito ſubjecto ſeu objecto idoneo, creatura ſcil. rationali, non poſſit in exercitio & egreſſu iſtius juris actum debitum & juri illi homogeneum omittere, aut contrarium actum exercere, aut ut ab aliis exerceatur præcipere. Vel ſic, an ullum ſit jus Dei in ordine ad creaturam rationalem, quod quidẽ aptum natum ſit in præceptum ſe diffundere, ad cujus revelationẽ, mandatum, ad utramvis contrarietatis aut cõtradictionis

traditionis partem Deus libere se habeat & indifferenter: ut in istam aut in istam partem absque violatione & abnegatione potestatis, potentiæ, perfectionis, & sapientiæ suæ, hoc est, absque abnegatione sui ipsius apud se primum decernere, deinde extra se secundum decretum suum revelare, præcipere, exequi possit. Vel sic, cum quædam sint, quæ à Deo ex necessitate naturæ suæ, & non secundum antecedentem libertatem voluntatis aut liberum decretum agi dicuntur, an inter ea etiam numeranda sint aliqua præcepta creaturę rationali præscripta, & obligationes inde in creatura rationali existentes. Vel sic, An omne jus Dei ex quo & secundum quod quid mandat aut mandare potest creaturæ rationali, aut tanquam sibi debitum quid exigit & postulat ab ea, sit mutabile, liberum, & quod posset aut potuisset aliter à Deo decerni, & cõsequenter in aliud aut contrarium præceptum diffundi: an vero aliquod sit simpliciter necessarium & immutabile, quo Deus non possit positis ponendis obligare creaturam rationalem, siquidem velit aliquam producere & existere. Alii sic proponũt, an omnia apud creaturas rationales in ordine ad Deum & inter se justa & recta sint, tãtũ quia Deus vult, an vero quædã justa sint & dici possint, quæ Deus aliter velle non potest, ad quæ necessario obligentur creaturæ, & consequenter an dici possit, Deum ea velle & mandare; quia antecedenter, & per prius justa & recta sint. Scholastici sic quærunt, An omnia præcepta decalogi sint mutabilia aut dispensabilia. Subinde quęrunt An omnia sint juris naturalis. Sed tum cõfundunt jus naturale humanum, quatenus ineſt & adest homini, cũ jure naturali divino, quatenus illud ineſt aut adest Deo in ordine & revelatione ad hominem. Solet etiã cõtroversia in hypothesibus quibusdam proponi, & speciatim huic aut illi actui applicari: quas infra in ipsa disceptatione, & consectariis perstringemus.

Argumenta nostra sunt. *I. arg.* Dependentia creaturæ rationalis à 2.
Deo, quà scil. rationalis est, & in genere moris ac in ordine ad rectam rationem tam necessaria est, ut oppositum ejus repugnantiam dicat in terminis, ac contradictionem implicet: Huic dependentiæ passivæ à parte creaturę, respõdet dependẽtia activa à parte Dei, cujus oppositum itidem contradictionem implicaret. Vel sic, Omnis creatura rationalis Deo subjici debet rationaliter, & obligatur ad obedientiam, si Deus ipsi quid mãdet, aut ab ea postulet: ergo ex vi relatorum est in Deo jus subjiciendi sibi & obligandi creaturã rationalem ad obediẽtiam; quod abnegare non potest, aut ejus oppositum decernere ac præcipere sine implicatione contradictionis. Esse autẽ tale jus necesario, & immutabiliter in Deo, hoc est antecedenter ad omnem liberũ voluntatis actum, probatur. 1. *quia* Dei primitas, independentia, perfectio, suprema potestas, & similia divina

attributa hoc requirunt, & tale jus fundant. Quod si ergo hæc attributa in signo rationis antecedant Dei voluntatem seu libera Dei decreta, ergo & jus Dei, secundum quod datam quamcunque creaturam rationalem sibi subjicit, & ad obedientiam obligat. 2. *quia*, (ut ab analogiâ seu à pari argumentemur) necessariò & immutabiliter in Deo est adorabilitas quippe reciprocum Dei attributum, nec data quacunque creatura rationali per liberum Dei decretum oppositum ejus decerni potest, sine implicatione contradictionis: Ergo jus aliquod in Deo est ante liberum decretum. Antecedēs putamus in confesso esse apud eos, qui sententiā contrariam tuentur. 3. *Quia* (ut rursum à pari concludamus), dependentia in actu aut potentia, cujusque datę aut dandæ aut dabilis creaturæ à Deo, in genere scil. entis, & naturæ, & causæ secundæ, est creaturæ necessaria & essentialis; ita ut Deus non possit oppositum per liberam voluntatem apud se decernere, aut extra se in tempore exequi, absq; repugnātia in terminis & sui abnegatione: poneretur enim alius Deus, præter Deum alia scil. causa prima, aliud ens independens, primum, &c. Iam vero dependentia naturæ rationalis, ut talis, in genere moris, bonitatis moralis, & rectæ rationis, à Deo & ente primo, perfectissimo, optimo, primaque & summa atque archetypa veritate, bonitate, recta ratione, prima, item & summa ac absoluta potestate, & potentia; non minus est necessaria, quam dependentia cujusque naturæ irrationalis in essentia, existentia, operatione sibi connaturali. Neque enim bonitas moralis, ejusque principium ac fundamentum intellectus ac voluntas rationalis, in illo altiori & peculiari gradu entitatis ac bonitatis, magis independens est, quam quodcunque aliud ens. Necessario ergo tenetur quælibet natura rationalis, secundum actus rationales seu rectæ rationis convertere & movere se in Deum tanquam primam & supremam rectam rationem, eique tanquam principio & exemplari & normæ se conformare ac subjicere. Oppositum Deus libera voluntate sua decernere, & secundum hoc decretum mandare non potest, sine abnegatione bonitatis ac potestatis suæ. 4. *Quia* (ut ad hominem argumentemur) obedientiam & subjectionem in genere necessariam esse statuit sententia adversa; ut etiam homo teneatur æque ad blasphemiam Dei, ac ad adorationem, siquidem Deus ipsi præciperet, prout præcipere posse, haut obscurè innuit. Si ergo obedientia & obligatio ad eam, quotiescunque Deus quid præcipit, necessaria est in creatura rationali, nec oppositum ejus statui potest sine repugnantia in terminis: sequitur ex vi relatorum, jus aliquod obligandi ad illam obedientiam esse in Deo, quod ab illo abnegari, & cujus oppositum decerni aut præcipi non potest sine implicatione. Hoc si

conce-

concedatur, habemus quod volumus, jus ſcil. Dei naturale in ordine ad creaturam, quod antecedat liberam Dei voluntatem, ita ut illud deponere, aut ejus oppoſitum decernere non poſſit. II. *Argum.* Quia juſtitia punitiva ante omne liberum Dei decretum, ſeu antecedenter ad Dei voluntatem eſt in Deo: ergo aliquod jus Dei in ordine ad creaturam rationalem. Conſequentia patet, quia non poteſt juſtitia eſſe abſque jure & vice verſa. Minor in confeſſo eſt, maximè apud hodiernos ſententiæ adverſæ defenſores, alioſque accuratos Sociniſmi Antagoniſtas, in controverſia de ſatisfactione Chriſti. Et nos ſupra de ea egimus in *diſp. de jure & Iuſtitia Dei*, Conferatur etiam D. *Maccovius diſp. locor. commun. part.* 1. *diſp.* 22. III. *argum.* Ab abſurdis conſequentibus. 1. *quia* ſequeretur, nullum eſſe atheiſmum, Epicureiſmum, diaboliſmum, Magiam, odium & abnegationem Dei, blaſphemiam, &c. quem Deus non poſſit liberè velle mandare & ipſo facto mandare tanquam moraliter aut ſpiritualiter bona ac ſibi placentia, quippe præſtita ex debita obedientia Majeſtatis divinæ. Quidquid enim poteſt cadere ſub præceptum, eo ipſo cum præcipitur à Deo non eſt peccatum aut malum, ſed facit Deus ut peccatum fiat aut ſit non peccatum: ſed omnia illa modo recenſita poſſunt cadere ſub præceptum, ex ſenſu adverſariorum. Quid ſi ergo quis dicat Deum liberè poſſe velle & revelare ac præcipere: ut homo cognoſcat & credat nullum eſſe Deum; Deum Patrem, Filium, Spiritum Sanct. non eſſe unum illum verum Deum, creaturam hanc illamve; imo & ipſum diabolum eſſe unum illum ſolum verum Deum; Duos eſſe Deos Manicheorum; eſſe Æonas Valentini, creaturas quaſlibet, immo & diabolum religioſè colendum & adorandum; Deum non condidiſſe mundum, nec cum providentia ſua regere: inſuper dicat Deum poſſe velle & præcipere, ut homo ſibi non obediat ſe non cognoſcat, colat, religioſè honoret tanquam Deum, ſed diabolum: huic fidat, hunc amet ex toto corde, ex omnibus viribus, Deum vero unum & trinum odio habeat, abneget, blaſphemet. in hunc abſurdorum labyrinthum neceſſario compingitur ſententia adverſa, quę nullo colore præſcindi poſſunt. Iam vero ex quo tanta abſurda per ſe, neceſſario, & evidenter ſequuntur, illud ipſum pro abſurdo habendum eſt. 2. *quia* ſequeretur Deum poſſe abnegare ſeipſum, non tantum indirectè & implicitè, ſed exſertè & directè, præcipiendo ſcil. homini aut angelo, ut credat iſta falſa: Ego non ſum Deus, non ſum Deus tuus à te colendus, amandus &c. ſuper omnia, non ſum bonus, perfectus, omniſcius, omnipotens creator & gubernator mundi, juſtus. Aut ut in tertia perſona de ſe iſta externè prędicet, aut intus cordi hominis inſcribat,

bat, & tanquam objectum fidei credenda proponat: Deus non est justus, omniscius, creator &c. Christus non est Deus ὁμούσιος, nec Messias mediator Dei & hominum &c. Adamus morte non morietur, etiâsi edat de fructu vetito: non punièt Deus infideles aut impœnitentes. Ratio nulla dari potest, cur ista mendacia minus credenda proponere ac præcipere possit, quam quæcunq; alia: siquidem omnia illa solummodo à libero Dei decreto, & mandato dependeant, ut in hanc vel illam partem voluntate signi & mandati à Deo determinata proponantur. 3. *Quia* sequeretur potuisse Deum liberè decernere, & secundum decretum suum creare homines & angelos, qui talem habuissent legem, quæ singula peccata adversus decalogum tam commissionis quam omissionis præscripsisset, & rationem peccati seu ἀνομίας ab omnibus actibus humanis & angelicis abstulisset atque adeo rationem oppositę bonitatis & obedientię illis contulisset: ita ut peccatum nullum existere potuisset imo ne quidem concipi; illique omnes necessario, & non per gratiam Dei sive confirmationis, sive restitutionis, sive primam sive secundam, ab omni peccati umbra immunes fuissent, tanquam per naturam, & ex necessitate naturæ: ferè ut Deus, cui lex nulla posita. 4. *Quia* sequeretur potuisse liberè Deum decernere, & secundum decretum creare homines aut angelos, sine syntereſi, conscientia, atque adeo omni lege naturali seu æterna: apud quos rectæ rationis conformitas cum prima & suprema recta ratione, & consequenter discrimen boni aut mali in actibus rationalibus tam in specie quam individuo consideratis nullum habuisset locum: non magis quam in bruto, aut lapide, aut sole, aut arbore. Breviter potuisse creaturam rationalem fieri, quæ esset planè exlex, quippe aut supra omnem legem moralem, ceremonialem, quamcunque aliam, ut Deus; aut infra legem, ut brutum, lapis, arbor. 5. *Quia* sequeretur, nullum actum humanum posse dari etiam religiosum actum e.gr. invocationem religiosam diaboli, juramentum per nomen ejus, divinum amorem ejus tanquam summi boni, fidem in illum tanquã in primã veritatẽ, fiduciã & spem in illum tanquã in primã bonitatẽ &c. qui ita habeat conjunctã sibi malitiã aut ita sit intrinsecè malus, ut per circũstãtiã quã mutari nõ posset materia sufficiẽs peccati & sic actus ille reddi bonus. 6. *Quia* sequeretur, posse Deũ liberè decernere & facere, ut creatura rationalis sibi quacunq; ratione quid præcipienti in genere & universaliter nõ obediat: nec etiã in specie præcipienti credat falsum, aut aliud quodcunque peccatum faciat contra primum, secundum, tertium præceptum, cum Deus rationem malitiæ & ἀνομίας ab eo auferret. Posterius absurdum, tanquam ad hominem, supra tetigi, ut ostenderem adversam sententiam absurdis &

con-

contradictionibus involvi. 7. *Quia* consequenter hinc inferretur, Deum si velit, posse esse autorem aut approbatorem inobedientiæ, hoc est, autorem & causam saltem moralem peccati peccatorum (juxta 1. *Sam.* 15.) quippe qui docere possit hominẽ, aut illi mandare, ne sibi quodcunque præcipienti aut præcepturo obediat. Nulla enim est obligatio in homine, nec jus obligationis in Deo, quod necessario & antecedenter ad Dei voluntatẽ ac legem hoc impedire possit secundum adversarios: Neque enim præcipit Deus sibi Deo suo obediant, quia justum est: sed contra justum est, quia Deus nunc sic vult & præcipit, qui tamen oppositum æque velle & præcipere possit. Nihil potest hic excipi ab adversariis, quam inobedientiam illam universalem hominis aut omnium hominum, siquidẽ esset ex præsuppositio præcepto Dei de inobediẽtia, non fore tunc peccatum, sed virtutem & actum obedientię. Sed videat, an & quomodo sanis hominibus labyrintheã istam inobediẽtem obedientiã & obedientẽ rebellionem seu inobedientiam persuadere possint. Ego saltem fateor, me tam cruda nec capere nec concoquere posse. 8. *Quia* sequeretur non posse ulla ratione defendi hypothesin illam contra Socinianos, de essentiali & absolutè necessaria justitia punitiva Dei, deque necessitate satisfactionis pro peccato: quam tamen adversæ sententiæ patroni hactenus nobiscum defenderunt. 9. *Quia* tandem sequeretur, nullam esse repugnãtiam in terminis, nullam implicationem contradictionis, nihil Deo absolutè impossibile. Vt enim nonnulli Dei potentiam, Dei rationem & logicam male asylum faciunt contradictionum & absurdorum: sic metuendum ne tandem quis ex hypothesi sententiæ adversę & à pari inferat, Deum liberè posse decernere & secundum decretum facere ut homo sit irrationalis, & brutum rationale, & canis sit lapis aut homo, & viceversa, & corpus sine quantitate, & accidens sine subjecto, & idem Petrus Romæ moriatur, & Vltrajecti vivat, & Coloniæ quiescat & Lutetiæ moveatur, aliaq; similia sexcenta, quorũ partẽ notavimus in *disp. de Potẽtia Dei*: ubi vide. Facile enim erit illis, qui portẽta hæc parturiunt aut alunt, prætexere, nullã necessitatem & immutabilem rationem se habere antecedẽter ad voluntatem Dei, cur ille, qui tãquam liberum agẽs nunc illa ad extra sic decrevit, & fecit in creaturis, oppositũ decrevisse aut decernere non possit: quandoquidẽ libera voluntas Dei sit sola, prima, suprema causa omniũ ad extra. IV. *arg.* sit supernumerarium & probabile, desumtum à consensu sapientiũ, qui hanc rem proprius considerarunt. A multis enim (fateor) in terminis & abstractè quęstio proposita non fuit, ac proinde distinctio non intellecta, ab aliis non satis exculta penitissimè usque ad finem eam defendendo, & ad particularia applicando. Primum

ergo huc conferēda quæ Theologi dicunt de essentiali, suprema, & absoluta potestate, majestate, ac dominio Dei, quod Deus posita aliqua creatura in actu abnegare nō potest, & cui materialiter subesse tenētur omnes creaturæ, formaliter & rationaliter creaturæ rationales, quippe solæ talis subjectionis capaces. Iam vero ubi potestas naturalis, necessaria, ante liberū voluntatis actum, ibi jus homogeneum. Siquidē jus nihil aliud est quā qualitas moralis personæ competens ad aliquid habendum aut agēdum. Cōsulāt studiosi nostri data occasione, quosvis locorū comm. scriptores, & Scholasticos. *Deinde* omnes Scholastici illi & Casuistæ, qui exserte ista statuunt, Aliquibus actibus humanis ita esse conjunctam malitiam, ut ab illis prorsus sit inseparabilis ; & contra aliquibus ita intrinsecam esse bonitatem, honestatē & justitiā, ut ab iis divelli non possit : Item Aliqua esse naturaliter justa, & ideo præcepta, quia bona; aliqua vero fieri justa institutione divina, & bona esse quia præcepta, quorum materia non pendet ex dominio Dei; ita ut absoluto dominio Deus uti non possit ad materiā obligationis mutandā; quæ præcepta ideo sint naturalia, in qualibet circumstātia obligantia. Adhæc non posse legem naturæ quo ad cōmunia ejus mutari, aut ex cordibus hominum aboleri. Denique omnia præcepta decalogi, saltē tria primę tabulę pręcepta non esse dispensabilia. Vide *Thomā* cum Thomistis, 1.2.*q*.100.*art*.8. (ubi nominatim, *Cajetanus* 2.2.*qu*.57.*art*.2. & *q*.94.*art*.5. & 6. *Bonaventuram ad* 1.*dist*.47.*qu*.4. in quem *commentar. Petri Capulli*, *Scotum* cum Scotistis exhibet egregie explicatio *Rhadæ in controversiis part*.3.*controv*.16.§.2. Ex recentioribus *Vasquez ad* 1.2.*disp*.97.3. & 179. 3. Quem citat & sequitur *Ferd*: *à Castro Palao in opere morali tract*. 3. *disp*. 6. *puncto*. 3. §. 6. ubi de dispensatione legis circa exemplum Abrahami sic loquitur: *Supponendum est aliqua esse præcepta naturalia immutabilia, quæque in qualibet circumstantiâ præcepta sunt. Hæc censentur esse omnia illa, quorum materia non pendet ex dominio Dei, qualia sunt mentiri, falsos Deos colere, odio Deum habere. Alia vero sunt, quorum materia ex dominio Dei pendet: Hæc inquam, si Deus uti velit suo absoluto dominio, non obligabunt; quia mutabitur materia obligationis.* Cum his faciunt omnes alii Scholastici exceptis *Occamo*, *Aliaco*, *Gersone*, *Almayno*. *Azorius* tam rigide in hanc partem contendit, ut non vereatur dicere, peccatum repugnare rectæ rationi, etiamsi nullus esset Deus. Quam solidē, hic non disquirimus. Accedant Theologi qui distinguunt cultum Dei in naturalem & institutum, ut *Amesius* & qui illi hanc distinctionem præformarunt. Ad hęc illi, qui asserunt Deum antecedenter ad liberum suum decretum sibi debitorem esse & ad aliquid teneri, cujus oppositum decernere nequeat. Sic Vrsinus comment. ad Iesa. 3.v.10. *Sibi enim ipsi tanquam summo*

bono

bono gratificari, & suo honori consulere Deus debet ex ordine justitiæ suæ : creaturis non debet, sed ex gratuitâ benevolentiâ dat beneficia, quæcunque dat. Maccovius tom. 2. disput. theologic. p. 304. rectè statuit hominem semper obligari ad obedientiam: quę hypothesis non videtur convenire cum sententiâ adversâ, quam alibi ex professo defendit.

Sententiâ nostrâ satis jam firmata, restat adversam excutiamus, quæ olim in quæstione de dispensatione præceptorum decalogi forte excidit uni atque alteri ex *Scholasticis* modo *cit.*; quamvis ad finem cum omnibus hypothesibus & consectariis non defenderint: sed nuper occasione disceptationis de fidei objecto, an possit esse falsum, huc delatus Theologus recentior (cętera ut orthodoxię perquam studiosus, sic subtilis & perspicax) *D. Maccovius*, in *disput.* nuper editis *ad decalogum* in 8. & cum eo doctiss. quidam ipsius discipulus ipso vivente & approbante in libello cui tit. *Vindiciæ* &c. & altero cui tit. *Mantisa* &c. eam ex professo defendendam suscepit; confirmatione opinionis istius etiã accersita ex disputationibus hodiernis Antagonistarum Pelagianismi, inter quos eruditiss. *Twissus* & *Rhætorfortis*, quorum ille in *defensione Perkinsi contra Arminium lib. 2. sect. 5. criminat. 2.* iste *exercitat. 2. contra Arminianos cap.* 3. defendunt, esse aliquid justum, quia Deus vult non contra Deum velle, quia justum est. Carptim idem axioma indicare videntur *Calvinus lib.* 3. *Instit. c.* 23. *Perkinsus in libello de Prædestinatione ex Aliaco, Polanus Syntagm. lib. 2. c.* 26. §. 4. Sed posteriores extra disputationem, & omnem adversæ sententiæ intuitum hoc dixisse, ac proinde per distinctionem additam facile dicta eorum cum nostris conciliari posse patebit ex solutionibus nostris mox subjiciendis. Quod ad *Twissum* & *Rhætorfortem*, non arbitror eos aliquid aliud voluisse, quam nullam extra Deum esse regulam, mensuram, rationem, causam Dei voluntate, aut Deo volente ac decernente priorem, à qua in liberis decretis (speciatim electionis & reprobationis) dependeat. Nullam etiam esse regulam, normam, rationem ac formam justitię ultra & supra liberum beneplacitum & supremam, absolutam ac liberrimam Dei potestatem, quærendam, ad quam Dei præteritio, reprobatio, decretum non dandi gratiam & gloriam, sed peccatum permittẽdi aut hominem sibi permittendi & propter permissum peccatum damnãdi ad gloriam justitię suæ, exigi debeat, aut unde à priori deduci à nobis possit: sed sufficere nobis, si certi simus ex verbo Dei de τῷ ὅτι, quod scilicet Deus apud se ab æterno ita decreverit inter hominem & hominem: τὸ διότι vero, cur hunc elegerit, non esse ultra quærendum; quia ejus causa quæritur, cujus causa non est, ut loquitur *Augustinus*. Totum autem fundamentum hujus disceptationis contra Pelagianos in eo collocan- 3.

dum est. Quod nihil sit antecedẽter ad voluntatẽ Dei aut juris, aut attributi in Deo (sive justitia, sive gratia, sive misericordia appelletur) secũdum quod Deus debitor est & obligatur creaturæ rationali, ad peccatum ipsius impediendum, & ad gratiam ac gloriam illi destinandam ac præparandam, & in tempore conferendam. Vnde necessario sequitur non esse de decretis illis Dei electione scil. & reprobatione comparativa quærendum, an justa sint, an Deus sic potuerit decernere absque προσωποληψία & absque læsione justitiæ suæ, quia falso contra *Roman.* 11. *vers.* 35. præsupponitur decreta illa Dei seu actiones Dei immanentes esse formaliter actus justitiæ distributivæ, sicut actus illi emanantes, quibus Deus justè suum cuique tribuit ex antecedente ipsius permissione, & fœdere cum Christo & cum membris Christi in Christo initæ *Hebr.* 6. 10. 2. *Thess.* 1. 6. 7. coll, cum *Roman.* 8. *vers.* 18. Hoc solum velle eruditiss. illos theologos indubium erit illi, qui scopum, filum & conclusionem totius disputationis penitius perspexerit. Et cum ipsi per Dei gratiam etiamnum superstites sint, poterunt data occasione declarare, an eo sua trahi velint, quo à recentioribus modo cit. trahuntur.

4. Accedamus nunc ad examen argumentorum. I. *argum.* Si fluerent aliqua præcepta ex natura Dei, tum voluntas Dei non esset prima regula justitiæ: sed posterius absurdum; quia omnium rerum ad extra est regula. *Resp.* 1. Voluntas libera non est prima regula bonitatis, justitiæ, & juris in Deo; nec in actionibus ad intra (quod adversæ sententiæ autores directè fatentur); nec etiam in actionibus ad extra: quod alibi extra hanc disceptationem non diffitentur; in quæstione scilicet de necessitate pœnæ & satisfactionis pro peccato: ubi primam regulam in momento naturæ & signo rationis, faciunt essentialem Dei justitiam punitivam, quam sequatur, & non possit non sequi Dei decretum, & ex decreto mandatum, ac comminatio; secundum quam Deus actu puniat. Ad hæc in quæstione de adoratione Deo debitâ & tribuenda, quam Deus postulat à creatura rationali, ubi contra Socinianos, primum fundamentum statuunt, non Dei voluntatem signi, aut beneplaciti; sed adorabilitatem, seu excellentissimam & perfectissimam naturam Dei, quæ ab æterno in æternum non potest non Deo competere, & secundum quam non libere antecedenter, sed liberè concomitanter Deus creaturæ rationali officium adorandi decrevit præcipere & præscribere. Supra *Maccovium* citavimus docentem, creaturam rationalem necessario Deo obligari. II. *arg.* Si aliquid esset bonum & justum antecedenter ad Dei voluntatem: tum Deus ex obligatione & officio illud velle & facere teneretur. Atqui hoc absurdum

dum; Deus enim nullo modo officio aut obligationi morali subest. *Resp.* Deus non subest officio ulli morali ab extra, quia nemimi debitor est, nullaque causa est extra Deum, quæ illum possit obligare aut determinare. Sed ab intra obligari potest (ita loquar) non vero subesse; quia sibi ipsi est debitor, nec potest seipsum abnegare. Sic pater in divinis obligatur ad amandum filium, non potest enim non amare: filius obligatur ex necessitate naturæ divinæ ad operandum à patre, non potest enim non operari à patre, quotiescunque operatio extra Deum instituēda est. Sic etiam in actionib. ad extra, posito productam esse creaturam, Deus obligatur eam perpetua manutenentia sua ac continuo influxu conservare (quamdiu eam esse vult) insuper eandem tāquam primus motor movere, & gubernare ad suam gloriam *Prov.* 16. 4. *Rom.* 11. *vers. ult.* Hoc immutabiliter bonum & justum est, cujus oppositum velle non potest. III. *arg.* Si quid esset intrinsecè justum & bonum ad beneplacitum Dei: tum necessario regularetur beneplacitum ad illud volēdum. At Dei beneplacitū est prima regula, quæ à nullo primo regulatur: alias non esset Deus infinitè justus & bonus &c. *Resp.* Non potest Deus aliquid velle producere in creatura, aut ei quid mandare ut faciat contra gloriā suā, & subjectionem atque obedientiam à creatura ipsi debitam, aut contra honorem filii Dei, aut cōtra honorem Sp. S., Nō potest mādare aut velle mādare ut omnes ac singuli homines & angeli abnegēt ac blasphement Filium ac Sp. S. eosque non honorent; sicut honorant patrē: imo abnegent, blasphemēt, odio habeant Deum unum & trinum, quod ad personas, attributa omnia & opera tum essentialia tum personalia. IV. *argum.* Sequeretur dari bonum & justum, quod à primo & summo non flueret: Daretur enim effectus qui in primam causam resolvi non posset. *Resp.* Consequentia negatur: nullum ejus nexum video, Sed explicabunt sequentia. V. *arg.* Si Deus quid velit, quia justum est; sequeretur Deum extra se & quod ad volitum & quod ad volitionem liberrimè non velle, sed necessario se creaturis communicaret: Sed hoc absurdum. *Resp.* 1. *Instantiam* damus, & quidem ex mente adversarii in quæst. de Iustitia Dei punitiva, cujus egressus seu effectus est ad extra, & tamen ita necessarius, ut non possit fieri oppositus. De quo infra 2. *Consequens* negatur. Deus necessitate absoluta non debet velle & producere e. g. hunc hominē, hunc canē: sed ex hypothesi, posito quod jam velit producere istum hominem puta Titium, non potest non producere eum secundū ideam suam, & secundum definitionem hominis; nec potest velle oppositum, hoc est, eum producere irrationalem, aut ubiquitisticum seu immensum, aut rationem illi dare sine omni syntaresi, & conscientia, aut eum producere tan-

quam primum & ſupremum ἀντεξούσιον, Deo non ſubjectum, nec ab illo dependentem quod ab bonitatem naturalem & moralem, nec conſequenter Deo collateralem. Sic poſito quod Deus voluerit incarnationem & quidem libere; non potuit non aſſumere humanam naturam ſine peccato: ne verificarentur horrendæ illæ propoſitiones, Deus eſt peccator, Deus eſt damnatus. Quo tamen non negatur, Deum liberè ſuam bonitatem extra ſeſe cõmunicare, aut extra ſe operari. Rectè hic diſtinguit Cajetanus ad 1.4.qu.190.artic.8. *Divina voluntas, licet ſit ſimpliciter libera ad extra, tamen ex ſuppoſitione unius actus liberi poteſt neceſſitare ad alium, ut, ſi vult promittere abſolutè, neceſſitatur ad implendum promiſſum, & ſi vult loqui aut revelare, neceſſariò debet revelare verum, ſi vult gubernare, non poteſt niſi juſtè gubernare, ſi vult habere ſubditos ratione utentes, non poteſt non eſſe legiſlator eorum.* Ibid. diſtinguit determinari nõ poſſe voluntatem divinam ex ſe ad volendum, ut aliquid ſit vel non ſit; ſed bene determinari poſſe reſpectu complexorum; ad rectitudinem eorum, quæ ſunt, aut quæ vult eſſe. 3. *Breviter* ſi hoc argumentum adverſæ ſententiæ abſolute procedit, tum nulla erit repugnantia in terminis & poterit Deus extra ſe libere velle ac producere quævis abſolute impoſſibilia & implicantia: Quod abſurdorum omnium præcipitium, quomodo ſalva hac conſequentia evitari poſſit; velim ab aliquo doceri. Confer *diſp.* proxime conſequentem *de Potentiâ Dei.* VI. *arg.* Sequeretur peccatum non eſſe ἀνομίαν, nec unquam in legem peccari, quin peccetur in naturam & voluntatem Dei, quæ erit inſtar legis primitivæ. *Reſp. Neg.* conſequ. Peccatur ab homine immediatè in legem Dei revelatam, & ſimul peccatur mediatè ac conſequenter in Deum autorem legis & ſupremum dominum, qui legem fixit. *Pſalm.*51.*verſ.*6.1.*Sam.*2.25.*Daniel.*9.8. Et paſſim peccatotores arguuntur quod contra Deum peccarunt. Cadunt ergo omnia quæ argutantur, quod nihil opponatur Deo aut phyſicè, aut moraliter ſed tãtum effectis Dei. Frigus opponitur ſoli, effecto ignis, calori ſcilicet, immediatè; & nihilominus ipſi igni mediatè ſcil. ſeu conſequenter. Quę diſtinctio nota & frequentata eſt tyronibus dialecticis in cap. de prædicamento ſubſtantiæ. VII. *argum.* Omnium bonarum & malarum actionum norma eſt lex: nam niſi Deus eam nobis revelaſſet ac tuliſſet, neſciremus diſcrimen inter bonum & malum morale, nec etiam pecaremus, ſed omnes actiones eſſent indifferentes: ergo nihil eſt bonum, nihil juſtum, nullum jus antecedenter ad Dei legem. *Reſp.* Conſequentia negatur. Quod ad nos & cognitionem noſtram, ſeu à parte noſtra, & quod ad jus obediendi nullum eſt jus, nullum juſtum, nulla forma aut ratio juſtitiæ ſeu bonitatis moralis ante noſtri exiſtẽtiam, & rectæ rationis, ſyntereſeos,

legis

legis divinę cujuſcunque actualem communicationem ac revelationem : eſt tamen aliqua bonitas, rectitudo, juſtitia, ante legem revelatam quod ad Deum ſeu à parte Dei & quod ad jus divinum obligandi & imperandi, habendi quid à creatura rationali, aut in ea, per eam circa eam quid agendi. Talis bonitas, rectitudo, juſtitia, tale jus antecedit ordine naturæ immo & tempore omnem actualem legis revelationem, quę fit huic aut illi homini. Antecedit etiam in ſigno rationis in ordine ad Deum & in ipſo Deo quod ad aliquam partem adjecti ſeu materiæ legum divinarum, antecedit, inquam, ipſum decretum Dei. *Deinde* conferri huc poteſt diſtinctio Scholaſtic. apud *Becanum in Theolog. Scholaſt. p.* 156. edit. in 8. lex æterna eſt remota ſeu mediata regula humanorum actuum : recta ratio eſt proxima. *Denique*, ſi hoc argumentum procederet, tum æquè deberet negari antecedens Dei decretum, ac antecedens jus divinum naturale. Si enim primo & poſtremo per ſe & abſolute omnis rectitudo & bonitas à creaturis debita, tantum procedit & pendet à lege Dei actu revelatâ: ergo nulla dabitur bonitas & rectitudo in actibus voluntatis divinæ internis, ſeu in decretis Dei. VIII. *arg.* Deus ſimpliciter ad omnia extra ſe eſt exlex : & ſicut à naturâ ſuâ non aſtringebatur, ut præcepta ſua daret hominibus ; ita ab eàdem aſtringi noluit, ut hęc vel illa, talia vel non talia daret. *Reſp.* 1. Eſt exlex à lege, quam figit homini, formaliter ſcilicet ſumendo legem ut lex eſt ; ſed non eſt liber & abſolutus ab omni materia ſeu contento legis, ut oppoſitum ejus poſſit aut præcipere ; aut ipſe facere ex. gr: ut credat ſe non eſſe Deum, & aliis mandet hoc credere, oppoſite ſcil. ad primum decalogi præceptum. 2. Ex hypotheſi, cum & quando vult præcepta dare, neceſſario dat bona & juſta : nec in genere poteſt facere aut velle oppoſitum. 3. In ſpecie etiam nonnulla dat juſta antecedenter ad liberam voluntatem ſuam, quippe ad quæ *neceſſario terminetur*, deſumta ſcilicet, *ex intrinſecâ naturâ & bonitate ſuâ* : ut loquitur *Rada loco* ſupra *cit.* Qualia ſunt in primo Decalogi præcepto. Ut homines cognoſcant verum Deum patrem, filium Spirit. Sanct. ; ut eum ament, honorent, ei obediant, & ſe ſubjiciant ; è contra, ut angelum bonum aut malum, aut hominem quem, aut ſolem, aut lunam, aut arborem, aut lapidem &c. non habeant pro uno ſolo vero Deo, nec ut Deum religiosè colant. IX. *argum.* Si Deus legem ferret neceſſitate naturæ, ſequeretur eum non poſſe non eadem ſemper jubere & vetare, quæ jubet & vetat. Quod abſurdum eſſe patet ex immolatione Iſaaci, & ſpoliatione Ægyptiorum. *Reſp.* Diſtinximus in *diſp.* noſtrâ *de Iure & juſtitiâ Dei* ; multa eſſe quę Deus aliter potuiſſet velle & mandare, non tamen omnia, X. *argum.* Si antecedenter quid bonum ad voluntatem Dei,

Dei, sequetur quid prius esse voluntate Dei, & dari aliquid bonum independenter à voluntate Dei, & consequenter voluntatem esse dependentem. *Resp.* Non est absurdum, si dicatur Deum dependere à seipso: siquidem τὸ *dependere* & τὸ *prius* διοπρεπῶς accipiatur, in signo scilicet rationis, absque compositione in Deo, aut distinctione reali. Sic scientia indefinita possibilium, item ideæ divinæ (quæ non sunt ad intra, nec terminantur in Deo, sed dicunt respectum ad aliud quid extra Deum) sunt antecedenter ante voluntatem & decretum Dei. Quin imo omnia attributa primi generis, ut & intellectus habent se antecedenter ad Dei voluntatem. Sufficit ergo evitari hoc absurdum, quo statueretur dependere Deum ab aliquo extra se, aut proponi ac revelari nobis à Deo aliquod bonum independenter á voluntate Dei: independēter dico quod ad revelationem & mandatum. Nam potest esse quædam ratio boni & recti in ordine ad hominem, quæ antecedat voluntatem Dei in signo rationis. XI. *arg.* Si Deus potest permittere blasphemiam, odium sui &c. ergo potest præcipere. *Resp. Neg. consequens.* Pari ratione quis inferat: Si Deus potest ἀνομίαν qua talem seu peccatum quodq; permittere, ergo & facere. Nam τὸ præcipere dicit agentem, actionem, & efficientiam moralem. Posset ergo esse autor peccati. Vrgetur porro hoc *arg*: quod multo minus repugnet Deo mandatum blasphemiæ, quam permissio; quia præceptum est externum quid, voluntas permissiva est internum & essentiale Dei attributum. *Resp.* 1. Sed hæc aut illa actualis permissio, & terminatio voluntatis permissivæ non est Deo intrinseca & essentialis magis, quam mandatum Dei. Æque enim libere aliquid permittit ac mandat. 2. Posset quis eodem modo argumentari, facere peccatum minus repugnat Deo, quā voluntas permissiva peccati: quia illud est externum quid, hoc vero essentiale Dei attributum. Vbi hanc consequentiam dissolverit opponens, videbit & suam eadem opera solutam. XII. *arg.* Lege, ejusque promulgatione sublatâ nullum potest esse discrimen justi & injusti: Ergo blasphemia non est peccatum, nisi ex hypothesi legis prohibentis. *Resp.* Discrimen nullum est boni & mali apud hominem seu quod ad cognitionem hominis, cui lex lata revelata non sit: est tamen apud Deum. Vbi nulla est recta ratio in homine, immo ubi nullus homo; ibi nullum discrimen, boni aut mali, immo nec veri & falsi. Sed inde non sequitur apud Deum non esse; qui est prima recta ratio, prima & suprema veritas & bonitas. Immo potius sequitur verum & bonum eorumque discrimen à falso & malo, omnem revelationem & legem ordine naturæ præcedere, quatenus scil. sunt objectum legis & revelationis? non vero per ea demum constitui. Quasi quis dicat, bis

duo

duo esse quatuor, totum esse majus suâ parte, Nihil simul posse esse & non esse, bonum non esse malum, Deum esse honorandum, aliaque axiomata æternæ veritatis tam practica quam dogmatica, esse indifferentia ad veritatem & falsitatem usque ad revelationem huic aut illi homini factam. Analogicè huc applicari potest distinctio de futurorum contingentium determinata veritate. De qua in *dissertatione* nostra *de Termino vitæ*. Atque hæc quidem argumenta, quæ pro adversâ sententia adferri solent. Exceptiones ad nostra argumenta sequenti parte perstringemus.

COROLLARIA AFFINIA.

AN jus forense Mosaicum immediatè divinum & à Deo traditum, ac proinde sapientissimè constitutum nullibi repugnans juri naturali, aut divino morali seu perpetuo; in omnibus Rebuspublicis Christianis habeat, aut saltem habere debeat vim legis? Resp. Neg. *de communi theologorum consensu.*

2. *An præ jure Romano, quod apud nos communiter & in omnibus obtinet, ubi scil. per specialia & propria statuta non abrogatur, quodque nævis suis non carere dicitur (dato hoc, inquam, non concesso, neque enim hic ager noster est,) vim legis habere debeat?* Neg.

3. *An ad minimum obtineat aut perpetuò obtinere debeat vim legis in judiciis criminalibus aut saltem in pœnis capitalibus, uti disputat* Piscator in præfat: ad cõment. in Leviticum; *quem nonnulli sequuntur, inter quos* Zepperus in explic. legum Forensium Mosis, & Maccovius in disput. Theolog. tom. 2. *seu* locor. commun. disp. 14. Resp. Neg.

4. *An opinio, quæ vel in totum vel ex parte jus hoc forense vim legis perpetuæ & communis ubique obtinere velit, satis conveniat cum doctrina, de statu populi sub Nov. Testam. & de libertate Christiana?* Neg.

5. *An non dici possit vim legis habere; quia & quatenus judicia tribunalium nostrorum in his aut illis causis, quod ad materiam & rem ipsam, cum eo conveniunt, aut etiam libere modulum & exemplum ejus subinde sequuntur, atque ad illud pro arbitrio suo sententias suas efformant?* Resp. *Si quis cum ita loquitur, nihil aliud intelligi velit; ab errore contra theologiam de libertate Christiana se quidem liberat, non tamen ab ἀνυσιλογίᾳ seu locutione admodum impropria & catachrestica, ne dicam à contradictione.*

6. *An dici possit, vim legis habere, quando & quatenus hæc aut ista Respublica partem aliquam aut leges aliquot ex eo decerpit & pro lege sancit, quæ contineant aut meram repetitionem & applicationem juris naturalis & divini moralis, aut talem determinationem, quæ cum jure divino & naturali non tantum conveniat, sed etiam præsenti statui & regimini istius populi maximè accommodata judi-*

cetur? Resp. *Idem, quod supra. Non magis enim sub isto formali Ius Mosaicum vim legis habet, quam Ius Anglicanum, Norwegicum, Russicum, Persicum, Turcicum &c. nec non dicta philosophorum, responsa & consilia prudentum sive Iurisconsultorum sive Theologorum & Casuistarum, imprimis synodorum, aut facultatum theologicarum, adhæc decisiones Rotarum Neapolit., Romanæ &c. Arresta curiarum, Parisiensis, Tholosanæ &c. cameræ Spirensis &c. ubicunque cum jure divino & naturali probe consentiunt, aut moribus & statui nostro præ aliis juribus accommodatissima judicantur.*

7. *An ergo paris autoritatis sit quodcunque jus extraneum, quod vim legis apud nos non habet, cum jure Mosaico?* Resp. *Materialiter seu in genere doctrinæ & disciplinæ & consequenter, in genere moduli ac exempli, ad quod aut identicè aut analogicè leges condi possint.* Neg. *est enim divinæ perfectionis & autoritatis. Sed in genere legis quà talis seu formaliter ita dictæ.* Aff. *Neque enim Deus positive magis præscripsit e. gr. Reipublicæ nostræ, Ius Mosaicum, quam Anglicanum, aut Norwegicum.*

8. *An præjudicium adferatur libertati, & potestati, Reip., ubi obtinet Ius Romanum, aut Anglicanum, aut quodcunque aliud sapienter constitutum, & moribus istius populi accommodatissimum: si instar dogmatis theologici & casus conscientiæ defendatur, Ius forense Mosaicum perpetuo habere, aut debere habere vim legis?* Aff.

9. *An quia ICC. nostri eximiam, aut saltem aliquam cognitionem sibi acquirere debent Iuris forensis Mosaici, illudque in consiliis aliquando suis allegant, & quia tribunalia nostra conformiter illi juri judicant, quotiescunque ita usu venerit, quia denique Respublica partem aut partes ejus aliquot in legem sancit, aut sancire potest, an inquam, hoc ipso dici non debeat habere vim legis juxta cum recepto Iure Romano, & statutis propriis?* Neg. *nisi improprie & catachrestice.*

10. *An ex eodem fundamento negari possit Ius forense Mosaicum in N. T. abrogatum esse, quippe adhuc obtinens vim legis, & consequenter Theologos hactenus male in hac abrogatione constituisse partem libertatis Christianæ?* Neg.

11. *An ex eodem fundamento sequatur ICC. nostros æque proprie ornandos esse titulo Doctorum Iuris Mosaici, ac civilis Romani, non minus quam olim V. T. inter Levitas dicti γραμματεῖς καὶ νομικοὶ* 1. Scribæ & Legisperiti, *qui proprie juris istius Mosaici consulti, interpretes & Doctores erant, ac secundum illud consulebant & determinabant?* Neg. *Vt enim rei veritati non conveniret, ita etiam præjudicaret aliquantum doctrinæ theologicæ de abrogatione legis mosaicæ, & de libertate Christiana.*

12. *An titulus Doctorum Theologiæ dicat & in se complectatur Iuris forensis Mosaici doctorem?* Resp. *quatenus cognoscit & docet Theologus τὸ historicum, & τὸ dogmaticum seu doctrinale illa parte sacri codicis comprehensum,* Aff. *ut etiam*

etiam de jure ceremoniali. Non vero quatenus observationem ejus tanquam legis obligantis conscientiis hominum applicat & imponit, ac secundum illud in foro conscientiæ judicat, casus conscientiæ determinat, consilia scribit. Sic enim solius Iuris divini moralis Doctor est.

Sed hæc applicata ad distinctionem cum & sub quâ nostri hodie dici possint aut debeãt Doctores juris canonici, ex professo & pluribus persequimur in *disp. de Iure canonico*; & forte in *disp. de Legibus divinis & humanis.*

APPENDICIS AD DISPVTATIONEM THEOLOGICAM DE IURE ET IVSTITIA DEI.

PARS SECVNDA.

Resp. M. ANDREA LANSMAN Amstelod. *Ad diem* 29. *Mart.* 1644.

Ad argumenta, & solutiones priori parte à nobis productas istæ exceptiones & instantiæ ab amico submissæ sunt; quæ, nisi solide & perspicue diluantur, obstare dicuntur, quo minus in sententiam nostram hactenus descendat, qui contrarium defendit. Hoc ergo agamus.

INstant. 1. *Si Deus res aliquas extra se sic & non alio modo necessario vult, idque propter illarum bonitatem vel malitiam intrinsecam, jam voluntas Dei esset regulatum, at voluntas Dei nunquam est regulatum, sed semper regulans. Quia regulãs & regulatum necessario realiter differunt, hoc est tanquam causa & effectum.* At in Deo nihil sic Differt. *Resp.* 1. Ad argumenti majorem, distinguendam esse bonitatem creaturę sic ipsi intrinsecam, ut non dependeat à Deo; sed Deus ab ipsâ. Hæc si innuitur, conceditur totum argumentum quia nihil contra nos. Sed si intelligitur bonitas in actibus Dei circa creaturam, & in ipsâ creaturâ formaliter inhærens & effectivè seu principiativè à Deo dependens: jam distinguimus regulatum in illud, quod propriè dicitur tale: & in id, quod analogicè. Posteriori modo si accipiatur, *negamus* minorem. Est enim in Deo lex æterna: uti docetur ab omnibus Theologis: nominatim à *Scholasticis ad* 1.2.*qu.*93.*artic.*1. cui non subjicitur divina essentia, quia est ipsa lex. *Ibid. artic.*4. Est etiam in Deo idea, quæ habet rationem artis, & exemplaris, & principii operationum Dei ad extra: uti docent *Scholastici ad* 1.*qu.*15.*artic.*1.2.3. & nostri theologi cum ipsis: quorum aliquos indicamus in *disp. de scientiâ Dei.* Si ergo volitionis divinæ & legum, quas fert creaturis, & operationum externarum circa creaturam, aliqua regula, norma, lex, Principium in Deo ponatur θεοπρεπῶς acceptum, utique minime evertit Dei essentiam & voluntatem primam,

independentem, ἀνάεχον. Hoc ipsum 1. *part.* hujus *disp. thesi.* 4. ex *Cajetano* ostendimus. Et docent communiter theologi nostri cum Scholasticis, ubi disputant voluntatis divinę causam esse voluntatem divinam, in ordine scilicet ad volita, & quod ad attingentiam passivam. 11. Ad *priorem* probationem minoris *respond.* voluntas mandati proprie à Theologis dicitur regulare nostram voluntatem nostrasque actiones & in ordine ad nos, & sic nullo modo regulatur. Sed ideo non repugnat, eandem comparatam cum voluntate beneplaciti, cujus effectum est, regulari ab eâ tanquam norma. Rursum voluntas beneplaciti seu decreta Dei sunt regula mandati, immo & omnium externorum Dei operum: nec tamen repugnat volitiones & decreta illa regulari (διαφερόντως hoc intellige) à prima & perfectissima Dei essentia per varia attributa, primitatem scil., simplicitatem, immutabilitatem, æternitatem &c. nobis in verbo Dei manifestata ac descripta: ita ut secundum illam & non aliter Deus velit & decernat, quidquid velle aut decernere potest de creaturis, & circa creaturas. *Ad posteriorem* prob. *R.* Omne regulans à suo regulato realiter differre tãquam causam & effectũ, *Neg.* In divinis operatio patris ad extra, est regula & exemplar operationis Filii *Ioh.* 5. *v.* 17. 19. Nec tamen hujus operatio ab illius realiter differt, tanquã causa ab effectu. Quin & persona patris est exemplar & filii est εἰκὼν *Col.* 1. & hic illius est character *Heb.* 1. Non tamẽ sequitur hic esse causam & effectum: quamvis non negemus revera differre. Rursum potentia generandi in patre est principium quo, seu secundum quod generat filium: nec tamen τὸ generare à potentia generandi realiter differt tanquam effectum à causa. Spiritus sanctus sumit à filio, & ab illo revelat ac loquitur *Ioh.* 16. *v.* 13. 14. 15. Nec tamen locum hic habet causa & effectus. Egressus & actus attributorum secundi generis (puta scientiæ, voluntatis, justitiæ, misericordiæ, veracitatis, potentię) circa creaturas, regulantur secundum modulum & perfectionem attributorum primi generis: ita ut Deus simpliciter, independenter, immutabiliter intelligat aut velit. Nec tamen attributa primi & secundi generis inter se differunt realiter II. Instantia *hæc firmatur sequenti* Except. *seu* Prolepsi: *Nec responderi potest, Deum esse sui ipsius regulam. Præterquam enim quod phrasis insolens sit: Deus Deum regulat, hoc accedit, quod hic quæstio sit, non an aliquid in Deo sit, quod Deum regulet, sed an aliquid extra Deum tale sit. Ideo frustra respondebitur quoad momenta & signa rationis posse admitti in Deo regulans & regulatũ. Quæritur enim hic de regulante extrinseco, non intrinseco. Item, si dicetur, illud extrinsecum (v. gr. justè jurare &c.) pendere à natura Dei, tum respondemus hoc esse totum, quod negatur, adeoque esse petitionem principii. Resp.* 1. Non est phrasis tam insolens: si cum illa complures alias compa-

res

res quæ in scriptura occurrunt, quas ἀνθρωπόπαθως accipiendas novimus. Vt cum Deus dicitur judicari *Rom.* 3. secum quasi luctari & contendere *Hoseæ.* 11. deliberare & consulere *Ephes.* 2. 2. *Reg.* 22. Cum jurat per seipsum & per animã suam *Heb.* 6. ubi distinguimus aliquo modo (minime tamen realiter) jurantem, & eum per quem jurat. Sic Deus movens à quiescente, evigilans à dormiente distinguitur; misericos à justo, miserans & parcens à puniente & affligente, judex ab absoluto & supremo domino. Ne quid dicam de phrasibus illis, quibus Deus dicitur esse à seipso, operari seu producere aliquid à seipso, & quod filius sit Deus de Deo, lumen de lumine. 11. Falso præsupponitur & sumitur, quęstionem hic non esse, an Deus reguletur, mensuretur, aut determinetur ab aliquo extrinseco. Quia utrique hoc strenuè negamus. Quod si quæstionem mihi proponat, respondebo negando: & in *priori parte disp.* satis perspicuè respõdi. Ac propterea non frustra respondi, Quoad momenta & signa rationis posse admitti in Deo regulans & regulatum. 111. Sed urget necessario ad extrinsecum aliquod regulans admittendum nos compelli, quia ipse neget extrinsecum illud in creaturis aut circa creaturas, pendere à natura Dei, adeoque esse petitionem principii, cum nos hoc affirmamus. *Resp.* Eodem halitu omnia attributa divina, quæ respectum dicunt ad creaturas neganda essent; totaque doctrina philosophica & theologica de implicatione contradictionis, deque simpliciter & absolutè impossibili subvertenda esset. Fons erroris est, quod quæ ab intra sunt, quamvis in ordine & cum respectu aliquo ad extra, quæque ab ipsa natura atque attributis Dei dependent proximè atque immediatè, quo minus ea aliter quam sic operari aut facere possit; putantur esse ab extra, atque inde proximè atque immediatè dependere: quia scil. dicunt seu involvunt respectum ad extra atque inde denominationem aliquam extrinsecam recipiunt. Deinde, quod perperam putatur, quidquid extra Deum habet rationem termini, aut objecti esse causam aut antecedens aliquod à quo Deus pendeat tanquam posterius à priori, determinabile à determinante, regulatum â regula, effectum à causa, passivum ab activo. Prior falsa hypothesis, seu falsum lemma eliditur ab omnibus locorum communium scriptoribus, & Metaphysicis, cum dicunt tale vel tale quid repugnans in terminis & contradictorium non posse à Deo fieri, quia scil. repugnat naturę, veritati, bonitati & perfectioni divinę in lumine naturę & scripturę nobis revelatæ. Neq; enim potest Deus operãdo extra se, abnegare seipsum. Sed exemplis de quibus inter nos convenit, rem declaremus. Non potest producere humanam naturam infinitam aut alium quem Deum, aut creaturam moraliter malam aut motum seu præmotionem in

creatura rationali ad peccatum quà tale ; non potest accidens conservare sine suâ substantiâ, nec factum infectum reddere, nec mutare aliquid in præexistens ; non potest voluntatem hominis sic movere & cum eâ sic concurrere, ut in eliciendâ actione suâ vim patiatur aut violętetur (de quo operosè *Vasqu. ad* 1.2. *disp.* 26. & *I. Alphons. Curiel in lecturis ad* 1.2. *q.* 6. *art.* 4.) Hic passivè in objecto & termino ad quem, seu à parte creaturæ, seu rei producibilis, in quâ formaliter est, si possibilitas effectus quæsiti cõsideretur, dicitur esse repugnantia in terminis: sin vero activè seu principiativè in termino à quo seu à parte Dei productivi aut productoris possibilitatis ejusdẽ rei seu effectus quæsiti cõsideretur, dicitur repugnare naturæ & perfectioni divinæ : & hoc est in quod ultimo resolvitur & reducitur impossibilitas rerum, quippe primam radicem, rationem & mensurã omnis possibilitatis producendi activè, cui consequenter respondet possibilitas aut impossibilitas productionis passivè, atque adeo possibilis existentiæ rerum. Hæc doctrina constans, atque apud omnes in confesso ; quam cum hic præsupponimus, alibi & suo loco à nobis explicatam & probatam in *disp. de Potentia Dei part.* 1. *in fine* & *part.* 2. *in principio*, & ab autoribus ibi citatis, minime petimus principium ; sed potius negantes, si pergant, dicendi essent negare principia communis philosophię & theologiæ, quæ hactenus utrinque in confesso fuere. Nihil autem refert, quod non secundum nostrum concipiendi modum & κατ' ἀνάλυσιν prius subinde intelligimus ad extra in termino à quo seu in objecto, repugnantiam & contradictionem, hoc enim est à posteriori colligere & venari, quid sit simpliciter possibile, quid non. Est tamen secundum ordinem naturæ à priori & κατὰ σύνθεσιν accersenda ex ipsâ Dei naturâ, tanquam primâ ac propriâ radice & principio effectivo ut contingentiæ aut necessitatis, sic etiam omnis possibilitatis in creaturis, & consequenter, indirectè seu per oppositum, omnis impossibilitatis. Absolutè enim & in genere actus natura prior est potentia, & potentia activa prior est potentiâ passivâ, atque hæc ex illa resultat. Sic Dei natura & perfectio est prior quocunque alio extra Deum, sive possibili sive futuro, & quibuscunque rerum modis & affectionibus. *Posterior falsa* hypothesis, seu falsum lemma est, perfectionem Dei ab intra, cum respectu ad extra ad aliquid futurum aut possibile, non posse ad illud referri, immo non posse relationem illam rationis seu denominationem extrinsecam admittere, nisi una dependeat ab illo extrinseco tanquam priori principio, aut causa, aut mensura & regula determinante. Quod figmentum absurdissimum est, & plane ἀνακόλουθον. Vitam æternam à Deo promissam accipiunt singuli fideles propter Christum; & est oppositum hypotheticè impossi-

impossibile ut fiat, aut ut Deus illud velit ac faciat. Non tamen dependet Deus ab aliquo extrinseco, verbo scilicet promissionis, aut homine fideli, aut vita æternâ promissa : sed tantum â seipso (ita loquar): hic enim & nō alibi est radix ac fundamentum impossibilitatis *Heb.* 6. 18. 2. *Tim.* 2. 13. Quod peccatum hominis non potuerit expiari sine satisfactione, dependet à justitia Dei punitiva, non contra. Quod futurorum contingentium sit determinata veritas, dependet à voluntate & scientia Dei non contra. Quod potuerit mundus ex nihilo produci, dependet à potentia creativa Dei; non contra. Quod homo sit sublex Deo & teneatur Deo obedire quidquid ipsi mandaverit, nec possit esse ἀντεξούσιος, dependet à suprema potestate, & absoluto Dei Dominio; non contra. Quod creatura non possit non dependere à Deo, dependet à Dei primitate & perfectione; non contra. Veritas principiorum theoreticorum & practicorum, quæ homini naturaliter insita, dependet â Deo tanquam prima veritate; non contra. Promissionis impletio in creaturis, aut circa eas dependet à Dei veracitate & perfectione *Heb.* 6. *Rom.* 3. ; non contra. Nullum ens potest esse metaphysicè seu natura sua malum : cujus impossibilitatis prima radix invenitur in natura Dei, & inde dependet; non contra. Et sic in omnibus aliis potentia Dei per prius refertur ad possibilia, & hæc ab illa resultant ac dependent; non contra : quamvis relatione seu habitudine transcendentali ad se invicem referantur. Habent ergo possibilia in terminis, in ordine ad Deum ejusque potentiam, rationem correlati termini, aut objecti, non causæ, aut principii, aut regulæ; & sic indirectè seu per oppositum & negativè habent impossibilia & repugnantia in terminis rationem quasi correlati sive termini sive objecti, siquidem ad potentiam Dei comparentur. Vno verbo sunt ab intra & ex parte divinæ naturæ & potentiæ impossibilia, sed relatè ad extra seu in ordine & cum respectu ad aliud quid, quod non est Deus. Deus alius præter & extra verum Deum est incomposibilis, nec potest esse nec potest produci. Et tamen Deus non redditur dependens, si dicamus Deum non posse velle talis Dei existentiam aut productionem; nec petitur principium cum hoc asseritur. Si quis enim tam absurdus sit, qui neget esse repugnantiam in terminis; aut Deum hoc non posse, eum ex natura & attributis divinis evidenter refutabimus, & ad absurdum deducemus.

III. Instant. *Deum ad falsum credendum item ad impossibile posse obligare, ut Abrahamum, item Isaiam prædicentem Hiskiæ mortem, Ionam prædicentem excidium Ninive, plenius discutiendum esset.* 2. *Resp.* 1. Ad exemplum Abrahami respondemus, illud minime comparatum esse ad illud λίαν μέγα αἴτημα

τημα & paradoxon invita omni sanâ Theologiâ astruendum : *Fidei divinæ posse subesse falsum, & Deum posse alicui mandare ut credat falsum.* Nota est distinctio voluntatis Dei in beneplaciti, & mandati; quæ cum utrinque in confesso sit, non est quod hic ex elementis locorum communium probationem ejus recoquamus, aut ad rancidas objectiones Pelagianorum operose respondeamus. Vt verbo absolvam, Negatur Deum Abrahamo præscripsisse ut crederet mortem filii, seu effectum & complementum mactationis. Neutram contradictionis partem; An morte ista violenta Isaacus periturus esset nec ne, illi revelavit, nedum ut credendam præceperit: hactenus enim erat illi voluntas Dei occulta, & non revelata. Contrarium ex textu ne minima quidem specie probabitur. Credebat Abrahamus, Deum per Isaacum (sive in vita servandum, sive ex mortuis suscitandum : utrumque enim erat possibile) propagaturum gentem magnam & inde tandem oriundum Messiam. Nec minus credere debebat, Deum sibi mandare, ut illum Isaacum mactaret, seque obligari ad obedientiam; prout etiam de facto obedientiam hactenus præstabat, ut filium suum decreto & voluntate sua offerret *Hebr.* 11. *v.* 17. Sed de hoc forte alibi, aut infra in problematis paulo fusius disputandum erit. Scholastici varias hic adferunt distinctiones, ut argumēto huic satisfaciant: sed nos putamus hanc esse simpliciſsimam & tutiſsimam. II. Illud de Hiskia & Iona satis explicuimus in *dissert. de Termino vitæ.* III. An Deus possit hominem obligare ad impossibile, frustra huc adfertur. Sive enim affirmetur sive negetur; nihil facit ad probandam antithesin, quod Deus possit mandare sui odium, blasphemiam, & quodcunque aliud peccatum contra primum & tertium decalogi præceptum. Sed forte infra in progressu ζήτημα hoc attingemus.

3. IV. Instant : *Deum sine demerito posse affligere innocentem creaturam.* At vero innocentem affligere est res intrinsecam malitiam habens &c. *Resp.* 1. Quæstio erat an Deus salva sua natura & absque implicatione contradictionis possit velle & præcipere odium sui, blasphemiam, & quælibet horrenda peccata contra primam decalogi tabulam, quorum aliqua *priori parte* hujus *disp.* recensuimus. Pro affirmativa adfertur hoc argumentum, quia potest aliquid habens intrinsecam malitiam, affligere scilicet creaturam innocentem. Sed *Neg.* consequentia, Non enim sequitur, à malo tristi seu λυπηρῷ ad malum turpe seu culpæ, Deus potest affligere, ergo potest peccare aut velle homini præcipere peccatum. Potest esse autor & causa mali tristis : ergo etiam mali turpis sive physica sive moralis sic ut ipse illud faciat, aut alteri præcipiat facere. II. Quod si dicat, statui & solidè probari à se & à Scholasticis ac recentioribus nonnullis, Deum

sine

sine peccato & abnegatione sui ipsius posse etiam in æternum cruciatibus infernalibus affligere creaturam innocentem: jam una statuit voluntatem & executionem illam Dei, nullam habere intrinsecam malitiam respectu Dei; quod non repugnet supremę, absolutæ & liberrimæ naturæ, potestati ac Dominio Dei, sed optimè cum iis conveniat, prout illa nobis ex lumine naturæ & scripturæ patescunt. Vnde ergo & cur hic fingitur in actu illo Dei intrinseca malitia? cum sive data sive concessa hac hypothesi (de qua non est hic disputandi locus) Deus optimè & justissimè hoc faciat, non quidem jure judicii tanquam judex secundum justitiam vindicantem, sed tanquam absolutus Dominus jure dominii secundum justitiam seu bonitatem dominantem. 111. Quod si dicere malit, esse intrinsecam malitiam respectu hominis in tali actu, quo affligeret innocentem; eum tamen actum homini à Deo præcipi posse. *Resp.* Negari ergo actum ejusmodi ita intrinsece malum esse, ut nunquam possit honestari. Ordinariò enim præcipitur Medicis & chirurgis, ut urant, secent &c. & ex vi & conscientia vocationis affligant quosvis innocentes, qui modo opera ipsorum indigent. Extraordinario præcepit Deus Abrahamo ut filium innocentem mactaret, & recte ac pie fecit Abrahamus cum hoc voluntate sua ageret *Hebr.* 11. *v.* 17. Peccatum hic aberat, quia Deus qui erat supra legem, *Non occides*, ex plenitudine potestatis absque ulla repugnantia naturæ, bonitatis, & potestatis suæ, creaturam in ordine ad se & universaliter nocentē ac mortis debitorē (*Gen.* 3. cum *Rom.* 5.) quamvis in ordine ad Abrahamum & in particulari innocentem subjecit potestati Abrahami: legemque illi tulit peculiarem, quæ erat quasi exceptio à lege communi, *Non occides innocentem.* Nulla ergo hic fuit malitia moralis, quam Deus præceperit, quia nulla erat lex, quæ Abrahamo hoc prohiberet. Similiter judicandum est de facto Pinehas *Psalm.* 106. Elię 2. *Reg.* 1. Elizæi 2. *Reg.* 2. Israelitarum cherem in Cananitas exequentium, omnesque ipsorum agros sibi vindicantium. Vide *disp. de jure & justitâ Dei.* Sed quid hæc faciunt ad odium Dei, blasphemiam, inobedientiam, & quævis peccata erga cultum & subjectionem Dei naturalem, quæ volunt à Deo posse præcipi.

V. Instant. *Eodem modo se habere voluntatem Dei ad volita, ut intellectum ad scibilia. Ratio est, quia si intellectus divinus ideo non dicitur res intelligere quia sunt, sed esse eas, quia intelliguntur: quia alias intellectus divinus esset mensuratum. Ergo etiam voluntas, si volet res aliquas, quia sunt bonæ, erit mensurata à rebus, & per consequens posterior rebus quia mensuratum est posterius mensura. Resp.* 1. Argumentum tale est: Voluntas divina est mensura rerum, & non 4.

mensuratur à rebus : ergo nullas res vult Deus, quia bonæ sunt, sed bonæ sunt, quia vult. Probatur ãtecedẽs à pari: Quia intellectus intelligit res, nõ quia sunt &c. posset concedi totum argumentum, cum probatione. Nihil enim contra nos : Neq; enim nos dicimus, Dei voluntati præsupponi aliquam entitatem, aut bonitatem, aut veritatem in creaturis, quæ non sit & dependeat à Deo. Sed dices, sequitur ergo, odium Dei, blasphemiam, inobedientiã in genere & in specie &c. posse decerni à Deo, & secundum illud decretum in tempore homini præcipi, atque ab homine justè & benè præstari. *Resp.* Negatur sequi : non magis, quam sequitur, Ergo Deum posse in rebus creatis formaliter intelligere, & posse velle intelligere omnia falsa, & cõtradictoria, e.gr. Duo & unum sunt quatuor, bis duo non sunt quatuor, quatuor & tres planetæ nõ sunt septẽ, unum luminare magnum & unum luminare magnum nõ sunt duo luminaria magna, pars est major toto, pars mundi toto mundo, terræ tota terra, corrupta est virgo, factum est infectum, humana natura est & potest esse infinita, omnipotens &c. & de facto sic fuit in Christo, corpus est aut potest esse sine quãtitate, accidens sine suo subjecto, peccatum originale in homine est aut potest esse substantia, quadratum est rotundum, par est impar, homo est lapis, aut lupus propriè dictus, equus est rationalis, voluntas violentatur aut potest violentari, & similia infinita. Et omnia hæc tum non erunt falsa, sed vera : alioquin scil. Dei voluntas & intellectus essent mensuratum, & veritas in rebus esset mensura mensurans. Hoc syrma absurdorum consequentium si præscindere quis velit, necesse est dimittat absurdum illud & πρῶτον ψεῦδος, unde illa necessario sequuntur. 11. Omnis veritatis & γνωστῦ sive theoretici & practici quod ad nos, seu respectu cognitionis nostræ causa & mensura est revelatio Dei naturalis aut supernaturalis, ita ut mihi hoc verum sit, quia Deus ita revelavit, non vero quia mihi verum sit aut fuerit ideo ita & non aliter revelaverit : est enim prima veritas revelans causa, principium & mensura omnis veritatis & cognitionis in homine, non contra. Nec tamen sequitur veritatis absolutè & in se consideratæ primam radicem ac principium esse quærendum in revelatione divina; hoc est in lumine naturali, aut in sacra scriptura : nam hinc sequeretur Deum summam ac primam veritatem, mensurari & dependere ab effectu & opere aliquo suo externo. Distingue ergo in Dei revelatione independentiam & prioritatem, quod ad nos, seu res aliquas extra Deum: & dependentiam ac posterioritatem (in signo scil. rationis) quod ad ipsam Dei naturam & perfectionem vitalem. Et sic Deus non potest aliter aut aliud quid revelare, quam conveniat naturæ & perfectioni suę. Pari modo in ratione boni, Deus lege sua præscribit nihil

nisi

nisi bonum : neque enim potest esse αἴτιον συμβουλευτικὸν seu causa moralis mali turpis, non magis quam causa physica. Et nihil nobis, vel quod ad nos habet rationem bonitatis, nisi quia & quatenus Deus lege aliqua sua tanquam unica moralis bonitatis nostrę seu honestatis mensura illud nobis præscribit. Sed inde non sequitur omnem bonitatem & ideam bonitatis, quæ est in Deo ab intra sed cum relatione seu denominatione communicativi aut communicabilis in ordine & cum respectu ad creaturam, quod ad Deum, seu respectu Dei, qui est supra legem suam, dependere à lege hominibus lata : atque adeo dicendum, esse eam bonitatem & non aliter quia Deus lege sua ita sancivit, quæ nobis est unica bonitatis & justitiæ regula. Lex Dei est quidem prima & ultima radix & norma bonitatis, quod ad nos seu nostram obedientiam : nam voluntas beneplaciti divini quà talis non est nobis norma, nisi mediate & consequenter, quatenus à posteriori & ex signo nobis deprehenditur. Vt ergo legi divinæ primo (quod ad nos) principio actionum moralium non repugnat, si dicatur dependere ab ipsius decreto seu voluntate, sic nec voluntati divinæ repugnat, si διοπρεπῶς dicatur dependere à Dei natura & attributis, hoc est, egredi & tendere extra se in aut circa creaturam secundum primitatem, simplicitatem, immutabilitatem, perfectionem, bonitatem, sufficientiam, scientiam possibilium, ideam, immo & secundum essentialem justitiam, veracitatem, potentiam, potestatem, majestatem, dominium. Nam tum Deus nec interne agendo, hoc est volendo & intelligendo, nec externe agendo, hoc est exequendo limitatur aut mensuratur ab ullo extrinseco : sed ab intrinseco à seipso, à natura scil. & perfectione sua. Distingue ergò velle Deum aliquid boni quia tale, & rursum aliquid esse bonum quia vult, uti nos jam distinximus, & omnia recte conciliata & sanæ ac communiter apud omnes Christianos receptæ philosophiæ ac theologiæ congrua videbis. Et rursum aliquid esse in Deo ab intra, non ab extra, quamvis sit ad extra, seu dicat respectum ad extra. Ad illustrationem & confirmationem doctrinæ de Possibilitate rerum, ejusque radice conferri possunt, quæ disputant *Scholastici ad* 1. *dist.* 42. imprimis *Henricus de Gandavo*, ubi statuit possibilitatem cujusque rei fiendæ attendi ex parte Dei, ita ut res dicatur à Deo factibilis, quia Deus potest facere, non è converso. Et *Scotus* ac *Bonaventura*, qui sic distinguunt : ut possibilitas rei seu creaturæ sit ex ipsa formaliter, & accipienda sit ex parte rei vel creaturæ : sed possibilitas ejusdem sit effectivè, principiativè & originaliter ex intellectu divino ; eo quod potentia objectiva non possit accipi originaliter ex parte illius, quod originatur sed ex parte illius quod originat &c. Idem statuendum est de impossibilitate. Quæ vide

fusius explicata à *Petro Capullo in commentar. ad commentar. Bonaventuræ in* 1. *dist.* 42. *quæst.* 4. *punct.* 1. & 2. Nec possum præterire, quin indicem, quam sanè & accuratè sententia hæc, quam defendimus, in Academia Franequerana ante paucos annos ad disputandum publicè volente & approbante D. Maccovio proposita & explicata sit à genuino ipsius discipulo D. *Ioh. Clutone* Theol. Doctore in *Idea Theologiæ disp.* 4. *th.* 20. 35. 36. & *disp.* 11. *th.* 18. & *disp.* 19. *th.* 19. & *disp.* 40. *th.* 31. 32. Hæc vel sola moderatis & perspicacibus ingeniis dubia omnia eximere possent : & cum conceptibus nostris fusius nunc expositis per omnia conveniunt. Operam non luserint studiosi nostri, si eum in hac, aliisque materiis consulant : supra multos alios faciet ad accurandos conceptus locorum communium.

Occasione libelli à Doctiss. D. Zydlovio D. Maccovii discipulo editis in qua sententiam nostram de Iure Dei ex professo oppugnaverat, scripsi ad eundem D. Zydlovium epistolam, quam quia ipse in Mantissa prædicti libelli edidit, visum est hic reponere ob materiæ affinitatem.

Ornatissime & doctissime

D. ZYDLOVI,

PEtis judicium meum de quæstionibus duabus à te nuper pertractatis libello, cui tit. *Vindiciæ Quæst. aliquot difficilium*, &c. Honestæ tuæ petitioni non possum refragari ; quippe omnibus, imprimis tui ordinis, debitorem me profiteor. Sic ergo habes : quæstionem illam de adorationis objecto formali, cujus gratia libellus tuus potissimum conscriptus videtur, à te quod ad summam rei seu rem ipsam convenienter sacris literis, & hypothesibus orthodoxæ Theologiæ nostræ esse petractatam, solidequè discussa, quę ab aliis possent aut etiam solent objici, adhæc detectum fideliter errorum quorundam syrma, quod contraria sententia mordicus defensa secum tractura & in Theologiam nostram invectura videtur ; de quo non vana fuit præmonitio summi & veterani Theologi D. Gomari præceptoris nostri, cujus verba exhibui in *appendice prima* ad *disp. de Adoratione Christi qua mediatoris.* Est itaque quod orthodoxiæ & ἀκριβείας amantes hoc nomine gratias tibi agant, tuoque labore in concertationibus cum Remonstrantibus & Socinianis libenter utantur, fruantur. Hoc meum est judicium non tantum, sed & multorum ministrorum, aliorumque virorum doctorum, quos quidem audire mihi contigit. Quod ad alteram quæstionem. *An res sint ideo justæ & bonæ, quia Deus eas vult, vel an ideo eas velit, quia justæ sunt* : fateor eam in genere & in Thesi à nonnullis Theologis (inter quos ex nostris mihi nunc occurrit, *Polanus Syntagm. lib.* 2. *cap.* 26. *axiomate* 3. & 4.) ita videri determinari, ac tu determinas ; ab aliis eam involvi, saltem non satis explicatè determinari,

nari, cum disputant. *An Deus de omnibus præceptis legis dispensare possit.* Vide inter alios *Valentiam & Sylvium ad 1.2.qu.100.art.7.aut* 8. si bene memini. Vt tamen candide dicam, quod res est, nondum video contrariam sententiam, quam antehac in *disp.* mea *de jure & justitia Dei* proposui argumentis tuis satis alioquin subtilibus elisam esse. Reponi enim potest axioma illud de libero Dei decreto seu voluntate tanquam prima causa nullam normam aut mensuram se priorem habente, ita limitandum esse, ex mente Theologorum, ut dicatur nullam volitionis divinæ normam esse ab extra seu extra Deum: quo tamen non negetur normam & mensuram priorem (in sign. scil. rationis) esse ab intra & in Deo, hoc est, Deum seu naturam Dei & primitatem, perfectionem, potestatem seu dominium ejus essentiale supremum absolutum, divinæ volitionis esse normam. Quomodo necessitate quadam Deus seipsum intelligit, vult seipsum & amat, nihilominus voluntate libera non quidem antecedenter, sed concomitanter: non potest enim velle seipsum non cognoscere, non amare, item non potest Pater velle non generare aut amare filium. Dices objectum voluntatis divinæ hic esse actiones & relationes ad intra. Monstremus ergo actiones & relationes ad extra. Non potest Deus velle non cognoscere scientia indefinita omnia possibilia, non potest non omnium rerum ideas in se habere, quæ sunt mensuræ priores (in signo scilicet rationis) seu exemplaria omnium producendorum; ita ut Deus, posito quod velit existere hanc aut illam rem, non possit velle res aliter producere, quam suis quæque ideis præformatæ ac præconceptæ sunt. Rursum Deus necessario (sed ex hypothesi creaturæ rationalis peccantis) vult punire peccata secundum δικαίωμα suum (*Rom.* 1.30.) & justitiam punitivam, nihilominus liberè; nec tamen justitia punitiva in egressu seu exercitio suo antecedēter libera est, ita ut possit Deus velle nō punire, posito scilicet peccato. Quod si hic nolis succumbere objectionibus Doctissimi Twissi adversus justitiæ necessitatem, uti te nolle arbitror, utique vides argumenta tua non esse ἄλυτα. Sin vero in Twissi sententiam concedas, paulo aliter erunt instruendæ & applicandæ responsiones & exceptiones nostræ. Sed de his accuratiorem disquisitionem diligentiæ tuæ relinquo: mihi enim non vacat nunc ex professo tua excutere, & theses meas relegere, alteri occasioni hoc reservandum est. De hypothesi seu consectario hujus quæstionis, *An Deus possit præcipere aut velle præcipere peccatum*; exempli gratia blasphemiam, odium Dei, &c. sic censeo, illud non satis tuto & prudenter ex thesi generali, quæ extra omnem dubitationem & difficultatem nondum in luce posita est, sed potius duritiem & difficillimas consequentias ejus suadere posse, quærendam aliquam limitationem,

tionem, aut saltem amplectendam tantisper aliquam ἐποχὴν circa thesin generalem. Scholasticis non infrequens fuit de istius generis durioribus quæsitis exempli gratia, *An Christus potuerit assumere aliam quamcunque naturam, aut humanam naturam peccatricem, &c.* libere disserere uti & inter eos *Occam. ad 2. dist. 19.* quærit. *An Deus homini possit præcipere actum odii?* Nos tamen abstineri malimus ab omnibus, quæ sonant in malum. Inter alia, quæ nuper per occasionem in mentem veniebant, fuit & illud: videri ex tua sententia sequi, Deum providentia suâ activâ esse autorem peccati. Qui enim quid præcipit, est causa moralis seu αἴτιον συμβουλευτικόν, uti eam appellat Philosophus. Vidisti proculdubio, quæ Clar. D. *Maccovius*, & Eximius Doctor *Cluto* eleganter conceperunt de providentia Dei morali. Sed uti jam dixi, hæc aliaque diligentiæ tuæ serio consideranda, & cum subtilissimi ac subactissimi judicii Theologo ac philosopho D. Maccovio conferenda relinquo. Ille hic tibi aquila sit in nubibus, perspiciet proculdubio & candide exponet quid in hac causa sit liquidum. Scio urgeri à te contrariam sententiam petitione demonstrationis, sine qua alioquin tota defensio laboret petione principii. Sed quamvis illa non tam evidenter exhiberi posset; non negandum tamen quin tutius sit in ea tantisper acquiescere cum aliqua dubitatione seu formidine oppositi, aut saltem in doctę ignorantiæ asylum potius concedendum, quam in horridiorem illam sententiam excurrendum. Præterquam quod aliquæ stricturæ veritatis in scriptura & lumine naturali se ostendant, unde demonstrationem moliri nobis videmur. Posita enim necessaria creaturæ rationalis à Deo non tantum ut primo ac summo principio naturali sed & morali dependentia, & consequenter ejusdem secundum rectam rationem ad Deum tanquam summam rationem subjectione & adhæsione: non potest non lex illi ferri, quæ obliget ad obedientiam Dei in genere, & ad cultum, quem vocant, naturalem; nisi admittere velimus contradictionis implicationem, hoc est, essentialis dominii divini ac juris in creaturam rationalem, hoc est ipsius Dei abnegationem. Si enim Deus dimittere & absolvere potest creaturam rationalem ab obligatione, qua necessario ad subjectionem & obedientiam tenetur, sequitur Deum posse abjicere jus suum & dominium speciale in illam creaturam. Atqui hoc videtur absurdum; primo quod tollat nobis solutionem argumenti capitalis contra justitiam Dei punitivam (quod est, si Deus antecedenter libere miseretur peccatoris; ergo sic etiam punit peccatum, ita ut possit non punire): Secundo quia videtur hoc minimè convenire cum tuis assertionibus de absoluta Dei potentia & supremo dominio. *P. 144 P. 163.* Tertio quia fundatum est in productione

ductione istius creaturæ, non tantum ut generaliter existentis ac bonæ juxta cum aliis, sed etiam ut rationalis, quę capax sit obedientiæ & λογικῆς λατρείας, haut aliter ac potestas ac existimatio patris inter homines fundata est in generatione filii, quæ abjici & abnegari non potest, nisi & ipsa generatio negetur. Quod si forte excipiat quis, hominem in genere quidem ad obedientiam aut subjectionem Dei necessario teneri: sed non ad hanc aut illam in specie: respondeo, nisi aliqui actus in specie & forma designentur, per quos & in quibus homo necessario teneatur obedientiã suam erga Deum exserere, sequeretur tum nullam esse necessariam obedientiam (genus enim nihil aliud est quam sua species, realiter scilicet) Deinde quicunque actus obedientiæ ponantur, pariter posse dici Deum habere se ad illos æque ac ad alios libere antecedenter, ut possit eos velle aut non velle, velle eos præcipere aut non præcipere, aut contrarium præcipere, e.g. ut homo Deum non cognoscat, ut nullam habeat & retineat Theologiam, syntheresin, & conscientiam naturalem, ut Dei veritatem & causam in injustitia detineat aut condemnet, ut odio habeat Deum, ut Diabolum adoret atque honoret tanquam Deum (ad quod peccatum tentatus fuit Christus *Matth.*4.) ut corde credat, ore doceat ac profiteatur Æonas Valentini; duos Deos Manicheorum, verum Deum esse simulatorem, autorem peccati, tyrannum, Diabolum (quæ horrenda & abominanda nostris ecclesiis impingunt Iesuitæ Monasterienses in *Credo Calvini sequarum*) ut desperet; ut Deum tentet & blasphemet, ut minimam quamvis creaturam, imo vilissimas & pessimas suas cupiditates plus diligat, quam Deum, ut eas habeat pro summo bono, Deum vero non habeat, ut omnes species & modos idololatriæ & magię exerceat; quę unquam apud Ethnicos aut Pontificios in usu fuere. De permissione quod objicitur, nihil est: aliud enim est peccata permittere, hoc est non impedire, & aliud actu positivo ac directo ea præcipere: illic enim nihil aliud est quam mera negatio actus seu cessatio ab actu. Sed quo abripior? non vacat mihi aliis curis nunc distento, defœcata mente hæc aliaque ultro citroque agitanda examinare, & si quæ huic quæstioni affinia præsertim apud Scholasticos occurrant, inquirere & conferre; qui si optatam veritatem non adferrent, saltem cotem & limam ejus non contemnendam præstarent. Velim te, qui nunc hic habitas, hoc serio agere, advocato in auxilium perspicacissimo judicio D. Maccovii. De thesi non ita apud te laboro; quandoquidem post problematicas utriusque partis disceptationes facile per limitationem commoda conciliatio inveniri posset, uti supra indicavi. Sed ab hypothesios defensione usque ad finem, video abhorrere animos multorum, saltem omnium, cum quibus hac de re contuli,

tuli : nec tu ab omni formidine & ἐποχῇ alienum te oſtendis *p.* 143. tãtum lucem te quærere & aliunde avidè exſpectare profiteris, ut ab argumentis à te allatis ſemel expediri poſſis. Quâ quidem declaratione apud æquos rerum arbitros te liberas à crimine, imo & â juſtâ ſuſpicione hæreſios. Quod ſi viſum fuerit appendice aliqua, aut ſaltem diſputatione Academicâ ulterius hypotheſin explicare, & conſẽquentiarum catenam præſcindere, deque ipſa theſi magis preſsè, & limitatè diſputare, non dubito, quin omnibus melius ſatisfacturus ſis. Deum precor ſtudiis tuis quam cumulatiſſimè benedicat, Cl. D. Maccovius ex me ſalveat, & ex Rev. ac conjunctiſſimis collegis meis D. Schotano ac D. de Maets. Vltrajecti VII. Kal. Iunii CIↃ. IↃC. XLIII.

Appendix aliquot problematum, quæ cum diſputatione edita non fuerunt. 1. *Probl.* An Deus poſſit infernalibus cuciatibus affligere hominem innocentem? *Reſp.* Quæritur hic de afflictione ipſa in ſe & materialiter ſpectatâ; non autẽ formaliter & in ratione pœnę ſpectatâ. Nemo enim ita nugatur uti diſputet Deum poſſe imponere pœnã, ubi non eſt culpa : hoc enim craſſiſſimam implicaret contradictionem. Pro parte affirmante ſtant ex Scholaſticis non pauci. Et ex noſtris *Twiſſus lib.* 1. *Vindiciar. gratia contra Arminium part.* 2. *ſection.* 4. *digreſſ.* 4. quem alii nonnulli ſequuntur. Nos malumus inclinare in partem negantem ; quod rationes adverſæ ſententiæ tam ſolidè & evidenter concludentes hactenus deprehendere non potuerimus, ut ſententiæ renuntiare debeamus. Et dato, utrimque æque validas rationes in ambiguo nos detinere, potius tamen acquieſcitur in parte mitiori, aut ſaltem circa oppoſitam ἐποχὴ tantiſper ſuſcipitur. *Prima ratio* ſit, Si Deus innocenti creaturæ citra ullum demeritum poſſit cruciatum aliquem minimum inferre ; ergo & gradibus aliquot majorem, corporalem ſcil., & denique mortem : Et ſi hoc poſſit, quidni cruciatum in anima & corpore æternum. Quis enim genera, gradus durationem cruciatuum circumſcribet, & Deo hic quidquam præſcribet. Minorem ſic videntur probare : Si Deus non poſſit creaturæ innocenti ſuum eſſe auferre cum dolore & cruciatu, aut eidem non poſſit tribuere ullum eſſe doloroſum : ſequeretur Deum ex juſtitia teneri ad conſervandam creaturam in ſua ἀναλγησίᾳ, & ſanitate. Sed poſterius eſt abſurdum. Nam tum non poſſet Deus liberè auferre valetudinem, quam homini liberè tribuit, nec poſſet hominem innocentem occidere; nec poſſet eum annihilare, eique abſolutum eſſe auferre, ſiquidem teneretur in bene eſſe eum conſervare. *Reſp. Neg.* conſequentia majoris. Alia enim ratio eſt temporalis cujuſque afflictionis, & alia æternę mortis : quæ æternam abjectionem à facie Dei non tantum, ſed & vermem conſcientiæ, & deſperationem,

rationem, necessario involvit, subjectivè scil. si consideretur in creatura rationali. Atqui repugnantia est in terminis, si statuatur homo innocens imagine Dei præditus & legi ac voluntati divinæ conformis idemque mortem infernalem sustinens, hoc est verme conscientiæ corrosus, & desperans, immo & blasphemans Deum: nam cruciatus ille, vermis, desperatio, sine intermissione, non est absq; blasphemia. Atque hoc præcipuum adversę sententiæ argumentum meo quidem judicio: quod cum insolubile non sit, facile de aliorum solutione despiciemus. Alii forte ad minorem ejusque probationem quid dicendum putabunt: sed haut opus, *Secunda ratio* est, sequetur hoc absurdum, minus licere Deo in hominem innocentem, quam in proprium filium innocentem. *Resp. Neg.* consequentia. Erat enim filius in se justus, & innocens: sed imputative & tanquam sponsor potest dici nocens, maledictus scil. propter peccata nostra, quæ in se susceperat. *Tertia ratio*, Si est de jure Dei, ut creaturam innocentem non affligat, ergo justitia ejus hoc exigit. Sed posterius est absurdum ergo. Prob. minor; quia justitia suum cuique tribuit, & nulli suum aufert. Atqui nullum est creaturæ suum ad quod tribuendum aut non auferendum Deus obligetur. *Resp.* Absolute non obligatur Deus ad aliquid dandum: sed bene obligatur ad creaturæ non imponendum aut inferendum tale quid, quod repugnantiam in terminis involvit. Sic e.gr. non potest homini imponere aut mandare simpliciter impossibile, ut scil. potentia, aut perfectione, sit æqualis Deo, aut ut sit in essentiâ sua, ejusque præsentia, motu, &c. sicut angelus. Reliquas rationes, quæ ibidem adducuntur, quia exsertè concludunt de cruciatu aliquo corporali, non vero de morte infernali, & præsupponere videntur veritatem consequentiæ majoris, in prima ratione, (quam nos negamus) hic præterimus. 11. *Probl.* An Deus jus habeat obligandi hominem ad aliquid impossibile; idque probetur exemplo Adami ante lapsum. *Resp. Neg.* Erat enim illi possibilis perseverantia in statu innocentiæ, in sensu scil. diviso, Nota est distinctio inter causam actu & causam potentia, & rursum inter potentiam seu possibilitatem causæ, & effectus. Prior Adamo omnino tribuenda cum *catechesi* nostra *quæst.* 9. Quod autem à nonnullis subtractio gratiæ hic interveniisse dicitur, duriuscule aut ambiguè & obscure mihi dictum videtur. Deus enim actu positivo & contrario non magis abstulit homini gratiam primam seu habitualem in creatione collatam, quam angelis lapsis. Sed utrobique negative tantum cessavit ab ulteriori collatione gratiæ secundæ & subsequentis, confirmantis sc. excitantis & præmoventis ac prædeterminantis: cujus necessarius concursus negari non potest, absque luxatione theologiæ de Dei primitate, scien-

tia, voluntate, gratiâ, potentiâ, providentiâ &c. Si objicias, non fuisse ergò possibilem effectum ex præsuppositione cessationis seu negativæ illius deficientię Dei; concedimus illo respectu non fuisse effectum possibilem in sensu cõposito: sed negamus inde sequi simpliciter Adamo fuisse impossibilem. Possibilitas enim erat in ordine ad causam secundam, quæ pro sua parte habebat sufficiẽtem potentiam: sed nõ in ordine ad causam primam, cujus præcursus adfuturus non erat. Absolute ergo dicendum Adamum potuisse facere: cum distinctione dicendum effectum potuisse existere, & non potuisse; diverso scil. respectu: ut jam explicuimus. Si quis aliud & tutius quid adferre possit, nec hic ingenium humanum sistendum existimet; utique non invidebimus. Cogitet modo certa & receptis veritatibus Theologicis conformia adferenda esse. III. *Probl.* An omne bonum morale possit dici secundum naturam, & omne malum morale contra naturam. *Resp. Aff.* si intelligatur natura primigenia ut à Deo creata; non vero ut corrupta *Ephes.* 2. 3. Deus enim naturam hominis creavit bonam, eique indidit inclinationem & facultatem ad bonum. *Genes.* 1. *v.* 27. *& ult. Eccles.* 7. 29. Legem notificantem & obligantem illi insculpsit, & vim ratiocinandi rectamque rationem contulit, per quam conclusiones ex principiis insitis educeret, & πρακτοῖς quibusque applicaret. Quæ duo postrema ne quidem post lapsum tanquam relictæ scintillæ plane aboleri potuerunt: quamvis multis modis ab hominibus occultentur aut corrumpantur. *Rom.* 2. 14. 15. cum *Rom.* 1. 19. 20. 21. 22. 23. *Actor.* 17. 25. 26. 27. 28. Convenienter huic sententiæ applicari possunt placita philosophorum quæ collegit *Lipsius in Manud. ad Philosoph. Stoicam lib.* 2. *dissert.* 14. *usque dissert.* 19. IV. *Probl.* An omnis cognitio eorum, quæ ad vitam humanam moresque vivendi pertinent, possit dici naturalis, aut lex naturæ, aut legis naturę. *Resp.* si accuratè loqui velimus aliud est ipsa lex naturæ formaliter propriè, & strictè sic dicta, quæ scil. continet principia practica (de quibus in *disp. de Atheismo*;) & aliud est axioma morale seu præceptum universale & generale proximè ex principiis illis fluens, seu per ratiocinationem deductum: & aliud præceptum speciale, seu determinatio particularis cujusque casus ex principiis, axiomatis, & præceptis modo dictis per legitimam subsumtionem aut analogicam secundum particulares actionum circumstantias applicationem deducta. Determinatio & applicatio illa fit dupliciter vel secundum jus divinum positivum, vel secundum permissivum. Et rursum vel circa actiones sua natura, specie, & objectivè adiaphoras (nam in individuo nullæ actiones humanæ propriè sic dictæ sunt tales); vel circa actiones, non quidem intrinsecam malitiam habentes, sed sonantes in malum e.g.

occidere

occidere hominem, persequi parentes, fratres, liberos. Omnia ergo hęc sunt juris, legis, & cognitionis naturalis *vel eductivè vel reductivè*: quod ex ea vel per necessariã consequentiã & subsumtionem ratiocinando educi possint aut debeãt; aut quod ad eam reducantur tanquã illi cõvenientia, aut saltem illi minime repugnantia; qualia sunt leges forenses Mosaicæ, & leges quæcunque Politicæ positivæ (si recte & juste latæ sint) omniaque judicia legem ad factum applicantia, & monita ac præcepta parentum, omniumque superiorum, modo obedientiæ Deo debitę non repugnent. Talia quidem in specie Deus jure suo positivo non determinavit, sed jure permissivo legitimam & rationalem determinationem circumstantiis rerum & personarum proportionatam, superioribus potestatibus jure seu lege suã positiva permisit, & inferioribus parẽdi necessitatem imposuit. Quæ reductive tantum sunt juris & legis naturalis, aliquando oppositè & contradistinctè ad ea quæ eductivè sunt talia, dicuntur esse juris humani meré arbitrarii seu positivi, & negantur esse juris ac legis naturalis. His distinctionibus bene observatis concidunt commenta illa de consiliis, de monitis, de actionibus præstantibus & laudandis, deque πρέποντος seu decoro, ad quæ tamen quilibet homo prę-cisè non teneatur, & cujus omissio aut oppositum non sit peccatum. Si de actionibus in individuo loquuntur (uti loqui debent), certè nõ parum hallucinantur. Semper enim homo ad alterutram contradictionis partem (positis ponendis) secundum dictamen & judicium rectæ rationis tenetur: & in quamcunque partem inclinaverit, semper moraliter bene aut moraliter malè inclinat; quorum illud prosequi, istud fugere tenetur. v. *Probl.* An etiam ad legem naturæ & moralem revocandæ & secundum eam mensurandæ sint actiones in externis quibusdam ad vitam hominis animalem, & civilem conversationem spectantibus ut cibo, potu, somno, sermone, gestibus, vestibus, corporis cultu &c. & an determinationes in specie seu objectivè circa illa fieri possint ac debeãt & conscientiæ rite instrui juxta regulas juris divini & naturalis. *Resp. Aff.* ex 1. *Corinth.* 10. 31. *Philipp.* 4 8. 1. *Corinth.* 11. 13. 14. *Deuteron.* 22. 5. *Iesa.* 3. 16, 24. 1. *Petr.* 3. 2. 3. Plura huc facientia vide in *disp.* nostris *de Excelsis mundi*. Accedit ratio illa ex epistol. *Judæ vers.* 10. Quod homines in iis, quæ ad vitam animalem pertinent, naturaliter corrumpuntur. Immo quam plurima & ἐνσαρκίσματα peccata in iis obrepere possunt & solent: contra quæ quotidie invigilandum. Adeo ut periculosè illi disputent, qui illa titulo minutiarum, aut vilium & sterilium speculationum, aut leviorum peccatulorum, aut rerum civilium & politicorum, consuetudinum ac morum, à cura theologiæ & conscientiæ amandant. Confer *disp.* nostram *de*

Theologia practica. VI. *Probl.* An omne illud possit dici merè adiaphorum, nec determinari per legem naturæ aut moralem, quod & quia non sit semper & absolute observatu necessarium, ita ut oppositum ejus aliquando à Deo mãdari, & ab homine sine peccato fieri possit? *Resp. Neg.* Ius naturæ, & consequenter lex atque officium hominis, in quod se diffundit, est vel *absolutum vel hypotheticum.* *Illud* est quod omnes homines absolutè, & ad semper obligat, ita ut actus oppositus nunquã honestari possit. e. gr. blasphemia, adulterium, falsum testimonium. *Istud* est quod absolutè & ad semper omnes homines ita non obligat, ut aliquando actus oppositus honestari & sine peccato fieri non possit. Suntque hujus tria genera aut gradus, 1. est eorum quæ sonant in malum, & consequenter prima, absolutâ, ac potiori proæresi fieri non possunt, sed tantum succedanea, positis scil. ponendis: sic non debemus homines occidere; debet tamen Magistratus in justo bello, & ut puniat facinorosos, & privatus quisque in casu inculpatæ tutelæ. 2. Est eorum, quæ absolutè, communiter & ordinario fieri non debent: sed bene extraordinario, speciali scil. seu particulari lege intercedente. Quæ lex variis modis notificatur, aut explicitè & exsertè, aut implicitè. *Illo modo* rursum dupliciter, aut per legem pluribus communem & externè promulgatam, omnibus individuis casibus ejusdem speciei applicandam. Qualis est de ducenda vidua fratris *Deuteron.* 25. de detondendis captivæ fœminæ capillis *Deuter.* 21. de alendis comis Nazareorum *Numer.* 6. aliter ac lege communi 1. *Corinth.* 11. Aut per legem propriam & externam uni individuo propositam: ut de venditione omnium bonorum *Matth.* 19. De punitione innoxiorum liberorum Achan *Iosuæ* 7. de auferendis vasis Ægyptiorum *Exod.* 12. Aut per legem propriam & internam uni individuo, & quidem interno instinctu ac motu revelatam, ut Elizeo 2. *Reg.* 2. & Eliæ 2. *Reg.* 1. coll. cum *Luc.* 9. Et Pinehas *Numeror.* 25. Et levitis *Exod.* 32. coll. cum *Deuteron.* 33. *v.* 9. Et Abrahamo *Genes.* 22. Isto modo cum implicitè hoc per casum absolutæ aut majoris necessitatis ab ipsa lege concessum aut exceptum subintelligitur. E. gr. Ius absolutum est, & legis naturæ ut nemo carnem propriam odio habeat aut lædat, aut mutilet, sed contra foveat ipsam *Ephes.* 5. Et tamen docet idem jus ac lex naturæ in casu & ex hypothesi præsentissimi periculi, digitum abscindere, aut corpus vulnerare, ut totum hominem à gangræna liberes, aut præsenti morti ex carcere aut aqua eum eripias. Docet natura turpe esse fœminæ, si radatur, & viro si prolixos capillos alat 1. *Corinth.* 11. Eadem nihilominus docet oppositum utrobique esse faciendum in casu morbi, aut alterius necessitatis. De viro muliebri veste induendo idem statuendum

dum ubi patria liberanda, aut innocentis vita tyrannidi subtrahenda, aut in carcere corpus tegendum, cum nihil aliud suppetit; nec tamen repugnare illud *Deuteron.*22. Prohibet natura conjugium cum sorore, eadem tamen suasit illud filiis Adami. Ex Casuistis Pontificiis non pauci statuunt in casu extremæ necessitatis posse quem aliena bona contrectare, ne fame pereat. De quo nos in præsentiarum non disputamus. Huc referri potest exemplum de stipendiis ministrorum: quod necessitatis & juris naturalis est. Et tamen Paulus positis ponendis ab ecclesia Corinthiaca noluit recipere. Quod simili in casu imitandum est omnibus ministris. Confer *disp.* nostram *de stipendiis Ministrorum.* Est ergo utrumque juris & legis naturalis: Sed prius habet se ut lex generalis, posterius ut lex specialis. Quam distinctionem sub istis terminis habet *Polanus lib.6.cap.*10. Rursum distingui potest lex in ordinariâ & extraordinariam. Sunt alii qui prius vocant legem; & posterius exceptionem à lege. Quo nomine appelletur, saltem constat, licere quid aliquo in casu aut ex certa aliqua hypothesi, quod absolute, cõmuniter, ordinario, & semper non licet: Et tunc jus juri, lex legi non repugnat, sed tantum distincta & diversa sunt, tanquam partes integrantes unius & totius legis ab eodem legislatore Deo sancitæ & revelatæ siquidem consideretur lex specialis ut explicite proposita; tunc enim lex specialis habet se ad legem generalem, ut novum & insuper adjectum additamentum & ampliatio, illi coordinata & collateralis. Sin vero consideretur, ut implicité in ea contenta, & subintellecta in mente atq; intentione legislatoris & ex indicio legum ac principiorum primorum atque universalium de absoluta & perfecta caritate & obedientia Deo debita: dicendum est specialem legem generali subordinari, & ex ea educi. Ita ut simili fere modo de convenientia & distinctione utriusque judicandum sit, quo Ethici de convenientia & discrimine justitiæ & æquitatis. Et Casuistæ ac ICC. communiter conciliant justitiam particularem suas cuique possessiones vindicantem, cum usucapione: cum utraque ad justitiam referatur tanquam pars ad totum integrale, aut tanquam species ad genus seu totum universale; & utraque ex primis ejus principiis deducatur. Et Theologi omnes de præceptis ceremonialibus affirmant, quod cedere debeãt moralibus, de præceptis secundæ tabulæ, quod cedere debeant præceptis primæ tabulę. Vnde tamen non sequitur posteriora non esse legis naturæ, moralis, immutabilis; aut præcepta præceptis opposita, obedientiam obedientiæ. Omnia ergo hæc secundum legem generalem & secundum specialem quæ generalis legis appendix & additamentum (exceptio à regula, casus reservatus, legis interprætatio, ampliatio, extensio,

aut quocunque alio nomine appelletur) præstita aut præstanda ad jus divinum & naturale revocanda sunt: nec inter adiaphora numeranda, tanquam nullo præcepto sive absoluto sive hypothetico, explicito aut implicito circumscripta. VI. *Probl.* An jus naturale, prout stricte sumitur, pro sola natura noto, & supernaturali contradistinguitur, repugnet supernaturali. *Resp. Neg.* Est enim à Deo autore naturæ sancitum & revelatum: consequenter verum vero, bonum bono non repugnat. Deinde non differt quod ad materiam suam à lege morali supernaturaliter revelata: scil. quantam & quousque communem cum eâ habet materiam. Extensionem autem & limites hujus juris & legis naturalis tribus capitibus circumscribunt *Scholastici ad Thomam* 1.2. *qu.* 94. *artic.* 2. Requirit enim lex naturæ ab homine nonnulla ut est ens: nonnulla ut est vivens & animal: nonnulla ut est rationalis. Quæ ibi videnda. VII. *Probl.* An ergo ex jure naturali, ut contradistinguitur supernaturali, ratio & modus colendi Deum deduci potest, aut sub eo subsumi? *Resp. Neg.* In genere quidem & indefinitè quomodo Deus sit colendus; & negative quomodo non sit colendus, in multis inde ostendi potest: sed positive & in specie cultus Dei naturalis, ut nunc post lapsum modificatus est, ex eo deduci aut sub eo definite atque explicite subsumi non potest. Multo minus cultus institutus. Hæc ergo à supernaturali revelatione exspectanda. Quæ cum in *loc. com. de Necessitate & perfectione scripturæ*, & *de theologiâ, deque usu rationis in rebus fidei* abundè explicentur, non est quod pluribus absurdum illud rituum sacrorum in cultu publico fulcrum, à natura petitum subruamus. Sunt ritus quidam communes naturaliter necessarii, aut civiliter decori, sed illi non sunt sacri & mystici. ex. gr. natura docet, si concionator velit ritè, & commodè distribuere cœnam, ut detecto ore, aut ut stans & erecto corpore hoc faciat, si commodè á communicantibus agenda illa spectari & audiri velit. Civile decorum postulat, ut minister decorè vestitus, absque defluente muco è naribus, absque natante in ore saliva &c. concionem habeat. Sed hæc omnia communia sunt in schola, in curia, in collegiis, in compitis &c. non vero propria, mystica aut formaliter sacra. VIII. *probl.* An jus & lex naturalis ab omnibus hominibus cognoscitur: & per contrarium sensum inferri possit, non esse illud juris naturalis, quod ab omnibus non agnoscitur. *Resp. Neg.* Aptum quidem natum est ut ab omnibus cognoscatur, & debebant illud omnes cognoscere: sed multis modis lumen illud exstinguunt conclusiones ex principiis male inferendo ut videre est *Roman.* 1.21.22. *Judæ. v.* 10. Quod si per jus & legem naturæ intelligantur tantum prima principia practica, fatemur ea ab omnibus, qui rationis

usu

usu præditi sunt, admitti, percepta modo terminorum explicatione. Vide *disp.* nostram *de Atheismo.* Quo sensu autor *anonymus definitionum*, quæ una cum *Nazianzeni* ex bibliotheca Augustanana editæ à Davide Hoeschelio, & Heidelbergæ in 80. excusæ 1591. τί ἐστι κοιναὶ ἔννοιαι; αἱ ὁικοθεν τὸ πιστὸν ἑτοίμως ἔχουσαι, καὶ μηδενὸς ἑτέρου δεόμεναι πρὸς ἀπόδειξιν. IX. *Probl.* An & quomodo honestas actionis alicujus à legibus humanis, & determinatione Magistratus derivari ac suspendi possit: ita ut autoritate & determinatione illa posita aut sublata, ponatur aut tollatur licitum & honestū in foro conscientiæ, convenienter juri divino & naturali? *Resp.* 1. præsupponenda est distinctio nostrorum Theologorum, inter directam & immediatam obligationem, & inter indirectam, seu mediatam. Illa legibus, & autoritati humanæ in conscientias tribui non potest, sed tantum divinæ: ista potest. 2. Altera distinctio est: Leges & determinationes Magistratus sunt vel permittentes tantum seu tolerantes, vel approbantes & præscribentes. Priores versantur mediate & indirecte circa actionem in se & in foro conscientiæ illicitam, immediate & directe circa positam rationabilem & necessariam tolerantiam aut permissionem istius mali, quod tolli non potest; idque ad evitandum majus malum. De judiciis, defensione, aliisque actibus Magistratus circa illud malum, aut super illo malo secundum legem permissivam, similiter distinguendum est. *Posteriores* versantur circa actiones in se & suo genere licitas: quibus modum ponunt & quas publico bono limitant ac circumscribunt, quale sunt successiones in hæreditates, contractus emptionis & venditionis, & pretia rerum venalium, & contractus mutui atque usurarum, quæ jure divino & naturali non sunt illicitæ. 3. Distinctio est, Ius divinum & naturale aliud est positivum, aliud permissivum. His distinctionibus præmissis dicimus Magistratus autoritatem, leges, judicia modum ponere rebus & actionibus in se & suo genere non illicitis, nec jure divino aut naturali prohibitis; de quibus jure divino permissivo potestas determinādi & applicandi secundum circumstantias rerum, personarum, locorum, temporum ipsis concessa est. Et cum rationaliter ac juste circa eas legibus suis determinat, cōstitui tum illas in genere & statu licitorū: e.g. ut nummi isto pretio aut valore, non majori aut minori numerētur, ut ista hora aut isto tempore naves solvant, ut post istam aut istam horam vespertinā sine lucerna nemo in publicum prodeat, ut carnes agninæ ante mensem vernum nō sint venales in macello, ne piscatores halecum āte tale vel tale tēpus rete ejiciāt, aut captos haleces verum exponant, ut fœnus nauticum & vulgares usuræ mercatorum tale vel tale pretium non excedant. Huc refer pleraque leges speciales militum. Vnde consectarium educitur,

contra

contra duas graviſſimas hallucinationes & confuſiones quæ à nonnullis committuntur circa varios conſcientiæ caſus: Quarum *una* eſt, cum modus & determinatio Magiſtratus circa ea quæ ſunt juris divini permiſſivi, & conſequenter in ſe non illicita, extenditur promiſcuè ad quævis alia jure divino & naturali poſitivo prohibita & illicita. E.gr. cum dicitur uſuræ iſtæ mercatoriæ & nauticæ, quibus Magiſtratus modum poſuit, & quas ac quia recte & prudenter ſic determinavit, ſunt licitæ: ergo & quævis aliæ etiam mordentes, à fratre attenuato exactæ, & quidem retento pignore rei neceſſariæ, qua carere non poteſt. Ratio conſequentiæ ipſis eſt, quia intercedit aut intercedere poteſt autoritas Magiſtratus, quæ modum omnibus uſuris, ita & iſtis ponere poteſt; & cum poſuit, faciat eas abſque omni ſcrupulo in ſe & in foro conſcientiæ licitas. Conſequentiam illam, cum ratione ſubjectâ inconſequentem eſſe dicimus: quod ipſi facile videbunt, uti ſpero, ſi ſimilem conſequentiam quis nectat: Venditiones iſtarum & iſtarum mercium ſunt licitę, & juſtum earum pretium; quibus & quia Magiſtratus (ad quos jure divino & naturali hoc pertinet) modum ita poſuit: Ergo venditiones uxorum (quales alicubi in Africa etiam hodie uſitatæ dicuntur,) & quidem tali vel tali pretio, ſunt licitæ; modo Magiſtratus modum aliquem venditionibus illis ponat, & pretium determinet. Quid reſpondebunt? An non dicent, uti dicere debent, Non eſſe merces illas venales jure divino & naturali, nec poſſe Magiſtratum eas facere venales, quamvis pretio magno aut parvo poſito: Et quamvis Magiſtratus probaret talem venditionem, male tamen ipſum facturum, & ſimul malè facturos venditores & emptores; quia nemini propterea in conſcientia licita foret venditio. Neque enim Magiſtratibus tribuenda eſt poteſtas determinandi contra jus poſitivum divinum & naturale, quod non minus uſuras mordaces prohibet *Exod.* 22. *Levitic.* 25. coll. cum *Ezechiel.* 18. *pſ.* 15. *Proverb.* 28. quam venditiones uxorum. Quod ſi enim Magiſtratus poteſtas huc uſque extendatur, jam relaberemur in abominationes Antichriſtianas Papatus, quæ Papæ tribuunt poteſtatem contra jus de jure diſpenſandi, & de peccato non peccatum faciendi. Quidquid enim in ſe & per ſe jure divino aut naturali moraliter malum eſt, & ut tale ex ſcriptura aut recta ratione deprehenditur, non poteſt per Magiſtratuum leges, interpretationes, judicia, contractus, permiſſiones, indulgentias, tolerantias honeſtari & fieri moraliter bonum, nec poteſt lex poſitiva divina aut naturalis per contrariam legem Magiſtratus abrogari, aut de ea diſpenſari. *Altera* hallucinatio eſt, quod non diſtinguunt modum ſeu determinationem per leges, contractus, & judicia Magiſtratuum duplicem: quarum una ſit circa rem in ſe & per ſe illicitam;

tam, altera circa rem illicitam & malam. Hujus exempla dant leges Mosaicæ circa polygamiam & libellum repudii *Deuteron.* 21. & 24. *Matth.* 19. circa stuprum virginis puellæ captivæ *Deuteron.* 21. Et Magistratuum Christianorum circa Synagogas, & libertatem religionis Iudaicæ, circa usuras mordentes Iudæorum aut aliorum quorumcunque fœneratorum, circa symposia in tabernis; Magistratuum reformatorum, circa privatam publicamve Papalis religionis professionem, & exercitium. Malum hic præsupponunt, non procurant: permittunt propter majus bonum, aut ad majus malum evitandum; non faciunt: tolerant quia tollere non possunt; non approbant: indulgent, seu lege non prohibent, nec pœnis coërcent; neutiquam tamen mandant aut suadent: circumscribunt, limitant, determinant, imminuunt, cohibent quantum possunt seu tollunt in tantum; non vero tollunt in totum, aut ponunt, sed in medio relinquunt, adeo ut neutras & indifferentes se hic habeant leges eorum, quæ malum non prohibent aut mandant. Duo ergo actus sunt in legibus, contractibus, & judiciis eorum, sicut in providentia divina circa peccatum. Quorum prius est nuda seu pura permissio, seu non actio, quæ impropriè & reductivè actio dicitur, quæ directè & immediatè versatur circa malum quà tale e.gr. lectio rosarii, & invocatio sanctorum aliæque superstitiones, quas domi privatim exercent Pontificii in Belgio fœderato: aut otiosæ & ebriosæ compotationes, quas nõnulli azoti & bonorũ dilapidatores quotidie in tabernis exercent. Hæc lege aut contractibus aut judiciis nec probant nec improbant, nec prohibent nec mandant Magistratus nostri; sed tantum cum ita reperiunt, permittunt, seu in medio relinquunt, & legi suæ de qua mox dicimus præsupponunt, tanquam materiam seu occasionem legis. Alter actus (qui propriè & directè actus dicitur) est circumscriptio, limitatio, modificatio, & determinatio istius mali, ne ulterius eat, aut alio modo quam certo illo ac determinato exerceri permittatur. Versatur potestas, lex, contractus, judicium Magistratus (quæ à parte Magistratus in se & per se bona ac laudabilis.) 1. Immediate ac directè circa bonum, scil. circumscriptionem & mali permissi determinationem. 2. mediate & directe circa permissionem. 3. mediatè & indirectè circa malum, quod præsupponitur tanquam materia & occasio regiminis & determinationis Magistratuum, & cui modus ponitur. Ostendamus hoc rursum in exemplo posito: Titius rem familiarem suam dilapidat, quotidie aut frequenter in tabernis potando. Hoc malum, si novit aut videt Magistratus, permittit, hoc est lege sua aut pœnis non impedit. Coërcet tamen, limitat, & tollit illud in tantum legibus & pœnis, ne ille aut alius quis bibaculus in

tabernis ultra horam nonam vesperti nam compotationes suas protrahat. Cum posterius prohibet, & non permittit, prius vero permittit & non prohibet Magistratus, neutrum probat aut suadet, neutrum in foro poli seu conscientiæ licitum facit; sed tantum prius licitum facit politice, seu in foro soli. Atque hoc quidem exemplo multa alia ejusdem generis quæ in quæstionibus moralibus & casibus conscientiæ agitari solent, prompte & perspicue explicari & expediri possunt. Vt providentia divina circa mala versatur non tantum circumscribendo & limitando, sed etiam in bonum convertendo: sic Magistratus legibus & judiciis suis mala in bonum convertit, iis in bonum utitur, & facit ut alii iis bene, aut saltem minus malè utantur: unde tamen non sequitur malum esse bonum, aut à Magistratus legibus & judiciis probari, tanquam bonum. Malum enim & bonum quamvis in existentia sua illic conjuncta sint, & conjuctim seu ἀχωρίςως Magistratus potestati, regimini, curæ, legibus, & judiciis objiciantur: unum tamen non est alterum, nec mutatur in alterum, nec actus versantes directé circa unum sunt actus circa alterum, nec adjuncta & effectus unius sunt adjuncta & effectus alterius: sed habent se ad invicē cum causis, adjunctis, & effectis suis per accidens. Sic e. gr. ut Israelitæ filios susciperent ex duabus uxoribus simul, erat illicitum in foro conscientiæ, non tamen in foro politico; ubi malum hoc permittebatur non tantum, sed legibus insuper mali ejus effectus in bonum convertebantur, ut iis bene uterentur. *Deuter.* 21. Ita in ἀπαξίᾳ & circa eam ordinem servari voluit Deus: quamvis ipsam ἀταξίαν non voluerit. Plura alia problemata hic tractari possent: sed quia pleraque ad loc. comm. de legibus (forte aliquando à nobis peculiari diatriba explicandum) referri possunt, & temporis angustia nunc vetat ulterius ire, hac vice finio.

DE

POTENTIA DEI,

Deque possibili & impossibili,

Resp. IOHANNE CARRÉ *Campano-Gallo.* *Ad diem* 2. *Martii* 1644.

Melioris doctrinæ causâ agemus. I. *De attributo potentiæ.* II. *De objecto ejusdem, seu quousque se extendat; hoc est*, de possibili & impossibili.

Omissa



Missa explicatione potentiæ & actus in genere & in actu signato, (quam ex logicis & Metaphysicis hic præsupponimus,) præmonemus notiones potentiæ objectivæ, hoc est, τῦ *posse esse*, aut potentiæ subjectivæ seu passivæ, hoc est τῦ *posse pati* aut recipere, aut potentiæ defectivæ, aut denique potentiæ cujuscunque 1.
Metaphysicæ quæ & quatenus actui contra-distinguitur, in Deo locum non habere; cum sit ens simpliciter & absolutè necessarium, perfectum, immutabile, actusque purissimus; sed tantum notiones *potientiæ logicæ*, seu non repugnantiæ in terminis, quando Deo sine contradictione quid tribui potest; & *potentiæ activæ*, hoc est, *posse agere*: Distinguuntur actiones Dei in eas quæ ad intra, & quæ ad extra, ut intelligere & velle Dei quo seipsum, & quo alio à se intelligit ac vult; quorum illud est ad intra, terminatur enim in Deo; hoc vero ad extra, quia terminatur in creaturis. Rursum dividuntur in notionales seu personales & in communes. Vtræque rursum in immanentes seu internas, & emanãtes seu externas. Sic generare, spirare sunt actiones personales immanentes & ad intra; intelligere & velle seipsum sunt actiones communes immanentes & ad intra. Intelligere, & velle creaturas, seu decernere quid de creaturis sunt actiones communes, immanentes seu internæ & ad extra: Sic mundum diligere, ut semetipsum velit dare, & mitti in mundum pro mundi vita, quod soli filio tribuitur, est actio personalis immanens, sed ad extra; Assumere humanam naturam, est actio personalis externa, & ad extra; Creare, conservare, gubernare mundum, salvare electos sunt actiones communes, externæ seu emanantes, & ad extra. Ex hac divisione actionum divinarum resultare possunt variæ acceptiones potentiæ divinæ. Ita distinguetur potentia activa in internam (quamvis improprie) & externam; ad intra & ad extra; communem seu essentialem, & propriam seu personalem. His distinctionibus observatis facile determinari poterunt quæstiones nonnullæ problematicæ, & dicta Theologorum ἐναντιοφανῆ conciliari. 1. An potentia Dei habet pro objecto ipsum Deum, seu versetur circa Deum, & in ipso terminetur? *Resp.* De potentia ad extra & externa executiva, *Neg.* 2. An potentia ordine naturæ præcedat intellectum & voluntatem? *Resp.* De potentia stricte & proprie dicta, seu externa & executiva, *Neg.* 3. An potentia sit attributum primi generis, in primo momento, pertinens ad essentiam Dei; an vero attributum secundi generis, in secundo momento, pertinens ad vitam seu vitalitatem Dei. *Resp.* De potentia proprie dicta, ad extra scil., externa, & executiva, *Neg. pr. Aff. post.* 4. An notio potentiæ

tiæ divinę, ab ejus efficientia distingui debeat? *Resp. Aff.* Fuit enim & cogitari debet Deus potens efficere, antequam quid extra se efficeret, aut produceret. Adhæc, potentia est ratio & principium efficientiæ in Deo, sicut intellectus in essentia divina est ratio & principium intelligẽdi, voluntas volendi. 5. An potentia Dei, qua consideratur ut simpliciter potens, non autem ut actum exequens, idem plane sit cum ejus sufficientia, & pertineat propriè ad naturam Dei, qua consideratur sub ratione entis: uti vult *Amesius lib. 1. Medullæ cap. 6. Resp.* Non putamus accurate hoc dici de potentia Dei proprie & stricte dicta, quæ pro objecto & termino habet creaturas. Illa enim cum dicat relationem ad creaturas, sicuti gratia, misericordia, justitia punitiva, &c. Non potest dici pertinere ad naturam Dei, qua consideratur sub ratione entis.

2. Nos de potentia stricte dicta, quæ intrinsecum respectum dicit ad creaturas, disquiremus. 1. An sit in Deo. 2. Quid sit. 3. Quotuplex sit. 4. Qualis sit. Quod ad primum quæsitum, agunt de eo *Scholastici ad 1. qu. 25. art. 1.* & ex iis recentiores Metaphysici *Zwarez* &c. Fuerunt, qui negarent, ut *Cajetan.* & *Valent. ad 1. q. 25. art. 1.* Sed refutantur *tum* scriptura, quæ non minus Deo potentiam tribuit quam intellectum aut voluntatem *Eph. 1. 19. Ps. 89. 106. tum* ratione. 1. *Quia* unumquodque secundum quod est actu & perfectum, secundum hoc est principium activum alicujus; & sic quod est maximè perfectum, habet maximè potentiam activam: est enim principium hoc activum nihil aliud quam potentia activa. Iam vero Deum esse actum purum, & universaliter perfectum hic præsupponimus, & alibi probatur. 2. *Quia* actiones ad extra & externæ de facto Deo conveniunt, ut creare, gubernare &c.: atqui actio præsupponit potentiam agendi; non enim quis ageret, si non posset agere. Est ergo in Deo potentia executiva. 3. *Quia* agere & posse agere est perfectio simpliciter, nec ullam imperfectionem in conceptu suo involvit: atqui nihil à Deo removendum quod simpliciter est perfectionis. Objectiones à *Scholast. loc. cit.* motæ, facile diluuntur indicatis istis fontibus solutionum. 1. Potentia activa non distinguitur contra actum, sed in eo fundatur: sed aliter se res habet in potentia passiva. 2. Potentia est nobilior sua operatione, quando potentia & operatio seu actus distinguuntur: atqui in Deo hoc locum non habet; ubi potentia idem est quod suus actus. 3. Potentia activa in Deo est principium non sui actus seu operationis, quæ est ipsa divina essentia (Deus enim est οὐσία ἄναρχος καὶ ἀνάιτιος, ut recte *Iustinus Martyr.*) sed solummodo sui effectus. In creaturis potentia activa est principium & sui actus & effectus. 4. Potentia Dei est causa rerum non tamen eodem modo,

quo

quo intellectus & voluntas. Intellectus est principium per modum dirigentis, voluntas per modum imperantis ; potentia per modum exequentis, uti recte *Thomas loc.cit.* Non multiplicantur ergo in Deo principia rerum absque necessitate : quamvis enim hæc tria eadem sunt realiter, differunt tamen secundum rationem : Potentia enim non est aliud à voluntate & intellectu ; sed est ipsamet voluntas & intellectus, ut habent rationem principii effectivi. His ita positis facile refutantur opiniones, si quæ sint, oppositæ, & ad speciales quæstiones sigillatim respondetur. 1. An scientia Dei sit ipsa potentia operans per imperium? *Resp.Neg.* 2. An scientia per ideas sit proxima potentia agendi, per quam Deus immediate operetur ad extra ; per absolutum scil. velle & efficax, ut talis creatura sit tali tempore, modo, &c. *Resp.Neg.* Vide *Scotum ad* 1. *dist.* 37. Et ex recentioribus *Fonsin* 5. *Metaph.c.*15.*q.*8.*sect.*4. An potentia sit ratione distincta ab intellectu & voluntate secundum suas præcisas rationes formales conceptis. *Resp. Aff.* De quibus quæstionbus docte & operose disputat *Zwarez. Metaphys. disp.*30.*sect.*17. qui videri potest.

Quid sit potentia Dei patet ex hâc descriptione : *Est essentialis Dei proprietas, qua potest & efficit omnia in omnibus & singulis.* Aliis sic: *Est qua extra se voluntate liberâ agit, omniaque possibilia agere potest.* Non male etiam descriptionem elicias ex verbis Zwarez sect.cit.5.45. *Nihil aliud est quam ipsamet divina natura, quæ quatenus est ipsum esse per essentiam, est per se effectrix cujuslibet esse participati seu participabilis, si accedat voluntas, ut applicans, & scientia ut dirigens.* Alii sic describunt : *Potentia Dei est infinita & simplex vis agendi ea omnia, quæ essentiæ & attributis illius sunt consentanea.* Quatuor autem sunt, quæ essentiali potentia Dei continentur, eamque ab omnibus aliis potentiis distinguunt, & consequenter definitionem ejus ingredi debent. 1. *quod* à se operari possit, & operetur, *Ies.*44 24.2. *quod* omnia *Luc.*1.*Psal.*115, 3. *quod* immutabili essentiæ robore *Iesa.*40. 26. 28.4. & *quod* facillime, ita ut nulla sit resistentia, au possit esse. *Iesa.* 14. Et talis potentia peculiari nomine dicitur *omni potentia*, quam Apostolus *Eph.*1.*vers.*19. vocat *supereminentem magnitudinem potentiæ.* Et sic Deo tribuitur potentia tanquam ipsi propria 1.*Paralip.*29.11. *Matt.6.vers.*13. atque ab ea Deus κατ' ἐξοχὴν dicitur potens ille *Luc.* 1. *vers.* 19. solus potens & dynasta 1 *Sam.*2. 2.1 *Timoth.* 6. *vers.* 15. omni potens 2 *Cor.* 6. 18. 3.

Dividitur potentia Dei secundum rationem in plures, non quidem in se (quia est in se formaliter una ac simplicissima), sed in ordine ad varias actiones. Quod in re sit omnino simplex, probatur *tum* ex simplicitate naturæ divinæ ; tum ex universalitate ipsius & objecti, quod est ens parti- 4.

cipabile ut ſic. Quod ratione poſſit diſtingui per inadæquatos conceptus probatur, ex analogia potentiæ finitæ ſeu creatæ quomodo e. gr. variè partimur intellectum humanum. Sit ergo diviſio I. in creativam, & generativa ſeu effectivam per eductionem formæ de materia. II. In potentiam activam per modum cauſæ proximę, vel per modum cauſæ univerſalis tantum. III. In potentiam effectivam, & conſervativam. Sed poſteriorem non diſtingui niſi nomine ab effectiva, probant. *Scholaſtici ad* 1. *quæſt.* 104. *art.* 1. & *Zwarez diſp.* 21. *Metaphyſ. ſect.* 2. IV. In productivam, & annihilativam. Sed hæc non tam eſt potentia agendi, quam non agendi; nec addit etiam ſecundum intellectum aut conceptum propriā rationem potentiæ: ſed tantum connotat libertatèm ſeu ſubordinationem potentiæ. V. In naturalem & ſupernaturalem. Quæ diſtinctio non eſt reſpectu ipſius Dei (quia illi omnis potentia maxime connaturalis eſt); ſed in ordine ad actiones, quæ ſunt ſupra naturam rerum creatarum. VI. In Phyſicam & moralem; quæ denominatio eſt ab actionibus ſeu Providentia Dei Phyſica & morali. De qua ſuo loco. VII. In abſolutam ſeu neceſſariam & liberam. *Illa* eſt qua Deus intra ſe potenter agit, ex naturæ neceſſitate: quæ etiam dicitur naturalis, intrinſeca & immanens. *Iſta* eſt, qua Deus extra ſe agit, quæ agere decrevit, ac plura poteſt facere quam vult: quæ etiam dicitur voluntaria, extrinſeca, & tranſiens. Hanc diviſionem habet *Alſtedius in Theolog. Naturali cap.* 13. Sed hæc diviſio melius omitti poteſt. Quia potentia intelligendi & volendi improprie dicitur potentia Dei, non male obſervat *Zwarez diſp.* 30. *ſect.* 17. Confer & *Thoman c. gentes lib.* 2. *c.* 10. *& lib.* 1. *c.* 82. Et potentia patris non comprehenditur ſub omni potentia Dei, uti notat *Gabriel ad* 1. *diſt.* 20. & *Themeſvar in Roſario lib.* 1. *in voce potentia*. ex Guliermo, aliiſque ibi cit. Quin ipſe *Alſtedius loc. cit. pag.* 124. in ſolutione primæ objectionis: *Potentia Dei hic non conſideratur ἐν πλάτει ſed ſtrictè, quatenus dicitur executiva & exequens, quæ opponitur intellectivæ & volitivæ.* VIII. In abſolutam & ordinatam. Alii diſtinguunt in extraordinariam & ordinariam. De qua diviſione ex Scholaſticis Lychetus Schotiſta ad 1. diſt. 44. quæſt. unica: *Cum dicitur potentia vel abſoluta vel ordinata, non dicitur aliqua potentia, ſed magis quidam modus agendi, abſolutè ſc. vel ordinate*, hoc eſt, quæ aſtricta non eſt ad iſtum ordinem in natura, aut in ſupernaturalibus ſecundum ſcripturas poſitum. Potentia ordinata, quam & limitatam dicere poſſis, eſt quæ ſequitur leges à voluntate Dei poſitas; vel eſt *Potentia, in quantum eſt principium exequendi alia conformiter legi rectæ, ſecundum ordinem præfixum ab illa lege.* Sic *Scotus* in genere & abſtractè, *in* 1. *diſt.* 44. Vbi etiam explicat ſimilitudine ab Imperatore ſumpta, qui ſecundum leges à ſe poſitas agit

ſecun-

secundum potentiam ordinatam. Si autem agat ex reservatis, aut ex jure majestatis, vel etiam de facto, supra, vel præter, vel contra leges, agit secundum potentiam absolutam. Ordo autem cum hic dicitur, & absolutio ab ordine recte ac διοπρεπῶς accipiendum est, uti non male monet *Scaliger Exercit.* 365. *sect.* 8. Ne concipiatur ullam ἀταξίαν posse cadere in Deum, aut limitationem ab aliqua causa seu agente extrinseco. *Absoluta* potentia est, quæ abstrahit ab illis legibus, quâque Deus potest quæ simpliciter & absolutè potest. Alii sic: est quę simpliciter respicit omne non implicans contradictionem; hoc est, quæ astricta non est ad certum ordinem sive in natura, sive in supernaturalibus secundum sacras literas positum, & à Deo servari solitum. Ordo autem secundum quem & intra cujus terminos agere potest & agit Deus dupliciter considerari potest, vel secundum nudam Dei voluntatem seu immanens decretum; vel etiam secundum externam executionem, revelatam & significatâ sive per leges naturæ in prima mundi & rerum creatione fixas atq; adeo naturæ libro inscriptas, sive per revelationem scripturæ aut aliam quamcunque supernaturalem. Sed tota hæc distinctio forte commodius ad hos terminos revocari posset, ut alia dicatur potētia agendi futura, alia potentia agendi non futura; seu potius potentia volitorum & non volitorum: ita ut inter eam formale discrimen faciat sola voluntas divina sive revelata. Nam ordinata cum dicitur esse secundum leges in natura positus, nimis angustam facit divisionem. Porro voluntas Dei discriminans inter possibile ordinatum & possibile absolutum, est vel purum decretum seu voluntas beneplaciti, vel perpetuus ac certus ordo in natura positus, vel quæcunque alia voluntas signi, mandatum scil. promissio, comminatio. *Probl.* 1. Quid sentiendum de distinctione illa Lombardi & quorundam antiquorum scholasticorum: *Deus quædam potest de Potentia, quæ non potest de justitia.* *Resp.* si justitia juris divini positivi & revelati intelligitur, utique admittenda est: sin vero de justitia juris divini naturalis, negamus illum præter, aut supra, aut contra illam quid posse; quia implicat contradictionem. Confer *disp.* nostram *de Iure & justitia Dei.* *Probl.* 2. An actualis seu efficax & operans omnipotentia Dei concidat cum ordinatâ, seu ordinaria. *Resp.* Ita quidem vult *Polanus lib.* 2. *synt. c.* 24. Sed minus accurate dicitur: nam latius patet ordinata, quam actualis. Ordinata Deus potest e. gr. hunc puerum cadentem in foveam extrahere, huic esurienti succurrere, huic vulnerato sanguinem sistere, hoc incendium restinguere &c. per ordinariam scil. hominum operam, & secundum leges naturæ nec tamen facit. *Probl.* 3. An potentia & voluntas Dei æque latè pateant? *Resp.* de potentia ordinata *Aff.* de potentia absoluta

absoluta distinguitur. Si enim τὸ velle nō facere, seu volūtas indirecta, seu noluntas ad voluntatem reducatur, *Aff.* aliter *Neg.* Sed objiciat quis, noluntas extendit se ad simpliciter impossibilia; potētia ad eadē se non extēdit: ergo nō æq; latè patent. *Resp.* Resolvatur & reducatur noluntas ad voluntatem; & dicatur, voluntas divina nō extēdit se ad simpliciter impossibilia, nec etiā potentia: ergo in hoc puncto æque late aut anguste patent.

5. Qualis sit potentia Dei per hæc attributa explicatur 1. Est unica & simplicissima. Ratio est, quia realiter est idem quod Deus, qui est unicus & simplicissimus. Nec obstant huic simplicitati distinctiones modo allatæ: ut ibi dictum est. 11. Est infinita, 1. *tum* ratione essentiæ divinæ; 2. *tum* ratione durationis; 3. *tum* ratione objectorum, in quæ agere, & effectuum, quæ producere potest. 4. *tum* denique ratione actionis, qua agit, aut agere potest; quæ actio nunquam tam intensa est & valida, ut non possit fieri validior. Hic distinctio observanda inter infinitum actu & potentia; & inter possibilitatem seu potentiam causæ & effectus. 111. Est immutabilis: quamvis omnia movere & mutare possit. 1v. Consequenter est invincibilis, irresistibilis, inimpedibilis. v. Est causa rerum immediata. *Ierem.* 32. 27. vi. Est incommunicabilis, ut & aliæ proprietates divinæ. Hic controversiam movent Vbiquitarii statuentes per unionem personalem humanæ naturæ Christi cum λόγῳ communicatam ei esse à divina natura omnipotentiam, omniscientiam, immensitatem, gloriam. Quem errorem ex professo refutatum vide à *Benedicto Thalmanno*, *Mathia Martinio*, aliisque eorum Antagonistis; & á recentior. scriptor. locor. commun., de Dei potentia, & de Incarnatione ac persona Christi; inter quos *Polanus lib. 2. cap. 29. & lib. 6. cap. 16.*

6. Accedimus nunc ad objectum potentiæ: ubi tria tractanda occurrunt 1. De possibili & impossibili, deque contradictione. 11. De implicantibus contradictionem in genere. 111. De iisdem in specie. Quod ad primum, Possibile in genere describitur, quod cum non sit, possit esse. Distinguitur à contingēti, quod, cum sit, possit non esse. Impossibile quod esse non potest, seu cujus nulla potentia objectiva aut passiva. Vt autem duplex est potētia logica & physica, sic duplex est possibile & impossibile; naturaliter scil. seu secundum quid, & absolute seu logice, quando non est repugnantia in terminis. Quid & quotuplex sit contradictio tum terminorum simplicium tum enuntiationum discendum est ex Logicis. Hoc certissimum luminis naturalis principium hic & ubivis apud hominem ratione præditum præsupponendum, Duo contradictoria non possunt simul esse vera aut falsa: quod, si quæ sceptica, & vertiginosa ingenia subinde vellicent, interiori tamen mente negare nequeunt; de quo videndus

dus *Aristoteles* 3. *Metaphys. cap.* 3. *& seqq.*, & vulgati Philosophi, ubi agunt de Veritate, de principiis, de contradictione. Cum ergo quæritur quid Deus possit, responderi solet: Quidquid non implicat contradictionem. Phrasi scripturæ idem sic exprimi posset, ex *Luc.* 1. *v.* 37. Deus potest omnem rem seu omne ens, quod scil. essentiam habet. Atqui simpliciter impossibile, seu contradictorium nullo modo ad rem seu ens reduci potest; sic dicitur Deum non posse impossibilia. Hic ergo determinanda ista problemata. 1. *Probl.* An recte & pie secundum scripturas dici possit, Deum quædam non posse. *R. Aff.* 1. *Quia* disertis verbis ita loquitur scriptura 2 *Tim.* 2. 13. *Hebr.* 6. 18. Huc refer attributa illa quæ terminis privativis efferuntur, ut Deus est immortalis, invisibilis, immutabilis, ἀμεταμέλητος, &c. quæ æquivalent istis, Deus non potest mori, mutari, pœnitere &c. 2. *Quia* hâc ratione negatur de Deo non aliqua potentia sed impotentia & imperfectio: uti recte *Ambrosius, Augustinus, Thomas* mox citandi. 3. *Quia* consentiunt post patres *Scholastici* & recentiores *ad* 1. *q.* 25. & sic omnes Logici & Metaphysici Christiani cujuscunque professionis, etiam ipsi Lutherani *Iac. Martinus, Sceiblerus* &c. Adeo ut mirandum sit à Neo-Lutheranis ecclesias nostras odiosis clamoribus de negata potentia Dei toties petitas. Ne autem locus sit calumniæ, distingue cum Scholasticis impossibilia naturæ & impossibilia naturâ; & rursum impossibilia alicui, & simpliciter; adhæc secundum quid, & absolute, aliquo respectu & in se; hypothetice & absolute. Illa dicimus Deum posse ex *Matth.* 19. 26. *Zac.* 8. 6. ista minime: quia sunt contradictoria. 11 *Probl.* An Deus possit facere contradictoria, seu, ut duo contradictoria simul vera sint? Et an possit hoc velle? *R. Aff.* hoc passim Pontificii & Vbiquitistæ si non in thesi, directe, explicite, in actu signato, saltem in hypothesi, indirecte seu per consequentiam, implicite, in actu exercito; uti infra patebit. Ex Vbiquitistis videntur antehac nonnulli tam crasse philosophati, ut aperte affirmarent, contradictoria à Deo fieri, adeoque simul vera esse posse. Quod ipsis haut obscure objiciunt ex nostris *Alsted. loc. cit.* ubi refert quendam distinguere inter Logicam divinam & humanam. Et *Keck. in syst Logico cap. de Oppositione propositionum.* Et supra ac post omnes, *Nic Vedelius lib.* 3. *Rationalis Theologici cap.* 8. Sed refutantur communi consensu patrum, *Schol. loc. cit.* recentiorum Philos. & Theolog. etiã Lutheranorum. Rationes hæ sunt. 1. *Quia* non ens non potest esse effectum & terminus divinę potẽtiæ: atqui contradictorium est nõ ens. 2. *Quia* Deus est ipsa & prima veritas, non ergo cadit in ipsum falsitas: atqui contradictionis altera pars est falsa. Rectè Augustinus lib. 26. contra Faustum cap. 5. *Quisquis dicit, si omnipotens est Deus, faciat ut quæ facta sunt, non facta fuerint, non videt hoc se dicere, faciat ut, quæ vera sunt, eo ipso quo vera sunt, falsa sint.*

DE POTENTIA DEI,
Deque possibili & impossibili.
PARS SECVNDA.

Resp. IOHANNE CARRE' Campano-Gallo. *Ad diem 9. Martii*, 1644.

1.  deatur idem *Augustinus lib. 5. de civit. Dei c. 10. & lib. 15. c. 15. & l. 1. de Symbolo fidei ad catechum. c. 1. & contra Arianos cap. 14.* ubi explicat quomodo non repugnet potentiæ Dei quod non possit mutari, falli, peccare, seipsum abnegare &c. De quo etiam *Thomas* cum suis *1. q. 25. art. 3.* Vbi etiã ad 1. rationem nostram perspicue explicat & deducit; Idem ex recentioribus facit *Zwarez metaph. disp. 30. sect. 17. §. 10.* Concludimus dicto Ambrosii lib. *6.* epist. *37. Quid impossibile Deo? non quod virtuti arduum, sed quod naturæ ejus contrarium. Impossibile istud non infirmitatis est, sed virtutis & majestatis.* Atque hoc voluit Thomas cum dixit loc.cit. *Vnde convenientius dicitur, quod ea non possunt fieri, quam quod Deus ea non possit facere.* Quæ à recentioribus Lutheranis in contrarium adferri solent, solide refutat *Nic. Vedelius loc. cit.* Sequitur 111. *Probl.* An committatur circulus, aut idem per idem explicetur, cum dicitur Dei potentia se extendere ad omne possibile. Possibile enim denominatur à potentia aut passiva aut activa. Non à passiva: quia nulla præsupponitur potentiæ activæ. Ergo ab activa, & quidem Dei, quia nulla alia est prior. Et sic idem per idem explicatur. *Resp.* Possibile accipitur vel positive, & sic denominatur à potentia: vel negative seu per non repugnantiam. Priori modo si accipiatur, obscurum per æque obscurum, idem pro idem circulariter explicatur; posteriori modo, minime, explicatur enim infinita virtus & capacitas potentiæ divinæ, ut quidquid ex se non repugnat, sit possibile per ipsam. Repugnat autem ex se quidquid contradictionem involvit; (contradictio enim facit solam veram repugnantiam in re); quia extra latitudinem entis *seu in se rationem non entis includit*, ut loquitur *Thomas lib. 2. c. Gentiles cap. 22. ratione 2.* quod ibidem docte explicat & distinguit *Ferrariensis.* Sequitur ergo potentiam divinam habere pro formali objecto, τὸ producibile simpliciter & absolute, hoc autem nequit esse, non ens. Ratio est, quia non ens fortissime, immo & solum repugnat enti qua tali, seu in ratione entis. Cõfer *Thomam* & *Zwarez loc. cit.* IV. *Probl.* An Calvinus negârit absolutam potentiam Dei, prout illa ordinatæ potentiæ contradistinguitur? *Resp.* Objiciunt hoc vulgo Pontificii, apud *Gregor. de Valentia disp. 1. q. 25. punct. 3.* Et apud

Beca-

Becanum lib. 1. Manualis cap. 17. qu. 6., & in Theolog. Scholasticâ, ubi cap. 17. de potentia Dei quæst. 4. *An Deus sit omnipotens, Quidquid dicant Calvinistæ, certum est Deum revera omnipotentem esse. Hoc salva fide negari non potest.* &c. Et quæst. 6. *An Deus possit facere plura, quam quæ facit? Catholici distinguunt duplicem Dei potentiam ordinariam & absolutam. Docent enim per ordinariam potentiam Deum non plura posse facere quam hæc, quæ facit; per absolutam posse. Calvinistæ rident hanc distinctionem, asserentes Deum non posse aliud facere, quam quod ordinarie facit; absolutam potentiam esse profanum commentum & execrandam blasphemiam. Vide Calvinum lib. 3. Institut. c. 23. §. 2. & lib. 2. c. 7. §. 5.* Idem etiam Waldensis *lib. 1. de doctr. fidei cap. 10.* tribuit *wiclefo.* Refert utrumque *Sceiblerus lib. 3. Metaphys. cap. 3. pag.* 148 ubi tamen nec accusat nec excusat Calvinum. Sed alter quidam Lutheranus *Eckardus in fascic. controv. cap. 2. quæst. 7.* apertè determinat Calvinianos non credere sincerè omnipotentiam Dei, idque probat ex *Martyre, Beza, Zadeele, Piscatore, Keckermanno.* Sed meræ sunt calumniæ. Si quis enim autores inspiciat, videbit illos rationibus, instantiis, & autoritatibus, quas adducunt, nihil aliud velle, quam quod *Erasmus*, qui in notis ad 1 *Timoth.* 1. (ubi vide) reprehendit periculosas, ineptas, absurdas, temerarias, immo & blasphemas nonnunquam disputationes scholasticorum, quibus sine fine sine modo disquirunt. An Deus hoc vel illud possit. Quales nonnullas recensет *Erasmus in annotat. ad 1. Timoth. 1.* & nos infra. Voluerunt ergo homines revocare ad voluntatem Dei revelatam, à commentis & falsis consequentiis de possibilitate. Quomodo & Tertullianus contra Praxeam capit. 10. *Deo nihil est difficile. Sed si tam abrupte in præsumtionibus nostris hac sententia utamur, quidvis de Deo confingere poterimus &c.* Videantur reliqua. Aut dicendum eos velle, ne quis temere ex lumine naturæ à priori statuat de omnipotentiæ divinæ objectis; cum omnia inde à priori certe demonstrari nequeant, immo nec á posteriori tam evidenter sciri, nisi ex revelatione Dei & fide firmiter teneantur. De quo etiam ex ipsis Pontificiis aliquid monet *Zwarez disp. Metaph. 39. sect. 17. §. 13. 14.* qui videndus. Denique nihil aliud voluerunt quam potentiam Dei quæ à Pōtificiis & Lutheranis nimium extenditur ad ea scil. quæ cōtradictionem implicant, revocare ad terminos & conditiones perfectionis, veritatis, & veræ potentiæ divinæ, atque ita Deum ab omni impotentiâ, falsitate, & abnegatione sui ipsius immunem præstare. In quo nihil dissentiunt à patribus, Scholasticis, omnibusque recentioribus antehac cit. Quod ex ipsius *Becani* verbis *cap. cit. qu. 9.* satis desumi posse videtur. Vbi cum duo ad Dei omnipotentiam necessaria esse dixit, unum scil. ex parte Dei, alterum ex parte objecti, nimirum ut evidens

videns sit in objecto non esse contradictionem, seu non esse contra naturam & essentiam objecti: subdit, *hinc sequi, quando disputamus cum Calvinistis, qui contendunt probare hoc vel illud esse impossibile, & à Deo fieri non posse; eos nihil contra nos effecturos, nisi ostendant, apertam repugnantiam in objecto. Verbi gr. si non possunt Calvinistæ ostendere, esse contra intrinsecam rationem quantitatis, ut idem corpus alicubi existens &c.* Et qu.4.§.3. *Tota difficultas est in eo, quid vocemus possibile, quid impossibile. Nam multa sunt, quæ Calvinistæ dicunt esse impossibilia, non autem possibilia, ut verbi gr. Idem corpus esse simul in diversis locis. Accidentia manere sine subjecto.* v. *probl.* An radix, origo, fundamentum, & principium primum possibilitatis & impossibilitatis seu contradictionis alibi sit quærendum, quam in Deo *Resp. Neg.* Idem enim hic statuendum, quod de radice & principio primo contingentiæ & necessitatis. Quamvis prioritate cognitionis quod ad nos, sæpe prius deprehendatur & desumatur à nobis ex ipsa re potentiæ divinæ objecta seu objicibili aut non objicibili. Prioritas ergo originis est à Deo & ex Deo, & inde diffundit se in rem. Ita ut possibilitas & impossibilitas originaliter & principiative sit Dei; terminativè & formaliter sit rei. Cognoscitive vero quod ad nos, aliquãdo prius à posteriori deprehẽdatur & desumatur ex re; siquidem ejus naturæ repugnet aut non repugnet, seu repugnantia sit in terminis: aliquando prius quasi magis à priori deprehendi videatur ex ipso Deo, sive ex absoluta scil. & perfecta ejus natura: sive ex ejus voluntate per voluntatem signi nobis revelatâ. Est autem revelatio illa seu voluntas signi sextuplex 1. *per* opus creationis universi & leges generales atque immotas in natura positas. 2. *per* ipsum rerum omnium & singularum eventum, Vnumquodq; enim dum est necessario est; & factum infectum fieri nequit. 3. *per* prophetiam seu prædictionem simplicem. Vt *Iesa.6.9.* coll. cum *Iohann.12.30.40.* 4. *per* præceptum. 5. *per* promissionem. 6. *per* comminationem. VI. *Probl.* An principium adæquatum & primum omnis impossibilitatis sit sola Dei voluntas, seu liberum ejus decretum: ita ut nihil sit impossibile, nisi per liberam & antecedentem Dei voluntatem. *Resp.* Ita quidem videntur velle nonnulli in controversia de jure Dei, an scil. possit mandare odium sui, blasphemiam &c. & in hunc finem allegatur *Bradwardinus.* Sed quidquid sit de illorum sententia, Nos *Neg.* Et distinguimus impossibilia seu contradictoria in absolute talia, & ex hypothesi tantum voluntatis seu liberi decreti divini talia. *Priora* vult Deus libere concomitanter non vero antecedenter; ita ut non posset eorum oppositum velle, exempl. grat. Sic impossibile est absolute & quidem ex necessitate naturæ divinæ ita ut Deus ea nõ possit velle: alius Deus, creatura independens, peccatum â Deo productum,

creatura

creatura rationalis Deo non ſublex aut ſubjecta, mendacium à Deo productum *Hebr.6* 18.2 *Tim.* 2. 13. peccator quâ peccator Deo gratus & acceptus. *Poſteriora* vult Deus antecedenter; potuiſſet enim oppoſitum voluiſſe exempl.gr. filius Abrahæ ex lapide *Matth.*3.miſſio duodecim legionum angelorum ad liberationem Chriſti ab illa captivitate *Matth.*26. Ita ut eas exiſtere ſit impoſsibile & implicaret non abſolute,ſed ex hypotheſi decreti divini. Vide & confer *diſp.de Iure & juſtitia Dei.*

Sequitur nunc punctum ſecundum, de implicantibus contradictionem 2.
in genere, quænam ſcilicet illa ſint, quæ affirmata aut negata de aliquo faciant contradictionem quam vocant in adjecto, ſeu oppoſitum in appoſito, ſeu quænam implicite & indirecte ſeu per conſequentiam contradicant, quod Scholaſtici vulgo dicunt *implicare* aut *involvere* contradictionem. Vt autem ea feliciter dextreq; inveſtigemus ac circumſcribamus, ponimus iſtas concluſiones. Quotieſcunque ex poſitis ſequitur, ut 1.*Concluſ.* Quotieſcunque ex prædicatione affirmante aut negante reſultat enuntiatio contradictoria, axiomatum logicorum & metaphyſicorum quæ ſunt & habentur neceſſariæ atque æternæ veritatis; certiſsimum eſt implicari contradictionem. Axiomata illa ſunt tum principia & theoremata prima ac generalia, tum regulę conſequentiarum, e. gr. poſita & affirmata ſpecie ponitur genus. Sublato genere tollitur ſpecies. Relatorum uno poſito ponitur alterum. Privatio præſupponit habitum, & ſubjectum capax. Cauſa eſt prior effectu,&c.Sed de ſignis contradictionis infra. 11.*Concl.*Prædicata neceſſaria,ſunt omnia illa quæ juncta cum ſubjecto faciunt prædicationem ſeu enuntiationem veram pertinentem ad aliquem ex gradibus neceſsitatis propoſitionum, ſcil. *per ſe,& univerſale primum.*Harum enuntiationum contradictoriæ ſi reſultent, ut ſcil.prædicata illa negentur de ſubjectis ſuis, jam implicatur contradictio. e.g.ſi ſequatur ex poſitis, Homo non eſt animal, aut rationalis, aut docilis, aut riſibilis,corpus humanum non eſt quantum, finitum, ſpatio & loco commenſuratum & coëxtenſum &c. 111.*Concl.* Entitatum modalium ſeu modificationum exiſtentia non poteſt affirmari ſine eſſentia abſoluta, ſeu ſine ſubjecto cujus ſunt modi.Sic modi ſubſtantiales,unio materiæ cum forma, & ſubſiſtentia, nec non dependentia neceſſaria à cauſa ſuperiori,& modi accidentales, figura, actio, paſsio, relatio, ubi, non poſſunt eſſe ſine ſuo abſoluto, aut ſubjecto, aut termino. Ratio eſt, quia realiter idem ſunt cum re cujus ſunt modus. Sic de pleriſque modis modo indicatis *Baranzanus in opinionibus novis diglad.* 2. *theorem.* 12. Idem nos dicimus de duratione, cauſalitate, uno, vero, bono, perfectione, contingente, potentia, actu, identi-

tate, aliisque modis & relationibus transcendentalibus, quas Metaphysici tanquam affectiones entis pertractant. De quantitate an huc referri debeat, tanquam modus intrinsecus substantiæ corporeæ, seu corporis, & realiter cum illo idem, disquiritur. De quo vide sententiam cum rationinibus Nominalium apud *Zwar. disp.* 40. *Metaph. sect.* 2. §. 2. Hanc ergo prædicationem implicantem contradictionem reducimus ad tertium modum necessitatis *per se*, tanquam ad suum oppositum. IV. *Concl.* accidentium communium, omniumque adeo in genere accidentium existentia affirmata sine inhæsione in subjecto aliquo, seu inhæsio eorum in subjecto negata, implicat contradictionem. Et hoc reducimus per modum oppositi, ad tertium modum necessitatis *per se*. Sed controversiam hic movent Pontificii, de quo forte infra. V. *Concl.* Modorum accidentalium sive naturalium sive supernaturalium ortus per eductionem negatus, aut τὸ fieri seu ortus eorum absque eductione è potentia materiæ affirmatus, implicat contradictionem. Ratio est, quia essentialiter pendent à subjecto & in fieri & in esse. Sic determinant ipsi Pontificii apud *Zwar. disp. metaph.* 15. *sect.* 1. §. 16. VI. *Concl.* Affirmata prædicatio (loquimur de prædicatione propria) oppositi de suo opposito per omnes species oppositorum, ut & oppositorum prædicata reciproca (definitiones scil., formæ seu differentiæ, & adjuncta propria, ut & modi proprii sive specifici sive individuantes & singulares, denique causæ proximæ internæ & emanativæ,) affirmata de suo cujusque opposito, implicant contradictionem. E.gr. in contradictorie oppositis, homo est non homo: non homo est homo, aut rationalis, docilis, risibilis; In privative oppositis, morbus est sanitas, & contra, aut sanitas est actio læsa, & morbi hujus causa συνεκτικὴ, item symptoma, est causa συνεκτικὴ & symptoma sanitatis; In contrarie oppositis, calor est frigus, & contra, aut calor congregat heterogenea, In relate oppositis tam abstracte quam concrete, pater est filius, & paternitas est filiatio, & pater est genitus à filio; In disparate oppositis tum speciebus tum individuis, equus est canis, bucephalus est melampus, hinnibile est latrabile, anima seu forma equi est anima canis. Huc refero omnia realiter distincta, quæ affirmate de se invicem prædicari nequeunt absque implicatione contradictionis. VII. *Concl.* Addo ad dictorum majorem evidentiam, non posse propriam existentiam, aut principium individuationis seu existentiæ, aut proprietates individuantes, de aliquo existente seu individuo negari, aut etiam affirmate de quocunq; alio individuo realiter distincto prædicari, sine implicatione contradictionis. E.gr. Petrus apostolus non habuit existentiam: Iste homo quem ibi video, non habet existentiam seu non est:

Petrus,

Petrus,aut iſte homo nõ habuit aut nõ habet ſuum principium individuationis,ſuas proprietates individuãtes,Petreitatem.Rurſum,Petrus habet exiſtentiã Pauli,& Petreitas eſt Paulinitas,principiumque & proprietates individuãtes unius ſunt principiũ & proprietates individuantes alterius. Idem pariter dicẽdum eſt,de individuis accidentiũ,modorum, privationũ inter ſe oppoſitis aut realiter à ſe invicem diſtinctis, VIII. *Concl.* dependẽtia eſſentialis ſeu neceſſaria effectus cujuſque ſpecifici à ſua particulari, propria, & univoca cauſa ſi negetur,aut ſi effectus ille alteri cui libet cauſę propriæ ac particulari realiter diſtinctæ tribuatur, implicatur contradictio. E.gr. hoc vel illud genitum abſque ſuo univoco generante, radius, aut lux aut calor ſolis abſque ſole, calor cœleſtis ſeu ſolis productus ab igni, lux ſolis producta & emanans ex luna aut alio quocunque ſubjecto, homo creatus per generationem ex parentibus,aut genitus per creationem. Ejuſdem farinæ eſt, Creatura non dependens à creatore in fieri, in eſſe, in operari. Quæritur etiam de creaturâ rationali non dependente à prima & ſuprema recta ratione, eique neceſſario non ſubjecta ad obedientiam, honorem, amorem exhibendum. Vbi nos *Aff.*ſequimur. De quo in *diſp.de jure & juſtitia Dei.* Sic quæritur de generatione hominis per diabolum: ubi etiam *Neg.* ſequi malumus, uti dictum in *diſp.de Dæmonibus.* IX.*Concl.* Omnia attributa divina quamvis realiter idem ſint & in ſenſu identico de ſe invicẽ prædicari poſſint, ut & proprii effectus ac determinationes cujuſq; cuilibet alteri attributo tribui,in ſenſu tamen formali de ſe invicem non prædicantur ſine implicatione contradictionis. E.gr. Dei miſericordia formaliter eſt ejus ira ſeu juſtitia correctiva & punitiva,Deus odit peccatum,& condemnat æterniſque pœnis affligit peccatorem per miſericordiam. Ratio autem hujus implicationis eſt,quia attributa divina virtualiter diſtinguũtur,& quatenus diſtinguuntur non poſſunt formaliter unum idemque eſſe, quia effectus formales eorum e.gr. odiſſe & miſereri, ſalvare Petrum, & punire Iudam non ſunt formaliter eadem.

Ad uberiorem hujus doctrinæ cognitionem indicabimus quædam ſi- 3.
gna & veſtigia, unde quis deprehendat implicari contradictionem. 1. Si quis temere negando, affirmando, & compoſsibilitatem repugnantium defendendo, eo adigatur, ut impingat aut illidatur in principia illa prima Metaphyſica, Nihil poteſt ſimul eſſe & non eſſe, contradictoria non poſſunt ſimul eſſe vera, & Logicorum dictum de omni & nullo, itemque principium illud ectheticum, Quæcunque in uno tertio conveniunt, inter ſe conveniunt. Adminiculum hujus indagationis eſt Logicorum argumentatio indirecta ſeu deducens ad impoſsibile, & converſio enuntiationum

tiationum per impossibile; quibus adde reductionem syllogismorum secundæ & tertiæ figuræ ad primam per impossibile. II. Secundum signum seu gnorisma est, cum eo recidunt assertiones alicujus, ut impingant aut ab adversario illidantur in axiomata Logica & Metaphysica ex primis illis principiis modo indicatis certissime deducta, quibus tanquam regulis consequentiarum contradici non potest, sine violatione aut abnegatione luminis naturalis, & rectæ rationis, & consequenter sine omnis Theologiæ naturalis, & supernaturalis subversione; Illa enim ex dictis Principiis & axiomatis demonstrari, ista contra Atheos, Scepticos, Epicureos, Libertinos, infideles, hæreticos defendi debet. Quænam autem illa sint theoremata generalia, & axiomata ac regulæ consequentiarum: discendum est ex vulgaribus libellis Logicis & Metaphysicis: quæ ab omnibus Philosophis & Theologis, omnibusque adeo eruditis & sapientibus (in quorum numero non pono fanaticos Scepticos & protervos ἰδιογνώμονας ac θαυματύργους) cogente veritate & interiori conscientia absque contradictione communiter recipiuntnr. III. Signum & gnorisma est, cum thetica principia, seu theses & conclusiones necessariæ, ex principiis & axiomatis modo indicatis rite deductæ, negantur, quas *Aristoteles* vocat συμπεράσματα ἄϊδια 1. conclusiones æternas 1. Poster. *cap.* 7. §. 7. Vide hic *Pacium*, *Zabarellam*, aliosque commentatores, & *Pererium disput. Phys. lib.* 12. *cap.* 8. Illæ enim ita sunt veræ, ut nunquam possint esse falsæ; & oppositæ earum ita sunt falsæ, ut in æternum non possint esse veræ. IV. Signum est cum oppositum statuitur existere, aut non existere ejus, quod necessario existit necessitate sive consequentiæ sive consequentis. Atque hæc signa, quamvis forte quibusdam re signata notiora non appareant, indicare voluimus ad abundantiorem cautelam.

4. Quandoquidem quædam ex nostris determinationibus hodie controversæ sunt, operæ pretium fecerimus, si paucis de iis disquiramus. Sit ergo controversum 1. *Probl.* An prædicata necessaria & essentialia in se, hoc est, an adjuncta propria de subjecto suo negari, atque ei non inesse possint, absque implicatione contradictionis: an vero solummodo de prædicatis essentialibus genere scil., differentiâ, & definitione, quę referuntur ad primum modum dicendi per se, quæque sunt de ratione formali rei, hoc affirmandum sit. *Resp. Neg. pr. Aff. post.* communiter Theologi & Philosophi Pontificii, ut & Lutherani, adacti necessitate erroneæ suæ Theologiæ: quo fit, ut vim inferant propriis axiomatis & principiis Philosophicis. Nos autem. *Aff. pr. Neg post.* 1. *Quia* prædicata illa in secundo modo necessitatis per se, habent necessarium & essentialem nexum

cum

cum subjectis & cum iis reciprocantur : Ita ut ab iis abesse aut de iis negari nequeant sine cõtradictione. Probatur, quia essentialiter & necessario fluunt atque emanant ex essentiâ subjecti & subjecto posito ponuntur, sublato auferuntur. Hinc Philosophus ea definit, quod subjecta sint de ipsorum definitione. 2. *Quia* instantiam damus in particularibus quibusdam; ubi ipsi adversarii veritatem coguntur admittere. E.gr. Intellectus, voluntas, seu potentia intelligendi, & volendi, item libertas voluntatis, sunt propria prædicata in secundo modo per se: atqui illa nec ab homine aut angelo nec à voluntate humana aut angelica abesse deque iis negari queunt absq; implicatione. Idē dico de facultatibus sensitivis & appetitivis quæ ab animali abesse aut de eo negari nequeunt; ut nec divisibilitas, à quantitate. Similem instãtiam possumus dare in ente creato seu finito, à quo ubicatio, duratio terminata & successiva, virtus finita, dependentia in causalitatibus suis ab ente primo, causalitas mediata per qualitates tanquam principia *quo*, aliaque adjuncta & attributa propria separari aut negari nequeunt. Iam vero omnium aliorum prædicatorum in secundo modo per se similis est ratio, ut e.gr. quantitatis (posito quod realiter à corpore distinguatur) divisibilitatis, nec non localitatis ac locationis respectu corporis humani. Huc referunt quidam inhærentiam accidentis in subjecto. Ex qua hypothesi eadem ratio est hujus proprii adjuncti, ac aliorum : disparitas enim nulla ostendi potest. Quod si tamen ostendi possit, uti nos posse putamus, inhærentiam esse differentiam & rationem formalem accidentis, non minus, quam per se subsistere substantiæ, extendi quantitatis, jam ex ipsa confessione adversariorum, non poterit sine contradictione de accidente negari, quippe ejus essentiale prædicatum in primo modo per se. 3. *Quia* Modi essentiales & intrinseci tum magis absoluti ut subsistentia substantiæ, & generales modi transcendentales unum, verum, bonum, non possunt sine implicatione negari de subjecto; quamvis non sint in primo modo dicendi per se, nec sint intrinseca ratio formalis, aut essentia aut quidditas rei : tum magis respectivi ut e.gr. creaturæ dependentia à creatore (e.gr. hominis, angeli, canis, equi, solis, arboris &c.) in esse & in operari est illi essentialis, nec tamen est hominis aut equi essentia, quidditas, ratio formalis, aut de ejus ratione formali. Rursum dependentia creaturæ rationalis à Deo tanquam prima recta ratione in esse morali & rectæ rationis, est necessaria & essentialis, ita ut sine implicatione de ea negari nequeat, nec Deus per absolutam potentiam oppositum ejus velle aut producere tanquam simpliciter impossibile, & repugnans in terminis. Et tamen non est illa dependentia moralis e.gr. hominis aut angeli de ejus essentia (con-

ſtituente ſcil.)aut de intrinſeca ejus ratione formali;nõ eſt genus ejus,aut differentia, aut pars eſſentialis, aut definitio, aut quodcunque prædicatum neceſſarium in primo modo dicendi per ſe.4. *Quia* concluſiones immediate & neceſſario conſequentes ex primis principiis practicis non poſſunt ab iis ſeparari aut tolli aut negari ſine implicatione & tamen concluſiones illæ ſunt in ſecundo momento & gradu luminis & legis naturæ, & principiis primis poſteriores atque ex iis neceſſario conſequentes; non vero ordine & gradu ipſis pares, nedum ut ipſis ſint priores aut de ratione formali ipſorum, aut ea eſſentialiter conſtituant. Vide hoc deductum à *Rhadâ* Epiſcopo Pactenſi in *controv. inter Thomam & Scotum part.* 3. *quæſt* 16.*p.*453.454.*&c.* Analogice conſideranda & applicanda hæc ἀνακολουθία neceſſaria & reciprocatio principii primi & primæ concluſionis, ut & Dei ac providentiæ Dei; quorum priori poſito aut ſublato antecedenter ponitur aut tollitur poſterius,& poſteriori poſito aut ſublato conſequenter ponitur & tollitur prius, utrobique tamen tam neceſſario ut oppoſitum affirmatum implicaret contradictionem. Sic homo & docilitas ſeu facultas intelligendi aut volendi neceſſariò & eſſentialiter ita connexa ſunt, ut uno poſito aut ſublato, alterum poni aut tolli neceſſe ſit, cum diſtinctione tamen illâ, quam modo diximus.5.*Quia* confirmatur communi conſenſu Philoſophiæ Peripateticæ,quam adverſarii admittunt. Teſtimonia vide citata à Philoſophis noſtrę religionis, ubi in Metaphyſicis & Logicis agunt de accidente proprio. Objectiones & exceptiones, quæ recentibus adverſariis ſunt inſtar ſacræ anchoræ, ad has potiſſimum revocantur. 1 *Except.* Accidentia propria & prædicata quædam quæ ad ſecundum modum per ſe reduci poſſunt(e. gr. locatio, quantitas) non ſunt ratio formalis, ſeu de ratione eſſentiali rei, ſed tantum in ſecundo momento naturæ: ergo ſine implicatione abeſſe & de re negari poſſunt, iis enim ſublatis aut negatis non tollitur rei eſſentia. Huc collimant ea quæ habet *Zwar.diſp.* 37.*ſ.*2. *R.*Sed hæc eſt mera petitio principii. Hoc enim in quæſtione verſatur & ab adverſario ſumitur non probatur. An ſcil.ſolis prędicatis primi modi per ſe, & non etiam ſecundi modi negatis, rei eſſentia tollatur, & contradictio implicetur.Nos paulo ante noſtram ſententiam probavimus: contra *Zwar.loc.cit.*nihil demonſtrat, ſed tantum veritatem fidei de tranſubſtantiatione & miſſa obtendit: quæ nulla eſt, nec ex principiis fidei ullo modo probatur. *Deinde* negamus accidentia propria non eſſe de eſſentia rei. Sunt enim eſſentialia conſecutiva, quamvis non conſtitutiva (ut diſtinctionem *Zabarellæ* hic uſurpemus) & de ſecundo momento naturæ ſeu eſſentiæ, hactenus ergo ſunt de eſſentia. 2. *Except.* Propria neceſſario ſubjectis ſuis ineſſe, &

ſubjecta

ſubjecta non eſſe ſine propriis, intelligendum eſt de aptitudinali inhęſione non de actuali, ſeu quod conveniat ea eſſe in illo ſubjecto, & apta nata ſint iis ineſſe, ac ſubjecta apta ſint eadem recipere. Atque hoc poſtremum effugium recentiſſimorum, *Ruvii in Phyſica, lib.4.q.5. de loco; Ioh.à S. Thoma in Philoſophiâ Thomiſtica in Logic.qu.11.artic.1.pag.* 178. *R.* Sed 1, egregie hic petunt principium: de hoc enim tota difficultas eſt, An ſc. verum corpus actualiter poſſit eſſe ſeu an poſſit exiſtere ſine actuali coëxiſtente quantitate, & homo aut angelus ſine intellectu aut voluntate, voluntas ſine libertate, & creatura ſine actuali depẽdentia à creatore & Deus ſine omniſcientia, aut omnipotentia, & quantitas ſine diviſibilitate. 2. *Deinde* hac exceptione & diſtinctione admiſſa, ſequeretur nullã eſſe aut cogitari poſſe implicationem contradictionis, quæ hac ratione eludi non poſſit. Facile enim erit ejus concipere ſubjecta ſub negatione quorumcunque attributorum tam in primo, quam in ſecundo modo per ſe. Homo actu non erit rationalis, nec animal; rurſum animal actu non erit ſenſitivum, nec angelus actu intellectu aut voluntate præditus; nec voluntas actu libera, nec Deus actu infinitus, omniſcius, omnipotens, nec triangulus actu habebit tres angulos &c.; ſed ſufficit ad evitandam contradictionem, ut dicantur iſta ſubjectis illis convenire, & poſſe ſubjecta talia eſſe: Quæ omnia per quam abſurda ſunt 3. *Denique* præſupponimus eſſentiam veram nullam eſſe, niſi actualem: cum ergo de rebus actu exiſtentibus, earumque actualibus eſſentiis quæritur, intelligendum etiam quæri de coëxiſtentibus eorum actualiter, ſive de accidentibus individuis & actualibus. Vt ergo in quæſtione de puro puto poſſibili ſeu de potentia objectiva rei & formæ ſeu differentiæ rei & modi eſſentialis, ſubjecti & proprii eſſentialis (quæ neceſſario & reciproco nexu cohærent) non debet tranſiliri ad exiſtentiam ſeu eſſentiam actualem, eaque alterutri reciproco applicari, relicta poſſibilitate aut futuritione alteri reciproco: ita nec hic in quæſtione de duobus reciprocis actualiter coëxiſtentibus, non debet tranſiliri ad τὸ poſſibile, aut τὸ poſſe convenire ſeu inhęrere, aut τὸ aptitudinale.

DE POTENTIA DEI,
Deque possibili & impossibili.
PARS TERTIA.

Resp. IOHANNE CARRE' Campano-Gallo. *Ad diem 9. Martii*, 1644.

1. EXcept. 3. Quam in controversia de penetratione corporum per absolutam Dei potentiam contra Durandum obtendunt recentiores Philosophi, in Physica de loco *Toletus*, *Ruvius*, *Conimbricenses*, *Arriaga*, *Oviedo*, *Mendoza*, & qui post alios omnes recentissimi, *Autores collegii Complutensis* Carmelitarum discalceatorum, & *Iohannes à Sancto Thoma*. Adde Theologos recentiores ad 3. *quæst.* 76. *art.* 5.; nec non Philosophos à modo nominatis citatos, quos omnes ego non vidi aut contuli: Nec etiam fuit necesse; cum alii aliorum dictata plerumque describant, & de suo nihil aut parum addant. Summa exceptionis hæc est: Proprium quod est effectus formalis secundarius alicujus rei, non vero primarius, potest de facto abesse, idque per inhibitum concursum divinum & consequenter impeditum effluxum seu actualem emanationem istius effectus à suo subjecto seu forma. E. gr. quantitatis effectus formalis sed secundarius est situaliter extendere & collocare partes corporis quanti in ordine ad locum, hoc est, eas ordinare in loco, & in diversis spaciis ac terminis extendere. Atqui hic effectus quantitatis potest totaliter tolli, salva tamen quantitate, ut patet in corpore Christi sacramentato, ubi est quantitas ejus ut & reliqua ejusdem accidentia sine extensione ad locum. Multo magis salvâ quantitate impediri potest effectus magis secundarius, qui naturaliter ad extensionem illam actualem sequitur, corporum scil. & partium tactus mutuus penes extremitates seu indivisibilia & terminos, & consequenter expulsio alterius corporis ex eodem loco, in quo corpus, aut pars est, ne una scil. intret aliam, nec penetretur sub eodem loco. Potest enim Deus stante secundario effectu quantitatis, occupatione scilicet loci & contactu corporis locati ad aliud corpus circumscribens & locans, impedire contactum ejusdem locati corporis ad aliud corpus sibi appropinquans, sicque istud admitti ut simul sit in eodem loco. Probationem hujus exceptionis hypotheticæ, unde thetica exstruitur nostræ determinationi de implicatione contradictionis directe opposita, nullam aliam video nisi geminã. Quarum una est à posteriori, quia sic factum est, in nativitate Christi, qui egressus est ex utero clauso; & in resurrectione,

ſurrectione, quia clauſo ſepulchro &c.; & ingreſſus eſt ad diſcipulos clauſo oſtio; & penetravit cœlos nulla facta diviſione in eis. Sed huic crambæ recoctæ nihil hic opus reponi, quandoquidem tyronibus paratæ ſunt ſolutiones. Altera probatio eſt à priori, quia eſt proprietas & effectus formalis quantitatis ſecundarius tantum; & conſequenter actu abeſſe poteſt, ac de ſubjecto quanto negari: repugnat enim oppoſitum ſeu oppoſiti affirmatio naturaliter, non *divinitus aut eſſentialiter* (ſic in terminis loquitur *Ioh. à S. Thoma part. 2. curſus Philoſoph. Thomiſtici quæſt. 16. art. 4. p. 273. coll. a. & p. 274. coll. b.*): quia naturaliter debetur quantitati extenſio in ordine ad locum, & corporum aut partium mutuus circa extremitates, atque inde reſultans expulſio alterius corporis, & impenetratio dimenſionum. *Reſp.* Omnia falſa & abſurda aut incerta quæ hic præſupponuntur & ſumuntur, non probantur: quibus negatis corruit tota moles exceptionis. 1. Quod affirmatum aut negatum de re eſt contra rei proprietatem, quæ naturaliter rei debetur, illud implicare contradictionem, jam ſupra probavimus: itaque non debet antitheſis illius theſeos noſtræ hic præſtare vicem peremtoriæ probationis ſimul & exceptionis ſeu ſolutionis. 2. Si impenetratio ſeu duorum corporũ præſẽtia in eodẽ loco repugnat naturaliter proprio quãtitatis, (ut ipſe aſſerit cõtra eos qui diſputant naturaliter poſſibilem eſſe impenetrationem, ex vaſis cineribus aut aquâ repletis, quorum illa cineres iſta aurum recipiunt: item ex ferro candenti) certe eſſentialiter repugnat, quia proprium eſt eſſentiale ſubjecto. Fumum ergo ſpargit hæc diſtinctio. Tantundem enim eſt ac ſi quis dicat, voluntatem eſſe cauſã naturalẽ, aut agere ex neceſſitate naturæ, aut nõ agere cum præelectione, aut agere ad extremũ potẽtiæ repugnat naturaliter ejus proprio, ſc. libertati; ſed non repugnat eſſẽtialiter; cõſequenter poteſt ſupernaturaliter impediri ut voluntas aliquid agẽs nõ agat cum præelectione aut cum antecedẽte judicio. Breviter hâc nugatoriâ diſtinctione admiſſa, ſequetur quævis oppoſita propriorum poſſe de ſubjecto affirmari quia ſc. nõ repugnãt eſſentialiter: & ratio erit, quia propria non ſunt de ratione formali aut de eſſentia rei. Ita aſinus poterit diſputare, intellective cognoſcere, quia non repugnat hoc aſineitati eſſẽtialiter, ſed tãtũ naturaliter; & quia ſupernaturaliter effectus formalis proprius aſini qua animalis, cognoſcere ſc. ſenſualiter ac materialiter poſito objecto ſenſili, & quod actu cognoſcit, poteſt impediri Deo non præbente concurſum ad actualem emanationem iſtius effectus formalis. Rurſum eadem nugatione dici poterit, creaturam poſſe operari abſque concurſu & prædeterminatione divina (contra ac vere & conſtanter diſputant Thomiſtæ, ut videre eſt in Thomiſtis Theologis, *Cumel*, *Riſpolis*, *Bannez*, *Alvarez*,

varez, Sylvio &c. & Philosophis *Ioh.à S. Thoma, ac Complutensibus in sua Philos. Thomistica*), quia scil. hoc repugnat tantum naturaliter non essentialiter proprio creaturæ, quod est dependentia in operari à causa primâ; & quia dependentia illa nõ sit de essentia aut ratione formali e. gr. hominis, nec intrinsecè hominem constituat: neque enim est genus ejus, aut differentia, aut materia, aut forma. 3. Non satis accurate distinguitur proprietas, seu proprius effectus formalis in primarium & secundarium: quibus terminis luditur. Dicendum erat, proprium aliud esse primum aut immediatum ut intellectus & voluntas hominis, aliud esse mediatum seu ortum seu secundum, ut libertas voluntatis, risilibitas, docilitas. Sic corporis proprietas seu effectus formalis immediatus est quantitas seu extensio; mediatus & inde ortus divisibilitas; item finitudo, & terminatio interna; nec non relativa proprietas in ordine ad spatium & ubi, localitas; hinc resultans proprietas hypothetica (positis scil. locis & corporibus contiguis, aut saltem intervallis ac spaciis realibus) locatio actualis, & extensio ac commensuratio ad locum aut spatium; & hinc cõsequens quãtitativus corporum aut partium penes extrema contactus, & sic impenetratio atque exclusio mutua ex eodem loco aut spatio. Quæ omnia propria sive prima sive secunda sive absoluta sive hypothetica revera propria sunt, & consequenter opposita eorum repugnant sive mediate sive immediatè subjecto. Et Ratio est, quia quocunque nomine aut termino diminuente propria secunda & mediata (quæ illi secundaria vocant) à propriis primis & immediatis distinguantur, sunt tamen prædicata *Primo*, Necessaria in aliquo modorum per se. *Secundo*, Emanant necessario ab essentia subjecti, cumque subjecto essentialem nexum habent. *Tertio*, realiter à primis propriis quantitatis, finitudine scil. & terminatione interna, & divisibilitate non differunt, sed tantum modaliter. *Quarto*, Nec juvant opinionem de propriorum corporis & quantitatis absentiâ aut negatione, tenebræ illæ & absurda contradictoria de loco Physico, quæ ex male intellecta doctrina Aristotelica arripiunt hic Pontificii & Lutherani. Nam *Primo*, opponi posset *imaginarium spatium*, ex sententia plurimorum antiquorum & recentiorum: quam improbare nequeunt *Conimbricenses ad 4. Physic. cap. 5. qu. 1. artic. 2. Secundo*, Aut spatium seu intervallum reale; quam sententiam post antiquos & recentiores aliquos libentissime se amplexurum profitetur *Masius lib. 4. cap. 4. sect. 1. quæst. 3.* si per Aristotelis & Thomæ autoritatem liceret. *Tertio*, opponi posset distinctio loci in ambientem & sustentantem, cum ratione posterioris corpus aliquod esse in loco saltem secundum quid & ex parte, adversarii fateri cogantur. Vide *Ioh. à S. Thoma libr. 4. phys. q. 16. art. 1.* Necessitatem

tem hujus distinctionis ex Aristotele ex professo probant & defendunt *Keckermannus in system. physico, & peculiari libello de loco, & VVendelinus in contemplationibus Physicis.* Et *Timplerus in physica.* *Quarto*, opponi posset distinctio de loco interno & externo à nostræ religionis Philosophis recentioribus quibusdã non tam inventa, quam de novo in lucem protracta & exculta. Quam ex ipsis Pontificiis *Toletus in Physica sua lib. 4. cap. 5. quæst. 8.* ex professo inculcat: quem vide quæso. Nec improbabilem putat *Zwar. disp. Metaph. 51. sect. 2. §. 4.* Vsurpat etiã eam sed alio sensu *Ioh. à S. Thoma, modo cit. quæst. art. 2.* Nostrorum sensu eam olim tradidit *Simplicius in 4. Phys. digressione de loco*: uti fatetur & ex illo refert *Slekerus refut. Phys. Keckermanni.* Eandem tacite agnoscit *Gilbertus Porretanus, in explicatione prædicamenti Vbi.* dicens extimi cœli locum esse superficiem ejus convexam. Eandem aut similem distinctionem necessario adhibendam vidit *Nicephorus Blemmidas egregius Philosophus Aristotelicus* in *epitome Physica* ante 430. annos conscripta, quam anno 1605. primus Græce edidit *Iohannes VVegelinus Augustanus*, religionis professione, ni fallor, Lutheranus. Vbi Aristotelem, quem alioquin in succum & sanguinem convertisse deprehenditur, correcturus aut perfecturus sic ait. ὁ μὲν οὖν εἰρημένος τόπος ὁ κατὰ τὸ περοχὸν ὅτι καὶ ὑποδοχὴ καὶ γὰρ ἕκαστον τῶν περιεχόντων γίνεται τόπος τῷ περιεχομένῳ καὶ ὡς περιεκτικὸς ὢπερ καὶ ὡς ὑποδεκτικός. καὶ οὗτός ἐστιν ὁ πλατυκῶς λεγόμενος τόπος ὃς καὶ ἀκίνητός ὅτι καὶ χωρισὸς &c. Ἔοικε δὲ κατὰ λόγον ακριβέστερον ὁ τόπος, μέτρον εἶ τὸν τῶν κειμένων θέσεως· ὥσπερ καὶ ὁ χρόνος, μέτρον ἐστὶ τῆς τῶν κινουμένων κινήσεως. διττὴ δὲ ἡ θέσις. ἡ μὲν ὑσιώδης. ἡ δὲ ἐπεισακτος. διττὸς οὖν καὶ ὁ τόπος ὁ μὲν κατὰ φύσιν. ὁδὲ κατὰ συμβεβηκός. ἀλλὰ καὶ ἡ ὑσιώδης θέσις διττὴ. ἡ μὲν κατὰ τὸν εὐθετισμὸν καὶ τὴν εὐταξίαν τῶν οἰκείων μορίων ἑκάστου πράγματος, ὡς ὅλου θεωρουμένου, καθ' ὧν κεφαλὴ μὲν καὶ χεῖρες καὶ πόδες καὶ τὰ λοιπὰ τῶν μορίων ἐπὶ ζώου τοιῶσδε κεῖσθαι πρὸς ἀλληλά τε καὶ πρὸς τὸ ὅλον ζῶον, καὶ τὸ ὅλον πρὸς τὰ μέρη. ῥίζαι δὲ καὶ τελέχη καὶ κλάδοι ἐπὶ φυτῶν, ὁμοίως. ἡ δὲ, παρὰ τὸν ὅλου ὡς μέρους πρὸς τὸ ὁλικώτερον ἀναφορὰν &c. διττὸς καὶ ὁ κατὰ φύσιν τόπος. ὁ μὲν τῶν οἰκείων μορίων ἑκάστου εὐθετισμὸς. ὁδὲ ἀφορισμὸς καὶ κλῆρος εἰς κατοχὴν ἑνὶ ἑκάστῳ τῶν ἐν ὅλου κόσμου μερῶν. καθολέγεται τοπὸς τῆς γῆς τὸ μέσον τοῦ παντὸς &c. Videantur quæso reliqua *pag. 74. 75. 76.*: neque enim fert chartæ angustia ut omnia lectu alioquin dignissima exscribantur. Hæc hâc occasione indicare visum, ne aliqui ex nostris propter hanc distinctionẽ, qua doctrinæ physicæ & theologicæ lucem aliquã illatã velint, audiãt novatores. Videantur ex Lutheranis *Hookerus in Diatribis contra Keckermanũ, Slekerus in animadversionibus Physicæ Keckerman. Finckius in Schediasmatis, Meisnerus in Philosophiâ sobria, Iacobus Martinus in tract. peculiari de loc. cit. Keckermannum.* *Quarto*, siquidem adversarii

nec

nec ſuorum nec noſtrorum cõceptibus & diſtinctionibus modo indicatis acquieſcere nolint, ſciant tamen poſt carecta illa de loco Ariſtotelico non poſſe ſe latere : *tum* quod impugnationes illæ loci interni, & ſuſtentantis in nominalem ſolummodo diſputationem deſinant circa uſum vocabuli *loci*, uti non obſcurè fatetur *Zwar. loc. cit.* Ne dicam à parte noſtra ſtare uſum ſcripturæ *Ioh.* 14. *v.* 2. 3. 4. *tũ* quod Philoſophia de Vbi & ubicatione corporum quantitativa & circumſcriptiva ſeu circumſcriptibili ſufficiat elidendæ eorum pantopiæ & polytopiæ. Repetatur doctrina de ubi ex Pontificiis & Lutheranis Logicis ac Metaphyſicis. Quidquid enim vitiligentur de acceptione vocabuli *loci*, quaſi illud ex uſu tum exotericè & populariter loquentium, tum acroamaticè philoſophantium, nec ad locum externum ſubſtratum, nec ad internam tum totius rei locationem ac ſituationem ad ſpacium ſuum tum partium in toto ad ſe & inter ſe ac ad totum & una ad ſpatium & locum, ad quem coëxtenſa eſt, extendi non poſſit; manet tamen hæc realis Philoſophia, de unaquaque ſubſtantia creata ſeu finita, quod non tantum locabilis ſit & ubicabilis, ſed poſito quod actu exiſtit & dum exiſtit, quod alicubi exiſtat, hoc eſt, actualiter etiam ubicetur & locetur ſive definitive (ut angeli & animæ ſeparatæ) ſive circumſcriptive, ut corpora. Et ratio ſumitur ab analogia durationis quæ itidem diſtingui debet in internam & externam, quarum poſteriori poſita neceſſe eſt poni priorem, ne implicetur contradictio: ſed non vice verſa. Potuiſſet enim Deus unum ſolum angelum aut unum corpus creare, abſque ullâ alia creatura, ſpecialiter abſque primo mobili aut cœlo : Et quiſnam tunc fuiſſet locus ambiens, quis numerus & menſura motus à motu primi mobilis aut cœli deſumta. Nec tamen corpus illud fuiſſet omnino extra ſpacium, & tempus; nec deſiiſſet à Deo immenſitatis & æternitatis inhabitatore diſtingui; quippe non fuiſſet inſtar Dei abſolutum à terminis & extremis quantitativis, & à medii extenſione & coextenſione. Breviter meminerit, quouſque illi corpus humanum abſque quantitate aut abſque quantitatis propriis adjunctis & tum concomitantibus tum conſequentibus actualiter exiſtere poſſe concipiunt, couſque & pari paſſu, idem abſque duratione & tempore exiſtens concipiendum eſſe. Sed hoc abſque implicatione fieri non poteſt : ergo nec prius. Accedunt & ſcintillæ veritatum ac diſtinctionum apud ipſos adverſarios: quibus ſi conſequenter & conformiter loqui velint, non poterunt noſtra philoſophemata ſubmovere. Quod quantitas ſit menſura intrinſeca ſubſtantiæ corporeæ, ita *Thomas de Veritate q.* 1. *art.* 5. & in 1. *diſt.* 2. *q.* 1. *art.* 1. & cum illo hodierni *Philoſophi Thomiſtici contra Zwar. diſp. metaph.* 40. *ſect.* 3. *num.* 11. Quod quantitas menſurando intrinſece ſubſtantiam

cui

cui ineſt, faciat eam ſimul menſurativam ut poſſit aſſumi ad menſuram extrinſecam aliorum, & menſurabilem, ut paſſive menſuretur ſeu poſſit menſurari à menſura intrinſeca : ita ut quæcunque quantitas diverſo reſpectu ſimul ſit actu menſura intrinſeca ſui ſubjecti, & poſſit eſſe menſura activa cujuſcunque alterius quantitatis extrinſeca ; & poſſit à quacunque alia quantitate menſurari. Sic *colleg. Complutenſe diſp. Logica* 13. *quæſt.* 2. Quod extenſio quantitatis in ordine ad ſe & ratione partium ſuarum ſit radicaliter localis & ſitualis ſeu quantitativa, à qua extenſio in ordine ad locum dimanat, & cui connaturaliter debetur. *Ibid.* Quod extenſio ſit radix, unde diviſibilitas & menſurabilitas quantitatis proxime oriuntur. *Ibid.* Et quod extenſio partium in ordine ad ſe, ſit ratio formalis, & eſſentia quantitatis. *Ibid.* & *Thomas c. Gentes lib.* 4. *cap.* 65. Et quod ſitus partium ſignificans ordinem partium in toto (ut una ſcilicet ſi poſt aliam & una ſit ab alia ſecundum quantitatem realiter diſtincta) ſit de ratione rei quantę ut ſic. *Ferrarienſ. ad* 4. *c. Gentes cap.* 87. Quod motus localis poſſit fieri in vacuo. Sic communis ſchola recentiorum. Quod angeli ſint definitive in loco. Quod duo corpora non poſſint eſſe circumſcriptive in eodem loco &c. Quod locus ſit res ipſa locata. *Baranzanus digladiatione* 13. *theor.* 11. Hęc, aliaque iſtis cognata ſufficiunt oppugnandis dictis erroribus in theologia, non obſtantibus calvis effugiis de loco.

Sed inſtant adverſarii pro ſuis exceptionibus. *Inſtantia* 1. Sicuti potentia urendi ſeu aptitudinali uſtione ignis manente, abeſſe & impediri potuit per abſolutam Dei potentiam actualis uſtio, in fornace Babylonico : ſic manente quantitate corporis ejusque primario effectu formali ſcil. extenſione in ordine ad partes & aptitudinali ſeu radicali extẽſione in ordine ad locum, abeſſe & impediri poteſt proprietas, ſeu effectus quantitatis ſecundarius, extenſio ſcilicet actualis in ordine ad locum & conſequenter ſubjectum poteſt eſſe ſine proprio ſecundario. *Reſp.* 1. Tò urere eſt actus ſecundus, ſeu actio tranſiens ; conſequenter non eſt proprium quarto modo ſubjecto inhærẽs, in ſecundo modo dicendi per ſe : de quo ſolo hic quæſtio eſt. Nihil ergo hæc inſtantia ad rhombum. Eſt enim finitudo ſeu terminatio corporis quanti intrinſeca, quâ propriis terminis & extremis continetur & partes ejus in toto & in ordine ad totum ac terminos ejus internos extenduntur & ſituantur, & conſequẽter extẽſio ad ſpacium, atque adeo circumſcriptiva commẽſuratio ad locum (ex hypotheſi corporis cõtigui & loci ambiẽtis:) nõ vero eſt actio quãtitatis, (nulla enim ejus actio aut efficacia) ſed ejus πάθος ſeu *affectio propria*, ſeu mavis eſſentialis. Atqui ſubjectum actu exiſtens nullo modo eſſe poteſt, niſi ei coexiſtat & inhæreat modus eſſentialis ſeu affectio propria. Aptitudinali 2.

ſubjecto aptitudinalis affectio, actuali ſubjecto actualis, potentia exiſtenti potētia coexiſtēs, actu exiſtenti actu coexiſtēs tribuenda eſt. Sicut potētia materię primæ actu exiſtente nō vero potētia; ſic modus extēſivus, ſituativus, & terminativus quāti in ordine ad partes ſuas & proprios terminos internos abſolute & actu eſt in quanto, nec manente quanto, per divinam potentiam abeſſe poteſt: Quod adverſarii *loc. cit.* fatentur. Et hoc ſufficit ad refutandas opiniones de corpore ubiquitario, aut in pluribus locis, aut duorum corporum præſentia in uno loco. Habetur enim hic radicalis extenſio quanti ad locum, ut ipſi loquuntur. Quod ad modum circumſcriptivum ab alio corpore ambiente, & commenſurativum ad aliud corpus contiguum, aut extenſivum ad locum ambientem, actu ſemper adeſt, ex hypotheſi ſcil. cum adeſt corpus contiguum aut locus ambiens. Quales multæ ſunt affectiones propriæ hypotheticæ, e. gr. neceſſitas actualis concurſus cauſæ primæ cum ſecunda, actualis Iuſtitiæ divinę vindicantis & punientis peccatum, actualis repletivæ Dei præſentiæ in omnibus locis & in omnibus creaturis, ex hypotheſi ſcil. ſeu poſitis actione cauſæ ſecundæ & peccatis creaturę, & locis ac creaturis. Hic enim abſurde quis exciperet, non implicat contradictionem ſi non ſit concurſus divinus, aut præſentia Dei repletiva, quia de facto non fuit ante mundum conditum; & conſequenter ſufficit aſſerere aptitudinalem concurſum aut præſentiam repletivam, abſque actuali. Aut ſi quis exciperet τὸ adorari non eſt proprium Dei, aut ſi eſt, ſequitur propria poſſe adeſſe aut abeſſe, quia de facto non fuit adoratio ante creatam creaturam rationalem. 2. Fruſtra additur diſtinctio inter proprium ſecundarium, & primarium, quod eſt ſicuti actio reſpectu potentiæ activæ ſeu emanativæ propriæ. Nam non dubitant (quicquid videri velint cavere in controverſiâ de penetratione corporum) à proprio ſecundario, ad proprium conſequentiam ducere. Sic Iohann. à Sancto Thoma part. 1. curſus quæſt. 11. artic. 3. Τὸ *convenit non dicit exiſtere vel adeſſe ſubjecto, ſed idem quod debetur, ſeu connectitur, & poſtulatur à ſubjecto, licet non ſemper actu exiſtat in eo. Et ita intelligitur* D. Thomas *quando dicit in* quæſt. De ſpirituali creatura artic. ult. ad 6. *quod ſubjectum eſſe ſine propria paſſione, nec intelligibile eſt, id eſt non convenire aut non connecti ei propriam paſſionem.* Viderit ipſe quomodo hæc Philoſophia & tortura Thomæ conveniat cum eo quod alibi concedunt, non poſſe actu hominem aut angelum eſſe ſine intellectu ſeu potentia intellectiva. *Inſtantia.* 2. Viſibilitas eſt propria affectio corporis, atqui illa actu abeſſe & ſic de corpore negari poteſt, juxta *Luc.* 24. *verſ.* 31. Sufficit ergo dicere corpus neceſſario potentia eſſe viſibile, & conſequenter aptitudinalē viſibilitatem negatam implicare contradictionem, non vero actualem.

actualem. *Resp.* 1. Visibilitas non est proprium quarto modo aut corporis in genere aut corporis humani. Non illius, quia multa sunt corpora in se, per se invisibilia ut cœlum, aër, spiritus naturales, vitales, animales in corpore humano. Non istius: quia & multis aliis corporibus convenit præter quam humanis. 2. Si visibilitas idem notet quod actu videri à vidente nego hoc esse corporis humani proprium quarto modo; non magis quam actu ridere est proprium animalis visu præditi. Detur ergo actu corpus aliquod humanum hic & nunc nō fuisse visum,& ex hypothesi positis ponendis,aut nō positis ponendis nō potuisse videri(possibilitate scil.seu potētia effectus)ita ut potētia activæ visionis negetur:non tamē inde sequitur,negandā actu fuisse absolutam passivam, & intrinsecā visibilitatem, quæ necessario convenit corpori humano,qua colorato; per quam à spirtuali substantia etiam distinguitur (haut aliter ac qualitatibus tactilibus *Luc.* 24. 39.) : nam lux per se visibilis,ut & colorata per lucem visibilia, sępissime actu videri nequeunt ab animalibus visu præditis, quia nō adsunt cōditiones omnes ad actualem sensationē requisitę,aut ponuntur impedimenta sive per naturalem, sive per humanam,sive per diabolicam,sive supernaturalē & miraculosam virtutem, in objecti visibilis ablatione aut ejusdem præsentis radiatura & speciebus, aut in medio, aut in organo visus. De quo vulgares Physici & Optici. Quorum usum attigimus juxta cum nostris, præsertim cum Pontificiis Theologis in *disp. De Spectris, & de Dæmonibus.* 3. Ad phrasin græcam ἄφαντος ἐγένετο, responderi potest, eam à vulgato non bene verti, *evanuit ex oculis eorum*, ut in notis suis observavit *Erasmus* (quem vide):& ex Pontificiis sic transfert *Ar. Montanus*, ut hoc argumentum satis tollat: *& ipse non apparens factus est ab &c.* longe tamen evidentius ex Lutheranis *Hutterus in translat. Hebraicâ*: והוא חלן מעיניהם id est: & *ipse ivit* seu *discessit ab oculis eorum.* Et sic Syrus אשתקל לה מנחון id est, *sublatus est ab illis*: Et Arabs חפי ענהמא id est *occultatus est ab iis.* Videatur explicatio hujus phraseos Græcæ apud *Pindarum in Olympiis. Ode.* 1. *antistr.* κωλ. ιζ. Vbi de Ganymede rapto & in cœlum translato ἄφαντος ἔπτελες,id est,*nusquā conspiceris.* Et in *Homeri Batrachom.* De legato murium discedente, ἀπέφνε. Insuper repono non posse hinc magis intrinsecam & passivā visibilitatem corporis Christi, & consequenter propriorum de subjectis suis negationem concludi, quam ex aliis quibuscunque actualis visionis impedimentis aut fallaciis *Genes.* 19. 11. 2. *Reg.* 3. *vers.* 22. 23. *&* 6. *vers.* 17. 18. & *Iohann.* 18. *vers.* 67. & *Lucæ.* 24. *vers.* 16. Quamvis enim locis allegatis impedimentum non fuisset in organo, sufficit si alibi fuerit aut potuerit esse in objectò scilicet aut in medio. Saltem 2. *Reg.* 3. fuisse in organo, & non circa objectum, aut in medio, probari nequit. Proclive ergo est respon-

dere ad *Luc.24.verſ.31.* Chriſtum non amplius conſpectum, aut non amplius ibi comparuiſſe, quia corpus ejus ſubito oculis eorum ſubductum & alio tranſlatum fuit, ut *Actor.8.39.& 1 Reg.18.12.* unde tamen non ſequitur corpora Elię, aut Philippi ſuis proprietatibus actu tunc deſtituta fuiſſe. Quod ſi quis velit Chriſtum ibi præſentem adhuc fuiſſe, & tamen non potuiſse à diſcipulis amplius conſpici, dicemus tunc & quidem abſque ullo periculo aut ſpecie contradictionis, circa objectum viſibile ejuſque ſpecies ſeu imagines viſibiles, aut circa medium miraculosè fuiſſe impedimentum aliquod viſioni poſitum. Sive ergo dicatur corpus Chriſti localiter inde fuiſſe tranſlatum; ſive dicatur eodem illo in loco actualem conſpectum ejus fuiſſe impeditum (quomodo *v.16.& Ioh.20.14.15.* aut quocunque alio modo ut *Geneſ.19.11. 2.Reg.3.22. & 6.17. Luc.4.30. & 18.67.* ubi videndi commentatores), removetur argumentum & refugium adverſariorum in hac noſtra controverſiâ. *Inſtantia. 3.* Subjectum eſt naturaliter prius ſua propria affectione, & nullo modo ab eâ dependet: ergo non implicat, ſi per abſolutam Dei potentiam inveniatur abſque illa affectione. Probatur antecedens quod ad prius membrum: quia affectio illa per naturalem reſultantiam ex ſubjecto profluit, & conſequenter ſubjectum prius eſt, ſicut cauſa prior ſuo effectu. Probatur quod ad poſterius membrum, quod ſcilicet nullo modo à propria ſua paſſione dependeat; quia neque pars ejus eſt, neque neceſſaria partis diſpoſitio, ſed totum in perfectione ſua cõſtitutum præſupponit. Sic *Ferrarienſis ad 4.c.Gentiles c.65. Reſp.* Tota hæc inſtantia applicata angeli & hominis propriis paſſionibus intellectui ſcilicet & voluntati, quæ realiter à ſubjectis ſuis diſtinguuntur, minime expediet hominem aut angelum non intellectivum (ſiquidem ponatur) à repugnantia in terminis. Quamvis enim *Ferrarienſis, contra Thomam in quæſt.de ſpiritu art.11.ad 7. & in qu. de animâ art.12.ad 7.*, & (quidquid eum adverſis veſtigiis in ſententiam ſuam pertrahere conetur) aſſerere auſit, non eſſe repugnantiam intellectuum, ſi anima rationalis per virtutem Dei fieret abſque propriis potentiis: non video tamen virum, alioquin ſubtiliſſimum, ferè aliter illud defendere, quam ex propria affirmatione, *p.728.art in reſp.ad 2.rationem dubii moti ad tertium dictum Thomæ.* Paulo poſt *p.cit.coll.b.in reſp.ad quintum* diſtinguit quidem intellectivum & angelum aut hominem intelligendi principio & facultate deſtitutum. Priori modo intellectivum dicendum putat, quia humana natura, ſeu anima rationalis eſt talis, ut ei conveniat eſſe radicem & principium eſſentiale intelligẽdi. Sed quæſtio eſt primum an homo aut angelus iſte actu exiſtens, ſit formaliter & actu intellectivus, nec ne; non vero an radicaliter aut potentia ſit talis, ſeu an homo actu aut

forma

forma rationalis, destitui posset effectu illo formali essentiæ angelicę aut humanæ. Hic ergo in responsione Ferrariēsis aut principium petitur; aut abstractio præcisionis (qua intelligitur & concipitur essentia humana aut forma hominis & nō simul potētia intelligēdi) cum abstractione negationis immo cum reali separatione cōfunditur, & priori abstractione cōcessa, etiam posterior sine ratione & contra mentem *Thom. loc. modo cit.* conceditur. Adde quod posito subjecto in actu tanquam materia è cujus potentia emanare & resultare aptum natum est principium intellectivum seu intellectus, nullus tamen formalis effectus in actu ponitur & consequenter subjectum illâ formâ accidentali tanquam principio *quo* seu proximo intelligendi non actuatur & informatur ad connaturales sibi operationes intellectuales producendas: uti liquet ex verbis *Thom. art.* 4. pro suo hoc effugio ibidem cit.: *Quodsi*, inquit, *anima esset sine suis potentiis, ad huc tamen diceretur intellectiva vel rationalis, non quia actu haberet illas potentias, sed propter speciem talis essentiæ ex qua natæ sunt tales potentiæ effluere.* Ita ut cum distinctione illa ad propositam difficultatem dici quid videatur, revera nihil dicatur. Manet enim perpetuo hoc dubium: Quomodo intelligi possit absque implicatione, esse animam rationalem in homine, aut essentiam intelligentiæ in angelo, ut ei actu non insit principium *quo*, seu facultas intelligendi. Ego hâc vice præter alia hactenus dicta hoc dubium ipsis objicio. An non pari ratione absque implicatione intelligi possit anima canina cui actu insit intellectus, atque anima rationalis aut substantia intellectiva, cui actu non insit intellectus. Quomodo ergo refutabunt eos, qui disputant pro communicatione proprietatum in genere, & in specie proprietatum divinæ naturę Christi. Quod si dicāt longe disparem esse rationem: quia in anima seu essentia canina non est radix aut primū principium intellectus. Regerat quis; *Primo*, non minus fingi posse ibi radicem seu potentiam obedientialem ad habendum absoluta & miraculosâ Dei virtute intellectum, quam in homine ad non habendum. Quomodo nonnulli ex Theolog. (inter quos ex nostris *Franciscus Iunius in Num.* 22.) senserunt asinæ Bileami ad tempus à Deo inditam fuisse rationem. Idem de serpente *Gen.* 3. sentit *Ephrem. apud Bar. Cepha. l. de Paradiso.* Quæ tamen, meo judicio implicant: & rejiciunt ea Doctores Pontificii tanquam implicantia. Sed velim videre quomodo ex sua hypothesi solide refutaturi sint. *Deinde*, regerat & fingat quis ut animæ caninæ inhæreat aut adsit intellectus, repugnare hoc naturaliter non essentialiter aut supernaturaliter: prout *Ferrarienses*, *Complutenses*, *Ioh. à S. Thoma*, &c. in hac controversia pro quanto sine extensione ad locum distinguunt. *Tertio.* Regerat & fingat quis, supplere causam primam omnes effe-

ctus & operationes causarum secundarum, saltem efficientium. Vti in *disp. de accidentibus sine suo subjecto*, huc confugere solent. Quidni ergo Deus possit animam caninam elevare ad recipiendum intellectum? sicuti secundum ipsos elevat ignem materialem ad torquendos dæmonas: & animas, in inferno; & aquam baptismi ad Physicam gratiæ in anima productionem. Quidni facultatem intelligendi in cane subjectare, sicuti accidentia panis post factam transubstantiationē subjectat quasi in seipso, conservando eam extra suum subjectum, & supplendo defectum subjecti, unde alioquin naturaliter in esse & conservari dependent? His & similibus absurdis urgeri possent, ut tandem videant absurdas esse negationes axiomatum Philosophicorum, & assertiones paradoxas, unde illa absurda sequi necesse est. Alia quæ pro propriorum negatione, subtiliter & expedite, supra multos alios, quos vidi, ibidem disputat *Ferrariensis*, nunc minutatim non excutiā: quod cum exceptionibus & instantiis supra allatis fere coincidant, & solutiones eorum facile desumi possint ex iis quę nobis jam dicta sunt.

II. *Probl.* An sine implicatione abesse possit ab accidente, inhærentia in subjecto, & sic vere de eo negari illa sive ratio formalis sive proprietas, *inhærere, sc substantiæ*, seu *esse in subjecto*. *Resp. Affirm.* communiter Pontificii ad 3. *q.* 77. *art.* 1. & 3. & *philosophi* eorum in *logicis* & *Metaphys.* ubi *de accidente*. Nam secundum ipsos quantitas panis remanet in eucharistia sine substantia panis, & reliqua accidentia panis, color scil., figura, odor, sapor &c. subjectantur in quantitate. Ratio à posteriori ex fide (de transubstantiatione scil.) adducitur, quia supernaturaliter non repugnat accidens extra suam substantiam existere, & esse subjectum ultimum respectu aliorum accidentium; quamvis secundum naturas rerum repugnet: uti distinguit *Zwar. disp. metaph.* 11. *sect.* 4. §. 1. Immo *disp.* 37. *sect.* 2. fatetur ingenue non posse ratione naturali demonstrari. Conatur ergo objectiones solvere, & ibi & *comm. in Thom. p.* 3. *tom.* 3. *qu.* 77. *art.* 1. Quod vir subtilissimus tam absurde, tam trepide, tam frigide facit ut haut obscure inde colligas repugnantiam & formidinem interioris conscientiæ, mixtam cum credulitate Romana, & cœca fidei implicitæ obedientia. Objectiones nostras solummodo hic reponimus, quas tanquam solidas rationes pro nostra sententia coram in ipsa disputatione defendemus. 1. *Ratio*: Oppositio seu disparato non potest tribui definitio oppositi, absque contradictione: Ergo nec definitio substantiæ Aristotelicæ ab omnibus Philosoph., imprimis Pontificiis hactenus recepta tribui potest accidenti. Fit autem hoc, cum dicitur accidens (quantitas scil.) per se subsistere & substare accidentibus. 2. *Ratio*: Per absolutam Dei potentiam

non

non potest definitio abesse aut removeri à definito : ergo nec definitio accidentis ab accidente. Hoc autem fit cum accidens aliquod (puta quantitas panis) negatur esse ens quod est in subjecto ; seu, quod substantiæ inhæret ; seu, quod substantiam afficit. 3. *Ratio* : non potest res esse sine entitate actuali : ergo non potest accidens esse sine entitate actuali ; atqui illam habet à subjecto. Probatur, A quo accidens habet individuationem, ab illo habet entitatem actualem : Accidens (e. gr. qualitas & consequenter multo magis quantitas) habet individuationem a subjecto. Ergo. Minoris probationem non addo : quia ejus veritatem agnoscunt adversarii, ut videre est apud recentiorem Theolog, & philosophum *Karamuel Lobkowitz lib.4. Metaphys.sect.4.in epilogo.* Exceptiones omnes *Zwaresii*, & *Thomæ* ibidem & commentatorum, ut & *Ferrariensis ad 4. c.Gentiles cap.65.* ad istas revocari possunt. I. *Except.* Aptitudinalis inhærentia est de ratione accidentis, non autem actualis. *Resp.* Tantundem est ac si quis excipiat, homo actualiter existens non est actu animal rationale, nec convenit illi animalitas aut rationalitas actualis, sed tantum aptitudinalis; & hoc sufficit ad evitandam contradictionem. *Instantia* Ferrariensis : *Confirmatur* inquit *quia licet inhærentia aptitudinalis sit de essentia accidentis, inhærentia tamen actualis est ejus propria passio, ipsam naturaliter & necessario concomitans si suæ naturæ relinquatur, & tamen per divinam potentiam accidens est sine subjecto in sacramento altaris? Resp.* egregia principii petitio. Deinde sit inhærentia actualis nihil aliud quã necessarium & essentiale cõcomitans seu proprietas accidentis : non tamen de eo negari aut separari potest, uti præced. problemate ostensum est. *Instantiam* eandem ineptissime ita amplificat Zwarez in 3. quæst. 77. artic. 1. primo negando definitiones substantiæ & accidentis : *Quidditati substantiæ competit habere esse non in subjecto, & quidditati essentiæ accidentis competit habere esse in subjecto. In hoc autem sacramento non datur accidentibus, quod ex vi suæ essentiæ sint in subjecto, sed ex divina virtute sustentante. Et ideo non desinunt esse accidentia, quia nec separatur ab eis definitio accidentis, quæ est aptitudo ad subjectum, quæ semper manet in iis nõ actualis inhærentia : nec competit eis definitio substantiæ. Resp.* absurdorum & fatuitatum cumulatio. 1. Sumitur quod est in quæstione : non probatur. 2. Admodum inter se digladiantur, an inhærentia ullo modo etiam aptitudinaliter fit de essentia accidentis; Vt *Zwarez ibidem* refert. Quam lubricum ergo & miserum hoc refugium; in quo ipsi sibi non satisfaciunt. 3. Sequitur hic definitionem per divinam virtutem abesse & negari posse de definito ; aut saltem definitionem, essentiam, & quidditatem generis aut speciei non competere actualiter rei existenti, seu individuo sub illo genere & illa specie contento. Quasi quis diceret

quidditas

quidditas & definitio hominis est existere rationalem, & consequenter per absolutam Dei potentiam poterit ab isto homine illic ambulante actu abesse rationalitas, non quod ex vi suæ essentiæ homo sit sine rationalitate & sine intellectu, sed ex divinâ virtute sustentante. Et ideo non desinit homo esse homo, quia non separatur ab eo definitio hominis, quæ est aptitudo ad rationalitatem & intellectum, quæ semper manet in eo, non actualis præsentia rationalitatis & intellectus: nec competit homini definitio bruti. Hæc parodia verborum Zwarezii. Similem instituere possim de materia, de forma, de efficiente, de effectu, de cane, de equo, de terra, de aqua, de Deo ente primo, deque creatura, seu ente secundo & finito, deque omnibus aliis, aptando ipsis definitiones disparatorum, & proprias eorum definitiones de ipsis in singulari aut individuo aliquo negando.

DE POTENTIA DEI,
Deque possibili & impossibili.
PARS QVARTA.

Resp. IOHANNE CARRE' Campano-Gallo. *Ad diem* 22. *Iunii*, 1644.

1. ESto. II. Divina virtute posse accidens conservari sine substantia, quia potest causalitatem subjecti supplere. Sic *Thom. p. 3. qu. 77. art. 1.* Ferrariensis loc. cit sic amplificat *Divina virtus potest producere effectus quarumcumque causarum secundarum, sine ipsis causis secundis, quod habet veritatem de causis efficientibus, non autem de causis materialibus & formalibus.* *Resp.* Recte: non potest ergo Deus supplere virtutem substantiæ corporeæ quæ est subjectum & causa materialis ut & formalis suorum accidêtium propriorum. Sed huic difficultati sic occurrit Zwarez loc. cit. *Quod Deus non possit supplere causalitatem materialem vel formalem, quæ consistit in intrinseca compositione ex subjecto & forma (hoc enim & imperfectionem & repugnantiam includit) sed quod possit supplere causalitatem quandam quæ consistit in extrinseco influxu seu adhæsione unius ad aliud, &c.* posterioris generis causalitas est mutua quam ad se invicem habent materia, & forma: nam neutra alteram componit, & utraque aliquo modo pendet ex consortio alterius, quod Deus supplere potest per vim activam & creativam. *Resp.* Teratologiæ mere, quas indicasse est refutasse. Duplex ergo erit causalitas materiæ & formæ, una scil. intrinseca quæ respicit compositum, altera quæ ipsas causas internas inter se? illa dicetur intrinseca compositio altera tantum extrinseca adhæsio.

Sed

Sed quomodo cauſę intrinſecę tum non fient extrinſecę, & eſſentiæ & rationes formales earum non confundentur, aut ſibi invicem non tribuentur, idque abſque cõtradictione? Pariter dici poterit, eſſe ſimitatem ſine naſo, claudicationem ſine motu progreſſivo animalium, privationem & malum quodque ſive triſte ſive turpe abſque ſubjecto bono in quo fundetur. Sed quæ hic fingi poterit dependentia, effectiva à Deo, quæ ſuppleat defectum ſubjecti & dependentiæ ſubjectivæ ab illo ſubjecto? Eadem ratione fingatur relatum e.gr. filiatio Alexandri, abſque correlato paternitate Philippi, & ſurſum abſque deorſum, maritus abſque uxore, dominus abſque ſervo, &c. ut Deus ſcil. in omnibus illis ſubjecti relati aut correlati, aut formalis relationis aut correlationis defectum ſuppleat. Adde etiam ad cumulum abſurdorum, viſum ſeu potentiam ſecundam videndi ſine oculo & organis, qualitates tactiles ſine corpore, qualitates corporeas aut materiales ſine corpore aut materia, & quidni divinas proprietas (e.gr. infinitatem, omnipotentiam) ſine Deo aut eſſentia divina; quia ſcil. Deus ſupplere poteſt in illis cauſalitatem ſubjecti. Adhæc poterit eodem jure affirmari cum *Ariaga* poſſe dari vivens intellectivum, quod non ſit volitivum. Quod tamen improbat *Thomas* 1. *p. qu.* 19. *art.* 1. & cum eo *Vaſquez*, *Zwarez*, *Molina*, *Hurtadus Mendoza* &c. Præterea non video cur pari ratione affirmari non deberet, Entitatem modalem ſeu modificationem eſſentialem poſſe eſſe ſine abſolutâ; ſi ſcil. Deus ſuppleat defectum entitatis abſolute, cui entitas modalis adhæret. Quod negant *Baranzanus diglad.* 2. *theor.* 12. Denique idem dico de relatione abſque proprio fundamento e. gr. Hermachus filius Titii abſque generatione activa Titii & paſſivâ Hermachi. Immo etiam de omni toto & parte, de quovis ſubjecto & adjuncto, de principio & principiato, de cauſa & cauſato: inter quę quãvis mutuus nexus & reſpectus ſit neceſſarius, poterit tamen unum eſſe ſine alio abſque implicatione, primâ ſcil. cauſâ ubique ſupplente rationem coordinatæ partis aut totius, aut principii aut principiati, aut cauſati, aut ſubjecti aut adjuncti. Imprimis etiam dicendum erit indiviſibilia poſſe per ſe & ſeorſim cõſiſtere abſque continuo & extra continuum: quod tamen recentiores communiter negant & cum iis *Ruvius ad 6. phyſic. acroaſ. tr. de compoſitione continui*, quidquid *Zwarez* contra dicat *diſp.* 40. *ſ.* 5. 46. Quinimo pari ratione dicendum erit poſſe conſervari effectum formalem ſine causâ formali, & unionem ſine extremis unionis; & lineam ſine indiviſibilibus continuantibus & viciſſim collectionem omnium punctorum in lineâ ſine linea: quæ omnia tamen implicare probat *Zwarez diſp.* 40. *ſ.* 5. 45. 46. 47. Hæc omnia eſſe abſurdiſſima & implicantia quomodo oſtendent adverſarii,

versarii, siquidem Zwarezii exceptio supra posita admittenda esset.

2. *Probl.* III. An proprium unius subjecti possit communicari alteri subjecto realiter distincto. *Resp. Aff.* Vbiquitistæ, ut videre est in scriptis eorum Philosophicis, ut *Heizonis Buscheri Exercit.*, *Gaspari Finckii Schediasmatis*, *Hoockeri Syllogæ quorundam articulorum controversorum*, *Iac. Martinii & Sceibleri logicis*, *ac Metaphysicis*: in *Meisneri philos. sobriæ part.* 1. imprimis in *tractatibus peculiaribus Thomæ Rhadi Scoti* (quem tamen haut arbitror religionis professione fuisse Lutheranum) & *Schroderi*, & *Iacobi Martinii de communicatione proprii.* Sed ex nostris negativam strenue & recte defenderunt *Goclenius* in *adversariis ad Scaligeri quæst. exotericas à principio usque pag.* 50. & in *Prodomo spongiæ errorum Buscheri*, & in *Theologico-Philosophicis*, *Timplerus* in *Metaphysica*, *Keckermannus* in *Gymnasio Logico* primæ editionis, *Gutberlethus* in *disputationibus Finckii Scediasmatis oppositis*, & in earundem *disputationum vindicatione*, *Combachius* in *antidoto contra Hesselbeinium c.* 15. 16. 17. Argumenta & testimonia Philosophorum pro veritate sunt evidentia, quæ hic nō repetimus: ne actum agamus. Instātiæ & exceptiones omnes adversariorum controversiam non attingunt: Loquuntur enim aut de propriis non propriis, aut de communicatione non communicatione, hoc est, tali, de qua hic non quæritur. Est itaque mera fallacia ἐπεξηπάτως, & homonymiæ, merique lusus in variâ aut perversâ acceptione terminorum. *Probl.* IV. An prædicatum contradictorium seu implicans contradictionem per distinctionem aliquam conciliari possit subjecto. *Resp.* Ita quidem opinātur Pontificii ex cōtradictione facere nō cōtradictionē, e.gr. An aliquid possit mutari in præexistēs, panis scil. in corpus Christi; ita ut simul dicatur unus idemq; numero Christus esse & nō esse, actu esse & futurus esse ac fieri; præsens esse & nō præsens esse. Distinguunt præsentiam in naturalem & sacramentalem: Rursum distinguunt, esse eum actu seu existere personaliter, & essentialiter & modo personali ac essentiali; non esse vero, sed fieri sacramentaliter seu modo sacramentali. Atqui ita distinguunt & limitant existentiā actualem quæ est principium rei, & modus intrinsecus, per τὸ sacramentale, hoc est, per relationem quandam & denominationem extrinsecam, seu per modum accessorium, qui non sit de essentia rei, nec de principiis intrinsecis rei existentis, nec sit principium extrinsecum per quod res extra causas suas constituatur. Quasi quis distingueret circa absolutum esse entis, e.gr. Petri, quod actu existat scil. per Petreitatem; & tamen non existat actu, sed demum exstiturus sit; aut ut Petrus, qui actu existit & actu habet essentiam Petrinam nunc tamen sit in fieri seu in potentiâ (consequenter nunc actu non existat) essentiæ istius humanæ, seu *esse Petrini*,

trini, idque per & ſecundum conſulatum aut Doctoratum (ſi ſcil. creetur aut creandus ſit hodie conſul aut Doctor); ita ut quod ad eſſe aliquod relatum & acceſſorium ex.gr. quod ad modum conſularem ſeu eſſe conſulis dicatur fieri aut futurus Petrus; & non eſſe actu: ſecundum eſſe abſolutū Petri ſeu ſecundū Petreitatem dicatur actu exiſtere, ſeu eſſe Petrus. Pariter de accidente aliquo dicatur (e.gr. quantitate) quod non ſit in ſubjecto, ſecundum modum ſubſtantiæ ſeu non-accidentis; & quod ſit in ſubjecto ſecundum modum accidentis. Aut quod ſecundum eſſentiam (præciſam ab exiſtentia) ſit in ſubjecto, & ſecundum exiſtentiam non ſit in ſubjecto. Quaſi ſcil. exiſtentia, ſeu modus eſſentiæ tolleret eſſentiam aut eſſentialia, & non potius præſupponeret: & quaſi quæreretur de attributis competentibus ſubjecto in re, in ſpecie, abſtracte, & in idea conſiderato; & non potius in individuo hic & nunc conſiderato. Similiter implicat contradictionem, non explicat, diſtinctio quam habet *Alagona* in *compendio ſummæ Thomæ pag. 3. quæſt. 77. art. 3.* Species panis, quæ remanent; habent, eſſe licet divinitus, & ſic agunt ac ſentiuntur, & poſſunt mutare aliquid extrinſecus. Et rurſum qu. 75. art. 6. *Forma panis convertitur in formam Chriſti, ut dat eſſe corporeum, non ut dat eſſe animatum. Deus dat accidentibus panis aliquam operationem formæ, ut confirmare cor miraculosè, non ob formam vel materiam.* & qu. 76. artic. 4. *Quantitas Chriſti in ſacramento non eſt ſecundum modum proprium, ſed ſecundum modum ſubſtantiæ, id eſt, ut ſit tota in toto.* Quæ diſtinctionum teratologiæ omnes implicant cōtradictionē in terminis, & petunt principiū; haut aliter ac iſtæ, Chriſti humanum corpus eſt infinitum ſecundum modum majeſtaticum ſeu infinitū, & eſt finitum ſecundum modū naturæ aut corporis, & homo eſt rationalis ſecundum modum humanitatis ſeu qua homo, & eſt animal irrationale ſecundum modum beſtialitatis, ſeu quà beſtia. Et homo operatur omnipotenter, non qua homo, nec ob formam humanam, ſed quatenus divinitus habet omnipotentiam. Et homo, aut Angelus, aut alia quælibet ſubſtantia eſt in ſubjecto, ſeu eſſentialiter inhæret, non ſecundum modum ſubſtantiæ ſed ſecundum modum accidentis. Et album eſt nigrum non ſecundum modum albedinis, ſed nigredinis. Et σοφώτατος iſte Philoſophus aut Theologus eſt ſtolidiſſimus, non ſecundum modum ſapientiæ; ſed ſecundum modum ſtolidiſſimæ ſtultitiæ. Infinita ejuſmodi portenta accumulari poſſent, & ex ſola imaginatione, ſolaque affirmatione noſtra proponi.

Accedimus nunc ad enumerationem omnium in particulari, quæ con- 3.
tradictionem implicāt. In quo ſequimur ordinem diſciplinarum: ac primo in Theologia. 1. An intellectus creatus poſſit elevari ad videndum Deum immediate & intuitive. *Reſp. Aff.* Scholaſtici cum *Thoma p. 1.*

quæst. 12. *art.* 1. Nos *Neg.* II. An Deus supplere possit activitatem luminis gloriæ? *Resp.* digladiantur inter se Scholastici, Vide *Zwarez. Metaph. disp.* 30. *sect.* 11. *f.* 46. & *Becani Theolog. scholast. part.* 1. *tom.* 1. *cap.* 9. *qu.* 4. III. An lumen gloriæ possit esse connaturale intellectui creato? *Resp.* Digladiantur iidem: quamvis plerique inclinent in *Neg. Bec. ib. qu.* 5. IV. An Deus possit videri oculo corporeo? *Resp. Aff. Conr. Vorst.* in *lib. de Deo p.* 200. 237. 251. Nos cum orthodoxis omnibus, & Scholasticis ad 1. *qu.* 12. *art.* 3. *Neg.* V. An aliqua creatura ita possit videre Deum ut perfecte eum comprehendat. *Resp.* Fluctuant hic aliqui *Scholastici*: plerique tamen cum *Thoma Neg.* Vide eos ad 1. *qu.* 19. *art.* 7. & *Becan. Theol. Schol. tom. cit. cap.* 9. *qu.* 11. VI. An Deus possit absolutè præterire & reprobare quasdam creaturas rationales absque antecedente & præviso peccato? *Resp. Aff.* contra Remonstrantes, aliosque antiquos & recentiores Pelagianizantes. VII. An Deus possit abnegare jus suum, quod habet in creaturam rationalem; ut scilicet obligetur ad obedientiam, aut ad pœnalem compensationem? Seu an possit homini mandare ut credat falsum, ut odio habeat Deum &c. *Neg.* Vide *disp.* nostram *de Iure & justitia Dei.* VIII. An possit de jure suo remittere, & peccata secundum justitiam suam punitivam non punire. *Resp.* Inclinamus in *Neg.* contra Socinianos, & nonnullos alios. Vide *disp. de Iure & justitia Dei.* IX. An Deus possit plura facere quam fecit. *Resp. Aff.* cum omnibus Orthodoxis & Scholasticis, contra *Becani* calumniam, quæ oppositam sententiam nobis tribuit *cap.* 17. *qu.* 6. X. An ea quæ facit Deus, possit facere meliora. *Resp. Aff.* cum distinctione, accidentaliter scil. meliora, & cum exceptione, exceptis creaturis quibusdam, quæ in quodam genere non possunt fieri meliores, ut humanitas Christi personaliter assumta à Deo, & B. Maria facta mater Dei, & visio beatifica. Vide *Schol. ad qu.* 25. *art.* 7. XI. An implicet tres personas divinas esse unius singularissimæ essentiæ; Deumq; esse infinitum & æternum sine quantitate aut extensione? *Resp. Neg.* contra Socinianos. XII. An absque ulla revelatione per solum lumen naturale ex libro naturæ quis deduci possit in cognitionem Trinitatis, aut Christi mediatoris, & novi fœderis. *Resp. Neg.* cum omnibus orthodoxis. Vide & *Scholasticos ad* 1. *qu.* 32. *art.* 1. XIII. An quælibet persona divina possit mitti à qualibet. *Resp. Scholastici Neg.* cum distinctione ad 1. *qu.* 43. *art.* 1. Nos non videmus quin sententia hæc sit tutior, si quid dicendum sit. Malumus tamen abstinere ab hujusmodi quæstionibus. XIV. An angeli aut homines beati possint excidere ex statu beatitudinis. *Resp. Neg.* hypotheticè enim hoc impossibile. Confer *Schol. ad* 1. 2. *qu.* 5. *art.* 4. XV. An angelus viator possit peccare contra præcepta naturalia, & supernaturalia,

naturalia, *Resp. Schol. ad* 1. 2. *qu.* 48. *art.* 2. fluctuant, & distinguunt. Vide *Becanum part.* 1. *tract.* 3. *c.* 4. *qu.* 1. & 2. XVI. An beatus possit cessare à visione beatifica? *Resp. Neg.* cum *Scholast. ad* 1. 2. *qu.* 5. *art.* 4. Hypotheticè enim hoc impossibile. XVII. An manente visione beatifica possit cessare ab amore Dei? *Resp. Neg.* cum *Schol. ad* 1. 2. *qu.* 4. *art.* 4. XVIII. An pœna peccato debita possit esse infinita intensivè? *Resp. Neg.* cum *Thoma* 1. 2. *qu* 87. *art.* 4. XIX. An potuisset Deus fœdus operum seu creationis cum homine aliter instituere, per capita scil., sicuti cum Angelis. *Aff. Resp.* XX. An charitas possit augeri in infinitum. *Resp.* Digladiantur inter se *Schol. ad.* 22. *qu.* 24. *art.* 7. recentiores sequuntur *Aff.* Vide *Becan.* 2. *part.* 2. *cap.* 22. *qu.* 4. XXI. An implicet, ut Deus mandet alicui occidere innocentem, aut seipsum occidere? *Resp. Neg.* exemplis Abrahami, & Simsonis. XXII. An Deus possit concedere ut creatura adoretur aut quovis religioso cultu colatur? *Resp. Neg.* c. Pontificios. XXIII. An ecclesia, aut Papa, aut Episcopus possit irritare vota Deo præstita, aut in iis dispensare. Idem quæro de juramento? *Resp. Neg.* c. Pontificios ad 22. *qu.* 88. *art.* 10. 11. 82. & *qu.* 89. *art.* 9. XXIV. An incarnatio sit possibilis? *Resp. Aff.* cum toto Christianismo, c. Socinianos & infideles. Quamvis non sit posibilis demonstratio incarnationis per solum lumen naturale. Vide de utroque *Becanum part.* 3. *tract.* 1. *c.* 1. *qu.* 1. XXV. An potuerit redemptio generis humani fieri per alium quem, aut aliud quid, quam per Deum incarnatum? *Resp. Aff.* communiter *Schol. ad* 3. *qu* 1 *art.* 2. & nonnulli ex orthodoxis. Nos non ausimus hanc sententiam tueri. Oppositam ejus si quis rigide tueri nolit aut non posit; autores ei sumus, ut saltem ἐποχὴν. XXVI. An quælibet persona divina potuerit humanam naturam assumere. *Resp. Aff. Schol. ad* 3 *qu.* 3. *art.* 5. Nos illis nolumus contradicere: quamvis malimus de eo non disputare. XXVII. An plures personæ divinæ possent unam numero naturam assumere? *Resp. Aff. Schol. qu. cit. art.* 6. Nos malumus de eo non disputare. XXVIII. An potuerit Christus assumere seu suppositare quāvis naturam, etiam irrationalem, aut inanimatā? *Resp.* Profanas & curiosas disputationes *Schol. ad* 3. *qu.* 4. *art.* 1. fugimus. XXIX. An potuerit assumere humanam naturam peccatricem? *Resp. Aff.* nonnulli *Schol. ad* 3. *Lomb. dist.* 12.: inter quos *Durandus, ad d. dist. qu* 2. & satis indecorè fluctuant Remonstrantes *Apol. cap.* 17. *fol.* 190. Nos absolute *Neg.* tanquam, implicans contradictionem. Et sic *Anselmus, ibidem à Durando citatus*, aliique, quos non nominat; quorum tamen rationes, minime dissolvit: quamvis annitatur, & contendat suæ *opinioni magis obsistere verba devota, quam rationem efficacem.* Sunt autem istæ rationes quas sibi objicit: *Prima* actiones sunt suppositorum;

ergo omnis secundum quamcunque naturam existentem in Christo debet attribui suppositio divino. Atqui implicat, si dicatur suppositum divinum exorbitare à rectitudine rationis. *Secunda* actio plus imputatur principali agenti, quam instrumento : sed humanitas in Christo fuit instrumentum deitatis, ergo actio humanitatis Christi (etiam vitiosa, si concedatur talem cadere posse in Christum) debet imputari suppositio divino. *Tertia* est *Anselmi*, Minimum inconveniens est Deo impossibile : peccare est inconveniens, & quidem maximum : Ergo. *Quarta* ejusdem : Si posset peccare posset damnari : Sed posterius absurdum; Ergo. Sed rectius cõtrarium tenet *Thomas ad d. dist.*, & ipse *Lõbardus*: quos sequitur *Becanus Theolog. scholast. part.* 3. *tract.* 1. *cap.* 12. *qu.* 3. *&* 4. Observandum autem triplici ratione apud scholasticos in hac controversia considerari impeccabilitatem Christi, ut *Thomas* observat *loc. cit.* *Prima* est, quia suo fini per gloriam comprehensionis anima ipsius conjuncta erat. *Secunda*, quia secundum statum viatoris, per gratiam perfectæ sanctitatis, debuit esse omnium actuum regula infallibilis. *Tertia*, ex vi & necessitate unionis personalis : quia natura humana in Christo quasi quoddam instrumentum naturæ divinæ eam moventis & in ea operantis fuit, quæ ad peccatum movere non potest. Tertii modi impeccabilitatem negat *Durandus* : primo modo, ex hypothesi scil., concesso : quia potuit, inquit, assumere naturam humanam non glorificatam, sed in puris naturalibus absq; gratia habituali constitutam : in qua potuisset peccare. Ibidē Durandus concedit, *potuisse Christum damnari*, nec esse majus inconveniēs, quam potuisse Christum mori : nec videre se ait, cur *persona divina non possit assumere naturam hominis damnati*. xxx. An potuerit assumere seorsim materiam aut formam ; aut etiam accidens ? *Resp. Aff. Becan. part.* 3. *tr.* 1. *cap.* 5. *qu.* 4. *&* 5. Sed à disputatione curiosa potius abstinendum. xxxi. An potuerit assumi natura creata existens cum propria personalitate ? *Resp. Neg.* communiter Scholastici tanquam probabilius. Vide *Zwarez* in 3. disp. 14 *sect.* 1. xxxii. An persona divina potuisset assumere plures naturas humanas ; & an tum fuisset plures homines. *Resp. Aff. Schol. pr. ad* 4. *qu.* 3. *art.* 7. *Neg. Post.* ibidem. xxxiii. An Christi humana natura per communicationem idomatum potuerit fieri infinita ; & omniprælens, ad hæc omniscia, omnipotens, summè majestatica, adorabilis, miraculorum effectrix ? *Resp. Neg.* contra Vbiquitistas. xxxiv. An implicaret, si negetur formatio corporis Christi & unio ejus cum anima fuisse facta uno instanti. *Resp.* Videntur id affirmare communiter ad 3. *qu.* 6. *art.* 5. Vide imprimis *Zwarez ad* 3. *disp.* 16. *&* 17. Aliqui ex nostris, quos ego vidi, sequuntur. Sed fateor ingenue contrariam sententiam & de potentia

tentia & de facto non videri mihi ulla solida ratione innixam. Quid enim vetat sequi simpliciter textus *Hebr.* 2. *v.* 14. cum *Luc.* 1. *v.* 31: *&* 2. *v.* 7. Vbi nihil distinctionis adfertur inter conceptionem & gestationem naturalem aliorum hominum, & Christi, nisi quod ad alterum principium generans patrem scil. *Luc.* 1. *v.* 33. 35. & quod ad consequens seu adjunctum per accidens, propagationem & labem peccati originalis *Heb.* 4. *v.* 15. & 7. 26. Et confirmat me, magis hypothesis illa *Conimbricensium*, aliorumque Philosophor. Pontificiorum, quâ statuunt Christi generationem fuisse univocam. XXXV. An gratia Christi potuerit augeri? *Resp. Neg.* communiter ad 3. *qu* 7. *art.* 12. Nos *Aff.* cum orthodoxis. XXXVI. An alio modo potuerit nos redimere quam per passionem & satisfactionem? *Resp. Aff.* ad 3. *qu.* 46. *artic.* 2. Nos incl. in *Neg. cum dist.* Saltem *Aff.* sententiam ut incertam oppugnabimus. XXXVII. An sacramenta operentur physicè quando non existunt. *Resp. Aff.* nonnulli Scholastici apud *Becan. part.* 3. *tract.* 2. *cap.* 2. *qu.* 6. Sed nos cum illo ibid. *Neg.* immo totam hanc disputationem ut absurdam & nugatoriam explodimus. XXXVIII. An implicet, ponere actualē fidem in infantibus omni usu rationis destitutis. *Resp. Aff.* Nisi dicatur posse Deum facere ut ibi miraculosè actus rationis eliciantur, & cum illis atque in illis actus fidei. XXXIX. An transubstantiatio, & prælentia corporalis Christi in Eucharistia implicet? *Resp. Aff.* contra Pontificios. *Becan. tract. cit. cap.* 17. *qu.* 11. demonstrat mysterium hoc esse possibile; non posse demonstrari ratione naturali, seclusâ fide & revelatione; quod ad tria scil. ista miracula, existentiam accidentium sine subjecto, existentiam quantitatis sine extensione locali, existentiam corporis in diversis simul locis. Addere debuisset, conversionem seu mutationem substantialem alicujus rei in aliquid præexistens. XL. An consubstantiatio implicet? *Resp. Aff.* c. Lutheranos: quia corpus humanum non potest esse aut in pluribus aut in omnibus locis, & quia corpus non potest esse in corpore in eodem loco, & quantitas penetrare quantitatem. XLI. An corpus Christi in eucharistia possit localiter moveri, physicè agere & pati, actiones immanentes exercere, videri oculo corporeo, aut ab oculo glorificato, cognosci ab intellectu creato; præterea an totum sit sub utraque specie sacramenti, & sub qualibet parte specierum. An reliqua accidentia panis possint manere sine subjecto. An accidentia hæc possint agere & pati, An ex his accidentibus possit substantia aliqua generari aut nutriri? *Resp.* Has aliasque disquisitiones apud *Becanum tract. cit. cap.* 19. & 30. & communis scholæ ad 3. *qu.* 76. & 77. tanquam absurdas & ineptas rejicimus. XLII. An implicet ponere sacrificium expiatorium incruentum? *Resp. Aff.* c. Pontificios. XLIII. An implicet ponere re-

re remissionem peccati retenta tamen pœna ? *Resp. Aff.* c. Pontificios. XLIV. An peccatum possit remitti per solam condonationem Dei, nulla facta reali mutatione in peccatore ? *Resp. Neg. Becanus cap.* 21. *qu.* 5. *contra Scotum, Gabriel* aliosque citatos à *Zwarezio* in 3. *Thomæ tom. disp.* Nos *Aff.* XLV. An unum peccatum mortale tolli & remitti possit sine alio. *Resp. Neg. Becan. ibid. qu.* 6. Nos absurdam & ineptam censemus hanc disputationem. XLVI. An polygamiæ, divortia, conjugia quædam in gradibus prohibitis *Levitic.* 18. potuissent à Deo permitti ; siquidem ita voluisset ? *Resp Aff.* XLVII. An implicet idem numero corpus quod per mortem cecidit, instaurari ? *Resp. Neg.* c. Socinianos. XLVIII. An implicet animas impiorum & dæmonas cruciari igni corporeo ? *Resp. Aff.* c. Pontificios. XLIX. Et animas impiorum interire, & piorum dormire, aut saltem non existere extra Deum ? *Resp. Aff.* c. Socinianos, & Anabaptistas. Ex hypothesi creationis animarum intrinsece & sua natura incorruptubilium, est impossibile, & repugantiam habet in terminis.

4. In Metaphysicâ & physicâ quæritur de istis an implicent : 1. An tanta sit dependentia materiæ a forma, ut sine illa per divinam potentiam existere aut conservari non possit ? *Resp.* Dissentiunt Scholastici: recentiores tamen communiter tenent *Neg.* & modum quomodo hoc fieri possit ostendunt. Vide *Ruvium* ad 1. *Physic. tract. de materia qu.* 5. Nos non cogimur istis assentiri. Multo minus *Baranzano*, qui contendit eam naturaliter posse existere sine forma *tom.* 1. *Opinion. Physic. novarum diglad.* 4. *theor.* 6. II. An plures formæ substantiales possint informare eandem numero materiâ? *Resp.* Repugnantiam in terminis hic inveniunt nonnulli recentiores, apud *Ruvium*, Contrarium tamen defendit *Ruvius lib.* 2. *tract. qu.* 7. & *Zwarez disp.* 15. *sect.* 10. 5. 62. ubi tamen prolixe probat, naturaliter id fieri non posse. III. An eadem forma possit informare plura subjecta valde distantia ? *Resp. Aff. Baranzanus*, & probat ex πολυτοπίᾳ corporis Christi ; & sanctorum quorundam, qui eodem tempore fuerunt in diversis locis. Nos *Neg.* IV. An repugnet produci aliquid ex nihilo ? *Resp. Neg.* cum toto Christianismo. V. An repugnet aliquid produci ex nihilo per creaturam ? *Aff.* Vide *disp. de creatione.* VI. An repugnet creaturam productam esse aut produci ab æterno ? *Resp.* Tutius inclinamus in *Aff.* contra recentiores plerosque Theologos Pontificios. Vide *disp. de Creatione.* VII. An angelus nunc possit creari, qui sit æternus à parte ante ? *Resp. Aff. Baranz. diglad.* 14. *th.* 1. Nos *Neg.* VIII. An repugnet dari formas separabiles, non productas e potentia materiæ ? *Resp. Neg.* IX. An forma materialis sola possit creari independenter à materia. *Resp. Aff. Baranzanus diglad.* 5. *theor.* 4. Nos malumus inclinare in *Neg.* & putamus

tamus implicare. x. An persona creata possit alienam naturam assumere? *Resp. Aff.* nonnulli. *Paludanus*, *Durandus*, *Henricus*, & cum aliis *Becan. part. 3. theol. schol. tr. 1. cap. 4. qu. 5.* Vide & *Zwarez Metaph. disp. 13. sect. 4.* sed tutius *Neg.* cum *Thom. p. 3. qu. 3. art. 1.* xi. An possit dari quantum actu infinitum, sive continuum, sive discretum? *Resp. Neg.* cum *Thom. quodl. 9. art. 1.* & *1. qu. 7. artic. 3. & 4.* Sunt tamen non pauci qui contrarium tenent. Vide *Ruvium* ad *lib. 3. phys. tract. 2. qu. 2.* xii. An à privatione ad habitum sic detur regressus, ut factum etiam possit infectum fieri? *Resp. Neg.* Cum Theologis, *Augustino lib. 26. adversus Faustum cap. 5.* quem sequuntur scholastici. Cum jure civili, *Novell. de æqualit. doct. §. 1. l. in bello 12. §. facta D. de captu. l. verba C. de testamentis l. verum D. de reg.* Cum jure canonico *c. Si Paulus 32. qu. 5.*, ubi citantur verba Hieronymi: *audacter dicam, cum omnia possit Deus, tamen suscitare virginem non potest post ruinam.* Cum philosophis, *Platone 2. de legibus*, & *Aristotele Ethicor. Nicomach. 6. cap. 2.* xiii. An stante hac hypothesi, dici possit absque implicatione virginitatem perditam à Deo posse reparari. *Resp. Neg. cum distinctione Scholastici ad 1. q. 25. art. 4.* quã hic adhibere solẽt. Nos eam otiosam & ineptam censemus; & absolute *negandum* censemus. Consistit enim virginitas formaliter in privatione seu absentia conjunctionis & coitus cum viro. Vide *Luc. 1* 34. 35. 36. 37. 38. *Judic. 11. 37. 39. & 21. 11. 12. Numer. 31. 19. 18. Genes. 24. 26.* non vero in absentia seu carentia apertionis uteri, aut in carentia seu absentia divulsionis partium, aut dilatationis alicujus: sive apertio aut divulsio, aut dilatatio illa fiat per morbum, & medicinam, sive per alium quemcunque casum, extra coitum cum viro. De casibus illis videndi *Medici* & *anatomici*, ubi *de corporis humani partibus*, & *morbis mulierum* agunt. xiv. An à Deo fieri possit infinitum in potentia aut syncategorematice secundum essentialem perfectionem, ita ut data quacunque specie, cujuscunque perfectionis, possit alias & alias perfectiores in infinitum producere absque ulla limitatione perfectionis vel numeri? *Resp. Neg.* nonnulli, ut *Henricus*, *Durandus*, *Scotus. Aff.* communis schola ad *1. qu. 25. art. 6.* & in *1. dist. 44.* & philosophi ad *3. Physicor.* ubi *de infinito*; & *Zwarez disp. 30. sect. 27. 5. 19. 20. 21. 22. 23.* col. cum *disp. 35. sect. 3. 5. 25. &c.* xv. An idem numero corpus possit esse in diversis locis? *Resp. Aff.* nunc communiter recentiores Theologi Pontificii ad *3. q. 76. art. 5.* & Philosophi ad *4. Physic. Conimbricenses, Complutenses, Arriaga, Mendoca &c. Zwarez Metaph. disp. 48. sect. 4.* Non pauci tamen *Neg.* ut *Thomas*, *Bonaventura*, *Durandus &c.* quos vide cit. apud *Ruvium in phys. de loco qu. 7.* ubi ipse utramque opinionem judicat probabilem *Becan. part. 3. tr. 2. c. 17. qu. 14.* Nos *Neg.* xvi. An idem corpus existens in

duobus locis habeat utrobique eaſdem formas non tantum relativas, dependentes per ſe à præſentiâ locali, ſed etiam alias abſolutas non dependentes? *Reſp. Neg. Scotus.* Sed communiter nunc *Aff.* Vide *Becan. ibid. q.* 15. & 16. Ita ut hic moveatur localiter, illic non; hic calidum ſit illic frigidum; hic creſcat, illic non; hic moriatur, illic vivat, hic eliceret actus vitales tum ſenſitivos tum intellectivos, illic non. Solum eximit, hominem non poſſe hic amare Deum, & eſſe juſtum per gratiam, illic vero non. Nos fanatica hæc deliria deteſtamur. Nec deſunt ex Pontificiis, qui fateantur implicare: quod ad formas ſeu mutationes ſecundi generis ut *Ruvius*, cum *Thoma*, *Scoto*, *Bellarmino*. XVII. An duo aut plura corpora poſſint eſſe in eodem loco, & dari penetratio dimenſionum? *R. Aff.* communiter Pontificii ad 4. *phyſ.* & in *diſp. de Euchariſtia.* Nos *Neg.* XVIII. An indiviſibilia continui ſeparari poſſint à continuo, & ſeorſim per ſe ſeparata conſiſtere & permanere? *Reſp. Neg.* recentiores communiter teſte *Ruvio* ad 6. *Phyſic. tract. de compoſitione continui*: & quidem recte. *Zwarez* tamen concedit *diſp.* 40. *ſect.* 5. 5. 46. Sed nõ video, quomodo hâc ratione dicendum non ſit: Entitatem modalem ſeu modificationem poſſe eſſe ſine entitate abſoluta, cujus eſt modus. Quod tamen ipſe cum aliis philoſophis negat. XIX. An Deus poſſit conſervare lineam ſine indiviſibilibus continuantibus, aut collectionem omnium punctorum in lineâ? *Reſp. Neg.* utrumque *Zwar. ib.* 5. 45. 47. & recte. XX. An poſſit conſervari effectus formalis ſine causâ formali, aut unio ſine extremis unionis. *Reſp.* Recte *Neg. Zwarez ibid.* 5. *q.* 5. XXI. An motus proprie dictus ſeu mutatio ſucceſſiva inter terminos poſitive contrarios, poſſit fieri in inſtanti. *Reſp. Aff. Scotus*, *Durandus*, *Gregorius*, *Baranzanus diglad.* 12. *th.* 4. & huc inclinat *Zwar. diſp.* 30. *ſect.* 4. 5. 27. Sed rectius *Neg. Ruvius* ad 6. *phyſ. c.* 3. *qu. unica.* XXII. An poſſit transferri corpus de loco in locum, non tranſeundo per medium. *Reſp.* Concedit *Ruvius loc. cit.* Nos putamus eſſe repugnantiam in terminis. XXIII. An Deus poſſit eundem numero motum, qui præceſſit, reproducere ut iterum fiat; & idem numero tempus, quod præteriit, producere? *Reſp.* Concedit utrumque *Zwar. diſp.* 50. *ſect.* 9. 5. 14. Nos dicimus craſſe implicare. XXIV. An motus & ſucceſſio potuerit eſſe ab æterno? *Reſp.* Recte *Neg. Zwarez diſp.* 29. *ſect.* 1. 5. 9. *Ruvius* ad 8. *Phyſic. tract.* 1. *an* 3. aliique ibid. citati, contra *Thomam*, pluresque alios *ibid. cit.* XXV. An generationes & corruptiones rerum naturalium potuerint eſſe ab æterno? *Reſp. Aff. cum diſtinctione* nonnulli Scholaſtici. Sed recte *Neg.* plerique recentiores & cum iis *Ruvius tract. cit. q.* 4. XXVI. An implicet cauſam aliquam principalem, aut inſtrumentalem aliquid agere, ubi præſens non eſt per ſe, nec per ſuam virtu-

virtutem? *Resp. Neg. Conimbric.*, *Zwarez*, *Vega*, *Bellarminus*. Addit *Soto* in causis principalibus naturaliter id fieri posse. Sed recte, & convenienter theologiæ *Neg. Thomas*, *Molina*, & cum iis *Ruvius* ad 7. *phys. c.* 2. *qu.* 1. & 2. XXVII. An forma hominis possit informare corpus bruti alicujus; & vicissim corpus hominis possit informari ab anima bruti; & an lycanthropia, prout vulgariter concipi solet, sit possibilis? *Resp. Neg.* Vide *disp. de Dæmonibus.* XXVIII. An dari possit creatura, quæ operetur immediate per propriam substantiam. *Resp. Neg.* recentiores nonnulli apud *Ruvium lib.* 2. *de Anima tract. de potent. animæ q.* 1. XXIX. An dari possit ullum ens creatum, quod in essentia, omnique sufficientia, & causalitate sua non pendeat à Deo. *Resp.* Recte *Neg. Zwarez* cum commmuni schola, *disp.* 22. *sect.* 1. XXX. An potentiæ vitales ab anima, & consequenter, quævis passiones absolute propriæ à suo subjecto separabiles sint per potentiam Dei? *Resp. Aff. Ferrar. lib.* 4. *c. Gentes cap.* 69. *Bann. ad* 1. *qu.* 77. *art.* 1. *Ruvius ibid. qu.* 2. Nos *Neg.* cum *Cajetano ad* 1. *qu.* 54. *artic.* 4. XXXI. An potentia vitalis separata ab anima & accidens quodcunque separatum à subjecto esset per se, per modum scil. aliquem perfeitatis supernaturaliter sibi superadditum, qui sit vel modus substantialis seu existentia substantialis actualis: vel modus accidentalis, sed quasi substantialis quantum ad officium: aut per negationem actualis inhærentiæ in subjecto, & divinam efficientiam illud sine subjecto sustentantem per propriam existentiam actualem, quam habet, & per quam est extra causas. *Resp.* Vide Andabatas circa portenta contradictionum pugnantes apud *Zwarez* in 3. *Thomæ tom.* 5. *disp.* 56. & *Ruvium in* 2. *de anima tr. cit. qu.* 3. XXXII. An sensibile proprium indivisibili modo exsistens (e. gr. corpus Christi in eucharistia) possit per sensum percipi, per potentiam Dei absolutam. *Resp. Aff.* nonnulli absolute, alii cum distinctione, alii etiam naturaliter fieri posse: apud *Ruvium libr. cit. tract. de object. sensil. qu.* 12. Nos deliria hæc rejicimus. XXXIII. An possit sensus elicere sensationem circa objectum absens, vel non exsistens etiam absque specie ejus? *Resp. Aff. Ruvius*, aliique ab ipso citati. Sed rectius *Neg. Conimbricenses ad* 2. *de Anima cap.* 6. *qu.* 5. XXXIV. An intellectio aut volitio possit produci à solo Deo, sine ullo concursu effectivo intellectus aut voluntatis? *Resp.* Ex Pontificiis nonnulli statuunt in eisdem potentiis posse produci, etiam secundum rationem formalem cognitionis & appetitionis; alii & rectius cum *Thoma* utrumq; negant. Vide *Ruvium in* 3. *de Anima tr. de actu intell. passib. q.* 1. Plures ejusmodi quæstiones apud Metaphysicos, physicos, & theologos Scholasticos occurrunt, imprimis ineptæ quamplurimæ apud *Baranzanum*. Sed sufficerit has nunc indicasse, ut ex discussione singularum; tanto melius

discant juniores, quæ sit repugnantia in terminis & quomodo ea investiganda, præterea hinc videant quam strenue Pontificii in contradictionibus circa Eucharistiam, & sibi invicem & propriis suis hypothesibus contradicant.

PRÆSCRIPTIONES
ET ANTIDOTA GENERALIA
PRO CHRISTIANISMO
ADVERSVS SOCINIANOS.

Resp. IOHANNE DEAK, Benyei, Vngaro. *Ad diem* 14. *Febr.* 1635.

CVm doctrina de Trinitate, & duabus naturis Christi in una persona in Confessione nostra Belgica ex sacris literis proposita, à nobis defensa sit in cursu disputationum; non abs re facturi videmur si præter solutiones speciales tunc allatas generalia quædam antidota studiosis Theologiæ suggeramus, quorum usus sit in lectione & examine Pseudo-Theologiæ Socinianæ.

1. PRæsupposita ergo veritate de S.S. Trinitate & Christo θεανδρώπῳ, scripturarum demonstrationibus subnixa, quam hic denuo secundum Confessionem Belgicam & antiqua symbola defendendam suscipimus: ante omnia notari volumus, distinguẽdum esse inter τὸ ὅτι illorum mysteriorum & τὸ διότι. Certe τὸ ὅτι liquido constat & probatur ex sacris literis; sed τὸ διότι & τὸ πῶς (id est, quomodo) mens nostra penetrare cum nequeat, nec Deus in hac vita revelare voluerit, utique quiescendum est in docta ignorantia & altitudine veritatis occultæ. Οὐ φθάνω, inquit Nazianzenus. Orat. 4. de sancto Baptismo sub finem, τὸ ἓν νοῆσαι καὶ τοῖς τρίσι πεπιλάμπομαι. Οὐ φθάνω τὰ τελειὰ διελεῖν, καὶ εἰς τὸ ἓν ἀναφέρομαι. Male ergo faciunt adversarii, qui ex τῷ ἀπαταλήπτῳ & διότι seu ejus quod Deus non revelavit cõvertuntur in accusationem τῦ ὅτι quod Deus revelavit, tanquam ἀδυνάτυ & ἀτόπυ.

2. Distinguendum etiam est inter nudam veritatem, quam fide tenemus; & inter veritatis istius liquidam probationem ac defensionem cõtra strophas eorum qui scripturis non acquiescunt. Vnde peccant illi, qui cum argutias aut nodos adversariorum solvere non possunt, resiliunt à simplicitate fidei suæ scripturarum veritati subnixæ. Præstat fateri ignorantiam & stuporem, aut accusare socordiam ac negligentiam suam, aut alicubi captiva-

captivare ingenium, quam fidem deſerere, atque ita paulatim ad Libertiniſmum atque Atheiſmum prolabi. Alicubi enim ſubſiſtendum eſt & ſimplici fide tenendum, quando ratione probare aut ſolvere omnia ita non poſſumus, ut nobis aut aliis ſatisfaciamus. In rebus enim divinis multum eſt caliginis; habitat ille lucem inacceſſam, & nos hic per fidem ambulamus non per intuitum, ex parte cognoſcimus, ex parte prophetamus.

Diligenter notandum adverſarios directam ſuæ ſententiæ demonſtra- 3.
tionem, & noſtræ refutationem, ex ſacris literis (ad quas videntur alias provocare) aut nunquam aut parce ac jejune admodum moliri; ſed perpetuò adhibere leſbiam ac fallacem corruptæ rationis regulam, nihilque quam ignorantias, dubitationes, & murmurationes ſuas inde depromere; quas abnegatione ſui nobiſcum reprimere potius deberent, quam eas fovere & in Chriſtianam fidem armare. Inſpiciantur argumenta adverſariorum contra Trinitatem, unionem perſonalem, & Chriſti ſatisfactionem.

Adverſarii perpetuo eadem illa ſua ſophiſtices chorda oberrant, quod 4.
non animadverſa Dei infinitate, & infinita à creaturis diſtantia, fingant conceptus, notiones, & terminos communes pſeudo-Logicos ac pſeudo-Metaphyſicos, ſub quibus Deum & creaturas, ens finitum & infinitum comprehendant, quoſque uno eodemque plane modo & æquali deſcenſu Deo & creaturis applicent. Cum Deus non ſit ſub uno conceptu ac genere univoco cum creaturis, ſed tantum ſub analogico, ut notum ex Philoſophia. Sic e.g. rationem eſſentiæ, naturæ, pluralitatis, unitatis, individui ſeu ſingularitatis, perſonalitatis, actionis, generationis, proceſſionis, originis ſeu principii, cõmunionis & cõmunicationis, cõmunicabilis, communicantis ſeu communicativi, Totius & partis, cõpoſiti, unius numero, & principii individuationis ſeu ſuppoſiti, item principii perſonalitatis &c. à creaturis ſeu à ſecundo Entis analogato tantum deſumptum tanquam generalem menſuram Deitati applicant eamque examuſſim ad illam exigunt. Diſtinguãt igitur notionem generalem quæ aliquo imperfecte uno & communi conceptu Deo & creaturis tribuitur, à ſpeciali modo, quo illa inæquali & infinite diſtanti ratione tribuitur Deo, & creaturis: Neque illas confundant, aut ab una ad alteram fallaci diſcurſu argumententur. Sed ab imperfectione illa quæ illi ex uno analogato adhæret prius liberanda eſt. Et hoc pertinet ad viam eminentiæ vulgo in cognitione Dei ex dicto *Dionyſio Areopagita* commendatam. Scholaſtici ſecuti *Thom. in q. de* libero arbitrio nõ malè diſtinguunt dicendo illud vel abſtracte, univerſaliter, & ſecundum conceptum proprium poſſe conſiderari,

vel concrete secundum statum & conditionem in certo subjecto e. gr. Deo, aut angelo, aut homine. Hæc distinctio præsenti nostro negotio applicanda est.

5. Etiam illa angustia & difficultas contemplationis nostræ circa hoc mysterium notanda; quod nihil simile occurrit in tota rerum natura, in quo perfecte rationem Trinuni, infiniti θεανθρώπου, nobis aut aliis communstrare queamus. In hunc scopulum adversarii impingunt, cum naturæ & rationi ista repugnare clamitant, quia in natura nihil tale quid invenitur. Quasi adhuc alii sint Dii infiniti, aut Dii manifestati in carne. Deus unus est; Christus θεανθρώπος unus est. Et nihil Deo assimilari potest. *Ies.* 40. Argumentis similibus oppugnari posset Dei omnipotentia, omniscientia saltem præteritorum & præsentium, item æternitas &c. Quia in nullo illa inveniri possunt; nec potest dari simile. Idem dico de forma materiali & separabili, anima scil. humana, quæ una est inter omnes formas, de substantia angelica quæ inter omnes substantias unica est: de resurrectione corporum nostrorum, qui unicus regressus est à privatione totali, inter omnes alias privationes totales. Dicamus igitur potius de Trinitate de unione hypostatica, ista aut similia in natura non esse aut posse esse, nec ratione aliqua ibi inveniri aut excogitari posse, quia totã naturam supereminentissimo modo excedunt. Deus enim necessario excedit omnem creaturam. Sint ergo mysteria illa prꝫter & supra naturam rationemque omnem naturalem, non contra.

6. Considerandum etiam, quod mysteriis illis de Trinitate & Christo θεανθρώπῳ, Christianæ religioni detractis, & sublatis; nihil fere in ea remanet quod terminos naturalis Theologiæ excedat; & consequenter nihil sit in cujus cognitionem Ethnici, Iudæi, Mahumetistæ ductu luminis naturalis deduci non possint. Itaque non posse religionem nostram vocari mysterium, quod nemo sapientum hujus mundi cognovit, quæque ab omnibus aliis ἀλλοκότοις religionibus immensum distet. Quibus mysteriis substituunt nova sua monstra Christianismo inaudita, de duobus Diis colendis, de Christo Semideo, de filio Dei Metaphorico, de Servatore exemplari; de quibus videndus *Smiglecius* in *tract. de Novis monstris novorum Arrianorum.*

7. Adde, quod illis fundamentis de Trinitate & Chisto θεανθρώπῳ sublatis, homines à novo fœdere sancito in satisfactione & justitia sponsoris Christi relabuntur ad vetus fœdus fundatum in propria nostra obedientia, ut videre est in miseris Socini discipulis, omnibusque aliis, qui ab ipso discunt θεολογεῖν. Atqui irritum factum est vetus seu prius illud fœdus per interventum lapsus ac peccati, & nemo nunc amplius per illud servari

ſervari poteſt *Rom.3.v.21.22.23.24.& c.8.v.3.* Ita tandem per conſequentias & ſucceſſive evaneſcit illud totum euangelium, nihilque aliud in religione ſua retinet, quam caſcos titulos *Dei* & *Chriſti.* Qualem religionem parallelam puto illi Mahumetiſtarum: *Non eſt Deus niſi Deus & Mahumed apoſtolus ejus.* Objecto enim ſive ultimato ſive proximo aut intermedio non differunt, ſed tantum religionis teſte ac Doctore. Ita Chriſtianus in religione ſua majorem aut certiorem conſolationem nullam haberet in vita & morte quam quivis alius Gentilis aut Mahumediſta, qui ſcilicet cum de Chiſtiana religione nihil audiverit, probe tamen vixit pro modulo cognitionis ſuæ.

Nec omnino prætereundum, quod orbis univerſus Euangelii cogni- 8.
tionem adeptus, hæc myſteria uno ore ſonarit jam inde ab apoſtolorum temporibus; adeo ut vere hic habeatur illud γνησίως apoſtolicum & Catholicum Vincentii Lirinenſis: *Quod omnes, quod ubique, quod ſemper.* Evincunt hoc teſtimonia patrum, & imprimis doxologia illa communis: *Gloria patri, & filio, & Spir. Sanct.* Et familiaris illa catechizandi ratio ex formula baptiſmi, quæ etiam Ethnicis non fuit ignota. *Lucianus n. in Philopatri* inducit Chriſtianum ita Ethnicos catechizantem: Deum alte regnantem, magnum, ætherium, atque æternum filium patris, & Spir. Sanct. ex patre procedentem unum ex tribus & ex uno tria. Lucianus vixit ſub Trajano circa annum 120. Quod etiam exortis adverſariis, Catholico conſenſu Chriſtianiſmi & primorum Conciliorum Generalium hæc fides explicata, ſtabilita, & poſtea à Piis Imperatoribus in orbe Romano publicis legibus ſancita ſit: atque ab illo tempore ſub utraque poteſtate Eccleſiaſtica & Politica ſarta tecta permanſerit, etiam oborta in Oriente tanta contentione & ignorantia, in Occidente magna illa apoſtaſia; atque etiamnum perſtet in Ægypto, Æthiopia, Græcia, Perſia, Syria, Armenia, Ruſſia, Occidente toto, & ubicunque Chriſtianum nomen auditur. Contra fundatiſſimam hanc fidem quicquid olim aut ſuperiori ſæculo molitæ ſunt infelices quædam animæ, ſuo malo expertæ ſunt, quam durum ſit contra ſtimulum calcitrare. Vide exempla aliquot in *Epiſtol. Bezæ ad Petr. Statorium* Polonum tunc ad Socinianos abiturientem. Adde quod recta ad Atheiſmi, Libertiniſmi, Epicureiſmi, Turciſmi, Iudaiſmi præcipitia hæc via ſit. Exempla dabunt Neuſerus & M. Eraſmus Paſradus viri non indocti; quorum ille miniſter in Palatinatu poſt occultam molitionem ad Anti-Trinitarios dilapſus, tandem publice & ſolenniter Conſtantinopoli Mahumetiſmum ſuſcepit ac profeſſus eſt; Iſte præceptor claſſicus Scholę Marpurgenſis ad Iudaiſmum defecit, defectionis ſuæ cauſam diſertis verbis teſtatus, quod *ementitum illud* (ut blaſpheme loqui-

tur

tur in literis Theſſalonica Marpurgum ad amicum ſcriptis) *myſterium Trinitatis concoquere non poſſet.*

9. Obſervanda etiam nova methodus diſputandi, quam adverſarii uſurpant. Non aperto Marte, ſed per cuniculos adoriuntur incautos. Primum enim magis voces & terminos quam res: deinde & loca ſcripturę atq; hypotheſes articulorum vellicare ſolent, cum theſibus & articulis ipſis adhuc parcere videntur: adhæc de articulorum neceſſitate magis atque adeo de ſalute ignorantium & errantium ſcrupulo, pro teneritudine conſcientiæ ſuæ ſcilicet, quam de veritate diſquirere videntur, aut videri volunt. Præterea diſcentium & inquirentium vel ſuo vel aliorum nomine, aut ad ſummum dubitantium partes ſuſtinere magis quam aſſerentium. Hinc iſtas dubitantiæ & Scepticæ Theologiæ formulas perpetuo ex ipſis audias: *Poſſet hoc aliter intelligi aut exponi: Poſſet quis aliter ſentire. Videndum eſt an vox aut phraſis illa non admittat aliam ſignificationem. Neſcio, dubito an hoc ſit ſatis ſolidum. Ego non poſſim, non auſim certi quid ſtatuere.*

10 Adde quod partes aſſerendi & probandi, adverſariis ſuis aſſignant, ſolas negandi atque excipiendi ſibi ſumunt; ita audacter & impudēter quidvis negant, ſuſque deque habentes an ſua negatione aut exceptione Atheiſtis, Mahumetiſtis, Iudęis, Gētilibus omnibuſq; Scripturarum & Chriſtianiſmi adverſariis latam portam aperiant, imò & propriis plācitis contradicant, modo adverſario ſuo in præſenti diſceptatione obicem ponant. Hic compellendi ſunt ut vices probandi & reſpondendi æqualiter ſuſtineant, & theſin certam teneant, atque ex ſuo ſenſu reſpondeant.

11 Notandum etiam omnes fere exceptiones & oppoſitiones eorum laborare paralogiſmo à particulari ad univerſale, ab indefinita ad univerſalem & quidem excluſivam, à ſtatu aliquo Chriſti ad omnem ſtatum, ab Oeconomia ad Theologiam e.gr. Vocabulum aliquod ita alicubi ſumitur ergo ubique & hoc loco ita ſumendum eſt. Hæc & illa Chriſto tribuuntur, quod ſit homo, quod ſervus Dei, quod Doctor & martyr; ergo nihil præterea illi tribuitur; ſcil. quod ſit æternus Deus, quod propitiatio pro peccatis noſtris.

12 Denique partim falſas conſequentias & applicationes ex veris principiis ac regulis deducunt, partim aliquid eſſe videntur apud rudiores Pythagorico axiomatum & generalium effatorum magiſterio, ſolo *αὐτὸς ἔφα* & authoritate dicentium ſubnixo. Quæ ſi quis ad ſuas diſciplinas revocet, aut probationem eorum ab iis poſtulet (affirmantibus enim incumbit probatio) mox evaneſcunt. Sunt autem illa partim pſeudo-Philoſophica, partim pſeudo-Iuridica, ſeu Politica, partim pſeudo-philologica. Hęc ſunt infinita: quæ in Socinianorum Antagoniſtis *Choveto, Simlero, Fran. Iunio, Puccio,*

Puccio, Grotio, Iacob. Martinio, Franzio, Smiglecio, Steghmanno, Iacob. ad Portum, VVintero, Zarnovecio, Tarnovio, Andrea Keslero, Pareo, Ioh. Iusto aliisque videri possunt. Inter ista vulgatum est illud; *Innocenti seu justo non potest pœna mortis irrogari.* Et alterum, *Quisque potest remittere de jure suo*, quod examinatum vide à Grotio lib. de satisfactione Christi. Illa sunt, *Essentia numerica non est pluribus communicabilis. Quot sunt personæ, tot sunt essentiæ. Omne generans esentiam numero distinctam habet à generato. Nulla essentia humana potest esse sine propria subsistentia. Persona nequit esse in personâ. Una actio nequit totam naturam corrumpere. Quodcunque de aliquo prædicatur est universale, non singulare, nullum enim singulare prædicatur. Persona personis absque sui corruptione dari nequit.* Et similia quam plurima quæ enotata vide apud *Keslerum in Examine Logicæ, Metaphysicæ & Physicæ Photinianæ.*

Antidotum antidotorum est ut, 1. sacris literis. 2. sana philosophia ac 13
Philologia. 3. Pietatis ac conscientiæ studio, rerumq; divinarum intima atq; assidua διαθέσει, gustu, & circa eas exercitatione hæresibus illis resistamus. De primo observãdę sunt istæ regulę: *Prima*, Sacrarũ literarum testimonia multa simul & confertim ipsis ingerenda sunt, contra quæ exceptio paralogistica a particulari parum valebit. Neque enim ostendent e. gr. omnia illa quæ de Filio *Ioh.* 1. *Colos.* 1. *Hebr.* 1. & alibi aut de Spiritu Sãcto 1. *Cor.* 12. tanquam personis divinis dicuntur, de alio aliquo simul dici posse. *Secunda*, Vbi locus scripturæ ab exceptionibus vindicandus est, ad absurdum teratologiæ, Libertinismi, Atheismi, & ad contradictiones compellendi sunt, quibus ostendatur ex depravatione ista sacrarum literarum autoritatem & fidem labefactari. In philosophiæ contra ipsos usu, *Keckermannus, Iacob. Martinius, Alstedius, Keslerus, Smiglecius* aliique jam pręivere. Imprimis Scholastici, eorumq; princeps *Thomas* in *Summa*, & *contra Gentes* plurimum disputatorem nostrum juvabunt. Interim videndum ut judicio Logico-Theologico accurate delectum scripturarum & argumentorum habeamus, ne quidvis temere & cœco zelo arripientes mordicus defendamus. Recte enim Thomas P. 1. qu. 32. act. 1. & qu. 46. art. 2.: *Cum quis ad probandam fidem Christianam inducit rationes, quæ non sunt cogentes cadit in irrisionẽ infideliũ. Credunt enim quod hujusmodi rationibus innitamur, & propterea credamus.* De Tertio recte monet Cõfessio Belgica art. 1x. *Personas Trinitatis cognosci tam ex scripturis quam ex effectis ipsarum, iisque potissimum, quas in nobismet ipsis percipimus.* Nõ facile enim quis obscurabit, nedũ ut exstinguat in nobis fidem Trinitatis, si gratiam Filii, & amorem Patris, communicationem Spiritus Sancti quotidie in nobis sentiamus, confirmemus, excitemus confessionibus, precibus, doxologiis & renovatis fidei, spei, caritatisque amplexibus. In quo quidem tum antiquæ omnium, tum hodiernæ

diernæ nostrorum conciones, liturgię, ac doxologiæ nobis affatim præeunt, quippe quæ à Trinitate incipiunt, in Trinitate desinunt.

Nazianz. sentent. spiritual. lib. 3.

Πάντα μὲν αἰὲν ἄριστα θεοπρεπὲς ἔργα τελείστω,
Ἡ δὲ τριὰς πάντων ἐξοχά σοι μελέτω.

Hoc est interprete Ioh. Lango:

Optima quæque decet divinitus edere facta,
In primis Triados sed meminisse sacræ.

Vide ejusdem *Nazianzen. Iuramentum Episcopale*, & *præfationem ad carmina sua*. Sed de praxi hujus doctrinæ alia occasione fusius egimus an. 1639. in *disp. de Necessitate & Vtilitate Doctrinæ de Trinitate*: quam mox subjicio.

COROLLARIA.

1. *Doctrina de Trinitate, de Christo* Θεανθρώπω, *ejusque satisfactione, non est Scholastica aut problematica, sed de necessitate fidei Christianæ.*

2. *Photiniani seu Sociniani Christiani dici non possunt, nisi æquivocè aut valde analogicè. Vide* Smiglecium in prolegom. & appendice ad Nova Monstra &c. *Patres Gentilium numero adscribebāt Arrianos, vide* Athanas. orat. 3. & 4. c. Arrian. *Constantinus edicto cavit, ut Porphyriani dicerentur non Christiani, utque eorum libri cremarentur.* Object. *Atqui confitentur Christum ergo sunt Christiani, immo confitentur ejus veram Deitatem.* Resp. *Qui essentiam divinam negant, illi deitatem negant, & verum Christum non confitentur, sed tantum idolum aliquod, & Deum alium à Deo patre.*

3. *Iudicium illud à Theologis Academ. Lugduno-Batavæ D. Iunio, D. Trelcatio seniore, D. Gomaro, ad postulatum Illustriss. Ordd. Generalium A.* 1598. *latum de Fausto Socino, quod scilicet esset non Christianus, sed Semiturca, cum rei veritate & universi Christianismi consensu optime convenit.*

4. *Sociniani Voidovius & Ostorodus in apologia suâ edita A.* 1600. *contra Decretum Illustr. & Præpot. Ordd. General. injustè quiritantur, quod blasphemi ipsorum libri Hagæ-comitis combusti, ipsi verò ex Belgio excedere jussi essent, quasi Dominationes ipsorum religione, conscientia sua, & libertate Belgicâ indignum quid commisissent atque adeo jure ipsis convenirent atroces illæ Apologistarum calumniæ*: Videmini, *inquiunt*, ab ipsis hæreticæ pravitatis Inquisitoribus in Hispania æquitate & humanitate, quod hoc vestrum factum attinet, superari &c. *Et post*: ac si jam ipsum Antichristum plane imitari velletis, & tandem aliquando ipsos etiam homines religionis ergo igni tradere &c. *Et post*: Astutissimus Satanæ spiritus vobis persuasit, vos Dei honorem, Ecclesiæ

cleſiæ quietem,& Reip.veſtræ commodum tum cõſervare, quando maximè iſta omnia turbatis & peſſumdatis. *Notet lector fuiſſe inter libros illos M.S.* tractatum Oſtorodi contra Tradelium *Syndicũ Auguſtanũ, ubi ſatisfactionem Chriſti nominat* figmentum Trinitariorum. *Sicuti idem Oſtorodus In Inſtitut. c.36.* nominat falſum errorem, puerilem, ridiculum, blaſphemum &c. *quod* redoleat anilem, ſuperſtitioſam & Papiſticam fabulam.

5. *Vnio Eccleſiaſtica, ſeu Syncretiſmus inter noſtras Eccleſias & Socinianos iniri nulla ratione debet aut poteſt, quamvis maxime vellent Sociniani. Nec tamen hinc ſequitur nos Eccleſiæ noſtræ perfectionem in odio pacis conſtituere.*

6. *Dubia Conradi Vorſtii Theologia à Synodo Dordracena Anno.* 1619. *ſeſſ.* 152. *jure meritoque damnata eſt.*

7. *Pontificii pſalterio Mariano-Bonaventuræ, quod hoc noſtro ſæculo ſæpius recuſum Inſulis* 1605. *Leodii* 1607. *Conſtantiæ* 1611. *& alibi, ſibi imprudenter arma plurima eripiunt, quibus pro deitate Filii & Spiritus Sancti ipſis ac nobis pugnandum eſt contra Socinianos.*

Lutherus in præfat. ad Lectorem præmiſſa tractatui Anonymi de Religione Turcarum.

NOſtra ſumma præſidia & robuſtiſſima arma ſunt articuli de Chriſto, ſcilicet quod Chriſtus ſit Filius Dei, mortuus pro noſtris peccatis, exſuſcitatus ad vitam noſtram, quod fide in illum juſti & peccatis remiſſis ſalvi ſumus &c. Hæc ſunt tonitrua, quæ deſtruunt non modo Mahometum, ſed & portas Inferi. Mahomet enim negat Chriſtum eſſe filium Dei. Negat mortuum pro noſtris peccatis. Negat ipſum reſurrexiſſe ad vitam noſtram, negat fide in illum remitti peccata & nos juſtificari. Negat ipſum judicem venturum ſuper vivos & mortuos: licet reſurrectionem mortuorum & diem judicii credat. Negat Spiritum Sanctum: Negat ejus dona. His & ſimilibus articulis eſt munienda conſcientia, contra ceremonias Mahumeti. His machinis Alcoranus ejus confutandus.

Socinianiſmus eſt verecundior aut ſubtilior Mahumetiſmus.

FRANCISCI GOMARI
DIATRIBE,
DE

Christo Αὐτοθεῷ, *olim dictata in Academ. Lugduno-Batava : quam impetrata venia à Cl. autore typis edidit & publica disputatione ventilandam proposuit in Academiâ Vltrajectinâ* GISBERTUS VOETIVS, *additis etiam notis. 9. Martii* 1639.

Resp. CORNELIO GENTMAN *Goesâ-zelando.*

QVemadmodum λογομαχίαν & profanas κενοφωνίας, stultasque & imperitas quæstiones fugere nos decet: Sic contra rectus ac pius earum vocum, quæ in Theologia tritæ sunt, usus est cognoscendus, ne in errores incidamus aut adversariorum contentionibus implicemur. Quocirca non abs re facturum me arbitror, si ad ea, quæ contra Socinum pro filii Dei deitate disseruimus, auctarii loco disquiramus & examinemus: An filius Dei sit Αὐτοθεός. Nam ut ab hæreticis olim, ita & nostris temporibus variè hæc controversia ad Christi & Christianorum contumeliam agitata est. Ac quamvis majorum in hac materia pertractanda illuxerit industria, non pauca tamen relinquerunt aliorum diligentiæ. Quare ad uberiorem veritatis intelligentiam & filii Dei gloriam pro modulo meo quæstionem hanc conabor explicare, à vocis origine & usu exorsus. Αὐτοθεὸς vox antiqua & oxytona ut recte apud *Epiphanium* & evincit hoc analogia similium compositarum vocum. Quidam (*is erat Iac. Arminius*) ausus fuit adfirmare eam vocem apud patres non exstare: Nam ut apud *Dionys. Areopag. de divin nomin. c.* 11. exstat Αὐτοθεότης, sic Αὐτοθεὸς apud *Origenem in Iohann. tom.* 2. *p.* 372. & *Epiphan. hæres.* 76. *contra Anomæos.* Hi dicebant Christum esse ἀνόμοιον patri. Nam quod *Greg. de Valentia* in *opus. Theolog.* & in *prim. sum. Thomæ p.* 717. & *Bellarmin.* in *controvers. de Christo lib.* 2. *cap.* 20. *hæresin.* 69. (quæ contra Arejomanitas est) citant, ne quis frustra quærat, humanus est aut memoriæ aut fidei erga alienam diligentiam lapsus. Cæterum quod ad vocis Αὐτοθεῦ compositionem & formam attinet, eam non aliunde quam à scholæ Platonicæ, quam olim plerique sequebantur, consuetudine profluxisse adparet. Platonici enim in Ideis suis & abstractis rerum formis exprimēdis nomina cum pronomine αὐτὸ, poëtica quadam licentia conflabant. Suidas αὐτὸ ἔλεγον οἱ φιλόσοφοι

λόσοφοι τὸ κυρίως λεγόμενον καὶ πρὸ ἰδέαν διὰ τοῦ αὐτὸ ἐδήλωσαν, αὐτοάνθρωπον λέγοντες καὶ αὐτοδόξασον τὸ κυρίως καὶ μᾶλλον δόξασον.

Nec aliter *Aristoteles* contra ideas differens *Metaphys.6.cap.16.* Docet enim ideas declarari addita sensibilibus vocè αὐτὸ.

Τούτους δ' ἴσμεν αὐτοάνθρωπον, (Scotus in Metaphys. hominem idealem vocat.) καὶ αὐτοίππον προσθιθέντες τοῖς αἰσθητοῖς τὸ (αὐτὸ.) Et *lib. 2. cap. 2.* per tmesim quandam ait: αὐτὸ γὰρ ἄνθρωπον φασιν εἶ) καὶ αὐτοίππον καὶ ὑγίειαν. Et *ibidem* αὐτοαγαθὸν. Et *lib.6.cap.11.* αὐτογράμμη. Et *lib.12. cap.7.* αὐτοέκας, Et per tmesim αὐτὸ γὰ ἕκας. Et *cap. 10.* αὐτοάλφα καὶ αὐτοδῆτα. Et in *Phys. de ortu & interit. cap.2.* Αὐτοτρίγωνον. Et *Topic.5.cap.7.* Αὐτοάνθρωπος & αὐτοζῶον. Et *lib.6.cap.6.* Αὐτομῆκος. *Lib.6.cap.8.* Αὐτοεπιθυμία, Αὐτοηδέως καὶ Αὐτοεύλησις Αὐτοαγαθοῦ, hoc est. Ipsa cupiditas est ipsius jucundi, & ipsa voluntas ipsius boni. *Ibid.* Αὐτοφαίνομενον ipsum adparens. Et *lib.8. cap. 11.* δόξασον Αὐτοαληθῶς, & Αὐτοδόξα ipsa opinio, quæ exponitur proximè αὐτὴ ἡ δόξα ipsa opinio.

Simili ratione Platonicorum imitatione quadam Αὐτοθεὸς dicitur, quemadmodum ex *Origine* & potissimum ex *Dionysio* Platonis æmulo *de divinis nominibus cap.5.6.11.* & *Maximi scholiis*, ac *Pachymerii paraphrasi* clarissimè adparet. Atque hæc vocis origo, unde sensus & usus clarius innotescit: Αὐτοθεὸς enim & αὐτοθεότης dicitur ipse Deus & ipsa deitas κατ' ἐξοχὴν, ut non solum Deum notent, sed etiam ex Pronominis usu excellentiam Deitatis, quemadmodum profane Iovem suum, in hymno, adpellat *Callimachus* Διὸς αὐτου ἄιει μέγαν ἄιεν ἄνακτα. Veruntamen excellentia illa bifariam consideratur pro usu nominis Dei duplici & relatione diversa. Deus enim aut proprie primam & infinitam essentiam notat, quo modo comparate cum aliis αὐτοθεὸς ipse Deus mundi & deorum opifex dicitur: aut improprie & per metaphoram, ut angelus, qui gratia creationis & similitudinis officii cum Deo Deus nominatur, & quod prius conditus sit, potentiaque longe superet relatè ad homines, qui etiã Dii dicuntur, αὐτοθεὸς ipse Deus metaphoricè adpellatur: quãvis ab illa voce hoc sensu sãctius abstineri potest ac debet. Hanc autem distinctionem ex *Dionysio de divin. nominib.* hausimus *c.11.p.404.405.406.* Edit. Paris. gr. Et græcis illius interpretibus *Maximo* & *Pachymerio.* Ostendit enim quo modo interdum dicat Deum esse αὐτοζώϊον, interdum verò αὐτοζώης ὑποστάσεως conditorem, αὐτοεῖναι καὶ αὐτοζώϊον καὶ αὐτοθεότητα vocari quidem Deum ἀρχικῶς καὶ θεϊκῶς καὶ ἀπαρχικῶς, angelos verò quos προνοητικὰς δυνάμεις providentes virtutes vocat μεθεκτῶς participatione; Vnde etiam distinctè cum à Deo (quem ἀμέτοχον & cap.12. ἀμεθεκτον ἄϊπον adpellat) αὐτουσίωσιν, αὐτοθέωσιν; tum ab hominibus *cap.12.* αὐτομεθοχὰς nominat. Et hæc quidem de vocis αὐτοθεὸς

origine & usu, reliquum est ut propositæ controversiæ autores & examen subjiciamus paucis. Autor illius, quantum potui observare, fuit Origenes qui in Euangelium Iohann. tom. 2. pag. 272. Edition. Basil. postremæ, ait: *Dicendum enim est illis quod* αὐτοθεὸς *quidem (hoc est per se Deus) Deus ille est cum articulo propter quod & servator in precatione ad patrem inquit: Vt agnoscant te solum verum Deum; quidquid vero est præter hunc qui* αὐτοθεὸς *dicitur (hoc est per se Deus) participatione & communicatione deitatis illius deificatum. Non ille Deus cum articulo, sed Deus sine articulo magis proprie dicendus est, quomodo omnino, primogenitus omnis creaturæ, quippe qui cum primus sit apud ipsum attrahens divinitatem ad seipsum honorabilior reliquis diis, qui sunt præter ipsum (quorum ille Deus) Deus est, juxta id quod dicitur: Ille Deus Deorum, dominus locutus est, & vocavit terram, dans esse diis, à Deo hauriens abundanter, unde ipsos efficiat Deos, & unde illis juxta suam ipsius bonitatem suppeditet. Verus igitur Deus est ille Deus cum articulo. Qui autem dii efformantur ad ejus formam, velut imagines quædam sunt primi exemplaris.*

Et paulo post de filio ait: *Haudquaquam Deus mansurus nisi perpetuo permansisset in contemplatione paternæ profunditatis. Sed quoniam fortassis verisimile est futurum ut multi offendantur, quia diximus unum esse verum Deum nempe patrem, & præter Deum verum multos factos Deos participatione Dei, verentes gloriam ejus qui omnem creaturam præcellit æquali reliquis obtinentibus appellationem Dei sine articulo præter datam differentiam per quam Deum* λόγον *diximus reliquis omnibus diis ministrum esse deitatis &c.* Hæc Origenes, ex quibus adparet, illum statuisse patrem Αὐτοθεὸν hoc est ipsum Deum (nam non satis expresse interpres vertit per se Deum) per excellentiam appellari, comparatum non solum cum creaturis sed etiam cum λόγῳ, eoque solum verum & natura Deum, filium vero & creaturas participatione deitatis, Deos factos. Qua de causa θεὸν γέννητον Deum factum alicubi nominat, ut *Epiphanius* arguit *hæres. 64. contra Origenem*, ac propterea *Epiphanius* & *Hieronymus* Origenem hæresis Arrianorum fundamenta jecisse statuunt, quamvis interdum loquatur sanctius, sibique non satis vi veritatis adactus constet, eoque non tam hæreseos, quia pertinacia defuit, quam erroris fuit convincendus.

Origenem igitur secuti sunt Arriani, ut ante concilium Nicenum *Eusebius Cæsarienses de demonstrat. Euangelica lib. 5. cap. 1. 4. 12. 16.* Opponit θεὸν ἀΰλον & θεὸν λόγον & patrem unum & solum esse Deum proprie, filium esse δεύτερον secundum Deum, qui exstet à deificante ipsum patre. Similia ab aliis Arrianis, aliaque prolata ostendit *Epiphanius hæres. 69.* & 76. Nostris vero temporibus exortus est Valentinus Gentilis, qui protheſi 8. ait *Solus pater est* αὐτοθεὸς, *id est, à nullo superiore numine essentiatus*

tiatus, sed à seipso Deus. Et 12. *qui filium* αὐτοθεὸν *esse contendit is vel duo asserit principia: vel turrim Babel ædificet necesse est.* Et proth.40.& ultima: *Vnus Iehova pater* λόγου, *& unus ille Deus Israel synonyma sunt primæ personæ trinitatis.* Huic accesserunt calumniandi potius libidine quam erroris cum Arrianis societate, primum pontificius *Genebrardus*, qui hæresin nominat Autotheanorum, ut Calvinum, Simlerum, Bezam, Danæum traduceret: Deinde ex Lutheranis *Ægidius Hunnius in Calvino Iudaizante*, quem alii nonnulli secuti sunt.

Contra verò filium esse αὐτοθεὸν sive αὐτοθεότητα statuerunt Orthodoxi patres bifariam, partim κατὰ τὸ ῥητὸν eadem voce, partim κατὰ τὴν διάνοιαν eodem sensu vocibus diversis. Et eadem quidem voce *Dionys. Areopag. de divin. nominibus cap.* 11. quo loco Deum οὐσιωδῶς καὶ ἁπλῶς citra ullam personæ distinctionem considerans, eoque patrem filium Spir. S. Αὐτοθεότητα nominat. Deinde Epiphanius hæres.76.contra Anomœos, de patre & filio ait: φύσις δὲ θεοῦ ἀΐδιος ἀτελευτήτως ἔχουσα τὸ ἀξίωμα οὐ διά τι ἕτερον ἄλλα διὰ τὸ Αὐτοθεὸς καὶ Αὐτοαΐδιον. Ἄρα γε καὶ τὸ γένημα ὁμούσιον ἔσται. Diversa verò voce sed eâdem sententia multis modis usi sunt. Filius enim Dei vocatur.

I. Αὐτουσία ipsa essentia κατ' ἐξοχὴν vid.divina. Arrius enim filium vocavit alienum à patris essentia & exclamavit: πῶς οὖν ἡ αὐτὴ οὐσία τυγχάνει teste *Epiphanio hæres.69.pag.*317.*&* 335. Et Aëtius Αὐτουσίαν de solo patre asserunt *ibid.hæres.76.p.* 406.Contra verò Aëtium *Epiphanius* dicit *p.* 413. quapropter Αὐτουσία est Deus pater, & filius & Spiritus s.& non ἑτεροουσία. Et Basilius Magnus contra Eunomium lib.4.p.392.edit. Stephani: *Si ingenitus non est nomen essentiæ, sed* Αὐτουσία *ipsamet essentia, est autem filius quoque essentia, fuerit quoque filius ingenitus.*

II. Αὐτοζώη ipsa vita.Vt Basil.ibid. p. 409.*Edit.*gr.in fol.: *Si per Patrem vivit Filius, per aliũ & non per se ipsum vivit, qui verò per alium vivit* αὐτοζώη *esse non potest, neque qui ex gratia sanctus est* αὐτοάγιος *ipse sanctus est; sefellerit igitur Filius cum diceret, ego sum vita.* Sic de spir. s. ait *Greg. Naz. oratione de Herone philosopho p.*162. edit.gr.Basileensis οὐδὲ ἐκ προσθήκης ὁ ἁγιασμὸς ἀλλ' αὐταγιότης. Et *Basil. lib.* 2. *contra Eunom. p.* 311. in octavo editi cum dialogis Athanasii, filium τὸν ὄντως ὄντα τὴν πήγην τῆς ζώης vocat.Et apolog. de discessu p. 361. *Quidquid enim per alium vivit* αὐτοζώη *esse non potest (quemadmodum neque ab alio calefactum* αὐτοθερμότης *esse potest) Christus vero & Deus noster dixit: Ego sum vita.*

III. Αὐτοδύναμις. Quod refert & reipsa probat de filio *Epiphanius contra Marcellianos hæres.*72.*p.*358. Neque aliud sibi voluit *Basilius contra Eunomium lib.*2.*p.*339. cum de filio ait: ἐκ τῆς αὐτοδυνάμεως ἡ τοῦ θεοῦ δύναμις.

IV. Αὐτοαγαθὸν ipsum bonum Basil. ibid. lib. 2. p.335. *Hanc esse omnibus Christia-*

Christianis (qui hoc nomine quidem digni sunt) insitam anticipationem, filium esse genitam lucem ex ingenita luce refulgentem, & αὐτοζῶν καὶ αὐτοαγαθὸν ex vivifico fonte paterna scil. bonitate. Et Epiph. contra Anomœos hæres. 76. p. 407. De filio ait: ὄνομα ἔχων αὐταγαθὸν ἀπὸ τοῦ αὐτοαγαθοῦ ὄντος. Quibus omnibus consonat Damnascenus Orthod. fid. lib. 1. c. 8. Quo loco clarissime Deum absolute & communiter tribus personis consideratum vocat αὐτόφως, αὐτοαγαθότητα, αὐτοζῶν, αὐτουσίαν *non ab alio esse habentem aut quidquam eorum quæ est* (male enim interpres vertit *sunt.*)

v. Αὐτοαλήθεια ipsa veritas, ut *Nazianzenus oratione de filio* 2. p. 216. Editionis Basilien. gr. Si enim illud solum verum Deum de patre pones, ubi pones αὐτοαλήθειαν. Similiter *Origenes* veritate adactus *in Iohan. tom.* 6. sub finem *p.* 290. in illa verba (Ium veritas) filium vocat αὐτοαλήθειαν. Et *tom.* 3. *de Christo homine p.* 824.

vi. Αὐτοσοφία ipsa sapientia. Quomodo Deum ὑπερδῶς & communiter tribus personis vocat *Dionys.* Αὐτοεῖναι, αὐτοζῶν, Αὐτοδύναμιν, αὐτοσοφίαν *de divin. nominib. cap.* 11. Et *Orig. in Euang. Iohann. tom.* 2. *p.* 272. de filio ait: Cum sit ipse αὐτοσοφία vel αὐτοῦ ipse filius.

vii. Αὐτοδικαιοσύνη ipsa justitia. Vt *Basilius apolog. de discess. p.* 461. Filius vero αὐτοδικαιοσύνη & immortalitas est.

viii. & ix. Αὐτοτέλειον ipsum perfectum, & Αὐτοδόξα ipsa gloria, quæ ex superioribus fluunt. Vt enim *Athanasius dialog.* 2. *de trinit. p.* 80. de patre ait. θεὸς ὢν καὶ Αὐτοδόξα, Sic *Epiphanius contra Ariomanitas hæres.* 69. *p.* 341. ait de filii Deitate eã habere τὸ αὐτὸ δεδοξασμένον καὶ τὸ αὐτὸ τέλειον. Similia *contra Marcellianos hæres.* 72. *p.* 358. recenset convenienter suæ sententiæ, quo loco filius Αὐτοδόξα, αὐτοβούλη, Αὐτοδύναμις, ut à *Nonno in Iohann. cap.* 1. *carmine* 40. λόγος Αὐτοτέλεσος.

Hanc patrum orthodoxorum consensionem secuti sunt *Calvinus, Simlerus, Zanchius, Beza, Pareus in Calvino Orthodoxo lib.* 1. *cap.* 9. aliique non pauci.

Ad rem autem quod attinet & controversiæ examen.

1. Quicunque est ipse Deus, ac vere proprie & essentialiter Deus, ille est αὐτόθεος.

Atqui filius Dei est ipse Deus, vere proprie & essentialiter Deus.

Ergo est αὐτόθεος.

Propositio confirmatur & significatione & usu vocis αὐτόθεος apud eos patres à quibus ducit originem ut ante demonstravimus. Quo etiam pertinet illud *Iustini Martyris* antiquissimi Theologi, qui *hortatione ad græcos p.* 13. Edit. Commelinian. θεὸς αὐτὸς exponens ait pronomen τὸν ὄντως ὄντα θεὸν significare.

Assum-

Assumptio vera & certa est, unde & vera colligitur conclusio.

11. Quicunque est αὐτουσία, αὐτοζώη, αὐτοάγιος, αὐτοδύναμις, αὐτοαγαθότης, αὐτοφῶς, αὐτοαλήθεια, αὐτοδικαιοσύνη, αὐτοσοφία, αὐτοτέλεσον, αὐτοδόξα, ille etiam est αὐτοθεὸς, quia deitas, illius essentia & attributa sunt reciproca, Atqui filius est ejusmodi, ut ex earum vocum recta interpretatione & usu ex superioribus, & ex filii natura quæ s. literis describitur 1 *Iohann.* 5. *v.* 20 constat, Ergo est αὐτοθεὸς.

Quemadmodum etiam patres recte asserunt. Atque hoc adeo clarum est & certum ut inter pontificios *Bellarm.* id aperte agnoverit, & Calvinum in quem tamen sæpissime iniquus est ea in re adversus suum Genebrardum multis defēderit *l.* 2. *de Christo c.* 19. Sed dicat aliquis recte dici filiū αὐτοθεὸν hoc sensu qui antiquitati & usui vocis cōvenit, modum tamen loquendi reprehendit *Bellarm*: Quod Calvinus dicat filium esse αὐτοθεὸν hoc est, Deum à seipso. Improprie denique & dure dictum esse in symbolo: Deum de Deo, lumen de lumine. Sed contra inepte cavillatur *Bellarm.* Nam à seipso aliquid dicitur esse bifariam, Aut positive à se effectum esse, aut negative esse ἀναίτιον seu non esse ab alio effectum. Priori modo, nec deitati immo nec ulli rei convenire potest, quia contradictionem implicat ipsius causam esse & effectum. Posteriori vero optime, immo necessario deitati quadrat, quia deitas est ens primum causæ expers & causa omnium entium, ut nomē Iehovæ evincit & natura Dei *Exod.* 3. *Apocalyps.* 1. & rotunde *Anastasius* & *Cyrillus in cōpendiaria expositione fidei.* Quid est Deus? ὑσία ἀναίτιος ἀιτία πάντων τῶν ὄντων. Et *Gregor. Nazianz. Orat.* 2. *de filio*: τὶ τῶν ὄντων ἀναίτιον; θεὸτης, Nemo enim posset causam Dei dicere. Sic ibidem cum patrem vocet filii causam, tamen Deitatem ἀναίτιον vocat.

Deinde quod objicit quoque *Bellarminus*, Calvinum male dicere filium habere essētiam à seipso, iterum cavillatur. Primum enim locis iis quæ adducit hoc non probat, aliud enim est essentiam aliunde mutuari, quod *Calvinus* ait, aliud habere. Illud enim notat habere essentiam nō natura sed gratia. Deinde aliud est absolute loqui, aliud relate ad certam materiam & phrasin ac sententiam adversariorum, atque hoc modo si adversarii importunitas postulet, quidni dicere liceat recte explicata sententia filium essentiam habere à se, non quatenus vox (à) notat tantum terminū, sic enim habet à patre per communicationē generatione æterna; nec quatenus (à se) notat à se effectū positive, sed quatenus acceptū negative efficientiam tollit, & ἀναίτιον seu à nullo effectū notat contra sententiam Valentini Gentilis, qui fatebatur filium habere essentiam à patre sed effectam, quod esset essentiatus à patre; cui sententię contradixit *Calvin.*, atq; hoc modo loquitur *Damasc. Orthod. fid. l.* 1. *q.* 8. cum Deum communiter vocat ἀυτουσίαν ὡς

μὴ παρ' ἑτέρου τὸ εἶναι ἔχουσαν ut quæ ab alio esse non habeat; vid. effective non autem communicative. Hoc enim αὐτοουσίαν non infringit, sed maximè confirmat. Atque hæc sane adeo solida sunt & perspicua, ut Gregor. de Valentia pontific. Theologorum Coryphæus idem stabiliat ad summæ Thomæ part. 1. disp. 2. quæst. 1. punct. 1. p. 718. *Tribuit* (inquit) *etiam Genebrardus hunc errorem* Calvino lib. 1. Inst. cap. 3. *sed revera si attente legatur, tantum videbitur voluisse filium ut Deus quidem essentialiter est, ex se esse, & solummodo ut persona est esse ex patre, idque verum est. Nam etsi verissime patres & concilia asserant Deum esse ex Deo, accipiendo vocabulum Dei personaliter, ut scilicet significat quoque personam ipsam patris & filii, tamen filius quatenus essentialiter Deus est, hoc est, ut est unum illud simplicissimum quod est Deus, non est ab alio, quia ut sic est quid absolutum. Quod si hoc tantum voluerunt alii hæretici, quos Autotheanos nominant, non esset cum illis hac de re certandum. Nam & in eo sensu videtur* Epiphanius hær. 69. *filium appellasse* αὐτοθεὸν & pag. 716. *filius non habet essentiam à patre tanquam productam aut genitam, sed tantum ut communicatam, hoc ipso quod filius producitur subsistens in illa.* Hæc Gregorius de Valentia. Quibus verbis *Bellarmini lib. 2. de Christo cap. 19.* objectio egregie refellitur, qua ita urget: Si Calvinus asserit patrem communicasse filio essentiam quomodo potest vere dicere filium habere à se essentiam. Item si dicit filium esse productum à patre, quomodo potest negare essentiam & vitam in filio esse à patre. Nam facillime Bellarmin. reponit potest esse quidem filio à patre communicatam essentiam, sed non à patre effectam ac productam, ut in antecedentibus Iesuita ait. Valentinus Gentilis perpetuo jactabat solum patrem esse αὐτοθεὸν, & per hoc nomen intelligebat solum patrem habere essentiam vere divinam increatam, filium autem & spir. s. habere aliam essentiam productam à patre, & ideo quoad essentiam eos non esse αὐτοθεὸν. Calvinus igitur occurrere volens Valentino contrarium asseruit, nempe filium esse αὐτοθεὸν quod ad essentiam, eo sensu quo id à Valentino negabatur. Ergo cum Calvinus fatente adversario Bellarm. respectu sententiæ adversarii sui ita sit locutus, non autem absolute, sophistam agit Iesuita; dum absolute accipit, quemadmodum etiam dum ita argutatur: Si αὐτοθεὸς significaret eum, qui est Deus à seipso, certe nec pater nec filius posset dici αὐτοθεὸς nam filius non est Deus à se sed à patre. Pater etiam non est Deus à se sed à nullo, Esse enim à se est productum esse à se. Pater enim est simpliciter ingenitus & improductus. Sed hæc mera est vanitas, nam à se esse (ut ex superioribus constat) accipi potest aut positive & ita vera est sententia Iesuitę, aut negative ut denotet à nullo productum esse metaphorice per quãdam similitudinem quod quæ à nullo sunt perinde sunt ac si essent à se. Quibus

modus

modis idem ait & negat diversa ratione *Epiphanius*. Nam quod *Aëtiũ* arguit *p.* 417. quod cum ãtea vocasset Deum ἀγέννητον, nunc vocet αὐτογέννητον cum seipsum non fecerit, non quod absolute damnemus loquendi modum, sed sophistæ & vocum censori nimis rigido neglectum proprietatis objicio; quemadmodum apparet etiam ex antecedentibus *pag.* 407. ubi de patre ait: καὶ τὸ ἀγέννητος διὰ τὸ αὐτογέννητον hoc est, & ingenitus quia à se ipso, hoc est, à nullo genitus. Et Hesychius in lexico suo: ἀὐλογενὴς, αὐτογενέθλος ὐκ ἐκ τίνος γεννώμενος, item αὐτολοχάυτος, θεὸς ἀγέννητος, αὐτογέννητος, quem sequitur Suidas, αὐτολόχευτος, αὐτογέννητος, ὁ θεος ἀγέννητος. Sic Deus pater vocatus à Synesio hymno 6. αὐτολόχευτος & à Nonno in Iohannem cap. 1. & 5. αὐτογένηθλος. Et Iohann. cap. 1. αὐτόφυτος, Et Iohann. 3. αὐτογενής. Quemadmodum & antea ex Orpheo *Iustinus Martyr hortatione ad Græcos pag.* 12. Et Sibyllina oracula lib. 1. αὐτογενὴς γένητος. Quod etiam vidit Lactantius divin. Inst. l. 1. *Verum* (inquit) *quia fieri non potest, quin id quod sit, aliquãdo esse cœperit, consequens est ut quãdo nihil ante illũ fuit, ipse ante omnia ex seipso sit procreatus, ideoq; ab Apolline* αὐτοφυὴς, *à Sybilla* ἀὐλογενὴς & ἀγέννητος & ἀπρόϊητος *nominatur, quod Seneca vir acutus in exhortationibus vidit. Nos, inquit, aliunde pendemus, itaque ad aliquem respicimus, cui quod est optimum in nobis animam debeamus, alius nos edidit, alius instruxit, Deus ipse se fecit.* Hæc Lactantius, in quo etiam metaphorico loquendi modo Synesius ait hymno 3.

πατέρων πάντων	Hoc est interprete	Patrum omnium
πάτερ, αὐτοπάτωρ	F. Porto	Pater, pater sui-ipsius
προπάτωρ ἀπάτωρ		Ante-pater sine-patre
υἱὲ σεαυτῦ		Fili tui ipsius.

Quamvis majorem cautionem in vocum & phrasium similium usu reverentiæ causa postularem: cæterum ex hisce omnibus liquere satis arbitror, temere & iniq; Pontificios nonnullos & Vbiquitarios eorumque sectatores in nostros Theologos invehi, quod Christum esse ἀὐλοθεὸν professi sint, cum eodem sensu patri & filio id competere demonstratum sit.

GISBERTI VOETII

Notæ ad præcedentem

DIATRIBEN.

Pag. 443. *lin.* 15. ipsa opinio.

VOX αὐτὸς cum non simplicem relationem, sed emphasin in se includit, & hâc etiam notione compositionem ingreditur, notat 1. τὸν μόνον; Vt in illo *Homeri* (citante *Etymolog. magno*) τυδείδης, αὐτὸς περ ἐὼν προμάχοισιν ἐμίχθη. 2. τὸν κατ' ἐξοχὴν. Vt in illo Ἐι ὄ κε (sunt verba etymol.) μὴ δώῃσιν, ἐγὼ ὄκεν αὐτὸς ἕλωμαι: καὶ ὡς τὸ, Οὐκ ἄγγελος, οὐκ ἄνθρωπος, ἀλλ' αὐτὸς ὁ κύριος. Sic

Phythagoram designare solent discipuli ejus, αὐτὸς ἔφα. 3. *A se*, ut excludat omnem aliam causam & principium, unde res sit aut pendeat, & una connotet proprium seu οἰκεῖον principium aut causam; ut in compositis αὐτόματος, αὐτόχθονος, αὐτάγητος, αὐτολήκυθος, & similibus, quæ partim ab *Etymologo ib.* partim *Budæo in commentariis*, ac vulgaribus lexicographis explicantur. Sic *Plato* animum hominis vocabat αὐτοκίνητον. Sed cum vocabula Deum designantia ingreditur (ut αὐτοθεός, αὐτοζώη &c.) tantum exclusivé connotatio ejus accipienda est, non vero positivè: quia deitate quà tali & absolutè consideratâ, notio causati, aut principiati locum non habet. 4. *Per se*, rei intrinsecum, essẽtialiter, τὸ τὶ ἦν εἶναι, (philosophi quidditatẽ, perseitatem, intraneitatem, formalitatem dicerent) item ὄντως; ut excludat τὸ ἕτερον, τὸ ὅμοιον, τὸ λεγόμενον, τὸ συμβεβηκὸς, aut quodcunque θύραθεν adveniens, aut omne per accidens, per aliud, κατὰ μετοχὴν, denique omnem accidentium & attributorum (quæ non sunt de rei essentia & ratione formali) admixtionem. Sic in Aristotelica & Platonica philosophia αὐτοέκαστον ὂν & ἓν exponunt. Vide *Scheckium de Demonst.* & in *Topic.* 8. *c.* 11. Platoni in Hipp. τὸ αὐτὸ est rei substantia & οὐσία & αὐτοέκαστον est Deus; κατ' ἐξοχὴν scil. Aristotelicum illud *Ethic.* 4. *c.* 13. ὃ δὲ μέσος αὐθέκαστός τις ὤν, ἀληθευτικὸς καὶ τῷ βίῳ καὶ τῷ λόγῳ; Zwingerus in scholiis, referri posse putat ad ipsius veritatis essentiam: *Veritas enim*, inquit, *in rerum, nostrique intellectus conceptuum & sermonum conformitate posita est. Verax igitur omnia quodammodo erit, cum res omnes, tales quales sunt ratione complectatur, non in theoricis tãtum, sed etiam in practicis.* Quamvis ibidem addat αὐθέκαστον posse exponi ex *c.* 14. seq. οἷον νόμον ὄντα ἑαυτῷ. Ad hanc notionem refer, quod αὐτὸς nõnunquam apud Philosophos habet vim limitationis reduplicativæ; ut Ipsum animal sentit, id est, qua animal. 5. *Per se* & vi principali sufficiente ac propria operans ac producens quid. Sic *Clemens Alexand. Strom. l.* 8. *p.* 561. & 565. in distinctione causarum efficiẽtium αἴτιον συνεκτικὸν (quæ si adsit manet effectus, & si tollatur tollitur) synonymicè ait vocari αὐτοτελὲς, id est, *per se perfectum*, quoniam αὐτάρκως δι' αὐτοῦ ποιητικόν ἐστι τοῦ ἀποτελέσματος. Quocũque autem ex quinque illis modis emphasis pronominis αὐτὸς in compositione exponatur, putamus τῷ αὐτοθεῷ applicari posse & debere: adeo ut mihi nõ leviter errasse videantur, qui vocẽ hanc à nostris Theologis filio Dei perperam tributam putarunt, quod genitus sit à patre, & juxta symbolum Nicenum, *Deus de Deo.* Quis enim eos coẽgit hujus syncategorematis omnem emphasin & significationem ad solã illam notionẽ (*à se*) præcisè restringere? Cũ Deus ex usu linguę recte dici possit αὐτοθεός, quia Deus est. 1. κατ' ἐξοχὴν ὁ θεὸς. 2. *quia* solus ὁ μόνος. 3. *quia* per essẽtiam, non per participationẽ; per se, & non per accidens, in se & essentialiter, nõ externo aliquo

respectu

reſpectu aut denominatione; quomodo multi ſunt λεγόμενοι θεοὶ 1. *Corinth.* 6. 4. *quia* à ſe, non ab alio, ἀναρχῶς ſcil. καὶ ἀναίτιως. 5. *quia* primum agens, primus motor, qui à nemine dependeat, ſed à quo omnes cauſę ſecundæ, haut aliter ac cauſæ minus principales à principali, in eſſe & operari dependeant. Dato ergo, non conceſſo, duriuſcule, & improprie ratione iſtius notionis *à ſe*, τὸ αὐτοθεὸς de filio uſurpari, negandum tamen nō eſt, ratione aliarum notionum proprie & commode de illo dici poſſe: quod ſufficit contra cenſuras *Bellarm.* & *Armin.* quorum ille contēdit nulla ratione, hic vero non alio ſenſu hanc vocem Chriſto applicandam, quam quatenus ſignificat *verum Deum.* Sed latius ſe extendere τὸ αὐτὸς ex uſu recte loquentium jam oſtendimus, & pluribus in quæſtione hâc de Chriſto docuit diatribe. Τὸ *Verus Deus* nullo modo ſufficit ad excludēdos Anti-Trinitarios; hoc enim plenis buccis ipſi fatentur, ut videre eſt in *apologia Voidovii & Oſtorodi ad Decretum Illuſtr. DD. Ordd. Belgic.* anno 1598. ubi contendunt: *Nullam cauſam fuiſſe cur affirmarent Theologi Leidenſes ſe* (hoc eſt, Socianos) *divinitatem filii Dei & ſpir. ſanct. negare.* Et poſtea: *Non negamus, Dei gratia, veram* (N.B.) *filii Dei divinitatem, ſed falſam & imaginariam, & quam nuſquam ſacræ literæ agnoſcunt.* Et *Valentinus Smalcius* in *libro de divinitate Chriſti cap.* 25. prædicat diligentiam & zelum ſuum *in propugnanda vera divinitate Ieſu Chriſti.*

Ibid lin.

Deus per excellentiam dicitur αὐτὸς *ipſe Deus* apud ſacros pariter & profanos autores (quod æquipollet τῷ μέγας θεὸς, ὁ θεὸς &c.) 2 Sam. c. 7. v. 28. 1 Paralip. c. 17. v. 26. אתה הוא האלהים *tu es ipſe ille Deus* 2 Reg. 19. 26. additur לבדך *ſolus* Ieſ. 31. 4. *Ego ſum prim. & ult.* אני הוא id eſt, *ego ſum ipſe* Nehem. 9. 6. אתה הוא יהוה *tu es ipſe Iehova*: ubi 70. gr. vertunt σὺ αὐτὸς κύριος. *Galat. l.* 3. *de arcan. cath. verit. c.* 23. Hebræum pronomen הוא *ipſe* ſeorſim abſque nomine ſubſtantivo *Deus*, poſitum, unum eſſe ex nominibus Dei, quod probari putat ex *Ieſa.* 42. 8. Sed in eo fruſtra eſt. cum ipſe textus liquidiſſimè evincat relative illic accipiendum, (uti *Ieſa.* 41. 4. & *Pſ.* 37. 5.) & cum antecedente ſuo conjungendum: quod tantundem eſt ac ſi cum nomine *Deus* exſerte conjungeretur. Hinc judicium ferri poteſt, quid de prima ſignificatione τοῦ αὐτὸς in vocabulis compoſitis αὐτοθεὸς, αὐτοζωὴ &c. dicendum ſit.

Pag. 444. *lin.* 33.

Origenem ut *Epiphanius* & *Hieronymus* jam *cit.* ita & in ſuſpicionem hujus hæreſios trahit Auguſt. de hæreſ. c. 43. *Dicit præterea ipſe Origenes, quod filius Dei ſanctis comparatus, veritas ſit: patri collatus mendacium: & quantum diſtant apoſtoli Chriſto, tantum filius patre. Vnde nec adorandus eſt filius cum patre,*

quia non est author indulgendarum petitionum, sed supplicator. Photius Biblioth. cod. 8. ait eum *lib.* 1. περὶ ἀρχῶν blaspheme de Trinitate scripsisse. *August.* tamen *c. cit.* non reticuit: defensores Origenis dixisse ab Origene traditam esse unam eandemque substantiam patris, filii & Spir. S. & sane præter antiquos *Eusebium Cæsariensem* in *apologia sub nomine Pamphili*, & *libris sex aliis*, de quibus *Photius in bibliothecâ p.* 158. adhæc *Thaumaturgum*, *Didymum Alexandrinum*, *Methodium*, *Olympium*, *Russinum*, sunt & recentiores qui Origenem ab his aliisque hæresibus conati purgare: inter quos *Picus Mirandulanus libro uno*; *Iacobus Merlinus* Theolog. Parisiensis in *apologia libris Origenis* à se editis an. 1512. præfixa; *Gilb. Genebrardus* in *epistola dedicatoria* & in *collectaneis* editioni Paris. Origenis an. 1574. adjectis; & non obscurè *Sixtus Senensis* in *Bibliotheca sancta*. Ex protestantibus *Elmenhorstius* in *notis ad Gennad. p.* 123. & 125. suspicatur Origeni multa falso afficta; & Hoeschelius in præf. ad Origenis libros contra Celsum gr. lat. editos sic de illo censet: *Qui si alicubi hallucinatus videatur*; *hominem fuisse memineri-mus*, *non nescii quædam ejus scripta malitiosè ab aliis corrupta perhiberi*, *quædam falso ei adscribi &c.* Quæ hic notare visum, ne benignius Cl. D. Gomari de Origene judicium, ut & Cl. *Molinei in Novitate Papismi*, & Magni *Heinsii Exercit. sacr. in Ioh. c.* 14. *Sculteti in medulla patrum tom.* 1. *p.* 168. & forte aliorum ex nostris ad calumniam trahatur. Non ignorant magni illi viri, quid ultro citroque de Origene jactatum sit, quidque plerique Doctores Reformati de illo statuerint; instar multorum sint *Danæus in commentar. ad Augustinum de Hæresibus cap.* 43. Beza in notis ad N. T. præsertim in epistol. ad Romanos ubi cap. 3. 20. vocat eum *selectum diaboli organum apostolicæ doctrinæ evertendæ destinatum*: & in Rom. 1. 1. *Origenem*, inquit, *non possum bona conscientia inter eos patres collocare*, *quos velim imitari &c. impurum scriptorem exoptem aut ex lectorum manibus excuti &c.* Cujus judicium haud obscure approbare videtur *Rivetus Critic. sacri libri* 2. *c.* 12. Sed quandoquidem controversia hæc de Origenis doctrina mere historica est, & versatur in statu inficiali, judiciumque non fidei sed caritatis concernit, quid vetat cum Cl. præceptore nostro in benigniorem partem sentire potius, aut saltem ἐπέχειν, quam tam horrēda tam absurda doctissimo illi viro tribuere? *De Trinitate*, inquit Scultetus, *generatim passim rectè docet, itemque de Patre*, *Filio*, *& Spiritu S. & inter alia homil.* 8. *in Exodum* (nos infra alium locum addimus ex *l.* 3. *contra Celsum*) *Nihilo tamē minus filium dixit collatum cum patre esse perparvum &c. Hæc enim omnia veteres illi tribuunt* Epiphanius, Hieronymus, Suidas. *Quæ quidem assertiones tot modis contrariæ, cum non videantur in hominem mediocris judicii nedum in eruditum & pietate celebrem cadere: magnam subesse causam video, cur* Pamphilus, Ruffinus presbyter,

ter, Chryſoſtomus, *aliique patres Origenis patrocinium contra Epiphanium &c. ſuſceperint, totque errores non ab Origene, ſed ab Origenis calumniatoribus, ſcriptorumque ejus depravatoribus profectos eſſe ſtatuerint.* In qua brevi apologia acquieſco: præſertim cum *Beza ad Rom.* 3.20. tacite ſatis ἐποχὴν ſuam de hypotheſi hiſtorica, an hęc ſint genuina ſcripta Origenis, teſtetur; & multo apertius in *epiſtolis* ſuis *epiſt.*28 *p.*163. Quin & ipſi Pontificii (ſaltem maxime Παπομανῦντες) quamvis propter autoritatem judicii Gelaſiani velint omnia olim judicata de Origene eſſe authentica & ἀναπρόκριτα, fluctuare tamen ſe oſtendunt, quoties eum communi titulo ſancti patris, & Doctoris eccleſiaſtici allegant in controverſiis, ubi ſcil. putant illum cauſæ ſuæ ſuffragari: loca illa annotavit *Cocus in Cenſurâ patrum.* Vt nihil jam dicam de autoribus modo allegatis. Vide totum hujus controverſię inteſtinæ actum apud *Baronium* ad *ann.*397. coll.cum *anno* 256.*ſect.*40. Et *Poſſevinum in appar.ſacro*, in *Origenes.* Saltem in controverſia de Trinitate ſiquidem ex ſcriptis, quæ exſtant, judicandum ſit, non debet ex periculoſis & incommodis, quas effutiit, phraſibus aut ſententiis quibuſdam conſtans ejus doctrina colligi & atro hæreſeos carbone notari. Cum orthodoxi contradicentium & certantium ſtudiis non exercentur, ſecurius ſæpe loquuntur.

*Pag.*445.*lin.*4.

Triplices adverſarii hic diſſentiunt 1. Pontificii; qui in duas *claſſes* abeunt; *Alii* enim rem ipſam in Calvino reprehendunt, & hæreſin, blaſphemiam, atheiſmum ei per calumniam impingunt, quaſi ſcilicet doceret filium à patre in unitate ejuſdem eſſentiæ non eſſe genitum, & ſunt poſt *Genebrardum lib.* 1. *de Trinitate*, *Poſſevin.de notis verbi Dei lib.* 3. *c.*74. *Richeomus lib.*3.*Idololatriæ Hugonoticæ c.*3. *Hayus in quæſtion.qu.*132., *Salmero tom.*2.*tract.*10., *Claudius de Sanctes in declar. Atheiſmor. Calvini & Bezæ*, *Lindanus dial.* 2. *qui eſt dubitantius*; *Petrus Caniſius præfat.libr. de Iohanne Baptiſta*: *Monachi Burdegal.in art.abjurat.Sacerdotes Rhati in diſp.Tiranenſi*, *Reginaldus & Gifford.in Calvino-Turciſmo l.*3.*c.*6.7. *Ieſuitæ Anglo-Remenſes in notis ad Ioh.*1.*v.*1. *Stapletonus in promptuario Catholico, feria* 3 *poſt.paſſ.Campianus ratione* 8. *Iohannes Faber I.C.cod Fabriani lib.*1.*tit.*1. *Feuardentius* in libro gallico cui tit. *Entremangeries & guerres miniſteriales cap.*16. Idem in *Theomachia Calviniſtica lib.*3.*cap.*3. Calvino, Bezæ, Vireto, Farello, Simlero, Gualtero, Bullingero, Lavatero, Volano, immo & integris ſynodis Helveticis hanc hæreſin imponit. Vbi tamen addit eos ſibi contradicere & locis ac diſputationibus quæ ex illis ibidem citat, hæreſin eam ſolide refelli. *Prateolus lib.*3.*in voce Calviniſta.* *Alii* ex Pontificiis phraſin ſolummodo carpunt in Calvino, ut *Bellarmin.libri* 2.*de Chriſto cap.*19. cum quo jungi poteſt

teſt *Gregor. de Valentia lib. 2. de Trinitate c. 1. & 17. & lib. 1. c. 22.* & dubitant an nova hæreſis *Autotheanorum* debeat conſtitui: quod ante illos fecerant *Genebrardus* cum aliis iſtius commatis. II. Lutherani, qui non phraſin tantum, ſed & ipſam ſententiam Calvini perſtringunt & quaſi hæreſin hoc nomine illi impingunt; ut *Heſhuſius libr. de Euchariſtia*, *Hunnius in Calvino Iudaizante*, & ſiqui illum præceſſerunt, quos notari & refelli puto á *Pareo in Calvino Orthodoxo lib. 1. cap. 9.* Ex recentioribus Lutheranis eandem crambem recoquit *Stechmannus in Photinianiſmo diſp. 5. qu. 6.* Contra tamen ex profeſſo defendit Calvinum *Meiſnerus contra Socinianos*, quem eo nomine exagitat *Slichtingius Socinianus in diſp. de Trinitate &c. c. Meiſnerum p. 375.* III. Iacobus Arminius in declaratione ſua ad illuſtres Hollandiæ Ordines p. 61. 62. 63. non phraſin ſed ipſam theſin oppugnat, aſſerens *eam pugnare cum verbo Dei & vetere tota Græca & latina eccleſia.* p. 64. addit: *nullo modo tanquam bene dictum excuſari poſſe, filium Dei* ἀυτοθεόν eſſe. Eandem controverſiam tractat in *Reſp. ad 31. artic. p.* 13. ſed paulo moderatius. IV. Petrus Carolus quondam miniſter Lauſanenſis, qui in ſynodo quâdam Helvetica Farello ſe oppoſuiſſe dicitur à *Feuardentio in Theomachiâ loc. cit.* ubi etiam argumenta ejus refert. V. Rem ipſam in Calvino & orthodoxis oppugnant hodierni Antitrinitarii, inter quos *Crellius in tract. de Vno Deo patre lib. 1. ſect. 2. cap. 2.* Et *Slichtingius contra Meiſnerum.*

Pag. 445 lin. 9.

Argumenta pro noſtra ſententia hæc ſunto. I. Qui vere eſt & rectè dicitur, ἀυτὸς θεὸς. *Ipſe Deus* hoc eſt verus, ſolus, magnus ille Deus, ille rectè dicitur ἀυτοθεός. Sed Chriſtus vere eſt & recte dicitur ἀυτὸς θεὸς, Ergo. Majoris conſequentia patet, quia ἀυτὸς θεὸς. & αὐτοθεὸς revera unum idemque ſignificant: nec oſtenſum eſt hactenus ex uſu græcè philoſophantium, aut patrum græcorum duo illa tãtoperè differre, ut cui unum neceſſario tribui debeat, alterum tribui non debeat. Minor probatur ex eo quia eſt verus, ſolus, & ὁμούσιος cum patre Deus (quod hic præſupponitur) & Deus noſter tantum unus eſt: atqui ille dicitur ἀυτὸς θεὸς locis ſupra citatis 2 *Sam.* 7. 28. 1 *Paralip.* 17. 2 *Reg.* 19. 15. *Nehem.* 9. 6. II. Qui eſt ὁ θεὸς (cum articulo) ὁ ἀληθινὸς θεὸς, ὁ μέγας θεὸς, τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν, ille eſt ἀυτοθεὸς: Sed Chriſtus eſt ὁ θεὸς &c. *Iohan.* 20. 28. coll. cum *Hebr.* 2. 9. 1 *Ioh.* 5. 20. *Tit.* 2. 13. *Iohan.* 8. *v.* 9. Vbi recte Beza, *id eſt, ut loquitur pro ſuo modulo Plato*, αὐτοφῶς. Ergo eſt ἀυτοθεός. Ratio conſequentiæ eſt, quia particula αὐτος & ὁ pariter excellentiam illam notant, ſeu viam eminentiæ (ut cum dicto *Areopagita* vulgo dici ſolet) ſecundum quam eſſentia & perfectio omnis Deo tribuenda, quo à creaturis diſtinguatur; ita ut ὁ ὢν & αὐτοὼν tantundem ſit ac ὑπερουσία, quomodo *Damaſcenus* Deum vocat:

item

item ἡ ζωὴ & αὐτοζωὴ, ἡ ἀγαθότης & αὐτοαγαθότης tantundem sit ac αὐτοζωὴ, αὐτοαγαθότης, & sic in cæteris. III. Qui est οὐσία ἀναρχος καὶ ἀναίτιος, hoc est, essentia principii & causæ expers, absque principio principium & absque fine finis, Deus naturâ & per essentiam, qui est simpliciter independens, & à quo omnia dependent: ille est αὐτοθεός: Sed verum prius, ergo. Minor probatur, *primo*, quia Christus est unus, solus, æternus, magnus ille cum patre Deus: atqui summus ille & æternus Deus in scripturâ *Iesa.*40.18. 25. *Rom.*11.*v.ult. Gal.*4.8. 1 *Tim.*1.17. & 6.16. coll. cum *Iohan.*17.3. *Ex.*14. 3. talis & non alius describitur & sic ipsi Gentiles & cum atque ex iis patres passim Deum describunt quod sit ἄκτιστος, αὐτογενὴς &c. *Theodoretus de Curationibus Græc. affect. sermone* 2.*p.*25. ex Orpheo: Εἷς ἐς' αὐτογενὴς, ἀπὸ δ' ἀπὸ πάντα τέλεῖται. Vulgò nota est illa descriptio Dei ex *Iustino Martyre*, quod sit οὐσία ἀναρχος ἢ ἀναίτιος: quam etiam habet *Arminius disput. de Naturâ Dei, thesi* 9. Hæc autem descriptio Christo convenit, quia & quatenus est unus, primus & summus ille Deus: nam ratione cõmunis deitatis (quam totam habet unaquæq; persona) & communium essentialiumq; attributorum nulla distinctio cogitari debet, sed tantum ratione personę, & proprietatum personalium. *Secundo*, quia specialiter filio Dei hæc divinitatis descriptio applicatur, ipse enim dicitur *Iehova* Ier, 23. ἀρχὴ ἢ τέλος, ὁ ὢν ἢ ὁ ἦν, ἢ ὁ ἐρχόμενος, ὁ πρῶτος ἢ ὁ ἔσχατος. *Apoc.*1.8.11. coll. cum *cap.*4.8. & 10.5. & *Iesa.*43.10. & 44.6. & 48.12. IV. Qui habet vitam in se ipso, sicuti pater, ille eo respectu est & dici potest αὐτοθεός. Sed verum prius *Ioh.*5.26. Ergo. Nõ possum quin adscribam verba Corn. à Lapide Iesuitę, ex comentar. in hunc locum: *Habere vitam in semetipso tria significat. Primo, habere vitam à se suâque essentiâ, non ab alio. Dei enim essentia est vita, & vita est essentia. Deus ergo essentialiter & per essentiam est ipsa vita essentialis, increata, & immensa. Ita S.* Augustinus *hic* tract. 19. *Quid est, inquit, habet pater vitam &c.* Et paulo post: *Sic dedit & filio habere vitam in semetipso: qua Filius Deus est, idque juxta tres modos jam re-*
„*censitos*, ut vita ejus non esset egens vita, ait Augustinus, ne participando
„intelligatur habere vitã: si enim participando haberet vitã, posset & amit-
„tendo esse sine vitâ &c. Manet ergo pater vita, manet & filius vita: pater
„vita in semetipso, non à filio, filius vita in semetipso, sed à patre. Supra de
„patre dixerat habet vitam in semetipso, hoc est, non alibi habet vitam, sed
„in semetipso: vivere quippe suum in illo est, & nõ aliunde. Non alienum
„est, non quasi mutuetur vitam, neq; quasi particeps sit vita ejus vitæ, quæ
„non est quod ipse: sed habet vitã in semetipso, ut vita ipsa sibi sit ipse. Cum
„his conjuge ex serm. 38. de Tempore: *Quidquid est pater quo Deus est, quo substantia est, quo æternitas est, hoc pater, hoc spiritus s. est*, &c. Atqui pater est αὐτοθεότης, αὐτουσία & ὑπερουσία &c. ergo & filius. V. Qui est ad se Deus, quãvis

ad patrem filius, ille eo respectu est & dici potest αὐτοθεος, hoc est ipse Deus, per essentiam Deus, in se, per se, & à se Deus. Sed verum prius. Ergo. Minorem habet Augustinus serm. 38. de Tempore. *Sciendum est vero quod quædam de Deo substantialiter dicuntur: ut Deus est magnus, omnipotens, & quidquid ad se dicitur id est substantiam divinitatis significans. Quædam verò relative dicuntur, ut præter ad filium, filius ad patrem, & spiritus s. relative ad patrem & ad filium: ad se autem sive pater sive filius, sive Spir. s. Deus dicitur. Itaque pater eo quod Deus est, hoc ipso substantia est, quia ejusdem substantiæ proculdubio & filius Deus, & Spir. s. Deus. At vero Deus eo quod pater est, relative dicitur, quia non substantiæ nomen est, sed refertur ab filium Deum esse. Nec ita dicimus filium patrem esse, sicut dicimus Deum esse, quia Deus substantialiter dicitur, pater vero & filius, & spiritus s. relativè dicitur.* Et paulo post: *Et hæc trinitas unus est Deus solus, bonus, magnus, æternus, omnipotens, ipse sibi unitas, deitas, magnitudo, bonitas, omnipotentia, & quidquid ad se substantialiter dicitur. Non ita in relativis vocabulis intelligendum vel dicendum est: quia dici non potest pater sibi pater &c.* VI. Ex absurdo consequenti. Essentia filii absolute considerata quatenus una & communis est patri, filio, Spir. S., si non est αὐτοθεότης, & filius eo respectu non sit αὐτοθεός, erit ergo alia hæc essentia quam essentia patris, aut saltem ab alio à patre scil. Non est alia, essentia; quia tum tolleretur unitas essentiæ divinæ: jam vero, siquidem divina essentia, quam habet pater esset αὐτοθεότης & filii non esset, utique non tenetur una eademque essentia. Rursum, si essentia filii qua essentia communiter considerata, esset ab alio, à patre scilicet ergo erit aut genita, aut essentiata seu causata. Nõ istud, nam tunc pater produceret suam essentiam. Non illud, quia essentia in divinis nec generat, nec generatur, ut post patres unanimitur docent nostri cum Scholasticis ad *Lombard. libr. 1. dist. 5.* Nec est quod hic repetamus. VII. Adde & hoc absurdum, quod solide & feliciter errores multi circa hoc mysterium refutari, & exceptiones tolli nequeant, nisi τὸ αὐτοθεὸς cum distinctione seu limitatione illa (quam nostri adhibent) admittatur. Experiantur adversarii. Sabelliani seu Patrispassiani, personarum distinctionem in Deo negant: quod non distinguant inter personam & essentiam, substantiam & subsistentem, ut loquitur *Euseb. histor. l. 10. c. 29.* Arriani contra cum Valentino Gentile essentiæ unitatem tollunt. Gilbertus Porretanus Pictavensis Episcopus anno 1147. accusabatur, quod docuisset: Divinam essentiam non esse Deum: Proprietates personarum non esse ipsas personas; theologicas personas in nulla prædicari propositione: Divinam naturam non esse incarnatam. Idem in confessu Parisiensi asserebat: patrem alio esse patrem & alio esse Deum, nec tamen esse hoc & hoc. Videantur *Bernardus serm. 80. in Cantica*, & *Otho Frisingensis lib. de Friderico cap. 47. 47. 50. 51. 52. 53.* Baronius

ronius ad ann. 1147. n. 17. 18. 19. 20. & ann. 1148. n. 9. Thomas 1. qu. 39. a. 6. Petimus ut Pontificii sententiam Concilii Rhemensis qua in aliquibus contra Gilbertum deciditur, tueantur; & reliqua, quæ indecisa relinquuntur, probent aut improbent: & videbunt, quam necessaria ipsis futura sit explicatio & distinctio *Calvini contra Valentinum Gentilem.* Ioachimus Abbas anno 1195. contendebat contra Lombardum, essentiam generare essentiam, sicuti Deus generat Deum. De quo *c. damnamus Extravag. de Summa Trinitate.* Aggrediantur & hujus opinionis refutationem. Velimus etiam videre quomodo Genebrardum suum similesque Calvino-mastigas à syncretismo cum Arrianis immunem præstituri sint. Audiant Socinum in responso ad paræneſin Andreæ Volani p. 193. *Christum constat inter omnes non carere origine, sed sui principium patrem habere. Nam si hic Volanus ad distinctionem essentiæ & personæ confugiat, & dicat Dei filium personæ quidem ratione non carere origine, sed ratione essentiæ carere. Primum dico, hoc non videri ad rem facere: nam de ipsa persona filii Dei, cum ita à patre distinguitur, necesse est sermonem esse, & ipsa persona est Deus, ipsaque colitur, adoratur, invocatur, non autem essentia. Deinde moneo* (N.B.) *ut diligenter legat librum primum G. Genebrardi Theologi Parisiensis de Trinitate, ubi contra suos Magistros ex autoritate antiquorum explicatum inveniet, Dei filium ratione ipsius essentiæ originem à patre habere, solumque patrem αὐτοθεὸν esse, & hæreticos debere censeri eos, qui Christum αὐτοθεὸν esse contendunt.* Denique non videmus, quomodo Calvini & nostrorum distinctione *a se*, & αὐτοθεῦ rejecta, immo hæreseos notatâ, feliciter responsuri sint Pontificii, Lutherani, & discipuli Arminii ad *Iohannis Crellii* Sociniani argum. 2. *sect.* 2. *lib.* 1. *de Vno Deo patre.* Experiantur quæso. Idem dico, de *disputatione Ionæ Slichtingii* Sociniani *de Trinitate &c. adversus Meisnerum* Lutheranum *p.* 375-386. ubi operosè defendit Socinum gloriantem de syncretismo suo cum Theologis Pōtificiis, contra Calvinum, Bezam aliosque Theologos Euangelicos. *Ibid. p.* 372. VIII. Accedit, quod sentētia hæc cum orthodoxa antiquitate optime conveniat: ut fusè & egregiè ostensum est à D. Gomaro. Quibus adde *Augustinum serm.* 38. *de Tempore modo cit. Chamierus citat. Eusebium histor. eccleſiast. lib.* 10. *c.* 4. (sed locum in hac festinatione invenire non potui) ubi Christus diserte dicitur Dei παῖς γνήσιος καὶ αὐτοθεός. Et sic quidem κατὰ τὸ ῥητὸν. Sed per ἰσοδυναμίαν multis modis efferunt. Novem recensēt D. Gomarus. *Ad* 2. αὐτόζωη adde cit. autoribus Athanasium orat. de Incarnat. verbi, & Nyssen. in Cateches. majore cap. 1. *Necessarium prorsus est, ut admissa simplicitate,* τὸν λόγον *ipsam per se vitam* (αὐτοζώην) *esse censeamus, non vitæ μετουσίαν. Ad* 3. αὐτοδύναμις adde *Athanas. orat. contra Gentes. Ad* 4. αὐτοαγαθόν, adde αὐτοαρέλη & αὐτοδικαιοσύνη, *Athanas. loc. cit. Ad* 5. adde *Athanas. ibid.* & *Origenem*

rigenem contra Celsum lib. 3. p. 140. Ad. 6. adde Athanas. & Origenem loc. cit. cum quo convenit αὐτοσύνεσις apud Basil. in ps. 44. & αὐτονῦς apud Epiphanium loco aliquoties cit. 10. Sit αὐτολόγος apud Origenem, & Athanas. locis modo cit. 11. αὐλοχάεις apud Theophylact. in Ioh. 1. v. 14. Argumentis his addi possunt illa testimonia patrum, ubi per necessariam consequentiam asserunt filii αὐτοθεότητα. 12. Nazianz. sermone de Spir. s. Deum vocat αὐτογιότητα; ergo idem dici debet de filio. 13. Quia omnia essentialia Dei attributa, per additionem (ἴδιος) passim efferuntur ut αὐτοαθανασία, αὐτοφῶς, αὐτεών &c. Atqui attributa divina competunt filio & spir. s. æque ac patri. Quin & vero Deo creaturis atque idolis oppositio Gentilium imitatione applicant αὐτογένητος, αὐτοτέλεστος, αὐτογενὴς, αὐτόφυτος, αὐτολόχευτος, αὐτοπάρακτος &c. filius autem æque ipsis est verus Deus ac pater. Ergo. Certe Nonnus non veretur filium cap. 2. ad v. 12. αὐτόγονον υἱέα &c. c. 1. ad v. 14. λόγον αὐτοτέλεστον: per se existentem (quamvis Cl. Heinsius suspicetur aliud quid hic intelligendum) & spir. s. cap. 3. ad v. 6. πνεῦμα αὐτόγονον, dicere. 1x. Quin & ipsi Pontificii huic veritati testimonium perhibent. Præter Gregor. Valentiam & Bellarminum à Cl. Gomaro citatos, est Iacobus de Valentia in Canticum: te Deum laudamus: Vlterius, inquit, est cum humilitate & tremore advertendum, quod præter supra dictum ordinem respectivum, est considerandus in divinis alius ordo quasi absolutus, qui nullam distinctionem ponit in Deo, scilicet in quatũ Deus a nullo dependet causaliter, sed est à se, (N.B.) in se & propter se. Et mox: Et iste ordo, qui videtur essentialiter absolutus, non tollit ordinem respectivum: immo est simul cum illo. Gretserus apolog. Bellarm. tom. 2. lib. 5. in defens. c. 5. Personæ Christi ejusque divinæ naturæ, tam est naturale rerum omnium dominium, quam naturale est ei esse ens primum à se independens. Vasquez in 1. Thomæ. Disput. 140. c. 2. Vbi de personâ patris sic ait: Patres tam Græci quam latini admittunt græcam vocem ἀγέννητος & latinam ingenitus, absq; ulla suspicione, eamq; non ad essentiã, sed ad essentiæ seu subsistentiæ modum, & characteristicã proprietatem significandam, quam scholastici vocant notionẽ. Hic distinctio illa insinuatur; qua nostri filium dicunt a se, seu à nemine, ratione sc. essentiæ: nam ratione modi subsistendi est à patre, & solus pater dicitur ἀγέννητος. Citatur à Mortono in apologia de notis Ecclesiæ, Pineda in commentar. ad Iobi. c. 2. Sed nihil tale illic comparet. A libi forte autoris istius verba quærenda. Lindanus in Christomachia dum hoc unice agit, ut maledicat, imprudenti ipsi excidit illa benedictio in catalogo Sacramentor. p. 33., ubi de Valentino Gentili: Patrem prædicat solum esse verum Deum: filio deinde concedit Dei nomen, sed quasi precarium, quia sit essentiatus a patre, quem essentiatorem fingit (N.B.) atque αὐτοθεὸν &c. Patrem ergo solum dicit esse αὐτοθεὸν, id est, a nullo superiori numine essentiatum, sed a seipso Deum: qui vero dicit filium esse αὐλοθεὸν, is duo asserit

ſerit principia. In ſumma filiũ Dei docet impius a patre differre numero ſubſtantiali, hoc eſt ſubſtantialiter alium a patre. Vnde duas facit eſſe ſubſtantias, ſed filium non habere αὐτουσίαν, uti pater. Concludimus verbis Bellarmini l. 2. c. 19. indicatis à D. Gomaro, quæ hic deſcripta exhibemus: *Sed quamquam hæc ita ſe habeant, tamen dum rem ipſam excutio Calvini ſententias diligenter conſidero, non facile audeo pronuntiare illum in hoc errore fuiſſe: ſiquidem docet filium eſſe a ſe reſpectu eſſentiæ, non reſpectu perſonæ: & videtur velle, perſonam eſſe genitam a patre, eſſentiam non eſſe genitam nec productam, ſed eſſe a ſe ipſa, ita ut ſi a perſona filii removeas relationem ad patrem, ſola reſtet eſſentia, quæ eſt a ſeipſa.* Deinde rationibus nonnullis ſatis ſolide & perſpicue evincit Calvinum, aut Bezam, aut Simlerum à veritate catholica hic non diſceſſiſſe: quamvis poſtea phraſin Calvini caſtiget, ſed admodum imperite: Partem verborum Bellarm. exſcribit, & judicium ejus laudat *Poſſevinus in apparatu ſacro p. 639.* in voce *Gilbertus Genebrardus.* Et quia nonnulli ex Lutheranis olim hic peccatum à noſtris putarunt, cõmonſtramus ipſis verba Meiſneri Philoſ. ſobriæ part. 2. ſect. 1. c. 2. q. 2. *Bellarm. l. 2. de Chriſto c. 19. taxat eos qui filiũ Dei vocant αὐτοθεὸν. Oritur autem erroris ſuſpicio ex æquivocatione vocabuli. Nam αὐτοθεὸς duplicẽ ſenſũ habet. Opponitur enim primo productioni perſonali, notatq; Deum prorſus ἀγέννητον & improductũ qui à nullo eſt nec per cõmunicationem accipit divinam eſſentiã. Hoc ſenſu ſolus pater eſt αὐτοθεὸς. 2. Productioni temporali, & ſignificat Deum, qui habet divinam eſſentiã increatã ſine omni ortu temporis. Hoc ſenſu & filius & S. S. eſt αὐτοθεὸς. Ipſa enim divina eſſentia nihil eſt aliud quam αὐτοθεότης &c. quæ ſibi ipſi & per ſeipſam & in ſeipſa eſt quod eſt &c. Atq; hoc eſt quod alii dicunt, divinitatem conſiderari dupliciter. 1. ratione* ſui eſſe. *2. ratione* modi habendi. *Quoad eſſe ſuum recte vocatur αὐτοθεότης &c. eoq; ſenſu filius, cũ verè ſit Deus increatus, ob hoc ipſum merito appellatur αὐτοθεός. Quoad modũ habendi diſtinctio quædã oritur inter perſonas. Pater enim deitatẽ à nullo accepit, Filius a patre &c.* Et poſt. *Breviſſime filius eſt αὐτοθεὸς reſpectu eſſentiæ increatæ; non eſt in relatione ad patrem &c. habet quidem αὐτοθεότητα ſed non a ſeipſo &c. Quod unũ ſi conſideraſſet Bellarm. in culpãdo tam temerarius, & in judicando tam iniquus non fuiſſet.* Idem *Meiſnerus* pluribus & ex profeſſo ſententiam noſtrã, & dicta Calvini à Socino oppugnata defendit apud Slichtingium *loc. cit.* ubi vide quæſo. *P. Tarnovius de Trinit. c. Socinũ c. 8.* quãvis Calvinum nõ nominet, rem ipſam tamẽ habet, diſtinguẽs Chriſtum eſſe *αὐτοθεὸν* nõ *ὑποστατικῶς* ſed *ἰδιωδῶς*; habere eandẽ omni ſciẽtiã, reliquaq; attributa divina ex ſe, non quidem ratione perſonę (quod perſona ejus ſit à patre) ſed ratione eſſentię. Deniq; Arminii judicio opponimus *Vorſtiũ*, qui *in Anti-Bellarm. ad cont. 2. l. 2. c. 19.* phraſin Calvini tuetur: addens implicare cõtradictionem ſi negetur is eſſe *αὐτοθεὸς*, qui totã divinã naturam à ſeipſa exiſtentẽ neceſſario, naturaliter, ab omni ęternitate poſſideat. x. Claudat ag-

men consensus nostrorum, ne quis putet, unum forte atque alterum genio suo & χαυοφωνίαις magis studuisse, quam communis veritatis necessariæ defensioni. *Calvinum in Institut. lib. 1. c. 13. in refut. Gentilis*, & *epistol.* 351. ac *Bezam epist. ad Polonos, Simlerum in lib. de Filio Dei*, ita docentes quāvis insectarentur nonnulli) secuti tamen sunt cōmuniter nostrarum ecclesiarum Doctores, *Daneus Isagoges part. 1. cap. 9. Perkinsus in explicatione symboli, Keckerm. in system. Theol. Trelcatius filius in loc. commun.* Idemque in *disp. de Persona Christi* in Acad. Lugduno Batava propos. 12. Iulii anno 1603. Respondente Ieremia Pours, ubi thesi 5. sic loquitur: *Prima persona* secundę *non essentiam absolutam (illius enim respectu hæc persona est à seipsâ & αὐτοθεὸς) sed modum essentiæ dedit modo incomprehensibili, quem generationem vocant scripturæ* &c. *Tilenus & Polanus in syntagm. VVollebius in compendio Theol. Henricus Salcobrig. in Becano-baculo pag. 22. Altingius in collegio Disputat. Theolog.* Eodem sensu puto dictum esse à *Grynæo Disput. Theologic. Disp. contra Ebionitas*, filium esse ἀϊδιώτιον καὶ ἄναρχον ratione essentiæ. Theologis istis adde πολυμαθέστατον *Schriverium* in notis ad Cl. Heinsii Hymnum in Christum nostrate lingua decantatum, ubi p. 23. ita ait: *Author noster duobus his versiculis proprie expressit quod scil. græci Theologi prædicāt de Filio, esse sc. illū αὐτοθεὸν non ἀνθρωπον, Deum à se ipso, non vero filium à seipso.* Imprimis autem hic in gratiā iuniorum indicādi Doctores illi, qui ex professo & sentētiā & phrasin Calvini contra adversarios tutati sunt, quoquot mihi legere contigit. Suntq;, *Daneus tract. peculiari contra Genebrardū qui cum epuſculis ipsius in fol. editus est ubi c. 1. p. 1314. a.* omnes orthodoxos Theologos Germanos, Helvetios, Anglos, Gallos, Italos qui tū vivebāt, & postea vixerāt çū Calvino sentire docet. *Zanchius in epist. lib. 1. pag. 43. Chamierus Panstrat. tom. 2. lib. 1. cap. 3. & 4. Ministri collatores* in disputatione Tiranensi in Rhætia anno 1595. *parte 4. pag. 295. 302. 378.* & hi quidem paulo fusius: sequentes vero brevius, *Zadeel contra Burdegalenses artic. 1. Iac. Lectius IC. præscript. Theolog. adversus Fabrum lib. 4. negatione 4. Pareus Calvini orthod. lib. 1. c. 9. Mortonus apolog. Cathol. de Notis Eccles. lib. 1. c. 52. Author Turco-papismi lib. 3. p. 459. VVittakerus contra Campianum rat. 8. Franc. Iunius ad Bellarmin. lib. 2. cap. 19. & ad præfat. notâ 20. Vorstius in Anti-Bellarm. ibid. Amesius Bellarm. enervat. part. 1. disp. 16. Rivetus in Genesin Exercit. 14. Altingius Theol. Problemat.* M.S. *loco* 3. 32. Adde ex Lutheranis *Meisnerum & Tarnovium* supra *cit.*

Pag. 447. lin. 13.

Objectiones adversariorum facile erit diluere ex iis, quibus *Chamierus* Bellarmini, Claud. de Sainctes Salmeronis ratiunculis & exceptionibus satisfacit: Ministri Rhætici itidem uni atque alteri adversariorum suorum. *Zanchius* dum dubia eximit amico, ad quem scribit, presse, accurate & schola-

ſcholaſtice, nihilominus perſpicue omnem difficultatem tollit. *Genebrardus* dum hoc agit, ut 8. argumentis hereſin aliis imponat omnium turpiſſime ſe dedit; nec Scholaſticis, nec patribus, nec ſcripturis, nec rationi ſatis conſentanea effutiendo: quæ præter Danæum, peculiari reſponſo magnam partem detegit antagoniſta ejus *Iac. Scheckius Philoſophus* in *Antiſimonio*, *c. ult. Iacobus Arminius* novi nihil producit, quod ab autoribus jam cit. imprimis à Zanchio non ſit abunde refutatum. Et ipſe in 31. *articulis art.* 21. plus videtur concedere, quam in *Declaratione*; & magis diſputare adverſus peculiarem phraſin & hypotheſin Trelcatii (de qua infra) quam adverſus communem ſententiam. Suffecerit ergo à nobis fontes ſolutionum junioribus indicari, dubiis aut ab aliis motis aut ſibi ſuborientibus facile applicandos. Sunt autem partim hypotheſes, partim diſtinctiones. Illæ ſunt 1. Dei eſſentia eſt una individuo, ſeu ſingulariſſime; Itaq; non eſt in ea eſſentians & eſſentiatum, nec habet filius eſſentiã à patre per multiplicationem: ſed habet unã & eãdem eſſentiã, quæ illi cum patre eſt cõmunis. II. Deus eſt ens primum & indepẽdẽs, eſt πρᾶγμα ἀνθύπαρχλον id eſt, *res quæ per ſe eſt*, ut *Cyrillus* in ἐνδέσει Dei eſſentiam definit. III. Non habet ergo à ſeipſo, nec aliunde originem ſuam, ut docet *Chryſoſt. libr. de Incorporeit. natura Dei*; & *Baſilius lib.* 1. *c. Eunomium*, ubi ait, hoc ſemper in confeſſo fuiſſe apud omnes, Deum neque à ſe neque ab alio exſtitiſſe. Hinc forte ibidem, & *Athanaſ. in dialogo Orthod. & Anomoei* aliique patres rejiciunt τὸ ἀγέννητον ſoli patri tributum. IV. Et hac ratione eſſentiam, divinam recte dici αὐτοθεότητα, & Deum αὐτοθεόν. V. Perſona diſtinguitur ab eſſentia, & perſonæ diſtinguuntur inter ſe; ut & proprietates ac prædicationes eſſentiales, à perſonalibus, ſeu notionalibus, ut vocant Scholaſtici. VI. Eſſentia in divinis non gignit aut gignitur, ſed perſona: Gignit pater in, de, & ex eſſentia ſua, quæ eadem eſt cum eſſentia filii. VII. Poteſt ergo dici eſſentia à patre communicari, dari, & à filio ex communicatione ſeu datione illa accipi, & haberi. Breviter, gignit perſona patris perſonam filii per communicationem ejuſdem eſſentię. VIII. Pater eſt αὐτοθεός, utroque reſpectu & eſſentialiter & notionaliter. IX. Eadem quæ dicuntur de patre reſpectu eſſentiæ ſeu eſſentialiter, filio conveniunt. Athan. c. Arrium orat. 4. *Cum igitur unum ſint, unaque ſit illis deitas, eadem dicuntur de filio, quæcunque dicuntur de patre; excepto quod pater non appellatur.* Diſtinctiones ſunt. 1. Perſona in divinis tripliciter conſiderari poteſt, *communiter* in eſſentiâ, quâ Deus eſt; *ſingulariter abſolute* in perſonâ, quâ ſubſiſtit in unitate eſſentiæ; *relative*, in diſtinctione & ordine unius perſonæ ad aliam. Hæc eſt diſtinctio *Fr. Iunii*. II. In divinis duplex ordo conſiderandus: unus reſpectivus ad perſonas, qui reſpicit ſingularum perſonarum pe-

rum peculiarem ὕπαξιν & subsistentiam ; alter ordo causalis , essentialis , & dependentiæ : Sic *ministri Rhati in disput. Tiranensi.* III. *Habere essentiam ab alio* cum dicitur, notandum τὸ *habere* multa in se complecti, & eum qui habet, & eum à quo habet, & modum quo habet, & id quod habet. Quæ accurate sunt distinguenda. Sic *Zanchius.* IV. Particula reduplicativa *quatenus*, inventa est, ut per hanc mente separentur, quæ reipsa separari non possunt. *Idem.* Hæc male & improprie in hâc disputatione usurpata, cõfusionis ac erroris causa est: quod in amico suo notat *ibid. Zanch.* Et hoc solum Arminium hallucinari fecit, quod distinctionẽ cõceptuum seu rationum formaliũ essentiæ & personalitatis admittere noluerit, quia sc. videbat realiter & in existentia nõ separari essentiã à persona, nec vice versa. Cõferenda & repetenda hic, quæ Scholastici & recentiores tum Pontificii tum nostri inculcant de sensu identico & formali, & distinctione essentiæ ut sic à persona patris aut filii, aut spiritus sancti ut sic. Nos etiam alibi in *disputatione de adoratione Christi qua mediatoris* pluribus explicuimus τὸ *quatenus*, & *qua*, & *formale*, *formalitatem* &c. ubi & Remonstrantes Arminii discipulos ad partes adducimus: ut constet rationes formales personæ & essentiæ necessario distinguendas esse. V. Filius non est Deus, *quatenus* habet essentiam *hoc modo*, à patre scil, generante (nam tum pater & spir. s. non essent Deus) ; sed *quatenus* habet essentiam seu deitatem absolute & simpliciter. Rursum filius est filius non *quatenus* habet essentiam Dei seu deitatem (nam tum pater & Spiritus s. pariter essent filius , quia habent eandem ditatem) sed *quatenus* habet essentiam *hoc modo*, communicatam sc. à patre generante. *Idem Zanchius.* V. Filius αὐτοθεὸς dicitur , quia habet essentiam divinam quæ est à seipsa, non vero quia eam habet à seipso ; habet enim à patre *Iohann.* 5. Sic communiter distinguunt. Diversimodè tamen efferunt. *Alii* : Filius quà filius non est αὐτοθεὸς ; sed quà Deus ὑποδῶς seu qua deitas & essentia divina est αὐτοθεός. *Alii* : Filius est αὐτουσία, αὐτοὼν, absolute habita ratione essentiæ (est enim deitas αὐτοθεότης, αὐτουσία) non vero relate habita ratione personæ. *Alii* distinguenda est consideratio, qua filius comparatur cum persona patris, ab ea qua filius absolute consideratur tanquam Deus. *Alii*, Filius est αὐτοθεὸς quatenus consideratur *ad se Deus* ; non est, quatenus consideratur Deus ad patrem. *Alii*, Quoad essentiam vel κατ' οὐσίαν, filius est expers principii (est enim essentia divina ἄναρχος ; & eandem habet filius cum patre) : sed quod ad propriam subsistentiam non est. *Alii*, Essentia Dei consideratur communiter vel singulariter: illo modo est æqualiter in patre, filio & spir. s. ; posteriori modo est in patre ἀγεννητῶς, in filio γεννητῶς, in Spir. s. ἐκπορευτῶς. Sic *Alstedius in Distinctionibus Theol. c.* 3. Idem, Esse patris & esse patrem, item esse

filii

filii & esse filium differunt: priori formula significatur essentia deitatis quæ tribus personis communis; posteriori character essentiæ, qui cuilibet personæ est proprius. *Alii*, Filius est Deus à se & per se quantum ad essentiam; non est Deus à se & per se quantum ad filiationem. Distinctionis autem hujus quintæ veritatem & necessitatem patres passim incultant, & cum iis adversarii supra citati *Bellarm.*, uterque *Valentia*, *Vasquez*, *Corn. à Lapide* & ante illos Scholastici: nec ipse *Arminius in resp. ad artic.* 31. multum abnuere potest; quamvis in Declaratione p. 63. 64. dicat contradictoria nulla distinctione conciliari posse, esse *nova loquendi genera, novas opiniones, quæque consistere etiam nullo modo possint. Filius enim, & qua filius & qua Deus, deitatem à patre habet* &c. & mox: *Si eam à seipso habet, quatenus absolute ea consideratur; non potest illa ei cõmunicari; si ei cõmunicata est, quatenus relate ea consideratur, non potest eam absolute consideratam à seipso habere. Rogabor forte utrum non fatear, duo hæc distincta inter se esse. Vtiq; sane: sed cũ ulterius proceditur, dicturq; quod sicuti filium Dei esse, significat à patre essentiam suam habere; ita Deum esse nihil aliud significat, quam essentiã suã à seipso habere aut à nemine; id vero pernego: simulque dico magnum hoc esse ἁμάρτημα, non solum in sacra Theologia, sed etiam in naturali philosophia. Nam filium esse, & Deum esse optime inter se conveniunt: à patre vero essentiam suam habere eamque simul à nemine habere, contradictoria sunt seque mutuo perimunt.* Et post, p. 64. *Si ita agere visum est, nihil tam prave dici poterit, quod non poterit excusari.* Et infra: *Nullo igitur modo tanquam bene dictum excusari potest, filium αὐτοθεὸν esse.* Sed puto imprudenter totum mysterium trinitatis everti, aut defensionem ejus contra Valent. Gentilem aliosque Arrianos deseri, cum rejicitur distinctio inter prædicationes seu attributa *essentiæ in se, simpliciter, absolute, & ut sic consideratæ*: & inter prædicationes seu attributa *essentiæ consideratæ restricte in certa propria aliqua subsistentia & relate ad aliam subsistentiam* seu personam. Absit tamen ut *Arminio* (cujus alii errores non ignoti sunt) aut hæresin aut voluntariam causæ proditionem hic impingam; ut quidem *scripta* ejus jam *cit.* collata cum *Disputation.* tum publicis tum privatis suadent nihil deterius de illo sentiendum, quam de Pontificiis, & Lutheranis qui circa τὸ αὐτοθεὸς a se *Deus* pariter cum illo hallucinati sunt. Sed si Theologis non Antitrinitariis rancida illa sophismata: (*Deus seu essentia Dei est pater, Filius est Deus*, Ergo: & *Vnus & solus verus Deus est primus: filius est unus solus verus Deus ergo: & consequenter non est ordine secundus in subsistendo aut operando*) Perspicue solvenda proponantur, ilico confugient ad distinctionem nostram, atque una necessitatẽ particularum *qua, quatenus, sub hoc formali, respectu hoc aut illo*, in distinguendis notionibus & prædicatis personalibus ab essentialibus (quæ tamen in re non separantur, nec separari possunt) agnoscent. Quin

ipſe Arminius p.64. monet: *quãvis Deus & eſſentia divina non differãt ὑποδῶς nequaquã tamẽ quidquid de eſſentiâ divina prædicari poteſt, idem de Deo prædicari poteſt: quia noſtro cõceptus modo ea diſtinguuntur: ad quem tamen omnes loquendi modi exigi debent.* Idem applica ad notiones eſſentiæ, perſonalitatis; perſonæ, filii, Sp. ſ. Concipe in filio diſtincte, 1. eſſentiam divinam. 2. perſonalitatem & perſonam. 3. perſonam iſtam, filium ſcil. & filiationem: applica ſingulis tum attributa communia deitatis, tum propria attributa perſonalitatis, & filiationis: & ſponte offeret ſe noſtra diſtinctio. Audiatur Athanaſius Dial. 1. De Trinit. *Nequaquam ſane differt reſpectu Dei, ſive in Deum eſſe. Sed in eſſe patrem, & eſſe filium; Quoniam ille quidem genuit: ille vero genitus eſt.* Sed pergamus ad reliquas diſtinctiones. VI. Aliud eſt diſtingui conceptibus *deitatem* in abſtracto, à *Deo* in concreto ratione attributorum perſonalium & propriorum: & aliud diſtingui eadem ratione attributorum communium ſecundum unam eandemque deitatem. Si poſteriori reſpectu ita diſtinguantur, ut deitati in *abſtracto* quid tribui poſſit (ex gr. αὐτουσία, αὐτοών, αὐτοθεὸς) quod Deo in *concreto* non ſit tribuendum (ut velle videtur *Arminius*) utiq; manifeſte cauſa *Val. Gentili* traditur. VII. Aliud eſt negare filii eſſentiã eſſe genitã, & aliud filiũ eſſe genitũ per cõmunicationẽ eſſẽtię. Vulgatũ illud Athanaſii: *Filius quidquid habet naſcibiliter habet, nec tamen natũ.* VIII. Aliud eſt negare filii eſſentiã eſſe ortã & productã ab eſſentia patris (hoc eſt eſſentiatã ſecundũ *Valent. Gentilẽ*): & aliud negare, eã eſſe à perſona patris per communicationem ejuſdem eſſentię. IX. Aliud eſt negare filium Dei certo reſpectu (reſpectu ſcil. eſſentiæ abſolute conſideratæ) eſſe ab ab alio (quippe αὐτοθεὸν): & aliud filium ullo modo, aut etiam *qua* ſeu *quatenus filium* eſſe ab alio. Sic aliud eſt negare Dei eſſentiam ſeu deitatem quę eſt in filio ęque ac in patre, *qua eſſentiam & ut ſic, in ſe, abſolutè* conſideratam eſſe ab alio; & aliud eſſentiam illam *qua*, ſeu *quatenus*, ſeu *ut* eſt in filio, eſſe ab alio. In una quæſtione quæritur quid, quis, quale ſit à ſe? & reſpondetur deitas, Deus, filius qui eſt æterna deitas, unus Deus cum patre & filius patris: (nonnulli abuſive & laxe particulam (qua) ſumendo dicerent agi de *quâ ſpecificativo.*) In altera quæſtione quæritur, *quâ*, quatenus, quo reſpectu, ſub quo formali dicendus ſit eſſe à ſe, aut non eſſe à ſe? Et reſpond. eſſentiam quâ eſſentiam eſſe à ſe, non vero filium qua filium; item Deum filium quâ filium eſſe ab alio, nõ vero deitatẽ ſeu eſſentiam filii quâ eſſentiam, ſeu qua talem. Et hęc eſt propria acceptio ſyncategorematis (qua), quam vocant *reduplicativam.* ex. g. Deus de Deo, lumen de lumine, aut eſſentialiter exponitur (& ſic *Valentin. Gentilis*): aut perſonaliter, ut ſit ſenſus: Deus, ſecunda ſcilicet perſona, ſeu patre, qui eſt Deus. Priorem expoſitionem rejicimus, poſteriorem probamus.

Vide

Vide *Augustin. serm.* 38. *de Tempore p.* 639. 640. edit. Basilienſis.

Pag. 449. *lin.*

Quamplurimæ ejuſmodi ἀκυρολογίαι, & duriuſculæ phraſes ex patribus colligi poſſent: ſiquidem hujus eſſet inſtituti. Cl. *Heinſius exercitat. in Nonnum pag.* 67. 68. 87. 88. in autore illo nonnullas notat: Et *Elmenhorſt. in Gennad. p.* 107. plures congeſſit *Iulius Gabrielius in ſcholiis ad apol. Nazianz. pag.* 445. 452. Ex antiquiſſimis patribus *Dionyſ. Alexandr. Athanaſ. Ambroſius* &c. noluerunt perſonaliter patri tribui τὸ ἀγέννητον: Sed quo ſenſu, & quo reſpectu ad adverſarios, hoc tum factum ſit; ex recentioribus docte oſtendit *Vaſquez in* 1. *Thomæ diſput.* 140. *c.* 1. & 2. Confer notata ab *Elmenhorſt. p.* 208. 209. Vnum ſolummodo hac occaſione monendum cenſeo ne juniores impingant, in locis comm. Lucæ Trelcatii junioris in 4. Lugd. Batavor. 1604. editis, & anno. 1621. ad illam editionem recuſis Hanoviæ apud Petrum Antonium in 12. perperam ſcriptum eſſe: *cum eſſentia ſit* ἀυτουσία *illiuſque reſpectu tres in divinitate perſonæ* αὐτοθεοί *ſint.* Dicendum eſt αὐτοθεὸς juxta regulam Auguſtini ſerm. 38. jam cit.: *Quid ergo ad ſeipſum dicitur Deus, & de ſingulis perſonis dicitur, de patre, & de filio, & de ſpiritu ſ. & ſimul de ipſa trinitate non pluraliter ſed ſingulariter dicendum eſt &c.* Et emendaturum ſe promiſerat eximius vir, quod præter *Arminium loc. cit.* teſtatus eſt mihi Theologus fide digniſſimus D. Gomarus. Addo in *locor. commun.* editione Leidenſi in 8. (cui D. Feſtum Hommium præfuiſſe arbitror) de facto ex mente & voto D. Trelcatii ita emendatum eſt: *illiuſque reſpectu unaquæque trium in divinitate perſonarum* αὐτοθεὸς *ſit.* Idem *Trelcatius ibid.* cum *Keckermanno* in *ſyſtem. Theolog.* negare videtur communicationem eſſentiæ: quos ſequitur *Maccovius in Metaphyſica, cap.* 8. ubi contra Arminium determinat, à patre non communicari eſſentiam, ſed perſonalitatem. Sed ἀκριβῶς hic loquēdum eſt: gigni ſcil. perſonam per communicationem eſſentiæ; & autores illi excuſandi: quod putemus illos communicationis vocem phyſicè nimis accepiſſe; & reſpexiſſe ad Valentin. Gentilem. Quod præterea doctiſſ. alioquin philoſophus *Keckermannus* definitionem perſonæ in divinis (quamvis intentione minime mala) fruſtra interpolare conatus ſit doctiſſimè oſtendit venerandus præceptor meus D. *Gomarus* in *diſp. de Trinitate*: quas ut cum aliis aliquando bono publico recudendas dare dignetur nomine multorum φιλομαθῶν obnixe ab humanitate ejus contendo: Deum precatus ut ipſum alioſque fideles Dei ſervos, cum eccleſiis noſtris in cultu & profeſſione Dei unius & trini per gratiam ſpiritus ſui conſervet.

P. eadem. lin. 24.

Vbi notantur phraſes Lactantii & Syneſii. Adde, quod *Poſſevinus in apparatu*

paratu ſacro in voce *Gilb. Genebrardus* non minus duras phraſes Auguſtini, Hieronymi, omneſque alias patrum, quibus Deum dicunt cauſam ſui ipſius cum *Zwarezio* ſic exponendas judicat, ut à ſe & αὐλοθεός ſit, negative hoc eſt habens eſſe ſine emanatione ab alio : ita ut per illam negationem declaretur poſitiva & ſimplex perfectio illius entis, quod ita in ſe & eſſentia ſua claudit ipſum exiſtere ut à nullo illud recipiat : quam perfectionem non habet illud ens, quod eſſe non habet, niſi illud ab alio accipiat. Hæc ille. Nos ſupra τὸ *Ipſe* & *à ſe* expoſuimus *not.* 1. *ad p.* 443.

Benevolo Lectori.

DIatriben eximii theologi & præceptoris noſtri D. Gomari primus Ultrajecti anno 1639. typis deſcribendam dedi, notis illuſtravi, & publicâ diſputatione ventilandam propoſui bonâ cum ipſius veniâ. Quod moneo, ne quis anxiè quærat, cur & quâ occaſione eam cum meis theſibus nunc edam. Verba ipſius ex epiſtola ad me 16. Januarii 1639. hic exhibeo : *Quare mihi eſſet dolori non exiguo ſi quid ex meis illis dictatis in lucem prodiret ſine mea qualicunque & materiæ & ſtyli limâ. Interim ne amico integerrimo nihil tribuere videar, patior ſane ut quæ de* αὐτοθεῷ *habes, conſultis autoribus adductis, corrigas & illuſtres, iis præmiſſis vel ad finem adjunctis, quæ tibi pro eruditione tua placebunt.* Et ex epiſtol. 25. Maji 1639. poſtquam ei exemplar diatribes ad diſputandum propoſitæ miſiſſem, ſic reſpondit. *Grata eſt tua in materia* περὶ αὐτοθεότητος *illuſtranda accuratio.* Hæc ideo etiam adducere volui, ne quis ſiniſtrè interpretetur, quod diatriben D. Gomari nunc demum poſt operum ipſius editionem exhibeam prout antehac in Acad. Leidenſi ex ore dictantis eam juxta cum aliis ſtudioſis exceperã : à quâ nonnihil variat illa quæ cum operibus poſt obitum ipſius anno 1644. edita. Ut tamen verum fatear, maluiſſem ſuppreſsâ priori editione à me anno 1639 ſic procuratâ, poſteriorem anni 1644. expreſſam fuiſſe : niſi typographus non ſatis tempeſtivè monitus magnâ parte prioris excusâ conſilium hoc meum præveniſſet.

De Neceſſitate & Vtilitate dogmatis de SS. TRINITATE.

Reſp. PETRO IOHANNIS SAANVLIET Amſtelredamenſi.

Ad diem 16. & 23. *Februar.* 1639.

Qui clanculum ſubruunt dogmatum Chriſtianorum veritatem, plerumque prius in quæſtionem vocant eorundem momentum & pondus, ut homines in ſecuritatis ſomnum inducti, tanto facilius veritatem illam excuti ſibi patiantur, nec decertent pro fide, qua ſemel data eſt ſanctis. Hodiernos Anti-Trinitarios narcoticis ejuſmodi nimis quam familiariter uti videas: neque id omnino fruſtra, obſtetricante quippe & ſuccurrente ipſis profani hujus ſæculi Epicureiſmo & Libertiniſmo. Nos itaque pro veritate, Eccleſiâ, & utriuſque autore Deo uno & trino, quamdiu vita ſuppetit, decertaturi & juniores in hac palæſtra pro modulo ingenii & con-

conſcientia officii noſtri exercitaturi, differemus breviter. I. *De Neceſſitate Dogmatis de Trinitate.* II. *De ejuſdem utilitate, ſeu praxi.* III. *Subjiciemus conſectarium, de Anti-Trinitaria hæreſeos tolerantia.*

AD accuratiorem quæſtionis primæ enodationem duo præcognoſcenda. I. Quid ſit dogma de Trinitate. II. Quid ſit dogma neceſſarium, ſeu articulus (ut vocant) fundamentalis. I. *Primo*, Dogma de Trinitate notat non tam negativam & elencticam Theologiam, quam poſitivam ſeu aſſertivam; non tam rationem hanc aut illã, quam ipſas Theſes, propoſitiones, ſeu aſſertiones; non tam hypotheſes aliaſque theſes minus principales, quam principales Theſes; non tam modum & methodum grammatice, rhetorice, & logice dogma illud explicandi, quam ipſam rem explicatam: non tam formam ac modum per philoſophicas & logicas notiones, diſtinctiones; & axiomata dogma hoc contra pſeudo-rationarios quoſcunque tutandi, eorum ſubtilitates perſequendo & ad abſurdum redigendo, breviter non tam antemuralia quædam, quam ipſam arcem veritatis, quam ſimplicitate & ſoliditate fidei inſident & inſidere docentur omnes Chriſtiani, etiam infantes & lactantes; non tam particularem explicationem hujus aut illius Doctoris ſive ſcholaſtici ſive eccleſiaſtici, ſive antiqui ſive recentis, (quamvis hac in parte ὀρθοδοξωτάτου) quam communem & catholicam Chriſtianiſmi & antiqui & hodierni (ut ut in multis aliis miſere diſtracti) fidem & profeſſionem publice & privatim ubique ſonantem: de quà veriſſimè uſurpare liceat illud Vincentii Lyrinenſis: *Quod omnes, quod ubique, quod ſemper.* Hæc antitheta autem ſic accipi volumus non quaſi alterum membrum ſuſque deque habeamus: ſed tantum ut oſtendamus pii alicujus præſertim idiotæ ſincera profeſſione circa πρῶτον & abſolute fundamẽtale recte ſe habente, nec juſta ſuſpicione in contrarium laborante, multum à fortioribus & poſſe & ſolere conniveri ad hallucinationes, ignorantias; dubitationes, confuſiones circa alterum antitheti membrum: *tum* quia defectus ſuos deplorãs docilem ſe præbet, *tum* quia vera fide habet & tenet granum illud ſinapi, hoc eſt minimũ illud veritatis ſalutaris præcisè ad communionem eccleſiaſticam & animæ ſalutẽ neceſſarię. Quod conſiſtit in his theſibus capitalibus. I. Eſſe tres revera diſtinctos, patrem ſc. filiũ, & Spir. ſ. non diſtinctos ut nomina, aut attributa, aut ut operationes, officia, ſeu munera unius ejuſdemque perſonæ; ſed ſic diſtinctos ut ſint & poſſint dici alius & alius: hoc eſt, eſſe diſtinctas hypoſtaſes. 2. Et tres illos ac unumquemq; eorum eſſe unum illum verum Deum creatorem, cõſervatorẽ, redempto-

I.

demptorē; quem una religione colimus. 3. Esse ordinem ut subsistentię, ita & operationis istarum hypostaseων. Patrem scil. esse à nemine, filium esse à solo patre per generationem; Spir. s. per processionem à patre & filio. Vide Symbola Conciliorum, & Harmoniam Confessionum. Alia autem ratio est adultorum & perfectorum (ut vocantur *Hebr.* 5. *Phil.* 3.) nominatim Doctorum, imprimis si ecclesia hęresibus θύελλαν circumfundi, aut intus turbari incipiat, aut illi mordicus & ex professo illa δευπήρως, ὑποθετικῶς, & ἐπομένως necessaria oppugnent ac oppositos cōceptus & opiniones suas cupide ἐυκαίρως ἀκαίρως spargant. Quamvis enim idem fundamentum fidei habeant cum simplicioribus, non tamen in iis ignorantiæ, & dubitationes illę ita transmittendæ, ut justis præsumtionibus ad uberiorem πρώτου fundamentalis declarationem, & δευτέρου discentiam adigi nequeant, ne tandem excusso πρώτῳ fundamentali, & larva hypocriseos abjecta maligni & peccantes illi humores in gravem ac periculosum totius ecclesiastici corporis morbum aliquando erumpant. Quin & Doctorem aliorum, per recidivam hanc ignorantiæ & dubitationis, quamdiu ea laborat, simpliciter ad dispensationē mysteriorum fidei ineptum putamus. Quomodo enim eam dextre & plene explicabit? quomodo eam solide contra adversarios tuebitur? Neutiquam autem hic intelligimus per dogma Trinitatis, aut ad illud referri patimur fallas quorundam hypotheses; audaces & incertas conjecturas potius quam assertiones; argumenta, si quæ sunt nugatoria & straminea quibus causa potius tradi videtur, quam defendi; inexplicabiles & vanas subtilitates quibus seipsos implicant magis quam explicant; Quæ omnia tanquam nævos & strumas à systemate & corpore hujus doctrinæ distinguimus. Quantus autem sit error eorum qui talia urgent, aut aliis tanquam primò aut secundò necessaria obtrudunt, hic non est dicendi locus. Sufficit hic præcognosci, non esse illa partem aut appendicem hujus fundamenti, nedum ipsissimum fundamentale hujus dogmatis. 11. *Secundo*, Necessarium hic dicit necessitatem finis. Potest autem ea intelligi dupliciter 1. vel necessitas professionis dogmatum ad externam unionem & communionem ecclesiasticam, in externa, visibili, & particulari ecclesia. 2. vel necessitas fidei istorum dogmatum ad communionem internam & invisibilem cum Christo, & æterna salute per ipsum; seu cum Dei gratia & gloria. Distinctionem hanc pluribus explicuimus, & probavimus in *Disp. de Articulis & erroribus fundamentalibus*. Opponitur autem necessario seu fundamentali dogmati ex sensu adversariorum doctrina quælibet Theologica minus principalis; sive ea sit problematica in scholis & ecclesiis: de qua per libertatem prophetandi liceat in utramvis partem modeste sentire & pro re nata dicere; sive saltem sit talis, de qua etsi cum ædificatione ecclesiæ in utramvis partem

non

non ita conveniat differere, non impedit tamem error circa illam : quo minus quis in communionem ecclesiastici cœtus recipiatur, aut siquidem existens jam membrum ecclesiæ ad errorem illum deflexit, in ea retineatur. Quæritur autem utra necessitas hic intelligatur. Nos præsuppositio, semper eas distingui, & alicubi separari; hic tamen utrãq; conjungimus, & statuimus tam ad salutem æternam seu internam communionem cum gratia & gloria Dei, quam ad communionem externam cum ecclesia visibili & particulari ejusque privilegiis necessarium esse, ut quis corde credat & ore confiteatur mysterium Trinitatis. Confessionis autem & cognitionis evidentia, constantia, ubertas, quam latitudinem admittat, & quomodo gradibus varietur distincte indicavimus in *Disputat.* modo cit. *de artic. & error. fundamentalibus.* Remonstrantes doctrinam hanc faciunt problematicam, hoc est, talem, ut veritas ejus simpliciter ignorari, insuper rationibus, exceptionibus, adhæc consequentiis in Ecclesiis Christianis modeste scil. oppugnari, & contraria sententia proponi atque urgeri possit, salva unione & fraternitatee ecclesiastica. Ratio autem palmaria hæc est, quia hactenus illi credere non possunt, nec à quoquam probatum vident, Deum Anti-Trinitarios à salute excludere, & consequenter illos à fraterna communione Ecclesiæ non esse arcendos. Hanc opinionem ipsorum colliges *primo* ex *Apologia cap. 3. fol. 53.* coll. cum *præfatione N. N. ad Remonstrantes*, apologiæ præmissa, *signo. 2. fol. verso.* Et *ibid* examine *præfat. fol. 6. verso & fol. 19. Deinde* ex *Responso ad Excerpta DD. Prosef. 85. Tertio* ex *Vedelio Rhapsodo lib. 1. c. 6. 7. 8.* Ex quibus scriptis tam perspicue id demonstravit Cl. D. *Vedelius in Arcanis Arminianismi*, ut supervacaneũ sit pluribus hoc agere. Post illud tẽpus editus est libellus nostrate lingua, titulo **Den Rechten Remonstrantschen Theologant** / quo hoc gnaviter agunt, ut persuadeant Socinianos (celeberrimos hodie Anti-Trinitarios) non esse à communione fraterna excludendos, nec errare fundamentaliter, quod scil. probari nequeat illos à salutis spe excluſos. Nuper ex illa cohorte tenebrio quidam cum omnem fraternitatem & salutem Mahumedistis & Pontificiis negare se prętendat, huic judicio haut obscure subtractos velit Socinianos, quibus (quod novum & inauditum hactenus) cõjungit *David-Joristas.*

De Argumentis nostris, quę pro affirmante sententia contra Remon- 2.
strantium opinionem adducturi sumus, præmonemus 1. ea evictura tantam necessitatem, ut homines cum erroribus Anti-Trinitariis in communionem Ecclesiæ nostræ aut cujusquam Christianæ recipiendi non sint; aut siquidem in communionem ejus antea recepti ad hæreses illas declinaverint, & necessariam hanc cognitionem ac fidem pertinaciter excusserint,

rint, in ea neutiquam sint retinendi: quod explicite magis & consectarii vice infra repetemus. 11. Præterea, non posse cum salutari Dei gratia communionem habere, aut æternæ salutis participes esse, siquidem quis hanc veritatem pertinaciter repudiet atque oppugnet. Quamvis autem demonstratio prioris necessitatis sufficeret, tamen utramque in hoc negotio agnosco, & conjungo. In quibuscunque aliis quæstionibus sive juris, sive facti non itidem. Non pauci enim sunt casus in quibus alicui receptio in communionem ecclesiæ externæ & visibilis (imprimis ministro in communionem & societatem ministerii) recte & εὐτάκτως denegari potest & solet, quem tamen omni communione remotiori, aut generali, aut implicita cum omni Christianismo, nec etiam omni vel minima connexione cum gratia Dei & æterna salute destitutum nolimus pronuntiare. Distinctionem hanc inculcavi in *Disput. de Articulis & erroribus Fundamentalibus*: quâ omnia Remonstrantium κρησφύγετα, & stramineæ consequentiæ pro unione sectarum indistincte & subdole ab ipsis tantopere jactata; adhæc pro retentione ministrorum Remonstrantium in communione & ministerio ecclesiarum Belgicarum (contra judicium Synodi Dordracenæ) valide eliduntur, ipsique remoto προφάσεων supparo in lucem protrahuntur. Distinctionem talem velint nolint admittere ipsi coguntur nisi in ἄλυτα & ἄτοπα quamplurima compingi velint. Ex.gr. An in communionem cœtus & ministerii sui recipiant Remonstrantes Christianum aliquem ex papatu nuper emersum, siquidem mordicus adhuc retineat, non quidem imagines ipsas cultu religioso adorandas, sed Christum per imaginem crucifixi aut crucis adorandum, atque adeo ejusmodi imagines in templis erigendas, ut & imaginem Spir.S. atque adeo coram iis incurvandum, ut Christum per ipsas tanto majori cum attentione & devotione adoremus. Quod si non recipiant, an ergo ab omni Christianismo, ab omni salute simpliciter illum excludant? Rursum quæro an Anti-Trinitarium aliquem e.gr. Valentinum Gentilem, Servetum, Socinum, Ostorodum, Voidovium, Smalcium, Crellium (siquidem moderationem & pacem, proprium illud symbolum Remonstrantium juxta cum illis profiteantur) in cœtuum suorum, aut etiam ministerii societatem recepturi sint, non obstantibus hæreticis & blasphemis (ut nos arbitramur) dictis ac scriptis eorum de Trinitate. Si dicant se non recepturos, sive propter conscientiam aliorum, sive ob politicas sive ob ecclesiasticas rationes, declarent ergo, an certo ex verbo Dei persuasi sint prædictos illos Anti-Trinitarios non posse salvari, sic stante ipsorum fide. Sed non est quod eos ultra urgeamus; ipsi sibi contradicentes distinctionem hanc aperte proponunt & proposito suo (quam rectè hic non disquirimus) applicant in Vedelio

Rhapso-

Rhapsodo lib.2.cap.5.p.121. *Nostrum tamen non esse tristius quidquam decernere contra eos qui necessaria ista convellunt &c. Præstare itaque in mitiorem semper partem inclinemus &c. Deo cordium inspectori relinquentes supremum de eâ judicium, & sufficere rati, ut ab eorum communione abstineamus ex lege & præscripto domini Iesu, citra ullam aliam noxam.* III. Prænonemus argumenta nostra (quidquid forte contra ea Sociniani exceperint) concludere evidenter & αὐτοκατακρίτως contra Remonstrantes. Ipsi enim nullo exceptionum colore aut omnia aut aliqua impugnare queunt, nisi negent aut Dei unitatem, aut τὸ ὁμοούσιον filii & Spir.s., atque ita aperte in Socinianorum castra profugiant.

I. *Argum.* Ex *Math.*28.19, coll. cum *Marc.*16.16.1. *Iohann.* 5.7. ubi proponitur hoc dogma tanquam scitu & creditu ad salutem necessarium. II. *Argum. Ex* aperto testimonio *Iohann.*17.3. coll.cum *c.*14.1.*&c.*20. 31.*&* 1.*Ioh.*5.20. ubi de filio, & 2. *Corinth.*13.13. ubi de Spir.s. III. *Argum.* Non tantum necesse est cognoscere an seu quod sit Deus, sed etiam quis sit ille verus Deus, alioquin homines cum Pharaone quærerent, quis sit Deus Israelitarum. Iam vero proprius articulus Theologiæ supernaturalis, quo etiam imprimis à naturali distinguitur, est cognitio: Quod verus Deus sit pater, filius, Spir.s. ergo. IV. *Argum.* Necessarium est credere unum verum Deum esse patrem, quod etiam ipsi Sociniani in genere fateri coguntur, dum libris suis præscribunt, *De uno Deo patre*; etiã necessarium est credere filium ejus, & Sp. s. Ratio est, quia filius est unus idemq; ille verus Deus cum patre, ut & Sp.s. Et qui patrem cognoscit, negat, diligit, odit, in illum credit, cũ illo unionẽ & communionem habet, ille etiã filium cognoscit, negat, diligit, odit, &c. & cõtra qui filium nõ novit, negat, odit, &c ille una patrem non novit tanquam unum verum Deum, eum negat, odit &c. Quod invicte probatur ex *Ioh.*14.1.& 5.23.& 7.28.& 8.19.54.55.58.& 15.21.& 16.3. Appositе ad hanc rem Hilar. l. 9. de Trinitate: *Cum enim Christus ait, credite in Deum, & in me credite, quæro, in quo se in natura discreverit, qui non discrevit in honore? Dicens enim & in me credite, cum dixisset, & in Deum credite, anne per id, quod ait. Et in me, non & suam intelligitur significasse naturam? Naturam plane separat, si fidem separat.* Et paulo post: *Vnus sensus fidei Dei & naturæ ejus se univit, cum memorato Deo in quem credi oporteret, & in se docuerit esse credendum; Deum se per id docens, cum credendum in eum sit ab his qui in Deum credant,* Adversus hęc argumenta excipi non potest à Remonstrantibus, omnem necessariam & salutarem fidem Trinitatis esse de tribus illis nudis verbis solummodo, *patris sc. filii, & Spir.s.* aut de chimærico quodam idolo seu perversa imaginatione quâ sumitur quid pro quo, Creatura scil.temporalis

pro ipsa unica & perfecta natura Dei (quod vocant Spir. s.) Hæc enim cognitio pure nominalis sine re, aut potius perversa conceptualis repugnans ipsi rei nullo modo est vera, nedum ut sit veritas fundamentalis. Est enim veritas conformitas conceptus cum re. Sicuti Ligistæ in Gallia concipientes Henr. IV. tanquam Dom. Biarnensem (quod alioquin seorsim & per se falsum non erat) eumque tanquam talem solummodo agnoscentes, & regem Galliæ eum negantes, quin immo sub tali forma (siquidem ipse se ostentaret, & alii eum agnoscerent) ei maledicentes, & resistentes; non poterant dici habere necessariam & fundamentalem cognitionem Politicam de vero ac legitimo Rege Galliæ, nec sufficientem cognitionem ad debitam obedientiam isti Regi præstandam. Habebant enim tantum perversam & Ligisticam imaginationem, apprehendentes pro Dominatore Galliæ idolum aliquod sub titulo Biarnensis, quod nihil minus erat quam Rex Galliæ. v. *Argum.* Sine quo dogmate necessaria & summa causa gratiæ salutaris & salutis cognosci aut credi non potest, illud ipsum est cognitu & creditu necessarium; Sed sine dogmate de Trinitate &c. Ergo. Probatur minor; Quia cognosci non potest quis sit supremus autor & operator salutis nostræ, quod objectum vitæ æternæ. // Quicunque enim non agnoscit filium esse personam divinam & unum il- // lum verum cum patre Deum, ille creaturam facit causam efficientem, & objectum suæ salutis, & consequenter gloriam quæ soli æterno Deo competit enti creato tribuit. Consideretur locus 1 *Ioh.* 5.20. οὗτος ἐστιν ὁ ἀληθινὸς θεὸς καὶ ἡ ζωὴ αἰώνιος. Sic qui Spir. sanct. non cognoscit esse personam, ille non cognoscit autorem & agentem principalem communis gratiæ salutaris (2 *Corinth.* 13. *vers.* 13. 1 *Corinth.* 12. *vers.* 1. 2. 3. 6. 11.) Actiones enim sunt suppositorum, non vero accidentium. Et persona divina est objectum nostræ gratitudinis atque adeo omnis cultus divini; non vero accidens aliquod, sive creatum, sive increatum, quod fingitur. VI. *Argum.* Quod alia fundamentalia (quæ ne ipsi quidem Remonstrantes negare ausint talia esse) fundat, & unde illa necessario dependent, ita ut sublata Trinitate omnia illa corruere necesse sit, illud ipsum est dogma fundamentale; immo fundamentum fundamenti, & πρώτως ac κατ' ἐξοχὴν fundamentale. Sed tale est dogma de Trinitate. Inde enim pendent dogmata, de Missione filii, de adventu ejus in carnem, de ejus satisfactione, de suscitatione sui ipsius & aliorum, de missione Sp. s. & divinis ejusdem operibus, illuminatione scil. sanctificatione, consolatione. Docuit hoc satis triste exemplum Socinianorum, qui oppugnando mysterium Trinitatis, eo prolapsi sunt, ut & illa modo dicta & omnia fere alia Christianorum dogmata mirum in modum hæresibus

sibus suis conspucarint & subverterint. VII. *Argum.* Cujus dogmatis negatio est infidelitas, impietas, apostasia, & Antichristianismus, ejus affirmatio est necessaria & fundamentalis; Sed dogmatis de Trinitate &c. Ergo. Minor probatur, ex 1. *Iohan.* 2. *v.* 18.19.20.22.23.24.& *cap.* 4.1.2.3. *Coloss.* 1. 15.16.17.18. cum *v.* 23.& *cap.* 2. *v.* 2.4.6.7.8.9.10. Hic agitur de persona filii, quæ nulla alia est quam persona divina, & consequenter ὁμόσιος cum patre Deus. VIII. *Argum.* Cujus dogmatis affirmatio à parte nostra, aut negatio à parte Anti-Trinitariorum necessario fundat & infert *aut* ἀσέβειαν impietatem, & recusationem cultus vero Deo præstandi, aut manifestam idololatriam; illud est, cognitu, & creditu necessarium: Sed tale est dogma de Trinitate. Ergo. Probatur minor *primum* quod ad nos; si filium, & Spir. s. tanquam unum verum Deum colimus cultu divino, qui uni Deo tantum conveniat (& non sint tamen unus ille verus cum patre Deus) utique crassam committimus idololatriam & tres Deos essentialiter tales fingimus ac colimus: sin Anti-Trinitarii non colunt filium, & Sp. sanct. tanquam verum Deum essentia cum patre unum, utique ab ἀσεβεία, irreligiositate, immo ab Epicureismo & atheismo excusari non possunt. Quod si cum *Socino contra Franciscum Davidis* & similes Anti-Trinitarios malint contendere, Christum quamvis essentia à Deo patre distinctum cultu divino esse colendum, jam tenentur idololatriæ & duos Deos colunt, secundum rei veritatem & totius Christianismi judicium. IX. *Argum.* Quod dogma habet quamplurimos & insignes usus practicos, hoc est (ut ipsi Remonstrantes loqui solent) quod promovet fiduciam & obedientiam Deo Christoque debitam, illud est necessarium; non vero problematicum, de quo sc. sine noxa aut pietatis & bonæ conscientiæ jactura in utramque partem liceat libere prophetare. Sed dogma Trinitatis est tale. Ergo. Minorem infra probabimus.

Atque hæc quidem argumenta directa ostensiva: subjicimus nunc quę- 4.
dam ab absurdis consequentibus. 1. Tum nulla fere dogmata supernaturalis Theologiæ seu Christianæ fidei qua talis probari possent esse fundamentalia. Experiantur Remonstrantes, enumerent illa dogmata, quæ putant talia esse, ut nullo modo contrarium sentientes salvari possint; ostendant ex scripturâ eorum necessitatem, supra dogma Trinitatis, & κατὰ τὸ ῥητόν, aut saltem *per consequentiam omnibus sanæ mentis obviam & evidentem*, ut quidem hanc legem ipsi figunt *Vedel. Rhapsodi lib.* 2. *c.* 5. *p.* 121. Addo etiã nonnulla dogmata naturalis Theologiæ, posse haberi tanquam non necessaria, e.gr. Dei præscientiam omnium futurorum, immutabilitatem, & quod solus sit creator. 11. Sequeretur fidem Christianam objecto fidei & cultus sui, non distingui, à Gentili, Iudaica, Mahume-

distica. Si enim necessario non credat in unitate trinitatem, in trinitate unitatem, jam redigitur ad Theologiam naturalem, & symbolizat cum pseudo-religionibus modo memoratis. Quomodo autem Christiana fides tota essentia & forma distingui debeat ab apostasia & perfidia Iudaica, & quidem speciatim hoc dogmate de uno vero Deo, accurate & evidentissime contra Socinianos demonstravit Cl. *Vedelius* in *tract. de Deo Synagogæ*. De Gentilium religione nuper aliquid notavimus in *Disp. de Gentilismo*. Addimus nunc tantum de Mahumedica, eam ex vagis & incertis Neo-Scepticorum hypothesibus vix posse convinci, apostasiæ absolute exitialis; ea enim præter pietatem & probitatem, statuit fidem unius Dei, & Christi tanquam magni prophetæ ac legati Dei ex virgine nati, immo tanquam Messiæ; ita ut in his fundamentalibus non admodum dissentire videantur ab Anti-Trinitariis Franciſci Davidis sectatoribus; quos omnes æterno exitio non devovebunt (uti opinor) Remonstrantes; solis scil. Socini sectatoribus, quia duos Deos invocant, æternæ saluti adscriptis. Quam recte supra alios infideles Mahumedistæ de Christo sentiant, innuere voluit Remonstrantium quondam advocatus Grotius in tract. de Veritate religionis Christianæ lib. 6. pag. 18. *Nos vero cum Iesum Dei filium dicimus, hoc significamus, quod ipse cum eum verbum Dei dicit: verbum enim ex mente suo quodam modo gignitur: adde jam, quod ex virgine, sola Dei opera vim paternam supplente natus est, quod in cœlum evectus Dei potestate, quæ & ipsa Mahumeti confessa ostendunt Iesum singulari quodam jure Dei filium appellari posse, & debere.* Hæc verba lectori Christiano *expendenda* relinquo. III. Sequeretur, non posse evinci errores Cerinthi, Ebionis, Artemonis, Hermophili, Appolloni & similium monstrorum fuisse fundamentales, non magis quam Arii, Samosateni, Photini, Socini, Fraciſci Davidis, Serveti. Illis enim æq; ac istis proclive eritexcipere se siquidem alicubi errent, paucula illa Remonstrantica fundamentalia tamen retinere, quæ sunt: Quod sit Deus, & quod sit renumerator; quod sit unus Dominus Iesus Christus, Aut, ut verbis utar ἀνωνύμου in epistola apologiæ Remõstrantiũ præfixa *Necessaria dogmata voco, quæ ex officio nobis in Euangelio Iesu Christi præscripto necessario tenenda ac facienda sunt; ut æternæ salutis participes evadamus; quæ tribus, his comprehendo; Fide divinorum promissorum, obedientia divinorum præceptorum, & debitâ scripturis, quibus præter promissa ac præcepta, alia omnia divina oracula atque enuntiata continentur, reverentia.* Si supradicti hæretici non obstante sententia sua de Trinitate, Christi persona &c. protestentur suam religionem intra illos terminos manere, & mansuram, quantum per conscientiam & infirmitatem fieri potest; quibus scripturæ testimoniis excludent illos è regno cœlorum, &

con-

consequenter communione sua ecclesiastica? Breviter quo colore,& qua conscientia Remonstrantica segreges cœtus à Socinianis hactenus celebrāt: cur scissum Christianismum non uniunt? cur novum scisma faciunt, & fovent? cur ad eos ad fraternitatem satis invitantes aperte non accesserunt, cum conscientia eos cogeret (ut prætendunt) à nobis secedere?

Argumentis nostris addimus consensum totius Christianismi, apud 5.
quem & testimoniis Doctorum, & decretis synodorum, & statutis Politicis dogmatis hujus necessitas hactenus præscripta: solis Remonstrantibus in gratiam Socinianorum dissentientibus. Nam Iustinum Martyrem in partes suas frustra pertrahere conantur: ut ostensum est à DD. Professor. Leidensibus in *excerptis ex apologia*, & D. *Vedelio in arcanis Arminianismi*. De Salviano infra *part. altera thesi* 3. quid dicemus. Porro catalogum autorum & testimoniorum non est quod hic texamus. *Symbolum Nicenum*, & *Acta* ejusdem *Concilii*, & *Concil. 2. Constantinopol. cap.* 7. & *symbolum Athan.* à toto Christianismo usque in hunc diem approbatum, à solis Remonstrantibus *Apolog. cap.* 3. acerbe & inique reprehensum, huic rei demonstrandæ sufficeret: ὅτις θέλειν σωθῆναι &c. Addimus Hilarium lib. contra Auxentium sub finem: *Abfistite ab Auxentio Satanæ angelo, hoste Christi vastato, perdito fidei negatore, quam sic est regi professus ut falleret; sic fefellit; ut blasphemaret. Congreget nunc ille &c. mihi certe ille nunquam, quam diabolus erit, quia Arianus est. Neque pax aliquorum unquam optabitur, nisi eorum qui secundum patrum nostrorum apud Niceam tractatum, anathemizatis Arianis Christum Deum verum prædicabunt.* Fulgentius libr. de Fide orthodoxa ad Donatum: *Proinde principaliter teneas sanctam Trinitatem, id est, patrem & filium & spiritum s. naturaliter verum esse Deum, summum verum & bonum, unius naturæ, essentiæ* &c. Postea subdit: *Docet nos & admonet grave peccatum esse, si quis extra unum Deum alium credat. Alium sine dubio credit, quisquis in patre, & filio, & Spiritu s. diversitatem divinitatis existimat.* Confer & *Basilium l. 2. c. Eunomium*, in principio & in fine. Et *Eulogium apud Photium in Myrobiblo n.* 220. Plura adducere nec ratio thesium patitur, nec etiam necesse est, quia adversarii consensum non negant, saltem jam inde à tempore Concilii Niceni. Quod autem ante illud Concilium Catholicæ Ecclesiæ sensum longè alium fuisse velint Sociniani, & cum illis *Venator* in *Theologia vera & mera*, & Remonstrantes in *Apologia* & *Responso ad Excerpta DD. Profess. Leidens.* id abūde refutari poterit ex *Polani Symphonta Catholica, & Syntagmate*; item *Paxilli* tractatu peculiari; cui tit. *Monomachia & Coccii Thesauro Catholico*: imprimis causam eandem agit *Calv. l. 1. Instit. c.* 13. *sect.* 27. 28. Et *Bellarminus lib. 1. de Christo cap.* 10. Quem vide. Quamplurima loca patrum annotavit *Elmenhorstius in commentario ad Gennadium cap.* 1. V-

num tantum hic addimus Gregorium Neo-Cæsarienſem dictum Thaumaturgum. Sic is in 12.anathematiſmis cap.2.p.30.edit. Gerardi Voſſii: *Si quis dicit carnem Chriſti ὁμοούσιον, id eſt, ſubſtantialem eſſe divinitati, & non confitetur ipſum in forma Dei, Deum eſſe ante ſæcula, & ſeipſum exinaniſſe, & formam ſervi accepiſſe, ſicut ſcriptum eſt, anathema ſit.* Idem in alia fidei expoſitione p.23. *Eos vero qui communicant cum iis, qui rejiciunt ὁμοούσιον,(Εν ὁμοούσιον, in uſu SS. patrum, Ante Concilium Nicænum)tanquam alienum à Scripturis, & qui dicunt aliquid ex Trinitate creatum eſſe, & ab una naturali divinitate ſeparant: alienos exiſtimamus, & cum nullo ex iſtis communionem habemus.* Vixit autem hic Gregorius a. 233. Conſtitutiones Politicæ quibus veritas & neceſſitas hujus dogmatis confirmata, ſunt Gratiani, Valentiniani, Theodoſii, Martiani, Iuſtiniani, quas vide in *C.de ſumma Trinit.*ubi prohibetur, ne quis publice de hac fide contendere audeat, & heteredoxi dicuntur Iudaice & apoſtatice huic contradicere, & hæretici nominis infamiam ſuſtinere, Chriſtianorum & Catholicorum nomen illis negandum, congregationes eorum prohibendas. Sic *L.Damnato C. de Heret.Manich.* inter alios Arrianis & Photinianis uſurpatio nominis Chriſtianorum plane interdicitur ut & *L. Ariani* & *L. Quicunque,d.t.* omnia privata & clandeſtina conventicula prohibentur; & *L. Quoniam* Iiſdem teſtimonialia judicia contra orthodoxos inhibentur & *L.Ariani* & *Quicunque* eccleſiæ ipſorum nominantur *conventicula* & *quaſi eccleſiæ, paraſynaxes.* Iuxta hanc deciſionem Iuris-Conſulti, antiqui & recentiores, cujuſcunque fuerint profeſſionis, hoc dogma inter neceſſaria retulerunt. Eſt enim *præcipua pars religionis Chriſtianæ*, ut ex pontificis *Cujacius*; eſt *fundamentum fidei orthodoxæ*, ut ex noſtris (tunc cum hoc ſcriberet) commentatur *Pacius.* Nec poterit, ut opinor, dari ullus interpres Iuris, qui aliter ſentiat. Adde ex Iuris Græco-Romani tom.1. prolixum edictum Iuſtiniani de Fide orthodoxa: ubi imprimis notandæ iſta capitula ſeu anathematiſmi p.533. (edit: gr.lat. Leunclavii & Freheri in fol.) *Si quis non confitetur Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum Trinitatem conſubſtantialem, unam Deitatem conſubſtantialem,& unam virtutem & poteſtatem in tribus ſubſiſtentiis ſeu Perſonis adorandam, talis anathema ſit.* Et pag.535. *Si quis non anathematizat Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarium, Neſtorium, & Eutychen, & eos,qui ſimilia eis ſapuerunt vel ſapiunt, talis anathema ſit.* Videant nunc hodierni Remonſtrantici,ſi qui ſint, ICC. quomodo honorem nominis & profeſſionis ſuæ tueantur, cum Societatis Remonſtranticæ proprium genium & ſtudium in hæreſibus & *ſectis funeſtiſſimis* (ut eas vocat Imperator) à toto Chriſtianiſmo & eccleſiaſtice & politice proſcriptis tolerandis ſi non interpolandis, calculo ſuo & patrocinio dignantur. Objectiones & exceptio-

ceptiones, quæcunque adversus thesim nostram & argumenta hactenus adducta proferri possent, nunc non diluemus, ne studiosis materiam disputandi præripiamus. Vide infra *part. alt. thesi* 3. & 4. Supra *thesi* 1. & *Disp. de Articulis & error. fundam.*: ubi putamus abunde fontes solutionum à nobis suppeditatos; quos facile erit strophis & φλυαρίαις omnibus adaptare.

PARS II.

De Vtilitate & praxi hujus dogmatis.

SOcinianorum Theologia ut in plerisque dogmatis Christianis Libertino-Sceptica, & fere nulla est: sic in praxi misere strigosa, vix ultra Senecę, Plutarchi & recentium Enthusiastarum ac Libertinorum, ut & Muhammedistarum moralia ascendens. Remonstrantes quam dextre praxin religionis intelligant & doceant (de factis ipsorum nobis hic non est disputandum) indicavi in *Tractatu* meo contra blasphemum *libellum Tileni* à Remonstrantibus nostrate lingua editum: cui nihil post annorum aliquot silentium reposuerunr, quam: *Se non capere, aut nescire quid velim.* Ago enim in illo tractatu de utilitate nostræ doctrinæ de prædestinatione & gratia Dei ad praxim consolationis & novæ obedientiæ; & de ineptitudine Doctrinæ Remonstranticæ ad eandem. At hic non est ager Rhetoricæ Socinianæ. In *Confessione* suâ usus practicos doctrinæ de attributis divinis (quæ ibi tractant) seu de uno vero Deo satis fusè annotant: Sed praxin Trinitatis plane prætereunt. An quia utile tantum sit, an verò purè putè speculativum (juxta distinctionem *Episcopii in Disput. privatis Disp. 2. thesi* 4.) ipsi declarent. Quod cum objecissent ipsis Cl. DD. Professores Leidenses in *Censurâ Confess. cap.* 3. nullum aliud responsum inter multa scommata, & dicteria tulere *Apolog. c.* 3. *fol.* 52. 53. quam: Vsus illos, quos divinitatis conceptus præbet jam ante in capite de Naturâ Dei fuisse annotatos, nec alios proprios & novos ex personarum trinitate colligi posse. Nos contra statuimus cum orthodoxis, ut omnium articulorum fidei, sic etiam & hujus de Trinitate suos esse usus practicos, proprios scil. & peculiares. Sunt quidem omnes articuli fidei una copulativa, (ut de præceptis legis dici solet) & in concursu ac causalitate suâ stant pro causâ seu principio uno: sed tamen quilibet seorsim tanquam causæ partiales seu partes systematis & corporis fidei pro suâ parte peculiari quâdam vi & proprietate agunt, movent, ac promovent ad praxin: haut aliter ac corpus organicum tanquam totum collectivum concurrit ad actiones vitales producendas, & nihilominus singulæ partes in illo toto concurrunt & quæque pro suâ parte operantur facultate & formâ propriâ. 1.

Proba-

2. Probamus autem hanc ſententiam noſtram his argumentis. 1. *Argum.* Quidquid à parte rei diſtinctum eſt aliquatenus (quamvis non realiter) præterea in mente noſtrâ diſtinctis conceptibus concipitur (quamvis partialibus & inadæquatis) nobis peculiares & aliquâ ratione diſtinctos uſus tum objectivè tum effectivè ſuggerit. Sed unica eſſentia ſeu natura divina, & quælibet perſona divina, habent diſtinctas rationes formales, ſeu diſtinctos conceptus tum objectivos tum formales: quin etiam perſonæ realiter inter ſe diſtinguuntur & ſic à nobis concipi debent. Ergo diſtincta perſonarum quod ad originem, & ordinem ſeu modum tum ſubſiſtendi tum ad intus operandi viſio & intellectio ſpiritualis diſtinctâ quadam perfectione, & voluptate ex luce illâ contemplationis exortâ mentem & voluntatem hominis perfundit atque afficit. Cur enim divina illa veritas, *In uno Deo eſt ineffabilis trinitas*, lumine ſuo ad praxin ſenſus ſpiritualis, acquieſcentiæ fidei, admirationis, reverentiæ, honoris, gaudii, nos non excitet? Si enim omne verbum Dei timorem, gaudium, deſiderium, amorem, humilitatem in nobis concitare debet, (*Jeſ.* 61. 1. 2. 10. *Pſal.* 19. & 119. 8. 9. & 119. 72.) quidni & hoc verbum mirificum (ita loquar) de Trinitate. 11. *Argum.* Cognitio & fides, quis ſit unus ille verus Deus, habet uſum & praxin veræ religionis (Chriſtianæ ſcil.) immo magnam ejus partem facit; nec omnis ejus praxis haberi aut abſolvi poteſt cognitione ℈, quod & quid ſit verus Deus. Iam verò ſolum dogma de Trinitate tradit, quis ſit verus Deus. Ergo. 111. *Argum.* Si peculiaris & appropriatus ordo ac modus operandi perſonarum in operibus ad extra peculiari ratione peculiarem praxin objicit & ſuggerit, devotionem, ſcil. fidem, adorationem, amorem, fiduciam &c. Ergo dogma de Trinitate habet in mente ac voluntate noſtrâ peculiares uſus practicos. Sed verum prius. Major probatur, quia uſus illi ut ſic & ſub illâ notitione non perciperentur, niſi prius concipiatur diſtinctus ordo perſonarum. Minor probatur; quia peculiarem habet uſum; ſi Deum patrem ſecundum ſcripturas agnoſcimus & credimus creatorem, filium redemptorem, Spir. ſ. conſolatorem. Eſt quidem unum opus, & unus opifex, ſed modus atque ordo operandi eſt diſtinctus. IV. *Argum.* Quia peculiari & diſtincto mentis conceptu & religionis actu tendimus in unam aliquam perſonam, ut eodem illo actu tunc directè & explicitè non tendamus in aliam: unde ſequitur diſtinctam praxim religionis proximè oriri ex diſtinctione perſonarum, atq; à diſtinctâ perſonâ proximè & immediatè terminari. Quod certè evincit proprios uſus practicos fundari in Trinitate perſonarum. Antecedens probatur: Quia preces & gratiarum actiones diſtinctè & ſeorſim diriguntur ad Spir. ſ. aut ad filium, aut ad patrem; quod docet univerſalis

versalis consensus & devotio omnium fidelium *Actor.*7.06.*Apocal.*22.20. 2.*Cor.*13.13. v. *Argum.* Quia sequeretur doctrinam de triade in Deo ejusque distinctum conceptum plane sterilem esse (siquidem nullos peculiares usus ex se funderet) solum vero conceptum de monade utilem & sufficientem esse ad omnem pietatem; siquidem omnes usus ex illa sola, præcisè ac in se absque respectu ad triadem in nobis generari dicantur. Itaque fertilem & practicam non magis esse doctrinam de Trinitate, quam multa genealogica, geographica, physica, chronologica in scripturis. VI. *Argum.* Sequeretur Iudæos, Muhamedistas, item Arrianos, Socinianos medullam veræ pietatis & praxeos ex doctrina de uno vero Deo ejusque attributis, sufficienter ad salutem posse habere: modo scil. fundamentalia illa de attributis Dei, quæ Remonstrantes in *Confeß.* & *Apolog.* creditu necessaria statuunt: admittant: quod plurimos eorum haut gravatè facturos arbitror. Vnde & hoc sequeretur, non esse admodum laborandum, ut Muhamedistæ & Sociniani saltem (qui Deum & Christum non negant) convertantur; siquidem enim pro modulo cognitionis suæ praxim pietatis exerceant, quid tantopere indigent tam laboriosâ & periculosâ sæpe religionis suæ mutatione. VII. *Argum.* Pertinet ad praxin religionis, immo in eo est omnis praxeos fundamentum & quintessentia, ut is & talis Deus debitâ cognitione, fide, confessione, amore, timore, obedientia &c. colatur, qui & qualis coli debet, seu quem & qualem ipse se coli vult: Est enim hęc genuina praxis ut honor, amor, fides divina soli vero Deo tribuatur, & non alteri. Vult itaque Deus se coli non unum tantum, sed & trinum, non tantum patrem, sed & filium cum spiritu s.; Atqui talis praxis nulla erit, ubi non præsupponitur cognitio dogmatis de Trinitate. Quidquid enim ex fide non est peccatum est *Rom.*14. Et nihil volitum, nisi cognitum; & tantum diligimus quantum cognoscimus. VIII. *Argum.* Quod tanquam exemplum & norma intuendum nobis proponitur, tum ad consolationem tum ad imitationem, illud movet ac promovet in nobis praxin. Sed trium admirabilis unitas inter se respectu ejusdem divinæ essentiæ tanquam perfectissimæ conjunctionis exemplar proponitur *Iohann.*17. 10. 11. 21. 22. 23. Coll. cum *Iohann.* 10. 38. & 19. 11. Tenet autem Christianismus contra glossas Anti-Trinitarias, hic non intelligi conjunctionē solummodo voluntatis & consensus, sed ineffabilem illam in unitate ejus essentiæ individuæ, quæ fundamentum est (ita loqui liceat) unitatis in volitione & consensu. (Vide *Augustin.* & *Cyrillum Alexandr.* ad *locum cit.* & *Hilarium libr.* 8. *de Trinit. Ambros. lib.* 3. *de fide c.* 2. *Athanas. serm.* 4. *contra Arrianos.*) Nam personę divinæ *inconfusè uniuntur, & divisè discernuntur*, ut loquitur

Athanaſ. in Matth. 11. *Omnia mihi trad.* & *Nazianzen. orat. 3. de pace. Damaſcenus Orthod. fidei lib. 3. c. 5.* immo eſt earum ἐν ἀλλήλοις μονὴ καὶ ἵδρυσις, *mutua immanentia & ſtabilitas*, Damaſcen. Orth. fid. l. 1. c. 19 & ἀσύγχυτος ἐν ἀλλήλοις περιχώρησις *inconfusa, mutua comprehenſio*; quam alii *circuitionem*, & *circumin ſeſſionem* transferunt. (*Idem lib. 1. c. 11. & 3. c. 5. Cyrillus de Trinit. & perſonâ Chriſti.*) An non meditatio myſterii iſtius ſecundum ſcripturas cit. ſuaviſſimâ conſolatione corda fidelium perfundet dum diſcurrunt ab unione patris & filii, ad communionem, manſionem, inhabitationem, arctiſſimam præſentiam patris per filium in nobis (*Ioh. 14. 23. coll. cum Ioh. 20. 31. & 17. 10. 22.*): & rurſum aſcendunt ab inhabitatione, & amplexu divino, quam in ſe ſentiunt *Roman. 5. 5.*, ad unionem patris cum filio non κατ' οἰκονομίαν tantum, ſed & κατὰ θεολογίαν conſiderato: in quam contemplationem ultima fidei & fiduciæ ſalutaris ſit analyſis: hic enim ſummus totius religionis apex, hoc πρωτοπρώτον fundamentum: Deus unus & trinus. An non mutua hæc poſſeſſio, περιχώρησις & inhabitatio Dei in nobis & noſtri in Deo, verè tabernaculum σκήνη Dei cum hominibus, melius concipi, firmius apprehendi, ſuavius ſentiri poſſet, ſi tanquam exemplum, motiva, σήειγμα, ἔδραίωμα infirmis & fluctuantibus cõſcientiis noſtris admoveatur. Vnio perſonarum deitatis, amor patris erga filium? Quidni liceat exclamare præeunte loc. cit ſervatore: Ego domine Ieſu, patris tui ſum; quia tuus ſum, & tu es patris; Pater me diligit, quia tu me diligis, & pater diligit filium. Pater in me manet, & quis me ſeparabit ab ejus dilectione in Chriſto *Rom. 8.*? Quia filius in me manet, & pater manet in filio. Hæc quidem praxis conſolationis. Nec minor hinc praxis excitationis ad imitandam hanc unionem, ut arctiſſime & ἀχωρίστως Deo nos ipſos uniamus per fidem, & caritatem, ut *undique ſibi inhæreant Deus & homo* (Vide *Bernard. ſerm. 71. in cantica & tract. de amore div. c.* 4.) adhæc ut cum fidelibus ſtudeamus ſervare unitatem ſpiritus per vinculum pacis *Epheſ. 4.* Filius Dei dominus & caput noſtrum cum patre unus eſt, & nos illi non uniemur? Perſonarum Trinitas in unitate eſſentiæ & voluntatis à nobis creditur & adoratur; an non unitati & paci inter nos ſtudebimus? unum cor & una anima erimus? Sed pluribus hæc amplificari non ſinit Ratio Theſium. Meditentur ſtudioſi diligenter *loca cit.* & datâ occaſione conferant quoſcunque commentatores; imprimis ex noſtris, *Calvinum* & reliquos à *Marlorato* conjunctos; ex Pontificiis *I. Feuum.* Exhibeo nunc tantum ſuaviſſimum illud dictum Bernardi tract. de Amore divino cap. 4. *Et hæc eſt in nobis voluntas filii tui, hæc pro nobis oratio ejus ad te Deum patrem ſuum: volo ſicut & ego & tu unum ſumus, ita & in nobis ipſi unum ſint. Hic eſt finis, hæc eſt conſummatio, hæc eſt perfectio, hæc eſt pax, hoc eſt gaudium*

dium in Spiritu ſ., hoc eſt ſilentium in cœlo. Et Auguſtini tract. 48. in Iohannem: *Nos poſſumus dicere in Deo ſumus & Deus in nobis. Ego & Deus unum ſumus, nunquid poſſumus dicere? In Deo es, quia Deus continet te, Deus eſt in te, quia templum Dei factus es; ſed nunquid quia in Deo es, & Deus eſt in te, potes dicere: Qui me videt, Deum videt. Quomodo unigenitus dixit, Qui me videt videt & patrem, & ego & pater unum ſumus? Agnoſce proprium domini, & munus ſervi. Proprium domini eſt æqualitas patris, munus ſervi eſt participatio ſalvatoris.* Adde celebrè illud Epigramma Melanthonis; *Nec tu nate Dei majus meliuſve rogare, Æternum poteras, optime Chriſte, patrem*: &c. Quod ſi verò excipiant Remonſtrantes piiſſimos illos amore Dei & Chriſti ferventiſſimos Socinianos, ad cultum ejus & praxim nihilominus eniti quamvis filii unionem cum patre eſſentialem non agnoſcant: (Vide *Smalcium libr. de Divinit. cap.* 24.) *Reſpondemus*, falſum & abſurdum dogma, ſeu idolum perverſæ imaginationis humanæ, eſſe malum, atque adeo nullam veræ ſolidæque pietatis praxin poſſe fundare. Cujus axiomatis veritatem evidenter agnoſcunt Remonſtrantes (quamvis malè applicent) cum contendunt doctrinam de abſolutâ prædeſtinatione & perſeverantia omnem praxin plane ſubvertere, nedum ut faciat ad praxim. *Sed inſtant*; non ex dogmate ſuo de Trinitate habent eximium illum amorem Chriſti & fratrum; ſed aliunde. *Reſp.* aliunde habere non poſſunt, cum dogmate ipſorum funditus ſubvertatur. Amor erga Chriſtum debebat eſſe divinus, veri ſcil. & æterni Dei: at ipſorum, amor, ſi quis ſit, eſt humanus ſeu Chriſti φίλια ἀνθρώπου. Iam verò ut praxis propria & actus elicitus fidei divinæ, non eſt fides humana; ſic praxis amoris divini non eſt amor hominis ſeu creaturæ. IX. *Argum.* Praxis fiduciæ, conſolationis & gratitudinis nulla elici poteſt ex eo, quod in altiſſimâ rupe collocata ſit ſalus noſtra, in Iehova ſcil. juſtitiâ noſtrâ, magno & forti Deo, & conſequenter ſit invincibilis quod ad impetrationem & applicationem: niſi fides præſupponat filium eſſe unum illum Deum, & tamen perſonam diſtinctam eſſe apud Deum, eſſe alium à patre. Vſus hi amplificari ſolent *ad loc. comm. de Æternâ filiatione & deitate Chriſti*; item *de ejus incarnatione, ſeu de perſona mediatoris*, item *de ejus officio & ſatisfactione.* Vbi quærendi. X. *Argum.* Ad praxim pietatis facit conſideratio perſonæ & deitatis Spirit. ſanct. *Conſolationis* eſt, quod datus ſit nobis ut nos ducat in veritatem, nos obſignet, teſtetur cum ſpiritu noſtro & nobiſcum in æternum maneat (*Iohan.* 16.7.13. & 14.16.17.26. *Rom.* 8.15.16.26. 2 *Corinth.* 1.22. *Epheſ.* 4.30.) *Excitationis* ad pietatem eſt, quod non debemus illum contriſtari *Epheſ.* 4.30. ei reſiſtere *Hebr.* 3.12.13.18. Eum exſtinguere 1. *Theſſal.* 5. & quod debemus ei nos totos tanquam ſancta illius templa conſecrare 1 *Corinth.* 6.19.

20. ejus communionem desiderare & precari 2. *Corinth.* 13. 13. Quæ amplificata vide in patrum & recentiorum concionibus de Missione Spiritus s. & in *loc. comm.* de *Persona Spir. sanct.* ut & in *commentariis ac concionibus ad loc. cit.* XI *Argum.* Praxis pietatis est agnoscere & recipere summum testimonium de veritate religionis, & nullam ex divinis personis tanquam intestabilem à testimonio dicendo submovere. Atqui cognitio unius Dei sine cognitione trinitatis hanc praxim fundare nequit. Vide 1. *Ioh.* 5. 7. 9. 10. 11. 12. 13. submovebitur enim à testimonio dicendo filius, & spir. s. quippe ex sententia Anti-Trinitaria non sunt prima veritas revelans. XII. *Argum.* Quia omnis doctrina scripturæ est utilis ad praxim; 2. *Timoth.* 3. 16. Sed dogma de Trinitate (ut contra Anti-Trinitarios illud tenet Christianismus) est doctrina scripturæ, & quidem primaria, multis locis proposita, generalis, unde reliqua Euangelii dogmata derivantur & necessario pendent. Ergo. XIII. *Argum.* Quod facit ad obedientiam fidei, piam humilitatem, & profundam sui ipsius abnegationem, illud facit ad praxin. Sed cognitio & fides mysterii Trinitatis facit imprimis ad talem obedientiam, humilitatem, & abnegationem sui ipsius. Quia nullo lumine naturali per viam causalitatis aut negationis investigari potest; nec cum jam τὸ ὅτι ex scriptura constat, ratione humana percipi, propter altitudinem veritatis occultę, quantum ad τὸ διότι & τὸ *quomodo* scil. Itaque in multas angustias cogendæ cogitationes nostræ, & frenum ingenio nostro quamvis reluctanti injiciendum. Atqui heroica praxis est seipsum & insanientem sapientiam suam contundere & vincere. Non possum non huic proposito aptare verba Iul. Cæs. Scaligeri Exercit. 165. sect. 9. *Interest enim & nostræ pietatis, & Dei immensitatis ea sentire de Deo, quæ sentire non possumus: sentire quidem in ipso per ipsum, quæ per nos sentire nequeamus.* Ne quis autem excipiat cognitionem non esse praxin nec sub ea contineri, aut ad eam reduci; reponimus dicta scripturæ *Coloss.* 3. 16. *Philipp.* 1. 9. 10. 2 *Thessal.* 1. 9. Et sic Theologi omnes veram Dei cognitionem referunt ad primum decalogi præceptum; cum quibus faciunt Remonstrantes in sua *Confessione cap.* 12. Breviter nemo potest Deum & Christum religione colere, ni fiat discipulus Christi & cognoscat quis Deus colendus sit. XIV. *Argum.* Cujus cognitio & fides facit ad odium & fugam errorum & malorum phantasmatum de uno vero Deo; insuper ad reprehensionem, laboriosam convictionem, & conversionem Muhammedistarum, Iudæorum, Arianorum, Socinianorum, aliorumque errantium; præterea ad zelum precum pro iis errantibus; denique ad instructionem ignorantium, aut ad confirmationem dubitantium circa hoc dogma; ejus cognitio prodest ad usus practicos peculiares

culiares juxta *Rom.* 10. 13. 14. 16. *Ephes.* 1. 18. & 4. 14. 15. 1 *Timoth.* 6. 3. 20. *Iacob.* 5. 19. 20. Sed dogmatis de Trinitate cognitio &c. Ergo. Nam ignoti nulla cupido. Si quis enim hoc dogma non cognoscat ejus veritatem non amabit, nec ullo zelo propagationem ejus procurabit. Qui tantum Deum ut unum novit & credit, non vero ut trinum personis, ille nõ decertabit, pro fide, quę semel data est sanctis, cujus pars est dogma de Trinitate. Breviter Deum trinum non glorificabit corde, ore, precibus, hymnis, confessione, apologia, martyrio. Atqui pars seu actus religionis est istis modis glorificare Trinitatem.

xv. *Argum.* Accedit consensus tum antiquorum, tum recentiorum, 3.
qui peculiares usus hujus dogmatis agnoverunt. Hinc ejus dogmatis professio exigebatur à baptizandis (vide *Disput. de Symbolo apostolico thes.* 2. & *autores ibi cit.*) rudiores de eo catechizabantur, quod etiam sarcasticè ipsis objicit *Lucianus in Philopatri.* Quamvis *Iacobus Micyllus in notis* suis *ad Lucianum* dubium moveat, an tractatus ille sit Luciani. Sed nullam dubitandi rationem adducit. Preces, & doxologiæ publicè fiebant ad personas Trinitatis conjunctim & seorsim; ut colligere est ex *symbolo Athanasii*, liturgiis & scriptoribus liturgicis; hymnis tum ecclesiasticis tum privatis in filium aut spiritum s., inter quos celebris: *Veni creator spiritus*, *Mentes tuorum* &c. Et Hymnus Ambrosii: *Iam lucis orto sydere* &c., & alius ejusdem: *Conditor alme syderum* &c. Et alius ejusdem: *Veni redemtor Gentilium* &c. Et incerti: *Tu trinitatis unitas &c.* Et alius incerti, *Deus creator omnium* &c. Et alius: *O pater sancte, mitis atque pie* &c. Et Bedæ: *Primo Deus cœli globum &c.* Et Prudentii: *Da puer plectrum* &c. Et Paulini: *Refulget omni luce mundus aureâ* &c. Et Anonymi: *Adesto sancta Trinitas.* Hos aliosq; hymnos vide collectos à *Iud. Clichtoveo* cum commentariis, in libro cui tit. *Elucidiatorium Ecclesiasticũ &c.* Post quem idem & alii præstiterunt, inter quos *Georgius Cassander in Liturgicis*, ubi & notis eos illustravit. Vide & *Prudentium in præfat. apotheosis*; & *in ipsâ apotheosi.* Inter mediæ ætatis scriptores *Hildebertus* pium hymnum de Trinitate conscripsit: quem vide apud *Honsdorfium in Theatro ad* 3. *præc.* ubi citat *Vincentium Bellovacensem lib.* 25. *c.* 114. *Possevinus in apparatu sacro in Hildebertus*, ait hymnos illos inveniri apud *Antoninum* (*Vincentii* voluit dicere) *speculi hist. tit.* 16. *c.* 3. Sed quia Vincentius ad manum non est: lectorum industriæ locum inquirẽdum relinquo. Quibus hoc non vacat, legant eum in *Honsdorfii Theatro.* Non pauca etiam, quæ huc faciant, conquiri possunt ex *scriptoribus de Divinis officiis*, uno volumine Coloniæ 1568. editis *per Hisforpium*; qui iidem collecti tomum faciunt in *biblioth. patrum Margar. de la Bigne.* Exstant etiam *Liturgica Claudii de Sanctes.* Et *Liturgiæ Græcorum, Syrorum, Armotriorum, Cophitarum*

tarum seu *Ægyptiorum* &c. quæ omnes celebrant Trinitatem in unitate. Nazianzenus sent. spir. lib. 3. Πάντα μὲν ἀιὲν ἄειστα &c. hoc est, *Optima quæque decet divinitus edere facta, Imprimis Triados sed meminisse sacræ.*

Idem in præfat. ad carmina sua: Οἷον ἐμοὶ κτεατὴ ἔσκεν &c. hoc est interprete Ioh. Lango:

In rebus duris, luctus solamen acerbi,
Vnum præsidium, spes fuit una mihi,
Communis splendor Triadis &c. Et in fine:
O mihi sit parata Trias, nunc undique telis
Quam pulsant: bellum supprime sancta Trias.

In voto & juramento episcopali peculiariter amorem suum declarat erga veritatem de Trinitate: Ὄμοσα τὸν λόγον &c. h. e. interprete Iohan. Lango pag. 50. 51.

Per verbum juro, per numen scilicet ingens,
Principis æterni principiumque Patris,
Archetypi effigies, & par natura parenti,
Ad nos qui regno venit ab æthereo:
Iuro iterum atque iterum, fidei pugnantia veræ
Non errabundum dogmata prava sequi:
Nec me mente alia mentem mutare supremam,
Nec verbo verbum deteriore Dei.
Si Triadis sanctæ divinum scidero honorem,
Rebus in adversis turgida vela sequens:

Εἰ τειάδ᾽ θεότητα διατμήξαιμι &c. Formulæ precum sub nomine Basilii, Chrysostomi, Damasceni &c. ex *libello precationum græcarum descriptæ à Camerario*, & editæ cum aliis recentioribus gr. lat. Vbi nota pag. 76. 77. in precatione matutinâ Gregorii Nazianz.: σὲ καὶ νῦν ὑμνολογοῦμεν χεισὲ μου, λόγε θεοῦ, φῶς ἀκήρατος ἀνάρχου, καὶ πνεῦμα καὶ ταμία, τελετὴ φωτὸς εἰς μίαν δόξαν ἀθροιζομένου. Et p. 81. in precatione vespertinâ Basilii. Εὐδοκία, καὶ ἀγαθότητι τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ, μεθ᾽ ὧν εὐλογητὸς εἶ, σὺν τῷ παναγίῳ, καὶ ἀγαθῷ, καὶ ζωοποιῷ σου πνεύματι, νῦν, καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. ἀμὴν. Et pag. 91. in precatione Basilii post perceptam eucharistiam. Δέσποτα χριστὲ ὁ θεὸς παντοκράτωρ τῶν αἰώνων, καὶ δημιουργὲ τῶν ἁπάντων &c. Quam ita concludit. σὺ γὰρ εἶ ὁ ἄρτος τῆς ζωῆς, ἡ πηγὴ τοῦ ἁγιασμοῦ, ὁ πλοῦτος τῶν ἀγαθῶν, καὶ σοὶ τὴν δόξαν ἀναπέμπομεν, σὺν πατρὶ, καὶ ἁγίῳ πνεύματι, νῦν, καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

νῶν ἀμλω̃. *Pag.*145. 150. exhibet formulas recentes piarum precationum, distincte & seorsim ad patrem, filium & spiritum s. *Pag.*227. exhibet formulas recentes gratiarum actionum: Vbi distinctè gratiæ aguntur patri, filio & spiritui s. Nec prętereundum jam inde ex antiquitate usque in hunc diem celebre illud in oriente & occidente τρισάγιον, quo perpetuam sacratissimæ Trinitatis ὁμολογίαν & δοξολογίαν in ecclesiis suis sonare voluerunt. De quo vide *Baronium in annal. ad ann.*446. §. 12. 13. Imprimis in operibus *Damasceni* prolixam epistolam de Trisagio; & eundem *lib.* 3. *de orthod. fide cap.* 10. Et *Iohann. Meursii Lexicon Græco-Barbarum*: ubi in voce τρισάγιον multa de eo notavit. Si legantur homiliæ patrum de Trinitate, de filio, de spir. s.; & qui dogmaticè ac elencticè dogma hoc tractant (quales *Nazianzenus*, *Athanasius*, *Basilius*, *Augustinus*, *Hilarius*, *Alcuinus*) videbimus non esse tam siccum & sterile, ut nonnulli arbitrantur: quod docent imprimis practicæ meditationes preces, adhortationes, quibus *Augustinus*, *Hilarius*, tractatus suos concludunt, & *Nazianz. orat.* 1. *de filio*, & *orat. adv. Arrian.* & *de seipso* & *Orat. de Sp. s.* Idem in *Orat. in Pentec.* passim per totam. Omnibus illis antiquior *Clemens Alexandrinus in eleganti precatiuncula & gratiarum actione*, qua concludit suum Pædagogum. Quam vide. Recentiorum usus practicos, quos habent in *loc. comm. de Mediat.* imprimis in commentariis non vacat nunc conferre. Indico studiosis, paucu-los, quos consului, qui seorsim & ex professo aliquid de iis adnotarunt, *Nicol.* scil. *Bifeldium*, *in Hypotyposi sanctorum sermonum*, & Cl. DD. Professores Leidenses in *Censura confessionis Remonstr.* *Pezelium in Disp. de Trinitate* inserta *Examini Melanthonis p.* 170. *D. Gomarum in Disput. de persona patris & filii*, *& altera de Spiritu s. Melanthonem in locis communibus* sub finem loci *de Spiritu sancto*; ubi piè admodum monet de praxi hujus doctrinæ, & per eam orthodoxiæ confirmatione. Vide ipsum: & in *Consiliis part.* 2. *p.* 397. ubi habes pias preces ad trinitatem, filium, & spir. s., paucis ante obitum diebus ab ipso scriptas. Voluissem librum *Gisberti Schevicavii Soc. Iesu de Trinitate* cognoscendâ, amandâ, laudandâ, olim conspectum, percurrere; si forte symbolam aliquam huc contulisset: sed nunc ejus mihi non est copia. *Lorinus in commentar. ad Sapientiæ cap.* 7. *v.* 22. 23. multa colligit attributa spir. s. quæ ad praxim piarum meditationum, & concionum usum suum præstare possint. Adde *Ludovici de Ponte meditationes*, *in Introduct.* §. 1. & 5.

Exceptiones Remonstrantium in apologia p. 53, nunc removendæ. 1. 4. *Vsus*, inquiunt, *doctrinæ de Deo præmissi fuerunt &c. nunc tantum hoc capite asseritur, Deum illum se patefecisse sub tribus personis seu hypostasibus. Quis, nisi vecors, novos usus hic fingat. Quicunque enim hic fingentur usus, ii non fingentur sub*

alio

alio conceptu, quam sub conceptu Deitatis. Persona ut persona est, simpliciter usum præbere non potest, nisi quatenus persona divina est. Resp. 1. Quid per personam intelligant non satis capio. Personam filii cum dicimus aut cogitamus, non præscindimus deitatem, sed & personalitatem illi propriam & essentiam Dei simul intelligimus, hoc est, Deum filium. Iam autem usus quos hic annotavimus, alii sunt quam quos de Spir. s.; alio enim conceptu intelligitur Spir. s. & alio filius; immo ipsi sunt revera alius & alius. 2. Si Trinitatem seu tres personas simul, aut unam ex illis seorsim cogites; jam illarum præcisi conceptus non sunt conceptus deitatis ut sic & præcisè consideratæ: neque enim notio & conceptus triadis seu multitudinis & distinctionis est conceptus unitatis seu unionis. Si ergo eodem conceptu formali non intelligis filium, aut Spir. s. quomodo non proprios usus practicos suggerent effata illa: *Coloss.* 1. *v.* 15. 16. 17. 18. cum *Hebr.* 1. 2. 3. de filio; & effata *Iohan.* 14. 16. 17. & 15. 26. de Spiritu S., & de patre *Iohann.* 5. & 16. *v.* 15. 23. 27. & 17. 26. 11. & de tribus 2 *Corinth.* 13. 13. Cur ergo scriptura distinxit? Nisi dicant omnia illa inferre distinctiones purè nominales, aut ad summum rationis ratiocinantis. Non est autem quod hic prætexant metaphysicos terminos & distinctiones: ipsi enim nobis præeunt; suo *quatenus*, & *sub conceptu*, & *realiter distincta.* 3. Siquidem propter conceptuum conjunctionem, aut mutuam ac necessariam ad se invicem relationem (juxta illud Nazianzeni: Οὐ φθάνω τὸ ἓν νοῆσαι καὶ τοῖς τρισὶ &c.) nullam eorum distinctionem patiantur, per proprios ac peculiares modos & respectus saltem; non video quid Sabellio responsuri sint? Quid itidem illis qui ignorant aut dissimulant tres personas; siquidem prætexant, se unum Deum confitendo triada jam confessos, quia trias non concipiatur nisi sub conceptu unicæ essentię divinę. 4. Verum quidem est triada esse unam essentiam, & unam essentiam esse triada (in sensu scil. identico, sed non in sensu formali): sed ideo conceptus illius non est hujus, nec vice versa: sequetur enim Gentiles per lumen naturæ cognoscentes unicam Dei essentiam, cognovisse tres personas. Sic etiã verum est, tres personas unas & unitas esse in unius deitatis communione: nec tamen negãdum, eas realiter distingui inter se, qua personas. Hic ergo usus eatenus distincti & proprii sunt cõstituendi, quatenus & quousq; cõceptus nostri distincti sunt: Sequuntur enim praxes illæ mentales & spirituales, conceptus nostri intellectus. Vide *Arminii* distinctionẽ cõceptuum hic factam in *disp.* proxime *præced. de* αὐτοθεῷ. 5. Quod addunt: *persona ut persona est, simpliciter usum præbere non potest nisi quatenus persona divina est: divinitatis autem conceptus, quos usus præbeat jam ante præcedente capite* (de Dei sc. Natura & essentia) *indicatum erat*: non uno modo absurdum est. Nam

primo

primo, falsum præsupponunt. Persona ut persona simpliciter hic non consideratur: sed, ut persona divina filii, ut persona divina patris, ut persona divina spir.s., *Adhæc*, ut trias, quarum secunda subsistat & operetur à prima, tertia à prima & secunda. Quod secunda generetur à prima atq; adeo sit μονοχώης παράπαλιν: tertia vero procedat à primâ & secundâ. Quod persona divina patris sit in persona divina filii, & viceversa. Hæc distincte sic concipienda proponit s. scriptura; nec tantum unam essentiam Dei seu unitatem deitatis explicat & unitatem divinam quatenus talem in scriptura legi & ex ea à nobis concipi vult. Quæ usum suum habere quis negabit? *Secundo*, non satis distinguunt quis & qua. Vt si quæstio sit cum Socinianis an filius creaverit mundum. Quis creavit an pater, solus & non filius? Ego dico & filium creasse, (hic est conceptus meus) sed non quà filium; nam tum excluderetur pater. Idem concipio & dico de prima & suprema divina adoratione. Quis ea sit adorandus? Respondeo patrem, & filium, & Spir.s.; non vero quà filium, (filiatione ut sic, formaliter & obstractè considerată) sed quà Deum, nam conceptus unius deitatis fundat illam adorationem. Nihilominus conceptus hic: Is est adorandus, is creavit, fuit persona ante Mariam, filius scil. Et alter: Is creavit, is adorandus est; scil. spiritus s.; suum usum orthodoxis præbet, quo Sociniani (quãvis millies unam deitatem, & unum Deum, ut unum, concipiant) carent. *Tertio*, ut absurditatem suam videant repono ipsis simile sophisma: Vnitas ut unitas, scientia ut scientia, beneficientia ut beneficientia, misericordia ut misericordia, justitia ut justitia &c. simpliciter usum præbere non potest, nisi quatenus unitas, scientia &c. divina est. Divinitatis autem conceptus, quos usus præbeat jam ante dictum est, ergo ad singula attributa novi & proprii usus à Remõstrantibus nõ fuissent annotandi. Hoc ipsis oppositum fortius stringet, quam quod opponunt DD. Profess. Leidensibus; Personę enim divinæ revera seu realiter distinguuntur inter se; attributa autem Dei nec inter se nec ab essentia realiter distinguuntur.

Tertia pars, de tolerantia Anti-Trinitariorum.

EX iis quæ jam dicta sunt consectarii vice decidendum de tolerantia Anti-Trinitariorum. Præmittimus autem hæc præcognita. 1. Tolerantia est vel ecclesiastica, vel politica. *Illa* est tolerantia alicujus tãquam membri aut tanquam ministri in communione & fraternitate ecclesiæ, aut etiam ad illam communionem receptio. Quæ terminis, *moderationis*, *pacis*, *syncretismi*, *unionis sectarum*, *libertatis prophetandi* exprimi solet: de quâ alibi ex professo agendum. *Ista*; est tolerantia in 1.

ſocietate politica, aut Anti-Trinitariorum ſigillatim & privatim ſic ſentiẽtium, aut inſuper cœtuum, in quibus ſive publicè ſive privato-publice hęreſeos illius profeſſio doceatur & propagetur. Nos in pręſentiarum de poſteriori (quam permiſſionem & libertatem exercitii vocare poſſumus) hic inquirimus. 11. Anti-Trinitarii non unius ſunt ſectæ, Arriani ſcil., & Photiniani; & hi rurſum Franciſci-Davidici (qui Chriſtum adorandum negant) & Sociniani. Ante menſes aliquot in Tranſylvaniâ de ſummâ rei inter duas partes diſſidentes certatum eſt, utri eſſent genuini Anti-Trinitarii, quibus ibi libertas ante hac conceſſa, & in poſterum concedi deberet. Cui controverſiæ decidendæ delegati ſunt ex reliquis tribus profeſſionibus (quatuor enim ibi publicè obtinent, Reformata, Lutherana, Pontificia, Sociniana) Proceres deni octoni. Nos hic nunc proprie agemus, de illis Anti-Trinitariis, quorum hæreſes *catechęſi Racovienſi*, *ſcriptis Socini*, *Moſcorovii*, *Oſtorodti*, *Goſlavii*, *Smalcii*, *Crellii*, *Volckelii* &c. exhibentur: quia eos præ cæteris in oculis geſtant Remonſtrantes, & pietatem eorum in cœlum efferunt, quin & fraternitatem cum iis colendam non obſcure contendunt, & quorum ubera ſuxiſſe eos, demonſtratum eſt à DD. *Profeſſoribus in cenſura*, & D. *Vedelio in arcanis Arminianiſmi*, & *tract. de Deo ſynagogæ*; & peculiaribus *tractatibus D. Bodecheri* & *D. Peltii* hunc in finem editis. Quin & ante Synodum Dordracenam, non pauci ex miniſtris Remonſtrantibus Socinianiſmi introductionem occultè moliebantur, quod docuit 1. *Cauſa* Conr. Vorſtii & promotio ejus ad cathedram Leidenſem (de quibus ſuo tempore conſulant Iuniores *Apologiam Iacobi Regis magnæ Britanniæ*, *Lubbertum* & *Sopingium contra Grotium*, *Matthæi Sladi diſcept. alteram c. Vorſtium in præfat.*, *narrationem hiſtoricam actis Synodi Dordracenæ* præmiſſam, & *ſententiam ſynodi Dord. ſeſſ.* 151.) 2. *Miniſtri* Remonſtrantes non pauci in Socinianis erroribus deprehenſi, inter quos, celebres Henr. Slaetſius, poſtea paricida, Adolphus Venator, Geiſterani duo (quorum confeſſio actis *Synodi Dordracenæ ſeſſ.* inſerta:) & nonnulli miniſtri in Zuydhollandiâ anno 1618. & 1619. per deputatos Synodi & Ampliſſ. Delegatos Illuſtr. DD. Ordinum in lucem protracti. Cum quorum dictis, ſcriptis conferenda excerpta nonnulla ejuſdem commatis in *Specimine controverſ. Belgicar. D. Feſti Hommii.* 3. *Promotio* M. *Epiſcopii* ad cathedram Leidenſem, ejuſque Theologia ibi in juventutem ſparſa; quæ quam formaliter aut quam realiter differat à Theologia Sociniana, judicent illi qui lectiones ejus audiverunt, aut excerpta legerunt, aut qui (ut compendio utantur) *privatas* ejus *Diſputationes*, (quæ publice proſtant) cum catechęſi Racovienſi modo conferre dignabuntur.

DE

DE Neceſſitate & Utilitate dogmatis de SS. TRINITATE.

PARS ALTERA.

Reſp. PETRO IOHANNIS SAANVLIET Amſtelredamenſi.

Ad diem 23. Februar. 1639.

4 QVOD *plerique* eorum (præſertim in Hollandia) ſuſpicionem Sociniſmi ingenua confeſſione à ſe amoliri detrectarint: quæ tergiverſatio imprimis notanda eſt in tribus illis Remonſtranticæ cauſæ deputatis 27. Februarii anno 1613. in collatione Delfenſi: de qua vide *narrationem hiſtoricam actis Synodi Dordrac.* præmiſſam. 5. *Quod* inter ſuos tolerarent; foverent, promoverent, eos quos Socinianis aut Anabaptiſticis, aut pejoribus opinionibus delibutos noverant ex. gr. Adolphum Venatorem, Henr. Slaetſium, Geiſteranos, Welſingium, Tombergium &c. 6. *Quod* illuſtr. Ordines Hollandiæ, quamvis magnam partem partim opinioni partim prætenſæ moderationi quinquarticulanæ tunc faverent, anno 1611. decretum fecerint, ne de perfectâ Chriſti ſatisfactione, de fide, de peccato originali &c. aliter doceretur, quam paſſim in eccleſiis reformatis hactenus traditum fuerat. Vide *dictam hiſtoriam.* 7. Quod *H. Grotius*, quem factionis ſuæ ornamentum, ſemper duxerunt in libris *de Iure pacis & belli, de Veritate relig. Chriſtianæ, in notis ad Euangeliſtas*, & in *appendicibus ibid.* nonnulla protulerit, quæ à Socinianis conceptibus tam procul abeſſe non videntur, ac nos quidem vellemus. Sed præſumptionibus & probationibus coacervandis non eſt quod ultra nos fatigemus: cum ab eo tempore dies diem ita docuerit, & operta ita aperta facta fuerint, ut omnibus præjudicio non excœcatis facile conſtare poſſit primipilis ſocietatis πρῶτον fuiſſe contentionem de abſoluta prædeſtinatione &c. αἰτίαν verò Theologiam Socinianam. Poſtquam enim ſpes publice obtinendi & rerum potiundi plane decollaſſet, latens Socini virus *confeſſione & apologiâ*, cum *Vedelio Rhapſodo, & reſponſo ad Profeſſ. Leidenſ.*, ita effuderunt, ut nulla ſophiſtica, nullis deceptiunculis & æquivocationibus, nullis diverticulis & declamationibus hoc reſorberi poſſit. De his ergo Anti-Trinitariis quorum genealogiam & hiſtoriam nuper in *prælectionibus noſtris* ſynoptice exhibuimus (quæ etiam magna ex parte deſcripta exſtat apud *Schluſſelburgium de Hæreſibus, Poſſevinum in biblioth, ſelecta*) quæritur, An eccleſiaſtice aut politice ſint tolerandi. 1.

Ad prius quæſtionis membrum reſpondemus, Non eſſe in commu- 2.

 nione

nione Eccleſiæ noſtræ tolerandos, aut libertatem prophetandi circa dogmata controverſia ipſis ibi concedendam, aut fraternitatem cum iis colendam. Rationes omnes huc faciunt, quæ ſupra pro neceſſitate doctrinæ de Trinitate protulimus. Conferri etiam poſſunt quæ in genere diximus de *Articulis & erroribus Fundamental.*, & de *Syncretiſmo*, & de *Libertate prophetandi*. Suffecerit nunc iſtas ſpeciatim huic negotio applicaſſe. I. *Argum.* Quia non cognoſcunt nec colunt nobiſcum unum eundemque verum Deum; qui eſt pater, filius, ſpiritus ſ. ſed colere ſe prætendunt unum ac primum Deum, patrem, & alterum Deum (ſed inferiorem, atque accidentalem ſeu factum) filium. II. *Argum.* Quia fundamentum aliud ponunt, quam poſitum eſt contra I *Corinth.* 3 Loco enim Chriſti, qui eſt perſona divina habens duas naturas, aliam ſubſtituunt perſonam, humanam ſcil. natura ſeu eſſentia humana tantummodo conſtantem. Negant itaque Chriſtum veniſſe in carnem I *Joh.* 4. aliud ponunt fundamentum, & eundem Chriſtum nobiſcum minime invocant. Quocirca non eſt fraterna communio cum iis colenda I *Corinth.* I. 2. III. *Argum.* Quia non habent nobiſcum idem lavacrum ſanguinis Chriſti, nec per illud ſe purgatos & ſanctificatos credunt: Negant enim ſatisfactionem ejus & ἱλασμὸν pro peccatis. Cum talibus itaque fraterna communio non eſt colenda I *Petr.* I. 2. IV. *Argum.* Quia partim convellunt partim graviter luxant, cauſas & media applicationis ſalutis; in capitibus ſcil. de Iuſtificatione, regeneratione & gratia Dei convertente: cum quibus cohærent de peccato originali, & libero arbitrio, de imagine Dei, de perfectione in hac vita, de reſurrectione carnis, de diſpenſatione novi fœderis, ſacramentis. Ne ipſum quidem fidei principium verbum ſcil. Dei intactum manet, dum autoritatem ejus arrodunt, & aliud principium (rationem ſcil. humanam) ei adjungunt, ſi non præponunt. Hæc autem implicant partim graves, partim fundamentales errores. Quod ex *Galat.* 5. 2. 3. 4. coll. cum *cap.* 3. 1. 2. I *Joh.* 1. 8. I *Corinth.* 4. 7. & 15. 13. 55. *Hebr.* 6. 1. 2. analogice colligi poteſt. V. *Argum.* Quia ſequeretur hoc abſurdum, cum omnibus ſectis etiam Libertino-Enthuſiaſticis, David-Ioriſtis ſcil. Franckiſtis, Zwenckfeldianis, Henric-Nicolaitis; & antiquis Valentinianis, Marcionitis, Manicheis, &c. ſyncretiſmum ineundum. Nihil habent, quod excipiant adverſarii ſecundum ſuas hypotheſes. Niſi probent illos I. non invocare Chriſtum, aut ſaltem non profiteri eum, quouſque eandem profitentur ſectatores Neo-Photinianorum, aut Franciſci Davidis. 2. Non velle pie vivere, ſecundum profeſſionem & cognitionem ſuam. 3. Gradus aut partes cognitionis, quibus Sociniani

aut

aut Franciſco-Davidici ſupra illos hæreticos aſcendunt præcise ad ſalutem eſſe neceſſarios; atque adeo hos hæreticos quia per infirmitatem & conſcientiam ſuam illud faſtigium Socinianum & τὸ *minimum quod ſic* attingere non poſſunt, eſſe in æternum damnatos: Et hoc in ſcripturis ſive κατὰ τὸ ῥητὸν ſive per conſequentiam tam evidentem comparere, ut quilibet ſanæ mentis hoc percipiat. VI. *arg.* ad hominem. Quia cum Pontificiis negant ſyncretiſmum ineundum *Arminius Diſput. peculiari de cauſis ſeceſſionis*, & *Vorſtius Diſputationibus duodecim de eadem quæſtione*; & videntur hodierni Remonſtrantes eandem ſentẽtiam nondum abjeciſſe. Atqui tolerabiliores ſunt Pontificii quam Sociniani; *quia* non negant primo prima fundamenta de Trinitate, de perſona Chriſti mediatoris, de ſatisfactione Chriſti: nec etiam ita corrumpunt, dogmata de Gratia Dei & libero arbitrio, de imagine Dei, de reſurrectione carnis &c. *tum quia* pleriq; errores eorum, etiã graviſſimi; nõ ita ipſa fundamẽtalia immediate & primo tollunt per ſimplicem negationẽ aut ſubſtractionem, ac Sociniani: collocant enim juxta fundamentalia, & alia fundamẽtalia, & ſic per additionẽ corrumpunt. Hic nihil habent quod excipiant, quã Pontificios exercere idololatriam, atque hac ratione Socinianis eſſe deteriores. *Reſp.* 1. Atqui prædicti autores ſolam idololatriam non faciunt cauſam ſeceſſionis, ſed & alias hæreſes Papatus: immo *Vorſtius* ſtatuit unam ex duodecim cauſis à ſe allegatis ſufficere. Sunt autem inter illas cauſas, errores de Iuſtificatione, Item de ſacramentis (extra idololatriam miſſaticam) ſtatu peccati & gratia Dei &c. 2. Sed quia prior dies forte diſcipulus fuit poſterioris, & ſic reſponſio iſta ad hominem nunc non amplius ſtringit, hodiernos ſeu Neo-Remonſtrantes; damus alteram hanc & directam reſponſionem: Et Socinianos eſſe idololatras, & quidem turpiſſimos, quippe qui ex formula religionis ſuæ præter unum illum ſolum natura Deum conditorem omnium, divino cultu adorant Chriſtum natura ψίλον ἄνθρωπον, contra *Galat.* 4. 2. coll. cum *Ierem.* 10. 11. Si dicant, illi in conſcientia ſentiunt Chriſtum divino cultu adorandum, reponimus Pontificios proteſtari ſe idem ſentire de idolo ſuo miſſatico, de imagine Chriſti, de Maria, de aliis ſanctis, de angelis. 3. Non-cultus veri Dei ſeu ἀσέβεια non eſt minus abominanda, quam cultus idololatricus. Sed illam committunt Sociniani, ratione Spir. ſ. quem non agnoſcunt aut colunt, ut unum illum verum Deum; Ex quibus omnibus patet impietatem eorum hac in parte ſuperare idololatriam Pontificiam. 4. Denique exceptio hæc nulla eſt, niſi ſolide probetur ex ſcripturis idololatriam Pontificiam (quam illi ex præſcripto religionis ſuæ exercent) ſimpliciter & abſolute omnes &

singulos ab omni spe salutis excludere, idololatriam autem Socinianam cum ἀσεβείᾳ modo dicta conjunctam non excludere : horum errores esse innoxios, illorum minime. VII. *arg.* ad hominem : Quia Remonstrantes statuunt fraternitatem & communionem ecclesiasticam nobiscum non potuisse ab auditoribus suis servari, sed secessionem & separationem ubique instituendam fuisse, etiam ubi separatos conventus suos sive in publicis templis, sive in privatis ædibus antea nunquam habuissent ex. gr. Amstelredami, Gorcomii, Auduatræ, Delfis, Harlemi, Leidæ. Ergo multo minus servari poterit cum Socinianis. Si enim dicant Ecclesias Belgicas *tum* quæ extra contentiones Remonstranticas constitutæ fuerunt (ut in provincia Zeelandica, Frisica, Groningo-Omlandica, & aliquot civitatibus in Hollandia,) breviter plerisque extra Hollandiã & diœcesim Vltrajectinã; *tum*, quæ contentionibus illis infestę fuerunt, ut hæc nostra Vltrajectina; item Roterodamensis, Leidensis, Hornana, &c. esse minus tolerabiles, quam Socinianos : petimus ab illis ut ex scripturæ evidentibus testimoniis & consequentiis demonstrẽt, gradum erroris & apostasiæ nostræ tantum superare Socinismum, ut hic cum aliqua spe æternæ salutis consistere possit, ille vero non possit. Hoc ubi probaverint, erunt mihi ex Remõstrantibus (hoc est,) dicentibus, demonstrantes. VIII. *Arg.* *Accedat* nunc consensus antiquæ Ecclesiæ; quæ omnibus Anti-Trinitariis pacis repudium misit : ut videre est in *Actis Concilii Niceni*, quæ suo tempore requirant juniores in *Tomis Concilior*, & in *historiis ecclesiasticis, Baronio, Centuriatoribus Magdeburg.*, aut similibus. Nobis hic sufficerit notasse, Anti-Trinitarios dictos *Paulianos* seu *Paulianistas*, (apud *Suidam* & *Concil. Nicen. can.* 18. & *August. de hæres. c.* 14.) hoc est Samosatitas (ut eos vocat *Epiph. hæres.* 65.) δευτέρους Ιουδαίους appellatos esse, ut *ibid.* notat *Epiphanius*, & siquidem se converterent rebaptizandos statuit *Concil. Nic. can. cit.* coll. cum *Augustino* & *Epiphanio* loc. & *Niceta thesauri Orthod. Fidei lib.* 4. *hæres.* 32. De Symbolo Athanasii & reliquorum primorum Conciliorum, nõ est quod hic repetam. Addo fuisse Arrianis nomen Christianorum à patribus negatum : ut docet *Athanas. disp.* 1. *c. Arrianos* & *disp.* 2. & *oratione* 2 *contra Arrianos*, & *ad Serapionem*. Hinc etiam orthodoxi absolute dicebantur Christiani, exclusive scil. seu oppositè ad Arrianos. Quomodo *Photius in Epitome Philostorgiana* (nuper à Iac. Gothofredo gr. lat. edita,) scribit Christianos accusari, à Theomacho isto h. e. Philostorgio Arriano. Imprimis autem hic considerandum quanto cum zelo, quantis cum difficultatibus & persecutionibus omnem syncretismum oblatum repuerint, obtrusum fugerint orthodoxi istius sæculi Doctores; quod docent

gesta

gesta ante Concilium Syrmiense anno 357. & utrumq; Ariminense an. 358. & post ea, de quibus vide *Socratem histor. Eccles. lib. 2. c. 52. 29. Sozom. lib. 4. c. 5. & c. Athanas. de Synodis, Hilarium de Synodis, Epiphan. hæresi 73. August. sermon. 129.* Imprimis & *Theodoret. lib. 1. c. 4. & 7. & 12. & lib. 4. c. 3. & lib. 2. c. 8.* & *Socratem l. 1. c. 9. & 6.* Omnium verba nimis prolixum esset describere. Tantum ex Theodoreto exhibeo verba epistolæ synodicæ Sardicensis à 250. episcopis scriptæ : *Sunto igitur vobis etiam omnibus anathema, quia verbum veritatis cauponati sunt : est enim præceptum apostolicum, si quis vobis euangelizaverit &c.* Ibidem citant locum 2 *Corinth.* 6. 14. Et verba Socratis lib. 1. c. 6. *Ex hac Concilii* (Niceni scil.) *epistola planum sit, eos non solum Ario & ejus sectatoribus, verum etiam verba* (τὰς λέξεις) *opinionis ipsius anathemizasse.* Inter pios obnitentium conatus celebre est dictum illud Hilarii alibi nobis notatum : *Anathema tibi Liberi* : propter admissum scil. syncretismum aliquem cum Arrianis. Si quis nunc compendio studeat, is percurrat *Mellificium histor. Pezelii*, aut *Chronicon Melanthonis* : alias, ubi plus otii, conferat *Baronii annales ad ann. 357. 358.* &c. Facit autem ad consensum ex superabundanti, quod ipsum Concil. Syrmiense quãvis Arrianum, aut saltem suspectæ fidei, Photinum (cujus genuinos discipulos se profitentur Sociniani apud *Ostor. in Inst. c. 6.*) anathemizaverit, qui propterea etiam exilio multatus fuit teste *Socrate lib. 2. c. 24.* & *Sozomemo lib. 4. c. 5.* IX. *Arg.* Consensus Christianismi mediæ ætatis, & hodierni ne latum quidem unguem à patribus illis hac in parte recedunt : omnes enim & ubique approbarunt formulam Nicenam & sequentium Conciliorum, qua Anti-Trinitarii excluduntur. Sic enim docent scripta *Bedæ, Theophylacti, Euthymii, Oecumenii, Alcuini, Rabbani, Haymonis, Hugonis de S. Victore, Anselmi, Richardi de S. Victore, Bernardi, Lombardi, Thomæ &* commentatorum, qui partim peculiaribus tract. partim in commentar., concionibus, locis communibus & Disputationibus hoc dogma propugnant : ubi adversarios tanquam errantes in fide & hæreticos rejiciunt ; & consequenter communionem fraternam ipsis denegant. Inter alios *Alcuinus* sive *Albinus* anno 770. libros tres eruditè scripsit *de Trinitate*, quos seorsim editos anno 1554. commentario illustravit *Lucas Lossius.* Vbi *lib. 1. cap. 2. & 3.* necessitas hujus *doctrinæ asseritur.* His adde omnes. *Canonistas ad Clementinam unicam de Summa Trinitate & Fide Catholica.* Si per nationes suffragia colligantur eandem vocem omnium per singula sæcula successive audiemus : ita ut inter tot corruptelas & distractiones in hujus dogmatis veritate & necessitate Christianismi unitas & antiquus catholicismus mirabiliter conservatus sit. Ecclesiæ Gallicanæ suffragium habet

9 Consensus Christianismi mediæ ætatis & hodierni

bet *Bochellus in Decret. eccles. Gallicanæ lib. 1. tit. 1.* ubi inter alia Gregorii Turonensis, qui primus est, hæc seria contestatio ex histor. lib. 1. *Illos vero qui dicunt, erat quando non erat, exsecrabiliter renuo, & ab ecclesia segregari contestor.* Consensum Orientalium exhibet Photii Nomocanon tit. 1. c. 1. ubi nota scholium Balsamonis (qui scripsit sub Manuele Comneno circa annum 1200.) *Prima constitutio tit. 1. lib. 1. codicis est &c. Christianus est qui credit patris, filii & Spir. s. sub pari majestate unam esse deitatem. Qui vero contra dicta docet, hæreticus est.* Nec recesserunt ab hâc sententiâ usq; in hunc diem ut colligere est ex illis quæ acta cum Græcis in Concilio Florentino: item ex *responso Ieremiæ Patriarchæ Constantinopol. ad Academ. VVitteberg.*, *Epistola Patriarchæ Meletii ad Nobiliss. I. Douzam* Nordovici Toparcham, & nupera *confessione patriarchæ Cyrilli*: ut nihil dicam de privatis variorum scriptis, & publicis euchologiis & liturgiis Græcor. Armenior. Ægyptior. Syror. Æthiopum, Moscovitar. Exstat etiam *Responsum Basilii ducis Moscorum* anno 1570. *ad Ioh. Rohitæ confessionem, ubi cap. 3. & 6.* Christiani nomine privat in hoc dogmate dissentientes: sed calumniose id applicat ministro illi reformato. Ad Christianismum occidentalem post tempora reformationis, si accedimus, comperiemus inter omnes mutationes, discessiones, funestas disceptationes hujus dogmatis integritatem & necessitatem uno zelo ab omnibus assertam. De Pontificiis infra dicemus. Et Remonstrantes *Apolog.* dicunt eos esse primores hujus articuli defensores.

Protestantes & Reformati insistentes vestigiis Waldensium, Albigensium, Wiclefistarum, Bohemorum, aliorumque qui antehac à Papatu discesserant, aut sub jugo ejus gemuerant, nullam reformationem aut mutationem hic postularunt, quin immo constanter huic universali totius fidei fundamento adhæserunt. Cui rei fidem faciunt 1. certamina cum occultis & manifestis Anti-Trinitariis: quorum historia alias textenda. 2. Harmonia Confessionum. 3. Syncretismus omnis & tolerantia illis constanter negata, (ut ut chrestologiis suis eam flagitent) 4. Nomen Christianorum ipsis negatum. 5. Peremptoria exclusio eorum, extra omnia consilia pacis aut syncretismi aut Interimismi inter Protestantes & Pontificios, rursum inter reformatos & Lutheranos, denique inter quoscunque alibi dissidentes. Si percurrantur historiæ, & sexcenti libelli (ut vocantur) pacifici (quorum catalogi editi cum *consultatione Cassandri*, & nuper cum libello *Ioh. Duræi de pace Ecclesiastica inter Euangelicos procuranda*) non invenies communi pace, quę petitur aut prætenditur, Anti-Trinitarios comprehendi. Fidem etiam faciunt illa quæ anno 1635. Socinianis in Polonia ad collationem de religione

ligione & oblita consilia pacis se offerentibus. Vnus & solus est *Tractatus Acontii* imprudentioribus nonnullis imposuit; nec est quod eum objiciant Remonstrantes in *Apol.p.*11.& *Resp.ad Profess.Leiden.p.*65. Siquidem innotuisset Ecclesiis Reformatis, quod recte innuit *l.*3.*p.* 114. 123. & *lib.*7.*p.*341. edit, Basilienſis in 8. apud Waldkirchium 1616. edente Ioh.Iacobo Grassero; Vtique in communione sua illum non retinuissent, nisi apertius declarasset, se ex Italia prætextu reformationis, non attulisse quod populares ejus Alciatus, Blandrata, Gribaldus, Socinus uterque &c. Adde consensum Politiarum in Christianismo: quin & ipsorum Remonstrantium (ut antehac præ se ferebant) quem utrumque commodius ad secundum hujus quæstionis membrum annotabimus.

Atque hæc quidem orthodoxa & catholica Christianismi sententia; 3.
quam oppugnant præter Socinianos viri aliquot paradoxi, quos in Belgio Remonstrantes appellant. Oppugnant autem more suo, modo asserentium, modo dubitantium & disquirentium, modo opponentium, modo quasi ad ἐχεμυθίαν redactorum, modo ignorantium & φιλομαθῶν personam sustinendo. Quæstionem autem illam status inficialis tam solide tractavit Cl. *Vedelius in Arcanis Arminianismi*, ut ipsi nunc videantur acquiescere,& libello vernacula lingua nuper edito titulo, Den rechten Remonstrantschen Theologant / *p.*69.70.71.72.73. &c. sententiam illam suam rationibus & testimoniis undique conquisitis firmare. Argumenta, quæ ex *dicto libello* & *Apologia & Vedelio Rhapsodo*, imprimis ex *Responso ad excerpta Professor.Leidensium* (vide *p.*31.42.57.58.82.83.)colligere potuimus sunt fere ista. 1.*Object.* Quia patrem in Christo honorāt,& ab utroq; Spiritum sanctum precibus suis obtinere quærunt: sed tantum errant in fide de persona & officio Christi. Remonstr.Apolog.*p.*85.86.in cótroversiis circa personam & naturas Christi,quæ inter doctos moventur, *Ibid. p.*72. Nota Christiane lector,quisquis es,quomodo hic excludatur persona divina & adoratio Spir.s.;& hæreses Socinianę dicantur cótroversiæ,quæ inter viros doctos agitantur: quasi scil.nihil aliud essent quam problematicę & scholasticæ quædam disceptationes. Ad objectionem sic *Resp.* 1. Qui legitimum regem honorat tanquam alium quem virum honorabilem,sed non tanquam súum regem, ubique exsertè contendens, eum non esse regem,is sane in politiâ errat fundamētaliter; nec potest in communione & societate civica tanquam bonus civis tolerari. Pari ratione in religione & ecclesia fundamentaliter errant, qui deitatem filii & spiritus s.hoc est, supremam eorum majestatem oppugnant; quamvis protestentur, se filium religiosè colere & adorare. 2. Signanter dicitur eos petere à patre & filio spiritum sanctum; sed hoc non est colere, & adorare spiri-

tum ſanctum. Qui ſpiritum ſanctum haut aliter à Deo petit ac panem quotidianum, aut pacem conſcientiæ, aut fidem, aut ſpem, aut cognitionem, aut quodcunque aliud donum: is non magis religioſe colit & adorat ſpiritum ſanctum quam panem; aut fidem ſuam, aut cognitionem aut quodcunque aliud donum. Atqui error fundamentalis eſt, cum ſtatuitur non magis quam panem, aut quodcunque bonum noſtrum internum aut externum eſſe illum colendum & adorandum, qui cum patre & filio eſt ὁμοούσιος Deus; ut hoc etiamnum à ſuis credi præ ſe ferunt Remonſtrantes. 3. Pari ratione dici poſſet Muhamediſtas Chriſtum honorare, quouſque intelligunt & cognoſcunt eum honorandum: nec tamen ideo eos in communionem noſtram tanquam bonos Chriſtianos recipere velimus; uti nec Remonſtrantes id facturos arbitror. 4. Adde Pontificios proteſtari, ſe æternum filium Dei eundem cum patre Deum adorare, cum panem euchariſticum adorant: unde tamen non ſequitur errorem non eſſe noxium aut fundamentalem. 5. Quin & Iudæi proteſtari poſſent, ſe nihil aliud intendere quam ut adorent ac colant unum ſolum verum Deum; qui & quatenus ſe in ſcriptis V. T. patefecit. An ideo dicerentur non errare fundamentaliter, & à Remonſtrantibus in communionem eccleſiaſticam reciperentur? 11. *Obj.* Sunt Chriſtiani, & tales ſe profitentur, & verbum Dei tanquam unicum fidei canonem recipiunt. *Reſp.* Quamplurimos invenias inter antiquos & recentiores hæreticos qui eadem proteſtatione uti poſſent qui tamen eo ipſo non ſunt meliores e.g. Neſtoriani, Eutychiani, Monothelitæ, Sabelliani, qui poſtremi tamen ab *Acontio* Remonſtrantibus tantopere laudato extra novum ipſius catholicum ſymbolum & communionem ſeu ſyncretiſmum collocantur, quia ſtatuunt filium eſſe eandem perſonam cum patre. De fanaticis quibuſvis Anabaptiſtarum ſectis idem dici poſſet. Ex Pontificiis *Michael Bajus in diſputatione de euchariſtia contra* Nobiliſſ. *Sanct. Aldegondii dominum* eo deſcendit, ut controverſiã ſcripturæ tanquam unico principio & judici terminandam concederet. An ideo negarent Remonſtrantes reliquos omnes ipſius errores de ſacrificio miſſæ, de ſatisfactionibus humanis, de cultu imaginum &c. eſſe fundamentales, quibus non obſtantibus ad communionem noſtram admittendus eſſet? 111. *Obj.* Diligunt dominum Ieſum & ex intimo ejus amore, ut & verbi ac veritatis ejus ſic ſe credere ac ſentire, nec ſe aliter poſſe proteſtantur: ita ut anathema apoſtoli 1 *Corinth.* 16. 22. illis aptari nequeat. *Reſp.* 1. Idem proteſtantur Pontificii, & inter illos maxime omnium Papæ, Cardinales, Epiſcopi, Abbates, Inquiſitores, &c. cum imagines, ſanctos, angelos, panem euchariſticum adorant, ſcripturam contemnunt & traducunt; vere fideles

fideles & pios perſequuntur & excarnificant, millenas perfidias, proditiones, parricidia excogitant & exequuntur. An ideo Remonſtrantes, ad communionem ſuam illos admitterent? 2. Quid ſi quis amaret, ſeu potius proteſtaretur ſe amare dominum Ieſum; interim odio haberet & blaſphemaret ejuſdem verbum ac doctrinam e.gr. de vera ipſius divinitate, de ſatisfactione pro peccatis, de vero & ſupremo honore divino, qui illi juxta cum patre cõpetit; an prætenſus ille amor ſufficeret ut inter probos Chriſti diſcipulos & imitatores ille numeretur? 3. Quid ſi quis proteſtetur ſe amare perſonã aliquã, quæ ſit legitimus ipſius princeps aut Magiſtratus aut tutor, aut uxor; interim una proteſtaretur, ſe non agnoſcere illam pro legitimo principe, aut tutore, aut uxore, nec ut tales amare, an cõmunis ille prætenſus amor, reipſa perverſus & ſuppoſititius, ſufficeret? Sociniani Chriſtum diligunt, uti gloriãtur, ſed minime amore divino, qui ſoli Deo competit, & in eum ſolum tendit; conſequenter nullo amore debito & legitimo illum diligunt. Differunt enim in immẽſum amor Dei & creaturæ: uti ex multis rationibus & ex textu *Matth.* 22. *v.* 37. 38. 39. colligitur. Suum cuique hic tribuẽdum: nec poteſt ſine crimine horrendę ἀθεότητος & ἀσεβείας φίλῳ amore creaturæ amari infinitus ſumme bonus ac perfectus Deus; nec vice verſa ſine crimine horrendæ idololartiæ φίλῳ homo aut angelus aut quæcunque creatura amari amore divino. Quod ſi maritus amore conjugali non poteſt non proſequi uxorem, nec eodem proſequi poteſt quamcunque aliam mulierem abſque errore & peccato fundamentali adverſus conjugium: quanto minus abſque errore fundamentali adverſus religionem tantum amor creaturæ vero Deo deferri & amor divinus nõ deferri, aut cõtra amor Divinus creaturæ deferri poteſt. Major certe eſt diſtantia inter amorem creaturæ, & divinum; quam inter amorem communem hominum, & inter ſpecialem amorem conjugalem. 4. Si Mahumediſtæ proteſtarentur ſe Chriſtum amare; idque non tantum verbis ſed & ipſo facto oſtenderent, punientes ex amore & reverentia Chriſti Iudæos ipſum blaſphemantes: an ideo in fraternam communionem à Remonſtrantibus admitterentur? 5. Inſtantiam damus ad hominem: Iudei proteſtantur ſe unum Deum diligere, non tamen eum agnoſcunt ac diligunt tanquam patrem domini noſtri Ieſu Chriſti (quod neceſſarium eſſe non diffitebuntur Remonſtrantes) An illis anathema dicent, & quidem hoc ſolo, quia non diligunt eum ut patrem Chriſti. An vero in communionem ſuam eos recipient? Quid ergo reſpondebunt ad loca iſta *Roman.* 10. 2. 1 *Theſſal.* 2. 15. 16. *Iohann.* 13. 22. Ipſi Sociniani apud *Smalcium in Refut. Smiglecii de error. Arrianor. lib.* 1. *cap.* 2. fatentur illum eſſe hæreticum qui talia defendit quæ non permittunt

mittunt credere quod Iesus sit Christus, & quod Deus illum excitavit ex mortuis. Confer etiam *Vedelii Deum synagogæ.* IV. *Obj.* Sunt pii, immo piissimi, & conformiter suæ professioni pie vivunt. *Resp.* 1. *Negamus* eos piè vivere. Qui vero Deo honorem suum detrahunt, hoc est, deitatem & divinam majestatem, eamque aperte & directe negant, oppugnant, blasphemant, illi impie vivunt. Sed Sociniani vero & æterno Deo filio, scil. & spiritui s., divinam majestatem detrahunt &c. Ergo. 2. Assertio hæc de Socinianorum pietate nititur duabus falsis hypothesibus; quarum *Prior* est civilem honestatem esse Christianam pietatem. Quod vide refutatum ab autoribus practicis, qui verum christianismum, ejusque distinctionem à ficta & hypocritica μορφώσει pietatis describunt. Confer *disp.* nostram *de Simplicitate & hypocrisi.* *Altera* est, genuinam spiritualem Dei cognitionem ejusque sincerā, ac constantem professionem, non esse partem necessariam pietatis, aut praxeos aut obedientiæ Deo debitæ, aut veræ religionis. Atqui præcipitur illa primo decalogi præcepto, non minus ac fiducia, honor, timor, amor. Idque ipsi Remonstrantes statuunt in *Confessione* sua, ubi primum præceptum explicant: quamvis postea in *catechesi* sua *quæst* 58. omiserint. 3. Idem de Paulo persequente Christum & cogente homines ad ejus blasphemiam non minus affirmari deberet *Philipp.* 3. 9. 6. An eum negabunt errasse fundamenliter? an lupum illum in cōmunionem ovium Christi recipiendum dicent? Vide 1 *Timoth.* 1. 13. 15. *Actor.* 25. 9. 10. 11. 4. De nōnullis Muhamedistis & Iudęis non minori jure dici posset quam de Socinianis, Quod pie & honestè vivant. Atqui cum illis fraternitatem non colunt Remonstrantes. 5. De Davide Georgii, ejusque sectatoribus idem dici posset. Vide *historiam ejus* à Basilienſibus editam. 6. Denique multo majori jure dici posset aliquos ex Papalibus Episcopis, Theologis, monachis, Iesuitis, Inquisitoribus furiose religionem nostram & ecclesiam persequentibus pie vivere secundum professionem, sensum, & conscientiam suam. Nec obstare zelum persecutionis, cum secundum errantem suam conscientiam eum non minimā verę pietatis & amoris divini partem ducant; haut aliter ac Sociniani ex mera reverentia scripturæ, & conscientia officii Deo præstādi, se dogmata de Trinitate, satisfactione Christi &c. verbis, factisq; pro virili persequi & exterminare profitentur, eorumq; fidem in adversariis suis etiam invitis, impedire. De verbis fidem faciunt, multiplices blasphemiæ Socinianorum contra mysteria Trinitatis, incarnationis, satisfactionis, resurrectionis ejusdem carnis &c. De factis, carcer Franciſci Davidis, in quo phreneticus factus misere obiit: quod Socino autori aut instigatori adscribunt. Addi possent & Remonstrantes, qui persecutic-

cutionē cōtra orthodoxos Roterodami, Vltrajecti, Schoonhovię &c. concitatā (videātur *decreta Vltrajectinū*, & *Roterodamo Schielandicū*) ex conſcientia bona, & zelo divino profectam eſſe dicent proculdubio. Tantundem cum prætendant Papales perſecutores, & Inquiſitores quidam, cætera piè & honeſte ſecundum profeſſionem ſuam viventes; quomodo non fraternitatem ipſis offerent Remonſtrantes, æque ac Socinianis? v. *Obj.* Quia pro erroribus ſuis circa doctrinam de Trinitate, perſona & officio Chriſti &c. non pugnant contra conſcientiam ſuam; itaque errores eorum ſunt innoxii, nec propterea à fraternitate excludendi. *Reſp.* Pervelim doceri à Remonſtrantibus, quibus judiciis & gnoriſmatis certo ſtatui poſſit, errores ab aliquo defendi contra conſcientiam. Non puto aliquid ab iis poſſe commonſtrari, præter propriam errantis confeſſionem. Atqui jam nullus hæreticus, fanaticus, Enthuſiaſta, atheus à fraternitate excludendus, nec contra ſcientiam errare dicendus: quamdiu ipſe contra ſeipſum & de ſeipſo hoc non declarat. Fratres ergo ſunt Iudæi, Muhamediſtæ, Marcionitæ, Manichæi, Arriani, Sabelliani, Circumcelliones, Henric-Nicolaitæ, David-Ioriſtæ, Papa cum ſuis Cardinalibus & curialibus Romanis, Vaninus & Godefridus à Valle (de quibus in *diſp. de Atheiſmo*) Iacobus Clemens, Balthaſar Gerardus, Henricus Slaetſius, aliique aſſaſini & paricidæ, qui fidem, religionem & conſcientiam ſuam paricidalem conſtanter profeſſi ſunt, & ſanguine ſuo obſignarunt. VI. *Obj.* Quia Deus propter Sociniſmum (quem nos credimus eſſe hæreſin & blaſphemiam) neminem condemnabit: ſaltem hoc directe hactenus ex ſcriptura non potuit demonſtrari. *Reſp.* Nos contrarium per totam *hanc diſputationem* probavimus, ex fundamentis ſcripturæ *Galat.* 5. 1. 2. 3. & 3. 1. 2. & 1. *Iohan.* 1. 8. & 4. 3. & 1 *Corinth.* 5. 15. 13. Cōfer ſupra *part.* 1. *theſin.* 3. & *reſponſionem ad objectionem* paulo poſt ſubjiciendam. VII. *Obj.* Quia hæreſis ſpeculativa, hoc eſt, pertinax (ſed non contra conſcientiam) etiam circa neceſſaria, neminem damnabit; ſi modo pie vivat, & neget ſemper, per conſcientiæ dictamen aliter poſſe ſentire. *Reſp.* 1. *Hac* hypotheſi admiſſa dicendum eſſet, Paulum perſecutorem *Galat.* 1. 13. 14. ut & alios Iudæos hoſtes Chriſti *Iohann.* 16. 3. à Deo non potuiſſe damnari, aut à fidelium ſpirituali ac fraterna communione excludi quia ſcil. in conſcientia judicabant Deum hoc ita mandare: cujus mandatis non poterant non parere. Eſſe hic zelum Dei, *Roman.* 10. 2. eſſe intentam λαλιαν *Iohann.* 16. 3. Et tamen Iudæos illos, & ſeipſum condemnat apoſtolus 1 *Theſſal.* 2. 15. 16. 1 *Timoth.* 1. 17. 2. *Vnde* probabunt Hymeneum, Philetum, Alexandrum, Nicolaitas, contra ſcientiam & conſcientiam errores ſuos ſparſiſſe? qui tamen condemnantur in ſcriptura,

ptura,& ab omni communione segregantur 1. *Timoth.* 1.20. 2. *Tim.* 2.17. & 4.14 *Apocal.* 6.15. 3. *Quis* dicet omnes Christianos Iudaizantes contra conscientiã feciſſe? Eos tamen condemnat apostolus,& optat à cõmunione fidelium abscindi *Gal.* 5.12. 4.10.12. 4. Quomodo etiã probarent Remonstrãtes, omnes Iudæos, Muhamedistas, David-Ioristas, Weigelianos, Frãckistas, sectatores Franciſci Davidis, Martini Seidelii &c. honeste viventes, errores suos tenere & tueri contra conscientiam? Interim non admitterent eos, ut opinor, ad suam communionem, aut fraternitatem eorum affectarent. VIII. *Obj.* Quia *Iustinus Martyr* ejusmodi errores non collocat extra cõmunionem ecclesiæ Christianæ. Et *Salvianus lib.* 5. *de gubernatione Dei* (quem allegant in libello **Den Rechten Remonstr. Theologant**) censet Arrianos errare animo pio,& neminem nosse, quomodo in die judicii propter hanc suam opinionem puniendi sint. *Resp.* 1. *Quid Iustinus*, & tota antiquitas de necessitate hujus doctrinæ statuerint, constare potest ex testimoniis ipsorum, quæ studioſi collecta videbunt à *Iodoco Coccio in Thesauro catholico lib.* 1. *art.* 4. *Elmenhorstio in comment ad Gennadii cap.* 1. §. 1. *Polano in symphon. cathol. c.* 2. Confer supra thesin *secundam & partis primæ thesin.* 4. Quibus adde ex historicis *Paulum Orosium lib.* 6. *cap.* 33. ubi de interitu Valentis. *Et Iornandum de rebus Geticis cap.* 25. ubi de eodem. 2. Insuper huic Remonstrantium objectioni respondent DD. *Professores Leidenses in Specimine Excerptorum p.* 17. & *Vedelius in Arcanis Arminianismi part.* 1. *lib.* 1. *c.* 7. & *part.* 3. *lib.* 2. *c.* 3. imprimis *part.* 4. *lib.* 1. *c.* 7. Et *Is. Iunius in antapologia cap.* 3. *p.* 101. Quæ nolo huc transcribere. 3. *Quod* ad *Salvianum lib.* 5. *de gubernatione Dei p.* 162. 163. (edit. Ritterhusii in 8.) is non absolutè sed comparate loquitur, de judicio & pœna minori: uti colligi potest ex *seqq. p.* 164. 165. 4. *Quamvis* præcise & rigide condemnationem non ausi fuissent illis adjudicare, inde tamen non sequitur salutem hæreticis illis adjudicatam fuisse: nedum ut illos in fraternam communionem recipiendos determinassent; quamdiu dubitabant, nec ex verbo Dei certo convicti erant, esse hæreticos illos non obstante tali professione veros & pios Christianos, atque adeo Deo ad salutem placere. Abstinendum ergo ipsis fuit à peremtorio judicio, & ab actuali receptione, quamdiu certi non erant: uti aperte indicant se certitudine fidei convictos non fuisse de assertione illa Remonstrantica. Iam vero, *Quidquid ex fide non est, peccatum est. Rom.* 14.23. Confer *disp. de artic. & error. fundamental.* IX. *Obj.* Quia consilia pacis & syncretismi atque unionis sciſſi Christianismi à moderatioribus reformationis nostræ theologis cum laude semper proposita sunt; ut Melanthone, Bucero &c. aliisque in *apologia Remonstrantium* & alibi citatis; inter quos emicat *Acontius in stratagematis Satanæ*,

Satana, quæ Ioh. Iacobus Graſſerus theologus Baſilienſis denuo recudēda dedit anno 1610. Baſil. apud Conr. Waldkirchium. *Reſp.* 1. Omnes ſcriptores ſyncretiſtici de cōtroverſiis inter nos & Pontificios, & inter nos & Lutheranos, Neo-Arrianos & ſimiles hæreticos exſerte excludunt, & quatuor prima concilia œcumenica (uti vocantur), & ſymbolum univerſale huic ſyncretiſmo præſupponunt. Imprimis conſulantur *Melanthonis loci communes*, *Examen Theologicum &c.* 2. Quod ad *Acontium*, dicimus eum merito in hoc negotio ſupectum eſſe; quidquid eum tantopere extollant Remonſtrantes. Videantur modo *lib.* 3. *pag.* 114. 123. & *lib.* 7. *p.* 341. edit. Baſil. a. 1610.; & judicetur, quis anguis in herba latuerit: quod hic vir in fundamentalibus aſſertionibus nunquam τὸ ὁμούσιον trium perſonarum ſtatuerit, nec adverſarios Samoſatenū, Photinum, Arrium, Eunomium, Pneumatomachos, aut eorum errores rejecerit, contentus ſolos illos rejectos; qui negarent filium non eſſe alium à patre.

Alterum quæſtionis membrum eſt: An in Politiis Chriſtianis, hæreſi Anti-Trinitariæ nominatim Socinianæ libertas exercitii ſeu cœtuum eccleſiaſticorum celebratio publica, aut privato-publica concedenda ſit. Nos negantem defendimus, cum hac ſcil. limitatione, ſiquidem Magiſtratui ſit & poteſtas & potentia eos impediendi, abſque periculo ſubverſionis, aut graviſſimæ concuſſionis Reipublicæ. De qua limitatione in genere egimus in *diſp. de Libertate conſcientiæ &c.* Hic eam ſaltem præſupponimus: Et rationes iſtas adferimus. 1. Quia eſt funeſta hæreſis, circa primo primum fundamentum de Trinitate & circa perſonam Chriſti: Atqui talibus hæreſibus libertatem ſeu licentiam non eſſe concedendam, ut graſſentur in pernitiem nominis Chriſtiani, ignominiam nominis divini, ſeductionem animarum, perturbationem eccleſiæ, & conſequenter Reipublicæ, ſtatuit univerſus Chriſtianiſmus tam theologice quam politicè: cujus ſententia ex ſcripturæ teſtimoniis & rationibus in genere & ex profeſſo defenditur in loc. comm. ſupra cit. In hypotheſi hic tantum ſubſumendum eſt, Socinianas hæreſes eſſe tales: quod rationibus pro neceſſitate & utilitate dogmatis de Trinitate allatis ſatis probatum arbitror. 11. Quia eſt ἀσέβεια impietas, conjuncta cum horrendis blaſphemiis, ubicunque ſc. libertas prophetandi, & ſua ſecundum morem ac methodum Remonſtranticam prout viſum fuerit & ex ſuæ conſcientiæ dictamine proponendi, urgendi ἀναστευαστικῶς & καταστραστικῶς obtinuerit. Exempla blaſphemiarum Serveti, & Miniſtrorum Anti-Trinitar. in Tranſſylvania, & ſimilium ſatis nota ſunt, quæ legant, qui poſſunt; neque enim horrenda illa referre fert animus niſi ſumma neceſſitate

sitate urgente. Vide *Calvini* defensionem contra Servetum. Quia est idololatria multo evidentior & magis theoretica & crassa quam ex.gr. est invocatio Mariæ & sanctorum in papatu : illa enim tam crasse nō abducit ad alienum Deum, quā hæc Sociniana: atqui seductoribus idololatricis licentiam concedendam, nó constat ex sacris literis, saltem non ex *Deut.* 13. nec ipsi Remonstr. velint. IV. Quia sequeretur in omnibus Christianis Politiis licentiam illam concedendam Manichęis, Ophitis, Simonianis, Sethianis, Cœlicolis, Valentinianis immo & Muhamedistis, Samaritis, Iudæis: saltem iis hæreticis qui scriptura pariter cum Socinianis honorarent, Christi nomen profiterentur, & probe modesteq; victuros se pollicerentur. Quod si excipiant libertatem talem non esse dictis errantibus concedendā, rogo & obtestor ut rationes liquidas ex scriptura depromāt, quibus probēt differentiam specificam inter hæreticos modo dictos, aliosque Iure Civili prohibitos, & inter Muhamedistas & Socinianos. V. Quia observatum blasphemarum ejusmodi hæresęon permissionem plerumque gravia Dei judicia Politiis accersere; contra earundem coërcitionem, Dei benedictiones. Quod sua ætate accidisse egregie observat *Ambr. in præf. ad l. de Sp. s.* VI. Accedit praxis Christianismi & antiqui, & hodierni : ubi Ecclesiis & earum Doctoribus ita postulantibus libertas illa semper negata Anti-Trinitariis, quando negari potuit, & tanto strictius quanto Principes ac Magistratus, sapientiâ, pietate, virtute omnibus aliis magis præcellerent. Notavimus *tit. C.*, cum quibus facta Constantini, Theodosii, Martiani &c. consensisse testantur *historiæ Ecclesiasticæ*, & *Acta Conciliorum*. Invenies ibi varia decreta quibus Imperatores proscriptis hæresibus, nonnunquam mulctis & pœnis impositis, fidem catholicam communiunt : quæ collecta vide à *Goldasto in Constitut. Imper.* Memorabile est illud quod refertur de facto Amphilochii Episcopi Iconii, quo Theodosius permotus templa Arrianorum claudi jussit. Theod. hist. l. 5. c. 16. *Post Theodosii illinc reditum, Amphilochius ille admirabilis, cujus sæpius à me jam facta est mentio, accessit oraturus Imperatorem, uti ex urbibus Arianorum conventus ejiceret. At imperator postulationem illam nimis severam & inhumanā arbitratus rejicit. Sapientissimus igitur Amphilochius re ad tempus tacita, aliam rationem ad id, quod volebat, obtinendum, eamque planè memorabilem excogitavit. Nam cum alio tempore fortè intra palatium esset, videretque astantem Imperatori filium suum Arcadium, qui nuper Imperator creatus fuerat, ipsum Imperatorem Theodosium (ut mos est) salutavit ille quidem, sed filium sine honore dimisit. Imperator autem ratus Amphilochium oblitum officii, jubet ad filium accedere, eumque osculari. At Amphilochius respondit, Satis esse, quod ei honorem habuerat. Itaque Theodosius rem acerbè & graviter ferens, probrum filio objectum,*

injuriæ

injuriæ loco sibi ipsi illatæ numeravit. Tum sapientissimus Amphilochius declarans Imperatori, quod animo instituebat, contenta voce: Vides, inquit, ô Imperator, quàm agrè ignominiam filii tui patiare: immo vero illis, qui in eum insultant, vehementer succenses. Credas igitur mihi velim, hujus universitatis rectorem Deum, eos qui contra filium suum unigenitum loquuntur blasphemias, itidem detestari, & tanquam ingratos erga servatorem & patronum suum odio prosequi. Cujus institutum cum hoc pacto intellexisset Imperator, facta ejus dictaque simul admiratus, legem protinus conscripsit, quæ vetebat conventus ab hæreticis agi. Post conditum corpus Iuris civilis emanavit anno 639. Ecthesis Heraclii de S. Trinitate & Fide Catholicâ, ubi anathematizantur & ejiciuntur Anti-Trinitarii. Exstat apud Goldastum tom. 3. p. 637. 7. *Et hæc in omnibus sequentes, & divina eorum suscipientes dogmata, omnes, quos exceperunt, excipimus, & omnes, quos ejecerunt, ejicimus & anathematizamus, præcipue Novatum, Sabellium, Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarem, Origenem, Euagrium, Didymum, Theodorum Mopsuestenum, Nestorium, Eutychen, Dioscorum, Severum, & impia scripta Theodoriti, quæ contra rectam fidem & Ephesinam Synodum & duodecim Capitula sancti Cyrilli, & quanti pro Theodoro & Nestorio conscripserunt, & nuncupatam Ibæ Epistolam: & hortamur omnes Christianos sic sapere, & sic glorificare, nihil addentes his, nihil subtrahentes, nihil transmutantes, secundum quod scriptum est.* Ibidem p. 642. Edictum est Constantini V. Pogonati de Fide Catholicâ, & damnatione hæresewn. *anno* 681. Vbi cap. 8. *Anathematizamus autem omnem hæresim, quæ à Simone usque nunc in Dei Ecclesiam introducta est ad discindendam pacem atque unanimitatem credentium.* Et cap. *His omnibus ita à sancto hoc universali sexto Concilio constitutis, & per subscriptionem nostræ fortitudinis confirmatis, sancimus, ut nullus quoque omnino aliud quicquam de fide satagat, vel novi dogmatis adinuentionem machinetur, aut penitus ac una voluntate & una operatione docendi indicium, vel sermonem commoveat. Nos enim sanctos & probabiles Patres nostros sequentes naturarum voluntates adnunciamus: & sicut duas naturas in Christo credimus, ita & duas naturales voluntates, & duas operationes prædicamus. Hæc sunt veræ in Deum confessionis dogmata; hæc sunt Euangelicarum & Apostolicarum vocum prædicationes; hæc sunt sanctorum Conciliorum & probabilium Paternarum linguarum didagmata; hæc Petrus, qui & petra fidei & Princeps Apostolorum, intemerata servavit. In hac fide & vivimus & regnamus, & conregnanti nobis Deo, conregnare denuo speramus. Hanc comitem hinc recedentes habere deposcimus, & cum hac ante Christi tribunal assistere. Ad hanc confessionem omnes hortamur, & deservire Deo nobiscum invitamus, ac super montem excelsum Imperii stantes, prædicamus, atque ecclesiasticam pacem totius populi solennitatem adnunciamus. Nam illa quondam Christo dilectorum dissensio nunc in concordiam versa est; Hæreticorum contra sunt scandala:*

propriamque dignitatem hæc fides adepta est, ipso Christo suis Ecclesiis medente. Ipse est igitur pax nostra, qui solvit medium maceriæ parietem: & quæ per tempora dissidebant, in unanimitatem conciliavit. Vnus Dominus, una fides, unum baptisma, una in Deum nunc est Ecclesiæ unitas. Si quis igitur Christi amator est, & metuit Dominum, optatamque salutem desiderat, hanc fidem Orthodoxam teneat. Nec enim erit per aliam fidem salvari. Si quis vero hominum personis gratiam exhibet, Charitatis autem in Deum æmulatorem se non demonstrat, præsentemque nostram piam constitutionem non recipit, si quidem Episcopus est, vel Clericus, aut Monachico circumdatus est habitu, deportationis pœna exoluet: si vero in Ordine dignitatum insertus est, supplicio proscriptionis mulctator, eique cingulum adimitor: si autem idioticæ sortis est, ex hac Regia, omnique penitus Civitate extorris abjicitor: & super hæc omnia etiam terribilis atque inexpiabilis judicii non effugiet cruciatum. Alcuinus in præfatione libr. de Trinitate ad Carolum Magnum, optat & commendat ut imperiali ipsius potentiâ concors hujus doctrinæ confessio protegatur: *Vt in omnem gloriam vestrum extendatur imperium: ut scil. catholica fides, quæ humanum genus sola* (N.B.) *sanctificat, veraciter in unâ confessione cunctorum cordibus infigatur: quatenus summi regis donante pietate eadem sanctæ pacis & perfectæ charitatis, omnes ubique regat & custodiat unitas.* Idem in hexasticho ad eundem Carolum M.

Te pater atque patris proles, te spiritus almus
Protegat, exaltet, salvet, honoret, amet.
Quem tua per populos, terras, per regna, per urbes,
Mens pia permandet, semper amare Deum.

Si ad nostra tempora (quibus exortus novus Arrianismus) descendimus, comperiemus nullibi libertatem illis concessam, ubiq; aditus omnes præclusos. 1. In imperio Germanico, ubi usque in hunc diem nefas est libros ipsorum venales inferre aut exponere, nedum ut sub pace religionis cõprehendi potuerint. Quin & Fridericus Elector Palatinus merito dictus Pius concionatorem quendam nomine Sylvanum cum Socinianis occulta consilia agitantem de Sociniſmo in Palatinatum introducendo capitali supplicio subjecit. 2. In Magnâ Britanniâ nullum illis locum esse docent contestationes Sereniſſ. Regis Iacobi cõtra Vorstium de Sociniſmo suspectum; præterea supplicium illic sumptum de blasphemo Arriano. 3. A Cantonibus Helveticis Reformatis eos non tolerari, ut nec à Republ. Genevensi fidem facit supplicium Valentini Gentilis, Serveti, & nuperrime cujusdam Antonii anno 1633. Genevæ combusti. 4. In Polonia, cum ibi primum irreperẽt, fideliter in publicis regni comitiis se opposuerunt Proceres Protestãtes & Reformati: sed à Põtificiis causa tunc deserta fuit. Sed anno 1640. nonnihil contra eosdem Socinianos ibidem in regni comitiis decretum

decretum. 5. In Transſylvania quamvis antehac non paucis in locis obtinuerint, hodie tamen tantum agit celſiſſ. Princeps Racocius reformatæ religionis protector eximius, ut cum Deo ſperandum ſit ſicuti jam cœpere res eorum accidi, ſic brevi plane collapſuras. 6. In Belgio fœderato multis modis tolerationi hujus ſectæ præjudicatum eſt. Approbatione ſc. judicii ſynodalis de Vorſtio ejuſque ex Belgio dimiſſione 1619. Illuſtr. Ordd. Friſiæ proceſſu adverſus libellum Socinianum à Vorſtii diſcipulis clanculum editum, & ſuper eo perſcripta admonitione, ad Ill. Ordines Hollandiæ anno 1616. Exauctoratione miniſtrorum qui Socinianis erroribus affines eſſent, per Ampliſſ. delegatos Ill. Ordd. Hollandię & Synodi Deputatos anno 1618. & 1619. Combuſtione librorum Socini & ejectione Oſtorodi & Voidovii ex his Provinciis: per Illuſtr. ac Præpot. DD. Ordd. Generales anno 1598. qui rationem hujus ſui decreti adferunt quod penes illos reperti eſſent libri quidam, *qui in Vniverſitate Leidenſi viſitati, inventi ſint concordare cum doctrina Turcica, negantes divinitatem Chriſti filii Dei & Spiritus ſancti: & quod dictæ perſonæ eandē doctrinam haut obſcurè profitentes, in has Provincias venerint, ut eam in illas introducant, atque ita ſtatum eccleſiæ hic eo magis perturbent: volentes ergo his in tempore, pro conſervatione honoris Dei, & commodi atque emolumenti Statuum Vnitarum Provinciarum, occurrere, decrevimus &c.* VII. De Pontificiorum & Lutheranorum conſenſu non eſt quod multa addam: cum conſtet priores inhærere Conciliis, quæ poſt ſtabilitum in Occidente Papatum habitæ repetitionem hujus dogmatis præmiſerunt, cum excluſione aliter ſentientium; ut Lateranenſe anno 1316. ubi opinio Ioachimi Abbatis damnata: Viennenſe anno 1303. ubi approbatæ ſunt *Clementinæ*, quarum 1. *tit.* prę̃mittit tanquam neceſſarium catholicæ fidei fundamentum, quod filius æternaliter in eadem eſſentia cum patre æternaliter ſubſiſtens &c. Florentinum anno 1439. ubi definita proceſſio Spir. ſ. à patre & filio. Lutherani quantum deteſtentur Socinianos & omni Chriſtianiſmo excluſos velint, teſtantur ipſorum ſcripta ab annis aliquot in eos emiſſa. Quin immo ex præcipuis motivis (cur ex pace religionis in Imperio noſtros excluſos contendant) hæc una ipſis pariter ac Pontificiis communis eſt, quod doctrina noſtra ſuſpecta ſit de ſyncretiſmo cum nonnullis placitis Socinianorum: cui demonſtrationi ſuæ idoneum & evidens argumentum ſe reperiſſe putabāt in Conr. Vorſtio. Vide de hac re *ſcripta Alb. Graeweri* Lutherani, & Ieſuitę *Becani*. Ante illos affinitatem aliquā aut ſyncretiſmum cum Anti-Trinitariis objecerat *Bellarminus in prolegom. ad 2. controv.* generalem; & ex Lutheranis *Phil. Nicolai in detectione Fundamentorum Calvinianæ ſectæ cum veteribus Arrianis & Neſtorianis communium*. Qui liber à facul-

cultate theologica Tubingensi approbatus est. Sed immiti illi & absurdæ calumniæ opponimus mitiora judicia & consilia Regum Galliæ, qui nostris religionis suæ exercitia permittunt: & præsentis Imperatoris, qui comitatui Hanovienſi eandem libertatem concessit, & in tractatibus pacis Lantgravio Hasso obtulit; & regis, reginę, & procerum regni Suecię, quorum arctissima cum nostris fœdera, & pro iis in Imperio Germanico postulata atque intercessiones in tract. Monasterienſi anno. 1645, 1646. in propatulo sunt. Et invitationes Regis Poloniæ & Episcoporum ibidem ad pacem; à quâ solos Socinianos, non vero reformatos excludunt.

VIII. Sed quia Remonstrātes pro tolerantia & moderatione nō raro appellant *Melanthonem, Franciscū Iunium, Hemmingiū, Theologos Helvetios Musculum, Bullingerum, Gualterum*; insuper *Decretum DD. Ord. Hollandiæ, Consilia pacifica Principum Germaniæ*, ut Frederici Electoris Palatini, & eirenica Theolog. Palatinor. & sereniss. Magnæ Britanniæ Regis: illorum ergo consensum audiant, & ad Socinismum applicent: alioquin dicendo nihil dicunt, aut latet anguis in herba, juxta illud: *Dolosus versatur in generalibus*. Sciant ergo, Ill. Hollandiæ Ordd., qui magna sui parte pseudopoliticis advocati sui Ioh. Oldenbarnevelt consiliis seducti moderationi ac tolerantiæ in controversia de Prædestinatione tunc favebant, eamque anno 1617. decreto sanciebant, anno 1611. omnes dissensiones à recepta doctrina de plena satisfactione Christi, justificatione, peccato originis, perfectione in hac vita prohibuisse. Eosdē per ordinarios Deputatos suos (inter quos tunc Grotius, & quibus præsidebat advocatus Hollandiæ Ioh. Oldenbarneveldius) *Adolphum Venatorem* primarium ex sociis Remonstranticis propter Socinismum subdole libello suo cui tit. *Theologia vera & mera* &c. infarctum, in Gravesandam relegasse. Franciscum Iunium virum Christianę pacis & moderationis & nostro & Remonstrantium præconio studiosissimum una cum L. Trelcatio seniore & Fr. Gomaro tunc Profess. Leidens. Socinismum cum Turcismo comparasse, atque ita Illust. Ordd. ad decretum modo dictum præivisse; quod tanquam sanguinarium & crudelitatem Hispanicæ Inquisitionis longe superans pacifico illi Iunio cum collegis imputat *Apologia Ostorodi & Voidovii*. Theologos Helvetios, approbasse, nunquam saltem improbasse omnium sectarum à Cantonibus reformatis exactionem; ne quid dicam de Catabaptistis quibusdam, & Valentino Gentili capite plexis. Idem cum Theologis Rhęticis, ut & Melanthone, Hemmingio aliisque approbarunt supplicium Serveti: nemine quod sciam id improbāte, quā Socinianis, Cornherto, & tenebrionibus illis, qui fervente contentione Remonstrantica *Crystallinum perspicillum*, *Acta quædam in Classe Schielandicâ*, aliosque libellos

bellos vernaculo idiomate tunc evulgabant; insuper *Castellionis apologiam pro Serveto contra libellum Calvini* anno 1612. præfixa aculeata pręfatione recudendam dabant. A Frederico pio Electore Palatino Neuserum carceri commissum, quem cum effregisset & ad fratres Socinianos in Transsylvaniam, inde ad Turcas profugisset, Sylvanum Neuseri sociennum capitis supplicio affectum: nunquam tamen propter hoc factum Principem illum ab Eirenicis Theologis suis eorumque successoribus *Tossano*, *Oleviano*, *Fr. Iunio* &c, Hispanicis Inquisitoribus annumeratum. Serenissimi *Regis Iacobi apol.* pro gestis & consiliis suis *contra Vorstium*, ut & vivi comburium Arriani cujusdam in Anglia modo indicavimus. Sed agmen claudant ipsi Remonstrantes, qui olim ore celeberrimi & disertissimi causæ suæ advocati sic loquebantur: *Grotius nihil ultra persuadere conatur, quam velle regem, ut tolerentur quinq; articuli, quos rex legit. Absit ut toleremus Sociniana: idque Deus avertat.* Sic Hyperaspistes Grotii (si non ipse) in bona fide Sibrandi num. 28. *Hic ubi rumor percrebuit* (de Vorstii scil. Socinianismo) *quam exhorruerint re inopinata perculsi illi ipsi qui Votstium commendaverant*, (concionatores scilicet Remonstrantes) *nescire Sibrandus non potest. Grotius in Pietate Ordd. p.* 11, 12. Vbi subjicit summam epistolæ Ioh. Wttenbogardi ad Vorstium (quæ vernaculo idiomate tunc evulgata erat) qua monet Vorstium, ut diluat calumniam Socinismi Christiano nulli ferandam: si quid subesset veri, auctor est, ut oblatum munus recuset, neque Ordd. & Curatoribus imponat, seque in discrimen adducat. *Ab his enim omnibus Christianum exspectari professorem, non Ostorodianum.* Nota Ostorodianos tunc Remonstrantibus non fuisse Christianos; & sic eum interpretatur ibid. Grot. *Isne credendus est Socinismo, aut quod idem est Ostorodianismo favere, quum eam sectam profitentes extra Christianorum nomen releget.* Et paulo post p. 13. *Hic ego optima fide profiteor, neminem me noße in omni Hollandiæ conventu, qui non istis opinionibus & omnibus & singulis dicturus sit anathema.* Opiniones autem in specie designata, & *gravissima crimina* apellata erant, Negata ὁμοούσιος καὶ ἀσύγχυτος, καὶ ἀδιαίρετος τρίας, *Christi, immo & Dei vera æternitas, immensitas quoque & ubique præsentia* οὐσιώδης, *tum vero & immutabilitas, & omnipotentia, & rerum futurarum maxime* τῶν ἐνδεχομένων πρόγνωσις pręterea τοῦ θεοῦ τὸ ἀσεύματον καὶ τὸ ἄποιον *metus vero ac desperatio Deo tributa, & quidem* κατὰ κυριολογίαν, *ne quidem agnita Christi pro peccatis nostris vera ac plena satisfactio.* De Pastoribus Remonstrantibus p. 16, refert eos *in conventu Ordinũ testatos, ea quæ Samosateniani aut Sociniani docere de sacro sancta Trinitate, de domini nostri Iesu Christi persona atq; officio, de perfecta pro peccatis satisfactione, de justificatione etiam dicerentur, à se rejici, contra vero iis adhærescere, quæ universa Christianitas illis de*

rebus probaret : quæque passim in reformatis ecclesiis docerentur, & quæ ipsi docuissent hactenus. In fine ejusdem libri p. 126. *Hoc agunt illustriss. Ordd.* (sequestros scil. se præbent pugnantibus Theologis de prædestinatione) *non convellunt antiquam fidem, non Oecumenic. synodorum dogmata rescindunt; non Pelagium resuscitant; non ad Sarmatica portenta connivent.* (N.B.) *Christiani sunt. Catholici manent. Reformati esse non desinunt.* Atque hæc dictata tunc ὁμοθυμαδὸν ita probabāt Remonstrantes, aut saltem probare se simulabāt. Quin & *Ioh. Corvinus apologiam hujus scripti Grotiani contra Bogermannum* edidit. Nuperrime multis ingenii dotibus ornatissimus, & celeberrimus poëta Casp. Barlæus philosophiæ in Ill. Gymnasio Amstelredam. Professor, ita censet contra tolerantiam Socinismi in Vindiciis contra Vedelium, quas aut ipse conscripsit aut pro se scribi curavit : *Loquar*, inquit, *pro Barlæo severius. Non potuit illud fœdiore macula conspurcare, quam Socinianismi; quem Barlæus pestem & everriculum esse fidei Christianæ dudum credidit, viamque sternere ad πανολεθρίαν ejus religionis, quam pretioso suo sanguine asperxit æternus æterni Dei filius, totque neces martyrum & lanienæ illustrem reddidere.* Et in fine : *Ita enim ipse* (Barlæus) *judicat, indignum se fore, qui inter Batavos publico munere* (N.B.) *fungatur, indignum quem Ampliss. Reipubl. Amstelred. Optimates tenerrime foveant; indignum, cujus studia Illustriss. Princeps Auriacus insigni liberalitate erigat &c. si Socini, si Anti-Trinitariorum aut similium hæreticorum malesanis & damnatis ab ecclesia universa dogmatibus assentiatur.* Addimus postremo, ex prohibitione exercitii reformatorum (qui scil. negabant per conscientiam se posse aut conciones audire, aut cœnam accipere ab illis qui doctrinam de Gratia Dei, prædestinatione, & perseverantia calumniose traducerent, insuper alias novitates fovere viderētur) Remōstrantibus olim tantopere probata, & a Magistratibus qui illos audiebant, peracta; firmiter concludi posse, Remonstrantes tunc nullam Socinismi tolerantiam suasuros fuisse. Ratio consequentiæ est, quia Remonstrantes tales auditores quondam suos non deteriores saltem judicabant Socinianis. Si ergo hic fratribus suis infirmis putabant libertatem non concedendam, utique Socinianis non concessissent. Antecedens nostri argumenti probat decretum Vltrajectinum, & Schielandicum à Grotio postea defensum, & utrumque defensum passim à concionatoribus Remonstranticis, argumentas ipsis suppeditante *Episcopii Disputatione publica & privata, De Iure Magistratus circa sacra.* Hic nulla exceptio est nisi dicant oves illas (ipsorum judicio errantes & infirmas) tunc fuisse deteriores Socinianis.

6. Hæc tam operose congerere visum est, non quod omnia illa consilia, dicta, facta, cum minutissimis circumstantiis ἀκριβῶς ἐξετάζειν, & omnibus

mnibus imitanda proponi, nedum ut ad errantes quosvis & aliter sentientes in religione applicari velim, aut hæreticidium, ut vocant, introductum, aut conscientiæ libertatem sublatam (ut calumniose sophisticari solent Remonstrantes) sed tantum ut ostendam, in hoc generali axiomate cõveniſſe omnibus tam ecclesiasticis quã Politicis, *Tolerandos non esse Anti-Trinitarios*: ὅπερ ἔδει δεῖξαι. Quidquid de reformatione aut formatione, quidquid de sectis & schismatis, quidquid de unione ac syncretismo, quidquid de pace profana & ecclesiastica, quidquid de libertate Exercitiorum, libertate prophetandi, moderatione hactenus in Christianismo agitatum fuit, mansisse semper catholicum hoc axioma, de Anti-Trinitariis. Si quis antithesin nostræ theseos propugnare velit huc collimet necesse est, & in refutandis allegatis statutis ac judiciis tam ecclesiasticis quam politicis genuinum prius frangat, quam totius Christianismi causam in hunc aut illum Doctorem devolutam odiose traducere incipiat. Argumenta quæ ex Remonstrantium declamationibus conquiri possent palmaria sunt I. Quæ supra pro tolerantia ecclesiastica excerpsimus; inter quæ diligenter notandum est primum: quia seriam Socinismi apologiam continet, geminam Ostorodianæ & Voidoiv. in Apologia sua adversus Ill. ac Præpot. DD. Ordines lit. E iij. *Accusamur nos ac si negemus Christi domini & Spiritus S. divinitatem, propterea quod non concedimus Christum ab æterno ex substantia patris generatum, nec Spiritum S. personam esse. Verum est quidem nos ista non concedere, idque ipsi ultro confitemur: sed dicimus nihilominus, non propterea divinitatem filii & Spiritus S. a nobis negari: oritur ergo hic statim inter nos & vestros Theologos disputatio &c.* II. Quia libertas exercitii omnibus nomine Christianis concedenda, qui negant se posse per conscientiam exercitiis illis carere: & in segreges ejusmodi cœtus Magistratui nulla est potestas: nec potest eos prohibere, nisi persecutionem & tyrannidem exercere velit, atque adeo gravissimo crimine coram Deo se obstringere, & similia generalia quę pro quibuscunque sectis & hæresibus (solis Idololatris exceptis) adferri possent: qualia sunt pleraque illa axiomata quæ passim ex sua affirmatione defendunt Remonstrantes, in *libris* sæpe *citat.* III. Quia sectarum (nominatim Socinianæ quæ in Polonia obtinet, in Belgio non obtinet) permissio faceret ad pacem, majorem perfectionem, & singularem felicitatem Reipublicæ; hac ratione Remonstrantes in libello: **Den Rechten Remonſtrantſchen Theologant** p. 176. persuadere conantur Illustr. Belgii Ordd. *Quodnam regnum*, inquiunt, *majori pace ac felicitate gaudet, quodnam totius Christianismi adversus Turcas & Tartaros firmius propugnaculum, quam Polonicum, quod tamen hanc libertatem habet pro lege fundamentali, ubi innumeræ sectæ* (seu professiones) *non tantum tolerantur sed publica autoritate defenduntur. Hæc sint pharos seu Helice vestræ Reipublicæ,*

sed

sed imprimis Iesu Christi servatoris vestri religio &c. Sed quam bene ad a-
mussim politiæ specialis, & historicæ Polonicæ hæc dicta sint, alibi vide-
bitur. IV. Quia Christi religio docet συμπάσχειν omnibus, nominatim
4 errantibus, omni lenitate & mansuetudine ergo eos uti, eosque instruere, si forte aliquando det ipsis Deus ut resipiscant. Applica nunc hæc argumenta ad Servetum, Blandratam, Socinum, Ochinum, Enjedinum, Franciscum Davidis, Valentinum Gentilem, Davidem Georgium, Valentinianos, Manichæos (nam locum *Augustini* de lenitate sua erga illos huic suasoriæ de libertate sectarum *ibid. p.* 178. inserunt) ac pro illis libertatem agendi suos conventus atque adeo hæreses ac blasphemias suas publice spargendi conclude in figura & modo.

Consectarium.

HÆC cum pro veritate, necessitate, utilitate hujus adorandi mysterii dicimus, scribimus, profitemur, insuper adversarios omnes apertos, clancularios oppugnamus, eorumque profanos sermones procul habemus & omnes reformati nobiscum; utique cessare deberent horrendæ illæ calumniæ, quibus eodem censu religio nostra cum hæresibus anti-Trinitariis habetur *tum* à Theologis, *tum* à Iurisconsultis Papalibus. Inter Theologos præluxere apostata *Staphylus*, *Lindanus*, *Prateolus*, *Bellarminus Coccius in Thesauro lib.* 1. *art.* 4., ex quibus reliqui fratres ignorantes absque examine transcribunt. Sed illis à multis responsum, præsertim ab Antagonistis Bellarmini. *Iunio*, *Chamiero &c.* Quibus addendi *Pareus*, *in Calvino orthodoxo*. Accurate etiam & ex professo hoc præstitum à nostris in collatione Tyranensi, in Rhætia anno. 1595. 1596. Quærant modo ab Anti-Trinitariis, utros Doctores fortiores & factioni suæ nocentiores adversarios experiantur. Inter Iurisconsultos flagmen ducunt *Iordanus Brunus* qui tectè *libris* 6. *de hæreticis*, & *Antonius Faber*, qui in *Codice Fabriano* aperte omnia quæ Iure civili contra hæreticos statuta sunt, Protestãtibus applicata velint. Posterior nimia credulitate ex irreformabili quodam Clerico mutuata in chartam conjecit, impellente illum, ut opinor, odio Sabaudico in Rempubl. Genevensem. Sed παφίρρις & evagationibus ipsius respondit egregie *Iacobus Lectius IC. professor*, & postea Syndicus Genevensis tract. cui titulus: *Adversus Codicis Fabriani* τὰ πρῶτα καὶ δεύτερα &c. Nos solummodo ad titulos, *de summa Trinit.* & de *Hæretic.* & *Manich.* nobis objectos respondemus, nec directe nec indirecte ullis hæresibus Anti-

Anti-Trinitariis, aut etiam aliorum hæreticorum, qui ibi nominantur, per Concilia aut communem patrum consensum damnatis religionem nostram affinem esse: quod tamen in multis de Papismo probari posset. Et hoc vel ipsi Imperatores, Reges, Principes quamvis Papismo addicti haut obscure agnoscunt, dum in Imperio, regno Gallię, quin in ipsis Convallibus duci Sabaudo subjectis libertas religioni nostræ conceditur; quod ipsos facturos fuisse minime credendum est, siquidem Iure civili libertas religionis nostræ præjudicata esset. Confer quæ supra ad *num.* VII. notamus. Quod si Fabriani, quid pro quo hic sumant, & analogice alias hæreses à se fictas ad hos titulos reducant quod strenue facit *Faber* cum calumniæ de Arrianismo, Manichaismo &c. ipsos pudet, utique tantum magisterii theologici illis non est concedendum, qui fide implicita & carbonaria assueti sunt credere irreformabili Clero suo; quibus Theologiam tractare, scripturas sacras, & nostrorum libros legere religio est, eosque cum scripturis conferre, ne scil. *videantur cum sutoribus Lutheranis & Calvinianis* (ut Faber loquitur) *theologos agere. Deinde* videant an leges suas factis nostris juridica & bona consequentia bene applicent. Excurrunt quidem ad hodiernas controversias, sed illas negamus titulis illis directe aut indirecte designari. Si triplicem coronam Papæ negamus, non tamen Trinitatem; si utrumque ejus gladium, non tamen utramque naturam, aut triplex officium Christi; si ejus indulgentias totamque animarum nundinationem in pœnitentiaria & cancellaria Romana, non tamen mysterium redemptionis, nec fidem, aut salutarem pœnitentiam; si potestatem Imperatoriam statuimus, nec eam à Papa derivamus, non tamen cum Manicheis statuimus duo principia; si à factione Romano-Papali dissidemus, non tamen ab ecclesia Catholica; si Papistæ non sumus, nõ definimus tamen esse Christiani & Catholici; imagines patris, aut crucem, aut speciem columbæ non adoramus, Trinitatem tamen invocamus: & sic in cæteris. *Denique*, si per reconventionem nostris agere libeat, facile esset ostendere ejusmodi IC Ctos. non posse per omnia Papismum tueri, quin juri suo & conscientiæ juridicæ vim faciant, atque adeo sint hæretici & Theologice & Iuridice. Videatur *specimen Iurisconsulti Orthodoxi* nuper Sylvæ ducis à Doctiss. *D. Maresio* editum, ubi disputat. Iurisperitum Catholico-Romanũ ex Codice Iustiniani nõ habere argumenta manendi in papatu. Addimus nos, ne quidem Iuri Canonico conformari posse Fabrianum Papistam, sine multa, magnaque reformatione: ut aliquando alibi indicium faciemus. Confer *disp. nostram de Iure Canonico.*

Appendix quæstionum de Remonstrantismo.

4.  Væstiones, quæ de Remonstrantismo hodie apud nostrates agitari solent, sunt potismum istæ. 1. An reformatis unio & fraternitas cum eo sit colenda. 2. An ipsi Reformatis unionem illam serio offerant, aut offerre possint. 3. An eandem toti Christianismo, seu professionibus hodiernis. 4. An Iurisc. Christianus manere possit in communione societatis Rem. 5. An reliqui auditores eorum. Vt autem ad has quæstiones liquido respondeatur, præmittimus has distinctiones. 1. per communionem fraternam intelligi participationem eorundem sacramentorum, earundem concionum, ejusdem regiminis in iisdem conventibus ecclesiasticis, & agnitionem eorundam pastorum, ex.gr. ut ministri & membra ecclesiæ Trajectinæ quamvis propter multitudinem plura templa frequentent, una tamen sunt ecclesia, sic ministri & cœtus Remonstranticus unam cum nostra hic constituant ecclesiam Christianam reformatam Vltrajectinam; sive illorum cœtus nostro (quod videtur nonnullorum consilium esse) sive potius noster illorum cœtui incorporetur, & ad eum ex erroribus & schismate suo redeat; quomodo nuperus tenebrio modum & mysterium hoc unionis pandit: Et sic, uti à partibus integralibus ad totum veniatur, universa societas Remonstrantica communionem ecclesiasticam cum Ecclesiis Belgicis, & vicissim Ecclesiæ Belgicæ tanquam illi societati σύσσωμοι cum ea ἓν σῶμα καὶ ἓν πνεῦμα constituāt. Talem enim communionem & ante & post synodum Nationalem prętenderunt Remonstrantes à nostris debuisse servari. 11. Per Remonstrantismum intelligimus hic non ut prætendebatur anno 1611. reformata scilicet religio, excepta opinione de prædestinatione cum appendicibus, quas *libello supplice* & *collatione Hagiensi* tunc explicarunt, & quomodo primo & proprie sic definitus fuit ab ipsis apud *Grotium in pietate Ordinum p.* 11.12.16.29.43. (quæso lector videat & conferat) resectis omnibus Socinianis, aliisque heterodoxiis de fide, justificatione, satisfactione, peccato originis, perfectione in hac vita &c. Anno 1617. in *sua secunda Remonstrantia* petebant ab Ill. Hollandię Ordd. ne tam injustis criminationibus & calumniis de Remonstrantium novitatibus fidem adhiberent, sed haberentur Remonstrantes, omnesque qui ipsorum sententiæ erant addicti, *pro talibus qui omnibus modis sequantur, & porro sequi desiderant s. scripturam, primitivam orthodoxam Christianam ecclesiam, ac simul etiam verum & primum fundamentum Christianæ reformationis in hisce regionibus receptæ.* Ibidem describunt assectas quosdam

dam ſuos, *quod primæ & antiquæ reformationi adhærere cupiunt.* Qualis Remonſtrantiſmus hodie in medio Remonſtrantiſmo non invenitur, non magis quam eccleſia Romana antiqua in hodierna, aut reformatæ eccleſiæ paſtor in Ochino, Neuſero &c. candidatus miniſterii in Statorio, membrum noſtræ eccleſiæ in Dudithio, Gribaldo, &c. poſtquam jam ab eccleſiæ reformatæ doctrina defeciſſent. Nec intelligimus contentiones aut controverſias quaſdam politicas, inter Provincias, aut civitates, aut Magiſtratus & ſubditos &c. Illæ enim non ſunt hujus fori, & qui eas rebus divini immiſcent, aut ſubdole pro iis ſupponunt, aut ad hujus controverſiæ deciſionem adferunt, quaſi μεταβάινοντες εἰς ἄλλο γένος, ii certe aliud quid per prętenſionem religionis quęrunt, quam religionem. Non intelligimus etiam, compoſitum & συνδεδυασμένον quid ex controverſiis & diſceſſionibus Eccleſiaſticis ac politicis ſimul, quo Belgium noſtrum alicubi infeſtatum fuit, ut nonnunquam altera alterius occaſio ac cauſa exiſteret: Sed purum putum Theologicum & eccleſiaſticum quid concipimus, & præcise de eo diſputamus. *An ſit, aut debeat.* Non denique intelligimus auditores & membra, ſive ſeorſim ſive collectim, qui Remonſtrantium conciones nunc audiunt, aut in ipſorum cœtibus religionem ſuam exercent ac profitentur: Neque enim hic diſquiritur, quæ & qualis illorum ſit fides; quomodo ſinguli invitandi, attrahendi aut retrahendi ad unitatem Eccleſiæ noſtræ, quibus conditionibus recipiendi &c. Hæc enim ad politiam eccleſiaſticam, & agenda ſpecialia pertinent: de quibus generales canones ſtatuti in ſynodis Provincialibus, præſertim Zuyd-Hollandicis Leidenſi anno 1619. cum Dordrac. anno 1627. & Delfenſi anno 1628. ac Leidenſi anno. 1629. aliiſque: reliqua prudentiæ paſtorum & preſbyteriorum permittuntur. Sed per Remonſtrantiſmum intelligimus *Societatem Remonſtrantium tum miniſtrorum tum cœtuum, qui poſt promulgatum judicium ſynodi Dordracenæ anno. 1619. ſeparatam profeſſionem, religionem in cœtibus ſuis exercere ſe profitentur, conformiter Confeſſioni ſuæ per apologiam explicatæ ac defenſæ.* In his terminis controverſia hæc continenda; extra eam ſi quis evagetur, aut cum aliis quæſtionibus eam confundat ac permiſceat, is non quærit veritatem, ſed fugit.

Nos negantem ſententiam ſtatuimus, propter has cauſas 1. Quia con- 2.
feſſione & religione à nobis diſſident, & quidem in neceſſariis: quod ipſi haut obſcure ſæpius inculcant, cum pro ſciſmaticis ſeu ſeparatis ſuis conventibus pugnantes, communionem nobiſcum (ſi ſcil. in hac fide noſtra & profeſſione anno. 1619. per Synodum Nationalem repetita & ſtabilita maneamus) colendam negant, & nihil fere ſibi cum reformatis

commune esse voluerunt. Vide libellos vernaculos, *Achabi Iejunium*, *Remonstrantium liberum exercitium*, *Nullitates synodi Dordracenæ*, libellum apologeticum pro statua Erasmi Roterodam. cui tit. *Spongia Erasmi contra quendam Ministrum Roterodamensem*, coll. cum *Apologia in præfat.* His adde suspicionem Socinismi, & demonstrationem intenti cum illis syncretismi; quas maculas nondum absterserunt: de quo infra. Addamus nunc argumenta magis specialia. II. Doctrina Pelagiana in quinque articulis; quam nulla Professio Christianorum (ut quidem illa scriptis antisynodalibus explicatur) admittet, ne quidem in uno articulo de Morte Christi. Præterquam quod Lutherani omnem synergiam liberi arbitrii in primo conversionis momento rejiciant. Neutri etiam placita eorum de prædestinatione probabunt. Nam Iesuitæ qui propius ad illos accedunt, multo verecundius errant: Dominicani vero, aliique genuini sectatores Thomæ διαῤῥήδην Pelagianismo hic adversantur. Ex Lutheranis Tarnovius Miscellan. sacr. lib. 2. p. 710. *Vorstiani, Arminiani & similes in Belgio, quando ajunt fide nos prædestinari ad vitam æternam, idem dicunt, non idem nobiscum sentiunt.* Circa quintum articulum, de certitudine salutis melius sentiunt Lutherani, & nonnulli ex Pontificiis *Catharinus*, *Isengrinius*, *Vlenburgius &c.* III. Errores de peccato originali de fide, de legis & euangelii, & utriusq; fœderis discrimine, de justificatione, de perfectione in hac vita, de resurrectione mortuorum. IV. Dubia, scepticismus, corruptelæ circa omnia fere reformatæ Theologiæ capita; quæ catechesi publice privatimque proponi solent: Quomodo ergo communionem in una externa ecclesia & professione colent nobiscum, qui eandem catechesin & confessionem nobiscum non habent sed suam propriam; nostram autem virulenter infectantur. Nisi velint ab ecclesiis Belgicis catechesin ex scholis & ecclesiis proscribi, confessionem cum harmonia aliarum confessionum ejurari: aut potius ex catechesi Racoviana & nostra, item nostra aliisque confessionibus & Remonstrantica cum Apologia unum chaos fieri. V. Photinianismi per Socinum renovati & ab ipsis incrustati partim gravissima suspicio, partim luculentum indicium jam sæpe factum, nominatim à Cl. D. *Vedelio libro* sæpius *laudato*. Quo fieret ut unio illa cum Remonstrantibus separatio esset ab omnibus ecclesiis reformatis, immo exclusio à generali Christianismo, & nomine Christianorum Porro Remõstrantes ab hæresibus Socinianis se nõ purgare; ne quidem in gratiã totius Christianismi hoc conari, vel ex eo constare potest, quod manibus suis simplici rejectioni sequẽtiũ articulorum Socin. ausuri non sint subsignare atq; una sancte promittere, se illos aut ullos eorum non docturos aut promoturos sive directe sive indirecte. Sunt autem

articuli

articuli isti, quos universalis Christianismus, omnesque ejus professores & Doctores simpliciter rejiciunt. 1. Patrem essentialiter & proprie esse solum, æternum, & supremum Deum, peculiari & excellentiori adoratione, honore & cultu honorādum ac colendum. 2. Filium non esse unius & ejusdem essentiæ cum patre, & per consequens non esse ejusdem & supremæ majestatis, qui eodem & æque excellenti religioso cultu coli debeat: sed esse verum Deum alio modo & alia ratione ac pater, & per consequens alio peculiari ac distincto cultu & adoratione colendum. 3. Christum ideo non dici, aut saltem ideo tantum, aut ideo principaliter non dici filium Dei unigenitum, quod à patre ab æterno in una eademque essentia divina, per naturalem & necessariam ejusdem essentiæ communicationem genitus sit. 4. Spiritum sanctum non esse coëqualem & coëssentialem æternum Deum, cum patre & filio; & per consequens non esse tertiam personā divinam eandemq; cum patre & filio supremam majestatem, uno & supremo cultu, hoc est, divino cum utroque colendam, sed esse tantum virtutem seu potentiam Dei, cui nec divina essentia, nec divina persona, consequenter nec divinus cultus attribui possit. 5. Deum non esse omni modo aut simpliciter immutabilem; nec certo præscire futura contingentia, quæ à libera hominum voluntate profectura sunt. 6. Deum essentia sua non esse simplicem, immensum, sine finitudine & quantitativa extensione, nec omnipræsentem. 7. Non esse peccatum originale, ita ut omnes homines reatui primi peccati Adami obnoxii sint, nec in ac cum inhærente peccati corruptione concipiantur ac nascantur, quod coram Deo damnabiles eos constituat. 8. Christum non habere duas naturas, nec esse Deum & hominem in unitate personæ; manentem scil., qui & qualis erat ab æterno, immutabilem & ὁμούσιον cum patre Deum; & in tempore factum, quod & qualis ante non erat, verum hominem, assumta quippe & personaliter sibi unita vera natura humana ex carne & sanguine virginis Mariæ. 9. Christum passione, & perfecta obedientia ac satisfactione tanquam sponsorem & mediatorem nostrum vice seu loco nostro pro nostris peccatis, quæ in se susceperat, non satisfeciisse, nec pœnas nobis juste debitas tulisse ac luisse, & sic à nobis abstulisse, ac nos redemisse, saltem ex postulato & jure Dei justi judicis ac legis divinæ plene non persolvisse pro nobis ac satisfeciisse: sed passionem ejus tantum fuisse exemplum, seu habuisse rationem exempli nobis imitandi, aut saltem quadantenus ac solummodo secundum gratiosum pactum, stipulationem, acceptilationem, ac conniventiam, atque indulgentiam Dei aliquid pro solutione præstitisse, quod sit quasi loco plenæ satisfactionis. 10. Corpora fidelium novissimo die non resuscitanda,

scilicet hæc eadem corpora, quæ nunc habent; sed quædam alia corpora spiritualia de novo creanda, ita ut hæc corpora nostra, quæ per mortem ceciderunt, plane desitura sint esse, nec unquam de novo proditura, aut ex mortalibus immortalia & glorioſa futura. 11. Animas impiorum interire cum corporibus; nec in inferno cruciandas pœna damni & sensus: animas vero piorum à corpore separatas dormire usque ad diem judicii, aut saltem sine spirituali aliqua actione ad extra permanere. 12. Baptismum ex necessitate præcepti divini non esse omnibus Christianis conferendum, nec pædobaptismum infantibus fidelium.

3. *Secunda* quæstio est, An Remonstrantes communionem fraternam & syncretismum serio offerant, saltem offerre possint Reformatis ecclesiis in Belgio? *Resp.* 1. Modo ajunt, modo negat, modo involvunt, & instar Protei in varias formas se vertunt, prout temporum & rerum mutationes inciderunt. Itaque credendum non est, eos hic serio loqui. Primis aliquot annis post synodum Dordracenam, philippicæ ipsorum declamationes nihil sonabant, nisi separationem, ejusque necessitatem, nec ab iis abludit *apologia*. Postquam alicubi conniventiam ad conventicula sua obtinuisse se viderent, stylum temperarunt quin & de pace ac fraternitate in *epistola suâ ad Synodum Zuyd-Hollandicam* Schiedamensem anno 1631. denuo quid mussitare cœperunt, uti & superiori anno in libello quodam vernaculo in 4. & nuperrimè tenebrio quidam Thersiticus ineptissimâ suâ rhapsodiâ, tam in Deum blasphemâ, quam in homines desperatè maledicâ: sed horum posteriorum libellorum, quia communi Societat. nomine editi non sunt, autoritas apud illos forte exigua est. 11. Quidquid sit de ipsorum facto, saltem ex hypothesibus suis serio & bonâ conscientiâ syncretismum cum nostris ecclesiis nec apetere, nec offerre, nec admittere possunt propter causas, quas passim allegant. 1. *Quia* nostra doctrina quinquarticulana, per evidentem & necessariam consequentiam secum trahit horrenda βλασφήματα Manichaica, Stoica, Sociniana; quæ omnem praxim pietatis & consolationis plane subvertant. *Apolog. in præf. & cap. 6.* Et *Vedel. Rhapsod. p.* 202. 2. *Quia* dogmata quamplurima facit necessaria, quæ non sunt necessaria. *Vedelii Rhapsodi p.* 121. 3. *Quia*, persecutionem docet: statuendo sc. à Magistratu posse conventicula sectarum prohiberi; hæreticos sive Socinianos sive alios (siquidem aliter à conatibus suis & prætensâ libertate exercitii desistere nolint) mulctis externis pecuniariis, item exiliis, deportatione, incarceratione posse coërceri: breviter, quia talia erga Remonstrantes decreto Illustr. Ordd. Generalium an. 1619. statuta sunt, & tunc ac deinceps executioni mandata, nec Ecclesiæ aut concionatores hoc dissuaserint; Anonymus quidam in

dam in libello cui titulus *Spongia Eraſmi adverſus* quendam miniſtrum Roterodamenſem, exſertè & multis rationibus probare conatur Eccleſiam reformatam in Belgio nullo modo eſſe Eccleſiam Dei, quod doceret prohibitionem conventuum Remonſtrantium, aut ſaltem receptaculum eſſet ejuſmodi Magiſtratuum, qui prædicta decreta ferrent, & executioni mandarent. Confer *apolog. c.* 24. *fol.* 273. & *præfat.* & *Reſp. ad Prof. Leid. p.* 53. In libello Belgico cui tit. **den Rechten Remonſtr. Theologant** *p.* 147. dicunt duas illas opiniones noſtras de deciſionibus neceſſario credendorum, & de prohibitione hæreſeon ac cœtuum cujuſcunque hæreſeos, eſſe duo principalia fulcra Papatus. 4. *Quia*, talis eſt doctrina, ſpeculativa Calvinianorum, tales noſtri Doctores, cum aſſeclis ſuis, talis ſecta Contra-Remonſtrantium, ut nec eccleſiaſticè nec Politicè toleranda videatur. Quod benignum Remonſtranticæ caritatis judicium de nobis in lucem protraxit *D. Vedelius Arcanor. part. 2. lib. 1. c. 7. 8. 9. & in epiſtol. Dedicator. ad Arcanor. Arminianiſmi partem.* 4. Et parte 3. *lib.* 2. *c.* 8. Ita ut peremptoria concluſio illorum adverſus nos ſit: *Anima noſtra non veniat in concilium eorum*. Et hæc pax atque unio ſcilicet eccleſiaſtica, quam moderati illi homines tantopere expetere ſe fingunt.

Tertia quæſtio. An Remonſtrantes ſerio offerant aut ex hypotheſibus 4.
ſuis offerre & admittere poſſint ſyncretiſmum cum omnibus Chriſtianis profeſſionibus, aut unionem diſſecti Chriſtianiſmi. *Reſp. Neg. utr.* Cum ſolis Socinianis poſſunt; & forte cum nonnullis Anabaptiſtis (qui nunc audiunt Semi-Enthuſiaſtę & Sociniani) Saltem cum Pontificiis non poſſunt *tum* propter idololatriam, *tum* quia dogmata faciunt neceſſaria, & perſecutionem docent. Vt nec cum Lutheranis. De reformatis jam dictum eſt. Sunt ergo talia pacis, moderationis, ac tolerantiæ prætenſa conſilia ipſorum nihil aliud, quam meræ logodædaliæ, & chreſtologiæ, quibus imprudentiores circumveniunt. Nihil habent quod excipiant: niſi forte, ſe moderationem, tolerantiam & ſyncretiſmum illum ſic intelligere, ut Reformati doctrinam ſuam abnegent, aut premant (ſpeciatim quinquarticulanam) & ſola Remonſtrantica in Eccleſiis unitis reſonet; inſuper in fidei neceſſariis, & hæreſibus definiendis, ut etiam in Doctrinâ de poteſtate Magiſtratus extendente ſe etiam ad conventicula ſectarum privato publica, & de externâ moderatâ ac neceſſariâ coercitione hæreticorum ſeducentium & turbantium, ſententiam ſuam revocent; quam tamen cum univerſo Chriſtianiſmo & antiquo & hodierno, ut etiam cum ipſis Remonſtrantibus (uſque ad annum ſcil. 1618.) habent communem. Siquidem ita excipiant, jam nemo eſt qui non videat quam illuſoria ſit illa moderatio, pax, libertas prophetandi, & tolerantia aliter ſentien-

sentientium : quippe quæ eodem sensu Gentilibus, Turcis, Iudæis offerri posset, si sc. sententiam suam mutent.

Quarta quæstio. An Iurisconsl. Christianus ut ut Remonstrantibus ac-
5. cedens in quinquarticulanis : religionem suam exercere ac profiteri possit in cœtu aliquo Remonstrantico, nisi Societas ab erroribus Photini se prius purgaverit. *Resp. Neg.* siquidem Iustiniani codicem sequatur. Ibi enim hæreses Photini, Pauli Samosateni, quas scilicet consensus ecclesiæ cõdemnârat, plane proscribuntur. Quæstio. *Quinta*, An auditores Remõstrantes conventiculis Remonstranticis absistere debeant, etiam ex fide, conscientiâ & definitione genuini & primi Rem.mi, quam ex *Grotio* supra attulimus, & cujus tolerantiam politicis decretis hic & alibi ante hac stabilitam volunt. *Resp. Aff.* Et nullos, quibus Christianæ ac reformatæ religionis gustus ac conscientia adhuc supereſt, (quales plerosque esse speramus) assertioni huic nostræ reclamaturos arbitramur. Vtinam videant se vanis prætextibus, admixtis parergis & extravagantibus, fraudulentis dissimulationibus miserè decipi, & à primo ac genuino Remonstrantismo, qui in solâ opinione aut saltem moderatione quinquarticulana consistebat, quin & ab ipsâ Arminii Theologia paulatim tam longè abduci, quam cœlum distat à terrâ. Quærant modo ex iis hæc duo 1. An & cur cautelas & protestationes illas contra Sociniſmum Illustr. Hollandiæ Ordinum, & primorum Remonstrantismi assertorum anno 1611. & 1613. nunc prætergressi sint. 2. Siquidem dies diem interea docuit, & præter causam aut moderationem quinquarticulanam (*Collatione Hagiensi, decreto Ordd. Hollandiæ pro pace ecclesiarum* 1614. cum rigido (ut vocare solent) *decreto anno* 1617. *Grotii pietate*, *Constitutionibus ecclesiasticis Provinciæ Trajectinæ anno* 1612. expressam & circumscriptam) alia quædam causa ab illis suscepta est, cur eam non æquè ac priorem illam auditoribus & sectatoribus suis exponunt? cur cum vernaculè tam multos libellos certatim edere soleant, *Apologiam confessionis suæ* non ausi fuerint in gratiam Belgarum suorum evulgare? cum *Censura DD. Professorum* Leidens. Belgicè exstet, & apologia scriptum sit commune & quasi necessarium, etiam tam erudite ac tantâ cum curâ conscriptum, ut si Pergama dextâ defendi potuissent, etiam hâc defensa fuissent. Idem quærere possum de *Responso ad Excerpta Professorum* Leidens., & de *Vindiciis*, *seu Vedelio Rhapsodo*. Sed pudet ipsos istorum librorum coram suis auditoribus : nõrunt enim hæreticorum detectionem esse eorundem refutationem. Addatur epimetri loco de Socinianis. *Sexta* Quæstio. An Sociniani Trinitariis (uti eos vocant), & inter eos Reformatis seriò offerant, aut ex hypothesibus suis offerre

offerre possint fraternitatem. *Resp. Neg.* Ita enim eos describunt in *libro de doctrina Christi & Antichristi* à ministris Neo-Arrianis in Transsylvania edito : ut nullo modo communio lucis cum tantis tenebris (siquidem veritas staret à parte ipsorum) cogitari possit. Patriarcha ipsorum Servetus Trinitarios dicebat esse Atheos : uti testatur *Calvinus in libro c. Servetum pag.* 82. edit. in 8. apud Rob. Stephanum. Breviter Trinitarii sunt ex opinione eorum horrendi idololatræ ; quia duos colunt tanquam unum, solum, æternum natura Deum ; filium scil. & spir. s. : qui tamen revera non sunt verus ille & æternus Deus. Smalcius librum de divinitate Christi cap. 25. seu ult. sic concludit : *Audacter affirmamus neminem eorum qui statuunt Christum esse à se ipso Deum, & à seipso habere potestatem divinam, ex proprietate & vi suæ opinionis unquam posse habere certam & firmam spem vitæ immortalis.* Ita ut meritò suspicari liceat eos tantisper dulcem hanc fraternitatis cantilenam canere, donec possessionem in Christianismo obtinuerint : postmodum facturos quod antiqui Arriani sub Constantio, & Valente faciebant, hoc est, ecclesiam Christianam non tantum à communione exclusuros, sed & crudeliter persecuturos ; & quod Eunomiani, quos ipsos Constantinopoli parato favore aulæ *accusatores, & judices, & lictores, & omnia quæ volebant exstitisse*, testis est Basilius lib. 1. c. Eunomium paulo ultra principium. Fertur Socinus specimen dedisse in Francisco Davidis, qui carceri commissus in phrenesin incidit, & miserè obiit. Vide *Carr. Schlusselburgium de hæresib.* Et *Possevini biblioth. select. lib.* 8. *cap.* 12. *&c.*

QUia hac disputatione contra Remonstrantes disputavi syncretismum nullum cum Neo-Arrianis ineundem, non absre facturum me arbitror, si sententiam & praxin reformatorum in Polonia, ubi hæreticos illos proprius norunt, hic exhibeam, ex Iohannis Læti Moravi compendio historiæ universalis cap. 34. quod complectitur gesta ab anno 1612. usque 1619. Sic ergo ille p. 713. 714. *Sed hic Valentinus Smalcius Socinianorum antesignanus cum suis sociis Ecclesias dogmatibus ac iniqua Unionis & Consensus postulatione turbabat. in* Synodo Lublinensi *anno* 12. *præsidente* Francisco Jeserzicio, *postulatis suis in scriptis datis cum rem urgerent rejecit* Synodus *petita, responditque scriptis rursum doctissime* Raphael Comes Leszczinius *Andreæ Fr. Castel. Calissiensis. & quia quædam reposuerant idcirco è Procerum numero* Petrus Goraiscius *rursus nervosissimum responsum sectariis remisit. deinceps in* Synodo Belzicii *rursus irridentes prius Orthodoxam concionem fatigare Ecclesiam cœperant, sed* Christophorus Krainscius *ut erat Orthodoxiæ tenacissimus*, Domini facessite hinc, ne turbetis nos, citius cœlum cum Orco concordare poterit, quam nos Euangelici vobiscum ! qui Deum timet, è templo exeat. *è vestigioque ipse ex templo abibat, in pomeridiana sessione cum iterum irstarent, nomine totius* Synodi *graviter* Raphael Leszczinius *respondit*, petitio hæc nec hujus loci, nec temporis est, concernit universas Reformatas Ecclesias, quibuscum vinculum nobis intercedit. instituendum esset Concilium generale. fidem à vobis discere, cum in vera fundati simus, nolumus. *tum adversarii de* Krainscii *dicto quæsti*, qui

Deum timet è templo exeat, *quasi indignos conversatione censeret, subsumpsit* Leszinius *Comes*, timeo ego Deum, igitur abibo. *simulque cum dicto exivit, & conscenso carpento discessit, sic Unio denegata.*

De quæstione hâc

AN CHRISTUS QUA MEDIATOR SIT ADORANDUS?

Resp. FLORENTIO MICHAELIDE, Arnemudâ Zeel. *Ad diem* 21. *&* 28. *Aprilis Anno* 1638.

Quamvis problema ex aliis Academiis allatum de Adoratione Christi quâ mediatoris, *sæpius à studiosis nostris ventilatum, & satis superque veritas in luce posita videatur: non gravabor tamen post alios Doctiss. viros, quæ vivâ voce inculcata sunt, thesibus hisce methodicè repetere & publico examini subjicere; nullam aliam ob causam, quam quia ita flagitant, quorum studiis me meaque devovi.*

1. OCcasionem seu ἀφορμὴν problemati dederunt controversiæ Socinianæ & Remonstranticæ, ut alias nunc præteream, quarum infra ἐν παρόδῳ mentionem faciemus. Solent Doctores Christiani patrum vestigiis insistentes æternam Christi deitatem & τὸ ὁμοούσιον probare ex honore, cultu & adoratione divinâ. Vt videre est, apud recentiores *VViekum, Bellarminum, Zanchium, Fr. Iunium, Tarnovium, Iacob. Martinum, Smiglecium, &c.* contra Antitrinitarios; & passim apud Scholasticos ac locor. commun. scriptores. Sociniani ut classem hanc argumentorum amoliantur, excipiunt contra majoris propositionis consequentiam, distinguendo inter fidem, cultum & adorationem quæ tribuitur æterno Deo patri ut causæ primæ, & inter eam; quæ tribuitur Christo mediatori quà tali, hoc est, tanquam causæ secundæ, mediæ, & subordinatæ omnium eorum quæ pertinent ad salutem nostram; quæ utraque adoratio divina sit non tamen summa; illa enim summa, hæc minime, quod Christus non sit agnoscendus pro ultimo fine fidei, adorationis & invocationis, adeo ut qui in Christum credit non in eum credat sed in Deum. Sic *Catechesis Racoviana cap.* 1. *Socinus in resp.* 1. *ad Volanum*, & passim *in Epistolis. Smalcius libr. de Divinitate Christi cap.* 12. *&* 24. *Idem in Refutat. Smiglecii de Erroribus Arianorum lib.* 1 *c.* 10. Ostorodus in Institutionibus cap. 14 & 15. Vbi priori capite talem retorquet syllogismum: *Nemo est unus ille Deus, quem propterea cultu divino colere debemus, quod Deus illi dederit omne judicium & nomen supra omne nomen. Sed Christus propterea divino cultu colitur, Ergo.* Remonstrantes

tes in *Confessione* & *Apologia cap.* 16. hæc inculcant axiomata 1. Esse honorem adorationis, qui Christo ut mediatori contra-distincte, ut est unigenitus patris filius gratiose & ex promisso à patre collatus, attributus & communicatus est, ex *Iohan.* 5. 26. *Philipp.* 2. 9. 2. consequenter Christo qua mediatori religiosum adorationis cultum competere. 3. Gloriam illam esse veram adorationis gloriam sed non absolute divinam. 4. Non esse necesse, ut credatur, quomodo Christo mediatori communicatus sit honor adorationis, an secundum naturam divinam, an secundum humanam, an secundum utramque. Dum strophas illas detegere & ad exceptionem accurate respondere satagunt Orthodoxi, enata est hæc quæstio, quomodo respondendum sit ad hoc adversariorum argumentum: Quæ adoratio tribuitur Christo qua mediatori, illa non competit soli Deo qua tali: & per consequens non evincit ipsius deitatem & ὁμοούσιον. Sed verum prius, Ergo. Plerique qui controversias has tractant (quod nos sciamus) negant minorem; nonnemo tamen voluit negare majorem. Hinc tandem problema: Quomodo seu sub quo formali Christus adorandus?

Est ergo hoc quæsitum, seu controversum inter orthodoxos propriè 2.
problematicum: pertinens ad theologiã non tam theticã seu ecclesiarum nostrarum, quam ad ἀκρίβειαν scholasticam seu philosophico-theologicam. An & qualis scil. limitatio sit addenda subjecto enuntiationis Christo, cum adoratio de eo prædicatur. (*Sic quidem in priori editione hujus disputationis scripseram; sed infra in problematis disquiretur, annon accuratius dicendum sit limitationem addi prædicato.*) In re ipsa quidem conveniunt, sed in explicatione, usu, & applicatione terminorum quà; & sub hoc formali qua dissentiunt. Habet tamen enodatio problematis usum suum, cum ab adversariis nobis objectum sit; nec liceat jam per illos simplici ignorantiæ litare, nedum ex contentione aut ignorantia pravæ dispositionis quidquam concedere, ne causæ veritatis contra Socinianos vel minimum præjudicemus. Illi enim hic non subsistunt, sed ulterius hoc trahunt, ut tectè innuunt Remonstrantes *loc. cit.* aperte Sociniani *loc. cit.* Haut aliter ac evenit in theologico-philosophicis *Conr. Vorstii, de Deo in prædicamento, de loco & duratione Dei, de accidentibus & affectibus in Deo &c.*

Examen tituli, seu *præcognitio terminorum præmittenda.* Occurrit hic *pri-* 3.
mo subjectum problematis; scil. *Christus*; Deinde prædicatum, scil. *Adorandus qua mediator.* 1. Subjectum est *Christus*, subjectum in ordine ad attributa sua plane extraordinarium. Potest enim persona Christi cum de illa quid prędicatur spectari, quatenus præcisè est persona divinæ naturæ; aut quatenus præcisè est persona humanæ Naturæ, vel quatenus &

persona utriusque naturæ. De prædicationibus illis consulendi Scholastici, & recentiores Theologo-philosophi. 11. Quod ad terminos describentes prædicatum, quia est enuntiatio non pura sed modalis, considera. 1. ipsum prædicatum *adorandus*. 2. Limitationem seu determinationem prædicato additam. Quod ad ipsum prædicatum *adorandus*, seu *invocandus*, nota: Per adorationem nihil aliud quam cultum religiosum, seu divinum & Deo proprium intelligi. Distinguimus autem inter adorabilitatem & adorationem. Illa est attributum Dei absolutum, & consequenter proprietas ejus essentialis, sine quâ Deus non est Deus. Ista est attributum respectivum, quod Deo tribuitur in ordine ad creaturas, & intercedente quadam actione earum; quod non est essentialis Dei proprietas, quia Deus ab æterno fuit sine eo, ut bene observat *Zanchius lib.* 1 *de Incarnatione*. Illius respectu Deus consideratur (analogicè & προπρεπῶς) ut subjectum, inhæsionis (ita loqui liceat; quod προπρεπῶς accipiendum) & attributionis & sic problema formandum: *An Deus quâ Deus sit adorabilis*. Istius ratione Deus consideratur ut objectum terminans activam hominum adorationem: atque ita problema formandum: *An Deus, an Christus quâ Deus adoretur*. In determinatione prædicati occurrunt 1. terminus realis seu dictum: *Mediator*, per quod fit limitatio. 2. modus seu προσδιορισμός, logico-grammatica scil. formalitas limitationis: *quâ*, vel *in quantum*. 1. *Mediatorem* & abstractum ejus *mediationem* non est quod hic definiamus. Hoc saltem in præsenti negotio notandum. *Primo* vocem mediatoris significare officium, quod est in prædicamento relationis. *Deinde*, esse relationem filio Dei accidentariam, contingentem, temporalem, non verò necessariam, naturalem & æternam. *Adhæc*, esse rationis, non realem, in persona λόγε (quatenus præcisè spectatur ut persona naturæ divinæ) nihil ponens reale, sed tantum denominationem extrinsecam. Confer *disput. De Vnica & simplici Dei Essentia thesi 6 & 9. Deniq*; non esse hanc relationem unum idemque essentiâ, formalitate, & conceptu cum natura divina, nec rationem formalem unius includere alterum: quod idem de absolutis attributis & proprietatibus Dei intelligendum est. Et ratio est, quia alioquin pater aut spir. s. esset mediator, quatenus Deus est. *Postrema*. Non esse eandem rationem formalem mediatoris ut sic, & secundæ personæ divinæ quâ talis; nec esse meditationem de ratione personalitatis & λόγε; fuit enim λόγος, antequam esset mediator. Quamvis enim unus idemq; nunc sit & secunda persona divina deitatis, & mediator, non tamē unum est mediator & persona illa divina (in sensu scil. formali:) sicut unus idemq; est & Petrus & Apostolus, non tamē unum idemq; est *Petreitas* & *Apostolatus*, sed rationibus formalibus distinguuntur. 2. Modus seu προσδιορισμός formaliter limitans subjectum effertur vel per simplex syncategorema, vel

per

per alios terminos circumscribentes. 1. *Illo modo* dicitur *quà* in cujus particulæ explicatione totius hujus disceptationis cardo versatur. Nota ergo 1. Synonyma ejus *esse quatenus, in quantum, ut sic*, ἢ τοῦτο *qua tale, quatenus ipsum*, καθ' ὅ *quoad*, κατὰ *secundum, in eo quod, ea ratione qua, qua parte, qua ex parte.* Quamvis hæc synonyma alicubi distinguantur; & unum altero latius aut angustius accipiatur. 2. Determinare hoc signum partem enuntiantem, & facere limitationem dupliciter; *vel* reduplicando & repetendo eundem terminum, ita ut limitandum limitetur seipso, ut ens in quantum ens est subjectum metaphysicæ; Homo quà homo est risibilis; Deus quà Deus adorandus est, Patres quà patres colendi; motus est actus entis in potentia qua in potentia, & mobilis quatenus mobile. *Vel* apponēdo diversum terminum, qui sit *aut causa* attributionis prædicati, ut homo quà rationalis, est docilis; *aut Genus*, ut, homo qua animal sentit; aut pars; aut deniq; accidens internum, externum, absolutum, respectivum &c. 3. Non esse, hoc signum *quà* semper unius ejusdemque significationis apud philosophos. Cum adjunctum prædicatur limitatè de subjecto (ut in hoc negotio) & non absolutè, *aut* adhibetur ad consignificandum subjectum proprium, cui affectio primo, immediatè & per se inest, ut homo quà homo est risibilis: *aut* ad consignificandam causam propriam, adæquatam & proximam, per quam & propter quam prædicatum subjecto primo & adæquatè inest; ut, homo quà rationalis est risibilis. Aliquando adhibetur ad significandum modum considerandi, ut corpus naturale quà mobile est subjectum Physicæ; Et ens quà ens est subjectum Metaphysicæ. Sed priores duo modi nostro huic negotio propriè quadrant. Quocunque modo usurpetur, infert semper reciprocationem seu conversionem, seu adæquationem prædicati & subjecti, aut limitationis seu determinationis subjecti, ut patet in propositis exemplis, ubi mutuo convertuntur homo & risibile, rationale & risibile, &c. Istarum restrictionum exempla plurima ex Theologia adferri possent, ex. gr. Christus mortuus pro nobis mittit spiritum sanctum, sed non quà mortuus; (quamvis rectè dicatur, quia mortuus) neque enim τὸ mori, aut humana natura est causa adæquata formalis missionis spiritus sanctus. Filius Dei est ἀυτοθεός, non quatenus filius (sic enim est à patre) sed quatenus Deus: nam Deus est οὐσία ἀναρχος καὶ ἀναιτιος. Peccatum seu actus peccaminosus dependet à Dei providentia positiva & operante non quà peccatum, sed qua actus & qua ordinabilis seu quatenus ordinatur ad bonum. Natus ex Maria est æternus, non quà natus ex Maria, sed quà Deus. Ita in nostro problemate quærendum est, an usu Philosophorum; à quibus syncategoremata illa habemus, *quà* gr. ἢ, & ἢ τοιοῦτον *secun-*

dum ſuam rationem qua tale, ut ſic καθ' ὁ, quatenus, ſecundum quod, ſub formali qua, aliud quid notare poſſit, quam quod prædicata ſubjecto aut termino limitanti ſubjectum inſint καθ' αὐτὸ, & cum eo reciprocentur; ex. gr. Deus qua Deus eſt adorandus; Chriſtus, mediator, homo Chriſtus, crucifixus qua Deus eſt adorandus. Quod ſi quis ſyncategoremata illa ad quaſcunque cauſas & rationes extendat quæ cum rebus non reciprocentur, putamus illum ἀκυρολογίαν committere. 11. Termini alii quibus circumſcribi ſolet hæc enuntiatio reſtrictiva, ſunt, *objectum formale, ratio formalis, formale, fundamentum*: Quid & quotuplex ſit objectum ex Logicis diſcendum. Hic ſuffecerit obſervaſſe, quid ſit objectum formale, quod vocat *Cajetanus ad* 1. *quæſt.* 1. *a.* 1. *rationem formalem objecti* (nam λόγος τῆς οὐσίας *ratio rei* Peripateticis eſt forma) & cujus tam crebra non tantum apud Philoſophos, ſed etiam apud Theologos fit mentio, cum diſputant de objecto & analyſi fidei, & de autoritate ſcripturæ. *Objectum formale* ſeu ratio formalis objecti id eſt, quod eſt ratio, ut ipſum & objectum materiale à potentia aut habitu directe attingatur, ſeu ut actio agentis in ipſum tendat. Hæc ratio formalis in objecto ſcientiarum tripliciter conſideratur à Philoſophis 1. *Quæ*; eſtque illud quod ſe tenet ex parte rei ut res eſt, ex.gr. Ens ut ens eſt ſubjectum Metaphyſicæ. 2. *Qua* ſeu *per quam*, ratio ſcil. formalis tenens ſe ex parte ſcientis & eſt medium neceſſarium cujus gratia intellectus aſſentitur concluſioni, ex.gr. rationale eſt cauſa quare riſibile inſit homini, & eſt mihi medium neceſſarium per quod neceſſario aſſentior concluſioni illi ſcientificæ: *Homo eſt riſibilis* quia rationale eſt ratio vera ex parte rei, ob quam πάθος illud ineſt ſubjecto. 3. *Sub qua*, ſeu objectum eſt, ſeu ratio tenens ſe ex parte objecti, quæ nihil aliud eſt quam reſpectus ſeu habitudo quam objectum dicit ad potentiam non quatenus eſt res aliqua ſed quatenus eſt ſcibile, ex.gr. Corpus naturale eſt objectum Phyſicæ, quatenus eſt abſtractum à materia ſenſibili, tanquam ſub ratione formali ſub qua. Nos, ut huic negotio noſtro diſtinctiones applicemus, dicimus hic quæri 1. de ratione formali objecti adorabilis ut res eſt, An Deus ſit adorabilis ut Deus, An Chriſtus mediator aut homo ſit adorabilis, quà talis, hoc eſt, qua mediator aut qua homo? Et hæc eſt ratio formalis *Quæ*. 2. de ratione formali, quæ ſit ex parte adorantis, per quod devenimus in adorationem Mediatoris, An ſola Deitas ſeu Deus ſit ratio fundamentalis, neceſſaria, & reciproca cur adoratio poſſit & debeat tribui Chriſto; an vero ſint aliæ rationes ſeu motivæ adorationis noſtræ, quæ formales & fundamentales dici poſſint. Quod tantundem eſt, ac ſi quęratur, An riſibile tanquam proprium πάθος intelligi poſſit primo, immediate,

mediate, & adæquate esse in homine, per & propter aliud medium, quam τὸ rationale ? Quod ad terminum *formalis* seu *formæ*, ille in ejusmodi disputationibus nihil aliud notat, quam rationem agendi & principium activum : dicitur *formâ à quâ*, qui effectus ut ab agendi principio ab illa egreditur. Sic ex.gr. adorabilitas à Deitate (ita loqui liceat) tanquam ex forma, & à persona filii considerata præcisè ut persona naturæ divinæ tanquam ex subjecto suo fluit & sequitur. *Fundamentum* & fundare *late* aliquando notat quodcunque motivum aut rationem, aut quamcunque causam impulsivam, respectu nostri : *stricte* & *propriè*, rationem fundamentalem seu causam proximam & adæquatam. Nos posteriori notione hic accipimus. *Principium* itidem hic intelligimus *formale* quod nihil aliud est quam vis illa causæ, quæ facit ut tale effectum existat. Et hęc sufficiant ad explicationem præcognitorum, in hoc problemate. Porro quia in terminorum illorum genuina explicatione tantum situm est ; & solo eorum abusu aut diversa acceptione heterodoxi ludunt & illudunt in Controversia de Deitate Christi, operæ pretium facturi sunt juniores si ex philosophis aut Scholasticis humanæ sapientiæ Magistris eos penitius & ex professo cognoscant. Vide *Gabrielem ad* 1. *dist.*9 *quæst.*1.& *ad* 3.*dist.* 27.*qu.*1. *Fontanum de Terminis philosophicis, Formalitates Franciſci le Roy lib.*1. *c.*5.*&* 2.*Castanei distinctiones, Armandum de bello visu &c.*

His ita præmissis videamus quid non sit,& quid sit Σκλήμενον seu controversum. 4. Non quæritur de adoratione Christi, mediatoris, hominis, crucifixi &c. ut mox patescet : nec quod nam sit objectum materiale (ita loqui liceat)adorationis in quod tendat adoratio, nam illud esse Christum mediatorem, hominem, filium Mariæ, fratrem nostrum ; nemo Christianus dubitat : Nec quæritur an sint variæ rationes & motivæ, quæ nos impellere & incitare debeant ad Christum colendum. Sed quæritur ? An Christus sit adorandus quà Deus, & quidem tantum sub illo formali quà Deus, hoc est an Deitas sit subjectum adæquatum adorabilitatis seu majestatis adorandæ, & objectum formale adorationis, seu ratio formalis per quam & propter quam suppositio huic adoratio conveniat, & tribui possit, alteri vero non conveniat, nec tribui possit. An mediatorium munus sit ratio formalis, & essentiale, naturale, ac necessarium fundamentum quod fundet adorabilitatem, atque adeo sint plures rationes formales in eo qui adoratur, ex. gr. æternum Deum esse, in tempore creare, hominem redimere, hominem à periculo aut morbo liberare &c. adeo ut tot sint rationes formales & objecta formalia adorationis, quot sunt motivæ seu rationes moventes ; tot quà quot quia ; tot principia prima, tot causæ proximæ essendi, unde primo

primo & immediatè fluit adoratio, & per quæ ſuppoſito ſeu ſubjecto ineſt adorabilitas, & in quæ ultimò reſolvatur, quot ſunt media proponentia, motiva, & rationes inducentes ac permoventes nos ad honorem & cultum Chriſto præſtandum. Quod ſi unam tantum rationem formalem quis ſtatuat, tum Quæſtio ſic formanda: An una ſit formalitas ſeu ratio formalis *Deitatis*, & *mediationis*: ſeu an Deitas ut ſic ſit de ratione mediationis, & vice verſa *mediatio* ſit de ratione deitatis; Item an τὸ Deitas, & τὸ mediare, ſint unum eſſe, unus conceptus objectivus & formalis, magis quam humanitas & deitas unum ſunt, quamvis perſonaliter unus ſit Deus & homo in Chriſto. Rurſum, an attributum illud adorationis magis ſit de ratione formali actionis *mediandi* aut relationis *mediatoris*, quam eſt de ratione formali ſubſtantiæ, *humanitatis* ſcil. in Chriſto. Vel, An non adorabilitas, quæ fundatur in ſolâ divinâ excellentiâ, majeſtate, & gloriâ (quam alteri rei dare non poteſt, niſi illam deificet; quod ſimpliciter impoſſibile) ſit de ratione deitatis ut ſic? An verò ſit de ratione mediationis, ut ſic? An potius utrumque ſimul & æqualiter, de ratione Deitatis ut ſic, & de ratione mediationis ut ſic? An denique de ratione utriuſque ſed inæqualiter: deitatis quidem primario, per eſſentiam, naturaliter, neceſſario; mediationis vero ſecundariò, participatè, per gratiam ſeu gratioſam communicationem & donationem? An itaque dicendum ſit magis *Chriſtus mediator eſt adorandus quà mediator*, quam, Chriſtus homo eſt Deus, quà homo; Chriſtus Deus eſt homo, quà Deus. Chriſtus Deus mortuus eſt quà Deus; Chriſtus homo æternus, & creavit mundum, quà homo. Chriſtus infirmus vicit mortem & ſeipſum ſuſcitavit, quà infirmus. Quæritur, an & cur omnes illæ enunciationes reſtrictivę ſint abſurdæ, quę limitent ſubjectum per adjuncta, quæ in tempore acceſſerunt filio Dei; adjuncta, inquam, partim ſubſtantiale, uti humanitas, partim accidentalia, actiones ſcil. paſſiones, relationes: & cur ſola illa enuntiatio (*Chriſtus quà mediator eſt adorabilis & adorandus*) quæ limitat per actionem (*mediare*) aut relationem (*mediator*) non ſit abſurda?

5. Habemus nunc ſtatum controverſiæ; Præmittamus quædam διδμενα. Erunt autem illa I. Data & conceſſa à nobis. II. Præſuppoſita & hypotheſes, de quorum veritate utrinque conſtat. III. Poſtulata quæ hic ſolummodo ſumere licebit, cum alibi ex profeſſo probentur. Concedimus ergo iſta 1. *Chriſtus* homo & mediator, in carne & cum carne, in & cum officio mediatorio eſt adorandus: ita ut objectum conſiderationis noſtræ ſit Chriſti perſona cum omnibus quæ illi inſunt, ſeu totus Chriſtus. *propriè enim honor exhibetur toti rei ſubſiſtenti*, ut rectè *Thomas pag. 3. quæſt. 25. a. 1.* Nec ſunt dividendę naturæ, aut adjuncta aliqua à perſonâ

sona λόγῳ. 2. In eo qui adoratur duo possunt considerari, is scilicet cui honor adorationis exhibetur, & causæ adorationis. Vnius adorationis possunt esse à parte nostra variæ causæ seu rationes in genere ita dictæ: modo non ponantur plures causæ essendi proximæ, adæquatæ, fundamentales, & à priori, quæ sint rationes formales, & unde sit esse formale adorabilitatis in se, seu à patre rei; Nam illa tantum unica est, excellentia scil. & majestas singularis, summa, prima, & independens æternæ deitatis. 3. Caro Christi simul adoratur non καθ' ἑαυτὸν *per se* nec δι' ἑαυτὸν *propter ipsam*, sed propter conjunctam illi & simul unitam deitatem, ita ut terminus ultimatus adorationis non sit caro sed Deitas. Thomas artic. cit. *Non decimus quod manus hominis honoretur, sed quod homo.* Et *si quandoque contingat, quod dicatur honorari manus alicujus, hoc non dicitur ea ratione, quod hujusmodi partes secundum se honorentur, sed quia in istis partibus honoratur totum.* Et hæc est sententia Synodi Ephesinæ in *apologetic. anathem.* 8. & *in epistol. Synodic. Athanasii contra Arrianos Orat.* 5. & *dialog.* 3. *contra eosdem. Cyrilli libri* 2. *cap.* 92. *in Iohann. & de Incarnat. Vnigeniti cap.* 26. Quam sequuntur nostri in Disputat. contra Vbiquitistas mox citandi. 11. Hypotheses, quæ utrinque & communiter contra heterodoxos præsupponuntur sunt. 1. *Christum* esse patri ὁμούσιον. 2. *Non* esse duos Deos, sed unum. 3. *Proprietates* omnes Dei cum ipso converti & esse ipsum Deum. 4. *Non* posse alteri subjecto realiter diverso communicari, immo ne unam quidem. 5. *Adorabilitatem* esse proprietatem divinam, prout majestas seu excellentia ejus singularis est nulli creaturæ communicabilis. 6. *Ideoque* veram de Deo existimationem, atque adeo venerationem, cultum, adorationem inde procedentem non esse communicabilem. 7. *Hinc* etiam Deo singularem fidem & amorem debere, quia proprie & excellenti quodam modo verax sit. Quas tres postremas hypotheses in mediis tenebris suis nobiscum & recte inculcāt Doctores Pontificii, inter eos *Smiglecius in novis monstris novorum Arrianor. & Zwarez disputat.* 51. *sect.* 4. *ad Thomæ pag.* 3. *quæst.* 25. *art.* 1. & 2. 8. *Vnicum* tantum esse objectum religionis, & adorationis religiosæ, unum scilicet verum Deum patrem, filium & Sp. s. contra Pontificios: quos refutatos vide à *Riveto in Decalogum ad* 1. *præc. & Molineo in Novitate Papismi*, aliisque Papatus Atagonistis. 9. *Vnam* specie tantum esse adorationem religiosam, nec gradibus aut speciebus inferioritatis vel superioritatis eā distinguicō-tra papales cultus latriæ, duliæ, hyperduliæ, quos genere sive analogico, sive univoco convenire statuunt. *Bellarmin. lib.* 1. *de cultu sanctorum cap.* 12. *Zwarez disp. cit. sect.* 3. 10. *Proprietates* Deitatis non communicari

humanæ naturæ Christi per unionem hypostaticam : & consequenter Christi carni propter communicatam omnem divinam potestatem, majestatem, & gloriam non deberi cultum adorationis divinæ, contra *Librum Concordiæ tit. de Persona Christi*, & in *catalogo Testimonior. Iacobi Andreæ in disput.* Tubingæ anno 1582. *thesi* 144. 145. & *Osiandrum Iuniorem in Enchirid. Controv. Calvinist. c. 6. qu.* 5. *Echardum in fasciculo cap. 6. qu.* 12. Quid autem illi in nostris oppugnent, & quid nostri ex scripturis & orthodoxa antiquitate defenderint vide apud *Danæum*, *Bezam*, *Zanchium*, *Zadeelem* ab adversariis ibidem *citatos*. 11. *Gloriam* Dei (in cujus cognitione fundatur omnis glorificatio creaturarum) esse Deo essentialem, unius solius & semper propriam, nec ulli creaturæ communicabilem. 12. *Eam* differre à gloria Christi humana & mediatoria, quippe quæ sit inferior non divinæ æqualis, sed proxima. (Est enim illa essentialis, ex naturali necessitate ac proprietate filio à patre generante communicata. Ista vero est Christo quà mediatori, & quà homini collata ex libera Dei voluntate, & libera gratiæ dispensatione.) Gloriam autem purè divinam Christo duntaxat tribui, qua Deus est. Vtraque hæc hypothesis deducitur à *Polano Syntagm. lib. 2. c. 31. pag.* 190. Vide & confer fusè & ex professo hanc distinctionem, ejusque necessitatem contra Socinianos explicatam à *Polyandro in prima concertatione c. Socinianos cap.* 21. per totum. 13. Christum quatenus mediator est, patre minorem, eique subordinatum & inæqualem esse: quæ tamen inæqualitas non naturalis & substantialis sed Oeconomica & relativa; quod ex 1. *Cor.* 11. 3. *Ies.* 2. 1. *Ioh.* 14. 28. nostri in disputationibus contra Arrianos concedunt. Vide *Fr. Iunium Defens. 2. de Trin. c.* 7. 11. 12. 20. & *Zanchium de Tribus Elohim part. 2. l. 3. c.* 10. & 11. 111. *Postulata* hæc sunto, ex philosophiâ 1. Forma rei unica est, & causa efficiens proxima unica est, qua posita res ponitur, & ablata aufertur. 2. In ordine ad facultatem seu actionem, quæ circa objectum versatur, una tantum est ratio formalis in objecto, quia illa nihil aliud est *quam forma secundum quam objectum est motivum illius potentiæ*, secundum *Scotum in* 1. *dist.* 3. *qu.* 1. Itaque plures in eodem objecto admittere rationes formales tam absurdum est quam plures ejusdem rei statuere formas specificas. 3. Ratio formalis ut est principium, unde primo & immediatè res dependet, sic est ultimum objectum in quod rei istius ultima fit analysis. 4. Ratio formalis cum re illa reciprocatur cujus est ratio, eique adæquata est, hoc est, illi soli, omni, & semper competit. 5. Ratio formalis prior est instanti naturæ, etiam signo rationis re illa ad quam refertur; quia scil. & quatenus res illa à ratione formali dependet, inque ea fundatur.

His

His positis statuimus hanc thesim : *Christum quà mediatorem, seu sub hoc formali, quà mediator est, non esse adorabilem aut adorandum.* Quam probabimus. 1. argumentis directis. 2. ab absurdo consequenti. 3. Denique subjiciemus testimonia aliorum, ad ostendendum consensum. Argumenta directa sunt *primò* ex naturâ subjecti. 1. Christus adoratur unâ eâdemque adoratione cum patre & Spir. S. quà ὁμοούσιος Deus : Ergo non adoratur aliter vel sub alio formali suo quà mediator. 11. Quia seorsim, quà mediator seu secundum οἰκονομίαν, non est absolutè summus & primus ; sed Deo subordinatus, ab eo dependens, eo minor & inferior, ei inæqualis, ejus servus &c. 1 *Cor.* 11, 3. *Ies.* 42. 1. *Chamier. Panstratiæ tom.* 2. *lib.* 1. *c.* 4. & passim Antagonistę Socinianorum. Ergo ut sic non adoratur. Consequentia majoris patet : quia minus Deo, & inæquale non adoratur religiosè quà tale seu in quantum minus Deo & ei inæquale: Atqui mediare, mediatio, mediator, de ratione suâ formali includit, subjectum esse, minus esse, inæquale esse, servire &c. Sed argumenti hujus evidentia magis patescet ex sequentibus. 111. In quo non est fundamentum adorationis, æstimatio scilicet debita excellentiæ, majestatis & gloriæ supremæ atque infinitæ, illud non est adorandum : Sed in Christo quà mediatore non est tale fundamentum &c. Ergo. Probatur minor. Non enim credimus Christi peculiarem mediatoriam gloriam, esse gloriam illam absolutè supremam & purè divinam, sed ab eâ distinctam, ut optimè contra quorundam confusionem & transfusionem proprietatum divinarum (communicationem vocant ipsi) hæc à nostris distinguuntur, inter alios à *Polano Syntag. lib.* 2. *cap.* 31. & *Polyandro in primâ concert. cap.* 21. Si enim supremam & divinam gloriam haberet quà mediator, illud haberet vel per naturam vel per gratiam unionis. Sed per neutrum. Ergo non judicamus Christum quà talem esse adorabilem adoratione divina. Debet enim esse & semper servari proportio inter honorem & honorabilitatem, inter æstimationem & inter excellentiam seu virtutem quæ æstimatur, ut rectè observatum à *Scholasticis ad* 2. *qu.* 25. *art.* 1. & *Smiglecio in novis monstris novor. Arrianor.* 1v. Quia non est objectum formale fidei quà mediator, ergo quà talis non est objectum formale adorationis. Consequentia majoris patet ex *Roman.* 10. *v.* 14. Minor probatur, quia quà mediator non est primum efficiens & ultimus finis, primum & summum verum ac bonum infinitum, æternum &c. nec primus & supremus autor seu causa efficiens omnis boni & salutis : sed est causa inferior tum procatarctica seu meritoria, tum instrumentalis, & hac ratione collator bonorum in cujus nomine, per quem & propter quem tendimus in summum bonum, Deum scil. inque eum credimus, in eo speramus, eum colimus & ado-

& adoramus *Iohann.* 14.6. Porro quæ de unico formali & ultimato objecto fidei ac fiduciæ hic innuimus, passim à nostris ita explicata invenies in *Disputationibus de Religione, de precatione, de invocatione creaturarum, de fide,* & *de analysi fidei, de spe &c.* v. Quia unica tantum est ratio formalis cujusque rei; ergo & adorabilitatis Christi, deitas scilicet, nec quidquam præter ipsam. Nam unica illa ratio formalis, aut est natura divina, aut natura humana, aut utraque, aut adjunctum aliquod seu relatio ex operibus & officiis utriusque naturę resultans. Non natura humana, hoc enim nolunt οἱ ἐξ ἐναντίας: nec utraque, nam tum etiam humana esset ratio formalis: nec adjunctum seu relatio mediatoris', quia tum rursum humanitas esset pro sua parte ratio formalis, Quia Christus est mediator secundum utramque naturam. Si ergo qua mediator adorabilis, ergo &qua homo. Sicuti si qua substantia homo est ens per se subsistens, ergo etiam est tale ens secundum animam non tantum sed etiam secundum corpus. Sed proxime sequenti argumento hoc magis illustrabitur. VI. Mediatio non est objectum formale adorationis, ergo nec mediator qua talis adorabilis aut adorandus. Ratio Consequentiæ valet à forma ad formatum, à ratione formali ad esse formale & affirmativè & negativè, ex.gr. Vniversale non est objectum formale cognitionis sensitivæ, ergo universale non cognoscitur à sentiente quà tali; & consequenter non est dicendum, homo qua sentiens cognoscit universalia: sed est dicendum: homo qua rationalis cognoscit illa. Antecedens multis modis probatur. 1. quia mediatio est actio, & officium mediatorium est relatio; Sed actio & relatio externa in ordine ad creaturas; non est objectum formale adorationis, quia non est Deus aut deitas, sed certum quoddam opus Dei in creaturis, à quo Deus externe denominatur: Et sic mediatio seu redemtio est opus filii Dei in hominibus, quod nihil reale in persona divina ponit, sed tantum externam denominationem. 2. Quia est adjunctum contingens, temporarium, quod poterat esse & non esse, ergo qua tale non est adorabile aut numen σέβασμα, σεβαστὸν: non enim est excellentia suprema, divina, natura & per essentiam talis, non forma Dei, non natura Deus, sed est excellentia & forma quædam inferior, mediatoria per gratiam unionis hypostaticæ, ex liberrimo Dei decreto. 3. Quia instanti naturæ & signo rationis, immo & tempore est posterior majestate, excellentia, adorabilitate, quin & ipsa adoratione filii Dei; Ergo non est ratio ejus formalis. Ratio consequentiæ est, quia omnis ratio formalis in objecto natura prior est re & actione in objectum illud tẽdente,

vel

vel circa objectum illud versante ; sicut omne principium principato, causa causato, forma formato & formali : 4. Quia sublata objecti ratione formali, tollitur attingentia & motus facultatis in illud objectum ; sed sublata seu negata mediatione non tollitur adoratio λόγυ : *Primo* ; quia sequeretur alioquin ante lapsum & ante institutionem muneris mediatorii filium Dei non debuisse adorari;quod absurdum.*Secundo*,quia sequeretur patrem & Sp.S.(qui eadem adoratione tanquã unus Deus cum lio adorantur) non esse adorandum, eo quod non sunt mediator. Quod autem nonnulli viri docti huic argumento confirmando adjiciunt : Munus mediatorium esse deponendum à Christo, & consequenter non posse esse rationem formalem aut adæquatum fundamentum adorationis, nos malumus in medio relinquere.Est enim deponẽdum ex 1 *Cor.*11.24. & tamen non est deponendum ex *Luc.* 1.33. itaque cum distinctione hic loquendum est. Sed illud merito urgetur contra Socinianos, quod ibidem 1. *Cor.* 11. 24. dicitur Christum etiam excellentiam & gloriam mediatoriam jam consecutum fore patri subjectum : ergo non potest talis evectio & gloria fundare adorationem divinam seu religiosam. 5. Quia objectum formale est illud in quo ultimo terminatur & primo fundatur actio aut facultas, & in quod ultimo resolvitur, ut ex.gr. Homo videt, non quà homo aut qua rationale sed qua sensitivum ; ubi analysis ultima sit in τὸ sensitivum,non vero in humanitatem aut rationalitatem ; ergo hoc sed illud est ratio formalis : & dicendum est homo videt qua sensitivum, non vero qua rationale, vel sub illo formali, qua homo. Atqui mediatoris adoratio non resolvitur ultimo in munus mediatorium, sed in deitatem.Si enim quæro cur Iesus adoratur, & respondeatur : *quia mediator* : Et ulterius quæram cur mediator adoratur, respondebitur à Christianis contra Arrianos : *Quia est ὁμούσιος cum patre Deus*, vel : *quia habet æternam Deitatem.* Hæc ultima responsio, hic ultimus terminus, & consequenter hæc unica ratio formalis, non vero officium mediatoris. Hactenus demonstrationes directæ ex natura subjecti. Sequuntur ex natura prædicati VII. Solus Deus quà talis,hoc est,eo ipso quod habet divinã naturam & supremam excellentiam,est adorabilis & adorandus: Atqui mediator qua mediator non habet illam excellentiam, ut supra ostensum est, Ergo. Antecedens multipliciter demonstratum fuit in controversiis Vbiquitariis. Non est itaque, quod hic probationes aliquas moliamur. Minor probatur, Quia solus Deus qua talis habet illam excellentiam secundum omnes Vbiquitatis Antagonistas ; ergo nulli nisi deitati hoc tribuendum, nequidem adjunctis ἀχωρίστοις personæ divinæ, ut humanæ naturæ Christi, aut officio seu operi mediatorio. Indirectæ pro-

bationes ex absurdis consequentibus seu repugnantibus tum subjecti tum prædicati multæ possent adduci. Nunc sufficerint istæ. VIII. Sequeretur & concederetur 1. *Socinianis* esse duos Deos, duo numina σεβάσματα, quorum unum summum, alterum subordinatum: saltem non possent solide nova illa monstra in lucem protrahi & contundi: nec quarta classis argumentorum pro deitate Christi contra exceptiones eorum accuratè & perspicuè defendi; nec illi idololatriæ convinci. Nec prætereundum quod *Smalcius* Photinianus *lib. de Divinitate Christi cap.* 24. iisdem fere argumentis utatur ad probandam donatam deitatem, majestatem & adorabilitatem Christi mediatoris, quibus ex nostris nonnemo probat Christum adorandum quà mediatorem. 2. Nec solide & evidenter refutari posset duplex religiosa adoratio Christi sed inæqualis; quam habent Remonstrantes Συνιζοντες *Confess.* & *Apolog. c.* 16. & duæ rationes formales istarum adorationum; nec defendi Concil. Ephesin. in *Apolog. anathemat.* 8. & in *epistol. Synod* ubi rejicit duas adorationes Christi. 3. Concederetur Pontificiis alium esse cultum religiosum secundum primam legis tabulam, quam divinum, quem illi, sed perperam, proprio nomine apellant latriam. Certe non parum enervantur argumenta nostrorum contra religionem & cultum religiosum creaturis tributum; & porta aperitur distinctionibus latriæ, duliæ, hyperduliæ & novis ac portentosis illis commentis Cardinalis *Perroni*, qui *in responso ad Regem Magnæ Britanniæ lib.* 5. *c.* 20. ita περισσολογεῖ: Precatio est indirecta, aut directa; relativa, aut absoluta; subalterna aut suprema; transitoria, aut finalis; extra oblationem seu sacrificium, aut oblatoria seu sacrificatoria. 4. Enervantur responsiones nostrorum ad Vbiquitistarum communicatam divinam majestatem, gloriam, & adorationem: atque adeo omnipotentiam, omnipræsentiam, omniscientiam, & supremam potestatem judicandi. Nam necessario sequitur, si adoratur Christus mediator quà mediator, Ergo etiam adorandus est Christus homo. Atqui posterius tanquam absurdum à *Beza*, *Zanchio*, *Danæo*, *Zadeele &c.* eorum Antagonistis semper negatum fuit & solide refutatum. Nulla hic potest differentia aut exceptio adferri cur magis dicendum sit Christum quà mediatorem, quam quâ hominem adorandum, nisi ista: *Mediator comprehendit non tantum humanã sed & divinam naturã, quæ posterior in se per se est adoranda.* Atqui hoc ipsum est quod volumus, adorationem attribui Christo à Deo & sub illo formali, quà Deus; non autẽ qua mediatori quia mediatio æquè respicit naturam humanam ac divinam; & suo interventu (siquidem esset ratio formalis adorationis) æquè eam applicaret humanæ ac divinæ naturæ. Imprimis notandum, quod eadem argumenta adferuntur ab eximio

mio Theologo *Amesio in Disp. de adoratione Christi quâ mediatoris*; quæ nostris opposuerunt *Eckhardus*, & *Osiander locis* jam *c.* IX. Adjicimus duo argumenta ad hominem. *Primum arg.* opponimus Remonstrantibus. Illi enim dum Socinianorum causam agunt, ut elevent necessariam veritatem articuli de Trinitate contra communem Christianismi causam; sic satis philosophicè & scholastice distinguūt in Resp. ad Excerpta DD. Professorum Leidensium p. 93. ad 5. specimen: *Persona, qua talis, usum præbere non potest ad cultum, pietatem, nisi quatenus persona illa divina est, divinitas enim est ratio colendi Deum, non personalitas.* Et in Vedelio Rhapsodo p. 37. *Pater qua pater abstracta ratione Deitatis non est adorandus.* Infero ego ergo nec mediator qua mediator abstracta ratione deitatis est adorandus. Consequentia valet à pari immo à majori ratione: nisi ipsi probaverint relationes rationis & externas denominationes Deo attributas, (qualis est mediatoris) magis esse rationes formales adorationis religionis, quam personalitates divinas, paternitatem scil. &c. Atque una quæro duo ista. *Primò*, Cur hic metaphysicis, Logicis, & scholasticis terminis tam libenter soleant ἀκριβλογεῖν, cum luminibus Christianismi totius in gratiam Antitrinitariorum obstruendum est; cum vero fides Christiana asserenda & hæretici in lucem protrahendi & confundendi, omnia distinctionum & terminorum logicorum ac scholasticorum auxilia facessere jubeant, immo & hostiliter incessant, & sic ad ignorantiæ (ut quidem præ se ferunt) asylum illico profugi, vadimonium deserant: *Secundo*, an non sibi aut strenuè contradicant aut hypocrisin saltem prodant, cum in *Apologia* sua *loc. cit.* dicunt, Christum esse religiosè adorandum qua mediatorem, & quidem vero sed tamen distincto honore adorationis ab illo, quo colitur Deus, quem vocant ibidem *absolute divinum.* *Secundum arg.* ad hominem opponimus Cl. D. Amesio, ex ipsius Disputat. de Aoratione Christi thesi 4. *Particula*, inquit, *quatenus, quà, in quantum, secundum quod, nihil amplius in ista propositione potest notare, quam Christum mediatorem esse determinatum objectum adorationis aut etiam aliquam justam rationem adorationis in ipsius mediatione Christi reperiri. Nos utrumque sensum suscipimus defendendum.* Atqui hoc est totam causam tradere (ut mihi quidem videtur) aut non obscurè profiteri, languere hanc totam disceptationem circa meram καὶ νοφωνίαν, ἀκυρολογίαν λογομαχίαν, si non σκιομαχίαν. Ipsam assertionem ejus concedimus & concedebat Cl. Theologus, ille, cui has theses opponebat: sed particulas illas male ab ipso explicationi jam positæ applicari putamus x. Subjicimus consensum eorum qui ex professo controversias & strophas Antinitarias examinarunt: quos paulo cautius hic locutos fuisse indubium est, Zanchius part.

part. 2. de tribus Elohim lib. 3. c. 3. *Non est sufficiens causa ut adoretur Christus quia mediator est. Causa enim adorationis sola est deitas. Ideo enim Iehova jubet se solum adorari & coli, quia solus est Deus, autor omnium rerum. Quare si Christus non est Deus, nullo modo est invocandus & adorandus.* Et ibidem: Objicitur, *pater adoratur ut Iehova & autor bonorum omnium, filius ut mediator & distributor bonorum, quæ à patre accepit.* Vbi in egregiâ responsione hęc inter alia reponit p. 16. col. 9. *Causa unica, cur curvanda sint alicui genua, nempe quia Iehova est: non igitur curvabuntur genua Christo quia judex est, sed quia Iehova.* Cartwrigtus histor. Euangelicæ part. 1. p. 327. *Hic vide si cum Cyrillo totius hic locus, quo divinitatem suam Christus asserit, de mediatoris persona intelligi debeat, an cum Augustino partim in æternam generationem, partim ad Mediatoris personam referendus. Cum enim parhonor Christo hic habetur, qui patri: & cum in se vitam inclusam & insitam habere videtur, non videntur ista nisi in filii personam, quoad ex patris substantia genitus, competere.* Smiglecius Iesuita, qui felicissimè cum Socinianis congressus est, in novis monstris novor. Arrian p. 21. *Sicut ob priorem potestatem Christus Deus dicendus est, ita propter illam aliam potestatem Deus nequaquam dici potest; & illa quidem prior donata non est, sed innata Christo: Hæc vero donata quidem est à Deo, sed ejus consideratione Christus Deus non dicitur, neque divino cultu ob eam afficiendus.* Zwarezius, cum Thoma p. 3. qu. 25. art. 1. & 2. asserit Christo tantum quà Deo cultum divinum tribuendum. Sic enim titulum facit sect. 1. *De adoratione Christo ut Deo debita*, & sect. 4. *Quomodo Christus ut Deus adorandus sit.* Et adorationem illam explicat esse divinam seu Deo propriam. Grauwerus theologus Lutheranus in Hebr. 1. p. 93. *Non idcirco Christus adorandus est, quia per ipsum preces diriguntur ad patrem, sed quia æternus Deus est, hæc enim unica & sola causa adorationis. Sic falsa causa allegatur cum dicunt, Christum esse adorandum, quia potestatem habet in nos. Non enim hæc est vera causa adorationis, nec propter summam potestatẽ à Deo concessam adoratur.* Pareus in Eirenico cap. 28. p. 270. *Objectum adorationis est Christus Deus & homo: causa vero adorationis Dei & hominis est deitas. Est enim in Christo natura adorabilis divinitas, est & adorans humanitas, inquit Cyrillus lib. 1. ad Theodos. de recta fide.* Zanchius part. 1. de tribus Elohim lib. 3. cap. 12. p. 117. edit. in fol. *Negamus sequelem hanc, si Christus est mediator non potest igitur invocari: non enim invocatur ut mediator, sed ut Deus. Et sic Stephanus invocavit &c. Actor* 7. 59. & addit alia exempla *Luc.* 17. 5. 1 *Thess.* 3. 11. 2 *Thess.* 2. 17. Camero tom. 3. prælection. p. 173 *Si tamen fieri nonposset, quod omnino fieri non potest, ut qui mediator est verè & proprie, idem non esset Deus, profectò mediator non esset adorandus; & ratio idonea est, quia hic cultus mere divinus & religiosus est.* Iohannes Iunius, qui solide

lide atque eruditè Socinum refutavit in Examine Resp. Socini contra Wiekum class..5.cap.6. *Deus singularis & individuæ essentiæ ratione unus, ex toto corde diligendus est, id est, ut indivisus in se, & divisus ab omni alio. Ergo etiam qua talis adorandus &c. Eo sensu etiam in uno Deo confidendum, ergo unus Deus, qua sic unus, adorandus & invocandus &c. Necesse est ergo aut duplicem unius essentiæ divinæ cultum dari*, &c. Vide reliqua, quibus egregie contra duas adorationis Socini disputat pro unica ratione adorationis Dei & Christi. Cl. DD. Professores Leidenses in Censura confession. Remonst.cap.16. *Iam vero quandoquidem divina natura, cum humana natura in una persona mediatoris conjuncta est, hinc sit, ut una adoratione mere divina, una invocatione, una fiducia & spe, non duabus distinctis, nec una ex duabus mixta, à nobis colatur; in qua invocatione adoratione, & fiduciæ locatione, objectum formale & causa propria, seu terminus, (ut scholæ loquuntur) est divina tantum natura, quæ hujus cultus per se tantum est capax &c.* Huc etiam facere putamus *Polani* distinctionem gloriæ Christi *loc. citat.* Breviter tota disputatio nostrorum contra Vbiquitisticam Idiomatum communicationem & altera contra Antitrinitarios huc collimet, necesse est.

Objectiones Cl. *D. Amesii*, ut breves simus, sigillatim non excutie- 9.
mus: imprimis cum hoc satis superque præstitum sit à Clar.D. *Makkovio*, & D. *Doctore Clutone Disputationibus* in Academia Franequer. de hac quæstione profitis anno 1635. Suffecerit indicasse hos fontes solutionum. 1. Aliud est disputare quis & qualis sit adorādus, & aliud quę sit ratio formalis sub qua adorandus, sit. 11. Omne id est, qua est *quia*, & *ratione* seu *respectu*, sed non contra. Multæ possunt adferri rationes & motivæ quæ moveant à parte nostra ut feramur in objectum, sed una tātum est ratio formalis. Sic multæ sunt rationes seu motivæ cur Christus mediator à nobi glorificetur & divino cultu honoretur, ex.gr. quia redimit nos, quia vulneratus & mortuus est, quia pauper fuit pro nobis, quia vermis fuit, quia maledictus fuit, lachrymatus est desertus fuit & in agonia, quia pro nobis intercedit, quia liberat nos à morbis, periculis &c. Sed omnia ista non possunt dici objectum formale adorationis divinæ. 111. Aliud est specificatio objecti materialis quod adoratur, & aliud est limitatio per rationem qua prædicatum subjecto convenit. Illud cum DD. Professoribus Leidens. vocare possumus objectum considerationis: quam distinctionem otiosè rejiciunt Remonstrantes in sua *Apologia*, sed non refellunt. Verissimum, quod *Epiphanius Ancorat. & Augustinus serm.58. de verbis domini* & post illos *Thomas loco* sæpius *cit.* & recentiores in Disputat. contra Vbiquitistas docuerunt, adorari cum carne filium Dei, atque ea ratione ipsius carnem in

unitate hypostraseos deitati ejus unitam. Sic & nos totum Christum mediatorem atque adeo consideratum à nobis tanquam mediatorem, jam qualitatibus, officiis, & virtutibus omnibus vestitum adoramus, nihil separantes: non tamen quà mediatorem, ut scilicet mediatio aut aliud quid præter deitatem sit objectum adorationis formale. Quæ præterea *loc. cit.* adferunt Remonstrantes probandæ peculiari & distinctæ religioni Christi mediatori qua tali debitæ, ab Antagonistis Socinianorum jam refutata sunt.

Probl. I. *An accurate & propriè possit dici Christum esse mediatorem quà Deus & qua homo est.* Resp. *Neg. nam videtur innui, Deitatem absolute & humanitatem ut sic, rationem formalem esse mediationis.* II. *Quomodo sit intelligenda illa precationis formula*: Domine Iesu ora pro me? Resp. *Distingue ipsam petitionem formaliter ut est actus noster, à re petita. Illa dirigitur ad personam mediatoris & ea terminatur, in qua deitas habet se ut ratio formalis illius tendentiæ seu motus cordis nostri in Christum. Res petita est, actio ejusdem Christi mediatoris qua mediatoris agenda scil. secundum naturam humanam, quæ est immediatum precationis subjectum.*

Consectarium. I. Qui in assertione D. *Amesii* subsistunt, & profanas novitates de duplici adoratione &c. resecant, ἀκυρολογίᾳ & verbis tantum dissentire videntur. II. Putamus tamen nec usui recte loquentium nec satis circumspectè detectioni & refutationi Socinianorum accomodatam esse tam laxam & in propriam phrasin, quamvis eam orthodoxe explicent. III. Si qui ulterius cum Remonstrantibus quid hinc exsculpere satagunt; ii videant, ne error pravus in principio fiat magnus in fine.

APPENDICIS
DE ADORATIONE CHRISTI QUA MEDIATORIS PARS PRIMA.

MATTHIAS NETHENUS Reessâ-Clivensis. *Ad diem* 13. *Iulii.* 1642.

I. PRoblema de adoratione Christi quà mediatoris, alibi natum (in Academia scilicet Franequerana), exinde ex vicina Academia Leidēsi in hanc nostrā per studiosos, qui propter grassantem illic pestem frequentes ad nos tunc divertebant, illatum, & publice privatimque in collegiis & privatis colloquiis ab iis sæpiuscule pro libertate Academica protrusum atque exagitatum, necessitatem nobis antehac imposuit, aliquid de eo responderdi, & com-

commentandi. Hinc factum, ut tandem illis obnixè postulantibus, ut conceptus nostros scripto comprehenderemus, diatribe publice ad disputandum propositâ, nostra qualiacumque communicaremus; quibus tunc auditoribus nostris abunde satisfecimus. Sed quia novitiorum ingenia subinde novis dubiis & effugiis (hoc est, novo modo, aut novâ formâ propositis) aliunde exerceri contingit insuper ab imperitis aut malevolis nonnullis hæc clanculum admorderi ac calumniosè traduci; operæ pretium me facturum putavi, si diatribem nostram antehac editâ præsenti appẽdice in gratiam rudiorum (nam provectioribus sufficiunt fontes solutionum ibidem indicati) illustrarem. Erunt autem sectiones ejus septem; quarum I. continebit consensum Theologorum, imprimis eorum, quibus cum adversariis conserta manu pugnandum fuit. II. Occasiones & origines controversiæ. III. Momentum, seu pondus controversiæ. IV. Occasiones & fontes errorum atque hallucinationum, circa hanc controversiam. V. Argumenta pro veritate: cum solutione exceptionum. VI. Argumenta adversæ sententiæ refutata una cum exceptionibus & replicis. VII. Consectaria & corollaria quædam per modum problematum proposita.

Consensum, quem in diatribe nostrâ cœperam indicare, triplici sup- 2.
plemento nunc absolvo. 1. *Primum* habet autores, qui ante Apologiam Remonstranticum, & inde formatam hanc controversiam problematicam, scripsere. Sunt autem Piscator in Math. 2. v. 15. ubi ait Christum adorandum *non tantum civiliter ut hominem, sicut* Magi *videntur adorasse; sed etiam religiose, ut Deum*. Et paulo post: *Etenim adoratio proprie debetur naturæ divinæ. Ioh. Cramerus in Enchirid. controvers. Vbiquitar. part.* 1. *p.* 141. 142. 143. Vbi urget Christum secundum naturam divinam tantum, (hoc est, qua parte Deus est) invocandum esse: neque ideo adoratione dividi Christum in hominem seorsim & in Deum. Zanchius lib. 3. de Tribus Elohim cap. 12. *Negamus sequelam hanc: si Christus mediator est, non potest igitur invocari. Non enim invocatur ut mediator, sed ut Deus. Franciscus Iunius in defens. Trinit. contra Samosatenianos*, ubique tam sollicite distinguit Christum quà Deum, & quà mediatorem, & quà hominem, ut non possit non nostra sententia inde colligi, & adversa rejici. Inter alia *part.* 3. *p.* 190. (edit. in fol.) distinguit prærogativas scilicet excellentias, quæ Christo in scripturis tribuuntur, in eas quæ ut Deo simpliciter in æqualitate naturæ, & in eas quæ ut mediatori in æqualitate secundum dispensationem, & ratione officii. Iam vero adorationem esse excellentiam quæ competat Christo non qua mediatori, sed quà Deo ὁμουσίῳ, statuit, in Exam. Gratiani Prosperi part. 2. §. 5. p.

265. *Christus adoratur à nobis ut coëssentialis & æqualis patri secundum deitatem suam, una adoratione cum patre.* His addimus *Amesium*, qui quamvis contenderit pro adoratione Christi qua mediatoris; hypothesibus tamen per totam Theologiam sparsis thesi huic suæ non obscure contradixit, & fontes solutionum suppeditavit. Vide in *Medullâ* ipsius *lib.* 1. *c.* 19. §. 28. & 23. §. 17. & 25. §. 29. & 26. §. 30. & 31. §. 8. & 41. §. 16. 10. 28. *lib.* 2. *c.* 4. §. 19. 20. & 6. §. 2. 3. 4. 5. & 9, §. 4. 5. Aliud etiam ex verbis DD. Professorum Leidensium in *Censura confess. Remonstrantica* exsculpi nequit. Videat ipse lector & expendat verba eorum *pag.* 225. Et verba Parei in methodo controversiæ Vbiquetariæ cap. 31. *Invocamus igitur Christum quia verus cum patre & spiritu s. Deus, λατρείᾳ, ut sic loquar, deitatis absolutâ, invocamus quoque Deum in nomine Christi, quia est mediator, petentes nos exaudiri propter hujus personæ θεανθρώπου λύτρον & intercessionem &c.* Nec prætereundus Grauerus Theologus Lutheranus in commentar. Hebr. 1. p. 63. *Non idcirco Christus adorandus est, quia per ipsum preces diriguntur ad patrem, sed quia Deus æternus est, hæc enim unica & sola* (N.B.) *causa adorationis. Sic falsa causa allegatur, cum dicunt Christum esse adorandum, quia potestatem in nos habet: non enim hæc est causa vera adorationis, nec propter summam potestatem à Deo concessam adoratur.* *Smiglecius* Theologus Iesuita *lib.* 1. *de erroribus novorum Arrianorum cap.* 9. distinguit accurate contra Socinianos potestatem Christi independentem & increatam, quam una cum natura divina communicatam habet, à potestate ejusdem Christi creata, dependente & ministeriali, quam Christus communicatam habet quà mediator, qua est sacerdos & salvator noster potestque nos salvare, orando interpellando, sanguinem fundendo. Priores potestatis ratione Christum ait meriri cultum divinum, seu cultum absolutum: non vero ratione posterioris, quę priori nullâ ratione æqualis esse possit. Videat lector, cui vacat, filum totius disputationis. 11. Habet eos, qui scripsere post editam apologiam Remonstranticam, cum responso ad excerpta Profess. Leidensium, atque inde formato & ventilato alicubi in terminis præsenti problemate, dum laboratur in refutandi exceptione Socinianor. & Remonstrantium: quos presse, exacte, & circumspecte magis hic locutos esse, indubium est. Sunt autem *Isaacus Iunius in Antapologia cap.* 4. *p.* 102. cum *cap.* 2. *p.* 78. 72. 23, & *cap.* 16. per totum & *c.* 3. *p.* 92. *Vedelius in Opusculis Theologic., Colleg. Theolog. disp.* 30. *thesi* 5. Idem in *judicio quodam M.S. de hac quæstione*, Daventriæ 21. Augusti 1638. (quod infra integrum exhibemus) *Makkovius in disp.* de hoc problemate cum aliis nonullis edita in 4. anno 1640. ubi objectiones dissolvit. Recusæ sunt postea illæ theses & aliæ insuper additæ anno 1641. in 4. Vide *collegior. theologic. part.* 1.

part 1.*colleg.miscellan.qu.*5.*disp.*35.*&* 36.*&* 37.*&* *colleg.*6.*disp.*3.*in corollar.* *Abrah.Heidanus in refutatione Catechismi Remonstrantici qu.*89. *Iacobus Laurentius in Exegesi seu confessione fidei* vernaculo sermone conscriptâ *Ioh. Cluto in Idea disp.*3.*thesi* 1.*&* *disp.*40.*disp.*4.*th.*15. Rever. & conjunctiss. collega noster *Carolus de Maets in disp.de persona & officiis Christi. Henricus Diestius* Theol. Professor. Daventriensis, in erudita *disp de Adoratione Christi*, habita 26.Augusti 1640.ex qua (quia forte publicè ubivis non prostat) hæc studiosis nostris exhibeo; thesi 63. *Ex quibus omnibus patet veram rationem seu formale adorabilitatis esse deitatem &c. patet etiã, quid sit respondẽdũ ad illam quæstionem,* An Christus adoretur quàDeus an vero quà mediator? *Nimirum,non qua mediator,sed qua Deus.* Et paulo post: *Rectius etiam dicitur mediator adoratur,quà filius Dei,quam filius Dei adoratur qua mediator,seu (quod idẽ est) quà* θεάνθρωπος, *qua Christus &c. Quia illud* quà mediator,qua θεάνθρωπος, *utramque naturam,divinam & humanam insinuat, filius Dei adorari, qua mediator, qua* θεάνθρωπος, *non sine specie contradictionis dicetur*, &c. *Nisi illud, quà, aliter etiam accipi possit, non tantum secundum quam naturam sit mediator &* θεάνθρωπος; *sed etiam pro novo respectu quem in assumta mediatione & carne accepit: prout diximus supra, thesi* 19.&c.*sed hoc esset* λογμαχεῖν, &c. *Quæ de adoratione dicta sunt, eadem quoque de honore seu cultu fidei & fiduciæ sunt intelligenda.* Et paulo post: *Credere in Christum, hoc est fiduciam collocare in Christum non videmur, nisi quá Deum, aut propter Deitatem. Polyander à Kerckhoven in* 2.*concertatione Sociniana, disp.*27.*thesibus* 23.-27. quod ad summam rei ab hac sententia mihi discedere non videtur. Videat & expendat lector filum disputationis. Quin & *Beza* cum aliis collocutoribus reformatis *in colloq.Mompelgard. part.* 1. *p.* 196. 197. unicum fundamentum & ultimatum objectum (quod nihil aliud est quam objectum formale) divini cultus haut obscure pronuntiat esse solam deitatem; *Ab adoratione*, inquit, *deitatis &* λόγου *minime separant alterius partis collocutores humanitatis adorationem; non tamen in se nec absolute consideratæ,sed respective,id est,quia est Deo* τῷ λόγῳ *unita, sive quia Christi deitas quæ propriũ & absolutũ est* (N.B.) *veræ adorationis objectum, non est simpliciter deitas sed deitas incarnata, & illa, humanitas non simpliciter humanitas, sed* τοῦ λόγου *humanitas.* 111. Habet eos, qui edita & lecta diatribe nostrâ, pro eâ determinarunt, eamque approbarunt: quales viri docti, & theologi quamplurimi; inter quos veteranus & pereruditus Theologus ac præceptor noster Franc. Gomarus in litteris suis ad me Groninga datis Kalend. Augusti 1638. sic scribit: *Disputationem de quæstione*, An Christus quà mediator, sit adorandus? *Evolvi, nihilque in illius discussione observavi, quod non accuratum & veritati consentaneum existimem. Ac sane quantum errorum syr-*

ma, contraria D. Ameſii ſententia ſecum trahat, op'ime quoque obſervaſti: quemadmodum ante aliquot annos duobus eruditis juvenibus (huc Franekera mæ tentandi cauſa profectis) oſtendi. Quare pro opera tua perudite præſtita, gratiæ merito debentur: & pro ea mihi communicata, ut & D. Altingio, gratias ego & habeo maximas. Perge ſtrenue: & imperitiæ atque invidiæ, veritatis & utilitatis Eccleſiæ ſtudium præpone: Deus haut dubie favebit, ac cœpta ſecundabit. Summus vir, Veteranus itidem ac polyiſtor Theologus Andr. Rivetus in literis ſuis ad me Haga-comitis 12. Kalend. Quintil. 1638. ſic cenſet de eadem diatriba noſtra: *Sed quandoquidem agitur de adoratione divina, eaque per conſequens ſumma, quæ ſoli Deo debetur, & divinam excellentiam habet pro objecto formali, ut loquuntur; ego ſententiam illam præfero quam tueris, Mediatorem Chriſtum, non poſſe ea adoratione adorari, niſi quatenus Deus unus eſt cum patre proinde rationem formalem, cur adoretur, non eſſe mediationem ſed deitatem, etiamſi cauſæ multæ ſint & variæ, quæ nos moveant ad eum adorandum.* Et poſtea: *Quæ ex cenſura noſtra* (cap. 16. pag. 225. lin. 9. 15.) *citas, talia ſunt, ut nihil mihi videatur vel diſtinctius, vel expreſſius dici poſſe, eaque non dubito ſufficere, ut omnibus non contentioſis probes, nihil intereſſe inter doctrinam tuã, & noſtram in hoc dogmate. Id pluribus demonſtrare conarer, ſi opus eſſet: ſed in re manifeſta non exiſtimo utendum eſſe teſtibus non neceſſariis* &c. Atque hactenus demonſtratio conſenſus; quæ ſufficiet ad ſuſpicionem omnem termeritatis, & κενοφωνίας, ab accurata veritatis defenſione, quam cum aliis pro modulo molimur & intendimus, amovendam. Horum enim virorum in philoſophicis & theologicis (præſertim controverſiis Socinianis) eruditionem atque ἀκρίβειαν cum ſtudio ὀρθοδοξίας conjunctam, amplecti atque imitari malumus, quam in ἐχεμυθίας, aut ἀκνεφολογίας, & contradictionis, aut ignorantiæ aſylum à Socinianis compingi.

3. Occaſionem huic problemati, ejuſdemque accuratiori & cautiori enodationi dederunt. 1. Pontificii, qui de Chriſti humana natura adoranda diſquirunt ad *Thomam p. 3. qu. 25. art.* Vbi vide *Cajetanum, Zwarez, Valentia &c.* 11. Poſt illos Vbiquitiſtæ, qui diſputant de adoratione carnis Chriſti, ſeu de adoratione Chriſti ſecundum humanam naturam, & quà mediator eſt, quà θεάνθρωπος. Vide *Eckhardum in faſciculo controverſiar. cap. 6. qu. 12.* Et *Lucam Oſiandrum fil. in Enchiridio controverſ. cum Calvin. c. 6. quæſt. 5.* Et *Balduinum in caſibus lib. 2. cap. 4. caſu 7. Diſput. Theolog. Gieſſenſes VVinckelm.* & *Mentzeri tom 1. diſp. 3, quæ eſt de Ieſu Chriſti θεανθρώπῳ, theſi, 33. 44. 46. Acta Colloq. Mompelgard.* ut à Beza cum reſponſione edita ſunt Genevę 1587. *part. 1. p. 196.* coll. cum *pag. 174. 175. VVolfgang. Franzium in diſp. c. Pontific. Calvin. Antitrinit. diſp. 3. de perſona Chriſti ſect. ult. th.* 195. Ex noſtris hanc opinionẽ oppugnant *Martyr, Daceus, Zanchius, Ioh.*

Crame-

Cramerus &c. 111. Hinc Sociniani, qui negant ex Christi adoratione probari ipsius deitatem, hac exceptione (ut alias nunc præteream, apud *Socinum in disp. de adorat. Christi cum Christiano Francken, & Francisco-Davidis pag.* 193. Et *antithes. Fr. Davidis p.* 181.), quod adoretur quà, seu quatenus mediator, hoc est ut causa media seu secunda omnium eorum quę salutem nostram spectant, & ut intermedius religionis finis: cui contradistincte opponatur pater, quippe solus adorandus ut causa suprema, primum efficiens & ultimus finis. Sic *Volckelius Institut. lib.* 4. c. 11. *Crellius de uno Deo patre sect.* 1. §. 36. 37. Adeo ut fundamentum seu ratio formalis adorationis ipsis sit Christi munus mediatorium, & donata potestas, gloria, dominum in nos; cujus causa immediata sit exaltatio Christi, mediata ejusdem obedientia. *Socin. c. præf. VViecki.* Et hanc communicatam gloriam illi divinam & deitatem appellant. Sic *Ostorodus Institut.* c. 10. Quam dextrè & plene has Socinistarum strophas dissolvant Lutherani, qui Christum quà Deum & secundum deitatem tantum, adorandum negant: vide apud *Paulum Tarnovium libr. de Trinitate c. Socinum*. Et *Stechmannum disp.* 9. *qu.* 13. 16. IV. Denique Remonstrantes, qui operam suam commodantes Socinianis negant argumentum irrefragabile ad probandam Christi deitatem à cultu divino peti posse: *quia ex scriptura didicerunt Deum patrem Christo filio, quatenus* θεάνθρωπῳ *mediator &c. Deus manifestatus in carne, cultum & honorem divinum gratificatum esse. Impossibile autem est, ut concipiatur Deum filium suum Iesum dignatum esse honore isto in tempore, si ratio adorationis sit tantum divina ejus natura* Apolog. cap. 2. Et cap. 16. fol. 153. a. *In hoc Capite non censetur nisi hoc unum, Quod* Remonstrantes eos recte facere statuunt, qui Iesum Christum, quatenus Mediator noster apud Deum est, sancte ac religiosè colunt, id est, adorant, invocant, spem & fiduciam suam in eo collocant, eique suppliciter gatias agunt ac benedicunt. *Fatetur Censor Christum nobis agnoscendum & colendum esse, non tantum ut unigenitum Dei Patris Filium & verum Deum, sed etiam ut* θεάνθρωπον *ac Mediatorem inter Deum & homines. Atqui nihil aliud dicunt Remonstrantes in Confessione sua.* At, *inquit*, cultum hunc constituunt Christo Mediatori proprium, ex, ratione solius officii ipsi à patre impositi, aut gloriæ ipsi à Patre concessæ. *Sane: Qui possunt aliter, si est cultus, qui Christo, ut Mediatori, contradistincte ut est unigenitus Dei Patris filius, gratiose à patre collatus est, quod ipse Censor agnoscit?* At hoc Socinianis manifeste favet, *inquit: favet ergo, inquam ego, Censor ipse Socinianis, dum id, quod diximus, iis concedit: Et ubi veritas hæretico favet, hæreticus ea parte hæreticus non est.* At, *inquit Censor*, hoc viam aperit Socinianis ad omnia argumenta orthodonorum eludenda, quæ pro vera & æterna Deitate Christi, ex hujus divini

vini cultus communicatione, ab Ecclesia veteri & recente, semper invicte sunt petita. Et ibid. 6. *Eheu! quantum periculum, Alterutrum ergo dicendum est; Aut falsum esse, Christo, ut Mediatori cultum & honorem hunc à Deo attributum & gratiose communicatum esse, aut si hoc falsum non est, uti Censor hoc falsum non esse concedit, æquissimum omnino esse, ut argumento isto plumbeo non amplius pugnemus.* Et paulo post: *Verba Concilii Ephesini, quæ Censor citat, talia sunt, ut Patres idem definuisse videri possint, quia dicunt*, se non agnoscere duas naturas in Christo, unam adorandam, alteram non adorandam. Sed unam naturam divini verbi incarnatam, quæ simul cum sua carne una adoratione adoratur. Iidem in Vindiciis, seu Vedelio Rhapsodo lib. 1. c. 9. p. 54. petunt ut probetur, *necessarium esse ut credatur, quomodo Christo mediatori communicatus sit honor adorationis, an secundum naturam divinam, an secundum humanam, an secundum utramque, & ut determinetur modus ille ex scriptura.* Accedat *Simon Episcopius* in scripto Belgico posthum. quo D. Abrahamo Heidano respondet *pro catechesi Remocstrantica*, ubi ad *quæst.* 85. *p.* 285. ait: Iesum Christum qua filium non tantum Dei sed & hominis esse glorificatam creaturam & consequenter ut talem esse objectum cultus religiosi & adorationis idque evidenter probari ex *Ioh.* 17. 3. Adhæc, cultum religiosum competere Deo, & filio quà Deo per naturam; filio vero quà mediatori tantummodo per & secundum voluntatem atque ordinationem Dei. Præterea, Hunc honorem & cultum tribui non mediatori solum quà mediatori, sed etiam ipsi Deo quia non tribuitur mediatori nisi ob Dei voluntatem, & quia Deus ita postulat, adeo ut Deus per illum honorem & cultum gloficetur. Denique, non esse idololatriam si quid religiosè colatur (uti hic fit) extra & præter Deum seu extra & præter divinam essentiam & personam quia Deus expresse mandat filium suum honorari sicut ipse honoratur. Iam vero mandatum hoc locum habere non potest, nisi quatenus filius ipsius est filius hominis. Ad *quæst. præced.* 84. *p.* 283. Fatentur hunc cultum non esse eundem aut parem ei qui Deo qui Deo tribitur; quia talis Christo mediatori quà tali non convenit. Quamvis enim idem sit in substantia, tamen in eo differt ab honore seu cultu patris, quod pater suum honorem habeat à se & natura; Christus hunc suum habeat à patre & quidem in tempore gratiosè concessum tanquam præmium obedientiæ. Atque hæc quidem occasio disceptationis de hoc problemate, propinqua. Proxima est, παρεγράματα in refutatione horum adversariorum, à viris bonis & orthodoxis admissa, hoc est, ut molissime loquamur, nonnulla impedite aut obscure, aut admodum laxe, impropriè & ambigue, consequenter periculose ab ipsis dicta. Quorum causa videtur esse, improvida imitatio

eorum

eorum theologorum qui ante enatas controverſias Socinianas & Remonſtranticas ſecurius hic locuti ſunt (uti plerumque fieri ſolet , & docent exẽpla ſcriptorum,qui ante exortum Arrium,Neſtorium, Pelagium &c. floruere:) aut qui acroamatico & preſſo ac ſcholaſtico ſtylo ſeu loquendi genere non ita uſi ſunt , & conſequenter ad acceptiones philoſophicos particularum & formularum non tam ſtricte attenderunt , ac quidem ſophiſtæ Sociniani nunc docent & cogunt nos attendere. Accedit & ex priore hac promanat alia cauſa , quod abſque ſerio & accurato examine omnium , quæ ad cauſam hanc pertinent , ex tempore prima data occaſione ſæpe concipiatur , & dicatur ſententia aliqua , quam poſtea examini eruditorum ſubjectam , haut parum contrahere , aut incruſtare conantur , ſi non abſurdis longe abſurdioribus cumulatis infeliciter eam defendere velint. Poſſunt & aliæ particulares cauſæ intervenire. 1. Ignorantia mentis & intentionis adverſariorum : cum ſc. omnes hypotheſes , concluſiones , & artes eorum nondum ſatis perſpectæ ſunt. 2. Ignorantia terminorum , tum ex uſu adverſariorum,tum ex uſu ſcholarum , quos adhiberi neceſſe eſt in ventilatione hujus problematis : hinc fieri non poteſt , quin ſe & alios implicent , omneſque conceptus ſuos confundant;præſertim ſi ſtrictum & cautum terminorum uſum ſuſque deque habeant. 3. Ignorantia theſium quarundam,aut rationum,aut diſtinctionum Theologicarum; quæ aliqua ratione hanc controverſiam attingunt. 4.Forte & aliqua contentio , adhæc nimia facilitas & temeritas,in aliis carpendi ea,quæ tunc non capiunt, aut de quibus antehac non cogitarunt. 5. Quod ſi pertinacia & nimius τῶν ἰδίων amor atq; admiratio acceſſerit , in abſurda plura incidunt , & error errorem trahit. Porro viris doctis in diſſolvendis ejuſmodi nodis nonnunquam inconſiderate & periculoſe dicta excidiſſe , non mirum eſt,in hac humana infirmitate & caligine. Ex tota theologia ejuſmodi hallucinationes non colligimus : ſufficerit unam atq; alteram indicaſſe in probemate de adoratione Chriſti:ubi *Martyr* & *Daneus contra Vbiquitarios* in acie ſtantes , duas fecerunt adorationes Chriſti ; ille in *Geneſ.* 18. 2. iſte *in aſſertione contra Iacobum Andreæ p.* 37. 38. Forte idem in animo habuit Alſtedius,cum in Logica Theolog. c. 20. §. 16. ſcriberet: *A cultu mediatoris proprio , non valet conſequentia ad cultum Dei proprium. Nam prior ille eſt ἀξίωμα τῆς ἀνθρώπου : poſterior eſt λατρεία ſacroſanctæ trinitati debita. Ameſius* unam quidem facit adorationem , ſed quæ poſt incarnationem Chriſti variet ab adoratione ejus ante incarnationem,quippe quæ nunc fiat ſub illo formali qua mediator. Alii unam itidem adorationem , ſed quæ plures habeat rationes formales (de qua opinione infra) : qui omnes aliqua ratione cothurnum

ſuppeditare aut relinquere videntur adverſariis, ſub quo latere poſſint; nec directe iis occurrere videntur, aut ad mentem eorum reſpondere, ſed potius luſu ambigui pugnam declinare, contenti petitione & ſumptione ejus, quod eſt in quæſtione; ne dicam eos ab analogia elencticæ noſtrorum theologiæ & laudabili ſcholarum ἀκριβείᾳ in hiſce, aut affinibus problematis, aliquo modo diſcedere, idque ſine ulla neceſſitate. Quod cum animadverterent Theologi recentiores, quibus in controverſiis Socinianis ſubactum & exercitatum eſt ingenium, tempeſtive intercedendum putarunt; ne quid bona cauſa detrimenti caperet: quorum ſententiam & inſtitutum nos cum pluribus præſtantiſſimis theologis libenter probamus. Et hæc hactenus de occaſione & formatione hujus problematis.

4. De momento & pondere hujus problematis, ſi ſcil. illud dextrè, aut minus dextre explicetur, tres ſunt opiniones, duę extremæ, tertia media. 1. eſt eorum, qui videntur neceſſarium putare ut quis ad debitum honorem Chriſto exhibendum, affirmantem ſententiam cum ipſis tueatur. Quouſque hæc verba ſua extendi velint ignoro: hactenus tamen malo ſentire eos ex ſua opinione (quæ quam vera, quam tuta ſit, infra videbitur) nolle facere dogma eccleſiaſticum, ne quidem ſcholaſticum; & ſic omnes aliter ſentientes ἑτεροδοξίας ſtigmate notare. Sed tamen metuendum eſt, ne iſtis & ſimilibus eorum phraſibus abutantur nonnulli (ut facile eſt inventis aliquid addere), qui in ignorantia ſua præſidium ponunt, & cum terminos aut ſtatum controverſiæ ne leviſſimè quidem deguſtarint: immo nec diſcere velint, magiſtraliter tamen determinant. De ſtupidis & improbis calumniis, negari ſcil. Chriſti mediatoris invocationem, errorem aut novitatē agitari, Remonſtranto-Socinianis forte pejorem &c. non eſt quod hic referam, cum talia non reſponſo, ſed commiſeratione digna ſint, nec in animis piorum aut eruditorum fidem inventura. Oſtendamus nunc hanc controverſiam eſſe problematicam, quamdiu intra proprios terminos, in quibus propoſita eſt, ſe continet. 1. *Quia* eſt in acceptione propria aut impropria, uſu aut abuſu ſyncategorematis quà, ut & termini *rationis formalis*. 2. *quia* eſt in modo & ratione refutandi exceptionem, ſeu argumentum adverſariorum, hoc ſcilicet, *Quicunque adoratur qua mediator, ille non eſt ſummus Deus; Sed Chriſtus adoratur qua mediator; Ergo.* Hic alii negant majorem, conceſſa minori; alii contra minorem negant. Quomodo etiam in aliis graviſſimis controverſiis non uno modo communes adverſarios oppugnant Orthodoxi: ut ex. gr. de genuino ſcripturæ canone & authentica ejus editione; cum opponitur, libros quoſdam è canone periiſſe, puncta à Maſorethis

rethis addita esse loco à librariis corrupta. Sic in quæstione, de interpretatione scripturæ & gemino aut unico ejus sensu, de judice controversiarum &c. de ecclesiæ invisibilitate & successione, de primorum reformatorum vocatione, de fide ad quam omnes dicuntur teneri, quod Christus pro ipsis sit mortuus. In illis dissolvendis quidã majorem concedunt, aut saltem eam patiuntur transire, negata absolute minori; alii excipiunt adversus majorem: utri tutius & accuratius disputent, hic nõ est dicendum. 3. *quia*, qui ecclesiasticã, aut cõmunem, aut capitalem controversiã hic facerent, similem fere scientiam, prudentiam, æquitatem, caritatem adhiberent, qualem Pontificii qui nostros longe melius & accuratius Arrianismum oppugnantes, hæreseos Autotheanorum, & syncretismi cum Arrianis, & Turcis insimulant. De quo vide *notas nostras ad Diatriben. D. Gomari de* Αυτοθεῳ, & *Turco-Papismum oppositum Reginaldi Calvino-Turcismo.* Qualem item Lutherani, qui quod τὸ *qua* juxta cum ipsis in attributis personæ Christi non admittimus, aut quod paulo solidius quam ipsi Judæos, Arrianos, Eutychianos, Nestorianis refutamus; ut tanto melius omnem speciem syncretismi cum hæreticis evitemus, eosque cothurnis suis exuamus: non verentur nobis Iudaismi, Arianismi, Photinianismi, Nestorianismi dicam scribere. De quo vide *Gomari diatriben modo cit. cum notis nostris* editam, & *Hunnii Calvinum Iudaizantem* cum *Parei Calvino Orthodoxo*, & *Philippi Nicolai fundamentorum Calvinianæ sectæ cum veteribus Arrianis & Nestorianis* (etiam Mahumedistis) *detectionem.* 11. Secunda opinio est, otiosam & inutilem esse hanc subtilitatẽ, aut inanem λογμαχίαν: & consequenter nullius faciendam. Sed hæc opinio cum grano salis accipienda est. Fateor, orthodoxorum quorundam contradictionem; extra intuitum Sociniſticæ & Remonstranticæ ευβείας, ex mera simplicique ignorantia profectam, inanem & imperitam λογμαχίαν posse dici, quæ transeat. Sed Remonstrantium & Socinianorum τὰ κρυπτὰ τῆς ἀιχύνης, limitationem illam *qua mediator*, involucrum & vehiculum faciunt realissimæ controversiæ. Quibus ergo arcana illa detecta & perspecta sunt, illi tenentur ad ἀκρίβειαν veritatis, & ἐλέγχυ soliditatem atque evidentiam hic eniti: quod si negligant, aut si pertinaciter aliis, quorum melior sententia, hoc agentibus obstent; utique non erit à parte eorum, pura λογμαχία: uti mox videbitur. Compara nostrorum distinctionẽ inter illos, qui ante detectum Antichristum fuerunt in cõmunione Ecclesiæ Romanæ (ad instar eorum, de quibus 1 *Samuel.* 15. 11.) & inter eos, qui hodie post detectum, ibidem manent. 111. Tertia & media opinio est, quam nos sequimur: esse quidem hanc controversiam minus principalem & problematicam; alicujus tamen momenti, ut nunc status

ejus est, post detectas Remonstrantium ac Socinianornm insidias, & quæsita latibula, in distinctione illa, de cultu Christi, quà mediatoris. Rationes sunt istæ 1. *Rat. Quia*, cum in theologia dogmatica etiam vera dicere de Deo, de trinitate, de persona Christi periculosum sit; accuratissimè attendendum est ad phrases, syncategoremata, limitationes. 2. *Rat. Quia*, in theologia elenctica, ubi validi & subdoli adversarii cothurnis, effugiis, æquivocationibus, malè fabricatis distinctionibus suis nos exercent, imprimis cautione & accurata distinctione opus est: nominatim attendendus usus syncategorematis *quà*, & in hac & in aliis quamplurimis gravissimis controversiis. Ex.gr. an fides vivens seu efficax per opera, an quà efficax, justificet; non est controversia logica aut grammatica (uti volunt Remonstrantes *Apolog. c.* 11. *fol.* 113. cum quâ confer *Grotii notas ad Cassandrum*, ejusdemque *replicam in Rivetum*), sed in Theologia maxima, ut docte ostendit *Isaacus Iunius in Antapolog pag.* 237. 238. 239. quem vide. Sic in quæstione de objecto prædestinationis quod sit & quale, scilicet peccator: sed an qua peccator? Itidem in quæstione de objecto formali fidei, & de ultima ejus analysi, deque autoritate & credibilitate scripturæ: ubi tota disterminatio partium contradicentium fit per particulam *qua*, & per terminum *rationis formalis*. Vide *Scholasticos ad* 22. *quæst.* 1. & ex nostris *Baronium de objecto fidei contra Iesuitam Turnebullum*; & *Rivetum in disp. de Objecto fidei*, & in *Isagoge de scriptura*. Etiam in controversia de ἀυτοθεῷ, uti ostendimus in *notis ad diatriben Gomari*. Confer quæso *Zanchium* super eadem hac quæstione, *epistol. lib.* 1. *epistol.* 9. *pag.* 58. ubi post accuratam distinctionis per *qua* & *quatenus* explicationem, sic concludit: *Vides frater, quantum referat scite omnia distinguere*. Similiter in quæst. illa Sociniana; An Christus suscitatus ex mortuis, & quia suscitatus ex mortuis, dicendus & credendus sit filius Dei. *Aff.* An etiam, qua suscitatus ex mortuis. hoc est, an resurrectio sit fundamentum filiationis. *Neg.* In quæstione de miraculis Christi mediatoris, deque ἐνεργητικῷ eorum principio: de quo monuimus in *Disputation. de Miraculis*, *parte* 2. in quæst. de Objecto religionis seu cultus religiosi; de qua vide *Rivetum in decalogum*, *Amesium in casibus*. Et nos de eadem monemus, atque ad usum τῦ *qua* in præsenti quæstione applicamus, *Disp. de superstitione*, *append.* 2. *arg.* 4. In quæst. de adoratione Christi hominis, immo & carne θεανθρώπου, τὸ quod sit, de objecto materiali, & de objecto consideration is, & de *quà* specificative accepto conceditur sed τὸ *quà* (reduplicativum scil. & proprie acceptum) ac de objecto formali

mali negatur. In quæstione de jure Dei distinctio adfertur per τὸ *qua* dominum, & *qua* judicem. Vide *Grotium de satisfactione p.* 42. 43. edit. in 8. & *Ioh. Iunium in refutation. prælection. Socini cap.* 16. *pag.* 563. 564, Sic *Swarez de legibus lib.* 2. *cap.* per distinctionem Dei quà legislatoris, & quà domini, explicat jus dispensandi in lege naturali. Denique ut finem faciam in vexata illa controversia de Iure Magistratus circa sacra, τὸ *qua* neglectum, aut non bene applicatum, omnem difficultatem parit. Confer *disp.* nostram, *de Potestate ecclesiasticâ.* 3. *Rat.* Quia alterutra pars non satis feliciter causam Dei contra Socinianos tuetur, nec satis fortiter eos refutat; & consequenter manus eorum quamvis inscia quodammodo confirmat. Est autem alicujus momenti, tantam causam adversariis suspectam reddere, & legitimam defensionem ejus aliqua ratione perturbare. Applicandum vero hoc parti affirmanti, probo istis rationibus: quarum, *Prima*: quia pervertunt terminos artium in scholis omnibus usitatos, & ad explicationes ac disputationes theologicas adhiberi solitos. Quod hic operosè non probabimus; sed provocamus ad philosophos & Theologos philosophicos seu scholasticos, quarumcunq; in religione partium. Atqui talis abusus, aut detorsio terminorum, objici posset adversariis Socinianis & Remonstrantibus, tanquam signum desperatæ causæ. *Secunda*, quia cum termini non tantum illa notione, qua nos accipimus, accipiendi sunt; sed & ipsi adversarii Socinian & Remonstrantes eadem usitata ac communiter recepta notione accipiant: fallacia homonymiæ & ignorationis elenchi ludere ac prævaricari videntur nostri, nec adversariis directe occurrere (uti semper gestit veritas: teste *Tertulliano*) sed pugnam declinare & respondendo nihil respondere: illi enim de alliis loquerentur, & hi intelligerent de cæpis. Iam vero adversarios, particulam *qua*, in hisce aliisque suis distinctionibus non laxe, improprie, catachrestice aut specificative (uti quidam ex nostris) accipere; sed stricte, proprie, & reduplicative constat, e. gr. ex *Crellio* Sociniano, *de Vno Deo parte lib.* 1. *sect.* 2. *cap.* 1. ubi distinctionis causa sic loquitur: filius qua filius, qua Deus, persona quà persona. *Ibidem sect.* 1. §. 101. Et *Slichtingio c. Meisnerum pag.* 375. *&c.* Et sic Remonstrantes in *Vindiciis p.* 37. & locis ex *Apologia*, & *Responso ad excerpta &c. supra cit.* Et *Episcopius in defensione catechismi Remonstrantici c. Heidanum*, *ad quæstion.* 58. ubi ex professo explicat & probat adorationē Christi quà mediatoris. Ad ipsos promachos Socinismi, qui aliqua philosophiæ cognitione tincti sunt, & scholarū methodo uti solent, provocamus. *Tertia*, quia non satis stricte, tuto, & caute, respectu

adversariorum loquuntur; sed ipsis cothurnum relinquunt, aut suggerunt quo heterodoxiam suam tegant. *Quarta*, quia viam aperiunt & pontem sternunt, si non sibi, saltem aliis rudioribus atque infirmioribus ulterius τῇ ἀμετρίᾳ τῆς ἀγθολκῆς hic prolabendi in in varia absurdè, aut saltem periculosè, aut impedite & confuse dicta (quorum specimen infra exhibemus:) adhæc in aliis gravissimis controversiis (quales modo recensuimus) similiter perverso usu, aut confusione & ignorantia terminorum *qua*, & *rationis formalis* impingendi, & omnia sursum vorsum miscendi. *Quinta*, quia consequenter bonæ causæ justam & accuratam defensionem perturbant ejusque defensoribus contra novos & Remonstrato-Socinianos conceptus præjudicant, & alacritati ipsorum obicem ponunt, contradictione sua sæpe satis acri & censoria, Quinam autem sint illi defensores, diximus *thesi* 1. Atque hactenus satis probatum putamus ex judicio eruditi præceptoris nostri D. *Gomari* (quod vide *thesi* 1.) esse hujus controversiæ aliquod momentum: ideoq; pro nihilo non habendam, imprimis inter eruditos & scholasticos. Quod tamen sic accipi velim ut subjective seu in subjectis distinguam gradus hujus hallucinationis, alii enim aliis altius hanc opinionem hauriunt & admittunt, quin & extensive in nonnullis latius se diffundere possent per assumptas plures hypotheses, & consectaria. Vt concludam; 1. *Si* qui solummodo laxe particulam *quà* seu *ut* usurpant, & proculdubio nihil aliud intelligunt, quam objectum considerationis, non vero formale & ultimate terminans, illos ἀκυρολογίαν, & si contendant λογμαχίαν cõmittere arbitror. 2. *Si* qui insuper *rationem formalem* invitis omnibus philosophis & scholis Theologicis, peculiari suo conceptu & abusu aliud quid notare faciunt ut semel male posita defendant, illis philosophorum (unde Theologi terminos hos mutuati sunt) judicio relinquo; quibus, si placet, rationem reddant, quo jure & cui bono novas philosophicorum terminorum acceptiones procudant, immo bene positos & ubique receptos disciplinarum terminos confundant? An ad concitandam scilicet aut alendam novam controversiam problematicam in theologia? Aut hoc, aut terminorum ignorantiam fateri necesse est. 3. Si post detectos cothurnos & insidias adversariorum pergat quis acriter hanc ferram reciprocare, & absurdis Philosophicis Theologica addere, is monendus est, videat, ne error parvus in principio fiat major in fine.

5. Occasiones & fontes hallucinationum tum in explicatione hujus problematis, tum in defensione partis affirmantis, sunt. 1. Ignorantia, confusio, & abusus terminorum, formalitatum, quibus res theologicæ dogmaticè & elencticè in scholis exprimi solent. 2. Mutatio status contro-

troverſiæ. 3. Aſſumptio, ſeu fictio pſeudo-philoſophematum, hoc eſt falſarum hypotheſeωn in philoſophia, quibus opinionem ſuam ſuffulciunt. 4. Aſſumtio, ſeu efformatio hypotheſeωn theologicarum. 5. Efformatio novarum partim periculoſatum, partim abſurdarum diſtinctionum philoſophicarum & theologicarum. 1. quod ad primum fontem, hoc in genere monemus neminem debere in ſcholis acroamatice, & ſecundum methodum didaſcalicam diſputationes theologicas abſolvere per terminos & technologamata diſciplinarum, niſi ea intelligat & in actu exercito ſeu quod ad uſum cõmunem, & in actu ſignato, ſaltem ea penitius diſcere & intelligere paratus ſit, idque revocanda ea ad ſuas quæque diſciplinas ex.gr. logicam, phyſicam, Rhetoricam, politicam, &c. in propriis ſedibus ibi cognoſcendo, aut ſi opus ſit, artium iſtarum vivos Doctores conſulendo, juxta illud philoſophi: *Artifici credendum eſt in ſua arte.* Vide, quomodo *Daneus*, *Martyr*, *Zanchius*, *Fr. Iunius*, *Fr. Gomarus*, *Zach. Vrſinus*, *Pareus*, *Zadeel*. *Camero*, &c. cum Pontificiis, Socinianis, Vbiquitiſtis feliciter diſputarint. Immo vel unus *Ameſius*, quamvis hac in controverſia de adoratione Chriſti qua mediatoris noſtro judicio hallucinatus fuerit, accuratum uſum terminorum & formalitatum ſcholaſticarum quem docere poſſet, quod norunt, qui ejus ſcripta inſpexerint modo. *Twiſſi*, *Ferrii*, *Molinei*, *Vedelii*, *Riveti*, *Makkovii*, *VVendelini*, *Spanhemii* rationem diſputandi & ſcripta non allego, tum quia vivunt; tum quod ſupra nonnullos ex iis pro mea ſententia adduxi. Ex Lutheranis pretereundi non ſunt *Meiſnerus in Philoſophia ſobria*, *Keſlerus in refutatione Logicæ*, *Phyſicæ*, *& Metaphyſicæ Photianæ*; adde *Iacobum Martinum*, *Finckium*, *Danielem Cramerum*, *Schramum*, *Schroderum*, *Hornejum &c.* Confer *diſp.* noſtram *de ratione humana in rebus fidei*: imprimis *Vedelii Rationale Theologicum*: & in *M.S. Theolog. problematica* D. *Altingii locum de Theologia*, ubi diluitur calumnia illa, de Theologia ſubordinata ſeu ſubjecta Logicæ. Sed indicemus nunc in ſpecie uſum & abuſum terminorum. 1. *Object.* materiale à formali diſtinguunt Philoſophi. Quod diſcendum ab illis; Conſulantur libelli Logici & Metaphyſici, & explicatores terminorum, ut *Armandus de bello viſu*, *Caſtanæus*, *Gothutius in Gymnaſio ſpeculativo*, *Vallonis*, *Fr. le Roy*, *Goclenius &c.* Nos applicemus & uſum in Theologia oſtendamus. Adorationis *objectũ matriale* eſt mediator ſeu Chriſtus mediator, Chriſtus homo, ſacerdos, frater ſeu cõſobrinus Iacobi, filius Mariæ, filius Davidis, Iudæus &c.: ſed *formale objectum* eſt, divina ejus natura, & conſequenter quà Deus; non quà filius Mariæ, ſervus Dei, interceſſor & advocatus, mediator, factus caro, homo conſobrinus Iacobi, filius Davidis &c. 11. *Objectum* diſtinguunt in *immediatum*

diatum primum, principale, ultimatum, terminans; & in *mediatum ac movens*. Explicationem quære, ut supra. Applicationem Theologicam, in hac controversia sic habe: primum & ultimatum objectum adorationis, eamque terminans est deitas, seu Deus qua Deus; objectum mediatum, & movens, est mediatio, ac mediator qua talis, item adsumptio humanæ naturæ, passiones in eadem, & omnia Christi mediatoris apotolesmata erga nos, immo omnes Christi hominis quà talis ἐνέργειαι in producendis ejusmodi apoteleſmatis. Hinc enim rationes moventes peti possunt, & singula constituunt aut objecta considerationis, aut motiva. Sic sunt & conditiones requisitæ; sed nec motivæ, nec conditiones, nec objecta considerata seu considerationis, ideo sunt objecta formalia, seu rationes formales. Vsum & rectam applicationem hujus distinctionis, siquidem ex Philosophis quis discere nolit; discat ergo ex Theologis, *in disputationibus de Objecto & analysi fidei, & de autoritate scripturæ, de objecto religionis.* Ex Pontificiis sunt *Scholastici ad 22. quæstion. 1. Cajetanus, Bannes, Valentia, Malderus &c.* & *Becanus in Theolog. Scholast. tom. poster. tract. 1. cap. 1. Franciſc. Albertinus in corollar. Theolog. quæ deducuntur ex principiis Philoſophicis complexis tom. 1. in 4. Coroll. ex 4. principio quæst. 4.* Ex nostris sunt *Rivetus ad 1. præc. decalogi*, & in *Isagoge ad scripturam cap. 3. §. 15. &c.* Imprimis *Baronius* Professor Theologus (cum viveret) Abredonensis in Scotiâ, in *tract. de Objecto fidei* contra Iesuitam *Turnebullum.* Confer & controversias de cultu sanctorum, imaginum; nec non de objecto prædestinationis, justificationis. III. *Terminus*, missis aliis acceptionibus, hic sumitur pro termino subjecti occupantis, hoc est pro objecto seu re in quam fertur aliquid; sic coloratum est terminus visus, quia potentia seu actus videndi fertur in coloratum. Distinguitur autem in terminum *quod* seu *qui*, seu totalem, & in terminum *quo*, seu formalem. Rursum est riciprocabilis seu convertibilis; & non convertibilis. Quas distinctiones sic applicamus. Terminus *quod*, adorationis est mediatot, seu persona mediatoris, terminus *quo*, seu *formalis*, est deitas mediatoris. Rursum, terminus cum adoratione non convertibilis est mediator, terminus cum eadem convertibilis est deitas, sed Deus in se quà Deus. IV. *Vltimum* seu *ultimatum*, dicitur, ultra quod nihil requiritur, aut quæritur, & ultimate terminans dicitur quod per se & immediate terminat. Sic occurrunt illæ phrases apud Philosophos & Theologos; ultimatus conceptus, ultimata resolutio discursus Theologici, quæ fit in autoritatem verbi divini, seu in primam veritatem revelantem. In hac nostra controversia, ad quæstionem: quare mediator adoratur, non est ultima responsio, nec ultimus terminus, quia est mediator; sed

quia

quia est ὁμοούσιος cum patre Deus: hoc enim ultimate terminat & adorationem nostram, & quæstionem de fundamento ac ratione adæquata adorationis. Vide *diatriben* nostram *de adoratione Mediatoris thesi* 7. Veritatem hanc si quis approbare nequit, nec tamen negare potest, non debet petitione principii & ἐπεζητήσει quæstionem aliam formare, & ea ictum nostræ objectionis declinare: hoc enim non est directe „& in terminis respondere adversario. Si roger, inquiunt, cur adorem „Iesum: respondebo, quia filius Dei æternus cum patre Deus. Sed si „roger, cur illum venerer & colam ut mediatorem: respondebo, quia „est ille unigenitus Dei patris filius, qui patrem mihi reconciliavit, qui „me à peccato & morte redemit, qui me justitia & sanctitate donavit &c. „Hæc vera & unica est ad illam quæstionem responsio, ac proinde & ul„timus terminus? *Resp.* Sed multis modis impingere, hanc declinationem (non solutionem, quam nullam videmus) argumenti nostri, ex istis constare poterit 1. aut una est quæstio, aut duæ diversæ. Si prius: cur diversimode, & distincte respondetur. Sin posterius cur duæ diversæ fiunt, cum ego in meo argumento unam proposuissem, & quomodo tum meæ quæstioni, quam argumentum meum continebat, respondetur? aut quomodo fit contradictio & elenchus? Quod si conceditur mea quæstio legitimè instituta esse, & legitimè ad eam à me responsum; jam stat argumentum meum: si non conceditur, debuisset legitimè illi contradici, & contradictio probari, & quidem absque petitione principii. 2. Cum in alterâ quæstione dicitur. *Cur Christum colam ut mediatorẽ*, & per *ut* intelligitur *quà*, ut designetur ratio formalis seu objectũ formale seu ultimatè terminans adorationem: jam sumitur & petitur id quod est in quæstione. Non enim legitimè quæritur τὸ ὅτι cur sit; nisi præcesserit quæstio εἰ ὅτι an sit & ὅτι ὅτι quod sit adorandus mediator, quà mediator. Atqui de eâ hic disputamus, & nos negantem partem tuemur. 3. Distinctio quæstionum plane otiosa est: quia responsionem ad secundam posset æque immo & deberet applicare primę. 4. Absurdum est dicere opera Christi mediatoris esse ultimatum objectum adorationis ulterius scil. & consequenter prius æternâ Christi deitate. Nam quod ultimatũ est, in quod ultimatè quid terminatur, hoc etiam primum est & immediatum unde incipit, & cur in objectum illud tendat actio agentis. Iam verò, dicere: Christi opera mediatoria esse primum & immediatum illud fundamentum in quo fundetur adoratio, durum nimis esset in sanâ Philosophiâ, & solidâ Theologiâ, vide ibi *disputationes de formali objecto & ultima analysi fidei*. 5. Denique & ad secundam quæstionem, quæ præsupponit & petit quod est in quæstione, responderi etiam deberet, quia

homo est: nam mediator est Deus & homo, & Iesus est mediator qua homo & qua Deus; consequenter cum respondetur, filius Dei unigenitus qua mediator adorandus est, quia humiliatus est pro me, quia me liberavit à peccatis, quia pro me mortuus est &c. Et ex illo *quia*, infertur *quà*, aut illi tanquam æquivalens substituitur; addam ego, quia homo est, & consequenter, qua homo est: quia filius Dei est qui homo est & quia homo est; & consequenter quà homo est. Quod tamen nolunt sed tanquam absurdum rejiciunt, qui hæc contra nos disputant.

Supplementum diatribes de Adoratione Christi, ad finem hujus operis rejicimus: ubi vide.

DE CREATIONE.

Resp. LUBERTO SPRUTIO Vltrajectino. *Ad diem* 8. *Septemb.* 1638.

De rerũ creatione & natura disseritur à Scholasticis ad Lombardum & Thomam; *ut & à locorũ cõmuniũ scriptoribus. Inter quos ex Pontificiis nunc indico* Viguerium; *ex nostris* Hyperium, Polanũ, Tilenũ, *&* Alstedii Theologiã naturalem. *Nec non ab antiquis ac recentioribus commentatoribus in Genesin: inter quos ex recentioribus Pontificiis usui imprimis erit* Pererius, *cum quo conferẽdus ad habẽdas accuratas expositiones textuales*, Mercerus, Ainsworthus, Willetus, Rivetus; *aut si quis cõpendio uti debet*, notę bibliorũ Belgicorũ. *Video citari ab aliis* Vielmium & Martinengum in Genesin: *sed quia eos nõ vidi, dicere non possum, quantum præ aliis præstiterint. Ex scriptoribus Rabbinis in Genesin maximè hic commendari debet* R. Aben Ezra, *philosophus eximius. Cui adjugenda physica* R. Aben Tibhõ. *Tractatus peculiares sunt*, Ambrosii, Basilii, Ægidii de Roma hexaëmera; Rabani Mauri de universo à lib. 6. usq; 20. Gul. Parisiensis de Vniverso, Vincentii Bellovacẽsis speculum naturale, Bartholomei Anglici de proprietatibus rerum, Eugubini cosmopoëia, Zãchii de operibus creationis, Danęi physica Christiana, Molinę de opere sex dierũ, Physica Christiana Cõradi Aslaci. *Nec prætereũdi tract.* Greg. Nysseni de opificio seu ratione hominis (*quod est supplementũ* Hexaëmeri Basilii), *&* de Philosophia *constans* lib. 8. *; ut nec* Damasc. lib. 2. de Orthod. fide, *cum cõmentar.* Iodoci Clichtovei. *Historici & annalistæ sacri*, Torniellus, Salianus, Iacobus Capellus *aliiq; etiam symbolã aliquã huc cõferunt, quibus adjũgẽdus* Danęus in primi mundi antiquit., & Eugubinus de per. phil. lib. 7. & 9. Salust. Bartasii poëma, *cui tit.* hebdomas prima, *præter variarũ linguarũ, quibus exstat, & divinæ pöesios, etiã physicæ sacræ cognitionẽ augebit. Quod si quis in physicis minus exercitatus sit, is*, Simon. Goulartii com-

cõment. *legat. Atqui hi quidem autores Theologi. Apparatũ physicũ seu philosophicũ, quæ huic parti theologiæ ancillari debet, vide in nostrâ* Bibliothecâ. *Nos in præsentiarũ nonnulla tum maximè necessaria, tũ difficiliora solummodo de hâc materia delibaturi, ut studiosis ad dubiorum enodationem, lectionem dictorum Theologorum & conciliationem ἐναντιοφανῶν viam sternamus, agemus* I. *de Creatione.* II. *De creaturâ in genere,* III. *De operibus sex dierum in specie.*

VT à nomine incipiamus, creare hebr. & chald. ברא gr. κτίζειν, Arabicè חלק, quo Impostor *Muhammed* passim in *Alcorano* utitur, eodem Paraphrastæ Pentateuchi, psalterii, & N. T. exprimunt hebr. ברא & gr. κτίζω. Synonyma sunt חלל, יצר (gr. πλάσσω,) עשה. Tria autem philologis hic observanda 1. Vocem ברא de solo Deo in sacris usurpari & notare vel ex nihilo aliquid, vel ex aliquo aliquid novum & eximium producere: κτίζειν etiam de hominibus *Hebr.* 9. 11. coll. cum 8.2. adde translationem gr. *Levitic.* 16. 16. 11. Eandem synecdochicè alicubi notare rei originem, & synonymam ejus עשה rei factæ perfectionem, ut *Iesa.* 43.7. Vbi R. D. Kimchi illam explicat: הוצתיו מאן ליש. i. *produxi eos ex nihilo ad esse*: hanc vero תקון פרטיו .i. *ordinationem seu aptationem particularium seu specialium ejus.* In pihel per antiphrasin, exscindere, expurgare *Ios.* 17. 15. *Ezech.* 23.47. III. Vocem gr. κτίζειν & hebr. ברא ut & latinam *creo* & *procreo* synecdochicè alicubi notare idem quod *gigno*, *genero*: unde pendet determinatio problematis de gr. 70. ἔκτισε *Proverb.* 8. 22. & *Syracidæ* 24.10. ubi ἔκτισε de sapientia Dei usurpantur. Ne chartam impleamus, & aliorum utilissima scripta studiosis ex manibus excutiamus, ablegamus eos ad *Sixt. Amama Antibarb. biblici lib.* 3. *pag.* 901. Conferri possunt notæ *Drusii ad Syracidæ cap.* 1. *vers.* 8. Et *Corn. à Lapide comment. in Proverb.* 8. 22. *p* 178. IV. Vocem ברא (ut nec gr. κτίζειν aut latinam *creo*) ex vi suâ & per se non semper denotare productionem rei ex nihilo, sed tantum per accidens ex subjecta materia & circumstantiis in plurimis scripturæ locis sic accipiendam. Contrarium à nonnullis, (inter quos & interpretes Hebræi, teste *Aben Ezra in Genes.* 1. 1.) ante hac creditum: Sunt qui sententiam illam etiam Kimchio adscribunt; inter quos *Pagninus in Thesauro*; Sed quia liber *Radicum Kimchii* (quem respicit *Pagninus*) nunc ad manum non est, nihil certi hic possum statuere. Locus ex commentar. ad *Ies.* 43. à nobis citatus forte tale quid innuere videbitur. *Lombardus* cum suis sententiariis sic sensit. Vide ipsum *lib.* 2. *dist.* 1. & 1.

ibidem *Scotum*, *Guliermum*, &c. & *Pelbartum*. *Themeſvar in Roſario lib. 2. in voce creatio.* Refellitur autem hæc ſententia, *primo* ex inductione locorum ſcripturæ, ubi vox illa die prima origine & effectione ſubſtantiæ ex præjacente materia *Geneſ.* 1. 21.26, 27. & accidentium *Exod.* 34. 10. *Numer.* 16.30. Ieſa.45.7. & 57.19. *Ierem.* 31. 22. immo & de refectione ac inſtauratione rerum *Ieſa.*65.17. *Pſal.*51. 12. uſurpatur. *Secundo* ex eo, quia *creare*, & facere עשה gr. ποιέω συνωνύμως & promiſcuè de eadem productione dicuntur *Geneſ.*2.3.4. *Ieſ.*45.12. *Pſal.*115.16.& 121. 2. coll. cum *Ieſa.*42.5. & 45. 18. Item *Ieſ.*17.7. coll. cum *Eccleſ.* 12. 1. *Tertio*, accedit conſenſus gr.70. Interpr. qui per ποιεῖν & κτίζειν eam promiſcuè exponunt *Geneſ.*5.1. coll. cum *Deuter.*4.32. Et *Geneſ.*1.coll. cum *Pſal.*148.4. 5. ut & Aben Ezra qui in Geneſ. 1. exſertè hanc opinionem refutat. Verba ejus ſunt : רובי המפרשים אמרו שהבריאה להוצי יש מאין וכן אם בריאה יברא ה' והנרה שכתן ויברא אלהים את התניני ם ושלש בפסוק אחר ויברא אלהים את הארם ויברא אור חוא הפך האור שהוא יש i. *Multi interpretes dixerunt quod creatio ſit eductio ſeu productio rei ex nihilo & ſic Num.*16.30. אם &c. *Et ecce obliti ſunt illud Geneſ.* 1.v.21. ויברא &c. Et ter in verſu uno, ſcil. *Geneſ.*1.v.26. ויברא &c. *Et Ieſ.*43.15. וברא &c. *quod opponitur luci, quæ eſt aliquid ſeu ens.*

2. Creatio diſtingui poteſt 1. in primam & ſecundam : *Illa* eſt productio rei ex nihilo : & ſic producta ſunt cœlum, elementa, lux ; & quotidie etiamnum producuntur animæ humanæ quatenus ſunt eſſentia ſpiritualis. *Iſta* eſt productio formæ eſſentialis aut accidentalis in præſubjecta ſed indiſpoſita plane materia, idque per immediatam virtutis divinę operationem : Et ſic producta ſunt opera quinque dierum, ut & pleraque opera miraculoſa ordine naturæ jam conſtituto. 11. Rurſum creatio eſt vel completa, vel incompleta. *Illa* eſt productio rei completæ ex nihilo, ut cœli & elementorum, angelorum, primo die. *Iſta* eſt productio rei incompletæ ex nihilo, ut materiæ primæ, primo die & animæ Adami ſexto die, & inde omnium animarum humanarum ſucceſſivè uſque ad finem mundi. 111. Diſtingui etiam ſolet à *Scholaſticis ad* 2. *diſt.* 1.nominatim à *Gabriele*, creatio in activam & paſſivam ; ſeu in creationem actionem, & creationem paſſionem. *Illa*, juxta Gabrielem, dicit divinam eſſentiam & creaturam non potentem exiſtere niſi poſita divina eſſentia. Ita ut nihil aliud ſit quam ipſe Deus, cum relatione ſeu connotatione creaturæ à Deo producibilis, producendæ, productæ. *Iſta* dicit creaturam non potentem ſine Deo exiſtere, & divinam eſſentiam ; & eſt realiter creatura à Deo producta prout connotat eſſentiam creatricem. 1v. Diſtinguitur etiam creatio à concreatione. *Concreatio* dupliciter ſumitur 1. univerſaliter pro

ter porro quâcunq; actione, quæ simul est cum creatione eamque immediatè consequitur, sive talis actio sit ex nihilo, sive non. Et sic intellectus & voluntas hominis dicitur concreari cum anima rationali, quia naturalis emanatio earum ab animâ simul est cum creatione ejus, & formæ materiales plantarum, astrorum, animalium tertio, quarto, quinto, sexto die concreatæ sunt; quamvis non ex nihilo, sed ex præsuppositio subjecto. 2. Magis propriè & strictè pro partiali productione ex nihilo factâ, licet cõjuncta sit cum alia productione, vel eam proximè sequatur. Sic tempus & locus seu spatium reale cœlorum & elementorum, ut & qualitas lucis fuerunt primo die concreata, ex nihilo scil. Vt autem naturam & definitionem creationis ἀκριβεστέρως intelligamus, distinctè considerandа sunt ista. I. Antecedens & præsuppositum ejus geminum; Ens scil. creabile seu possibile creari; & decretum creandi. II. Causæ creationis. III. Terminus à quo. IV. Terminus ad quem. V. Modus & peculiaris ratio hujus actionis; qui per adjuncta quædam explicabitur. VI. Consequens creationis. VII. Comparatio ejus cum naturali rerum productione per generationem; & cum supernaturali productione tum rerum quarumcunque per miraculum, tum spiritualium eâque ordinariâ & extraordinariâ. VIII. Oppositа seu pugnantia.

Præsupponitur creationi 1. *Potentia, seu ens possibile creari*; nisi enim fu- 3.
isset potentia qua nihilum ad aliquid potuisset perduci, utique Deus non potuisset creare: cum simpliciter impossibile & contradictionem involvens non objiciatur potentiæ divinæ. Confer *Luc.* 1. *vers.* 37. cum 2 *Timoth.* 2. 13. Et hic est primus gradus sive entitatis sive ad entitatem: non est enim hujus loci determinare quæstiones philosophicas de ente & essentia. 2. *Ens creandum*, seu ens futurum creari: quod fit per decretum creandi in Deo; sic enim transit μελλουσία in τὸ μέλλον, & promovetur ens in potentia, ad existentiam futuram. De quo in doctrina de præscientia & decreto Dei. Et hic est secundus entitatis gradus.

Efficiens est Deus pater, filius, Spir. s.; & quidem solus. Deum esse 4.
creatorem patet ex historia creationis, aliisque scripturæ testimoniis. *Ies.* 45. 18. 1 *Petr.* 4. 19. De filio vide *Iohann.* 1. 4. *Coloss.* 1. 16. *Hebr.* 1. 10. cum *Psalm.* 102. De Spiritu sancto *Genes.* 1. 3. *Psal.* 95. cum *Hebr.* 3. *vers.* 7. 9. *Iob.* 26. *v.* 13. Deum solum esse creatorem, nullamq; aliam causam sive principalem sive instrumẽtalem hic admittendam probatur 1. ex *Ies.* 44. 24. *Iob.* 9. 8. *Ierem.* 10. 11. & hoc opere se ab omnibus aliis discernit *Psal.* 96. 5. *Ies.* 37. 16. & 40. 12. 13. 26. 28. & 45. 12. 18. & 48. 13. II. Ex *Roman.* 1. *vers.* 20. ubi docetur demonstratio Theologiæ naturalis, qua ex creatione concluditur Deus: quæ conclusio non procederet, siqui-

dem alius fuisset aut posset esse creator. Vindicias hujus expositionis, & argumenti ex *loco cit.* educti vide apud Antagonistas Socinianorum. III. Ex ratione: quia creare ex nihilo excedit potentiam finitam & creatam. Non est ergo potentia creandi in ulla creatura, nec potest à Deo illi communicari. IV. Ab absurdo consequenti. Tum nihil esset omnipotentiæ in Deo; quo ille à creaturis discerneretur; & à posteriori cōcluderet: Ergo ego solus, & præter me non est Deus. V. Accedit, ratio Scoti & Scotistarum, quam illi aliis repudiatis solam sufficientem putant. Nos eam post *Vasquez* & *Rhada* interpolatam atque exceptionibus adaptatam sic breviter & perspicuè proponemus: Nec substantia nec accidens potest esse causa principalis, aut instrumentum naturale creationis; Ergo. De accidente facile probatur, Quia ut accidens non potest esse, sic non potest agere aut naturalem agendi vim habere ex nullo subjecto seu independenter à subjecto. De substantia sic probatur: Ea esset aut materialis, aut immaterialis. Non illa, ut deducit *Rhada*; & præsupponit tanquam notum & concessum. Et Vasquez, cujus hæc verba; *Si enim* inquit, *creatura aliqua posset creare ea deberet esse nobilissima omnium, eo quod creatio est perfectissima actio transiens, quæ alicui naturæ tribui potest.* Non posse autem substantiam spiritualem creare, Idem sic probat: Quia crearet proxime aut per naturam suam, in quantum est; aut in quantum intelligit & vult, seu libere mediante intellectione & voluntate. Non illud: nam tum necessario & semper crearet. Non istud: quia intellectio & voluntas est accidens, ergo non potest esse principium creandi substantiam; Nec etiam instrumentum naturale, quia hoc requirit præviam aliquam dispositionem, ut ex inductione constat: sed talis in creatione nulla est. VI. Favet consensus patrum, *Athanasii serm. 3. contra Arrianos, Cyrilli lib. 2. in Iulianum, Augustini de Trinit. c. 8. & 9. & 12. de Civit. Dei cap. 24. & lib. 9. de Genesi ad liter. cap. 15. Prosperi in libr. sentent. Augustin. sentent. 146. Damascen. libr. 2. de fide cap. 3. Basilii libr. 4. contra Eunomium*, atq; adeo omnium antiquorum & recentiorum, qui ex creatione probāt filium & Spir. sanct. esse Deum. Et *Hugonis de sacramentis lib. 1. p. 6. cap. ult.* imprimis *Thomæ in 1. quæst. 45. art. 5.* cum *Cajetano, Bannes, Vasquez, Valentia, ibidem; Ferrariensis ad Thomam contra Gentes lib. 2. c. 21. Ægidii & Henrici in quodlibetis*, item *Scoti, Occami, Gabrielis, Bonaventuræ* cum omnibus fere sententiariis *ad 2. dist 1. Valesii philosoph. sacr. pag. 21. Baranzani in opinionibus novis diglad. 16.* Accedunt commmuniter Theologi & Philolosophi nostri. Nec contemnenda, quæ extranei scriptores philosophantur de Deo unico δημιούργῳ. Quæ videant studiosi apud *Plesseum de Veritate religionis Christianæ cap. 9. & 10.* Dissentiunt tamen

tamen hic *Durandus* ſtatuens *ad 2. diſt. 1. qu. 4.* poſſe aliquam creaturam à Deo produci, cui nativa virtute conveniat creare. Nec convenit ſatis inter Scholaſticos de ſolida demonſtratione hujus veritatis. Sunt qui negant ratione naturali poſſe probari, ut *Varro in 2. diſt. 1. qu. 6.* quem refert *Scotus* & ex eo *Vaſquez. diſput. 176. cap. 2.* Alii rationem Thomæ ſectatorum deſumptam ab infinita diſtantia inter ens & non ens, & nulla proportione nullius potentiæ ad aliquem actum, ad quod requiratur infinita potentia activa, cum aliis omnibus vulgatis Doctorum repudiant, ut *Scotus* cum ſuis. Quam ſententiam amplectitur *Vaſquez*, eamque contra recentiorum impugnationes defendit *Rhada in controverſ. Theol. part. 2. contr. 2. art. 1. & 2. Zwarez in Metaphyſ. diſp. 20. ſect. 2.* fluctuat. Alii negant ex ſcriptura probari, ut *Vaſquez loc. cit.* Quin ipſe *Magiſter in 4. diſt. 5. ult.* ſtatuit, Creaturam poſſe eſſe inſtrumentum creationis voluntarié ſcil. à Deo aſſumptum, quod operaretur non virtute propria ſed mendicata. Quam ſententiam aliquando tenuerat *Thomas ad Magiſtri loc. c.* & etiam defendunt *Zwarez ſect. 3.* aliique non pauci in ſcholis Pontificiis teſte *Vaſquez diſp. 276. cap. 1.* idque uti potentiam obedientalem & elevationem (quam vocant) ſacramentorum ad phyſicam gratiæ effectionem tanto melius defendant: ut innuitur *ibid. c. 4.* Oppugnant tamen eam *Thomas*, *Richardus*, *Scotus* cum ſequacibus. Sed de rationibus minime convenit, ut videre eſt apud *Rhadam*, *Vaſquez loc. cit.* Qui *cap. 3.* hanc rationem ſubſtituit, Quia tum res creata referretur ad inſtrumentum illud, tanquam effectus ad ſuam cauſam: eſt enim notiſſima omnium realis relatio producentis actu ad rem productam. Atqui talis nulla eſſe poteſt: quia vel effectus ex ſe, ab intrinſeco & ſua natura ad inſtrumentum referretur ut pendens ab eo, vel mutatione aliqua accidentaria per ſolam voluntatem Dei. Non illud: nam tum eſſet nativa virtus in inſtrumento ad creandum: quod abſurdiſſimum. Non iſtud: nam mutatio ea aut eſſet in inſtrumento prævia ad agendum, aut eſſet in effecto & non in inſtrumento. Sed prius abſurdum: quia tum eſſet virtus propria ad producendum inſtrumento, & ſic conſtitueret cauſam principalem. Poſterius itidem abſurdum; quia tum nulla eſſet inſtrumentalis vis & ratio creandi in inſtrumento. Quæſtionem autem hanc de abſoluta Dei potentia, & non tantum de ordinaria lege utilitur ventilari & determinari à nobis ad exemplum Scholaſticorum docet *tum* communis conſenſus patrum & hodierni Chriſtianiſmi, qui ex creatione demonſtrant deitatem filii & Spir.; *tum* neceſſitas defenſionis ſcripturæ, quæ ex creatione concludere docet unum verum Deum *Rom. 1. 19. 20.* aliiſq; *locis* modo *cit.* cujus patrocinium contra Atheos, & infideles

infideles non est deserendum, ut quæ fide tenemus ratione etiam probemus, & rationes oppositas solvamus (confer *disp. de Atheismo*) : *tum* importunitas heterodoxorum, quorum *alii* statuunt primam substantiam separatam creatam à Deo creare aliam post se, & substantiam orbis & animam ejus; & substantiam orbis creare materiam inferiorum corporum, ut Avicenna: *alii*, Mundum ab æonibus aut ab angelis creatum, ut Simoniani, Gnostici seu Valentiniani, Ophitæ, Carpocrates &c. apud *Tertullian. de præscript. c.* 47. 48. 49. & *Irenæum lib.* 1. c. 20. 21. 22. 23. & *Epiphanium Hæres.* 27. & 31. Et *Augustin. de Hæres. c.* 3. 4. 5. 7. 8. 11. 20. 46. 70. 81. *Alii*, conditum à Christo tanquam patris instrumento, ut Arriani & Duliani apud *Epiphan. hæres.* 99. & *Augustin. jam cit.* quorum rancidam exceptionem recoquit *Socinus contra Wiekum p.* 455. Quamvis autem veritatis à nobis propositæ certitudo non usque adeo evidens nobis esset, nec argumenta opposita tam liquido dissolverentur, non est tamen deserenda aut in medio relinquenda, cum saltem melius & tutius sit in hanc partem cum antiquitate & communi schola inclinare, atque ita adversariis fidei ne minimum quidem concedere; præsertim si fortior & evidentior ratio nulla cogat contrariam sententiam amplecti.

5. *Impellentes* causæ, (siquidem hoc termino de Deo uti liceat) externæ nullæ sunt : de Ideis mox dicemus. *Interna* est divina bonitas : bonum autem est diffusivum & communicativum sui, *Psal.* 145. 9. *Psal.* 137. 5. 6. 7. 8. 9. Confer *Augustin. Enchirid. c.* 4. *Nazianz. in Nativit. Christi*, *Pseudo-Areopagitam de divin. nomin. c.* 4. & præceptorem ejus *Platonem in Timæo*, cujus verba expressit *Cicero lib. de Universo. Causa ordinatrix*, est divina sapientia, & decretum, secundum cujus præscriptum egit : quam causam innui putamus *Genes.* 1. *Et dixit dominus*; forte etiam *Psalm.* 33. *v.* 6. quod tamen plerique de verbo substantiali, hoc est, de filio Dei accipiunt. *Causa executrix*, est potentia. *Causa* exemplaris sunt ideæ, quæ quid sint explicuimus ex professo *Disp. de Scientia Dei.* Rejicimus hic ideas Platonicas seu exemplaria & formas extra Deum constitutas, quas Deum respexisse, iisque in creando adjutum volunt. Vide *Justini orat. paranet. ad Gentes*, *Nazianz. de Theolog.* *Ambros. lib.* 1. *Hexaem. c.* 11. *Augustin. lib.* 80. *quæst. qu* 46. Boëtius de consolat. lib. 3. metro 9. rem totam eleganter sic explicat :

Terrarum, cœlique sator, qui tempus ab ævo
Ire jubes; stabilisque manens das cuncta moveri,
Quem non externæ pepulerunt fingere causæ
Materiæ fluitantis opus, verbum insita summi
Forma boni livore carens. Tu cuncta superno

Ducis

Ducis ab exemplo, pulcrum pulcerrimus ipſe
Mundum mente gerens, ſimilique in imagine formans.

Quod Thomas in comment. ad hunc locum breviter & perſpicueſic exponit: *producis cuncta ab exemplo ſuperno, id eſt ab exemplari perpetuo. Tu ipſe pulcerrimus ab omni deformitate elongatus, gerens mente. 1. memoria plenũ mundũ ſeu pulcrũ mundũ, ſcil. archetypũ. Formans. 1. producens ipſum mundũ ſenſibilem ſimili imagine, ſicut præfuit in mente tua.* Cauſæ efficienti & impulſivæ creationis ſubjicimus finem: qui eſt vel ſummus, vel ſubordinatus. *ſummus* eſt gloria Dei *Rom. 11. 36. 1 Corinth. 8. 6. Coloſſ. 1. 16. Proverb. 16. 4.* ad quem locum exſtat elegans meditatio, inter *meditationes Pleſſæi.* Cum qua conferri poteſt *practica & pia meditatio Alvarez de Paz. lib. 3. part. 3. decad. 9. contemplat. 80.* cujus ſummã etiam invenies apud *Corn. à Lapide comm. in Proverb. 16. 4.* Nam gloria bonitatis, ſapientiæ, potentiæ per creationem patefit *tum ab ipſo Deo*, qui triplicis iſtius gloriæ notas creaturis impreſſit, ſic ut illius cognoſcendæ ſpeculum exiſtãt *Pſ. 8. 2. 4. & 19. 1. & 136. 5. Ieſa. 40. 26. Actor. 14. & 17. Rom. 1. 19. 20. tum à creatura* rationali, cum debitum illi cultum tribuit *Pſ. 148. 1. 14. & 136. 1. 10. & 146. 5. 6. & 33. 1. 9. & 95. 1. 9. Ieſa. 51. 13. Apoc. 4. 11. & 14. 7.* Quomodo autem Deus ſit & accurate intelligi ac dici debeat omnium rerum finis ſupremus & propter bonitatem ſuam omnia crearit, explicatum vide à *Thoma 1. qu. 44. artic. 4. & qu. 65. art. 2.* Vbi ex profeſſo refutat opinionem Origenis, quæ ſtatuebat, creaturam corporalem in pœnam ſpiritualis creaturæ creatam eſſe & non ex prima Dei intentione, qua bonitatem ſuam aſpicit. Ipſum *Thomam* legant ſtudioſi. Tantum exhibeo hic annotationem ſubtiliſſimi Cajetani, qui forte omnibus ad manum non eſt. Sic ille ad qu. 44. artic. 4. *Circa prædicta pro quanto ponunt quòd omnium rerum, comprehendo etiam primum agentem, divina bonitas eſt finis, adverte quod Deus poteſt dupliciter ſumi. Primo modo abſolute, & ſic ejus nullus eſt finis. Alio modo ut primum agens: & tunc dupliciter. Vno modo quantum ad rem, quæ eſt actio qua dicitur agens. Et ſic rurſus nullum habet finem, quia actio Dei eſt ejus ſubſtantia: & ſic conſuevit dici, quod Deus agit propter finem non ſui, ſed aliorum, ut in* quæſt. 19. artic. 1. *ad primum tactum eſt. Alio modo formaliter ſecundum rationem actionis, & ſic habet ſuam bonitatem finem ſuæ actionis, quia omne agens, ut in litera dicitur, agit propter finem. Et confirmatur, quia finis eſt cauſa cauſarum, id eſt cauſalitatis cæterarum cauſarum: ergo eſt cauſa cauſalitatis agentis: quod eſt eſſe cauſam ſuæ actionis, ſi igitur finis, propter quem agit Deus, eſt ſua bonitas, ipſa erit cauſa quare Deus agit. Et hoc expreſſe conatur litera docere in corpore, & in reſponſione ad primum, diſtinguendo de agente propter finem conſequendum vel communicandum, & in reſponſione ad quartum, docendo quod non incon-*

inconvenit in Deo secundum rationem distinguere bonitatem suam, ut priorem causam à seipso ut agente. Et sic responsio amplior quodammodo est quam quæstio. Dixi autem quodammodo: quia non est extensa causalitas divinæ bonitatis, ut finis ad plures res, quam sint omnes creaturæ: sed ad aliquam rationem in ipso creatore, ut sic, ut patet ex dictis. Et *ad qu. 65. artic. 2.* Divina bonitas est finis omnium corporalium: *& probatur sic. Totum universum cum singulis suis partibus ordinatur in Deum sicut in finem: ergo divina bonitas est finis omnium corporalium. Antecedens declaratur, ostendendo & graduando fines alicujus totius & partium ejus, juxta quadruplicem habitudinem & gradum: primo partium ad sua opera, secundo partium inter se, tertio partium ad totum, & quarto totius ad finem extrinsecum. Et probatur, quia universum est ad imitandum & repræsentandum divinam bonitatem, quod est ad ejus gloriam ordinari: consequentia vero probatur ex eo quod ex omnibus creaturis constituitur universum, sicut totum ex partibus. Ac per hoc idem est finis totius & illarum, communiter loquendo. Subordinatus*, & quidem *primus* est creaturæ imprimis rationalis utilitas *Ps.* 115.16. *Iesa.*45.18 *Genes.*1.26.28. *Iudæ v.*6. Propter hominem mundum conditum viderunt etiam Gentiles. Adde *Cicer. de Natura Deor. lib.* 2. *&* Stoicos apud *Laertium in Zenone*, *& Lactant. de Ira Dei c.* 13. *&* *Lipsium physiol. Stoic. lib.*2. *diss.*8. *Vltimus*, electorum in cœlo salus *Math.* 25. 43. *&* 22.30. *Rom.*9.23.

5. Terminus à quo est nihilum, quod distinguimus 1. in nihilum absolute & simpliciter in creatione prima, ubi universæ essentiæ suæ ratione res ex nulla materia productæ sunt: cujusmodi creatio fuit cœli, terræ, elementorum, angelorum, lucis primævæ *Genes.*1.1.1.2. *Ps.*24.2.2. *Cor.*4.6. Huc refer suo modo creationem animę rationalis, quæ nõ educitur è potentia materiæ. Et talem creationem ex nihilo putamus innui *Hebr.*11.*v.*3. cum quo conferri potest *Rom.* 4. 17.11. Nihil secundum quid, ratione scil. formæ tantum est, cum res producitur non insita atque efficaci materiæ potentia, ac successione quadam, sed sola omnipotentiæ Dei vi & quidem in instanti ex aut in subjecto plane inhabili. Et hac mediata, (ut nonnulli distincte eam appellant) seu secunda creatione productæ sunt omnes rerum species, exceptis illis quas modo notavimus. Porro particulam *ex* aut *de* conjunctam cum *nihilo* notat *Scotus in* 2. *dist.* 1. *& Anselmus in monologio cap.*8. posse variis modis accipi. Sed distinctionibus operosè enucleandis non est quod quis immoretur, cum indubium & notissimum sit in hac materia nihil aliud innui τῷ *Ex nihilo*, quam quod *non fiat res de aliquo, tanquam de materia vel subjecto, aut quovis alio modo, sed post omnino nihil recipiat esse*, ut loquitur Anselm. loc. cit. Rejicimus, 1. eos qui ex Dei essentia res aut omnes aut intellectuales productas volunt

inter

inter quos *Plato in Timæo*, à quo errore nõ satis recedit phrasis illa *Tertulliani in Marcion. lib. 4. c. 38.* ubi hominem dicit, in *materia Dei expressum.* Vtrumque erroris hujus notat *Gennadius Ecclesiastic. dogmat. cap. 4,* De opinione eorum qui animam Dei particulam faciebant, in Operibus sexti diei dicemus. 11. Omnes materiarios, qui putabant creationem ex præjacente materia factam. Non excludimus hic materiam, quæ rei corporeæ dat esse particulare quæ vel prima vel secunda, de qua infra agendum: sed eam quæ præexstitisse fingitur primo creationis initio. Sunt autem tales materiarii (ut eos appellat *Tertullian. adv. Harmogen.*) duum generum. 1. Quidam enim simpliciter statuunt materiam præexistentem, ut ex *Gentilibus* Pythagoras apud *Tertullian. contra Valentin. cap. 15.* Plato apud *Laërtium in ejus vita*, & *Apulei. de dogm. Platon. Tertullian. loc. cit. Ambros. lib. 1. Hexaëm. cap. 1.* Stoici apud *Tertullian. loc. cit.* & *lib. 5. adv. Marcion. cap. 19.* & *de præscript. cap. 7. Lactant lib. 6. cap. 3. Homerus Odyss. δ.* qui per suam Eidotheam talem materiam intellexisse putatur apud *Sext. Empiric. lib. 8. adv. Mathem p. 309.* Forte & Thales qui aquam & mentem faciebat principia, aliique philosophi de principiis rerum μεταφορολογοῦντες: quos vide apud *Aristot. Physic. Acroas. lib. 1, cap. 3. & 5. Plutarch. de Placitis libr. 1.* & recentiores *Pererium disput. physic. libr. 4. Merulam commentar. in Ennium. Ex antiquis hæreticis*, Hermogenes, Marcion, Manichæi, Hermiani, Seleuciani, apud *Tertullian. adv. Valentin. c. 16.* & *Hermogen. c. 1. & de præscript. c. 33.* Vt & *Theodoretum*, *Epiphan. Philastrium*, *Augustinum de hæresibus*: quibus Sabellium adjungunt *Baronius ad ann. 170.* & *Pamelius annotat. in Tertullian. contra Hermog.* (quam verè nunc non vacat inquirere.) Ejusdem opinionis fuere etiam hæretici quidam Iudaici, quorum meminit *R. Menasse problem. 3. de Creatione. Leo Hebræus dialogo 2. & 3. de Amore* ex sententia veterum (Platonicorum scil.) materiam Deo coæternam à Deo in æternitate genitam statuit, ex quâ omnes res temporali generatione productæ fuere. Hanc æternam materiam ibidem vocat chaos. 2. *Alii* finxerunt chaos, ut *Hesiodus in Theogon. Orpheus in Argonauticis, Ovidius lib. 1. Metamorphos.* (ubi videndi commentatores,) aliique ex antiquis philosophis. *Augustin. Steuchus* cum tenebris & inani *Genes. 1. 2.* chaos hoc conatur conciliare in *commentar. ibid.* & in *libris de perenni philos. lib. 7. cap. 10. & 11.*: sed benigne & ingeniose magis, quam vere. Quod si solummodo illa adducantur ex gentilibus, ad commonstranda antiquæ veritatis (à qua desciverunt & quam studiose corruperunt) vestigia, aut ad convincendos eos ad hominem (ut vocant), ut desinant fidei nostræ placitis tanquam absurdis insultare, cum similia quædam (non eadem) occurrant apud scriptores extraneos: utiq; probãdus est talis cornatus: & sic accipiẽda

quæ patres *Origenes, Clemens Alexandr., Eusebius, Theodoretus, &c.* Et recentiores scriptores de veritate fidei *Mutius Pausa*, nec non *Danæus in vetustissimis primi mundi antiquitatibus, Plesseus &c.* contra extraneos, ex extraneis quibuscunque, etiam fabulosissimis mythologis, adferre solent in hoc articulo. Idem imprimis etiam judicandum est de probatione articuli de Trinitate, & de redemptione humani generis per mediatorem. Originem & fontem proximum erroris de chao aliter etiam conjicere possemus; quod aërem seu spatium à terra ad sydera usque extensum, tanquam magnum & vastum quoddã inane conceperint, cui simile spatium cum illo continuum fuerit ibi, ubi nunc est cœlum & terra cum contentis: quæ omnia ex illo spatio producta sint tanquam ex præjacente quadam materia, in cujus potentia continebantur. Quid quid sit de hac conjectura nostra, saltem constat aërem veteribus dictum fuisse chaos (uti etiam hoc observat Cl. *Vossius lib. 2. de Idololatria c. 25. p. 426.*) & Arabibus etiamnum ab eadem radice deductis verbalibus, aër dicitur הוא *hava*, & chaos הוה *havvat*. Ex istis fabulatorum lacunis Bythum & sigen primam Æonum συζυγίαν (unde tota progenies 30. Æonum, non numinum sed criminum, ut loquitur *Tertullian.*) hausit Valentinus & Basilides. Quam mythologiam vide compendio propositam à *Danæo in Augustin. de hæres. c. 11.* Aliquo modo affinis est huic figmento opinio eorum qui aquas, aut tohu, aut cœlum & terram *Genes. 1.* explicant materiam primam, de qua postea ex professo agendum. Nec abludit Paracelsicum illud de mysterio magno, & materia prima ideali invisibili ad mundi creationem præparata in centro finiti, quod collocaverat æternum Dei verbum in centro æterno sui infiniti, ut loquitur *Dorneus in physica Geneseos* juxta cabalam Paracelsicam exposita. *Hoc mysterium magnum*, inquit Paracelsus in philosophia ad Athenienses, *fuit mater omnium elementorum, & pariter ante stellarum omnium, arborum & creaturarum carnes.* Idem Dorneus pag. 38. *Cum igitur Moses dicat in principio creasse Deum cœlum & terram, nec subdat ex qua materia, tacite innuit fuisse eam rerum omnium primam materiam ex centro per verbum excitatam.* Quibus teratologiis nihil novi, sed antiqua illa de Anima mundi, de chao, aut de idea occultari recte evincit *Sennertus de Chymic. cum Aristotel. & Galen. consens. & c. cap. 7.* Paracelsica illa longe superat somnium Davidis de Divinato, qui ajebat materiam primam Deum esse, quem refellit *Thomas in 1. qu. 3. art. 8. & contra Gentes lib. 1. cap. 17.* Cum quo fere convenit περιλογία Plinii lib. 1. histor. naturalis cap. 1. ubi Deum cum mundo confundit: *Mundum*, inquit, *& hoc quod nomine alio cœlum appellare tribuit & c. numen esse credi par est æternum, immensum, neque genitum & c. sacer est æternus, immensus, totus in toto immo vero ipse totum & c. idemque rerum naturæ opus, & rerum ipsa natura.*

tura. Phrenetica deliria sunt quæ habet Muhammedes: *Creavit*, inquit, *Deus Adam de limo, limus autem erat de spuma, spuma de procellis, procella de mari, mare de tenebris, tenebræ de luce, lux de verbo, verbum de cogitatione, cogitatio de hyacintho, hyacinthus de præcepto.* Rursum *primum cœlum creatum est de aqua viridi, secundum de aqua clara, tertium de smaragdo* &c. Item de diabolis ex igni creatis, cujus meminimus in *Disp. de Dæmonibus.* Hæc & similia istius farinæ vide exposa à *Ludovico Vive l. 4. de Verit. fid. c. de Rerũ natura, & Carthusiano contra Alcoran. lib. 3. art. 7. 8. 9.* &c. Similia sunt portenta R. Eliesers, quæ refert & refutat Maymonides in More Nevouchim part. 2. cap. 26. *In notis ac celeberrimis illis magni* Rabbi Eliesers Apophthegmatis *vidi quædam ita aliena & mirabilia, ut similia apud nullum eorum qui Legem nostram sequuntur, vidisse meminerim. Scribit enim ibi in hunc sensum*; Ex quonam loco (*unde*) Cœli creati sunt? De luce vestimenti sui accepit, & extendit sicut vestimentum, & fuerunt expansi ac euntes, sicut dicitur; *Qui operit se lumine tanquam vestimento, qui extendit Cœlum veluti cortinam.* Ex quonam loco creata est Terra? De Nive, quæ est sub solio Gloriæ, accepit, & sparsit super Aquas, & congelatæ fuerunt, ac factæ sunt pulvis Terræ, sicut dicitur; *Qui dicit Nivi, esto Terra. Hæc sunt verba ejus.* Eodem spiritu furoris actus recens ille enthusiasta & somniator *Iacobus Böhmen* in tract. Germanico cui tit. *Declaratio sex punctorum* „*&c.* sect. 10. 11. ait: Deum ab æterno solum esse omnia: essentiam e- „jus dividere se in tres differentias: quarum una sit mundus igneus: se- „cunda mundus tenebrosus: tertia mundus lucidus seu luminosus; & „sit unica tantum essentia in se mutuo, sic tamen ut una non sit altera. „Dictas tres differentias esse pariter æternas & immensas; nullo loco aut „tempore cõclusas &c. Has easdem in *prima apologia adversus Balthas. Tylc-* „*ken sect.* 51. facit tria principia. Sed fanatici hujus idiotę furores abunde detexit doctiss. vir *David Gilbertus Vltraject.*, eodem sermone, quo libri ipsius Amsteldami editi sunt. Porro materiarios hæreticos refutant ex professo *Tertull. in Hermog.*, *Athanas. de Incarn. verbi*, *Eusebius de præparat. lib. 7. c. 8. Nyssenus c. 24. Lact. lib. 2. c. 9. Epiphanius*, *Alph. à Castro*, *Prateolus*, *Sebastian. Medices de hæresib.* deniq; Scholastici cum *Thoma contr. Gentes lib. 2. c. 16.*

Terminus ad quem seu effectum creationis est creatura, de qua infra pluribus agendum. Nunc sufficerit hic indicasse ad explicationem actionis creandi 1. A nihilo terminari ad aliquid seu ens, 11. Et quidem ad substantiam proprie, nam accidentia, modi, & similia non tam dicuntur creata esse, quam concreata substantiis, in quibus esse suum habent. Est itaque substantia terminus fundamentalis creationis, per se creata, sicuti etiam per se subsistit. Hinc *Thomas* 1. *qu.* 45. *art.* 1. *ad* 2. dicit: crea- 7.

tionis *terminus ad quem est tota substantia rei.* III. ad entitatem, quę bona: *Genes.* 1. *v.* 31. 1 *Tim.* 4. 4. Bonitas autē illa est tum ratione qualitatis, tum ratione relationis ad rerum inter se commoditatem. Hinc resultat creaturæ cujusque perfectio & pulcritudo. Scitè Basil. Hexaëm. homil. 1. ἐποίησεν ὡς ἀγαθὸς τὸ χρήσιμον, ὡς σοφὸς κάλλιστον, ὡς δύνατὸς τὸ μέγιστον. *Quæstio*: An non potuerit plura, & quæque in suo genere meliora facere quam fecit. Ad prius respondemus, potuisse, & etiamnum posse per absolutam potentiam ex *Math.* 3. & 26. Ad posterius *dist.* 1. Deus simpliciter facere potest aliam rem meliorem qualibet à se facta. 2. Sed non potest aliquam rem facere meliorem quam ipsa sit, bonitate scil. substantiali quæ est essentia rei, sicuti non potest quaternarium facere majorem, nam tum non esset quaternarius: sed unamquamque rem meliorem potest facere bonitate accidentali. 3. Nullam potuisset facere melius (adverbialiter scil. ut dicat modum ex parte facientis non ex parte facti) quia non potest facere ex majori sapientia & bonitate. Vide *Thom.* cum suis 1. *q. art.* 5. & 6. IV. Non terminatur itaque creatio directè ad ἁμαρτήματα naturæ, ad monstra &c. neque enim requiritur ad ea directa aut positiva Dei actio, quæ immediate & formaliter illa efficiat & in spiciebus rerū cōstituat, sed sufficit in principio ab eo talia facta esse, ad quæ defectus sequi possint, aut iis accidere. *Rejicimus* 1. *Manichæos, qui naturas quasdam putabant malas, ut ignem quendam, fumum, ventum, aquam: unde eas non à bono sed à malo Deo creatas dicebant.* Vide Augustin. hæres. 46. & libr. de Natura boni, Et confer vulgares Metaphysicos, de Malo; & *Thomam in quæstionibus disputatis, de Malo, qu.* 1. *artic.* 1. *Et Plessæum de veritate relig.*, & ex eo *Eilhardi Lubini Phosphorum*. Tenendum est, Nullum malum ab initio creatum esse, nec culpæ, nec pœnæ, nec etiam purè naturale, quales sunt defectus naturales & monstra; in actu scil. quamvis radices & materiæ, ac dispositiones atque ordo creatus sit, unde talia positis ponendis oriri possent, & quædam etiam necessario oritura essent, ut ex. gr. eclipsis solis & lunæ. Quæcunque autem mala postea orta sint, propter ea non est ponendum alterum principium, seu Deus malus: quia mali nulla est natura; & quia consequenter non habet causam efficientem, sed deficientem. 2. *Eos, qui fœminam dixerunt esse monstrum & naturæ ἁμάρτημα: contra historiam & legem creationis* Genes. 26. 27. & 5. 1. *ut alia argumenta nunc præteream, de quibus alibi.* 3. *Pontificiorum vertigines, qui transubstantiationem antehac dixerunt esse creationem, & verba consecrationis verba creantia; cum tamen non sit productio termini ad quem: quam rationem ex recentioribus nunc urget* Vasquez disp. 176. c. 6. *& inde infert, non esse eam creationem nec productionem, sed ordinem quendam unius transeuntis in aliud.* Si quis autem quærat ubi quan-

bi quando ita delirarint Pontificii, is adeat *Stellam Clericorum*, ubi sacerdos missificus dicitur *creator sui creatoris*; & *Gabrielis Biel lectiones in canonem missæ lect.* 38. ubi quinque verba facit, *verba creantia.*

Modus creationis his adjunctis à nobis explicatur. I. quod vel active 8, vel passive sumatur: Illo modo sumpta sit vera actio, per quam Deus rebus creatis confert esse, & cujus immediatum principium sit volitio Dei. II. Quod active sumpta non sit vera mutatio, quia per eam Deus non mutatur, sed tantum acquirit novam relationem creantis ad rem creatam; quæ relatio cum in Deo non sit realis, non efficit realem mutationem. Non esse proprie mutationem aut motum, disputatum vide à *Thoma* in *quæst. disput. de Creatione artic.* 2. coll. cum 1. *qu.* 45. *artic.* 2. *ad* 2. III. Non est formaliter volitio divina, nec relatio creatoris ad creaturam; Sed est ipse Deus creans, denominatus per modum principii à se & extra se actuosi. Vide *Thomam* cum suis 1. *quæst.* 45. *artic.* 2. & 3. Creatio vero passive sumpta est aliquid in re creata, non realiter tanquam habens propriam entitatem, sed ex natura rei ab illa distinctum tanquam modus ejus. Vide *Zwarezium Metaphys. Disputat.* 20. *sect.* 5. Et *Thomam in quæst. disput. de Creatione artic.* 3. Ex distinctione hac creationis in activam & passivam pendet determinatio problematis 1. *An creatio sit res creata, an vero increata?* Quam movent *Scholastici ad* 2. *dist.* 1. *Resp.* idem: si activè sumatur, non est res creata: idem enim est, quod creare, & consequenter, idem quod creator seu Deus creans. Notat enim operationem divinam, quæ non est aliud, in quantum in Deo est; quam essentia vel subsantia divina cum relatione quadam ad creatum. Sin passivè sumatur, est res creata: quia est quoddam accidens in creatura; habitudo scil. habentis esse ab alio consequens operationem divinam: & sic est in ipsa re creata, quæ educitur per creationem, ut in subjecto; & sequitur actionem divinam, seu creationem activam, sicuti filiatio Alexandri in quantum recipit à patre Philippo naturam humanam in Alexandro, non est prior Alexandro, sed posterior, & sequitur actionem generationis. 2. *probl.* & præcedentis appendix est, *in quo fundetur relatio, quâ creatura refertur ad creatorem. Resp.* Relatio Illa realiter fundatur in creatura: In Deo autem non fundatur realiter, sed secundum rationem; quia Deus est immutabilis, & nullius accidētis susceptibilis, ergo non potest in eo esse aliqua relatio realiter adveniens ex creatione temporali. De hoc aliisque affinibus problematis, vidēdi scholastici ad *Lombardi loc. cit.* & ad *Thomæ* 1. *qu.* 45. *artic.* 3. IV. Est actio unica, simplicissima & indivisa ratione principii sui: adeo ut hoc respectu nullas species, gradus, nullum ordinem prioris & posterioris, aut successionem admittat: quidquid

enim

enim istorum de ea prædicatur, fit per externam & impropriam denominationem à termino & effectibus desumptam. Non repugnat autem huic unitati modus & ordo agendi, quod pater à seipso, filius à patre, spir.s.ab utroque dicatur agere: manet tamen una numero creationis actio, una creatura, unus Deus creator *Iohan.*5.17.18.19.cum 10.36.33. 37. juxta illud vulgatum: *Opera trinitatis ad extra sunt indivisa.*

Probl. 1. *Quam propriè, & quo usu terminorum distinctio illa in operibus.* Basil.lib.de Spir.S.cap. 16. *adhibeatur:* προκαταρκικὴ αἰτία τῶν γενομένων ὁ παρτὴρ, ἡδημιουργικὴ ὁ υἱὸς, ἡ τηλειωτικὴ τὸ πνεῦμα. Disq. permitt.2. *An ulla ratione per cabalam, quam notarion vocant, personarum trinitatis creatio ex voce* ברא *& tribus primis literis vocis* בראשית *colligi possit ac debeat?* N. De absurditate superstitionis seu ψευδωνύμου σοφίας cabalisticę in genere, alibi forte nobis agendum. 3. *An colligi possit trinitas creator ex plurali voce* אלהים *constructa cum verbo singulari tertiæ & plurali primæ personæ, additis utriusque numeri pronominibus affixis* Genes.1.26.27. *cum.* 3. 22. Resp. *nos cum eximiis nonnullis Theologis & Antagonistis Iudæorum & Photinianorum putamus argumentum hoc non esse de nihilo*: quamvis ex solo plurali Elohim cum *Lombardo* aliisque nolimus argumentum educi, & rectè eos hic deseri putamus à *Calvino Gomaro*,&c. Norunt enim, qui linguam hebraicam degustarunt, facillime excipi posse ab adversariis: Nomina domini, usurpari solere numero plurali, etiam cum de uno sermo est.

8. Est actio ad extra, & consequenter libera & sic convenit cum decreto; adhæc externa seu emanativa & sic à decreto distinguitur. Potuit ergo Deus mundum condere prius aut serius, potuit & alios condere, potuit etiam omnino non condere, quia obligatus non erat, nec mundo indigebat, nec potentia ipsius limitari potest. *Rejicimus* 1. *Errorem* Aristotelis libr.1.de cœlo cap.9. *Vbi probaturus non posse plures esse mundos, inter alia adfert hanc rationem, quod hoc e.gr. cœlum omnem materiam occupaverit, atque adeo defectus materiæ in causa sit:* οὐμέντοι οὔτ' εἴη ἄλλος, οὔτ' ἔτ' ἂν ἐνδέχοιτο γενέσθαι πλείους διὰ τὸ πᾶσαν ὕλην περιειληφέναι τοῦτον. *Quem errorem à recentioribus ejus interpretibus* Conimbric. *aliisque castigatum vide.* 2. *Alterum ejusdem, & quidem fœdissimum, quo statuit, Deum ex necessitate naturæ agere, ut inde concludat mundum esse æternum, & non posse esse plures; quem errorem* Plutarchus *etiam tribuit Homero* libr.de Homero: *&* Waldensis in Doctrinali c.10. *& ex eo* Lorinus coment.in Sapient. cap. 11. *Abayljardo & VViclefo; quá fide hic non est dicendi locus. Porro errorem hunc refutat.* Plutarchus loc.cit. Iustinus Martyr contr. Aristot. Ambros. 2. Hexaem. cap.2. Basilius homil.2.Hexaem. Thomas 1. quæst. 19. art. 4. & contr. Gentes libr.2.cap.23.3. *Denique rejicimus vanas & curiosas quæstiones, cur*

Deus

*Deus prius non crearit, cur tali numero, tali figura, tali formâ & qualitatibus &c. cum ultra liberam ejus voluntatem causa & ratio nulla quærenda. Epheſ.*1.11. *Pſalm.*115.3. *Rom.*11. 33.34.35. VI. Quod ſit actio immediata; hoc eſt, quod Deus nullis cauſis ſecundis uſus ſit *Ieſ.*40. 13. quod alioquin ordinario facit poſt ordinem naturæ conſtitutum: ita ut alia ratione dicatur creaturas nunc producere. VII. Quod ſit actio univerſalis, qui totum mundum attingit, nulla parte excepta. *Exod.*20.11. *Nehem.*9.6. *Pſ.*146.6. *Actor.*4.24. & 14.15. *Coloſſ.*1.16. & ſic diſtinguitur à particularibus Dei actionibus. VIII. Quod ſit actio tunc abſoluta & cõpleta, ratione ſpecierum ſcil. Nam alia naturam jam conſtitutam per creationem excepit Dei actio, ordinata ſcil. rerum productio, de qua infra.

Probl. *An opinio de ſpecie aliqua, aut individuo ſpeciei de novo & extraordinario creato e.gr. Stella Magorum, aut φαινομένῳ in ſigno Caſſiopeæ anno* 1572. *præjudicet conſummate rerum omnium creationi. Reſp. Neg.* Nec poſſunt autores illi phyſici aut aſtronomi, qui φαινόμενον illud an.1572. (*quos*) vide citatos apud *Keckermann. in diſp. phyſicis, diaſcepſi de cometis*) hoc argumento abſurdum ducente magis urgeri, quam quibuſcunque miraculoſis effectis ſupra & præter naturę leges productis. Vide infra *part.* 2. *theſi penult.* IX. Quod ſit actio non ſucceſſiva ſed inſtantanea; neque enim creatio eſt motus, ut recte probat *Thomas c. Gentes lib.*2.*cap.* 17. & 19. Itaque Deus ſingula ſi ſeorſim & in ſe conſiderentur in inſtanti creavit: quamvis aliorum creatio aliis per ſex νυχθήμερα ſucceſſerit, ſi collectim conſideremus. Cur autem Deus omnia ſimul non crearit, præter voluntatem ejus ratio nulla adferri poteſt. Nam ἀλλολογία gemina quæ ex *Ambroſii Hexaëm.lib.*1.*cap.*7. & *Auguſtino in Geneſ.* afferri ſolet mihi quidem, ut verum fatear, parum ſolida videtur: ut ſcilicet apertius hinc conſtaret mundum non ab æterno ſed in tempore conditum; & ut homines tanto diſtinctius & attentius ſingula Dei opera meditarentur. Quaſi ſcil. hominis animam, aut fœtus animationem, aut ſolem, aut Chriſti unionem hypoſtaticam ſucceſſivè & attente minus meditemur, quia Deus momento opera illa effecit. Ratio autem illa quam pro tempore ſex dierum adducit *Auguſtinus lib.*4.*de Trinitate, & lib.*4.*de Geneſi ad lit.c.*1. nim. quod ſenarius numerus primus ſit perfectus; plane atheologa eſt, & ſapit ſuperſtitiones cabaliſticas: *Petrus Bongus de myſteriis numer. in numero ſenario p.*268. hoc ita urget, ut non vereatur ſcribere: *Nec enim ſenarius ſacer, ac perfectus ſolum perhibetur, quod hoc dierum numero condita ſint univerſæ rerũ ſpecies, ut opinatus fuerat* Gulielmus Hamerus, *ſecutus* Gregorium Põtificem ſummum l.35.c. 20. Moral. *ſed etiã ea de cauſa ſex diebus Deus opera ſua perfecit, quia ſenarius perfectus eſt, ac ſacroſanctus. Itaque etiam ſi iſta non*

essent, ille perfectus esset; nisi autem ipse perfectus esset, ista secundum eum perfecta non fierent: Eodem capite adducit pro hac μυστικώδει cabala *Clementem Alexandrinum* & *Eusebium*, qui in *libris de præparatione Evangelica* citat Clementem. Sed dici potest eos ad hominem magis argumētatos esse, quam ex rei veritate & proprio sensu. Sic enim Clemens libr. 5. Stromat. p 432. Vnum quidem mundum novit ἡ βάρβαρος φιλοσοφία, *qui percipitur intelligentia, alterum vero sensilem &c.* καὶ τὸν μὲν ἀνατίθησι & *illum quidem attribuit unitati ut qui percipiatur intelligentia: hunc vero nempe sensilem, senario. Conjugium enim apud Pythagoreos vocatur senarius, ut qui sit genitalis numerus. Rejicimus* 1. *eorum opinionem, qui* statuunt vniversum mundum esse conditum in instanti, seu simul, & postea singula successive ab invicem separata. *Maymon. in More Nebuch part.* 2. *cap.* 30. Ejusdem sententiæ sunt *Philo l.* 1. *alleg. Cajetanus in Genes.* 1. *Melchior Canus apud Bannez in* 1. *p. q.* 74. *art.* 2. *August. lib.* 11. *de Genes. ad liter. cap.* 22. *Rejicimus* 2. eos, qui ex sex diebus creationis mundi durationem aliaque mysteria cabalisticè deducunt. Quales fuerunt non tantum Iudæi, sed & aliqui ex Christianis: De quo forte alibi dicendum in *cap. de Fine mundi* aut *de signis temporum.* x. Est actio temporalis: in tempore enim, seu mavis cum tempore hoc est primo temporis momento & mundi instanti cœpit natura rerum, quod phrasi illa *in principio* innui putamus: Quæ non significat Christum; ut Steuchus, & veteres, apud *Hieronym. quæst. Hebr. in Genesin*; nec sapientiam, ut habet *Targum Hierosolymit.* בחוכמא .i. *in sapientia*; nec principiatum, ut *Procopius & Tertullianus*; nec in capite seu summatim, ut *Aquila*; nec res principales & præstantiores, ut *Ambros. Procop. Beda.* Hic tres agitantur quæstiones. An mundus sit æternus? An ratione naturali demonstrari possit esse in tempore creatum? An Mundus aut aliqua creatura possit esse æterna? *Ad primam Resp. Neg.* ex historia creationis *Genes.* 1.; ex serie chronologica; & fidei autoritate *Hebr.* 11. 3. *Proverb.* 8. 22. 23. 24. *Iohann.* 17. 5. *Math.* 25. cum *Ephes.* 1. 4. Contra *aff. Ocellus*, *Aristoteles*, *Proclus*, *Averroês*, *Simplicius*; quorum rationes, ut antiquos præteream, solverunt ex recentioribus *Eugubinus de per. phil. lib.* 7. *Plesæus de Verit. relig. cap.* 8. *& Pererius in disp. physicis lib.* 15. *Zanchius de Operibus creationis lib.* 1. *cap.* 3. Et ex Iudæis *Maymonides in More Nevochim part.* 2. *c.* 14. 15. *Ad secundam Resp. Dist. Quod* mundus potuerit incipere demonstrari potest contra Aristotelem ex ipsius principiis, Quod Deus sit unus & æternus, à quo omnia entia participant suum esse, Quod sit agens intellectuale per intellectum & voluntatem hæc duo habentur *lib.* 8. *physic.* & 12. *Metaphys. text.* 29. 42. Tertium principium est, quod communicet suum esse creaturis per amorem, atque adeo per actum non

natura-

naturalem seu necessarium, sed liberum. *Quod* vero mundus actu inceperit, seu in principio temporis fuerit creatus non ita evidenter est demonstrabile, nisi prius fide teneatur. Nolimus tamen dicere cum *Scholasticis ad Thom. 1. qu. 46. art. 2.* nullo modo esse demonstrabile. Vide *Plessæum, Eugubinum loc. cit.* *Ad tertiam*, *Affirmant* Scholastici, & recentiores Pontificii Theologi ac Philosophi fere omnes, apud quos passim sonare audias; *Novitas essendi non est de ratione creaturæ*, excepto *Scoto* qui problematice disputat, & *Alberto*, *Gandavensi*, *Marsilio*, *Toleto*, qui negant. Nos cum iis & cum *Augustino lib. 12. de civit. Dei c. 15. Damasc. lib. 1. orth. fid. c. 8. Athanas. orat. 2. contr. Arrian. Basil. lib. 2. contr. Eunom. Ambros. libr. 1. Hexam. cap. 3.* negantem tuebimur. Et certe miramur recentiores disputatores *Pererium*, *Zwarez*, *Vasquez*, *Ruvium*, *&c.* non cogitasse de argumento patrum etiam suo & nostro pro deitate Christi, ab æternitate ducto, contra hodiernos Photinianos. Quamvis autem tam abunde & tam evidenter forte demonstrari nequiret, esse simpliciter impossibile & contradictorium, si productio rei dicatur æterna, cum sit à non esse ad esse: tamen putamus tantum hic esse certitudinis, ut moderatis ingeniis & quidem pro fide certantibus debeat sufficere. Scite summam ejus expressit Athanasius orat. 2. contr. Arrian. *Etiamsi Deo possibile fuerit, ab æterno opera facere; non tamen potuerunt ea, quæ facta sunt, ab æterno fuisse. Siquidem ex non entibus emerserunt, nec erant priusquam fierent. Quæ autem non erant, antequam fierent, quomodo illa coëxistere poterant cum Deo semper existente.* Breviter, creatio est productio rei à non esse ad esse: concedendum est ergo instans aliquod non tantum naturæ, sed & temporis, quo producta non fuerit; unde sequitur nõ fuisse ab æterno. Quod si hæc ipsis non satisfaciant, in nostram tamen sententiam debuissent potius inclinare aut saltem ἐπέχειν, ne Arrianis quid concederent; quod faciunt in quæst. *An creatura possit creare.* Gregor. de Valentia tom. 1. disp. 3. qu. 3. puncto 2. non imprudenter monet: *Putandum est hujus impossibilitatis subesse aliquam rationem, licet ea nondum satis comperta videatur.*

9. Consequentia, concomitantia, connexa creationis sunt 1. Dei acquiescentia & oblectatio *Prov. 8. 30.* cum *Psal. 104. 31.* 11. Angelorum laudatio, cum reliqua post ipsos conderentur *Iob. 38. 7.* 111. Ius & dominium actuale Dei in creaturas, *Ps. 50. 12.* & *24. 1. 2.* cum *Iesa. 40. 12. 15. 22.* Hic quæstionem quidam movent: An jure creationis creaturam rationalem possit non tantum absque promissionibus dimittere, & annihilare, sed etiam citra peccatum damnare. Sed de hoc in *c. de Prædestinatione*, ut & de *Dominio & Iure Dei* disquiritur. 1v. Quies seu cessatio à creando *Gen. 2. 1. 2*: absque labore & fatigatione *Ies. 40. 28.* v. Produ-

ctio rerum ordinata per continuatam individuorum conservationem; aut successionem *Genes.* 22.28. quæ etiam Deo adscribitur, propter conservationem & gubernationem. *Comparata* creationis sunt 1. Generatio quæ quãtum ab ea differat, facile ex jam dictis, & doctrina physica colligitur. Vide *Ruviũ ad* 1. *physic. acroas. tract.* 1. *q.* 2. *& Scholasticos ad* 1. *q.* 45. *art.* 1. 11. Miraculosa productio; de qua *Disp. de Miraculis.* 111. Supernaturalis rerum spiritualium productio; eaque vel extraordinaria ut charismatum eorum, quorum fit mentio 1 *Corinth.* 12. vel ordinaria ut fidei, spei, caritatis per gratiam regenerationis. Hinc in sacris termini, creatio, nova creatura &c. & commodè per analogiam hæc recreationis opera ex operibus creationis explicari possunt; ut de Motu physico specialiter notat *Zanch. l.* 1. *c.* 6. *th.* 1. 2. de vento ipse servator *Ioh.* 3. de pluvia *Ies.* 55. & sexcẽta ejusmodi. Gratiã & dona gratiæ propriè nõ creari, sed homines secundũ ipsã creari & in novo esse constitui ex nihilo contendit *Vasq. disp. Metaph.* 26. de quo alibi. *Opponitur*, creationi, vel ut accuratius loquamur, creationis continuationi seu conservationi *Annihilatio*; quę non requirit actum positivum, sed tantum cessationem influxus divini seu actionis conservativæ: quod colligitur ex *Ps.* 104.28. Porro vis annihilandi creaturæ nulli communicari potest. Sic communiter Scholastici. Durante autem hoc universo (nam de fine mundi alibi disputandum) actu nullam creaturam annihilari putamus, quia immateriales manent totæ, materiales vero quod ad materiam. Formæ & accidentia non sunt entia completa sed sunt aliquid entis, quia non subsistunt, & consequenter proprie non potest iis tribui annihilatio. Adhæc eo modo quo sunt, non rediguntur in nihilum, sed remanent in potentia materiæ & subjecti. De his *Schol. ad Thom.* 1. *qu.* 104. *art.* 3. *&* 4. *& Scotus ad* 2. *dist.* 1. *qu.* 1. 26.

50 Vsus doctrinæ de rerum Creatione. 1. ad διδασκαλιαν, in genere per totam Theologiam naturalem: de quo usu Commentator. in *Rom.* 1. 19. *Actor.* 17. *Psal.* 19. *Raymundus de Sabunde, & Alstedius in Theolog. Naturali, Pleßæus de Verit. relig. Bellarmin. de Ascensione mentis in Deum per scalas rerum creatarum &c.* 11. Ad διδασκαλιαν in specie *locor. de Deo, de creatione hominis ad imaginem Dei, de conservatione & providentia, de Regeneratione & nova creatura*: qui lucem hinc fœnerantur. 111. Ad Ἔλεγχον. 1. Arrianorum circa Deitatem Christi, ut jam diximus 2. Idololatrarum *Act.* 14. & 17. 3. Magiæ & divinationis *Ier.* 10. 1.; adde trãsubstantiationem. Vbiquitatem corporis Christi &c. 1v. Ad παθησίαν & excitationem, ad admirationem, amorem, reverentiam, ac cultum Dei *Psal.* 8. & 19. & 104. Tres enim voces omnium creaturarum secundum *Hugonem de S. Victore*: *Accipe, redde, fuge.* Accipe beneficium, redde officium, fuge supplicium. Quos

usus

usus *autores modo cit.* amplificant : & indicant vulgati locor. commun. scriptores; quin & *Thomas contr. Gentes lib. 2. c. 2. & 3.* Adde *Danæum lib. 1. phys. Christ. c. 1. 2. 3. 6.* & cõmentatores in *ps. 8. & 19.* & *104. Alstedium in Theologia Naturali.* v. Postremum ad consolationem, patientiam, & spem : Si enim in tuum usum Deus omnia creavit, *si tui curam habuit* (ait Augustin.) *cum non esses*, quanto magis habebit, cum jam sis.

Consect. 1. *Hinc videmus quam utiliter, immo quam necessario studium physicæ & metaphysicæ cum Theologia conjungatur.*

II. *Male à Iudæis olim usque ad 30. ætatis annum lectionem historiæ creationis* cap. 1. Genes. *prohibitam; quasi celandum esset mysterium creationis : apud* Origenem. in Cantic. Hieronym. prol. galeato, & præfat. in Ezechiel., Mercerum prolog. in Genesin.

DE CREATIONE.

PARS SECUNDA,

Resp. LUBERTO SPRUITIO Vltraject. *Ad diem 15. Septemb. 1638.*

Terminus creationis, creatura scil. tripliciter considerari potest I. *abstracte hoc est in genere, & in se.* II. *collectivè & coordinatè hoc est in Mundi unitate, universitate, & coordinatione ad se invicem.* III. *Distributivè, per & secundum species suas.*

QVod ad primum considerandi modum : Creatura gr. 1. dicitur κτίσις, κτίσμα, *Hebr.* 4. 13. *Rom.* 1. 19. *Hebr.* בריאה (chald. בריא *birja*, Syriacè ברי*ا* *berja*) Quod Rabbinis synechdochicè aliquando notat homines ut & gr. κτίσις *Marc.* 16. *v.* 15. quod *Matth.* 28. 19. πάντα τὰ ἔθνη. Quomodo etiam Arabes חלק *chalk* gentem vocant, creaturam חליקה; utrumque à rad. חלק *chalaka* creavit. Rabbini ex *psalm.* 103. 14. usurpant vocem יצר *Creatura* & יצירה *creatio.* Vnde Genesin vocant ספר יצירה *librum creationis.* Et rectè verbale hoc formatur, quia ipsa verba plane synonymos usurpantur de homine & animantibus ברא *Genes.* 1. 27. & 21. de iisdem יצר *Genes.* 2. 7. & 19. quod *Targum* exponit per ברא. In scholis theologico-philosophicis ens finitum, creatum, per participationem, secundum entis analogatum, causa secunda. Et synecdochicè Ens, res; quomodo in scriptura רבר *res*, græcè exprimitur per ῥῆμα *Luc.* 1. Porro : Ex 1 *Timoth.* 2. 13.

2.13. *Rom.* 9.20. cum *Esai* 29.16. ubi 70. Interpr. מעשה tranferunt πλάσμα ? . Et *Iob.* 40.14. ubi דרך id est *via* exponunt per πλασμα, puto tam frequentem *plasmatis*, *plasmationis*, *plasmare*, *plastæ*, *protoplastæ*, esse usum apud scriptores ecclesiasticos.

Probl. 1. *An illæ enuntiationes sint veræ* : Christus est creatura, &, Christus secundum quod homo, est creatura. R. *Distinguunt* Scotus, Bonaventura, Gabriel ad 3. dist. 10. & 11. *inter illas*, *& hanc* : Christus secundum humanitatem est creatura. *Hanc putant admittendam* : *illas non itidem*, *nisi improprie sumatur τὸ secundum quod*, *ut sit dictio diminuens seu distrahens prædicatum* : *sed falsam esse*, *si proprie hoc est reduplicative & specifice sumatur*, τὸ secundum quod : *Ratio est*, *quia reduplicativa & specificativa enuntiatio omnis est falsa cujus præjacens*, *quam præsupponit*, *est falsa*. *Iam vero præjacens ejus* : Filius Dei est creatura, *est falsa*, *Ergo*. *Nos non videmus periculi quid esse in ejusmodi enuntiationibus* : *Si enim recte dicitur* : Deus & filius Dei est homo, est creatura ; item, hoc compositum, quod est Christus, est creatum : *quidni dicatur* : Christus est creatura : *Sed verum prius juxta communem scholam*, apud Becanum Theol. Scholast. p. 3. tract. 1. c. 6. qu. 4. & c. 7. qu. 1. *Ergo*. 11. *An scripturam aut orthodoxam antiquitatem sapiat illa inscriptio Corn. à Lapide præfixa commentar. in Proph. min.* Trinitati increatæ & creatæ in Christo Iesu. *Resp. Neg*: *Et taxavimus eam* Desp. Caussæ Pap. l. 2. s. 2. c. 15. *Sed nunc comperimus longè aliter ab eodem in* apologet. append. ad commentar. in Syracidem *postmodum edito* κυνοφωνίαν *illam exponi & excusari*, *ac ego non tantum*, *sed & plurimi ex domesticis Theologis* (ut ibi indicat) *eam acceperant*. *Absolvimus ergo eum à phrasi Sabelliana* ; *sed non ab acurologia*, *vaniloquentia & periculosa novitate* : *quod animam*, *carnem*, *sanguinem Christi appellet trinitatem*, *eique commentarium illum dedicet*.

2. Est autem Ens creatum, quidquid est præter Deum ; & tale κυρίως & primò est substantia ; secundario & suo modo, accidentia, modi & relationes. *Probl. An etiam privationes. Resp. Aff.* de privationibus perfectivis, & destructivis naturalibus, sed cum distinctione : sic ut non directè, sed indirectè ; non in se, aut actu aut formaliter, sed occasionaliter & virtualiter in & cum suis subjectis in principio productæ dicantur, quia & quatenus subjecta producta seu creata ad tales privationes habilia erant, inque iis subjectis tanquam in principiis privationes illæ virtualiter & seminali quâdam ratione continebantur. Considerandæ sunt ejus 1. principia. 11. affectiones seu adjuncta. 111. Opposita. IV. Divisiones. Principium est vel internum vel externum. *Illud* est, vel essentia, vel existentia. Essentia est, quo ens creatum id est quod est ut ex. gr. homo per humanitatem. Existentia seu individuatio (ut principium illud appellemus)

est, quo

est,quo determinatur ad actum seu singularitatẽ,& cõsequenter ad locum seu spatium,& tempus. Ex.gr.Petrus ad & per petreitatem. Determinationis istius nullum aliud ulterius internum principium quæri debet aut potest. Nihil enim se seipsum actuat & ad singularitatem determinat;sive quod ad se totum,sive quod ad principia aut partes componentes : Vnio enim earum ex. gr. in substantia materiali, hujus materiæ, cum hâc forma (Petri, unde hoc numero compositum, Petrus,) à nullo alio dependet quam à causa externa tum secunda, generante scil. tum prima, præmotione & prædeterminatione scil. Dei. *Exod.9. 16.* cum *Roman. 9. 17.* ubi notat *Beza* verbum ἐξεγείρειν quo hebr. העמדתי *Exod.9.* à Paulo exponitur,ad primam Pharaonis creationem referendum,idque apparere ex verbo ποιῆσαι *v.21.*ita ut 17. sit explicandum,*feci ut existeres.* Hoc ergo principiũ existẽtiæ seu individuationis.Et in operibus sex dierum,cœlum, angeli, terra, animalia, arbores, homines,astra,non tantum in specie, consequenter, & secundum intentionem ; sed & in individuo primo & immediatè à solo Deo sic constituta dicuntur. Et sane in confusis illis disputationibus de principio individuationis, debuisset succurrere scholasticis, quod alibi de actionibus individuis tam expedite perspexerunt : Causa prima prædeterminat & ad singularitatem & ad specificationem actus. Et omnia necessario dependent à prima causa, in esse, existere, & operari. Vide eorum *disputationes de Providentia Dei, de concursu primæ cum secunda, de concordia liberi arbitrii & gratiæ.* Nomina autorum alibi citavimus. Compendium & indicium Scholasticorum, & recentium Theologorum ac philosophorum, præstabit libellus *Sylvii Theologi Duaceni de Motione primi motoris.* Cum quo, si cui vacat,conferat nostram *dissertationem de Termino vitæ.* Quod si ergo accidentia & actiones quæ propriè concreata & comproducta & consequenter con-individuata dicenda sunt, individuationis suæ seu singularitatis & existentiæ primum principium habent externum, causam scil. efficientem primam, & secundum seu subordinatum principium, causam scil. sufficientem secundam : cur non ipsorum subjectorum seu substantiarum (seu mavis essentiæ subjecti abstractè & præcisè consideratæ, ex. gr. Petreitatis,Bucephaleitatis &c.) individuatio ad principia externa referenda esset, actionem scil.primi & secundi agentis.Pleraq; Scholasticorum & recentiũ philosophorum cataplasmata quæ ad determinationẽ hujus vexatæ quæstionis cõferri solent,aut manifestè petunt principium;aut faciunt processum in infinitum. Nam semper relinquitur quærendum,quo principio illa materia, aut forma,aut utraq;,aut unio & respectus naturalis utriusque ad se invicem, aut individua essentia individuetur. *Externum* principium

(omnis

(omnis scil. entis creati, quod non in individuo, ut Angeli, cœlum, astra &c. sed per individuorum successionem perpetuatur) est tum natura, tum ars. *Natura*, est compositum quodlibet naturale, viribus sibi in prima rerum creatione insitis (*Genes.* 1. 22. 29.) agens ad rei alicujus productionem. De quo principio intelligenda est definitio naturæ apud Aristotelem: & illud ejusdem axioma: *Deus & natura nihil faciunt frustra.* *Ars*, est principium, quo creatura intelligens ex habitu virtutis intellectualis aliquid producit. Intellige autem utrumque hoc principium esse dependens & subordinatum, primo scil. principio, Deo: hinc est quod subinde non male distinguatur inter naturam naturantem, Deum scil., & naturam naturatam. De natura docent hoc sacræ literæ *Hoseæ.* 2. *v.* 21. 22. De arte *Exod.* 33. 1. 3. 4. Potest autem dependentia illa considerari quadrupliciter. 1. ratione ordinis; Est enim Deus primus *Iesa* 40. & filius Dei primogenitus omnis creaturæ *Coloss.* 1. nec potest secundum ens esse ante primum, aut illud sibi subordinare. 2. ratione essentiæ quia à primo habet ut sit ens, & non sit nihil; & quidem sit hæc species entis. 3. ratione conservationis & durationis seu persistentiæ, *ps.* 104. 29. 30. *Hebr.* 1. 3. 4. *Denique* ratione causandi seu operationis. *Actor.* 17. 28. De quo pluribus Philosophi & Theologi, de Providentia Dei & de concursu.

3. Affectiones seu adjuncta creaturæ pertinent vel magis ad essentiam ejus, vel ad existentiã, vel ad operationem. Ista ad caput de Vniverso infra notabimus: Hæc vero partim *loc. comm. de Providentia*, partim ad *disputationes Philosoph. de Causa efficiente, de Motu, de generatione &c.* relegamus. Illa nunc præcipua hic indicamus. Sunt autem 1. Positiva. 2. Negativa. 3. Comparata. Positiva sunt. 1. Omne ens creatum est ens per participationem, atque hoc respectu, comparatè ad primum illique oppositè, aut sine eo, potest dici nihil aut quasi nihil, vanitas, umbra &c. *Ps.* 62. *v.* 10. *Eccles.* 1. 2. *Ps.* 39. 6. 7. cum quibus cõvenit dictum Nebucadnezar *Daniel.* 4. 32. 11. Vide *commẽt. ad loc. cit.* Habet potentiã receptionis, hoc est potentiã passivã & consequenter mutabile est & defectibile. Hoc est quod quidam intelligunt per vanitatem *Eccles.* 1. 2. Nam corruptio aut etiam corruptibilitas ab intra omnibus tribui non potest, ex. gr. angelis, animabus hominum: sed bene ab extra; quia Deus potest ea destruere sola cessatione influxus sui. 11. Necessario admittit successionem, prius & posterius, processum à potẽtia ad actum, à nõ esse, ad esse si non in substantia, saltem in qualitatibus aut operationibus. 1v. Novitas essendi est illi essentialis, seu de ejus ratione. De quo *disp. præced.* v. Vt etiam assidua dependentia à primo ente & continentia seu inexistentia in eo. Est

autem

autem esse ejus in Deo triplex, eminens, ideale, intelligibile. Illo modo est in potentia ejus tanquam in causa efficiente, conservante & gubernante: isto in idea tanquam in causa exemplari: hoc in scientia tanquam in cognoscente. *Pulchrum pulcherrimus ipse mundum mente gerens &c.* canit Boëthius. Et divine apostolus *Actor.* 17. *In Ipso vivimus, movemur, & sumus*: Et, τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμεν, ut ex *Arato ibid.* Apostolus. Contra *Durandum*, & eos quorum meminit *Augustin. lib.* 5. *de Genesi ad literam*; qui negabant concursum. VI. Est compositum, & habet partes aliquas improprie dictas naturam scil. & suppositum, essentiam & esse, subjectum & accidens, genus & differentiam. Ratio est, quia habet in se actum & potentiam. VII. Est ordinatum & finitum; atque adeo ut essentiæ ita & potentiæ finitæ. Est autem dupliciter finitum, internis essentiæ suæ limitibus circumscriptum; & externo efficiēte ac fine. VIII. Hinc sequitur: quod omne ens creatum habet finē, qui non sit ipse: ut & efficientem; nihil enim potest sui ipsius esse causa, & ex nihilo nihil fit. Et quia nō datur in causis processus in infinitum; hinc est quod esse & operari ejus tandē reducatur ad primum efficiēs & ultimū finem. *Prov.* 16. 4. *Rom.* 11. *v. ult.* IX. Potest suscipere rationem causati non tantum, sed & causæ: ita ut nihil participarit essentiā cōpletā, quod nō simul verā activitatē & vim causandi: *Gen.* 1. 11. 22. 29. *Hos.* 2. 21. 22. *Ps.* 19. 6. 7. Aug. de civit. Dei l. 7. c. 30. *Sic itaq; administrat omnia, quæ creavit, ut etiā ipsa proprios exercere & agere motus sinat.* Contra *Gabrielem* ad. 4. *q.* 1. *art.* 1. *not.* 3. aliosque qui volunt causam primam solam operari ad præsentiam secundarum. Vide stultam & impossibilem hanc opinionem, ut vocat *Thomas* expugnatam ab ipso *lib.* 3, *contra Gentes c.* 96. *& in* 1. *qu.* 105. *art.* 5.

Probl. An entia incompleta, habeant vim causaudi: Resp. Quædam causalitate materiæ tantum ut materia. Quædam & formæ, & efficientis emanativæ, & finis, ut comuniter omnes formæ. Quædam causalitate efficientis emanativæ & transmutativæ; ut formæ immateriales, hoc est, animæ humanæ separatæ. Vide & confer philosophos ac theologos, ubi disputant de Anima separatâ. X. Sic tamen ut propter arctam dependentiam à prima ejusque influxum ac præmotionem non tantum in effectum sed & in causam, omnes secundæ hoc respectu dicātur instrumenta ejus, Deusq; tanquā principalis causa omnia operari *Ies.* 26. 12. & 10. 15. 1 *Cor.* 12. 16 *Ps.* 139. 15. & 135. 25. & 147. 8. 1 *Cor.* 3. 6. *Luc.* 12. 28. XI Est contingens, triplici ratione, quia opus habet conformatione ad aliud, & causa à qua fit, & fine, quia à seipso terminari non potest. Vide *Fonsec.* 4. *Metaph. c.* 2. *q.* 1. aliosq; Metaphysicos de necessario & contingēte. XII. Est bonū bonitate naturali *Gen.* 1, cū 1. *Tim.* 4. & intellectuale potest esse bo-

num bonitate morali, sed omnis bonitas est per participationem & ad certum quoddam dimensum. Hinc est quod solus Deus dicatur bonus *Matth.*19. sapiens 1 *Tim.*6. absolute, scil. perfectissime, & per essentiam. Perfectionis eadem est ratio. XIII. Habet necessariam ac naturalem inclinationem & tendentiam ad sui perfectionem, & bonum sibi connaturale; atque adeo ad naturæ & perfectionis suæ conservationem ac promotionem. Hinc regula: *Natura semper appetit & intendit perfectissimum.* Est autem inclinatio illa triplex *instinctus* in omnibus cognitione destitutis, qui metaphorice describitur *Rom.*8.*vers.*19.22.*appetitus* in sensitivis *Ierem.*8.7.*Ies.*1.3.*Ps.*147.9.*Iob.*39.3.*appetitus rationalis* in *intelligentibus Ephes.*5.29. Duo priores modi tendunt in finem suum materialiter, & diriguntur à prima causa sicut à jaculatore sagitta ad scopum *Iob.* 39.17.18.19.20. postremus vero modus formaliter. XIV. Vt est vestigium Dei & illi subordinatum, sic etiam aptum natum est via causalitatis ad Deum ducere omne id quod intellectualiter ad Deum moveri illique uniri potest: hinc geminus usus creaturarum respectu hominis (de quo Theologi Naturales, & *Beza homil.*15. *in passionem*) Vnus ad necessitatem vitæ animalis 1 *Tim.*4.3. alter ad vitam cœlestem, idque dupliciter 1. ratione quadam cõmuni, in generali reum creatarum consideratione, & hic liber naturæ, ac lectio ejus, de quo *Raymundus de Sabunde*, *Plessæus*, imprimis *Alstedius.in Theol.naturali.* 2. ratione speciali: qua Deus aliquibus ad hominis instructionem & verbi sui obsignationem utitur, ut Iride *Genes.*9.12. naturæ miraculis, portentis, prodigiis, de quibus alibi dicendum, ut & omnibus illis, quibus Deus usus fuisse legitur in scripturis: qualia sunt asina Bileami, vellus Gideonis, ignis & pluvia Sodomæ, aqua diluvii, terræ motus in passione & resurrectione Christi, arbor vitæ, &c. nec prætereunda aqua baptismi, & panis ac vinum eucharistiæ.

4. Atq; hæ quidem affectiones positivæ: ex quibus sponte fluunt & facile colliguntur *negativæ.* Notamus speciminis causa solummodo istas, quarum imprimis usus in doctrina Theologica. 1. Non est sibi ipsi aut alteri primum efficiens & ultimus finis. Itaque non est sibi αὐτάρκες, nec alteri summum bonum. Vsus & applicatio hujus theorematis est in disputatione de beatitudine seu summo bono. II. Non est purus actus; & consequenter non est absolutè simplex, nec perfecte unum. III. Non est absolute necessarium. IV. Nec tamen & absolute & simpliciter contingens, nec ullum tale esse potest. Hinc recte post Cajetanum Naclantus in 4. tract. qui est de origine contingentiæ: *Necessitas & contingentia habent se, ut unum & multa, seu ut uniforme, & difforme, ut etiam*

etiam Cajetanus *dicit*. 1.q.14.art.13. *Ex quo infertur, quod contingentia esse non potest sine necessitate : sed è contra necessitas esse potest sine contingentia. Siquidem multa esse non possunt sine uno, sed unum esse potest sine multitudine. Quod quoque non tacuit* Cajetanus. 1.q.41.art.2. *Quo fit ut in illis rebus, in quibus cõtingentia est, oporteat aliquam necessitatis rationem concedere; at non è contra : quod & inductione manifestari facile potest.* v. Nec est absolute aut simpliciter bonum ac perfectum. vi. Non est actu infinitum, nec tale dari potest, 1. sive essentiam ejus, sive 2. quantitatem discretam, aut continuam, molem scil. & extensionem, spatium, durationem, 3. sive qualitatem potentias scil. aut habitus consideres. vii. Itaque non est immediatum suæ operationis principium, seu non agit per substantiam suam immediate immediatione virtutis. viii. Nec agere potest supra limitatam virtutis suæ proportionem : Hinc sequitur, non posse creare, annihilare, supra universalem naturam quid facere, hoc est, miracula. ix. Nulla proprietas Dei potest illi communicari, Immensitas scil. omnipotẽtia, omniscientia &c. Hinc sequitur, non posse simul esse pluribus in locis sive definitive sive circumscriptive ; nec quiescere simul in termino à quo & ad quem. ix. Nullum est in se, per se, & naturaliter malum : nedum ut detur aliquod summum malum: Contra antiqua & nova Manichaica deliria. *Affectiones comparativæ sunt* 1. Ens creatum unum altero est perfectius ac nobilius : quod de perfectione essentiali intelligitur tantum, cum diversæ species inter se comparantur : non vero, cum individua ejusdem speciei ; nam tum accidentali tantum perfectione differunt. ii. Quæ propius secundum analogiam accedunt ad Deum, atque adeo ad plura ejus attributa non tantum primi sed & secundi generis, ea sunt perfectiora iis quæ tantum essentiam habent ; & inter ea rursum perfectiora ; quæ vitam habent intellectualem. Quæ simpliciora, quæ magis ad unitatem accedunt item ad immutabilem, ut durabiliora ; inter quæ rursum excellunt incorruptibilia. Ad hæc quæ potentiæ minus limitatæ &c. iii. Perfectius ens creatum semper est finis imperfectioris, & hoc ad illud ordinatur, iv. Vniversalius (in causando scil. aut conservando) est nobilius minus universali, e.gr. sol. mure, aut arbore, &c. Hinc etiam illius bonum & perfectio prius ac potius promovetur. Quo spectat effatum illud philosophi : *Bonum universale prævalet particulari.* Quamvis alio respectu musca aut formica præstantior sit sole, immo toto cœlo cum omnibus stellis.

Pugnantia entis creati sunt 1. Neutra illa quæ fingutur, seu media inter ens creatum & increatum, Deum scil. & creaturas. Qualia sunt, 1. *Ideæ Platonicæ* (de quibus alibi) 2. *Effectus illi* qui præter angelos ponuntur, & quidem causæ primæ propiores : Cabalistarum scil. סְפִירוֹת id est, 5.

numeri, aut luces: quas fingunt esse in mundo emanationes; & sunt numero decem, *Corona*, *scientia*, *prudentia*, *magnificentia*, *fortitudo*, *pulchritudo*, *victoria*, *decor*, *fundamentum*, *regnum*. Vocantur & dimensiones, dies fabricæ, lux (teste *Archang. de Burgo novo commentar. in Cabalist. dogm. p.* 759.) *Vbi ad dogma hoc cabalistic.* Animæ à tertio lumine ad quartam diem, inde ad quintam descendunt: inde exeuntes corporis noctem subintrant: *sic commentatur*: *Animæ*, inquit, *primo à chochmach quoad esse ideale; secundo à binah proveniunt per creationem, deinde* ad quartam diem, id est, *ad geburah scil. post esse creationis à spiritu s., inde exeuntes, à geburah scil.* descendentes, *in alias intrant sephirot, quousque inveniant sephirah proportionatam, & symbolizantem cum planeta corpori dominante illius animæ corporis noctem subintrant.* Ita ille exponit eas de diebus Bereschit seu fabricæ mundi. Addit *pag.* 807. quos Cabalistæ vocant septem sephirot inferiores, & septem dies fabricæ, esse *septem intellectus separatos; qui juxta Apocal. & Tobiam semper sunt in conspectu Dei, & inferiora exequuntur, quæ supremus cheter jubet.* Ex hodiernis Iudæorum Doctoribus. *R. Menasse ben Israel. in problem. de creatione probl.* 27. conjicit eas esse, Platonis Ideas, *ad quæ omnes res reducuntur, quæque sint ipsæ rerum perfectiones, uti justitia, bonitas &c.* Sed huic sententiæ non fidens, aliam substituit ex Mahumetanis Damascenis: Esse eas perfectiones, seu attribura Dei essentiæ superaddita, *quæ aliud sint quam Deus & tamen non sint distinctæ creaturæ; sed tantum emanationes quædam essentiæ, conjunctæ, perinde uti radii solares cum sole, flamma cum prunis ardentibus: aut, uti Plato ait, ultimum lineæ punctum cum linea conjunctum.* Longè aliter hæc explicat Rittangelius in comment. ad lib. Iezira p. 2. Quem vide. 3. Novem *attributa* Dei (inter quæ potentia) quæ extra Dei essentiam constituunt Mahumetani Damasceni; & propterea Avicenam identificantem attributa essentiæ divinæ, hæreseos condemnarunt; siquidem vera referat *R. Menasse loc. cit.* Nec prætereundi Sociniani, qui Spir. sanct. quem faciunt potentiam Dei, negant esse Deum, & accidentia aliqua, aut quasi accidentia in Deo admittunt. & *Conr. Vorstius in libr. de Deo*, de quo vid. *Egliseminium*, *Becanum*, *Lubbertum*, aliosque Vorstii Antagonistas. 4. *Lux illa increata*, quæ sit habitaculum Dei: quam commentus est *Eugubinus*, nec esse Deum, nec creaturam. Cujus commentum renovant hodie Sociniani; nec abnuit *Vorstius*. Opinio *Steuchi* de cœli empyrei æternitate exserte repugnat *Hebr.* 11. *v.* 10. *Coloss.* 1. 16. & refutat eam *Zanchius de Oper. creat. lib.* 1. *c.* 4. *qu.* 2. *Pererius in Gen.* 1. ut & *Vorstii* spatium seu habitaculum Deo coæternum *Math. Sladus Discept. Scholast. part.* 1. *c.* 2. *sect.* 42. 46. *& part.* 2. *p.* 47. Et ante eum *Smiglecius in novis monstris Arrian. p.* 179. 11. Septem illa quæ Rabbini creata somniant ante conditum mundum.

dum, גן ערן ותורה וצדיקים וישראל וכסא הכבוד וירושלם ומשיח id est *paradisus*, *lex*, *justi*, *Israel*, *solium majestatis*, *Ierusalem*, *Messias*. Nihil ante conditum mundum exstitit. Quod autoritate scripturæ adactus cum negare non possit *R. David Kimchi*, conatur suos excusare, quod voluerint hæc septem fuisse finem principalem cur Deus mundum condiderit. III. *Ficta impossibilia*, ut corpus humanum infinitum, creatura creatrix &c. Infinitum quodcunque actu, à Deo creabile: quod refutatum vide apud *Perer. lib.* 10. *c.* 10. 11. *Entia ficta*, non existentia aut nunquam futura, quæ dicuntur esse, ut Intelligentiæ seu genii ab angelis bonis & diabolis distincti; quas chimæras notavimus in *Disp. de Dæmonibus*: dæmones item familiares, ut fauni, incubi, satyri, penates, & similes, quos *R. Abraham* autor libri *Zeror. Hammor* .i. *fasciculus myrrhæ ad locum Genes.* 2. *v.* 3. fingit esse creaturas, sed imperfectas, quod Deus vespera sabbathi præventus eas non perfecerit. Hinc fugere eos sabbathi sanctitatem, quærentes montes & tenebrarum latibula, in quibus delitescunt usque ad finem sabbathi, & tunc revertentes infestare homines & moliri ipsis damna inferre. Ad entia ficta, & nunquam creata etiam referenda purgatorium, uterque limbus, cœlum aqueum seu crystallinum: præterea montes, sylvæ, regiones, breviter alter orbis in sphærâ lunæ, quem nuper quidam beneficio tubi Batavici se ibi observasse putat: Quod false & lepidè exagitat Author anonym. in libello cui tit. *Conclave Ignatii*. Denique multa chimærica in regno minerali, vegetabili, imprimis animali, apud fabulosam vetustatem, *Plinium* & similes scriptores, quæ nunquam sunt, nunquam fuerunt: quorum aliqua indicabimus ad quintum & sextum diem. v. Idololatrarum horrenda confusio, qua Deus transformatur in creaturam, & vice versa. *Rom.* 1. 23. *Actor.* 14. 11. 15. & 17. 29. Vide *Plinium. lib.* 1. *c.* 1. Cum quibus fere conveniunt Manichaica illa de lumine ex Dei substantia creato (apud *August. de hæres. c.* 46.) *Alcoranica* supra *part.* 1. *citat. aliaque infra Thes.* 8. *citanda*. VI. βδελύγματα recentium Enthusiastarum qui jactant hominem deificari, ita ut ipse sit Deus: dequo suo loco dicēdum. VII. Deniq; Anabaptistarum & Zwenckfeldii profanę novitates: quorum illi statuunt substantiam λόγυ, hoc est, immutabilis Dei, mutatam esse in creaturam humanam: iste vero Christum hominem mutatum esse in Deum. Atq; hęc quidem de Ente creato in genere delineasse sufficerit ad supplementum metaphysicæ: ubi hactenus fere præterita fuit ejus synoptica contemplatio; cum tamen non minus locum ibi invenire debuerit, quam explicatio substantiæ, aut accidentis, aut omnium specierum accidentis, aut entis primi seu infiniti.

6. Ens creatum late ſumptum diſtingui poteſt in ſubſtantiam & accidens; in univerſale & ſingulare; in corruptibile & incorruptibile; in permanens & ſucceſſivum; in abſolutum & reſpectivum; in poſitivum & privativum; in rem & modum; breviter in decem genera ſecundum 10. prædicamenta. Noſtro inſtituto optime convenit diviſio illa *Coloſſ.* 1. v. 16. in viſibilia & inviſibilia. *Iſta* ſunt Angeli ſeu intelligentię, ut & cœlum beatorum quæ ut non videntur, ſic cum ſenſibili hoc mundo connexionem naturalem mutuamque dependentiam ac coordinationem nullam habēt, quæ quidem à nobis ſciri poſſit. Quomodo enim mundus cœleſtis aut elementaris pendet à cœlo empyreo in eſſe aut operari, quomodo viciſſim ad cœlum illud ordinatur? *Illa* ſunt omnia, quæ proprie *rerum naturam*, τὸ πᾶν *univerſum mundum* appellare ſolemus; ſupra quam naturam ſeorſim *Intelligentias*, Extra & ſupra quem mundum ſphæricum, ſedem beatorum collocamus. De mundo hoc viſibili nunc hic nobis agendum de intelligibili, Angelis ſcil. alibi. De inviſibili cœlo, quod vocant empyreum, ad primum diem nonnnulla diſquiremus: reliqua reſervantes peculiari diſputationi.

DE MUNDO.

7. DIvidimus ergo Ens creatum collective conſideratum in Mundum viſibilem & corporeum, & mundum intelligibilem, partim ſcil. incorporeum, partim corporeum quidem, ſed inviſibilem. Poſterior hic mundus complectitur *continens* cœlum inviſibile & corporeum; *contenta* angelos inviſibiles & incorporeos. Prior mundus potiſſimum definitur & tractatur ab autoribus tum antiquis *Timæo, Locro, Ocello, Lucano*, *Anonymo ſub nomine Ariſtotelis*, quem latinum fecit *Apulejus*, & altero ſub nomine *Philonis Iudæi*, *Cleomede*, *Platone in Timæo*, *Cicerone de Vniverſo*, & in *fragmento Somnii Scipionis*, *Macrobio in ſomnium Scipionis*; ad hæc recentioribus *Piccolominæo*, ejuſque cenſore *Taurello*, & vulgaribus phyſicis tit. de *Mundo*. Theologos aliquot ſupra *part.* 1. in principio indicavimus. Nos pro inſtituti ratione maximè theologica aut Theologiæ affinia de hoc Mundo delibaturi conſiderabimus. 1. Quid nominis. 11. quid rei. Nomina hæc fere apud ſacros & profanos ſcriptores occurrunt; κόσμος, πᾶν id eſt univerſum, τὸ ὅλον (utrumq; occcurit apud *Ocellum*) natura, rerum natura, univerſa rerum machina, orbis, αἰών, vel αἰῶνες, Hebr. חרל & חלד, διακεκριμένη *hebr.* 2. 5. quod in V. T. הבל Targum & Rabbinis עולם *gnolam* עלמא *gnalma*, (quibus reſpondet gr. αἰὼν in N. T.) Arabicè dicitur رنيا à راى *judicavit, rexit*: unde etiam derivantur

tur מדינת *urbs*, (Hebræis, *regio, provincia, Esth.* 1.) Aliter etiam dicitur דהר *mundus, sæculum*; quod convenit cum Hebr. דור .i. γενεὰ à rad. דור habitare: ut conveniat cum gr. οἰκουμένη, hebr. תבל. Distinguunt autem Hebræi mundum & sæculum (scil. secundum statum mutationis) in præsens ac futurum, הזה & הבא *hazze & habba* seu העתיד *hagnattid.* Sic *Targum Psal.* 92. 9. & 41. *v. ult.* & passim Rabbini: qui *Mundum præsentem* rursum distinguunt in הגדול *magnum* seu macrocosmum, & in הקטון *parvum* seu microcosmum. *Ille* dividitur in התחתון seu השפל .i. *inferiorem*, & התכון .i. *medium*, & העליון .i. *supremum.* Mundus supremus continet angelos, & animas, & vocatur etiam עולם הרוחני .i. *mundus spiritualis.* Mundus medius continet הגלגלים .i. *sphæras seu orbes*, cum stellis, & regione aëriâ. Mundus inferior continet mare, flumina, desertum, solitudines & loca inhabitabilia. De aliâ quâdam acceptione mundi medii sic scribit Kimchi in comment. ad Ps. 19. v. 9. *omnes res tabernaculi sunt mirabilis sapientia &c. adeo ut sapientes vocaverint illud* עולם האמצעי שהיא דמות העולם העליון ודמות העולם הקטון .i. *mundū mediū, qui similitudo mundi superioris & mūdi parvi.* Mundus futurus rursum variè apud illos accipitur: vel pro mundo qui futurus est post resurrectionē, cum animæ fuerint conjunctæ corporibus; vel pro mundo animarum, quem animæ post solutionem à corpore possident; vel pro diebus Messiæ. Distinctionē & phrasin *sæculi seu mundi præsentis & futuri* ex cōsueto Iudaicæ Theologiæ stylo adhibet Apostolus *Eph.* 1. 21. *Hebr.* 2. 5. & Servator *Math.* 12. *v.* 32. Qui postremus locus (ut ἐν παρόδῳ hoc moneam) si simpliciter exponatur per *nunquam*, non erit de eo prolixa disputatio. Phrasin autem illam *in hoc & in futuro sæculo seu mundo* notare universale temporis; hoc est affirmativè *semper, in perpetuum*, negative, *nunquam* constare potest 1. *tum* ex *Epheſ.* 1. 21. 2. *tum* ex usu Targumico & Rabinico; 3. *tum* ex usu aliarum linguarum, ubi omnem durationem complexuri, distribuunt eam in præsentem hujus mundi, & in futuram post hunc mundum; 4. *tum* ex cognatâ phrasi *in cœlo & in terrâ* quâ per distributionem partium (mundus enim totus continens synechdochice constat ex cœlo & terrâ, locis scil. cœlestibus & elementaribus) denotare solemus universale loci, hoc est, affirmative *ubique*, negative *nusquam Exod.* 20. 4. *Philipp.* 2. 10. 2 *Paral.* 6. 14. cum 1 *Reg.* 8. 23. *Denique* ita intelligendam hanc Phrasin apud *Mathæum* evincit collatio *Marc.* 3. 29. *Luc.* 12. 10. Quod etiam vidit *Hieron. in Math.* 12. ubi sic exponit: *huic nullo tempore blasphemia remittetur.* Porro de usu, distinctione, & synonymia, vocis *mundi*, ut chartæ & tempori parcamus, consulendi lexicographi tam sacri quam profani. Nobis hic sufficerit notasse. 1. Mundum distingui in idealem seu archetypum, quem

quem ἐνδιάνικὸν vocat *Ocellus in libro de Mundo*, Plato νοητὸν, id est, intelligibilem; & in ἔκτυπον seu realiter extra Deum existentem, qui κατὰ τὸ παράδειγμα τῶν δεδημιουργημένων, uti de cœlo loquitur *Clemens Strom.* 5. *p.* 427. Quæ distinctio eleganter exponitur à Boethio loco supra cit. *Pulcrum pulcerrimus ipse mundum mente gerens, similique in imagine formans.* Idem *Clemens modo cit. lib. cit. p.* 432. juxta philosophiam barbaricam hanc mundi distinctionem sic explicat, ut quasi in duas partes τὸ πᾶν distribuatur seu in duos mundos, quorum alter sit νοητὸς, ἀρχέτυπος, & παράδειγμα; alter αἰσθητὸς & εἰκὼν & παράδειγματος &c. Quæ ibidem subjungit ex *Platonis Timæo* hausta sunt; quorum summam exhibet Ficinus in compendio Timæi cap. 10. p. 707. edit. Basil. *Quemadmodum igitur sex hi gradus ordine disponuntur: Primo quidem ipsa solis substantia: deinde lux substantialis & intima: Tertio lumen inde manans: Quarto splendor resultans ex lumine: Quinto calor splendore succensus: Sexto generatio caloris flagrantia coalescens: ita sex alii digerantur: Primo quidem unitas, deinde bonitas; neque tamen re ipsa duo hæc, sed ratione quodammodo distinguantur: eadem namque divinitas: & quia omnia supereminet, unitas: & quia per omnia rursus exuberat, bonitas apelletur. Hanc utiq; exuberandi virtutem* Plato in sexto de Repub. *ideam appellat boni. In epistolis vero bonorum: boni quidem, id est sui ipsius, bonorum quoque quæ ab ipsa prosiliuntur. Tertio in gradu ponatur divina quædam mens quasi lumen de luce manans, multiformesque, ut ita loquar, ideas in se concipiens duplici quodam superne lucis, ideæque unius divinæ fomento: non aliter quam in lumine multi jam radii ex uno lucis radio derivantur. Non solum vero in hac mente rerum comprehenduntur ideæ quasi fonte: sed & ad hanc multi mentium reducuntur exercitus quasi ducem: ab eadem videlicet divina luce à qua & ipsa æque prosilientes. Totum vero id genus mundus superior nominatur: sed quantum ad mentes spectat sequentes, intellectualis mundus: quantum vero ad ducem, intelligibilis. Sed ipsa quoque mens dux mentium, partim quidem intellectus, partim intelligibile nominatur. Intellectus quidem qua rationibus rerum discernendis incumbit. Intelligibile vero, qua rationes ejusmodi in suis continentur ideis. Idea denique boni non modo super intellectum, sed etiam super intelligibile regnat. Post archetypum hunc mundum quarto gradu sequatur corporei mundi anima: Mundus jam rationalis ex intellectuali mundo progenitus, quasi splendor ex lumine. Et sicut splendor jam motui permiscetur, sic anima immobilium idearum rationes mobili quodam pacto attingit atque percurrit. Quintus huic succedat gradus, ipsa videlicet natura rerum, mundus jam seminarius, ex rationali animæ mundo, quasi calor splendore resultans. Sexto tandem gradu mundus hic corporeus collocetur, ex seminario ita proxime ductus, sicut rerum generatio ex calore.* Mundum dici vel parvum μικρόκοσμον hominem scil. vel magnum μακρόκοσμον

κοσμον. 11. Mundum magnum, ratione partium distingui in superiorem & inferiorem, seu cœlestem & elementarem, hinc cœlum absolutè dicitur κόσμος mundus apud *Platonem in Timæo*: de quo observat Clemens Alexandr. lib. modo cit. p. 427. quod ἀδιαφορεῖ περὶ τὰ ὀνόματα, συνωνύμως κοσμόν τε καὶ οὐρανὸν ἀποκαλῶν *indifferenter utitur nominibus, citra ullum discrimen nominis mundum & cœlū appellans.* Ratio hujus appellationis fuit, quod cœlum supremum sit totus mundus cōtinēs, quippe omnia ambiēs. Acceptionē hāc mundi ex græcis & latinis probat *Meursius in notis ad Arnobiū c.1.* Pariter & *terra* synechdochicè dicitur mundus. Rabbini tres faciunt mundos *inferiorem, medium,* & *superiorem* ut modo notavimus. Poëtæ triplicem item mundum faciunt, sed eum aliter ac Rabbini explicant. Supremus ipsis est cœlum cum cœlitibus; medius est mundus hic visibilis; infimus est tartarus, cum incolis suis. Vide *Mythologicos scriptores* de Saturni filiis Iove, Neptuno, Plutone, deque tripartito inter ipsos regno. Exstat appellatio poëtica triplicis mundi apud Statium Papinium, ubi Tiresias sic loquitur:

Scimus enim & quidquid dici nescique timetis,
Et turbare Hecatem, in te Thymbræe vererer,
Et triplicis mundi, summum, quem scire nefastum est,
Illum, sed taceo.

Cabalistæ eum quadruplicem faciunt. 1. Mundum emanationis in quo ponunt Sephirot. 2. creationis, in quo intelligentias à materiâ separatas. 3. formationis, in quo angelos qui affines sunt materiæ orbium cœlestium. 4. Fabricæ, in quo corpora cœlestia & elementaria. 111. Mundum nonnunquam notare corpora continentia tantum; quæ significatio etiam in sacris occurrit *Actor.* 17. 24. IV. Vniversum τὸ πᾶν ab ὅλω distingui philosophis antiquis apud *Plutarc. de Plac. l.* 1. ut hoc sit mundus; illud verò infinitum inane extra mundum, aut mundus cum inani. *Lipsl. l.* 2. *diss.* 9. An & quomodo visibilis hic mundus possit dici universitas, τὰ ὅλα docet Daneus libr. 1. physicæ Christianæ c. 9.

D. Sed quod hic Mundus a quibusdam Latinis Vniversitas appellatur: à Græcis autem τὸ πᾶν & τὰ ὅλα tibineprobatur?

P. Et doctissimis atque pientissimis quibusdam viris tam superbum nomen displicere scio: quia tamen graves autores, atque etiam Ecclesiastici patres & scriptores eo vocabulo sunt usi, equidem rejiciendum non censeo. Nam & August. in Enchir. cap. 10. *lib.* 8. *cap.* 25. *de Genes. ad literam, & Tertul. alicubi Irenæus l.* 2. *cap.* 32. *hanc vocem pro Mundo usurpare non reformidant, ne & Ambrosium & Basilium tibi laudem, & fortasse ex* Hebr. 3. v. 4. *eorum sententia confirmari potest. Quanquam enim præter hunc visibilem Mundum aliæ sunt Dei creaturæ, &*

eæ quidem plurimæ eximiæ, & pulcherrimæ, quales sunt Angeli, & beatorum hominum sedes, videturque omnino arrogans & audax appellatio, Vniversitas, quo tamen sensu hoc ab illis dicatur, & à nobis debeat audiri intelligunt omnes ut sit hic mundus universitas non omnium Dei creaturarum, sed conspicuarum tantum & corporearum. v. Denique cum de mundo corporeo & visibili agimus considerari eum posse tripliciter. 1. Vt est creatus & integer. *Genes.* 1. 2. Vt nunc est corruptus, *Rom.*8. 3. Vt instauratus, seu post instaurationem *Actor.* 3. 21. *Rom.*8. Essentialia attributa triplicis hujus mundi non variant, quocunque modo consideretur: sed accidentalia quædam; de quibus infra dicemus. De divisione mundi confer *Conimbricenses in* 1. *de cœlo cap.* 1. *qu.* 1. *artic.* 2.

8. Definitio mundi commoda est, quam habet author libelli de Mundo, sub nomine Aristotelis: *Est compages è cœlo terrâque coagmentata, atque ex iis naturis, quæ iis continentur.* Eandem habet *Cleomedes lib.* 1. *de Mundo*, seu *circulari meteororum inspectione, in principio.* Et sic ferè anonymus ex bibliotheca Palatina una cum Nazianzeni definitionibus ab Hœschelio editus: τὶ ἐστὶ κόσμος; τὸ ἐξ οὐρανοῦ καὶ γῆς τὸ ἐν μέσῳ σύστημα. Paulo aliter descriptio *Ocelli Lucani*, quã adducit rationem daturus cur τὸ πᾶν nominetur κόσμος: *Perfectum*, inquit, *& absolutum est* σύστημα ὅλων φύσεων *naturarum omnium collectio: extra quam nihil prorsus consistit, sed quidquid fuerit illud in universo & cum universo comprehendatur oportet.* Quæ descriptio visibilia & invisibilia, seu mundum sensilem & intelligibilem complectitur. Naziãzenus in definitionibus metricis ab Hoeschelio editis & Heidelbergæ 1591. excusis in 8. Κόσμος δὲ ῥεύστων καὶ νοουμένων δέσις: Id est, *Mundus autem rerum tam fluxarum quam mentis intelligentiâ comprehensilium connexio.* Sed notat hic *Hœschelius, in codice Augustano* scriptum fuisse λευστῶν, id est, visibilium: quod forte respicit locum *Coloss.* 1. 16. & magis convenit cum sensu Nazianzeni epistol. 1. ad Cledonem: ὁ κόσμος, τὸ οὗτος, τὸ ἐξ ὁρατῶν καὶ ἀορατῶν σύστημα. Et Homil. in dominic. novam: (κόσμον scil.) ἐξ ὁρατῶν καὶ ἀοράτων συνεστηκότα. *Ciceronis* definitio *l.* 2. *de Natura Deorũ*, nimis metaphorica est, & impropria: *quasi communis Deorum atque hominum domus, aut urbs utrorumque.* Per Deos si angelos tantum intelligat, & illos mundo tanquam domo sua contineri fatemur: sed de vero Deo hoc propriè dici nequit. Rectè Nicephorus Blemmidas (quamvis autor non ita vetustus) in physica sua cap. 24. τοιοῦν ὁ κυρίως οὐρανὸς, ὁ πρῶτος καὶ ἄναστρος, περιοχέ ἐστιν ἁπάσης κτίσεως ἀσθητῆς τε καὶ νοητῆς. πᾶν γὰρ ὁπωσδήποτε σῶμα ἐντὸς αὐτοῦ περικλείεται. καὶ αὐτοὶ δ' οἱ νόες ἐνσώματοὶ πῶς καὶ ἔνυλοι, κἂν ἀσώματοι καὶ ἄϋλοι λέγωνται τὰ αἰσθητὰ σώματα καὶ τὴν στοχειακὴν ὕλην παραβαλλόμενοι. Διὸ καὶ οὗτοι τῷ οὐρανῷ περιέχονται· μόνον δὲ τὸ θεῖον, ἀπεριόραστον, ὅτι καὶ ἀμερὲς, ὅτι καὶ

αὐτοτε-

αὐτοτέλειον, ὅτι καὶ ἄπειρον. διὸ καὶ οὐδαμοῦ ἐστι καὶ πανταχοῦ ἐστι, καὶ ὑπὲρ τὸ πᾶν ἐστιν. ὡς μὲν γὰρ ἀμμερὲς, καὶ πάντῃ παντὸς σώματος καὶ πάσης ὕλης ὑπερεξηρημένον, οὐδαμοῦ ἐστιν· ὡς δ' αὐτο καθ' αὐτὸ τέλειον καὶ πληρέστατον, παιταχοῦ ἐστι τὰ πάντα πληροῦν· ὡς δὲ καὶ ἄπειρον, ὑπὲρ τὸ πᾶν ἐστι καὶ πάντα περιέχει, καὶ πάντα περιορίζει, καὶ οὐδὲν τῶν ἁπάντων ἐκτός ἐστι τῆς αὐτοῦ δυνάμεως. Hic disquirenda nonnulla circa mundi. 1. Principia. 11. Adjuncta seu affectiones. *Principia* sunt vel externa vel interna. *Illa* sunt efficiens & finis. Efficiens consider. vel, quod ad primam mundi productionem, quod ad ejusdem permanentiam seu continuationem. Illo modo consider. est Dei creatio, de qua egimus *disputat. præced.* Hoc modo consider. *respectus totius mundi* & singularum ejus partium est conservatio & providentia: sed respectu partium mundi, quæ sunt corruptibiles, accedit generatio physica providentiæ divinæ subordinata tanquã causa secunda; de cujus speciebus aliquot in vegetabilibus *Psal.* 704. 13. 14. *Math.* 6. 28. 30. in animalibus *Iob.* 39. *Psal.* 139. Hic de modis & speciebus generationis, mixtione, de virtute plastica, &c. multa utiliter disquiri possent; sed quæ philosophis relinquimus, quamvis apprime faciant ad loca scripturæ & dubia theologica felicius explicanda. *Interna principia* sunt materia & forma: quæ analogice tantum reperiuntur in mundo; neque enim est corpus aut compositum per se, sed ens per accidens, aggregatum, corporum collectio. Sit ergo *materia* mundi, partes ejus tum continentes, tum contentæ: quorum divisio & enumeratio ex physicis nota. *Forma* mundi substantialis nulla est; sed tantum forma relativa, quod formale vocamus, apta scil. partium mundi dispositio, connexio, & ordinatio. *Rejicimus ergo opiniones.* 1. Platonis & Stoicorum, qui mundum ajunt esse animal sensu, immo & ratione præditum, apud *Lipsium physiol. libr.* 2. *diss.* 10. A quorum sententia non alienus videtur *Campanella in lib. de Sensu rerum.* Eandem defendit *Abaylardus*, ut de illo refert *Bernardus epist.* 190. 11. Platonicorum qui mundo tribuebant animam, de quo vid. *Platonis Timæum*, & *commentarium Procli ad eundem.* Sed diversimodè explicant hanc animam. Alii faciunt Deum; alii Spir. quendam creatum, alii aliud quid. Dorneus Paracelsi sectator in *physica Genesis p.* 67. ita cum scriptura conciliat hanc philosophiam de anima mundi: ut scilicet firmamentum sub nomine cœli secundo die creatum sit anima mundi; generale elementum sub appellatione terræ tertio die, sit materia: lux quarto die in firmamenti luminari majore posita sit spiritus, & hæc tria sint principalia membra, & principia mundi. *Basso in phil. natur. p.* 333. *&c.* Platonicam hanc mundi animam, & quidem ex mente Platonis, (uti probare conatur (negat esse intelligentem, sed dicit esse subtiliorem quandam

naturam corpoream per omnia pervagantem omniaque moventem secundum uni cujusque aptitudinem. *p.* 341.

8. Sed hanc opinionem refutatam vide ab *Augustino lib. contra Felician. Arrianum, & libr. contra Priscillian. c.* 8. 9. *Daneo phys. Christ. lib.* 1. *c.* 14. & recentioribus philosophis, de quibus aliisque ad hanc quæstionem pertinentibus infra in append. 3. pluribus agendum. III. Qui mundum faciunt Deum, ut Plinius lib. 1. c. 1. *Numen esse credi par est, æternum, immensum, neque genitum, neque interiturum, unquam, &c. sacer est, æternus, totus in toto, immo vero ipse totum: finitas & infinito similis, omnium rerum certus, & similis incerto, extra, intra, cuncta complexus in se: idemque rerum naturæ opus, & ipsa rerum natura.* Sed supra *par.* 1. hujus *disp.* Plinium, aliosque fanaticos citavimus. Adde Xenocratem aliosque apud Clementem Alexandrinum in protreptico ad Gentes pag. 33. ὑστερήσομαι δὲ καὶ τῶν τούτων ἀναισχυντίαν, &c. id est:

Sed nec eorum silebo impudentiam. Xenocrates (fuit hic Carthaginensis) septem quidem deos Planetas, octavum vero, qui ex his omnibus constat mundum tacite significat. Sed nec prætermittam Stoicos, qui omnem quantumvis vilem & abjectam materiam dicunt Deum pervadere, qui aperte suam philosophiam afficiunt dedecore. Sed nec molestum fuerit, ut arbitror, cum ad hunc locum pervenerim, meminisse etiam Peripateticorum, Cujus quidem sectæ qui est pater, nihil de eo patre qui supremus est intelligens putat esse animam universi: hoc est, mundi animam Deum esse existimans, ipse à se ipso confunditur. Qui enim usque ad Lunam ejus definit providentiam, deinde mundum Deum esse existimat, evertitur, ut qui eum qui est Dei expers, Deum esse arbitretur. Eresius autem ille Theophrastus, familiaris Aristotelis, alicubi quidem cœlum, alicubi vero spiritum, Deum esse existimat. Nec prætereundus Plato, qui vulgò tanto major audit theologus quanto minor est philosophus *Aristotele.* Is *in principio dialogi* cui nomen *Critias*, mundum exserte Deum profitetur, & ut talem religiosè ibidem invocat.

9. Affectiones mundi sunt. I. Vnitas. II. Finitas. III. Tempus. IV. Locus. V. Figura. VI. Contiguitas & connexio. VII. Perfectio. VIII. Pulchritudo. IX. Subordinatio & dependentia. X. Mutabilitas, seu corruptibilitas. Quarum novem priores sunt consentaneæ, decima est dissentanea. Ex consentaneis *quinque* absolutæ, ortæ partim ex quantitate ut quatuor priores, partim ex qualitate, ut quinta: reliquæ respectivæ, ortæ ex relatione & habitudine aliqua partium mundi inter se. Quod ad 1. Mundus est unus, ut docent sacræ literæ infinitis locis. Sufficerit indicasse *Iohann. 1. v. 3. Coloss. 1. 16.* coll. cum *Genes. 1. & 2.* ubi describitur unus mundus creatus operibus sex dierum: atqui extra illa in principio facta, nihil præterea factum est; nec ullius alterius mundi conservator

servator *Hebr.* 1.3. nec salvator indicatur. *Rejicimus* 1. *ætiquos philosophos apud* Stobæum Eclog. physic. lib. 1. c. 21. *qui innumerabiles mundos*: 2. *Opheos hæreticos apud* Augustin. hæres. 77. *Adde* Origenem lib. 2. & 3. περὶ ἀρχῶν *qui uno tempore unum quidem putabat, sed ante illum fuisse alios, & post hunc alterum fore, eoque & Christum, sæpius passurum, ut ostendit* Hieronym. epist. ad Avitum. *Videantur de pluribus mundis* Plutarch. plac. lib. 1. c. 5. Ambros. hexaëm. lib. 1. c. 1. Augustin. de civit. Dei lib. 18. c. 41. Theodoret. de curat. græcor. affect. serm. 4. *Refutant hunc errorem* Plato apud Alcinoum c. 12. Philo de Mundi opificio, Alexander Ales. 2. part. q. 11. Thomas 1. qu. 47. art. 3. *Addit* Isidor. etymol. lib. 8. c. 5. & Decretum caus. 24. qu. 3. (c. Quidam autem) *esse hæresin illam ab Ecclesia damnatam*.

Probl. An ratione naturali absq; scriptura unitas mundi à priori demõstrari queat? *Neg.* 11. Finitas mundi colligitur ex infinitate Dei 1 *Reg.* 8. ubi docetur ne quidem à cœlo beatorum Deum, quippe infinitum, capi posse: Quod si illud cœlum finitum est, multo magis visibilis mundus, de quo nobis sermo est. Vt rationes præteream *Aristotelis* & qui eum sequuntur quas vide *lib.* 3. *phys. Acroas.* & 1. *de cœlo*, & *commentatores*, qui instar omnium, *Ruvium* & *Conimbr.* cum *Pererii disp. lib.* 10. adhæc *Scholasticos in Thom.* 1. q. 7. *art.* 3. & 4. & *sententiarios in dist.* 34. *Rejicimus ergo antiquos philosophos, qui somniabant actu aliquod infinitum*, quos *loc. cit.* refutat Aristoteles. Quæ autem sit definita mundi quantitas, exactè neminem scire arbitramur; præter solum Deum qui omnia certo pondere, mensura, & numero condidit: de quo postea aliquid dicemus. 111. *Tempus mundi* considerari potest, vel quod ad principium seu ratione mundi in fieri; vel quod ad progressum seu ratione mundi in facto esse. *Posteriori* modo convenire illi tempus, hic præsupponimus juxta illud *Ecclesiast.* 3. *v.* 1. rationes à motu, & fluxu successivo secundum prius & posterius desumptas philosophi enunclearunt: qui consulendi. *Priori modo* illi cum tribuitur, incidunt quæstiones. 1. An in tempore sit creatus. 2. Quanto tempore sit creatus. 3. Quando sit creatus: seu quod fuerit initium temporis. 4. An, quale, & quomodo tempus sit creatum. 5. Quantum tempus nunc effluxerit à creatione mundi. De quartæ quæstione *disp. seq.* agendum: de prima & secunda *disp. præc.* actum. De Tertia & quinta hic disquirimus. Sententiis variant passim Theologi, chronologi, philosophi, tam Christiani quam Ethnici & Iudæi. 1. Sunt qui creationem referunt ad solstitium æstivum inter quos *Ger. Mercator in Chronolog.* 2. alii ad tempus vernum 3. alii ad autumnum. Duæ posteriores sunt maximè celebres: quamvis autores in mense aut die non conveniant. Autumno, sive Septembri (ut antiqui Rabbini, apud *Scalig. de*

emendat. lib. 5. & R. Eliezer, apud *R. Menasse probl. 9. Lansberg. in chronolog. lib. 2. c. 2. Zanchius lib. 6. c. 1. Danæus Physic. Christ. lib. 1. c. 39. Piscator quæstion. in Genes. cap. 1.* sive octobri, (ut *Scaliger in Manil. lib. 1. p. 32.* & de *Emendat. Temporum lib. 5. de Conditu mundi p. 366.* & ex eo *Calvisius Isagog. c. 34. Helvicus in proleg. ad syst. chronolog.*) Ex Pontificiis *Lyra*, *Tostatus*, *Oleaster*, *Arias Montanus*. Qui mense Septembri conditum volunt variis utuntur rationibus. Præcipuæ sunt duæ. *Prima*, quia mensis September fuit à prima hominum ætate, mensis primus, & anni initium: quod constat ex *Levit. 28. v. 9. 10.* &c. In contractibus enim & negotiis publicis, in ipsa mundi ætate supputanda, quod per jubilæos fiebat, anni ab hoc mense incipiebant, & in hoc finiebant. *Exod. 23. 16.* exitus anni refertur ad mensem septimum Tisri scil. & *Exod. 34 22.* annus vertens seu anni revolutio eidem mensi assignatur. Vide *Pererium in Exod. 12. 1.* Accedunt vestigia hujus antiquitatis, quæ legimus, apud Paraphrastem Chaldæum 1 *Reg. 2. 8*, ubi mensem Ethanim testatur antiquitus fuisse primum, qui nunc septimus בירחא דעתיקיא דקרן לה ירחא קדמאה דחגא וכען הוא ירחא שביעאה, id est, *In mense quem veteres vocabant mensem primum, festi, & ipse nunc mensis septimus.* Item apud *Euseb. præpar. Euang. lib. 9. c. 4.* qui ex *Alexandro Polyhist.* affirmat. τέσσαρας ἡλίου καὶ σελήνης, καὶ τὰ ἀλλα Phœnices & ἀστρολογίαν καὶ τὰ λοιπὰ Ægyptiorum sacerdotes ab Abrahamo edoctos. Atqui supponamus Ægyptios ānum inchoasse à mense septimo: unde probabilis conjectura, ipsis ab Abrahamo hanc anni rationem olim traditam. Si quis volet, advocet & annos sabbathicos ab æquinoctio autumnali ex mandato Dei inchoatos; principium lectionis biblicæ in synagogis ex vetusta traditione in hunc mensem incidens; testimonium Iulii Firmici Astronomi cit. *à Scaligero*, qui ex barbarica hoc est, Ægyptiaca ratione (antiquissima certè) refert, in posterioribus partibus libræ terram esse compositam. *Altera ratio est*, quod fructus arborum fuerint maturi; atqui hoc autumno magis convenit, quam veri. *Tertiam*, Daneus, sumit à festo tubarum, quod hoc tempore videtur à Deo constitutum, ut memoria creationis in Ecclesia conservaretur: quodque plura festa in mense Septembri celebrati sint. Sed hæc, aliaque quæ ab aliis adferuntur, conjecturæ potius sunt, quam rationes. Nos ergo in re magis chronologica, quam fidei aut dogmaticæ Theologię, duabus rationibus contenti in hanc sententiam inclinamus. *De Tempore Verno* non minus celebris, & plurimis tam Ethnicis & Iudæis, quam Christianis frequentata est opinio. Vide *Iulium Cæsarem Scaliger. Exercit. 257. Pererium in Gen. 1.* & *Corn. à Lapide ibid.* Qui imprimis in hanc sententiam delati videntur autoritate patrum, quos citat ibid.

Pere-

Pererius & *Concilii Paleſtini*, quod refert *Beda libr. de Æquinoctio verno*: nam rationes eorum alioquin non ſtringunt. Adde iſtis *Baranzanum in quæſtionibus novis diglad.* 18. *theſi.* 2. *Gaſparem Sanctium comment. in Actor.* 2. *p.* 47. *Molinam de opere ſex dierum, diſp.* 14. Ex Iudæis huic opinioni favent R. Iehoſua apud *R. Menaſſe loc. cit.* ex noſtris *Alſtedius in præcognit. Theolog. Scaliger.* edit. priori *Emendat. tempor.* (quam ſententiam revocavit in editione ſecunda anni 1600, quæ ex M. S. ipſius excuſa Aureliæ Allobrogum 1629.) *Polanus ſyntagm. lib.* 5. *c.* 7. qui quia accuratius hanc quæſtionem examinat, pro hac parte videndus. *Keckermann. diſput. phyſic.* 20. *qu.* 3. Cujus cenſura eſt de ἀτόπῳ hujus quæſtionis (quod ſcilicet ante quartum diem nulla eſſet anni aut partium ejus ratio) *ibid.* & in *ſyſtem. Theolog.* Sed quamvis tres primi dies non habuerint actualem numerum & menſuram numerantem à ſole & ſignis zodiaci, habuerunt tamen durationem menſurabilem & numerum motus ſui numeratum: cui à primo motu ſolis quarto die creati, retro numerando menſura illa imaginariò aptari poteſt, haut aliter ac ſi ab initio primi diei motus primi mobilis, & tempus inde deductum cucurriſſet. Confer *Thomam p.* 1. *q.* 70. *artic.* 2. Imprimis fontes ſolutionem adverſus hos alioſque ſcrupulos circa hexaëmeron ſuppeditare poſſent verba Sanctii loco cit. quæ hic adſcribimus: *Mihi hæc non adeo gravia viſa ſunt, ut priorem mihi ſententiam extorqueant: nam ut in univerſi exortu multa facta ſunt, ſecus atque aliis, quæ deinde conſecuta ſunt, ſæculis: quæ nimirum Deus ad hominum uſum aliter diſpoſuit, atque in principio rerum inſtituerat; ut quod terra ubique lateret ſub aquis quod tempora non eſſent dierum, ac noctium viciſſitudine diviſa; quod primus homo plures habuerit coſtas, quam reliqui hominum; quod ineunte vere arborum fructus illam haberent maturitatem, quam habere plerumque ſolent ſub Autumnum, ſic etiam non admodum durum videri debet, ſi dicamus aliter eſſe ſive numerata, ſive deſcripta tempora poſtea, quam in principio mundi: aut totum illud tempus, quod primam Lunæ cum Sole coïtionem anteceſſit, quæ menſes inchoat, in communem alium omnium ſæculorum ordinem non cogi. Ita ut menſis primus à Luna creata, id eſt, à plenilunio ad principium uſque ſecundæ Lunæ, à quo menſis incipit ſecundus diebus conſiterit quindecim, aut ſedecim, reliqui deinceps 29. aut 30. ſicut etiam de anno aliquid non minus difficile dicendum eſt. Nam ſi Sol creatus eſt principio Arietis, unde cum æquinoctio verno incipit annus, ſanè aut tres dies, qui præceſſerunt, extra ordinem ſunt, aut primus ille annus tribus diebus alios ſuperavit.* Quibus adde verba *Thomæ* loco cit. *Ad tertium dicendum, quod in prima die facta eſt communis diſtinctio temporis per diem & noctem ſecundum motum diurnum: qui eſt communis totius cæli: qui poteſt intelligi incepiſſe primo die. Sed ſpeciales diſtinctiones dierum & temporū, ſecundum quod dies eſt calidior die, & tempus tempore & annus*

anno:

anno : fiunt secundum speciales motus stellarum, qui possunt intelligi quarto die incepisse. Et paulo post : *Ad quintum dicendum : quod luna quando est perfecta, oritur vespere & occidit mane. Et sic præest nocti. Et satis probabile est, quod luna fuerit facta plena : sicut & herbæ factæ sunt in sua perfectione facientes semen : & similiter animalia, & homo. Licet enim naturali processu ab imperfecto ad perfectum deveniatur: simpliciter tamen perfectum prius est imperfecto. Augustinus tamen hoc non asserit : quia dicit non esse inconvenientes, quod Deus imperfecta fecerit, quæ postmodum ipse perfecit.*

Pro tẽpore verno vide & *Lipsi. lib.2.c.9.* Porro diẽ mensis dicti chronologi determinãt:de quo,quia non usq; adeo certa sunt &,& ratio thesium non patitur illa excerpere, ipsi consulendi. *Non probamus imprudentiam Concilii istius particularis Palæstini, quod lævissimis conjecturis adductum,definit tempus creati mundi scil.25.Martii : quasi hoc concerneret publicam Christianarum Ecclesiarum doctrinam.* De *Quinta* quæstione, Quantum temporis effluxerit ab initio creationis usque in hunc diem, propriè disquirendum à chronologis : ad quos ablegamus lectores nostros:cum quibus cõferatur *Pererius in Genes.1.disp.14. & 15.* Quinam autem sint, & quot generum scriptores chronologi, in bibliothecâ nostra indicavimus. v. Locus mundi nullus alius constitui potest quam spatium imaginarium seu aliquid intelligibile : nam reale spatium & locus physicus continens fuit ipsi mundo concreatus ; de quo *Disput.sequ.* Notat autem spatium illud nihil aliud quam non repugnantiã,seu aliquid in potentia obediẽtiali, ad ubi seu spacium & locum à Deo producibilem & producendum. Cujusmodi spatia extra mundum intelligimus cum *Augustino de civit. Dei lib. 11.c.5.* Est ergo nec substantia, nec accidens, speciatim non est locus Aristotelicus, nec spacium Scaligeri & qui illum sequuntur,nec vacuum tale, quale antiqui & recentiores quidam philosophi statuunt in mundo elementari. Rejicimus 1. *Vacuum illud Stoicorum, in cujus medio mundum librari, & quod in scripturis abyssum vocari cum Philone censet* Lipsi. loc. cit. 2. *Locum illum Deo coæternum, quem* Vorstius *illi attribuit* apolog.Exegef.cap. 19. *Quod absurdum vide detectum ab* Eglisemmio Hypocris. 5. pag. 37. VI. *Figuram* esse rotundam probant philosophi ex partibus mundi, tum elementis tum cœlo, & stellis. *Plinius lib.1.c.2.Autor libelli de mundo cap. 2.Aristoteles lib.8.physic., & lib.2.de cœlo c.* 4.ubi addunt & alias rationes *Conimbric.* Confer & *Clavii comment.in Sacroboscо.* Et *Ptolomei lib.1.* μεγαλ.συνταξ.*cap.2.* Ex scriptura recte adfert *Hieronym.in c.3. ad Eph. locum Eccl.1.v.5.6.* Nec prætereunda quæ notat *Danæus, Proverb.8.27. Iesa.40.22.* Breviter, notandum magnis ejus partibus, quæ totum absolvunt, cœlo scilicet & terræ (juxta synechdochem physicæ Mosaicæ

Genes.1.

*Geneſ.*1.1.) rotunditatem adſcribi. Illi quidem *Ieſa.*40.22. ubi חוג הארץ id eſt *globus*, *autſphæra terræ*. Iſti vero *pſ.*77.19.ubi cœlum dicitur גלגל id eſt *ſphæra*, *orbis*, *rota*. *Itaque rationem* non videmus cur aliam figuram ei tribuant *tum* antiqui philoſophi apud *Theodoretum de curat. gr.aff.ſerm.*4. & *Plutarch.de plac.lib.*2.*cap.*2.*Cleomed.de Mundo*; *tum* imprimis patres *Lactant.lib.*3.*c.*23.*Baſil.*& *Ambroſ.Hexam.lib.*1.*Chryſoſtom.homil.* 14. & 17. *in epiſt.ad Hebr.Procopius in c.*1. *Geneſ.*&*Author ſub nomine Iuſtini quæſt.* 130. *ad Orthod.* Quod enim putant repugnare id *Ieſa.*40.22.*Heb.*8.2.*Pſ.*104. 2.*Apocal.*21.16. in ipſa diſputatione diluemus. Interim conſuli poſſunt *commentat.ad loc.cit.*& *Danæus Phyſ.lib.*1.*c.*13. *Lorinus in Eccl.*1.*v.*6.

VII. *Relativæ affectiones* ſunt, *Contiguitas*, adunatio;& connexio mundi partium,cœleſtium ſcil.cum elementaribus,& harum viciſſim interſe. De cõtinuo & cõtiguo philoſophi ad *6.Phyſic.c.*1.*devacuo ad* 4.*c.*7. *Danæus* intervallum continuum à terrâ uſque ad cœlum abſque aëre aut corpore proprio conſtituit.Vide eum *lib.*1.*cap.*38.& *lib.*2.*tract.*2.*cap.*5.6.7.quem ſequitur *Timplerus*. Difficultates, & forte ἄλυτα quædam receptæ Theologorum & Philoſophorum ſententiæ opponunt: ſed eo nondum demonſtrari videtur contraria, aut melior ſubſtitui. Hoc cum certo & evidenter factum fuerit, tum demum ſequendum conſilium *Ariſtotelis Nicomach.lib.*1.*cap.*6. ὅπου φερπμᾶν τὸν ἀλήθειαν. VIII. *Perfectio* mundi eſt totius ratione partium & finis, uti & rerum omnium tum eſſentialis, tum accidentalis. Quam explicatam vide à *Scholaſticis ad Thomam contr.Gentes lib.*1.*c.*85.& 3.*c.*71.& *ad p.*1.*qu.*50.& *qu.*45.*art.* 7. aut à *Conimbric.in* 1.*de cœlo cap.*1. ubi fuse. Hic emergunt ſequentia problemata. 1.*probl.* An mundus ita ſit perfectus, ſeu univerſum tam perfecte ab initio conditum ſit, ut poſtea novæ ſpecies ſtirpium, aut animalium, aut metallorum, aut liquorum, condimentorum, aut medicamentorum, ſive naturali diverſorum animalium aliarumve rerum commixtione, ſive ſolertia & artificio hominum productæ non ſint, & quotidie adhuc produci nõ poſſint? *R. Negantem* docet experentia: Et hanc rectè ſtatuit *Pererius in Geneſ.* 1.*v.* 24. 2.*Probl.* An injurii ſint in ſapientiam creatoris & perfectionem univerſi, qui novas ſpecies in mineralibus, aut vegetabilibus, aut animalibus, per commixtionem & commiſſionem diverſi generis animalium aut ſtirpium, aut per tranſmutationem metallicã procurant? *Reſp.Neg.* ſiquidem ad neceſſitatem humani generis, aut ad honeſtum & licitum aliquem uſum id fiat. Neque enim irritã facit legem univerſi in creatione poſitam; qui actualem eorum productionem procurat, quæ cauſaliter & virtualiter in principio ab ipſo producta intelliguntur. Huc pertinet inoculatio,aliæque inſitionis ſpecies,

item speciei aut generis alicubi deperditi restitutio, ut de apibus narrat *Virgilius Georgic.*4, & multæ operationes chymicę & alchymicæ, productiones mulorum, canum leopardicorum; aliaque artificia magiæ naturalis, per quæ non species; sed aliqua individua specierum (e. gr. flores aut fructus maturiores, pulli gallinarum ex ovis furno impositis, aliaque apud *VVeckerum in secretis*, & *Ioh. Baptistam Portam in Magiâ Naturali*) per applicationem naturalium agentium ad sua passiva producuntur. Hic tamen monemus curiositatem, & τὸ nimium evitandum: ne temere & ambitiose nimis provecti in præcipitia malarum artium incauti incidamus. Confer infra part.7.th.6.

Probl. 3. *An omnes species rerum; etiam bestiæ & herbæ venenatæ, insecta ex putri materia oriri solita e.gr. scarabæi, &c. spinæ, lappæ, tribuli &c. initio sint creata?* Aff. cum distinctione; si non actu saltem causaliter & virtualiter. Vide *Daneum lib.*1.*cap.*42. Et *Pererium ad Genes.*1.11.& 24. Sic tamen ne ea, quæ postea ex putri materia ordinario oriri solent, ex eâdem initio producta dicantur, De quo vide *infra part.*8.*thesi* 1. Non male etiam addit *Pererius loc. cit.* animalia, quæ nõ nisi corruptione aut intemperiè corporis humanioriuntur, eiq; molesta sunt, (ut e.g. vermes intestinales) principio nõ fuisse. Hoc enim repugnaret felicitati status integri. 4.*Probl. An species quædam rerum deperditæ sint, seu desierint esse?* Neg.*cum dist.* ut absolutè, planè, ubique, & semper in toto mundo deperditæ sint, aut desierint esse. De Monocerote, qui nusquam hodie in rerum naturâ reperiri videtur, infra dicemus, *part.* 8. De purpurâ, sale ammoniaco, cassia, murrhino, stacte, bdellio, balsamo, costo, aurichalco, lino asbestino, aliisque quæ *Pancirollus in tract. de antiquè deperditis & novè repertis* (cum *commentar. Henrici Salmuth*) enumerat; dicimus, 1.*Aut* ea absolutè, ubique, & semper ita non esse deperdita, ut planè desierint esse in rerum naturâ; sed tantum frequentiam eorum aut copiam, cessare & esse nobis deperditam, in partibus Europæ, aut Italiæ, ubi autores illi vixerunt. 2.*Aut* vulgarem eorum usum (qui olim obtinere solet) apud nos cessare, vel propter difficultatem ea habendi, & consequenter nimium pretium, vel propter imperitiam ea præparandi & applicandi, vel propter contemtum, quod recentiores longè aliter ac veteres de iis opinentur, nec credant tanti ea esse, sed alia ad manum habeant, quibus minori cum sumptu & faciliori apparatu, & feliciori successu uti possint, 3. *Aut* saltem minus nota ac frequentata esse in toto orbe, ac olim. 4. *Aut* desiisse esse in hâc aut illâ parte orbis, quæ peculiariter illa ferre solebat; non vero in toto orbe. Si enim hic effœta sit terra fertilis; alibi terra sterilis de novo fœcundatur. Nihil aliud velle *Pancirolli histo-*

rias

rias deperditorum, ipse satis innuit, *cap.* 1. ubi de purpura disserens exsertè fatetur *species rerum non interire.* 5. Denique si quid aliud deperditum proferatur, dici forte posset illud esse artificiale non naturale; & consequenter ad historiam de Rerum inventoribus referendum. 6. *Aut* nunquam fuisse in rerum natura; sed ad mythologiam mirabilium & naturalem referendum: quo Pliniana non pauca pertinent, de Arismapis, cynocephalis &c. 1x. *Pulcritudo*, ex bonitate & perfectione deducitur, vid. *comment. ad Ps.* 8. & 104. *v.* 2. x. Dependentia harmonia & coordinatio ejus tam in existentia quam operatione potest considerari vel relate ad aliquid extra se; vel ratione partium ejus inter se. Illa nulla est: libratur enim (ita cũ Stoicis loquar) & pendet, seu potius subsistit mundus, & terra in medio mundi, per virtutem à Deo creatore inditam, in seipso; Deo immediate eum gestante *Heb.* 1. 3. ita ut nullis aliis fundamentis aut radicibus indigeat, Quod ex *Ps.* 104. 5. & *Iob.* 26. 7. egregiè colligit doctiss. Fullerus Miscell. l. 1. c. 15. *Atque eodem mihi semper pertinere visa est vox* בלימה *apud Iobum. Quam Iudæi præsertim recentiores, compositam esse existimarunt ex* בלי *particula negativa, &* מח *significante* Quid *seu* Aliquid: *Quibus astipulantur reliqui omnes tam Græci, quam Latini,* οὐδὲν, *&*, Nihilum, *interpretati. Cæterum quum rara admodum sit hujusmodi compositio apud Hebræos, & ab ipso Themate* בלם *facillima sit deductio, consentaneum sane est, ut hanc potius amplectamur. Liquet enim* בלם *Hebræis Syrisque significare* φιμοῦν, ἄγξαι, *id est,* arcte constringere, *suffocantis videlicet in morem. Hinc secundum formam* אכילח *sit nomen* בלימה, *quod denotet veluti* ἀγκτῆρα *seu fibulam, aut vinculum illud validissimum, quo undique constricta tenetur Terra, ne loco suo moveri queat ullam in partem. At quid hoc aliud est, quamvis illa* ἑδραιότητος καὶ ἀκινησίας *divinitus insita, & per totum Telluris globũ disseminata. Id vero eximie, meo sane judicio, comprobat versio Arabica* באסתי צאקהא (i. *in* seu *cum soliditate ipsius*) *quo* מכוניה *supra allatũ Paraphrastes expressit. Neq; enim soliditatẽ aut firmitatem modo significat: sed etiam primo ac proprie vim quandã astrictoriã, qua factum est, ut firmitatem illam seu stabilitatẽ nanciscatur. q. d. Super firmitatem suã multiplicem ex ingenita stabiliendi & ad unum locum valentissimè sese astringendi facultate procreatam. Atque hæc firmatrix (ut ita loquar) virtus, quum ex essentiali terrestris Orbis forma emanet, haud temere eundem super seipsum fundatum esse ait Euthymius, aut, si editionem Etonensem sequemur, Chrysostomus, vel potius Theodoretus.* αὐτὴν γὰρ ἐφ' ἑαυτὴν ἑδράσαι δέδωκεν ἀντῇ τὸ ἀκίνητον Deus enim terræ super seipsam stabilitæ, vim illam Immobilitatis indidit. Et paulo post: *Adeoque apud Prophetam de re clavis confixa, ne locum usquam mutet, dicitur* לא־מוט, *q. d. id, eo fieri, ne dimoveatur. Clavorum porro instar in Terræ sphæra sunt* המכנות *seu bases illæ, nimirum multiplex*

 illa

illa, quæ in ea ubique viget, virtus בולטת *vel* ἐφεκτικὴ *motus omnis: unde evenit, ut superioribus corporibus universis varia, admiranda, jugi celeritate circumrotatis, ipsa perpetuo eodem loci consistat, & tanquam centrum motus expers, in Mundi medio quiescat. Iesa.*41.7 .Et hoc quidem contra varias antiquorum opiniones observandum. Ista est partium inter se: sic imprimis dependent subluniaria à cœlestibus, & illa rursum à se invicē. Nā cœlestia ab inferioribus aut nutriri, aut sustētari, aut moveri, nondum nobis factum fuit verisimile. Quod autem Hermetici, aliiq; usque ad superstitionem, harmoniam macrocosmi & microcosmi, & harmoniam mundi invisibilis ac visibilis & rursum visibilis cœlestis seu superioris, & elementaris seu inferioris, adhæc virtutes magneticas, signaturas, astrales, quas vocant, virtutes, nimium extendunt, notavimus *Disp. de Magia*, & disquirit de iis *Sennertus libro cit. c.6.* Quem vide, & *disp. nostras de Magia & superstitione.*

11 XI. *Mutationē* mundo competere indubium est. Sed quēritur an & quomodo sit corruptibilis? Sunt qui plane negāt; Nos sic distinguimus. 1. per peccatum rerum natura non fuit quidem mutata essentialiter, sed tamen accidentaliter, & deterior facta. *Rom.*8.20.21, cum *Genes.*3.17.18. *Deuternom.*28.23. & hæc dicitur corruptio aliqua *Rom.*8.21. Est autem illa, primo, non tam absolute & in se, quam quod ad nos (quomodo e.gr. dicimus solem eclipsare.) Deinde, non in ablatione naturæ alicujus, seu formæ, aut potentiæ primæ, aut etiam secundæ: sed in impedimento & obice ei posito, circa potentiam secundam, & potentiæ illius executiones. Et sic intelligendum illud *Deuter.*28. & *Amos* 4.7. Hinc & mundi naturæque rerum mutatio, quæ in cœlo & terra temporibus Messiæ futura dicitur *Hagg.*2. *vers.*7.8. & *Ezechielis* 47.12. *Isaiæ* 11.6. allegorice accipienda est: ut commētatores ibidem docent; quin & saniores ex Rabbinis agnoscunt. Sic enim Maymonides in Iad. Chasaca cap. ult: *Ne subeat cogitatio animum, diebus Messiæ quidpiam in mundi gubernatione effecturum, aut aliquid novi fore* (במעשה ברשית) *in operibus creationis* (כמנהגו הולך עולם אלא) *sed mundus secundum ductum, ordinem & rationem suam vadens (hoc est, eadem ratione gubernabitur). Et hoc quod dicitur in Iesaia, & commorabitur lupus cum agno &c.* (משל וחידה) *allegoria & ænigma est.* In Codice Thalmudico *de sabbatho* in Gemara, R. Samuel dixisse fertur. *Nihil est (seu non est differentia) inter* עולם הזה (*hoc sæculum*) *& dies Messiæ, nisi quod subjuganda sunt regna.* Corruptionem mundi per peccatum introductam describit apostolus *Rom.* 8. per *vanitatem* & *servitutem corruptionis.* Vanitatem illam in explicatione *Rom.* 8. puto concipi posse tum passivam (ita loquar) tum activam. *Passiva* est duplex, *Una* quod patitur abusum sui ab hominibus peccatoribus, qui utuntur

immo

immo abutuntur creaturis in ignomiam creatoris. *Altera*, quod reflexivè & analogicè suo modo etiam ferat miserias & pœnas peccati. De pœnis irrationalium quomodo illæ intelligendæ, aliquid diximus in *disp. de Iure & justitia Dei. Activa* vanitas & scrivitus est, tum negativa tum positiva. *Negativa* rursum duplex, *Una* quod non tam perfecte inserviat usibus humanis, ac quidem inserviisset in statu integritatis Vide *Genes.* 3. 17 18. *Altera*, quod ratione corruptæ opinionis ac cupiditatis humanæ non præstet illud bonum, illamque ἀυτάρκειαν, quam homo in ejus usu frustra quærit. Est enim defectus quidam omnibus rebus præsertim sublunaribus adhærens & inhærens, ut iis animus humanus satiari, impleri, & quietari non possit, sed potius quo pluribus fruitur, eo magis artetur, torqueatur, & exinaniatur, donec in solo Deo figatur eique uniatur. Quod Ecclesiastes per inductionem probat. *Positiva* vanitas est, quod creaturæ hominem multis modis vexent, oppugnent, illique noceant. Solurit, venena exstinguunt, aqua suffocat, Aër inficit, animalia discerpunt & devorant &c. *Conjectar.* Rejicimus 1. eorum sententiam, qui hinc creaturas aliquas malas concludunt: contra 1 *Tim.* 3. 4. coll. cum *Genes.* 1. *v. ult.* Nihil quamvis noxium aut venenatum physicè, universaliter & absolute malum; quamvis particulariter homini, aut huic illive creaturæ (e.gr. lupus ovi) malum sit. 2. Opinionem *Frischlini in libello spharico*, quam tangit *Casmannus lib.* 1. *astrolog. c.* 11. quæ calorem solis non naturæ ejus primigeniæ sed peccato hominis adscribit. 11. A prima creatione aut ab ingressu peccati usque in hunc diem etiam ad finem non potest dici mundus senescere, collabi, infirmari, deperdere quid vel quod ad materiam, vel quod ad species, aut vires rerum natutales, si universim scil. & in specie considerentur: Quod imprimis de cœlo & stellis intelligi volumus; *Psal.* 72. 5. 6. *Genes.* 8. 22. contr. opiniones antiquorum & recentiorum apud *Lipsi. de Constantia lib.* 1. *cap.* 16. *Solem illum vides? deficit. Lunam? laborat & tabescit. Sidera? labuntur & cadunt. Et ut velet aut excuset hæc ingenium humanum, evenêre tamen in cælesti illo corpore & evenient, quæ Mathematicis legem omnem frangant & mentem. Cometas omitto, varia forma, vario situ, & motu: quos omnes ab aëre & in illo esse, haud facile imponat mihi Lycæum: sed ecce nuper negotium Astrologis fecere novi quidam motus deprehensi, & novæ stellæ. Sidus exortum hoc ipso anno; cujus incrementa clarè observata, vidimusque (difficulter creditum) in cælo ipso nasci aliquid posse, & mori. Quin Varro ecce apud Augustinum clamat & adserit*, stellam Veneris quam Plautus Vesperuginem, Homerus ἑωσφόρον appellat, colorem mutasse, magnitudinem, figuram, cursum. Sunt & alii ex veteribus, qui mundi senectutem deprehendisse sibi visi sunt. Inter quos

Cyprianus serm. de Mortalitate. *Mundus ecce nutat & labitur, & ruinam sui non tam senectute rerum, sed fine testatur.* Et Sidonius Apollinaris epistol. lib. 8. ep. 6. *Namque virtutes artium istarum sæculis potius priscis seculorum rector ingenuit quæ per ætatem mundum jam senescentis, lassatis veluti seminibus emedullatæ, parum aliquid hoc tempore in quibuscunque, atque id in paucis mirandum, ac memorabile ostentant.* *Melanthon in physicis* statuit solem esse viciniorem terræ, quam tempore Ptolomæi fuerat milliaribus Germanicis 9900. unde mundi senectutem & ruinam in deterius concludit *Deum enim solem versus terram retraxisse quia natura effœta egeat majori calore & fomento.* Et cum Melanthone *Daniel Tossanus lib. 1. de Senectute cap. 4.* Et sic fere *Aretius tom. 2. probl. 1. tit. de Vanitate.* Copernicus & ex illo Stesserus computat milliaria 2666. *Origanus in prognos. ad annum* 1604. disputans de solis eccentricitate, concedit esse mutatam, sed non tantum, quantum Copernicus statuit. Sed observationem hanc astronomorum, & sententiam de mutata solis eccentricitate alii philosophi rejiciunt: inter quos Iul. Cæsar Scalig. Exercit. 99. *Quæ vero nonnulli prodere ausi sunt: Solis corpus longe propius nos esse, quam quantum ab antiquis scriptum sit: ita ut in ipsa deferentis corpulentia locum mutasse videatur: vel ipsa scripta spongiis, vel ipsi autores scuticis sunt castigandi. Quæ vero de umbris horariis circumferuntur, eadem ratione falsa sunt.* Pro priori tamen sententia stare videtur *Ottho Casmannus lib. 1. astrolog. cap. 9.* Vbi ad probationem adducit 1. *fabulosas* (ut nos arbitramur) narrationes Ægyptorum, de cursu syderum quater mutato ex *Pomponio Mela*; & Mexicanorum de sole quater exstincto & quater nato, ex *historiis Mexicanis. 2. historias* de portentis circa stellam Veneris, quæ colorem, magnitudinem, cursum, figuram mutaverit; & circa solem qui anno 790. obtenebratus fuerit, & radios suos 17. diebus nõ dederit (teste *Paulo Diacono*;) & Iustiniani tempore, aëre sereno tam exiliter luxerit, ut lunæ splendorem vix superaverit. Vnde concludit, rarefactionem illis temporibus passum solem, & sic lucem fuisse exiliorem; postea tamen flammam suam & anthraca rursum densasse; & consequenter *solem, stellas, cœlestia reliqua & passa esse, & pati posse alterationem, ortum, interitum ex naturali causa & divina conditoris voluntate.* Addit etiam mutationes circa solem tempore Iosuæ, Hiskiæ, passionis Christi. Sed observationes illæ dici possunt, Aut fallaces fuisse. 2. aut male expositæ & acceptæ; quomodo idiotæ stellas, quas vident, cadentes & paraselenas, parelios, circulos circum lunam imperitè affectiones cœli interpretantur. 3. Aut saltem responderi potest portentosa aut miraculosa illa in ipsis cœlestibus corporibus si acciderint, non debere adferri ad infringendas stabiles & ordinarias naturæ leges.

4. Quod

4. Quod ad effœtas & debilitatas, terrarum, aquarum, planetarum, animalium, hominum vires: dicimus id non fieri secundum totum & per totum mundum omnesque ejus partes pariter & successive: sed secundum locorum & temporum variationes ac vicissitudinis; hic enim aut nunc decrescunt vires, alibi aut alias accrescunt. Nos ergo distinctione illa modo adhibita tutissimo de mundi tum elementaris tum cœlestis mutatione philosophari quem posse putamus. Si quis per partes & sigillatim de his differere velit, is conferat *Iohannis Ionstoni Poloni diatriben de Naturæ Constantia*, in qua distincte probat ista quatuor. 1. Mundum ratione sui totius non labi perpetuo in deterius. 2. Non ratione cœli. 3. Non ratione elementorum. 4. Non ratione mixtorum tam inanimatorum, quam animatorum irrationalium. 5. Non ratione hominis: quam postremam propositionem, in multas partes secuit & prosecutus est à *p.* 40. *usque* 182. hoc est, usque ad finem. Citat ibidem ejusdem argumenti *tract. Anglice* Georgii *Hacwilli theologi.* 111. Instauratio & restitutio mundi in statum perfectiorem *Actor.* 3. 21. cum *Rom.* 8. 21. & 2 *Petr.* 3. 13. non fiet sine corruptione saltem accidentali per ignem 2 *Petr.* 3. De quo proprie agendum *cap. de fine mundi.* Videant interim de hac mundi Instauratione *Aretiū prob. tit. de Vanitate & de fine mundi & VVilleti comment. in Rom.* 8., & Wendelini contempl. phys. sect. 2. Sed ab utraque mutatione & vanitatis & expurgationis per ignem excipimus cœlum beatorum, quo referimus 2 *Cor.* 5. 1. 2. 3. coll. cum *Heb.* 12. 27. 28. & 11. *v.* 19. & 2 *Cor.* 4. 18.

DE CREATIONE.

PARS TERTIA,

Resp. LUBERTO SPRUITIO Vltrajectin.

Ad diem 21. *Septemb.* 1638.

Creaturæ per species singulas consideratæ dividi solent apud Physicos, aut secundum species corporis naturalis, quod est simplex & mixtum &c. aut secundum partes mundi, quæ sunt continentes & contentæ, cœlestes & elementares &c. Nos iis in præsentiarum omissis sequemur divisionem per opera creationis sex dierum Theologis & chronologis omnibus frequentatam; & nonnulla circa mundi systema ex physica Mosaica more & methodo theologorum explicabimus. Illam enim

velle

enim velle in dubium vocare, & ad absurdum redigere eorum est, qui insanientem sapientiam suam spiritui S. submittere detrectant, & sibi aliisque viam ad Libertinismum aut atheismũ sternunt: dum systema mundi à Mose descriptũ ipsis non absimile videtur fabulis & absurdis Mahumedicis de terra fundata in cornu bovis (in lib. Sunna) de sole *cum occidit, demergente se in fontem aquæ fervẽtis* (Alcor. cap. de Antro) *Objectiones & exceptiones contra sacram hanc physicam, quæ adferri solent, tam subtiles non sunt, ut dissolvi nequeant. Vti inter alios ostendit* Franciscus Iunius contra 22. argumenta Simplicii, & hodiernorum antinomorum, ad finem explicationis trium priorum capp. Genes.: *cum quo conferendus* Scipio Claromontius de Vniverso, *aliique philosophi infra citandi, qui Anti-Mosaica recentium systemata sibi obtrudi non patiuntur.*

OPera primi diei, quo primitus constituta est rerum natura, ut dextrè percipiamus, dividimus ea in visibilia, & invisibilia. Sunt enim tum creata totus mundus invisibilis; & partes continentes ac materia totius mundi visibilis. Mundi invisibilis seu intelligibilis pars continens est cœlum beatorum, partes contentæ sunt angeli, ex quibus aliqui à primæ creationis gratia desciverunt & domicilium suum deseruerunt *Iudæ vers. 6.* coll. 2 *Petr. 2.* & *Iohann. 8.* *De Dæmonibus* ex professo egimus, & ex parte *de Angelis bonis.* Descriptionem cœli Empyrei, quia non pauca ibi prolixius disquirenda, peculiari *Disput. de vita æterna* reservamus. Hic sufficerit notasse, Cœlum illud, & angelos primo die fuisse creatos. Rationes sunt 1. quia cœli expresse fit mentio *Genes. 1. v. 1.* à quo excipi cœlum empyreum probari non potest. 2. Quia creationis cœli istius, & angelorum in hexaemero nullibi fit mentio: atqui sex diebus omnia absolvit Deus quæ creata sunt *Genes. 2. v. 1.* cœlum autem illud inter res creatas *Heb. 11. 10.* Ergo. Eadem ratio militat pro creatione angelorum; pro qua etiam adferri potest locus *Iobi. 38. v. 6. 7.* Vti ex eo arguunt angelos tum fuisse Epiphan. tom. 2. lib. 2. hæres. 65. c. Paulum Samosatensem p. 295. *Et quidem quum multa sint sydera, & Sol & Luna in quarta die facta, mare vero & ligna ac fructus antea facta, firmamentumque terræ ac cœli & cum his simul Angeli facti fuerint. Nisi enim unà cum cœlo & terra Angeli quoq; creati essent, non utique dixisset ad Iob, quando genita fuerunt sydera, laudaverunt me omnes Angeli mei voce. Itaque ante Luciferum, quasi diceret, antequam esset quid, & creatum esset. Erat enim semper verbum cum patre, per ipsum enim omnia facta, & sine ipso factum est nihil.*

Porro

Porro dixerit quis, Oſtendiſti angelos fuiſſe ante ſydera, & una cum cœlo & terra hos factos eſſe dixiſti, unde facis demonſtrationem, dic nobis? Nunquid ergo ante cœlum & terram omnino creati ſunt? Nuſquam enim clarè indicat Scriptura tempus creationis Angelorum. Et bene quidem oſtendiſti ipſos fuiſſe ante ſydera, niſi enim fuiſſent, quomodo laudaſſent Deum hymnis, obſyderum creationem? Nos equidem uniuſcujuſque quæſtionis inventionem, non ex propriis ratiocinationibus dicere poſſumus, ſed ex Scripturarum conſequentia. Clarè enim indicat divina Scriptura, quod neque poſt ſydera facti ſunt Angeli, neque ante cœlum & terram, quum „palam intranſmutabile ſit dictum hoc, quod ante cœlum & terram nihil erat ex „creatis. Nam in principio fecit Deus cœlum & terram: ut principium ſit, & ni„hil ex creatis ante hoc ipſum ſit. Vide de hac quæſt. *Zanch. lib. 2. c. 5.* Tranſimus ergo ad alterum opus primi diei mundum ſcil. viſibilem continentem. Quod opus conſiderari poteſtatum ut immediatè, primo, & directè terminat creationem, tum ut mediatè, conſequenter & indirectè. Illud dicitur propriè creatum: & eſt ens completum, & quidem ſola ſubſtantia ſingularis; ut cœlum, & Elementa. Hoc dicitur concreatum. Eſtque vel principium internum creaturæ ſeu ens incompletum, poſſetque dici *increatum* (particula *in* ſumpta non στερητικῶς, ſed ut denotet continentiam) ſeu *præſuppoſitive creatum*: vel ejus affectio ſeu adjunctum, poſſetque dici *ad creatum* ſeu ἑπομένως, id eſt, conſequenter creatum. *Principia* creaturæ corporeæ *metaphyſica* conſiderantur ratione vel productionis vel conſtitutionis, vel operationis. *Illo* modo conſiderata ſunt Materia & forma; *iſto* materia, forma, privatio; *hoc*, natura. Affectio ſeu adjunctum naturæ corporeæ, eſt vel quantitatis, vel qualitatis, vel actionis, vel relationis. De his omnibus breviter videndum, quomodo & qualia illa primo die creata aut concreata ſint.

Directè, primo, & immediatè creata ſunt cœlum & terra, quibus ſy- 2.
nechodiche mundum (continentem ſcil.) cœleſtem & elementarum denotari putamus. In genere ergo de iſtis obſervamus. I. Fuiſſe ſubſtantias corporeas. II. Fuiſſe non tantum corpora continentia, & mera receptacula: ſed & materiam omnium aliorum corporum, quæ ſequentibus diebus ex iis à Deo condita, & in iis collocata, quæ nomine צבא excercitus indigerantur Geneſ. 2. 1. Conſectar. *Itaque Rationem non videmus cur cum* Pareo *commentar. in Geneſ. 1. & volum. diſp. theologic. diſp. 7. & 8.* Keckermanno *ſyſtem. theol. lib. 1. c. 6. §. 11. 12. 13. ſentiendum ſit, omnia opera ſequentium dierum (excepto homine) ex nihilo creata eſſe. Vide* Gen. 1. v. 11. 12. 20. *Quod de elementatis ſaltem contrarium aſtruit: quidquid ſit de cœlo.* III. Fuiſſe ergo δυνάμει & continentia virtuali in illis corporibus primo die creatis, reliqua omnia poſtmodum creanda: atque adeo poſſe dici in

illis paucis omnia vilibilia producta, quippe ex sinu eorum educenda & actu exstitura. IV. Neutiquam tamen actu, formaliter, & directè creatam tunc esse primam (quam vocant) materiam Aristotelis, omni scil. forma denudatam: de qua infra. V. Nec etiam chaos seu confusam omnium naturarum materiam: quæ forma & specie distincta natura nulla fuerit, nec cœlum, nec aqua, nec terra &c. Sed ex qua res illæ demum creatæ & in specie constitutæ fuerint. Quam opinionem amplexi sunt ex patribus & nostris nonnulli, ex Pontificiis plerique. *Augustinus* intelligit per cœlum angelos, per terram materiam primam: *Corn. à Lapide* cum patribus ab ipso citatis per *cœlum*, sedem beatorum: per *terram*, voraginem illam aquarum, quæ cum terra profundum illud usque ad cœlum empyreum implebat, ex quâ postea cœli omnes (excepto empyreo) ut & elementa corporaque ex iis conflata sint condita. Et convenit apprime hæc sententia cum chao Platonico & poëtico Gentilium, ut compendio videre est apud *Danaum de Antiq. mundi p.1.c.3. Eugubin. Cosmopoeia*, & *de petenni philos.l.7.c.9.10.11.* qui videndus: ex quo excerpsit nonnulla *Pererius l.1.in Gen.qu.28.* Nos contra cum iis sentimus, qui ajunt terminum creationis hic fuisse cœlum & elementa, non vero confusum aliquod chaos. Rationes sint istæ. *Primo*, Quia nusquam voces cœli & terræ hoc significant; nec probari potest hoc loco ita exponendas. *Secundo*, tum nusquam in *hexaëmero cap.* 1. mentio fieret creationis cœli & terræ: cum tamen constet ex *cap.1.v.1.2.3.* intra tempus illud creata esse. *Tertio*, quia *Genes.1.2.* Non dicitur terram (hoc est globum terra & aqua constantem juxta phrasin scripturæ *Genes.2.1.4.& 14. 22. Exod.31.17. 2 Reg.19.15. Iesa.51.13.*) demum creatam, sed terram fuisse: & quidem desolatam ac vacuam, hoc enim est tohu vabohu ut *Ierem.4.23.& v.9.* dicitur terram arefactam *apparuisse*, (haud aliter ac factum in diluvio Noachi *Genes.8.3.13.14.*) Quod perspicue explicatur *Psal.104.5.6.7.8. Fundavit terram &c.* Vnde colligimus fuisse revera terram, montes, convalles, spatium terræ æquis congregandis destinatum, ab aquis distincta: quamvis iis circumfusa essent. Quod argumentum recte observat Tertull. adver. Hermog. c. 29. *Videatur*, inquit *non fiat: jam enim facta erat. Quarto*, ex absurdo consequenti: quia tum tollitur creatio ex nihilo: nulla enim pars mundi visibilis, nec continēs nec cōtenta ex nihilo esset creata, sed ex præjacēte illa informi materia. *Quinto*, accedit cōsensus ātiquorum *Tertull.c.Hermog.c.19.& 25.& 26. Athanasii de Incarnat. Lactant: Institut.lib.2. Ambros.hexam.lib.1.c.7. Chrysost. homil.2.in Genes. Theodoret.in Genes.qu.11. Basil. hexēm. homil.2. Damascen. orthod.Fid.lib.2.c.5.* Ex recentioribus, *Piscatoris* qui contrariam sententiam

tiam, quam olim tradiderat, retrectat *quæst. in Genes. 1. qu. 7. Keckermannus lib. 8. systen. theolog. c. 7. Tileni syntagm. tom. 7. disp. 27. Danæi vetustiss. mundi Antiquit. libr. 1. c. 1.* : quamvis aliter loqui videatur in *Physic. Christ.* Imprimis *Pererii* & Cl. præceptoris nostri *D. Gomari, in Disputat. de Creatione*, qui egregie hanc sententiam tuentur; ex quibus rationes modo positas deprompsimus. Rejicimus. Ergo 1. opinionem *Lombardi in 2. dist. 12.* aliorumque Sententiariorum *Bonaventuræ*, *Alberti* &c. Item *Alensis* & *Glossæ*. Quos sequuntur *Abulensis*, & *Catharinus in Genes.* & ex nostris *Zanchius lib. 1. c. 2. &* 3. *Polanus syntagm. lib. 5. cap. 4. Martyr &* Iunius *in Genesin*, *Alstedius in physica Harmonic. c. 1. p. 18.* (ubi disputat ne quidem per cœlum posse intelligi certam aliquam naturam, aut cœlum empyreum) qui *terræ* nomine intelligunt informem materiam, ex qua omnia siut producta. 2. Absurda plane est *Marsili in 2. qu. 8. art. 2.* qui statuit Deum creasse corpora cœlestia, & materiam elementorum sine omni forma substantiali & accidentali: excepta extensione. Cui fere accedit *Gabriel in 2. dist. 12. qu. 1. & 2. 3. Aliqui Rabbinorum* apud *Fagium in collat. var. Interp. V. T. in Genes. & R. Menasse problem. de Creat. Probl. 4.* quorum aliqui per aquas, super quas movebat se Spiritus, intelligunt materiam primam, ex qua omnia creata: alii vero per *tohu* intelligunt materiam per *bohu* formam. 4. *R. Mose ben Maymon*, qui *Moreh Neb. part. 2. cap. 30.* cum quibusdam Doctoribus dicit primo die omnia simul creata cœlum & terram, & quæ iis continentur: juxta *Iesa. 48. 13.* reliquis diebus illa tantum separata fuisse, ita ut particula את v. 1. sit exponenda per עם id est, *cum*: d. q. *cum cœlo & cum terra creavit*, scilicet omnia iis contenta. 5. *Vatabli*, & aliorum, quos notant Iunius & *Zanchius*, qui primo versu tanquam propositione universali summam totius historiæ creationis contineri putant, quæ sequentibus distincte explicetur. 6. *Augustini*, qui quamvis alibi fluctuet, in *Confess. lib. 12. cap. 8. & libr. 1. de Genes. c. Manichæos* (quem sequitur *Eucherius in Genesin*) per cœlum & terram nihil aliud nisi materiam informen intelligunt, idque probant ex *Sapientiæ 11. v. 18.* cum liber sit apocryphus, & verba longè aliam interpretationem patiantur: vide *Lorinum in commentar. 7. Becani*, qui *Theol. Scholast. tom. 1. tract. 3. c. 2. & Cornelii à Lapide* qui in *commentar.* statuunt tria corpora hoc die creata, cœlum empyreum, terram, & aquam: ex qua postea creata sint aër, ignis, & omnes cœli mobiles. 8. *Merceri*, qui negat cœlum empyreum hoc die creatum. Contrarium vide probatum apud *Wiltetum in commentar. in Genesin*, & *Becanum loc. cit. 9 Vatabli*, qui *in notis* suis observat *terram* hic ita vocari per prolepsin, quippe demum tertio die exstituram, quem sequitur *Willetus*.

3. Agendum nunc in ſpecie de cœlo, Elementis, & luce: De cœlo ſint iſta theoremata 1. Cœlum primo die eſt creatum. *Geneſ.* 1. *v.* 1. cum 2. *v.* 1. Adde *Pſal.* 102. 26. 27. cum *Heb.* 1. *v.* 10. ubi illud κατ' ἀρχας indicat in principio cum terra crearetur, etiam cœlum creatum; cœlum ſcil. non empyreum tantum, ſed illud quod mutandum ut *v.* 11. coll. cum 2 *Petr.* 3. 10. Iam vero terra creata fuit primo die. *Rejicimus* opinionem *Becani*, *Corn. à Lapide* & eorum, quos illi ſequuntur, qui ſecundo demum die creatum volunt. 11. An prius ſit creatum terrâ, ſcriptura non determinat. Primo quidem nominatur, ſed *v.* 2. rurſum terra. Itaque quid vetat dicere cum Mercero, eſſe ſimul creata? Tutiſſime tamen ἐποχὴν & docte ignoramus. 111. *Ex nihilo* creatum eſt, non ex chao, aut aqua: contra autores *ſuperiori theſi* citatos. 1v. Conſtat materia & forma, ut omnia corpora naturalia: contra *Averroën*, & Averroiſtas. quorum ſententiam inter recentiores ex profeſſo tuetur Philoſophus *Patavinus Iac. Zabarella tract. de Natura cœli.* Quos refutatos vide apud *Scipionem Claromontium lib.* 1. *de Vniverſo cap.* 7. 8. 9. 10. Huc forte faceret illud apoſtoli 1 *Corinth.* 15. *verſ.* 40. ubi cœleſtia facit corpora: atqui corpus nullum eſt ſine materia. v. *Non eſt* animatum aut rationale: contra antiquos Ægyptios, Græcos, Iudæos, Priſcillianiſtas. Et recentiores nonnullos qui animam illi tribuerunt, quidam intelligentem tantum, alii etiam altricem. Qui intelligentem illi tribuunt, in diverſas ſententias abeunt: quidam enim formam informantem faciunt ipſam intelligentiam; alii animam aliquam infra intelligentiam; eamque aut rationalem, ſed inſtructam ſolum ſuperioribus ſenſibus (ut Academici & ex iis *Simplicius in* 2. *de Cœlo cont.* 3.;) aut ſenſitivam tantum, eamque aut inſtructam tantum ſenſu interiore, imaginatione ſcil. (ut *Avicenna* 9. *Metaphyſ. c.* 2.) aut inſtructam etiam ſenſibus exterioribus, (ut *Ioh. Iacobus Paveſius, diſp.* 5. *Metaphyſ. cap.* 26.;) Alii denique vegativam ei tribuunt, ut Epicurei & Stoici. Vide *Senecam lib.* 2. *natur. quæſt.* Vide *Lactant. lib.* 2. *c.* 6. *Damaſc. de hæreſib. Ciceron. libr.* 2. *de Natura Deorum. Senec. lib.* 2. *qu. natur. c.* 5. *Platon. in Cratylo & Epinom. Laert. in Anaxagora, Plinium* lib. 2. c. 8. Ex Iudæis *Maymon. part.* 2. *c.* 4. cœlo animam, intellectum, appetitum tribuit, ſed diſtinguit animam ejus ab animabus animalium. Confer *Buxd. ſynag. Iud. c.* 17. *p.* 374. Eandem opinionem ex Arabibus Mathumetanis fovent *Avicenna* modo *cit.* & cum illo *Algaſel, Alpharabius, Albumaſar*: nec mirum, cum propheta eorum Muhamed ſoli & lunæ fidem tribuat. Sed mirum eſt ex Chriſtianis *Origenem lib.* 7. περὶ ἀρχῶν & *tom.* 1. *comm. in Iohannem* & *lib.* 5. *c. Celſum*, ſtellas vitii & virtutis capaces ſtatuere, & religioſè Deum adorare, ſic enim ſonant verba ejus *lib.* 5. *contra Celſum*, ubi

ubi disputat stellas non esse adorandas ab hominibus sed homines potius adorandos à stellis : *siquidem*, inquit, *& Cœlestes stellæ sunt animalia rationalia & virtute prædita* (σπουδαῖα) &c. *etenim sensibile ipsorum lumen opus creatoris est: intelligibile autem fortassis & ipsorum* καὶ ἐκ τοῦ ἐν αὐτοῖς ἐξουσίου ἐλήλυθος, id est, *profectum à libero ipsorum arbitrio.* Et paulo post. *Nec ignorantes, quod ipse Sol, Lunæ, stellæque preces offerant Deo rerum omnium Domino, judicamus non opus esse, ut precibus follicitemus eos, qui ipsi precantur, quandoquidem id gratius est eis, si precaturi Deum potius accedamus, quàm se, & preces nostras non dividamus.* Mirum etiam ipsum Augustin. dubitare lib. de doctr. Christ. c. 58. *Vtrum ad eandem societatem* (angelorum scil.) *pertineant sol & luna & cuncta sydera, quamvis nonnullis lucida corpora esse, non cum sensu & intelligentia videantur.* Quamvis *lib. 2. retract. c. 7.* videatur variare, & *lib. 1. cap. 5.* & 11. haut obscurè retractare. Ex Scholasticis, *Thomas*, *Scotus*, *Aureolus*, *Cajetanus* huc videntur inclinare, fatente *Pererio in Genesin l. 2. q. 7.* Et recentioribus *Baranzanus Vranoscop. part. 1. dubit. 4. Paulus Ricius* ex Iudæo conversus Papista-Christianus antiquum errorem de anima cœli revocarunt, edito compendio *de Animâ cœli* : Oppugnavit eum peculiari tract. de *Animatione cœlorum Claudius Espencæus* Theolog. Parisiensis. Eandem sententiam ante eum proscripserant *Scholastici ad 2. dist. 14.* & *Thomas* priorem sententiam corrigens in *1. qu. 70. artic.* ibidemque commentatores : qui consulendi. Et *Pererius in Genes. lib. 1. qu. 7.* Si quis compendio studeat, is adeat *Claromontium lib. 1. de Vniverso cap. 11. 12. 13.* Et *Conimbr. ad 2. de Cœlo c. 1. qu. 1.* Vnde constabit lectori, quam perperam mentem Aristotelis involuerit potius quam explicuerit Iacobus Scheckius in Antisimonio sect. 9. p. 409. *Sed ut intelligas*, inquit, *vera omnia, disertè jam tibi, quæ mea sit sententia, explanare volo. Aristoteles tria hæc, tanquam causas, & principia, tum Substantiæ, cum motus cœlestis, dixit esse, nempe Naturam, seu* φύσιν *Cœli, deinde Animam, tum vero mentem & Intellectum; quibus omnibus, Orbis, & Substantia Cœlestis, ut Animal sempiternum & divinum constituatur, non tanquam loco, aut subjecto separatis, sed omnibus simul concretis & unitis, substantiam, & Animal cœleste ad numerum unum constituentibus.* Ibid. p. 411. sic habet lemma marginale : *Cœli forma, est actus separatus, quia non constituitur à corpore, sed ipse constituit corpus, nec organicis instrumentis movet, sed movet secretissima specie mentis, & appetitu.* VI. Cœlum motu suo nullam edere harmoniam : contra Pythagoram aliosque nonnullos qui suaviludio hoc se oblectant, *jucunda magis quam necessaria subtilitate*, ut loquitur *Plinius lib. 2. c. 22.* Vide *Aristot. 2. de cœlo c. 9.* Nec alieni fuerunt ab hac opinione Doctores quidam Hebræi, quod indicat *Maymonides part. 2. c. 8.* Sed opinio hæc detecta sponte sua concidit. VII. Cœlum sive astra in Cœlo à

forma propria moveri constat ex definitione naturę Aristotelica: Ex *Ps.* 104.19. & 136.8.9. & 19.5.6.7. coll. cum *Genes.* 1.10. discimus hanc esse naturæ legem à Deo ipsis primitus inditam: quid ni ergo motus ille à forma? Est itaque sententia illa Aristotelis de Intelligentiis orbium motricibus plusquam Platonico-poetica & conjecturalis, ab masculæ ipsius philosophiæ genio remotissima: quam tamen ἀδιαστάτως tot sæculis plerique philosophi Christiani secuti sunt, ad 8. *Phys. cap.* 6. & 12. *Metaphys. cap.* 8. & *Theologi Scholastici ad* 2. *dist.* 14. & *ad Thom. in* 1 *qu.* 110. Quibus adde Arabes, & Iudæos. Quin & *Thom. de potentia qu.* 6. *art.* 3. ait sententiam hanc esse fidei. Ex recentioribus *Conimbr. ad* 2. *de Cœlo cap.* 5. *quæst.* 5. eam operosè tuentur. *Zwarez Metaphys. disp.* 35. *sect.* 1. tantum recipit *Aristotelis* discursum tanquam probabilem. *Eustachius à S. Paulo in summa Philosoph. part.* 3. *pag.* 89. & *Baranzanus Uranoscop. pag.* 1. *quæst.* 7. *dub.* 1. Et *in opinionibus novis diglad.* 12. *thes.* 2. eam oppugnant. Hac ergo assertione eversa aut incerta, de nihilo sunt quæstiones sequentes. 1. An Deus immediatè moveat primum mobile. 2. An unicus sit angelus cœli motor vel plures. 3. Cujus ordinis & hierarchiæ sint motores illi. 4. An rotent cœlos per solum intellectum & voluntatem. 5. An moveant imprimendo impulsum & liberè. 6. An orbes inferiores moveantur ab ortu in occasum à duplici intelligentia; à propria scil. & à motrice primi mobilis: cujus opinionis *qu. cit. dub.* 2. *membro* 3 *meminit Baranzanus.* 7. An primum movens moveat cœlum tantum ut finis amatus. 8. An intelligentia motrix possit esse forma vera dans esse cœlo. De quibus omnibus otiosè disquirunt *Scholast. ad loca cit.* & ex recentioribus *Iavellus ad* 12. *Met. q.* 15.16.17. *Baranzan.* & *Conimb. l. c.* VIII. Cœlum non esse mutationi substantiali, ut & alterationi ita obnoxium ac sublunaria docet experientia, & scriptura *Ps.* 72.5.17. *Iob.* 14.7. Quo tamen non determinamus illam quæstionem, an quid novi in eo oriri possit. Hanc enim quia non determinat scriptura philosophis ventilendam relinquimus una cum sequentibus: An cœli materia differat specie à materia sublunarium. An cœli figura sit rotunda: An dentur plures distincti orbes & quot: An materiæ orbium, inter se, & stellæ ab orbibus suis forma & specie differant: An cœli quantitas ejusdem rationis sit cum quantitate sublunari: An in iis revera sit raritas & densitas, item gravitas & levitas: An sint fluidæ, an vero solidæ substantiæ. *Quis* sit ordo cœlestium sphærarum: An quælibet sphæra planetarum componatur ex orbibus eccentricis: An dentur epicycli, &c. Fatemur à Scholasticis, & recentioribus Ptolemaicis ac Peripateticis, *Clavio, in comment. ad Sacrob. Baranzano in Uranascopica, Keckerm. in phys. Casmanno in Astrolog.*

Pererio

Pererio lib. 2. in Geneſ. qu. 3.4. pro determinatione theſium quarundam loca ſcripturę citari : ſed aliquid certi inde concludi poſſe de quibuſdam certum eſt, de aliis dubium, de aliis non ita liquidum ; ſiquidem accurate ex originalibus examinentur. De cœlorum compacta & ſolida ſubſtantia deque etymo vocis hebr. רָקִיעַ ejuſque tranſlatione per στερέωμα multa erudite congerit *Fallerus lib. 1. miſcellan. theolog. c. 6.* cum quo confer *Druſium ad loca diffic. Pentateuchi cap* 5. Quomodo cœlum tanquam Deum coluerint Gentiles & cur, fuſe explicat Voſſius lib. 2. de Idololatr. c. 37. 38.

Elementa primo die creata, eaque ſynechdochice nomine terræ contineri ſentimus cum Baſilio hexaëm. Mercero, Pererio, Munſtero ; quamvis hic non ita diſerte loquatur. Acceptionem hanc vocis אֶרֶץ uſitatam oſtendunt loca *Geneſ.* 1. 17. & 2. 1. & 14. 22. *Exod.* 31. 17. &c. Et certe de aqua, quæ unum cum terra globum conſtituit, patet ex v. 2. coll. cum pſ. 104. 6. ubi *abyſſi* (profunditatis ſcil. aquarum) fit mentio, & ſpiritus dicitur motitaſſe ſe ſuper facie *aquarum*. Ignem & aërem nomine terræ comprehendi non inſolens eſſe obſervant *Baſilius Beda, Perer.* quod revera multifariam intra terram etiamnum contineantur ; quod docent ignes, flammæ, aquæ ferventes continuo ex terra erumpuntes, & aër cavernas terræ implens. Diſſentiunt tamen variæ interpretationes ; nam 1. ſunt qui per terram intelligant chaos ſeu materiam communem, ut ſupra notavimus; Quin & *Philaſtrius* hæreſios inſimulat eos qui aliter ſentiunt. Sed hic error eſt *Philaſtrii*, qui cum aliis iſtius generis in ipſo & in aliis hæreſeωn ſcriptoribus notandus; ne ſola fide ipſorum promiſcue hæreſes & hæreticos definiamus. 2. *Alii*, omnia corpora ſublunaria, ut *Vatablus*, & ſi qui ſtatuant hoc primo verſu integram hiſtoriam creationis ſummatim proponi. Quod repugnat ſeriei creationis & Exod. 20. 11. Nam Deus tum primo die nihil in forma & ſpecie ſua creaſſet. 3. *Alii* terram tantum, & aquam ; ut *Becanus, Corn. à Lapide*, aliique ſupra cit. Quam interpretationem, quamvis alio fine, amplectuntur illi qui duo tantum agnoſcunt elementa. 4. *Eugubinus*, quem fere ſequeretur *Lorinus comment. ad Sapient.* 11. *v.* 18. per terram inanem & vaſtam intelligit *nihilum*, de quo poſtea terra & totus mundus factus. Idem forte voluerunt Aquila & Theodotio, cum *tohu vabohu* ille transferret : κένωμα καὶ οὐδέν, hic vero κενὸν καὶ ἀθέν. Sed quomodo dicitur Deus illud nihilum primo die creaſſe ? Porro de elementis (præſuppoſita definitione Ariſtotelica) iſta quæri ſolent. 1. Quot & quæ ſint elementa *Plato in Timæo & apud Macrob. 1. in ſomn. Scip.*; *Stoici apud Stobeum in Eclog. phyſ. Varro apud Auguſtin. de civ. Dei l. 7. c. 6. Ariſtoteles* cum phyſicis, Græcis, Arabibus,

bus, Latinis, etiam Medicis, Aſtronomis, poëtis; adhæc theologis tum patribus, tum Scholaſticis & recentioribus hactenus ſtatuerunt eſſe quatuor: Hebræi eandem viam inſtiterunt ut videre eſt in phyſica *R. Aben Tibbon cap.7.& Maymonidæ Moreh Nebuch.p.2.c.30.* Adeo ut liceat illud *Plinii lib.2.c.5.* hic acclamare. *Nec de elementis video dubitari, quatuor ea eſſe.* Rationes etiã à vulgaribus phyſicis adferuntur ex qualitatibus elemẽtaribus, ex generatione mixti &c. deſumptæ: quas ibi vide. Ex ſcriptura etiã nonnihil adferri poſſet; pro igni quidem paſſim (nã de terra & aqua nemo ambigit) *Exod.35.v.3. Numer.28.24.& 9.15. Pſ.104.4. Rom.12.20. &c.* ubi ſane ſubſtantia aliqua, & ſubjectum (quippe actiones ſunt ſuppoſitorum) tum à qualitatibus calore ſcil. luce, & facultate calefactiva, tum etiam ab alia ſubſtantia, (ut terra, aut mixto corpore) cui συνδυάζῃ, diſtincta, innui videtur. Et certe requirũt facultates atq; actiones ignis quas in mixto deprehendimus, ut aliqua ſubſtantia concipiatur: Si dicas videri non poſſe; nuſquam eſſe niſi in terreſtri ſicco, aut in mixto aliquo: atque adeo aut accidens eſſe, aut nihil quam terram, vel aërem accidentaliter mutatam: reponi poteſt, ſpiritus animales, vitales, naturales in homine eſſe ſubſtantiã, nec tamen videri, nec extra ſanguinem vehiculũ ſuum, aliaſque partes corporis tam ſimilares quam diſſimularis ſubſiſtere poſſe. Quid vetat ergo, attenuatum & ignitum illum, quem vocant, aërem, aut terram in ignem converſam, appellare corpus ſimplex, ſpecifice ab illis diſtinctum, haut aliter ac ſpiritus vitales ſpecifice differunt ab aëre, aut ſanguine, unde tamen generari & cui inſidere dicuntur. De aëre, ut experientiam & rationes philoſophis relinquam, quid vetat exponere *rakiang* expanſum (de quo ad diem tertium) uti ſumitur *Geneſ.* 1.20. Quin & vocabulum שחק *æther Ieſa,45.* *aërem* ſignificat; quomodo etiam Targum ibidem exponit per עננייא id eſt *nubes.* Receptæ huic doctrinę opponunt ſe 1. qui tria tantum ſtatuunt elementa: & igni ſubſtituunt *aut* cœlum (ut *Epicurei*, qui aſtra tantum ignea, & eandem cœli ac ignis putarunt materiam, apud *Lucret. lib.5.* cum quibus fecerunt *Plato in Timæo & Epinomide & apud Plutarch.lib.2.de plac.c.11.1. Plinius l.2.c.5.* Et antiqui philoſophi apud *Ariſtot.lib.1. Meteor. c.3. & Stobeum eclog.lib.1.c.25.*) *aut* lumen ſolis tanquam purum elementum ignis, quod primo die creatum volunt. Sic *R. Menaſſe de Creat.probl.14.* ubi tres adfert rationes. 2. Qui duo tantum agnoſcunt, ut *Daneus phyſ. Chriſt.p.2.tract.1. cap.6.7.8.* ubi diſputat aërem non eſſe corpus, ſed ſpatium illud expanſum à terra ad cœlum, ignem itidem eſſe merum accidens, calorem ſcil. illum lucidum primo die creatum; uti de eodem *Damaſcen. lib.2.c.7. Daneum* ſequitur *Timplerus* in ſua phyſica. Polanus itidem per

lucem

lucem illam intelligit ignem : quamvis velit esse elementum, atque adeo corpus simplex proprie dictum. 3. Qui quamvis nomine tenus recipiant, re tamen plane negant omnia elementa,(ut recentiores Hermetici) dum alia elementa faciunt invisibilia, quæ tanquam anima sint visibilium elementorum, in quibus rerum semina lateant, quæ certis temporum periodis in generationem progrediantur : dum etiam tria alia principia nostris quatuor elementis priora faciunt, scil. salem, sulphur, & Mercurium ; quam sententiam cum historia creationis (*Genes.* 1.*v.*1.2.3. & *Hebr.* 11.3.) quomodo conciliaturi sint non video. In terra quidem elementata, hoc est sale Paracelsi, quatuor elementa ut in proprio suo domicilio sedem habere atque mansionem (ut explicat *Dorneus in Physica ex Genesi desumpta p.*53.) non negamus : sed non videmus quomodo hinc sequatur, illa tria aut ante elementa esse creata, aut simul in & cum ipsis elementis tanquam principia concreata ? Hæc elementa exposita invenies apud *Petrum Severinum* in Medicina philosophica, & post illum *Osvaldum Crollium* in Chymica Basilica, præfat.monitor.p.40. *Nam sancta Triunitas, per suum Triunum prolatum verbum* fiat, *omnia creavit* Triuna, *analysi Spagyrica teste* : *Deus per verbum* Fiat *produxit materiam primam, quæ ratione trium Principiorum contentorum primo triplex est, & postea hæ tres species separatæ sunt in quatuor diversa corpora seu Elementa, non aliter ac si peritus artifex è Plumbo faciat Minium, Cerussam, Vitrum & Spiritum Saturni. Ita Mundus cum omnib.creatis corporibus nihil aliud est quam fumus coagulatus, è tribus substantiis, ut è Sulphure, Sale, Mercurio* : Et paulo post p.41. *Quartum elementum addere solent*, quod spititum vocant (*Spiritus domini super aquas*, ut habet ibid. lemma marginale) *qui quamvis è mineralibus & vegetabilibus haberi possit, tamen in animalibus propter subtilitatem artificis actionibus non subjicitur, nec capi potest : sic sulphur igni, sal terræ, Mercurius aquæ, Spiritus aëri responderet. Et p.*44.*Nostra visibilia Elementa sunt aliorum saltem corpora & domicilia, & vim illorum impediunt & remorantur. Omnia enim, quæ visibili corpore copulata sunt, suffocant & frangunt vim, potentiam, & operationem interni Spiritus. Terra est duplex, Externa visibilis, Interna innuisibilis. Externa non est Elementum, sed est corpus Elementi, & est Sulphur, Mercurius, Sal. Elementum autem Terra est vita & spiritus, in quo Astra Terræ jacent, quæ per corpus Terræ, producunt omnia crescentia* : Et p.45. *Aqua etiam duplex est, Corpus videlicet, quod est* Mercurius, *Sulphur, & Sal: Elementum autem est vita & spiritus in quo Astra Aquæ continentur, quæ instar matris è sua abysso proferunt omnia mineralia, salia, metalla, lapides, gemistas, arenas, & omnes Aquæ fructus, qui tamen è Terra effodiuntur.* Addit ibidem in lemmate marginali : *Tanta elementi aquæ potestas, ut ne spiritualis regeneratio fiat sine aqua,*

ſicut Chriſtus ad Nicodemum dicit. Paracelſica hæc anti-elementa excuſſa vide apud *Sennertum* libri ſæpe laudati *cap.* 1. Et in Hypomnem. phyſic. *hypom.* 1. *c.* 2. *&* 3. ubi de Mixtione. Elementa Ariſtotelicam & doctrinam de Generatione defendit etiam *Libavius in quæſtionibus phyſicis* inter Rameos & Peripateticos controverſis contra *Iacobum Martinum Scotum.* 4. Qui contra Ariſtotelicos negant elementum ignis, ſub concavo lunæ, ut *Valla, Cardanus, plerique ſectatores Rami*, &c. Hujus problematis examen philoſophis committimus: *vid. Conimbric. ad* 3. *de cœlo cap.* 5. *quæſt.* 1. *Scaligerum Exercitat.* 9. alioſque vulgares phyſicos, & *Cirvellum, ac Clavium*, qui pro Aſtronomis eandem cauſam agunt ad Sacroboſci c. 1. *Claramontius lib.* 11. *de Vniverſo cap.* 8. *& c. & lib.* 2. *c.* 1. eandem ſed ut probabilem defendit. *Voſſius lib.* 2. *de Idololatria c.* 83. putat ipſum Ariſtotelem talem ignem non agnoviſſe ſed tantum exhalationem ſiccam & calidam *lib.* 1. *Meterologic. c.* 7. ita ut dictus ille ignis nihil aliud ſit, quam *aër fervens ex calidarum exhalationum mixtura.* Forte loca Ariſtotelis quæ ignem propè cœlum collocare videntur, ſic exponi poſſent, ut dicatur ex ſententia veterum intellexiſſe per ignem ſuperiorem corpus cœleſte, non vero elementare; quod ignem ſtatuebant. Plin. lib. 2. cap. 5. Alios autores citatos vide apud *Lipſium lib.* 2. *phyſiol. Stoicæ diſſert.* 12. 11. Quæritur de ordine & ſitu elementorum, in hoc univerſo. De terra & aqua, quod unum conficiant globum conſtat ex opere tertii diei: quodque loco ſint infimo infra aërem & quidquid eſt cœleſtium corporum, quæ ſupra aërem (inter quæ & numeratur Sol *Pſ.* 19). Quomodo autem ſyſtema mundi *à Keplero Epitom. Aſtronomic. lib.* 4. *p.* 438. delineatum, cum his conveniat, nemo hactenus nos docuit. Tres ait eſſe mundi partes & regiones præcipuas trium SS. Trinitatis perſonarum ſymbola, centrum ſcil. patris, ſuperficiem filii, & intermedium ſpir. ſ. Solem è numero ſtellarum exemptum (quâ ſcripturâ, an *Geneſ.* 1. & *Pſalm.* 8.) collocat in mundi centro: ſphæram fixarum in ſuperficie, planetarum denique ſyſtema in regione inter ſolem & fixas intermedia. Terram vero planetariæ regioni ſeu mundo mobili accenſet: Quippe quæ non ſit pars mundi primaria. Quo ſtylo? an ſcripturæ *Geneſ.* 2. 1. & 14. 22. &c. Sed de his videant artifices. Theſin primariam, cui hanc hypotheſin ſubſtruit, de *rotatione terræ, ac ſolis quiete*, alibi pro modulo oppugnavimus. 111. An inter ſe mutentur elementa, fiatque revera generatio & mixtio, ut & mixtorum per corruptionem, in eadem reſolutio: præclare docent philoſophi: qui etiam contra impugnationes adverſariorum tantum defendunt, quantum in iſta mentis noſtræ caligine poſſet ſufficere, ſi non evidenti ſcientiæ, ſaltem doctæ ignorantiæ. *Vid.*

Senn.

Senn.loc.cit.& Conimb.ad 2.de Gener.& corrupt.c.4.8.9. Sed de hoc infra. IV. Quæ præterea à philosophis definiri solent de dignitate elementorum: de rotunda singulorum figura: de majori quantitate superiorum: de gravitate & levitate, de qualitatibus eorum primariis & symbolicis &c. improbare nolumus: cum scripturis saltem non repugnent, si exserte illis non contineantur: quin & doctissimi Theologi ea attigerint: & mentes nostras honesta contemplationis voluptate perfundant. V. Quandoquidem de aëre ad diem 2. de aqua & terra ad diem 3. speciatim nobis agendum: tantum de igni, hac occasione Theolog. studiosis ex sacris literis ista consideranda proponimus. Admirandorum ignium fit mentio, *in rubo Exodi.3.in columna Ex.*13.21.& 14.24. in monte Sinai *Exod.* 19.16. in eversione Sodomæ *Gen.*19. devorantis holocaustum *Lev.*9.24. Et Nadab & Abiu *Lev.*40.2.& Korah, *Num.*16. sacrificium Salomonis 2.*Paral.*7.1. & Eliæ 1 *Reg.*18.38. descendentis, & devorantis milites *Achabi* 2 *Reg.*1.10.12. In curru Eliæ 2 *Reg.*2.11.in apparitione illa 2 *Reg.* 6.17. In fornace Babylonico *Daniel.*3. in miraculis Antichristi, *Apoc.* 13.13. in fine mundi 2.*Pet.*3.7.cum 2 *Thess.* 1.8. in inferno *Marc.* 9. de quo igni alibi ex professo agendum. De prodigiis & portentis per ignem, *Actor.* 2.19. deque variis naturæ miraculis, ut & incendiis, conflagrationibus, vivicomburiis, de ignibus subterraneis deque montibus ignivomis Historici & Thaumatographi naturales consulendi. De postremis nos, infra aliqua notamus part. 6. Naturalis hujus elementi vehementia ex *Proverb.*30.17. ejusque varius in vita communi, religione, artificiis usus, & abusus ex aliis scripturæ dictis diligenti lectori facile constabit. Quæ observationes ad multa spiritualia analogice explicanda non parum conferent. Speciminis causa annotavit nonnulla *Polanus lib.5.Syntagm.cap.*16. Necessitas, efficacia, & usus ignis quantus sit, vel inde liquet, quod in Deum evectus sit apud Gentiles *Lipsius lib.* 2. *physiol. diss.*12. Vide quamplurima de cultu Ignis collecta apud *Iul. Cæsar. Bulengerium lib.* 1. *eclogar. ad Arnobium cap.*5.& 6.; post quem itidem plurima collegit *Gerh.Ioh.Vossius lib.*2.*de Idololatria cap.*64. 65. 66. Inter problemata à philosophis agitari solita, est illud non ignobile: An animalia aliqua in igni vivant, aut ex igni generentur. Pro Neg. parte videtur facere quod in historia creationis, aquæ & terræ fœcunda animalium productio tribuatur, nulla igni. Præterea allegatur & experientia communis, & consensus sapientum cum *Aristot.lib.*2.*Generat.animal.cap.* 3.& *lib.de generat.& corrupt.tex.*21.& *lib.*4.*Meteor.c.*1.; & ratio, quia animal nullum subsistere potest sine tactu; atqui ille cum consistat in temperatione primarum qualitatum, ab exuperante quacunque qualitate

(præsertim calore) ilico corrumpitur ac dissolvitur. Sic *Pererius lib. 1. in Genesin ad cap. 1. v. 24.* Quæ ex *Plinio lib. 10. c. 67.* & *lib. 11. c. 36.* ubi de pyraustis & *Aristotele lib. 5. de histor. animal cap. 19.* præsertim de salamandra adferri solent, ea inter fabulas numerant nonnulli: & contrarium de Salamandra ex propria experientia, refellit ad *Dioscoridis lib. c. 65. Mathiolus in commentar.* adducitur & *Galenus lib. 3. de Temperamentis.* Contra tamen cum & pro Aristotele ac Plinio nituntur *Albertus Magnus, Cardanus, Scaliger, Georgius Agricola, Mercurialis, Licetus,* & cum iis *Nierenbergius lib. 4. histor. Natur. c. 17. 18.* ubi ex professo Aristotelis sententiam tuetur, & ipsius ἐναντιοφανῆ conciliat hac distinctione, quod nascantur animalia seu generentur in medio igne non vero ex igne. Quod idem sentiunt Cardanus, Mercurialis, Licetus, & post omnes illos Sennertus *Hypomnem. 5. c. 8. p. 420.* Ex igni tamen generari sentiunt Seneca, Agricola, Scaliger Exercit. 23. Idem velle videtur *Plinius lib. 11. c. 36. Gignit aliqua & contrarium naturæ elementum: siquidem in Cypri æreariis fornacibus &c.* De Salmandra in igne vivente ibid. Nierenbergius cap. 19. distinguit, quod exiguos ignes aut cute aut æmulo rigore ad tempus retundat tantum, aut etiam refuso humore exstinguat, sed à magnis ignibus vincatur. In utraque hujus viri distinctione acquiescendum puto. Atque hæc quidem subsistentia hoc die creata. De quibus dicendum est, quod directè, propriè, & immediatè ex nihilo sint creata, non vero ex ulla præexistente materia sive æterna, sive ante mundi & temporis initium producta. Et huc facere putamus loca *Hebr. 11. 3. Rom. 4. 17.* Et historiam creationis *Genes. 1. v. 1.* ubi nullius materiæ fit mentio. Cum quo conferri potest *2 Corinth. 4. v. 6.* ubi lux primo die una cum cœlo & terra producta, dicitur ex tenebris splenduisse; hoc est, tanquam à termino, seu non luce, non vero tanquam è materia. Quod idem pariter intelligendum de cœlo & terra. Fide ergo tenetur, & ratione defenditur creatio ex nihilo. De quo videndi *Tertullian. c. Hermogenem Euseb. lib. 7. præpar. Euang. c. 8.* &c. inter recentiores Pererius *disp. philosoph. lib. 5.*

5. In alio creata sunt vel seorsim in substantiis producta, vel una cum illis. Istius generis tantum est lux; cujus oppositum sunt tenebræ. De luce quæritur. 1. An proprie fuerit lux? Aff. contra illos, qui dicunt, fuisse elementum ignis, ut Polanus supra cit. *aut* solem, ut R. Menasse loc. cit., aut calorem lucidum, ut Daneus jam cit. Refutantur ex textu *v. 2. 3.* coll. cum *2 Corinth. 4.* cujus privatio ei opposita sunt tenebræ, illud nihil aliud est quam lux. Adhæc luminaria quarto die creata *v. 14. 15.* non possunt intelligi sub nomine lucis primo die creatæ. Rejicimus imprimis opinionem *Augustini de Genes. ad liter. lib. 1. cap. 3. & 11. de civit. Dei c. 9. Eu-*

c.9. Eucherii in Geneſ. & Ruperti Tuitenſis lib.1. de operibus Trinit. cap. 10. qui putant lucem hanc fuiſſe ſpiritualem, confirmationem ſcilicet angelorum in gratia & conſequenter diviſionem lucis à tenebris fuiſſe ſeparationem angelorum bonorum & malorum. Vide hoc refutatum à *Magiſtro.2.diſt. & ſententiariis, Pererio lib.1. in Geneſ. ad cap.1.v.3. Zanchio part.2.lib.1.c.2.* imprimis *Becano Theol.Schol.tract.cit.c.*3.11. Fueritne ſubſtantia an accidens productum in ſubſtantia? Poſt aff. nec rationibus multis hic opus eſt: peti poſſunt ex doctrina Metaph. de *ſubſtantia & accidente*; ut & phyſica *de luce. Vide Schol. ad 1.q.67.ar.2.& 3.* Rejicimus 1. *eos* qui volunt fuiſſe ſolem, aut elementum ignis, ut *Damaſc.lib.2.de Fide c.* 7. aliique jam citati. 2. qui putant productam eſſe, & exſtitiſſe qualitatem ſine ſubjecto: quam opinionem *Corn.à Lapide* tribuit Baſilio homil. 6. Theodoreto, Nazianzeno orat. in dominic. (quam vere, nunc non inquiro) & inde concludit: *Quod nota contra hæreticos, qui negant in euchariſtia accidentia ſine ſubjecto poſſe exiſtere.* 111. Ex nihilo an ex materia fuerit creata? Zanchius loc.c. vult ex materia (chao ſc.) quia dixit Deus, *ſit lux*, nempe ex materia, quod confirmat ex 2 *Cor.4.v.6. de tenebris juſſit lucem* &c. hoc eſt de chao. Sed rationes hæ minus firmæ. De quæſtione ipſa non ita laboramus, quamvis malimus credere ex nihilo qualitatem illam corpori alicui tanquam ſubjecto ſuper additam, quomodo Deus gratiam ſeu dona ſpiritus, (quę merę qualitates) in mentem & voluntatem ex nihilo creãdo introducit. 1v. Fueritne cœleſtis an elementaris; hoc eſt unde ſplenduerit & cui proprio ſubjecto lux illa inhęſerit; ſeu quod ac quale fuerit corpus lucidum. Qui elementarem faciunt in duas abeunt ſententias. 1. *Sunt* qui ſtatuunt ortam ex elemento ignis ſua in ſede collocato, atque ita ſparſam per aërem: *ſic Iunius ad Geneſ.1.v.3.* Idem fere ſenſit *Hugo annot.in Geneſ.6. Nyſſenus homil. ſuper hexaëmer.* Sed ignis ille (qui ponitur ſub concavo lunæ) propter nimiam ſubtilitatem ſuam non illuminat, impurior autem ille qui erat in terra, non potuit illuminare totum illud ſpatium, imprimis cum terra & reliquis adjunctis elementis concluderetur: Vide hanc opinionem refutatam à *Zanchio loc.cit. Pererio p.90. Fullero Miſcellan.lib.1.c.12. Becano Theol.Scholaſt.loc.cit.* 2. *Alii*, fuiſſe nebeculam lucidam primo die creatam, quæ ſuo motu circulari ab oriente in occidentem, diem & noctem cõfecit; ita ut fuerit imperfectus quaſi ſol, ſeu materia & embryo ſolis, quia poſtea ex ea ſol formatus ſit: Sic *Zanchius*; & cum eo *Fullerus loc. cit. Cornelius à Lapide*; & ante eos *Beda, Hugo de S. Victore, Magiſter 2.diſt.14. & ibid. Bonaventura*, aliique ſententiarii, Lyranus, Toſtatus. *Beccanus* loc. citato hanc opinionem non improbat: ſed in genere vocat corpus lucidum;

quod quarto die fuerit resolutum in aquam, aut mutatum fuerit in solem. Quam opinionem *Thomas* 1.*q*.67.*art*.4.*ad* 2. oppugnat. 3. *Alii*, fuisse immediatè à Deo productam in aqua, tanquam in subjecto. Sic Becanus ibid. Autores, qui cœlestem faciunt, & in corpore cœlesti subjectatam, in duas discedunt opiniones. 1. Quidam censent lucem solis fuisse perfectam, æquè ac nunc est: sic Catharinus, qui excipit quarto die stellas fixas esse creatas, planetas autem primo die creatos (inter eos solem) per modum recupitulationis ibi commemorari. Refutant eum Pererius, Zanchius, Becanus loc. cit. 2. *Alii* fuisse imperfectam & quasi informem: quia sol tantum habebat motum primi mobilis, & eo ferebatur ab oriente in occidentem ad discernendum diem & noctem: sed quarto die datus est illi motus proprius ab occidente in orientem, atque ita accessit illi nova perfectio ad efficienda diversa anni tempora, dies & noctes inæquales, præbenda signa & præsagia tempestatum &c. Ita ut quarto die demum creatus dici debeat, non quod ad substantiam (sic enim primo die creatus) sed quod ad perfectiones illas. *Sic Th*. 1. *qu*. 67. *art*.4. & *Valentia ibid*. *Carthusian*. *in Genes*. 1. imprimis acriter hoc tuetur *Pererius p*.96.97.98. Sed hæc opinio non convenit cum historia Mosis: quod etiam notat Becanus. Nobis in re tam controversa tutissimum semper visum fuit, statuere hanc lucem in toto cœlo stellato fuisse productam & disparsam: quarto autem die in creatas stellas (quæ Aristoteli partes densiores cœli) contractam: quomodo aquæ primum disparsæ, in mare & voragines collectæ sunt. Observo nunc in *Zanchio*, *cap*.2.*p*.314. nonnullos affine quid huic sententiæ habuisse, dicentes subjectum lucis (seu potius luminis) fuisse totam ultimam sphæram ipsius chaûs: adeo ut absque motu circulari conficeret sui expansione diem, & sui contractione noctem. De contractione illa *Damascenus*, *lib*. 2. *orthod*. *Fidei c*. 7. ἐν μὲν οὖν ταῖς τεισὶν ἡμέραις ἀναχεομένου καὶ συστελλομένου τοῦ φωτὸς τῷ θείῳ προστάγματι, ἥτε ἡμέρα καὶ ἡ νὺξ ἐγένετο. *In tribus igitur diebus refuso & contracto lumine, divino præcepto, dies & nox fiebant*. Et *Basilius homil*. 2. *hexaëm*. ferè sub finem: νῦν μὲν λοιπὸν &c. *Nunc quidem deinceps post solis generationem, dies est aër ipse, à sole in hemisphærio supra terram lucente illuminatus: & nox terræ umbra, occultato sole succedens. Tunc autem non secundum motum solarem, sed diffusa primogenita luce illa, & rursus contracta, juxta præfinitam à Deo mensuram, dies fiebat, & nox contra accedebat*. Vbi similiter dicitur τὸ φῶς ἀναχεόμενον καὶ συστελλόμενον, κατὰ τὸ θεῖον μέτρον παρὰ θεοῦ. Idem Basilius, Theodoretus, & recentiores quidam apud Becanum affirmant, Deum absque ullo subjecto produxisse lucem immediatè, eamque diffudisse à certa parte spatii per integrum hemisphærium, eo modo quo nunc à sole diffunditu

ditur: ita ut cœperit successivè discurrere ab Oriente ad Occidentem & 24. horis suum cursum absolverit in eo autem ab illis dissentio, quod lumen non tantum statuo, sed & lucem propriè sic dictam, ejusque subjectum non tantum corpus luminis susceptivum (puta, aquam aut chaos) sed quod haberet vim producendi extra se lumen, (cœlum scil.) sicut sol & astra faciunt, quamvis minori gradu: quia vires unitæ sunt fortiores. v. An lux cœlestis quæ nunc est, differat specie ab illa primigenia? Neg. & satis patet ex dictis. vi. An lux illa cœperit diffundi à puncto Orientis, an verò à puncto meridiei, an ab aliquo alio frustra quæri arbitror: & temere à Beda, Cajetano, Molina &c. determinari. Nam quod designant terram Canaan (cujus respectu volunt Mosem dierum & noctium terminos descripsisse) atque adeo in puncto orientis, respectu terræ illius, post 12. horas à creato mundo lucem illam productam ajunt, id eadem facilitate rejici potest, quâ adfertur. Videat, cui vacat, *Molinam ad 1.qu.67.& Becanum loc.cit.*

Consectar. *Lucem illam fuisse absque omni subjecto, ut quidem prætextu autoritatis Basilii, Theodoreti, Nazianzeni velint A Lapide modo cit.& Becanus: non tantum improbamus cum Augustino, Thoma 1.q.68.art.2. Pererio p.95.quod miraculum non sit concedendum in opere sex dierum; sed quod implicet contradictionem ut accidens sit sine subjecto, atque adeo ne per miraculum quidem sit possibile.*

Atque hæc de luce primigenia. De luce in genere forte aliquid dicetur ad diem quartum. Opponuntur luci huic tenebræ, ex quibus lucem splenduisse docet apostolus 2 *Corinth.*4.6. Non multis quærendum est iis, qui philosophiam degustarunt, quid sint tenebræ. Maymonides per *Genes.* 1. 2. intelligit ignem elementarem (quod ridicule probat ex *Deuternom.* 5.23.cum *Iobi.* 20. 26.) qui scil. lucem non præbet, quamvis sit pellucidus. Basilius homil. 2. dicit has tenebras esse umbram cœlorum. Putat enim ut & Theodoretus, tenebras illas exortas à cœlo corpore opaco interjecto inter terram, & lucem inaccessibilem in qua versabantur angeli, quamque Deus ante hunc mundum visibilem fecerat. Similia fere Bedam depromere in Hexaëm., eaque testimonio Petri (referente Clemente Romano) confirmare, fatetur Pererius ad Genes. 1. v. 2. sed non absque rubore. *Sed de primis*, inquit, *mundi tenebris memorabile est ac verè paradoxum, quod Basilius & Theodoretus* &c. & paulo post: *Sed profecto, si quod verba istorum in specie præ se ferunt, hoc ipsi senserunt, & significare voluerunt, difficile est eorum opinionem approbare.* Vt vel hinc videas, quam tutum perfugium à scriptura ad traditionem, & patres ac semi-patres, seu quasi-patres, patrum scilicet discipulos, & omnes intermediæ ætatis 6.

scripto-

scriptores. Quod si demonstrationibus philosophicis, renuntiandum censet Basilius, multo magis ejusmodi conjecturis & figmentis quæ & sine scriptura, & sine ratione immo sine minima rationis umbra adferuntur: τὸ γε ἁπλοῦν τῆς πίστεως, ἰσχυρότερον ἔστω τῶν λογικῶν ἀποδείξεων. *Simplicitas fidei fortior sit rationalibus demonstrationibus.*

7. Concreata eodem temporis momento cum suis quæque substantiis completis, hoc est cum cœlo & elementis, & quidem tanquam partes in & cum toto, & tanquam principia & cum principiatis sunt vel Metaphysice ac logice considerata vel physicè. *Illa* sunt genera, differentię, species. *Differentiæ* desumptæ à forma essentiali, non aliter conproductæ intelliguntur quam formæ, quatenus scilicet absolute & in se sunt constitutivæ: quatenus vero divisivæ, creari dicendæ sunt consequenter seu per resultantiam. *Differentias* vero desumptas ab accidentibus propriis eodem modo in se & ratione subjecti sui creatas intelligimus, quo ipsa accidentia ἀνυπερθέτως vero alteri subjecto (à quo distinguunt) per consequentiam. *Quod* ad *universalia*, genera scil. & species, illa concreata dicimus in tantum, quantum sunt citra mentis nostræ operationem. Neque enim plus aut minus terminare possunt concreationem. Et sic intelligendum est: qnod vulgo dicunt: *Deum per creationem protulisse omnes rerum species.* In individuis scil., quia terminabatur primo & directe ad individua: est enim actionis omnis terminus singulare quid. Conferenda quæ hodierni philosophi *contra Platonem*, *reales*, *nominales* disputant de universalibus: inter alios *Ruvius*, *Zwarez*, *Conimbric.* *Partes* compositi seu principia physicè considerata in ordine ad constitutionem dicuntur *principia*, in ordine ad operationem *natura*, & sunt materia & forma, quibus non malè additur privatio, tanquam principium per accidens, ad transmutationem requisitum. *Naturam*, ut eam vulgo ex Aristotele describunt, philosophiæ sacræ non repugnare, quin potius cum ea satis convenire colligimus ex Genes. 1. 11. 12. 25. Vnde φύσις Rabbinic. & Arabic. טבע 1. natura à rad. biblica טבע *immersus*, *infixus*, *impressus fuit*, quod sit cuilibet rei impressa & insita. Apostolus Iacobus omnibus animalibus tribuit naturam cap. 3. 7. Quidni ergo dicamus naturas primas, hoc est, materiam & formam, per quas singula composita, & compositorum affectiones ac facultates dicuntur naturæ, initio à Deo esse compositis suis increatas & concreatas. Porro de principiis in genere & in specie utiliter multa à philosophis disquiruntur, quæ Theologi fastidire non debent. Nos quia egregiè illa explicata, & libri quotidie in manibus habentur, ab illis studio nunc abstinebimus: quamvis Theologi nostri *Zanchius*, *Daneus*, *Polanus* &c. exemplo Scholasticorum non veteantur

reantur ex professo de illis differere. Suffecerit ergo hoc spicilegium nunc exhibere. 1. An detur materia prima Aristotelica; eaque à Deo sit creata? Aff. Et in rectam rationem, ac doctrinam de creatione peccant declamationes Rami in scholis physicis, & Hermeticorum apud *Sennertum cap.* 7. quibus materiam hanc concreatam negant. Vt Aristotelicorum rationes nunc non repetam, hæc objectionibus eorum opponenda. 1. formæ rerum, centrum terræ, animæ essentia &c. sensibus non percipiuntur, & tamen sunt aliquid creatum, neque hoc negant adversarii. 2. Quantitas corporum, & consequenter lineæ, superficies, puncta, tempus, numerus, non existunt seorsim absque substantiis suis, nec seorsim sine illis sunt creata: nemo tamen negat ea esse producta. Idem de coëxistentia solis & lucis dicendum quæ simul tempore creata, & tamen entitates eorum distinctæ sunt, & alterum altero prius est instanti naturæ. Similiter cogitandum de materia prima. 3. Cum Deus creavit composita naturalia, an non creavit partes & principia eorum, quæ entitatibus suis distincta sunt, quamvis ne ad momentum quidem separata & seorsim exstiterint? Iam vero materia ut absque hac forma (puta aquę) sub qua nunc existit, concipitur, & entitas ejus à forma à quæ distinguitur: ita non minus absque omni quacunque forma concipi & ab ea distingui debet. 4. Creatio hæc materiæ proprie vocatur creatio incompleta. Videatur ex recentioribus Aristotelicis *Antonius Ruvius in 1. physic. tract. 1. de Forma q. 1. p. 105.* Sicuti etiam essentia, & existentia materiæ, ant formæ, & corporis aut animæ in Socrate vivente est incompleta. Qua distinctione posita, concidunt exceptiones illæ, quas ex Rameis declamationibus contra Aristotelem adoptant illi, qui dicunt materiam primam potius esse ab operatione mentis, quam à veritate existentiæ, & abstractive potius considerati, quam talem esse aut existere: & de principiis rerum considerandum prout sunt, non prout considerari possunt. Norunt philosophi per abstractionem præcisivam ut realiter distincta concipi multa, quæ tamen in existētia separata nō sunt, aut separatim nō existunt. Sic anima, & corpus in Socrate sunt duo realiter distincta entia (sed incompleta), & tanquam distincta concipiuntur: quamvis corpus ejus non existat nisi cum anima. Sic materia prima non existit nisi sub forma aliqua, & tamen essentia ejus incompleta distincta est ab essentia incompleta formæ, & distincte ab eâ considerari debet ac potest. 11. An materia hæc sit una specie & numero. R. Aff. saltem de sublunari: sic tamen ut sicut essentia ejus, sic & unitas incompleta & partialis, intelligatur. Habet autem unitatem illam non tantum negative, sed & positive ab intrinseca sua ratione: quam unitatem distingue ab extrinseca seu

accidentali, quam habet à forma à compoſito. Vide *Scholaſt. ad 1. qu. 16. ar. 7. & qu. 69. art. 2.* III. An tam perfecta ſit hæc unitas numerica, ut nihil ab initio uſque ad finem mundi materiæ deceſſerit. *Aff.* quia alioquin daretur annihilatio in rerum natura, quod negavimus *Diſp. 1.* IV. An cœlum & terra initio creata (ſiquidem concedantur fuiſſe informis maſſa ſeu chaos) fuerint materia prima Ariſtotelica? *Reſp. Neg.* neque enim eſt directe creata ſed increata ſeu concreata in cõpoſitis; nec vel ad momentum exſtitit (addunt Thomiſtę, nec exiſtere potuit per abſolutam Dei potentiam) ſine aliqua forma. *Contra Marſilium & Gabrielem ſupra cit.* Et Argentinatem qui *in 2. diſt. 12. qu. unica* diſputat eam prius extitiſſe ſine forma, duratione temporis imaginabili. V. An exſtiterit in materia initio creata forma quędam univerſalis ſine qualitatibus & proprietatibus, ut vult *Nyſſenus in Hexaem.*; aut forma corporeitatis, ut Abulenſis. *R. Neg.* VI. An materia prima fuerit maſſa illa, pro qua prolixe diſputat *Baranzanus, in opin. novis, diglad. 2. 4. R. Neg.* VII. An forma ſit accidentale quid, & an tota eſſentia rei, ac conſequenter ſola pars eſſentialis compoſiti. *Neg.* utrumq; cum omnibus ſanioribus philoſophis. *vid. Zwar. Conimbric.* Ruvium; & confer infra appendicem quartam. Hinc pendent quæſtiones. Quid ſit anima? Et an corpus hominis ſit pars ipſius eſſentialis; de quibus ad diem ſextum. VIII. Quæ ſit origo formarum materalium? *Reſp. 1.* ſunt qui dicunt eas actu præexiſtere, *ſive*, in formis indiviſibilibus, atomis ſcil., ut Anaxagoras, Leucippus, Epicurei, & moderni quidam: quos refutant philoſophi *ad 2. & 6. Phyſic.* imprimis Ruvius tract. quem comment. *ad lib. 6. phyſicor.* inſerit, de Compoſitione continui. Et *Pererius diſput. phyloſophic. lib. 6.* Et *Libertus Froymundus tract. pecul., de compoſitione continui. Sive*, quod actu ſint in materia, priuſquam generentur, nec tamen appareant, idque *aut* perfecte, ut illi apud *Thomam in 1. q. 45. ar. 8. aut* ſecundum eſſe actuale imperfectum, & quandam inchoationem, ut illi apud Durandum in 2. diſt. 18. qu. 2. aut ſecundum aliquam ſui partem. Ad extremam hanc ſententiam referri poteſt opinio Sennerti *de Chymicorum cum Ariſtot. & Galenicis conſ. cap. 9. & in tract. cui tit. Hypomemata phyſica*, ubi ex profeſſo hanc opinionem tuetur. Quem, examinant Freitagius Medecinæ in Acad. Groningana Profeſſor *lib. de paradox. & error. novæ ſectæ Sennerta-Paracelſ.* Et Ioh. Gallego de la Serna in Iuventa de Naturali animarum origine adverſus Sennertum. Confer infra part. 10. probl. ult. 2. *Altera extrema* opinio eſt eorum qui dicunt nec actu nec potentia formam præexiſtere in materia, ſed tantum in virtute & potentia primi agentis à quo producuntur, quãvis ab agente particulari uniantur materiæ, ita ut per creationem producantur,

cantur, haut aliter ac formæ immateriales. Et hæc est sententia Avicennę, nec displicet hodiernis quibusdam philosophis & Theologis. 3. *Tertia & media sententia* est Scholasticor. *ad 1. qu. 45. art. 8. & qu. 90. art. 2.* atque adeo omnium peripateticorum, qui statuunt educi eas è potentia materiæ. Eductionem autem illam volunt duo includere. Quod forma scil. fiat in actu; & quod dependeat tam in esse quam in fieri à materia. Cui sententiæ cum melius aut explicatius nihil hactenus aut additum, aut substitutum viderimus, cumque nec rationi naturali, nec ordini & naturæ à Deo ad generationem physicam constitutæ, ut quidem ex scriptura cognosci potest, repugnet; æquum est, ut ei acquiescamus potius quam cum Scepticis propter arcana & ἄλυτα quæ in natura imprimis in productione formarum, nos adhuc latent, etiam omnia fere quæ sciri possunt explodamus: quo, fit ut nonnunquam ipsa physica sacræ scripturæ in nonnullis indirectè & per consequentiam oppugnetur, dum sola Peripatetica & recepta scholarum philosophia peti videtur. Confer *infra part. 6. & append. 4.*

DE CREATIONE.

PARS QUARTA,

Resp. LUBERTO SPRUITIO Vltrajectin.

Ad diem 29. Septemb. 1638.

Explicabimus nunc I. *paralipomena quædam primi diei.* II. *Opera diei secundi & tertii.*

VIII. AN formæ cœlorum, & elementorum in prima creatione dici possint productæ de potentia materiæ? *Resp. Aff.* recentiores *Scholastici ad 1. qu. 45. art.* & cum iis recentiores nonnulli *ad 1. Phys.* Alii negant, saltem de cœlo, cum quibus facit. *Zwarez Metaph. disp. 15. sect. 3.* qui tamen ibidem excogitat conciliationem. Si per *eductionem* significetur positiva ratio illius actionis, per quam fit forma dependenter à materia & in fieri & esse, conceditur: Sin vero nomine eductionis præter dictam rationem positivam & realem connotetur negatio, vel extrinseca denominatio, quod scil. cum illa actione non producatur simul subjectum (quamvis per aliam actionem creetur) Negatur. Iam enim non dicitur eductio sed concreatio. *Baranzanus diglad. 5. theor. 5. con-*

tra recentiores defendit formam materialem posse solam creari independenter à materia, rationem hanc adfert, quia habet suam entitatem (partialem scil. & incompletam) realiter distinctam à materia, potest terminare actionem distinctam ab actione tendente ad materiam. Qui affirmantem sequuntur varios excogitarunt modos, rem hanc explicandi. Nos cum *Ruvio ad* 1. *Physic. tract.* 2. *qu.* 2. distinguimus actionem illam in principio specialiter tendentem ad formam, & à generatione & à creatione illi tum conjuncta, immo eam præcedente ordine seu instanti naturæ non verò temporis. *A creatione* illa (propriè concreatione seu creatione completa) distinguitur specie, tum quia termini ad quos, sunt formaliter distincti: tum quia modi istarum actionum sunt formaliter diversi & oppositi, cum materia sit ex nihilo, & forma ex præsuppositio subjecto. Quamvis utraque fuerit conjuncta, & eodem temporis instanti. A *generatione* Physica distinguitur; quia hæc eductio formæ è materia immediate conjuncta est cum productione materiæ ex nihilo, & eodē temporis instanti cum materia producta est forma, & materiæ unita, & compositum constitutum: ita ut productio substantialis e.gr. terræ, realiter eadem sit actio cum eductione formæ ejus, & cum unitione. Sed contra in generatione, *primo* requiritur non materia tantum sed totum, & mutatio totius in totum, juxta Philosophum *lib.* 1. *de Generat. c.* 4. Ita ut generatio unius sit corruptio alterius. *Deinde* debet præcedere actualis privatio formæ, & sic materia moveri à privatione ad formam. Ita ut omne quod fit, debeat ex privatione sui fieri, & non ex pura negatione. *Denique* necessariæ sunt dispositiones antecedentes ad expulsionem contrariarum ex subjecto. Sed quæritur an tum sit creatio ex nihilo quam disput. 1. diximus primam & propriè dictam. Resp. Quidni? manet enim generalis ratio *creationis* ut sic; hoc est productionis ex nihilo, & æqualiter prædicatur de angelis, anima hominis, terra, aqua &c. quamvis rationes particulares differant. Angelus ex nihilo est per unicam actionem creationis totalem & completam tanquam terminus ejus completus & adæquatus. Anima hominis ex nihilo, per creationem incompletam & partialem, tanquam natura incompleta & partialis. Terra aut aqua (ex sententia aliorum, corpus illud informe primo creatum ex nihilo) non sunt per unicam actionem creationis totalem tanquam completus, & primarius terminus ejus. Et ratio est, quia præcipua pars ejus forma scil. materialis debuit ut esse, sic & produci dependenter à materia. Qua tamen distinctione non obstante, in generali ratione creationis ex nihilo, corporea cum angelis, & anima conveniunt. Est enim 1. ex nihilo creata, seu concreata eorum materia, quæ tanquam terminus partialis & incompletus

completus terminat actionem illam incompletam. (Nam productio ex nihilo præcipuè & ut sic excludit omnem dependentiam à materia & subjecto) 2. Forma sic educta est, ut jam diximus. 1x. An forma semel facta in hac materia possit conservari sine illa, aut informare aliam seu plura subjecta. *Adhæc* an plures formæ non subordinatæ, aut duæ ejusdem speciei possint actuare eandem materiam, &c. Resp. Aff. *Zwarez, Disp. cit. Baranzan. diglad. 5. theor. 7. 8.* ut labyrintho contradictionum missaticarum succurrant. Nos dicimus, quidquid explicent & incrustent, implicari contradictionem: ultima enim analysis est in *est, & non est*: quia prædicata essentialia & tota definitio formæ (saltem materialis) de forma negatur. Confer *disp. de potentia Dei.* Reliquas quæstiones de formis, quamvis non inutiles philosophis discutiendas relinquimus: quales sunt: An forma & materia habeant propriam subsistentiam; In quo consistat ratio principiandi compositum physicum; An forma sit divisibilis; Quomodo differant productio formæ, unio ejus cum materia, & totum compositum; An partes essentiales differant à toto; An accidentia subjectentur in forma, an in toto composito &c. X. De privatione tum in genere seu Metaphysice, tum in specie seu physice, ut est principium, multa scitu dignissima hic exhiberi possent, si ratio instituti nostri id permitteret. Vtiles saltem hæc speculatio ad distinctam & pleniorem cognitionem peccati, mortis & corporalis & spiritualis, desertionis spiritualis, indurationis & excœcationis spiritualis, pœnæ infernalis, aliorumque Theologiæ capitum, nec non ad explicationem scripturarum quæ metaphoris umbræ, tenebrarum, noctis, somni &c. utuntur. Suffecerit nunc notasse: Esse privationes non tantum substantiarum, & accidentium absolutorum, sed & relationum, ut *divortium*, cœlibatus, tyrannis, eique opposita Anarchia: immo & privationum, ut ἀνοησία, quæ est somni, & devirginatio quæ est virginitatis: Quod posterius in controversiis Pontificiis usum habere infra forte dicetur. Sed his nunc missis unicum problema proponimus. An *tohu vahobu* sit principium rerum naturalium ab Aristotele explicatum; ut volunt nonnnulli interpretes. *Resp. Neg.* nam non notat privationem substantialem seu formæ introducendæ in materiam (quæ Aristotelicum principium) sed tantum accidentis & adjuncti externi: erat enim terra vacua tum ab omnibus adjunctis externis, hoc est mixtis illis, quæ tertio die creata, tum ab accidentibus internis sive in se, sive ratione operationum suarum; quia impedita erat ab aquis: haut aliter ac tempore diluvii totaliter, & nunquam non alicubi partialiter impeditur per impositam illam vanitatem *Genes.* 3. cum *Rom.* 8. de qua supra quid notatum *part.* 2.

Atque hactenus de indirectis operibus primi diei incomplete creatis, Sequuntur nunc quæ ad secundum essentiæ momentum, & adjuncta vulgo referunt; quæ proprie dicuntur concreata. Sunt autem illa *partim* accidentia & modi interni ut quantitas & qualitas; *partim* externa *tum absoluta*, ut Actiones & passiones, tum relata. Præsupponimus hic ex philosophia, accidentia omnia, ut & modos tam puros quam entitativos, tam absolutos quam respectivos esse, aliquid & per consequens à Deo conproducta; adhæc, accidens non esse, nec posse esse sine substantia sua contra *Conimbricenses in* 1. *de Gener. & corrupt. c.* 4. *&* Zwarez *disp. metaphys.*

Confer *disp. de potentia Dei.* Primo ergo agemus de quantitate, & melioris doctrinæ causa distribuimus eam in interminatam (quæ materię primæ tribuitur) & terminatam. Hæc rursum dicitur vel absolute, vel comparativè. Illo modo dicta est vel continua vel discreta. Continua est vel *impropria* ac transcendentalis, quam vocant *intensivam* quæ tum perfectionis, tum virtutis seu vigoris: vel propria, *extensiva* scil. Quam rursum dividimus in permanentem 1. in *magnitudinem* scil. longam latam; profundam; quo referimus *locum* seu spatium: item *pondus*: 2. *in successivam*, , quæ est *tempus*. Quantitas discreta est numerus: cujus Affectiones Metaphysicus, species & numerationes Mathematicus considerat. Quantitas *comparative* dicta est, magnum, parvum, longum, breve, latum, angustum, altum, humile, seu inferum & superum; intervallum, propinquum, distans; situatio, commensuratio, & similes denominationes ex quantitate resultantes. Post habitis egregiis philosophorum speculationibus, ista nunc notamus tanquam θεολογικώτερα. 1. Quantitatis, ejusque specierum, affectionum & terminorum ita in scriptura mentionem fieri, ut inde saltem facile sit colligere, non esse mera teretismata, & imaginationis humanæ chimæras. Vide *Ephes.* 3. 18. *Iesa.* 40. 12. *ps.* 19. 5. 6. 7. *Proverb.* 8. 27. & ibi commentar. Corn. à Lapide. Confer *Pererii disp. philos. de rerum Naturalium principiis & affectionibus l.* 10. *c.* 3. 4. 5. 6. 11. Admirandam esse providentiam divinam, quæ hactenus humano ingenio crucem fixisse videtur circa minutias illas figurarum & quantitatum; ita ut inveniri non potuerit quadratura circuli, & demonstratio ex actæ proportionis diametri ad peripheriam. Historiam hujus labyrinthi & errantium Mathematicorum breviter attingit *Salmuthus ad Pancirolli part.* 2. *tit.* 10. ubi & alii autores citantur. Esse autem possibilem quadraturam circuli (quamvis nonnulli recentiores: inter quos *Alstedius Geometr. part.* 1. *c.* 8. id negent) probat *Pererius lib.* 10. *c.* 19. 20. Tandem eam inventam esse à suo *Clavio* innuere videntur alicubi *Conimbricenses in comment. ad libros Physicor.* ni fallor: locus nunc non ita occurrit.

Ante

Ante complures annos me legisse, tamen memini. Sed in geometrarum Areopago nondum in rem judicatam id transiisse arbitror. III. Quantitatem magnitudinis seu extẽsionis esse, si non modum intrinsecum corporis, atque adeo realiter ab illo non distinctum (ut voluerunt *Aureolus*, *Occam*, *Gabriel*, *Major*, *Alb. de Saxonia*) saltem esse primum ejus πῶθος: Itaq; nullum corpus posse esse sine sua quãtitate & vice versa; & consequenter nullum esse in pluribus locis nec plura in uno loco, ita ut detur penetratio dimensionum: contra Pontificios, de quo mox dicendum. III. Quantitatis per se nullam esse efficaciam, numeri scil., magnitudinis, loci, temporis: quo posito cadere necesse est multas superstitiones, de quibus Disp. de *Magia*, & de *Superstitione*. IV. Omnem quantitatem corporis esse finitam, actu scil.: cui non repugnat potentia infinitum in quantitate discreta per genesin, & in quantitate continua per analysin seu divisionem. *Rejicimus opinionem eorum qui statuunt Deum posse facere aliquod actu infinitum*; quales præter Arabas nonnullos, ex Scholasticis *Occam* & *Almain. in 2. dist. 13.* Item *Gregorius*, *Aliacensis*, cum recentioribus quibusdam. Vide *comentat. ad Thom. 1. qu. 7. ar. 4. Sententiarios ad 1. dist. 43. Philosophos ad 3. Physic.*

De *loco* mundi in genere antea diximus. Distinguendum est spatium 3.
imaginarium à spatio physico realiter existente. Et rursus extensio & terminatio, finitudo corporis intrinseca, item inde resultans locabilitas & commensurabilitas ad spatium quodcunq; seu locum externum, ab actuali locatione, coextensione, commensuratione, continentia, præsentia: & utraque rursus â loco ambiente, aut sustinente. Vitilitigationibus & logomachiis circa terminos istos nonnulli tenebras doctrinæ de quantitate, loco, finitudine corporis Christi offundere conantur. Nos breviter ista notamus 1. Omnia creata sunt in sua finitudine, spatio, & ubi; corporea etiam in finitudine seu terminis quantitatis suæ in se: quod ex recentioribus *Keckermannus in system. physico & disp. physicis*, & *libello de loco* appellavit locationẽ & locum internum, ut adversariorum strophas tãto melius detegeret, nihil novi commentus est: cum saltem res ipsa extra controversiam sit, & distinctio loci in internum & externum, ne ipsis quidem Iesuitis *Zwarezio* & *Toleto* displicuerit; & ex Toleto eam defenderit *Baranzan. disp. 8. q. 5. dub. 5.* præterquã quod *Nicephorus Blemmidas Græcus in physica sua* ante 300. & amplius annos conscripta hãc exserte adhibuerit. De quo pluribus in *disp. de Potentia Dei*. Antagonistę Keckerm. *Hokerus*, *Iacobus Martinus* tract. peculiari; *Slekerus* in refut. phys. Keckerm. ex philosophematis Aristotelicis male intellectis meras logomachias ipsi opponunt: sed frustra; cum usus recte loquẽtium, & ipsius scripturę cõcedat

cedat ibi esse locum, ubi nullum est corpus ambiens & consequenter nulla superficies ambientis *Iohan.* 14. 2. 2 *Corinth.* 5. 5. Quidquid sit de usu vocabulorum, manet illud vulgatum Augustini: *Tolle spatia corporibus, & non erunt.* Nullum corpus potest esse in diversis spatiis, aut in diversis ubi; nec vice versa plura corpora in uno ubi seu spatio; quia non potest dari penetratio dimensionum. Exceptiones Pontificiorum diluimus *in disp. de Potentia Dei* & ostendimus, eas aut petere principium, aut præsupponere aperte falsum, hoc nimirum: Implicatur cõtradictio solummodo, cum prædicata essentialia in primo modo dicẽdi per se de subjecto suo negantur, aut alteri subjecto realiter diverso attribuuntur. Tribue ergo facultates intelligendi, volendi, ridendi, lapidi, asino &c. rursum nega illas de homine, quia scil. sunt essentialia non constitutiva, sed consecutiva tantum, in secundo modo dicendi per se. Dicas etiam mentem ab homine, libertatem à voluntate, tres angulos pares duobus rectis à triangulo posse actu abesse non vero potentia; & libera hæc portenta una cum distinctione inter aptitudinem extensionis in loco, & actum extensionis, à contradictione. 11. Vt locus cum mundo & corporibus creatus est, sic etiam omnia corpora relatè ad alia sibi adjuncta dicuntur habere certum locum & situationem, aut saltem ubicationem: Et hoc sensu rectè dici à nostris, *Supra cœlum Stellatum esse locum*, physicum scilicet naturæ cœli empyrei & corporum quæ illic sunt aut futura sunt, convenientem, de quo *Ioh.* 14. 1. 2. 3. 4. Quidquid sit; hoc saltem sequitur, corpus humanum, in cœlo non magis posse esse infinitum, aut ubique aut pluribus in locis, sive spatiis, sive ubi, quam in aëre, aut terra.

Consectar. Ad Deliria relegamus illa quæ hodie resonant in scholis & scriptis philosophicis Pontificiorum: An posito eodem corpore in pluribus locis, mutatio facta in uno loco fieret in omnibus, ex. gr. an Hermachus existens simul Romæ & Vltrajecti, illic sursum hic deorsum posset moveri, illic deãbulare hic in lectulo quiescere, illic ęgrotare hic sanus esse, illic calefieri hic frigefieri &c. Vide *Gabrielem ad 4. dist. 10. Baranz. disp. 8. quæ est de loco qu. 5. dub. 8. Ruvium ad 4. Physic. quæst. 7. & disputat. nostram de Potentia Dei.*

4. De temporis creatione ante quartum diem, ut recte judicemus distinguenda est acceptio vocis; ne in labyrinthum Scholasticorum abducamur: quorum aliqui recurrunt ad motum & tempus discretum cogitationum angelicarum, ut *Thomas* 1. *qu. 66. art. 4.* *Alii* dicunt aquas fuisse tunc agitatas & illam localem agitationem aquarum fuisse tempus. *Alii* fuisse tempus secundum agitationem materiæ, ut *Hugo*, *Bonaventura*, *Gabriel*; *Alii*, fuisse tempus imaginarium ante productionem lucis; productionem

nem vero tempus verum ac reale, ita ut primus dies compositus fuerit ex tempore imaginario, quod præcessit lucem, & tempore vero, quod secutum est lucem. Sic *Becanus cap. 3. tract. cit.* Notat ergo tempus 1. fluxum successivum durationis seu permansionis rei in esse actuali seu in existentia sua: quod possumus vocare tempus internum; scholastici vocant tempus imaginarium, & est hic modus existentiæ intrinsecus, nec ab eo differ realiter. 2. Ens quoddam concretum seu συνδιαστάμενον, relationem mensurati (motus seu durationis motus) & mensuræ certi motus alicujus (e.gr. lucis primigeniæ, aut solis) includens: quod dici solet tempus externum. Illud tempus fuisse, quamdiu fuit creatura: istud non fuisse antequam mensura talis creata esset, ad quam omnes inferiores durationes & motus exigerentur; quod primo die cum creatione lucis quasi provisionaliter factum *Genes. 1. v. 2.* & quarto die demum cum creatione astrorum completum *Genes. 1. v. 14.* Non male distinguit *Baranzanus disp. 8. qu. 4. dub. 10.* mensuram seu numerum in eum qui est intellectu, & in eum qui est in rebus: qui rursum duplex est vel *aptitudinalis*, qui dicitur numerabilitas, vel *actualis*, qui dicitur actualis numeratio passiva. Distinctionibus his positis doctrinam de loco non parum illustrari putamus: & dextre solvi objectiones Simplicii & recentium Antinomorum contra historiam creationis. Vide *Franc. Iunium ad finem coment. in tria cap. Genes. in Resp. ad object. 4.* Quod autem denominationes & differentiæ temporis externi, Deo æternitatis possessori in scriptura metaphoricè tribuuntur 2 *Timoth. 1. 9. Hebr. 12. v. 1. Psalm. 102. vers. 28.* illud προπρεπῶς intelligendum: coexistit quidem Deus tempori, sed ei non subjicitur, nec eo mensuratur: ut ostenditur cap. de æternitate Dei. Conferendi Antagonistæ *libri de Deo Conr. Vorstii* præsertim *Becanus tract. de Deo contra Calvinistarum (Vorstium intelligit) atheismos edito ann. 1611. cap. 6. & 8. & Georgius Eglisemmius* in *Crisi responsi Vorstiani c. 3. & 4. & in Hypocrisi hypocr. 5. & 6.* ubi locum & tempus Deo tributum examinant.

5. *Qualitates* à Deo creatas manifestum est; & applicari huc potest illud vulgatum Philosophorum: *Qui dat formam dat consequentia formam.* De qualitatibus physicis quæ sunt potentiæ naturales, patibiles qualitates, figuræ & formæ plurima præclare à philosophis (in biblioth. nostra indicatis) disputantur: Nos quia compendio studemus, ablegamus studiosos ad dictos philosophos, & ex Theologis ad *Zanchium & Daneum.* Tantum monemus, qualitates occultas antipathias scil. & sympathias (de quibus *Fracastorius tract. de sympathia, & Antipathia, Fernelius de abditis rerum causis; Sennertus cap. 5. de Chymic. cum Aristot. & Galen. consensu & diss.* &

passim admirandorum Naturalium scriptores alibi citati, in *disp. de Signis*, non esse omnino negandas, aut tanquam asylum ignorantiæ cum nonnullis deridendas: nec tamen ab altera parte nimium multiplicandas, aut actus earum extendendos cum recentioribus Hermeticis, aliisque credulis novitatum amatoribus, ne errori superstitionem addamus. De quo monuimus *Disp. de Magia*, ut & *Sennertus cap. 6. & 8. Delrio in disquis. Magic. lib. 1. c. 3.* Præter illa quæ ad superstitionem tendunt, sunt & alia non pauca incerta ut de pisce remora &c. & similia quam plurima apud *Plinium*, *Albertum Magnum* de virtutibus herbarum & lapidum, *Alexium Pedæmontanum*, *& VVeckerum de secretis*, *Mizaldum in centur. memorabil. Baptist. Portam in Magia naturali*, *Cardanum de varietate rerum? Nierenbergium de Miraculosis naturis in Europâ*; *Cornmannum in Templo naturæ*, *& de Miraculis mortuorum* &c. alia plane ridicula; ut sympathia inter Monachos abbatiæ S. Stephani, & inter pisces lacus ibidem in oppido Sabaudico dicto S. Mauritii: & antipathia inter cimices & Carthusianos, de quibus *Baranzan. disp. 9. th. 32. & Scaliger. Exercit. 246. n. 3. & 5. Ger. Ioh. Vossius lib. 4. de Idololatria cap. 94.* Plura istius commatis indicamus *in disp. de superstitione*. De qualitatibus elementaribus in specie tum primis ut luce, calore, frigore &c. tum secundis ut raritate, levitate, gravitate, mollitie &c. tum secundo secundis, ut colore, odore, sapore, sono itidem consulendi physici in bibliotheca nostra indicati, & ex Theologis *Zanchius & Daneus*: Si cui ex professo materia aut quæstio aliqua perscrutanda, is conferat apparatum Opticum, Musicum, Medicum, Astronomicum, Geographicum &c. ibidem in bibliotheca indicatum. De *Actione* & passione physica, quæ motus sit (saltem alteratio, & motus localis) item contactu, reactione & resistentia, primo die comproducta non est quod dubitemus. Sed mutationem substantialem, generationem scil. & mixtionem primo die extitisse, aut etiam potentias proximas sive in cœlo tanquam generante æquivoco sive in elementis ad generationem mutuam per simplicem transmutationem, nedum ad mixtionem & mixti generationem, non est quod credamus. Idem judicandum de augmentatione; ad quam referimus rarefactionem. Huc ergo referendæ nobilissimæ contemplationes physicæ. De Motu & quiete, deque contactu, reactione, & resistentia, rarefactione, condensatione: De Generatione, corruptione, putredine; Mixtione; Temperamentis, Venenis, Monstris. De quibus physici, & theologi modo laudati. *Relationes* reales initio creatas putamus, ordinem scilicet & situm partium in mundo, sursum & deorsum, altum, profundum, medium, *Genes. 1. v. 2. 6. 7. Ps. 103. 11. 12.*

De

De aliorum quorumcunque modorum, si qui præterea ponantur, productione, idem statuendum est. Rejicimus *Baranzanum*, qui *digl. 16. th. 8.* disputat modum posse creari & conservari sine re modificata. Sed hujus & similium determinatio pertinet ad *disp. de Potentia Dei.* Quo etiam refer Examen istius assertionis Scotisticæ, quam ex Scoto habet *Tartaretus ad 4. physic. tract. de Vacuo*: *Quod Deus possit quodlibet mobile movere in instanti, quia mobile est in plena obedientia majoris virtutis infinitæ.* Atque hæc de opere primi diei.

De Opere secundi diei.

OPus secundi diei est 1. firmamentum. 11. & divisio aquarum; 111. quo refer meteora. Quæritur 1. de firmamento quid sit. R. vox hebræa רקיע id est *expansum*, à gr. 70. exponitur στερέωμα: de etymologiâ ejus *Fullerus miscell. l. 1. c. 6.* & *autores annotat. ad biblia Anglica hoc anno 1646. editarum.* Synonyma ejus est שמים cœlum *Genes.* 1. 8. Vtraque notat aliquando cœlum stellatum *Genes.* 1. 14. 15. *Psal.* 19. aliquando aërem ut hoc loco & *v.* 20. *Vide Kimchi ad Psal.* 27. 20. *Targum ad Psal.* 19. 5. aliquando universitatem τῶν λεπτομερῶν, hoc est aëris, ignis, cœli stellati; quæ à fæculentis & spissioribus illis terrâ & aquâ distinguuntur: unde cœlo puritas, & nitor seu splendor tribuitur *Exod.* 24. 10. *Dan.* 12. 3. Nos dicimus hic significare aêrem, & quidem synechdochicè illam partem, quæ est à terrâ usque ad nubes. Sic præter nostros *Zanchium*, *Daneum*, *Polanum*, *Gomarum in loc. comm.*; item *Martyrem*, *Iunium*, *Mercerum*, *Piscatorem*, *Willetum in comm.* &, qui ferè instar omnium, *Autores annotationum ad biblia Belgica, & Anglica*, ex ipsis Pontificiis *Rupertus*, *Pererius*, *Valentia*. *Cajetan. ad v.* 20. Dissentiunt 1. *Catharinus* qui explicat octavam sphæram. 2. *Molina & Becanus*, qui aërem, ignem, & omnes orbes stellatos. 3. Reliqui Doctores Pontificii fere omnes, cœlum stellatum. 11. Quid sint aquæ supra expansum? R. Nubes: sic nostri modo cit. Et cum iis *Basilius homil.* 3. & orthodoxus quidam apud *Augustin. de Genes. ad lit. lib. 2. c. 4.* & ex Pontificiis *Pererius*: Contra objicit *Becanus* nondum fuisse nubes, quia nondum erat sol qui attrahit nubes. R. Sed repono, unde & quando ante solem fuerit Becani nubecula lucida, de qua in opere primi diei. Objicit præterea in Cantico trium puerorum distingui aquas supra cœlum à nubibus *v.* 60. & 73. *Baranzanus adfert Psal.* 149. *Apocal.* 7. 17. Sed hæc responsum non merentur, apud illos qui textus citatos modo inspexerunt. Dissentiunt 1. *Thomas*, *Bonaventura*, *Durandus*, *Lyranus*, 6.

Lyranus, Abulenſis, Cajetanus, Catharin. & moderni philoſophi ac theologi Pontificii plerique, qui faciunt cœlum aqueum quod *cryſtallinum*, & *glaciale* appellant. *Baranzanus diglad.* 18. *Titelmannus in phyſic.* 7. *caput* 13. *Clavius in Sacroboſc. caput.* 1. *pagina* 45. *Conimbr. ad* 1. *de cœlo cap.* 5. quamvis ſatis tenuiter & dubitanter loquantur. 2. *Iuſtinus*, *Baſilius*, *Theodoretus*, *Ambroſ. Chryſoſt. Hilarius, Beda* & cum iis *Molina* intelligunt veras aquas. 3. *Origenes homil.* 1. *in Geneſ. aquas* ſpirituales; quibus oppoſitæ inferiores ſint aquæ abyſſi, in quâ tenebrę eſſe dicuntur, in quâ princeps hujus mundi &c. 4. *Auguſtinus de Geneſ. c. Manich. c.* 11. dubitat an non aquæ ſint inviſibiles, angeli ſcil. Vtramque hanc allegoricam opinionem egregiè refutat *Baſil. hexaëm. homil.* 3. *Denique* Maymonides loco cit. vult intelligi hic diviſionem ſeu diſtinctionem formalem, non verò localem, v. 4. Fingit enim aquam fuiſſe unam communem naturam ſeu materiam; ex quâ Deus formavit & in tres naturas ſpecificè diſtinxit aquam in mari & fluminibus, expanſum, & aquam ſuperiorem, quæ non ſit aqua ſpecifica, ſed nomine tenus ſic dicatur, juxta placita Rabbinorum. Sed ἰσοείαν iſtius aquæ ſupra omnes amplificat *Baranz. diglad.* 18. dum ſtatuit nec eſſe nubes, nec cœlum aut partes ejus, nec veram aquam ejuſdem ſpeciei cum aqua inferiori, ſed ſubtiliorem aquæ partem, quæ in modum cryſtalli congelata, (ex aqua enim fit cryſtallus *Eccleſiaſtic.* 43. 23.) verſa eſt in quandam perſpicaciſſimam ſubſtantiam aquæ ſimilem; in eum finem ibi collocatam, ut univerſum ornaret, & *Sanctorũ oculos mirifice oblectaret: cryſtallinus enim humor empyrei luce circundatus pulcherrimas producit imagines, quibus beatorum paſcuntur oculi; quo alluſiſſe videtur Iohannes Apocal.* 7. 17. conjicit etiam de variis orbibus cœli empyrei, ut ita ſancti reſpirare poſſint. Sed nos omiſſis his σεσοφισμένοις μύθοις rationes damus noſtræ interpretationis. *Primo*, quia nubes dicuntur aquæ ſuperiores cœli aut expanſi, & aquas in ſe continere *Pſalm.* 104. *verſ.* 2. *Iob.* 26. 6. fatente ipſo à *Lapide com. in Prov.* 30. 4. *Secundo*, quia aqua eſt corruptibilis, & actu corrumpitur quando adeſt aliquod agẽs naturale; atqui adeſt ibi agẽs quod poteſt eas corrumpere, radii ſc. ſolares qui eo uſque pertingunt, ex ipſorum ſententia: Talem autem corruptionem ibi ſtatuere abſurdum eſt. Excipit quidem Becanus, actu eas non corrumpi vel propter qualitatem loci conſervantem, vel propter ſummam reſiſtentiam, vel propter qualitatem aliquam ipſis impreſsã (qualis ſc. eſt corporis glorioſi) vel quia Deus denegat ſuum concurſum. Sed hæ meræ conjecturę. *Tertio*, quia meteora alia, exempli gratia, ignita, quamvis dicamur eſſe ſupra in cœlo ſeu expanſio *Pſalm.* 18. 13. nullibi collocamus, quam in aëre: quidni ergo & aqua, nubes ſcilicet quæ aquæ appellantur, *Pſal.* 104. 2. *Iob.* 26. *verſ.* 6. imprimis *Ierem.* 10. *verſ.* 13. *cum Pſalm.* 125. *verſ.* 7. *Quarto quia* ſupra

pra cœlum ſummum non poteſt eſſe naturalis locus aquæ, quæ eſt elementum grave tendens ad mundi medium ſeu centrum. Deus enim creavit rerum naturam, non violentum, quod eſt contra naturam, & mundi τάξιν καὶ διακόσμησιν. Et hæc ratio declinare fecit Scholaſticos & philoſophos ſupra citatos, ut aquis cœlum cryſtallinum ſubſtituerent. Atqui ibi eas collocant *Chryſoſtom. in Geneſ.* 1. *homil.* 4. *Ambroſ. Hexaëm.* 2. *cap.* 3. *Auguſtin.* quamvis à ſeipſo diſſentiens, *de Geneſ. ad lit. lib.* 2. *cap.* 4. & cum iis Doctores Pontificii modo cit. ex quibus *Molina & Becanus* diſerte probant fuiſſe veras aquas ejuſdem ſpeciei cum inferioribus. Quod autem nonnulli excipiunt, non remanere aquas illic violenter, quia non habent centrum ſuum, niſi infra lunam; omni rationi repugnat, & merito refutatur à *Baranzano loc. cit.* Quia inclinatio & tendentia aquarum ad centrum eſt à gravitate & intrinſeca earum natura; ergo contra innatum impetum ibi æque ac alibi extra locum ſuum violenter detinentur: *Adhæc* una & eadem eſt naturalis rerum coordinatio, unus mundus, unum idemque centrum; ergo ad illud unus idemque eſt corporum appetitus. *Quinto*, quia nulli uſui iſtic eſſent aquæ illæ, non ut impediant, ne cœleſtis ſubſtantia ex aquis quaſi congelatis facta, ſolis & ſtellarum radiis diſſolvatur, ut volunt *Procop. & Theodoret.* nec ut temperent calorem ex cœli motu productum ut Beda; neque ut reverberent ſolis radios, & ad terram deprimant, ut *Procopius*, neque ut deprimant firmamentum, ne ad empyreum tendat, ut *Iuſtinus*; neque ut diluvium Noachi cauſent, ut *Oleaſter*, qui in cataractis cœli *Geneſ.* 7. 11. putat repoſitas has aquas. Sed refutatur hæc opinio; quia oportuiſſet tum diſſolvi ipſos cœlos ſtellatos & per eos deferri has aquas; quod abſurdum: Præterea fuiſſet interea ibi vacuum; immo & etiamnum eſſet, quia nunquam eo redierunt. Confer commentator. ad textum cit. *Denique* opinio illa, ad quam declinarunt Scholaſtici de *cœlo cryſtallino* quod ſit primum mobile, & *Baranzanus*, de aqua verſa in ſubſtantiam perſpicaciſſimam quæ ſit vera aqua, ſed ſpecie diverſa ab inferiori, facile eliditur, ex ipſo *v.* 6. 7. & merito urgent hoc (*Molina, & Becanus*) ubi dicitur expanſum fuiſſe conſtitutum, ut divideret ſeu ſepararet aquas ab aquis, quæ prius erant conjunctæ, & ſunt ejuſdem ſpeciei, hoc eſt, utraque eſt vera aqua: nec poteſt illa conjunctio dici de primo mobili & aquis elementaribus, quæ nunquam fuit. Quod excipiunt vocari cœlum illud aquam, quod ſit pellucidum, & eminenter (non formaliter) frigidum; id nec experientia, nec ratione nec ſcriptura probatur. 111. Vnde creatum hoc expanſum. R. ex aqua creatum contendit Becanus aërem, ignem & cœlum; (hæc enim illi ſunt expanſum) *Maymonides loc. cit.* ex eadem; objiciunt

ciunt alii tum cœlum fore corruptibile: & non productum ex nihilo. Sed dicendum cœlum hic non intelligi, nec hoc die creatum, neque etiam aërem: Separatum tantum ab aliis elementis aërem, cum quibus primo die creatus erat, & intervallum illud ac inferiorem partem aëris inter terram & nubes constitutam. IV. An aquæ superiores aliæ sint quam meteorologicæ, seu exhalationes sursum attractæ. R. *Baneus part. 2. tract. 2. cap. 13.* rationibus aliquot astruere conatur esse ibi aquas specie quidem cum inferioribus easdem, sed tenuitate, splendore diaphaneitate, & soliditate ab his & ab exhalationibus distinctas. Sed nondum video rationes esse satis urgentes. V. An elementum ignis sub sphæra lunæ secundo die sit collocatum. Resp. Quidni? Siquidem ibi sit ignis, ut quidem nondum profligatæ videntur rationes eorum, qui statuunt non esse positum à Deo in terra tanquam in propria sphæra. *Vide Baranz. digl. 18. th. 16. & autores disp. superiori cit.*

7. De Meteoris plurimæ & suavissimæ speculationes, & crebra plerorumque mentio in scriptura. Loca illa annotarunt *Zanchius*, *Baneus*, *Garcæus in Meteorolog. Keckerm. in systemate & disp. physicis*, *Polanus in syntagmate theolog.* Operosius studioso Theologiæ disquirendum. 1. De Nubibus. 2. De ventis: de quibus *Fridericus Bonaventura tract. de causa motus ventorum.* 3. De Iride: de quibus præter meteorologicos scriptores Optici. 4. De cometis: de quibus fusè *Keckerman. in disp. physicis.* 5. De terræ motu: de quo peculiari tract. fuse & docte *Keckermann.* & post illum *Polanus in Syntagm. Theol. & Henricus à Diest disp. peculiari* occasione terræ motus anno 1641. in schola Daventriensi proposita. Cum quibus conferri possunt scriptores de Vesuvio ardente infra *part. 6. thesi 3.* notati. Vide porro de tota meteorologia, *Keckerm. disputat. phys.* & *Timplerũ*, *Goclenium*, *Scidelium*, *Sennertum*, *Havenruterum*, *Meurerum*, *Garcæum*, *Conimbricenses*, imprimis etiam *Libertum Froymondum in tract. de Meteoris*, & *Ger. Ioh. Vossium lib. 2. cap. 1. usque 16.* Autores & tractatus de quolibet meteoro in specie citatos invenies apud *Keckermannum in system. & disp. phys. 1. & Ionstonum in Thaumatographia*, & *Lorinum passim in commentar.* ad quosdam libros scripturæ. Nos ista ad explicationem hexaëmeri tantum nunc attingimus. 1. *probl.* An meteora secundo die sint producta? Resp. Aff. quod ad locum, & communem materiam, exhalationes sc. & nubes; hoc est, in proxima potentia: actu vero, quod ad accidentales formas & figuras, Neg. solis nubibus exceptis. Probatur ex *cap. 2. vers. 5.* *Deinde*, quia nondum erant sydera, quorum virtute vapores ex elementis educti in sublime eveherentur. Objicit *Calvino* pro aquis supra cœlestibus contra nubes *Corn. à Lapide*, colligi, ex *c. 2. v. 5.* nubes nondum exstitisse, immo

immo nec sex diebus, sed tantum aërem limpidissimum. Resp. textus de nubibus nihil habet; sed de pluvia potest esse nubes, & tamen abesse pluvia alioquin perpetuo plueret, cum semper fere sint nubes. Non dicitur de sex diebus, sed de tempore, quo Deus produxit herbas, antequam astra, influentiæ cœlestes, & ab illis productæ pluviæ existerent. Reliquæ ipsius objectiones cum modo memoratis coincidunt. 11. *probl.* Quid fuerit אד id est, *vapor* qui irrigabat totam terram *Genes.*2.6.*R.*70. gr.& vulgatus vertunt *fontem.* Hinc *August.lib.*5.*de Genes.ad lit. cap.*9. 10.opinatur unum fuisse fontem,qui stato tẽpore instar Nili universę terræ germina rigabat. Addit glossa interlinearis, irrigationem illam durasse usque ad tempora Noah, nullamque interea fuisse pluviam: *Hugo* intelligit subterraneam abyssum: *Albinus*, tantum Paradisum hoc fonte irrigatum. *Alii* volunt notari fontes, rivulos, & flumina, quæ tanquam ex una fontali matrice (quæ indicatur Genes. 1. 9.) manantes totam terram hinc inde irrigabant. Sic *Philo*, *Augustinus*, *Nicolaus Papa* apud *Corn.à Lapide coment.ad Genes.*2.6. Qui ibid.censet melius intelligi per fontem, *gurgitem* & inundationem aquarum, abyssum sc. primigeniam *Genes.*1.2. Sed nimis coactæ & longè petitæ hæ interpretationes in gratiam scil. gr.70.aut vulgatæ versionis. Præstat ergo vertere *vaporem*; qui absque solis & astrorum influentiis Dei potentia non minus insidere & humectare potuit terram, quam lux primi diei illuminare, diem noctemque distinguere sine sole aut astris. Ita cadit exceptio illa: Quomodo absque influentiis cœlestibus exstiterunt vapores. Vide quæ supra *part.* 3. citavimus ex *Sanctii commentar.in Actor.*2. Cadit & altera exceptio Corn.à Lapide: *præcedenti*, inquit, *versu Moses negavit ullam tunc pluviam, aut similem humorem cœlestem fuisse, qui terram rigaret?* R. pluvias negavit, sed non quemcunque alium humorem aut vaporem. Porro sententiæ huic nostræ favent *Targum Onkelos & Ionatban*, qui exponunt ענא id est, *nubem*; & *R. Aben Ezra*: כמו עשן id est, *tanquam fumus* & sic alii Hebræi. *Arabs* ab *Erpenio* editus בחאר *huchar*, id est, *exhalatio*, *vapor*, *fumus*; Et sic *Pagninus*, *Montanus*, *Tigurini*, *Vatablus*, *Iohannes Benedictus*, *Pererius*, *Molina*, *Delrio*, *Andreas Osiander*, *Mercerus*, ex antiquis *Theodoretus.* Sunt tamen de vapore illo variæ interpretationes. 1. Sunt qui negantem faciunt enuntiationem, *Et vapor non ascendebat* &c. *R. Saadia Gaon* apud *Aben Ezram & R.D.Kimthi*, *Iunius & Tremell.*, *versio Gallica*,& tuetur ex professo *Willetus.* Quam opinionem *cap.* 4. *annotat. in Genes.*perstringit *Drusius.* Sed eum reprimit *Rivetus Exercit. in Genesin.* 2.Alii vaporem atque adeo pluviam irrigasse terram, antequam diceretur à Deo: *Herbascat terra herbã.* Sic Rabbini antiquiores,& cum iis *Maymonides* in

des in *More Nevochim part.*2.*c.*30. Eandem fere expositionem refert *Vatablus in notis. Eugubinus* vult secundo die pluisse, & sic plantas germinasse die tertio. 3. *Vaporem* hunc fuisse materiam præparatam ad germinationem plantarum, & creationem hominis; cujus historia immediate subjicitur: atque hunc in finem illius ascensionem hic referri. Sic *Vatablus in notis, ex R.Sel.Iarchi*: Sed refutat *VVilletus*. 4. *Musculus* ascensionem vaporum v. 6. refert ad tempus primæ creationis plantarum. 5. *Mercerus* distinguit & v.5. de prima creatione absque pluvia; v.6. de ordinaria germinatione intelligit. Itaque subtilibus & quæsitis ejusmodi expositionibus post habitis, putamus acquiescendum esse in simplici & plana illa, quam attulimus. III. *probl.* An ignoretur ortus, & via ventorum, ut innui videtur *Proverb.*30.4.*Iob.*38.24.*Ier.*10.13.*ps.*135.8. & *Ioh.* 3.8. R. Saltem ventum non esse aërem motum (ut volebant *Stoici*, & *Bodin. theat.l.*2.) ex locis cit & 1.*Reg.*18.*v.*45.ubi ab aëre (qui nomine cœli illic designatur)exserte distinguitur,satis colligi videtur.Certo sciri nequit ex quo determinato & proprio terræ loco exhalatio hæc aut illa orta sit,unde qua & quo feratur,& ubi terminetur?adhæc cur nūc flet à meridie, paulo post ab oriēte aut ab occidēte? cur ecnephiæ magno impetu dēsim propellātur; cur typhones in orbem res circumagāt,cur præsteres sint ignei,cur austri sint pluvii, cur alibi salubres, nobis in hoc climate insalubres &c. cur certo tempore anni spirent aliquot venti ut etesiæ? cur in mari Indico stati magis ac durabiles,in nostro verò admodum sint instabiles? aliaque admiranda, de quibus autores meteorologici. Vnde rectè dictum: hominem nescire unde veniat & quo vadat ventus: quidquid enim homo scrutatur, plurima tamen ipsum latent. Hinc minime probamus exceptionem *Danæi part.*2.*tract.* 2.*c.* 30. qui vult verba hæc Christi accipienda de vulgaribus idiotis, aut iis, qui physicam non didicerunt. Est enim sententia generalis; quæ speciatim complectitur Nicodemum minimè idiotam. Præterquam quod satis periculosa & incommoda videatur talis exceptio: quod apparebit, si ad omnia illa *Iob.* 38. & 39. & 40. & *Prov.* 30. & *Marc.* 13. & *Genes.*15.5. & *Psal.*139. applicetur quæ homo dicitur ignorare. Nec satisfacit exceptio *Keckermanni*, *in append. syst. geographici*, probl. Nautico. 5. quod ventus non possit ad sensum dignosci per se unde spiret, nisi deprehendatur per certa signa ex. gr. vexilla in culminibus ædium &c. quia est invisibilis. R. Immo nec ad auditum potest hoc magis cognosci,quam ad oculum, quamvis satis sit audibilis: Adhæc visu cum tactu conjunctis dignosci potest in genere, ex quâ mundi plaga & ex quo loco generali spiret ventus: sed non ex quo loco speciali; aut ubi sistatur ac flare desinat; & ubi aut in quam partem terræ

aut

aut aquæ hæc & illa exhalatio demum resolvatur. Quomodo in regeneratione spirituali novimus in genere esse eam à Dei spiritu &c. sed modum ac processum singularem in hoc aut illo homine, immo & generalem in adaptatione ac concursu gratiæ cum voluntate hominis ignoramus. Et hanc puto esse genuinam loci istius explicationem. Nam quod *Keckerm. ibidem* subdit: *Alias cap. 1. Eccles. v. 6. apparet, est omnium ventorum motus & flatus certa quadam ratione cognitos*: aut ad rem non facit, hoc est, ad cognitionem illam, quam supra delineavimus; aut potius (siquidem per spiritum ventus ibi intelligendus sit) confirmat hanc ignorantiam. Sit sane circuitus & itio ac reditio venti per certos circulos; sed quis potuit hæc itinera certa quadam lege instituta, cum intervallis, stationibus, terminis &c. observare, metiri, numerare. IV. *probl.* Qui qualesve fuerint venti & procellæ extraordinariæ *Ex.* 14. 1. *Reg.* 19. 11. item 2. 11. & *Iob.* 1. *Ionæ* 1. *Act.* 2. disq. perm. His & similibus quæ ad explicationem variorum textuum scripturæ, & physiologiæ sacræ, præsertim etiam *Actor.* 27. & 28. adferri possent delineandis hac vice supersedemus, tum quod a recentioribus commētatoribus nonnullis *Pererio, Toleto, Lorino, Corn. à Lapide* (qui ex professo talia consectantur) magnam partem illustrata sunt, tum etiā quod ea reservamus, alteri occasioni, ut & collegio, quod σὺν θεῷ aliquando, circa interpretationes locorum, quorum materia κτήσει pertinet ad alias disciplinas, χρήσει vero ad Theologiā exemplo *Valesii in philosophia sacra & Ioh. Henr. Alstedi in Triumpho Biblico*, privatim instituemus. v. *probl.* An licitæ sint prædictiones ex meteoris, seu prognostica meteorologica. R. aff. cū distinctione, si scil. fiāt de effectibus naturalibus; non vero de humanis, contingentibus, & à libero arbitrio pendentibus: Et si certitudo iis tribuatur veritatis necessariæ ὅτι τὸ πολύ. Probatur ex *Math.* 16. 2. *Luc.* 12. 54. 55. 56. Accedit, quod naturales rationes plerorumq; istorum effectuum ac signorum rite assignari possint, ut videre est apud scriptores problematum & Meteorologicos. Et quia universalis experientia, præsertim agricolarum & nautarum docet illa semper aut fere semper ita evenire, absque superstitione ad signa talia attendi posset, etiamsi causæ manifestæ nobis incognitæ essent. Idem statuendum de effectuum naturalium prognosticis ex animalibus, plantis, aliisque perfecte mixtis (quæ collecta vide à *Mizaldo in Aeriis Ephemerid.* & nonnulla apud *Rhodiginum lib.* 8. *cap.* 6. & *lib.* 24. *cap.* 28.) ne quis putet ea coincidere cum auguriis, & similibus prædictionibus, quas in *disp. de Prophetia, de Magia, de Superstitione* repudiamus. Porro prognostica hæc ex meteoris occurrunt, apud *Hesiodum de Oper. & diebus, Virgilium in Georgicis, Aratum in* Διοσημείοις, *Plinium lib.* 18. *c.* 35. *Theophrastum*

phraſtum lib. de ſignis ventorum, pluviæ &c. imprimis *Anton. Mizaldum in tract. cui* tit. *Phœnomena ſeu Aëriæ Ephemerides.* Nonnulla etiam occurrunt apud *Ariſtotelem* in problematis, alioſque phyſicor. problematum ſcriptores. De prognoſticis aſtralibus infra *part.* 7.

De Opere Diei Tertii.

8. HOC die 1. ſeparantur terra & aqua. 11. Plantæ, in ſuperficie, aliaque in viſceribus terræ producuntur. Quod ad prius, conſideranda occurrunt 1. quæ terram & aquam ſimul. 2. quæ diſtincte, & ſeorſim terram. 3. quæ aquam concernunt. Quæritur ergo 1. *probl.* quomodo facta fuerit congregatio aquarum in locum unum, de quâ *v.* 9. Et ubi potuerit locus eſſe aquis univerſam terram contegentibus, quo confluerent. Dubium hoc movent *Antinomi apud Franc. Iunium*, libro aliquoties citato. Reſp. Sunt qui dicunt aquam, quæ prius totam terram cingebat, in unum locum confugiſſe, & magna mole in altitudinem ſe erexiſſe. Sic *Baſilius, Ambroſius, Catharinus, Thomas in* 1. *qu.* 69. *art.* 1, 2. Quod aqua antea rarior, tertio die condenſata minorem terræ locum occupârit. Sic *Auguſt. lib.* 1. *de Geneſ. ad lit. c.* 12. & *Beda in Hexaemero.* 3. Quod nec aſcenderit, nec condenſata ſit, ſed recepta fuerit in magnis terræ cavitatibus, terra enim major & profundior eſt quam peripheria aquarum, quæ terram ambiebat. Sit enim peripheria terra 19080. miliarium, diameter 7000. ſemidiameter 3500.; jam verò quæ fuerit profunditas aquarum ſupra terram, ex altitudine expanſi à terra ſcil. uſque ad nubes deprehenditur; quæ non ſuperat 60. miliaria (ut quidem ex crepuſculis, & diſtantia impreſſionum illic apparentium calculum hunc ineunt Mathematici.) *Sic Pererius, Molina, Becanus, VVilletus.* Confer *Clavium in comm. ad Sacrobo/co p.* 31. 32. Sed ſupereſt tamen dubium, quo corpore cavitates terræ antea repletæ fuerint, & quomodo evacuatæ, ut aquis locum concederent. 4. Quod terra hoc die demum ſit creata ex aquis; ſic *Hugo de S. Victore*, & *Lombardus.* Sed hoc non eſt veriſimile. 5. Quod terra fuerit æquabilis ac plana ſine montibus; quo factum ut tanto commodius aquæ in unum confluxerint. Sed nec hoc nodum ſolvit. 6. Quod calore ſolis & poteſtate naturali ſiccatæ ſint, ita ut partes orbis aquilonares, quæ inter arcticum & æquinoctialem circulum interjacent, primæ omnium cœperint apparere & deinde aliæ: non vero univerſa terra ſubito & ſimul per ſingularem Dei omnipotentiam detecta & aquis nudata fuerit. Sic *Eugubinus in Coſmopoëia*; quem rejicit, & merito, *Pererius lib.* 1. *in Geneſ. c.* 1. *v.* 11.

7. Quod

7. Quod vento vehementer urente aquæ fuerint ſiccatæ; haut aliter ac poſt diluvium. Venti autem hujus mentionem factam *v.* 1. Sic *Toſtatus Epiſc. Abulenſis.* Sed abſurde. 8. Quod confluxerint ad partem orbis inhabitabilem, noſtræ oppoſitam, eamque obtegant. Sic *Procopius Gazæus comment. in Geneſ.* cui hypotheſin hanc præformaſſe videtur *Auguſtinus lib.* 16. *de civ. Dei c.* 9. ubi negat eſſe Antipodas. Quod mirum in tanto philoſopho, qui Themiſtium habuerat præceptorem. Refutat eum experientia, hodiernæ navigationes, & communis Geographorum conſenſus. Sed de Antipodibus infra *part.* 5. agendum. *Nono*, aquas quippe conſtituentes peculiarem globum, ad ſuum centrum proprium, relicta terra, ſe collegiſſe. Sic Burgenſis in addit. ad poſtillam Lyrani. 10. *Quod* nubes conditę ſecundo die, & expanſum, magnam partem aquarum abſtulerint. Nos ſalvo meliori judicio hanc & tertiam opinionem conjungimus; *VVilletus* addit & ſecundam. Et hanc rationem eſſe ſcripturæ maxime convenientem conſtat ex *Geneſ.* 1. *v.* 9. *Pſal.* 104. 6. 7. 8. & 33. Reliquæ opiniones ſuas habent difficultates, etiam fallas hypotheſes, quę infra mox notandæ. *Vid. Pererium aut VVilletum.* 11. Quomodo aquæ dicantur collectæ in unum locum, cum tot ſint flumina, fontes, lacus, paludes, æſtuaria; ne quid dicam de ponto Euxino, qui cum oceano magno aquarum receptaculo non conjungitur: quem propterea ut & propter alia admiranda ἀξιοθεάτον & θαυμασιώτατον jure dixeris cum *Herodoto lib.* 4. Reſp. *Baſilius* reſpondet, *locum unum*, non intelligendum de quacunque aquarum collectione, ſed de mari, quod ſane unum eſt, quamvis diverſa obtineat nomina: ſicut terra (exceptis inſulis aliquot) unum facit continentem, ſic omia maria unum mare; juxta Geneſ. 1. v. 2. *Alii*, putant omnes aquas dici in unum collectas, quia fluvii (quamvis à magno receptaculo diſtincti) in mare ſe exonerant Eccl. 1. 3. Quod ad Euxinum, Plinius lib. 6. c. 13. Strabo lib. 2. Solinus, Mela, Dionyſius aliique antiquiores (quorum communem hunc fuiſſe errorem notat *Dalecampius ad Plinium lib.* 2. *c.* 67.) & cum iis Baſil. in hexaëm. putant eum conjungi cum altero mari. *Ariſtoteles lib.* 2. *Meteor. c.* 1. contrarium ſtatuit. Et *Ptolomeus lib.* 7. *c.* 5. ubi dicit omni ex parte littoribus obſideri, & inſulæ ſimilitudinem ex oppoſito ducere, λιμνοειδῶς περιγράφων περιοδεύειν λέγει περὶ βαδίζειν, ut de Ptolemęo loquitur *ſcholiaſtes* Dionyſii periegetæ *ad verſ.* 49. Idem ſentit Herodotus ibidem à *Scholiaſte* citatus. Et *Haytonus* in Armenia ſua c. 5. Et *Mathias Michou* in Sarmatia *lib.* 1. *c.* 7. Et ſic recentiores Geographi. Inſtar omnium *Ortelius in Theſauro* Geograph. in voce *Hyrcanum mare* dicit ſe malle, *cum Arriano* in Periplo Ponti Euxini, & poſterioribus eum appellare lacum in

cum in mediterraneis, & undiq; ab Oceano remotum, eumq; totius orbis maximum : quomodo Mauri hodie Arabice vocāt *Buhar* (ſcribendum eſt *bahar*) *corſun*. id eſt mare clauſum. Cum hac opinione coincidit *Dalecampii ad Plin. l. 6. c.* 13. Et *Conimbricenſium tract.* 8. *de meteorolog. c.* 2. Et *Benignis Saumaiſe in comm. gallic. ad Dionyſ. perieg. Arabs* Geographus Nubienſis (qui ſcripſit ante annos circiter 470.) *climat. 6. part.* 5. vocat בחר מטלם *bachar mutallam*. id eſt *mare tenebroſum*. *Stuckius* in ſcholiis ad Arriani Periplum ponti Euxini *p.* 10. diſputat non eſſe dicendam paludem. Ipſe Arrianus paſſim appellat θαλασσαν, & πόντον ; & inter alia diſtinctionem inter ipſum & mare hanc ſuggerit : καὶ, τοὶ ὁ πᾶς πόντος, πολύ τι, γλυκυτέρου τοῦ ὕδατος ἐστιν, ἥπερ ἡ ἔξω θάλασσα. καὶ τοῦτο τὸ αἴτιον, ὁι ποταμοί εἰσιν, οὔτε πλῆθος, οὔτε μέγεθος σταθμητοὶ ὄντες, id eſt, *quamvis univerſus Pontus longè dulcioris eſt aquæ, quam mare externum propter immenſam fere fluminum in illum ſe exonerantium multitudinem & magnitudinem. Strabo lib.* 7. *p.* 206. vult eſſe circiter quadraginta flumina. Sed dulcedinem hanc intelligendam puto de parte maris ſuperna, non vero inferna. Quomodo ibidem proximè ante hæc verba de Phaſide fluvio dixerat, aquam ejus eſſe dulcem, ſi quis è ſummo hauriat ; falſam, ſi urnâ in fundum demiſſa ab imo eam hauriat. Præter hanc cauſam ab Arriano aſſignatam, non malè addit *Stuckius in commentar. ad Arrianum p.* 13. duas alias : quarum *una* ipſi probabilis dicta, quod in ſeptentrionalibus illis regionibus ſolis radii obliqui, non directi, minorem vim habeant tenuiores partes aquæ reſolvendi & adurendi. *Altera*, quod palus Mæotis ipſo ponto non multò minor aperto ſuo in illud influxu multum dulcedinis adferat. Sunt autem paludis iſtius aquæ Euxina multò dulciores. Sed hæc aquæ dulcedo non videtur præcipuam & peculiarem inter ipſum & alia maria differentiam facere : cum, teſte *Petro Martyre* in hiſtor. Indię Occidentalis, in provincia quadam regionis Mariatambal mare quoddam ſit aquæ dulcis, ob flumina magno cum impetu ex altiſſimis montibus in illud decurrentia ; Boſphori etiam Thracii aqua ſit dulciſſima : quam propterea ex acceſſu Ponti Euxini, non maris Ægei fieri exiſtimat *Gyllius in deſcriptione Boſphori Thracii*. Majorem differentiā facit hujus Ponti cōgelatio, de quà *Stuckius loc. cit. Alii* aquarū locum unum ideo dici, putam, quod ſit ſeparatus & diſtinctus à terra habitabili. Sic *VVilletus*. Sed hoc minus ſatisfacere videtur. Itaque in hac reſponſione acquieſco : Omnes aquas in unum receptaculum (tanquam utrem *Pſ.* 33.7.) confluere : quia omnia flumina, omnes paludes &c. in Oceanum fluunt ſive mediate ſive immediatè, ſive apertè ſive occulte : etiam Pontus Euxinus, ſive mare Caſpium & Hyrcanum, ſi non apertis ſaltem occultis ac ſubterraneis meatibus. A qua ſententia

compa-

comperi post primam hujus disp. editionem non abhorrere *Conimbricens. loc.cit.* ubi ita. *Non tam mare est quam palus multorum fluminum incursu stagnans, nisi forte oceanum quoque subteraneo meatu occulte excipiat.* Apertius idem affirmat *Pererius in Genes.* 1. *v.* 4. *p.* 148. *ubi & alii citantur.* Ita dissidētes sententię antiquorum & recētiorum facile conciliari posse vidētur. Et sane distinctionem & conciliationē hanc nuperrime consulens scholiasten Dionysii ad loc. modo cit. comperi antiquis ignotam non fuisse, uti exsertis verbis testatur *pag.* 18. *edition. Rob. Stephani* : καὶ οὕτω μὲν διαφωνοῦσιν αὐτοί. οἱ δὲ πα λαιοὶ συμφωνίαν τῇ τοιαύτῃ τῶν περιηγητῶν διαφωνίᾳ τεχνόμενοι φασὶν ὅτι τάχα διὰ τόπων ἀδήλων ὁ κρόνιος ὠκεανὸς ἑαυτὸν ἐκπέμπων, ἐυαδίδωσι τὸν ὑρκάνιον κόλπον. καὶ οὕτω σωθήσεται καὶ ὁ λόγος ὁ λέγων τὴν κασπίαν κύκλῳ πεζεύεσθαι, καὶ ὁ εἰπῶν ἐκ τῆς κρονίας θαλάσσης γεννάσθαι αὐτήν. Adde Iunilium Africanum in commentar. ad Genes. 1. *Bene autem, cum multa esse constet maria, in locum tamen unum congregatas dicit aquas: quia videlicet cuncta hæc jugi unda atque continua Oceano ac mari junguntur magno. Sed & siqui lacus in semetipsos videntur esse circumscripti, & hos ferunt occultis quibusdam perforatis cavernis in mare suos evoluere meatus. Nam fossores puteorum hoc probant: & quia tellus per invisibiles venas aquis repleta est manantibus, & quia trahunt ex mari principium.*

DE CREATIONE.

PARS QUINTA,

Resp. LUBERTO SPRUITIO Vltrajectin.

Ad diem 6. *Octob.* 1638.

III. P*Robl.* An terra & aqua unum globum constituant, unumque habeant centrum? Aff. contra *Philonem libr. de Opificio mundi*, *Burgensem* addit. ad postillam Lyrani: qui hinc exsculpit opinionem suam de modo terræ ab aquis libratæ, cujus modò meminimus. Videtur etiam dubitare *Ambrosius* 3. *Hexaem. c.* 3. Sed refutantur *primo*, ex rotunditate terræ, quam scriptura innuit Proverb. 8. 27. Iesa. 40. 22. ubi חוג *choug* id est γύρος gr. 70. *gyrus* ut Vulgatus, *globus*, uti Tigurini & Vatablus; *compas* gallicè, ita. R. Sel Iarchi: eandemque probat philosophia apud *Peucerum* in eleganti tract. *de Circulis cœlest.*, ut & *Cirvellum*, *P. de Aliaco*, *Clavium in Sacrobos.* vulgaresque omnes libellos sphæ- 1.

ricos & Geographicos: atqui terra aut aqua seorsim non habent eam rotunditatem (ut docet experientia,) sed conjunctim; ergo necesse est faciant unum globum. *Secundo*, Quia, teste scriptura, aquæ initio tegebant terram eique erant concentricæ, & sic cum ea ad unum centrum tendebant: quod fateri cogitur Burgensis. Ergo etiam tertio die & post usque in perpetuum, idem habent centrum. Nisi velimus dicere naturam aquæ tertio die fuisse mutatam, aut miraculosè nunc versus proprium suum centrum ferri. Quam innaturalem naturam non est quod admittamus in prima naturę constitutione: ut bene disputat *Pererius lib. 1. in Genes. p.* 144. IV. *Probl.* An globus terrenus sit in medio mundi, & centrum mundanum? Resp. non videmus cur antiquę & communis philosophiæ termini cum Keplero aliisque recentioribus loco movendi sint. Videndi autores modo cit. *Conimbric. in 2. de Cœlo cap.* 14. *quæst.* 3. Et certe loca scripturę quæ cœlum supra terram elevatum, & circa eam undique extensum ajunt *psalm.* 103. & 104. 3. *Iesa.* 40. *Prov.* 25. 3. adversari videntur. Rationes utrimque adferri solitas philosophis discutiendas relinquimus. Vide *Conimbric. loc. cit. & Claromontium lib.* 12. *cap.* 21. 22. & Davidem Christiani lib. 1. Syst. geogr. cap. 51. V. *Probl.* An quantitas terrę, si comparetur cum cœlo, tam exilis sit, ut possit dici esse punctum seu instar puncti? Resp. Non est quidempropriè punctum: nam punctum non est quantitas, (quippe cujus μέρος οὐθέν, definiente Euclide) & mare dicitur magnum ac latum manibus *ps.* 104. 25. sed hyperbolicè & cõparativè sic dici concedimus: saltem magnã esse distantiam *ex psal.* 103. *v.* 11. colligitur; quæ sic tamen ab Vranometris sine necessitate non debet amplificari, ut cum immensitate Dei pæne certare videatur; quod contra novos Copernicianos & Keplerianos non importunè monuit præstantiss. Astron. *Mullerius in Epitom. astronomica*, in præfat. VI. *Probl.* Quibus fulcris, seu cui fundamento globus insistat, aut unde suspensus sit. Resp. de fundamento aut sustentaculo externo Deo sc. liquidum est ex *Iob.* 38. *psalm.* 104. Fundamentum, radix, fulcrum internum aut adjunctum, nullum aliud quærendum est præter aut extra ipsum, ejusque naturam à creatore inditam, gravitatem scil. quò factum ut omnes partes ejus se colligant versus centrum proprium; & sic à centro gravitatis (uti omnia gravia) totum suspensum quiescat: ut eruditè *Ovid. Metaphorms.* 1. *Nec circumfuso pendebat in aëre tellus, ponderibus librata suis. Et Manil. lib.* 1. *astron.*

Imaque de cunctis mediam tenet undique sedem,
Idcircoque manet stabilis, quia totus ab illa
Tantundem refugit mundus, fecitque cadendo
Vndique ne caderet, medium totius & imum est.

Ita-

Ictaque contractis consistunt corpora plagis,
Et concurrendo prohibent in longius ire.

Et ante eum *Parmenides*, cujus versus à Manilio expressos ibid. in commentario suo exhibet *Scaliger*. Eosdem habes in poësi philosophica edita ab Henr. Stephano in 8. p. 44. Et hoc est quod phrasibus illis scripturę innuitur Ps. 104. 5. *Iob.* 38. 4. 6. *cum Ies.* 40. *Ier.* 5. ubi mentio basis, & fundamentorum terræ. Quamvis *Kimchi Ies.* 40. quatuor elementa intelligat, quæ fundamenta sint eorum; quæ in terra. Alibi fundamenta terræ, & montium dicuntur interiores partes terræ, quæ tanquam basis superiores partes sustinent; sic *Psalm.* 18. 8. nam illæ in terræ motu commoventur. Innititur ergo & solidata est terra ἀκινήτως super nihilo עַל בְּלִימָה *Iob.* 26. *v.* 7. (de cujus explicatione elegans dissertatio *Fulleri Miscellan. lib.* 1. *c.* 15. cujus partem supra exhibuimus part. 3.) si alia fulcra præter ipsius terræ corpus ac centrum respicias: super basi verò seu fundamento suo, si extra ipsius naturam nullum aliud sustentaculum (insitum scil. seu internum) quæras. *Rejicimus* 1. opiniones antiquorum de causâ firmitatis terræ apud *Aristot.* 2. *de cœlo textu* 78. *& Conimbric. ad c.* 14. *qu.* 5. inter quas emicuit Thaletis, qui terram volebat fundatam esse super aquas, eamque aquis quasi innatantem beneficio latæ figuræ sustentari: quam amplexus videtur Chrysostomus. Ex scripturis adferri solent *Exod.* 20. 4. *Psalm.* 24. 2. 2 *Pet.* 3. 5. Sed pugnat hæc opinio *Primo* cum experientia & ratione; est enim terra rotunda unum globum cum aquâ constituens; est & gravior aquâ, cujus partes cum in aquâ non fluitent, certè nec ipsa tota fluitare poterit. *Deinde*, cum scripturæ locis jam cit. ex *Psalm.* 104. 5. *& Iob.* 26. 7. Quod ad loca in contrarium adducta, ad ea in ipsa disputatione respondebimus. Refutat hanc opinionem *Aristot. loc. cit. & Seneca l.* 6. *Natur. qu. c.* 6. ex recentioribus *Conimbric. loc. cit. item Clavius*; ex Theologis *Pererius, VVilletus, Zanchius.* 2. *Rejicimus* quorundam dicta, qui totum hoc ad miraculum referunt, & imaginantur simile esse hoc opus Dei, ac si securis Elizæi aquis supernataret, aut lapis molaris in medio aëre hæreat: cum tamen nec præter, nec contra, nec supra naturam, sed maximè secundum eam sit, ut corpus gravissimum in naturali suo loco, hoc est in medio mundi conquiescat. Vide *Plinium lib.* 2. *c.* 65. *infra thesi.* 2. *citatum.* 3. *Denique* delirium Mahumedis, de terra inædificata in cornu bovini acumine, deque terræ motu aut tremore inde existente: quod habet liber Mahumedicus *Zuna*, teste *Iohanne Andrea Mauro in confusione sectæ Mahom. c.* 5. liber enim ille nondum apud nos editus est. VII. *Probl.* An terra immobilis in mundi medio quiescat? Aff. cum Theologis, Physicis & Astronomis omnibus Iudæis

Iudæis, Arabibus, Græcis, latinis (exceptis uno atque altero ex antiquis, & omnibus hodiernis Copernici sectatoribus) innixi rationibus, ut nos putamus, solidissimis, quæ apud philosophos, & Astronomos hic & in *Thersite nostro Heautontim.* citatos, videndæ: ne actum agamus: ne quid dicam de Pererio aliisque commentatoribus in Genesin. Nobis hic sufficerit ex scripturis immota argumenta exemplo non tantum Theologorum, sed etiam astronomorum indicare. Ea in prima acie collocat *Peucerus* in laudato tractatu *de Circulis cœlestib. fol. 6. Nec recto*, inquit, *motu, nec circulari terram moveri, sed in medio mundi quiescere & sacræ literæ confirmant, & rationes physicæ comprobant.* Idem nuperrimè præstitum à *Davide Christiani* Professore mathematico Marpurgensi *lib. 1. system. geographici cap. 8. p. 126.* ubi sic determinat: *Verum hæc opinio* (scil. Copernici Galilæi &c.) *adversatur sacris literis, sanæ rationi & experientiæ, immo convellit: astronomiæ & Geographiæ fundamenta.* Adducimus tres classes argumentorum ex sacris. *Prima*, habet ea loca, quæ dicunt terram quiescere, *ps. 104. 5. Eccl. 1. 4. Iob. 26. 7. & 38. 4 6. Secunda*, continet loca, quæ Soli tribuunt motum, *Ps. 19. 6. 7. Eccl. 1. 5. 6. Tertia*, loca illa *Iosuæ 10. Ies. 37. 8.* quæ Solis stationem; & retrocessionem inter miracula referunt; ergo motus illi naturalis. Has classes argumentorum à filiis scripturarum, imprimis Theologis recte defendi, & defendendas esse contra recentiorum quorundam exceptiones Copernicanas prolixe differui in *Thersite Heautont.* nec otiosè illa hic repetam. Rationes physicas & astronomicas ab Aristotele, Ptolemæo, Sacrobosco, Tychone Brahe, eorumq; sectatoribus allatas, nullâ cladẽ à leviculis illis sive conjecturis, sive exceptionibus Kepleri aliorumq; passas esse ibidem pro instituti nostri ratione indicavi. Si quis cõpendio studeat, quærat rationes, earumq; vindicias apud *Conimbric. in 2. de cœlo c. 14. q. 5.* aut apud *Cirvellũ, Aliacensem, Claviũ* ad sphæram Sacrobosci, imprimis apud *Froymundum* in tractatu de hac quæstione edito, cui tit. *Anti-Aristarchus* & ejusdem tractatus *defensione* cõtra *Iacobũ Lansbergiũ Medicum*, cui tit. *Vesta*; apud aut Davidem Christiani l. 1. c. 8. Confer infra appẽdicem quartã ad hanc disp. de Creatione. *Rejicimus* 1. opinionem illam de duplici motu terræ diurno scil. & annuo 2. Et alteram Baranzani, quæ statuit motum librationis; qui fit quando medium terræ & consequenter centrum mutatur, dum ab una parte terrę portio *aufertur, ex altera adfertur, montes auferuntur per terræ motus, insulæ destruuntur per tempestatem, maria siccantur, montes super oppida cadunt &c. Quare crediderim nunc amplius non esse in illo loco præcisè, in quo à Deo creata est, sed lancis instar nunc in unam partem, nunc in aliam inclinasse &c. tot enim urbium, insularum, montium, marium &c. vicissitudines*

tudines cauſare potuerunt receſſum terræ à primo centro. Sic ille in Opinionibus novis *phyſ. diglad.* 18. *theor.* 10. Rationem autem mutatæ ſententiæ Copernicianæ, quam in Vranoſcopia edit. prioris defenderat, adfert ibidem *decretum ſacræ Congregationis Cardinalium* &c. *Copernici opinionem damnans, quod an militet contra omnem motum terræ tu videris. Ego hoc unum mihi perſuadeo, minimam aliquam libratiunculam, quæ ſyderum motus non pervertat, ibi non prohiberi* &c. Sed an hæc libratio non repugnet decreto illi Cardinalium, viderint ipſi Cardinales, & Froymundus, qui ex profeſſo pro decreto illo ſcripſit. Nos ſuſque deque habito illo decreto, cenſemus *Primo* prętenſum hunc motum librationis ad mutationem centri, non minus ſed potius magis repugnare ἀκινησίᾳ terræ, (de qua ſcriptura) quam motum diurnum aut annuum in proprio centro, quem Copernicani terræ tribuunt. Quæ enim major inſtabilitas, quam quod ad tam crebras mutationes terra baſin, columnas, fundamenta, locum ſuum, lapidem angularem, hoc eſt, centrum ſuum, (ut non infeliciter *Aquinas Iob.* 38. *verſ.* 6. interpretatur) mutare cogatur, atque adeo moveri inſtar ponderum in libra, dum augentur aut minuuntur. Certe in libra appendi & moveri, non eſt quieſcere aut ſtabilem ac fundatam eſſe. *Deinde*, mirabilis nobis videtur conſequentia: Mons aliquis terræ motu dejicitur, ergo aliquid materiæ & conſequenter pondus iſtius montis ab iſtâ terræ parte ablatum eſt; & ſic de inſulis, maribus &c. Speciem aliquam haberet conſequentia, ſi montes, aut maria terræ gremio (ex. gr. in Sabaudiâ aut Italiâ) abſorpta, ad antipodas per centrum terræ, aut ſaltem ultra centrum deſcenderent, aut ad vicinam regionem avolarent; inſuper, dum illa materiæ & ponderis portio illic aufertur, nihil rurſum vel aquæ, vel aëris, vel exhalationum, vel terræ aliunde accederet, quod librationem impediret & terram in eodem gravitatis centro contineret. Sed has novas opiniones alii porro excutiant: ubi in tractatu de Elementis fusè (quod ibidem promittit) docuerit librationem aliquam eſſe poſſibilem. Mihi nondum conſtat an tractatus ille ſit editus, ſaltem eum videre nondum potui. 3. *Rejicimus* cum ipſo Baranzano loc. cit. ridiculam opinionem quorundam (qui & quales illi ſint neſcio) qui putant ſingulis momentis ex compreſſione pedum noſtrorum, aut aliorum animalium, terram librari. VIII. *Probl.* An diluvium univerſale naturaliter fieri poſſit, poſtquam ſemel terra ab aquis fuit ſeparata? Neg. & conſequenter, diluvium Noachicum fuiſſe naturale. Nam quamvis eadem quantitas aquæ in fontibus abyſſi, & eadem quantitas exhalationum in cataractis cœli (quæ erat tempore Noachi) ſemper ſit, nullum tamen eſt agens naturale, quod de-

ducat in actum, evocando scil. omnes aquas ex abyssis, & resolvendo omnes exhalationes in pluviam. IX. *Probl.* An ergo miraculosè mare universale contineatur intra littora, an verò naturaliter? Resp. Prius quidam (inter quos *Ambrosius*, *Basilius*, *Theodoret. in psalm.*104.) *ex Iob.* 38.9. *psalm.*104. & additâ hac ratione astruunt, quod mare sit altius terrâ, & consequenter naturaliter terram inundaret. Nos poster. aff. & quidem ex eodem loco *Iob.* 38. 8. 9. 10. *coll. cum psalm.* 104.9. *Genes.*1.*v.* 9. *Ierem.* 5. 22. Memoratur enim ibi admiranda lex naturæ à Deo primitus imposita; non vero aliquid naturæ leges transcendens, hoc est, miraculum. *Deinde*, miraculum erat cum starent aquæ maris rubri *Exod.*14.22. Ergo quod à tertio die creationis usque in perpetuum stant non est miraculum, quia est ordinarium. Ad rationem additam proxima quæst. respondebit. X. *probl.* An mare sit altius terra? Resp. contra experientiam & rationem affirmatum hoc ab autoribus modo cit. & *Cano*, *Burgensi*, *Catharino*, *Thoma* 1.*qu.*69.*a.*1. *Zanchio lib.*4. *cap.* 1. *qu.* 2.*thesi* 2. idque ex male intellectis *ps.*104.6. *Basil.hom.*4. & ex eo *Zanchius loc. cit.* insuper producunt experientiam Sesostris regis Ægyptii, & postea Darii Persæ qui juncturi mare Ægyptium cum mari rubro mare deprehenderint cubitis aliquot altius terra. Addunt alii experientiam quotidianam, quæ docet naves in mari è littore conspectas videri altiores & terram è navi conspectam depressiorem. *Georgius Abotus* Anglus in erudito commentario (sed lingua patria conscripto) *in Ionæ* 1. *lectione* 5.*num.* 21. non tantum Basilii demonstrationem per omnia probat, sed etiam de suo addit: Mare diversis in locis esse altius terra; idque sensu observatum in mari Atlantico versus Mauritaniã: ut habet historia navigationis Iohannis Lærii cap.2. Sed contra statuunt Theologi & philosophi recentiores (*Pererius & VVilletus in Genes. Lorinus in Ps.* 24.*Conimbric.lib.& cap.cit.qu.*4.*& Clavius in Sacroboscо, Keckermannus in appendice ad Geograph.problem.nautico.*3.*Keplerus in epitom.astronom.*, *Contarenus de Elementis*, *Ægidius Hexaëm.lib.*2.*c.*2.27. *Cajetanus*, *Lipomanus*, *Honcala in Genes. Pineda in Iobi* 20.10.*& in Ecclesiast.*1.7.*Molina in oper.*3. *diei disp.*11.*Valentia ad* 1.*qu.*68.*artic.* 3. quod ad sui totum mare non esse altius terra, nec terram altiorem mari (quippe quæ unum constituant globum:) sed quod ad partes quibus mare contingit littora, esse illud depressius terra non quidem in universum, sed ratione partium terræ, quas littora dicimus, hoc est littora altiora esse mari ad illa alluente. Rationes vide apud autores cit. imprimis *Pererium & Conimbricens.* Ad objectum *Psal.*104. facilis est responsio: agi istic de statu aquarum primo & secundo die, non vero post separationem factam tertio die. Ad tentamen

men illud Seſoſtris, & Darii, quod tamen felicius ſucceſſit Ptolomæo teſte Strabone *lib.* 17. dicimus cum Pererio Baſilium in eo memoria lapſum; neque enim mare Ægyptiacum, ſed Nilum cum mari rubro conjungere tentabant, *teſte Plinio lib.* 6. *c.* 29. *Deinde* ipſorum opinio ſive hallucinatio non facit demonſtrationem philoſophicam. *Adhæc*, ſi Straboni credimus, Ptolemæi iſthmum perfodientes & quidem abſque inundatione oſtenderunt experimento illo mare non fuiſſe altius. *Deniq;* detur mare aliquod altius tunc fuiſſe planitie illa Ægypti, prout altiora nonnuquam ſunt flumina, hinc tamen non ſequitur mare eſſe altius tota terra. Ad tertium, de conſpectu terræ è navibus reſpondetur eſſe fallaciam viſus; quia enim terra vergit ad nigredinem; & omnia nigra videntur depreſſa, hinc terra videtur depreſſior mari. Quam fallaciam viſus demonſtratam vide apud *Keplerum lib.* 1. *epitom. aſtronom. p.* 27. Addit ibidem: *Si ſtans in littore, metiaris inſtrumento libramentum undarum, etiam quas omnium extremas viſus aſſequitur; nequaquam in iis elevationem, ſed ſemper exiguam aliquam declivitatem deprehendes: apparebitque non imminere terris undas, ſed infra illas ſubſidere.* Alias objectiones vide ſolutas à *Conimbr. loc. c.* Quod autem rationes ſuas ita inſtituunt quaſi abſolute terra eſſet altior, id cū diſtinctione modo poſita accipi volumus. Vide *Keckerm. loc. cit.* Quæ ex *pſ.* 107. 23. *Daniel.* 7. 3. *Apocalyp.* 13. 1. objici ſolent, craſſam linguæ ſacræ ignorantiam produnt. Aſcendere enim Hebræis ſubinde ſynechdochice notat quemvis motum animalem in etiā è loco altiori ad depreſſiorem: ſicut è contra deſcendere ſubinde notat profectionem ad locum altiorem, *Iudic.* 18. 11. XI. *probl.* An terræ major ſit quantitas, an vero aquæ. R. poſterius affirmarunt Peripatetici quidam, dicentes elementa decuplam ſervare proportionem; atque decuplo plus aquæ eſſe, quam terræ: quos refutat *Peucerus libro cit. fol.* 57. *Clavius p.* 130. *Scaliger Exerit.* 38. Et *Alexander Piccolomineus* peculiari tract. de Quantitate terræ & aquæ, (quem nondum habere potui, ſed ad eum provocant *Pererius lib.* 1. *in Geneſ.* & *Clavius loc. cit.*) Nos experimentis & rationibns eorum acquieſcimus. Quod ergo *Cajetanus* aſſerit aquam initio creationis decuplo ampliorem fuiſſe terra, quia hæc ſit naturalis proportio aquæ ad terram, inter incertas conjecturas deputandum eſt. Vt & illud *Bedæ* dicentis, totum ſpatium à terra uſque ad cœlum empyreum aqua plenum fuiſſe. XII. *probl.* An & quomodo globus terræ accurate menſutari poſſit? Reſp. Modum oſtendunt artifices ad *Sacroboſci cap.* 1. *concluſ.* 6. Sed in aſſignando ambitu admodum variant ut videre eſt ibid. & apud *Conimbric. in* 2. *de cœlo c.* 14. *qu.* 1. & *Pererium p.* 71. Hinc nonnulli ex textu *Iob.* 38. *Eccleſiaſt.* 1. in eam devenerunt opinionem, non

esse mensurabilem. Pererius, quamvis pro affirmante sententia ad loca cit. respondeat phrasi illa non notari τὸ ἀδύνατον, sed raritatem & difficultatem &c. subdit tamen p. 71. *Scriptura loquitur de exacta & infallibili cognitione amplitudinis terræ, quam Mathemathici non tradunt; nec inter omnes constat, quantum spatii terræ respondeat uni gradui cœlestis circuli* &c. Alii putant dissidentes sententias seu calculos de ambitu terræ posse conciliari. *David Christiani lib. 1. syst. geogr. c. 11.* dicit esse *sententiam probabiliorem*, quod non tantum possit magnitudo globi terrestris investigari, sed etiam quod ope arithmeticæ & geometriæ certa ejus dimensio, sive perimetrum, sive diametrum, sive superficiem, sive soliditatem spectes, nobis relicta sit. Nos putamus dicendum, Geographicam (quam recens Geographus *David Christiani lib. 1. c. 10. historicam vocat*) mensurationem esse possibilem & sufficere: quæ (ut & architectonica mensuratio) sit præter propter, atq; ideo à geometrica ἀκρίβειᾳ distingui debeat. Cum enim montes altissimi, valles profundæ, aliaque terræ globum reddant inæqualem, & corpus (ita loquar) quodammodo irregulare, hinc de pręcisa quantitatis ipsius mensuratione dicendum putamus quod de ejus rotunditate Clavius loc. cit. Recte hoc explicuit & distinxit *Strabo lib. 2. p. 54.* ubi Eratosthenem Geographum contra Hipparchum defensurus ait: οὐ δεῖ προσάγειν τὸν ἀκριβῆ ἔλεγχον τοῖς μὴ ὁμολογουμένοις πρὸς ἄλληλα διαστήμασιν· &c. id est *non sunt refellenda accuratius ea quæ pro certis non ponuntur intervalla.* Et mox subdit de continente terra, aliisq; notis locis: non fuisse examinandum Eratosthenem γεωμετρικῶς ὅπερ ἔφην, ἀλλὰ γεωγραφικῶς μᾶλλον id est *geometrice, ut dixi, sed geographice potius. Consectar. Cum ex terra & aqua unum globum constitui, eumque cum cœlo concentricum esse, & ab eo omni ex parte æqualiter distare manifesta ratione probarint artifices, sequitur dimittendum esse sensum, qui fallacia sua doceret, cælum terræ imminere, horizontis extremum contingere & cælum & terram, solem quando oritur ex Oceano emergere.*

2. Nunc agendum de terra seu arida heb. יבשה seorsim. De qua multa quærunt partim physici, partim Geographi; An sit elementum frigidissimum; An & cur gravissimum ac densissimum; quanta sit in se, & quanta cum orbibus cœlestibus comparata; An sit rotunda, & cur sensui appareat plana; & an mathematice intelligenda sit esse rotunda; An sit cava; quanta ejus pars sit habitabilis; Ejus ambitus quibus viis investigetur; Cur sola occupet centrum terræ, & non etiam aqua; Quid sit insula, mons, rupes, spelunca &c. An & quomodo differat arena à pulvere & terra una ab altera; an & quomodo arena numerari queat; quæ sit causa sterilitatis & fertilitatis terræ? &c. De quibus *Zabarella de Elementor. qualitatibus, Conimbric. ad lib. 3. de cœlo c. 14. & de*

14. & *de Generat. & corrupt. l. 2. c. 2. & 3. Clavius* passim in *Sacroboſc. Claromont. l.* 12. & vulgares libelli phyſici aç Geographici; inter quos noviſſime editum *ſyſtem. Geograph. Davidis Chriſtiani.* Quod ad certas terræ partes, ſtudioſis Theologię in primis conſiderādę ſunt & phyſice & geographice Terra Canaan, Paradiſus, Babylonia, Ægyptus &c. item montes Ararat, Libani, Sinai, Sion; Moreah, Sehir &c. deſerta Paran, Engeddi, &c. Rupes Rimmon &c. Spelunca Odullam &c. quorum in ſcripturis fit mentio. Nos contenti erimus paucula hæc phyſico-theologica delibare 1. An terra ſit animal, aut ſaltem animata? Reſp. Poſterius aſſerit *Daneus part. 2. tract. 3. c. 28.* ductus hac ratione quia viventia germinat, juxta *Geneſ. 8. 21.* & hanc vetegabilem vim terræ atque aquæ injecit Dei ſpiritus *Geneſ. 1. 2.* Prius ſtatuebant Priſcillianiſtæ, qui ſenſum non tantum ſed rationem terræ tribuebant: quod ex Pythagoræ & ſimilium lacunis hauſtum videtur (conſer *Lipſii phyſiol. lib. 2. diſſ. 19*) Ex recentioribus *Campanella* omnibus rebus, conſequenter & terræ ſenſum tribuit. Sic enim *lib. 1. c. 1. Cum vero animalia (ex omnium Teſtimonio) ſenſum habeant; ſenſus autem ex nihilo non oritur: neceſſario adfirmandum eſt; Elementa, ipſorum Cauſas, ſentire, & quidem omnia. Nam quod uni ex Elementis ineſt, convenire omnibus, demonſtrabimus. Sentit ergo cælum & terra & mundus, animaliaque inter ipſum manent, ſicuti vermes intra ventrem corporis humani, qui hominis intellectum & voluntatem ſenſu non percipiunt, quoniam ipſorum ſenſui non proportionantur.* Sed meri ſunt luſus æquivoci, & ἀκυρολογίαι. Si enim definitionem vitæ ſenſitivæ aut vegetativæ ſpectemus, certe terræ minime aptari poteſt. Argumenta philoſophica contra vitam metallorum, huc analogice applicanda. Quod ad rationem Danæi, dicendum terram eſſe vegetabilem efficienter, non vero formaliter: nam & ſol producit vegetabilia, nec tamen vivit. Terra generat plantas, ſed generatione æquivocâ (haut aliter ac animalia ex putri materiâ) quia ſpecie differt à plantis: immo & plantas ex ſuo quaſque ſemine germinare facit, juxta *Geneſ. 1. v. 11.* Quod ſemen vel manifeſtum eſt, vel occultum, vel proprium & ſuæ ſpeciei, vel analogum; ut circa ortum viventium ſpontaneorum non malè diſtinguunt philoſophi. Videantur obvii libelli phyſici inter eos *Seidelius lib. 2. c. 2. p. 399.* Et *Scaliger ad Theophraſt. de plantis lib. 1.* quem citant & probant *Sennertus de chymic.* & *Galenic. & c. c. 12. & in Hypomnem. phyſicis, hypomn. 5.* & *Sagittarius diſp. phyſicar. 13. th. 5.* Reſpondemus ergo ad *Geneſ. 8. 22.* terram producere plantas quia concurrit ad earum productionem tanquam materia tranſiens, & quidem remota: nam propinqua eſt ſemen in quo imme-

diatè & propriè est facultas πλαστικὴ sive, ut alii (*Anselmus de Boot l.* 1. *de Lapid. c.* 11.) loqui malunt seminaria & architectonicus spiritus in semine plantari concluditur. De cujus vitâ ideo disputant *Scaliger exercit.* 208. *sect.* 5. *& 7. Sennertus Phys. lib.* 6. *c.* 2. *& in Chymicor. cum Galenic. consensu & diss. c.* 9. *&* 12. Hypothesin & consequentiam Campanellæ, quam per totum illum tractatum diffundit, & ad omnes ac singulas partes mundi (etiam ad lucem, tenebras, frigus *lib.* 3. *c.* 5. cadavera *lib.* 4. *c.* 9.) extendit; facile elidet instantia illa, Deus tanquam causa universalis & æquivoca produxit omnia corpora, eorumque partes, vitam corpoream, sensus corporeos &c., nec tamen partes aut qualitates corporis habet, aut oculis corporeis videt, aut facultate nutritivâ nutritur, auctrice augetur &c. 11. *Probl.* An tota terra sit habitabilis? Resp. Vulgata est divisio zonarum terrę, quarum media propter æstum, duæ extremæ propter frigus dicuntur inhabitatæ, ut videre est apud *Virgil. Georg.* 1. *Ciceronem de Rep.* 6. *Plinium l.* 2. *c.* 108. *Martian. Capellam lib.* 6. *p.* 196. *Macrobium in somn. Scip. cap.* Specialiter mediam zonam æquinoctiali circulo subjectam inhabitabilē probat *Arist.* 2. *Meteor. c.* 5. quem more suo sequuntur *Thom.* 1. *qu.* 102. *a.* 2. *Scotus & Durandus ad* 2. *dist.* 17. Sed errorem hunc detexit experientia per navigationes recentiorum; ut nunc communiter ostendunt philosophi: inter eos *Clavius ad Sacraboscо*, & *Conimbric. ad* 2. *de Cœlo c.* 14. *qu.* 1. *Valesius in Philosoph. sacra cap.* 26. Et ante experentiam nostrorum temporum tale quid suboluerat Erathostheni, Polybio, Ptolomæo, Avicennæ, & Theologis illis, quorum meminit *Thomas loc. cit.* qui sentiebant sub circulo æquinoctiali locum esse temperatissimum propter perpetuam æqualitatem dierum & noctium: contra ac statuebat Aristoteles *loc. cit.* Cujus opinionis quamvis probabiliorem pronuntiasset, non ausus fidere concludit: *Quidquid autem de hoc sit, credendum est paradisum in loco temperatissimo constitutum esse vel sub æquinoctiali, vel alibi.* *Petrus de Aliaco* Cardinalis & Episc. Cameracensis Theologus, Philosophus, & Mathematicus pro ratione istorum temporum (floruit circa annum 1410.) eximius, in Opere Cosmographico, *cui tit. de Imagine mundi cap.* 49. dubitationem & ignorantiam circa inhabitationem partium terrę apertè profitetur: *Quapropter*, inquit, *medietas æquinoctialis circuli non erit habitatio inter oriens & occidens. nec medietas rotunditatis terræ. nec duodecim horæ ut quidatur æstimant. Sed longe plus medietatis terræ & plus quod revolutio medietatis cœli. Quantum hoc sit autem sic non est temporibus nostris mensuratum nec invenimus in libris antiquorum certificatum. Nec mirum quoniam plus medietatis quartæ in qua sumus est nobis ignotum. nec sunt civitates à philosophis comprehensæ. Similiter si loquamur de aliis duabus quartis & consideremus*

vias

vias naturales non erunt ille coopertæ aquis ut vulgis mathematicorum æstimat. Et ad hoc inducunt aliquas rationes quas prosequi non est hujus operis ex quibus patet quod quantitas extensionis oceani super terram & ejus habitudo valde incerta est. III. *probl.* An sint Antipodes quos Antichtonas vocat *Scaliger comm. ad Manilium, Cleomedes lib.* 1. ἀντίχθονες ἡμῶν, & ἀντῶμοι, id est, humeris aversos seu oppositos? Resp. Aff. *cum Plinio lib.* 2. *c.* 65. *Cleomede lib.* 1. *circular. inspect. meteor. cap. de cœli orbibus. Manilio lib.* 1. *p.* 8. *edit. in* 4. *Pomponio Mela lib.* 1. *c.* 1. & recentioribus Theologis & philosophis: quorum rationes vide apud autores Geographicos, imprimis & apud *Zanchium l.* 5. *c.* 1. *qu.* 3. Contrarium sensit *August. l.* 16. *de civit. Dei c.* 9. *Lactant. l.* 2. *c.* 24. *Beda* de ratione temporum *c.* 26. Et *Abulensis in Genes.* 1. Et Rabbini quidam apud *R. Menasse ben Israel probl.* 27. & 28. de Creatione. Nota etiam est ex Aventino historia Virgilii Episcopi Salisburgensis, cujus sententiam de Antipodibus Papa Zacharias accusante Bonifacio Episc. Moguntino *anno* 745. damnaverat. Quam historiam *Libertus Froymundus* in Ant-Aristarcho, ut Papæ infallibilitati consulat, pro virili longe aliter, ac quidem hactenus relata fuit, explicare conatur. Habet tamen eandem historiam Historicus: Gallic. *Fauchet tom.* 1. sub finem. Rationes eorum erant 1. quia homines illi essent penduli. 2. quia si daretur terram esse rotundam; nondum tamen probatum est, partem eam nostro orbi oppositam ab aquis esse denudatam. 3. Quia siquidem aquis esset detecta, non potuissent homines eo pervenire. 4. Quia sequeretur hoc absurdum, homines illos siquidem istic aliqui habitarent, non fore de genere Adami. 5. Quia cum apostoli ad omnes orbis incolas Euangelium detulerint *Rom.* 10. non legitur tamen aliquem eorum circulum æquinoctialem pertransisse. Quas facile diluimus: & tyro in solutione earum vix hæreat. Videantur etiam *Zanchius lib.* 5. *c.* 1. *Conimb. ad* 2. *de cœlo c.* 14. *qu.* 1. *Clavius coment. Sacrobosco*; *David Christiani in systemate Geographico, anno superiori* 1645. *edito lib.* 1. *cap.* 39. *Salmuthus ad Pancirollæ nove repert. tit.* 1. Primæ rationi nimis idioticæ eleganter respondet Plinius lib. 2. c. 65. *Ingens*, inquit, *hic pugna literarum contraque vulgi; circumfundi terræ undique homines conversisque inter se pedibus stare, & cunctis similem esse cœli verticem, ac simili modo ex quacunque parte mediam calcari: illo quærente, cur non decidant contra siti; tanquam non & ratio præsto sit, ut nos non decidere mirentur illi. Intervenit sententia quamvis indocili probabis tu turbæ, inæquali globo, ut si sit figura pineæ nucis, nihilominus terram undique incoli. Sed quid hoc refert alio miraculo exoriente? pendere ipsam, ac, non cadere nobiscum, seu spiritus vis mundo præsertim inclusi, dubia sit: aut possit cadere natura repugnante, & quo cadat, negante. Nam sicut ignium sedes non est nisi in ignibus, aquarum*

nisi in aquis, spiritus nisi in spiritu, ita terræ, arcentibus cunctis, nisi in se locus non est. *Secundam* rationem solvit quotidiana experientia, & navigationes, atque inde communis historia Geographica. *Tertiam* mox attingemus, probl. 5. *Quarta* concidit ubi ad tertiam responsum fuerit. Certum est omnes homines, quandocunque inventi fuerint (sive constet nobis quomodo illuc delati sunt, sive non constet) descendisse ex Adamo & Eva. Probatur ex *Actor.* 17. *v.* 26. Et *Genes.* 3. *v.* 20. *quia mater omnium viventium*, scil. hominum. De quinta, quæ movit pereruditum Abulensem, ut hanc opinionem defenderet, agendum ex professo *in Disput. de Vocatione Gentium.* IV. *probl.* An novus mundus fuerit antiquis cognitus? Resp. Inclinamus in partem Neg. Saltem nihil certi in contrarium adferri potest: atqui affirmanti incumbit probatio. Nos ex abundanti dicimus 1. Nusquam in scriptura V. aut N.T. istarum gentium fieri mentionem: quāvis indefinitè nomine insularum *Genes.* 10. *v.* 5. juxta cum aliis insulanis intelligi possint. 2. ne quidem cum prædictiones & historiæ de vocatione Gentium recensentur. 3. Nulla antiqua Geographia, nulla historia politica aut ecclesiast. earū meminit. 4. Nullius traditionis, nullius memorię, nullius famę πατροπαραδότε, nullorum monumētorum vestigia in alterutro mundo hactenus reperta sunt, quibus de mutua cognitione & commercio, saltem olim habito, edoceremur. Quod sane inter admiranda divina, naturalia, humana mihi semper admodum mirabile visum est: ad quod merito exclamare liceat: ὦ βάθος πλούτε &c. *Rom.* 11. *v.* 33. Quis satis miretur jā inde post diluvium Noachicum primos incolas post diluvium scil. (nam ante diluvium fuisse ibi homines non est negandum) istius mundi cum posteris suis à nostro hoc mundo ita fuisse divisos, ut nulla viæ tunc repertę & apertę memoria, nedum per eam itio & reditio frequentata & retēta fuerit? Tam exiguā propriæ salutis curā in incolis novi mundi, tam nullam in incolis veteris mundi, à quibus discesserant, superfuisse? Nullos prophetas & viros Dei divulsione & discessione jam recenter facta, eo se contulisse: ne quidem apostolos aut eorum successores, cum jam messis illa vocationis gentium adveniisset? Gentes illas ultra tria annorum millia in viis suis ambulasse, nullo quidem vel tenuissimo lumine saltem per reflexionem illis apparente, quod aliis in hoc orbe evenire poterat? Sunt tamen qui velint orbem illum ante navigationes Lusitanorum cognitum & frequentatum fuisse. Quo referunt illud de Insula Atlantide ex Platone, & similia nonnulla ex aliis, quæ vide apud *Lipsium lib.* 2. *diss.* 19. *Et Keckerm. in problematis Nauticis*, quæ Geographico systemati subjecit; *Ionstonū p.* 82. Qui vidēdi. Sed imprimis Theologos nonnullos in hanc sentētiam pertraxit navigatio Ophiritica Salomon

1 *Reg.*

1 *Reg.*8.*&* 2. *Paral.*9. ex verisimilibus enim nonnullis colligere se putant *Ophir* esse *Peru*. Ita *Arias Montanus*, *in Caleb. Vatablus in* 1 *Reg.*9. *Broughtonus in Iob.*38., *Genebrard. in chronol.*, *Daneus phys. Christ. part.*2. *tr.* 3. *c.*46. cum quibus consentiunt ex philosophis & philologis Postellus, Goropius Becanus, & *Keckerman. Probl. Nautic. part.* 2. *p. pr.* 9. *Dalecampius ad Plinii lib.*2. *c.*67. ubi & alii autores citantur. *Zwingerus in Theatro lib.*1. Sed opinionem hanc refutant *Iosephus à Costa l.*1. *de novo orbe c.*14. & & *Bellester in Onomatogr. sacra p.*288. Imprimis *Ortelius in thesauro Geopraph.*; Et *Isacius Pontanus* in appendice Discussion. Historicarum; *Deniq*; *Gaspar. Varrerius* tract. peculiari, quem cum Discuss. histor. recudi curavit laudatus modo Pontanus. *Pineda in Iob.*28. ubi & alios citat. *Gryphiander de Insulis c.* 4. *n.*25. *& c.*29. *n.*56. *Salmuthus ad Pancirol. part.*2. *tit.*1. qui videri possunt. Addendi his omnes autores qui cum Fl. Iosepho *Ophir* faciunt Iudææ regionem, ut *Pererius in Genes.*10. *Mercerus in Iob.*22.24. *Simeon Muis in ps.*45.10. *Ribera in Ionæ.*1. Rationes in utramq; partem allatas studiosi illic invenient: nec est, quod eas hic repetam. Eandem quæst. tractat Erasmus Smit orat. ad finem comm. in Pindarum. Duo tantum addo. *Prius est, Broughtonum* annot. suis in Iobum anglicè à se translatum (si bene memini) alicujus facere quod aurum ab incolis novi orbis appllletur כתם *ketem*; quæ vox hebraica occurrit *Cantic.* 5. 11. *Iob.*28. *v.* 16. *&* 19. ubi priori loco habetur כתם אופיר id est, *aurum Ophir. ut & c.*22.24. *&* Ps. 45.10. Resp. sed levissima hæc conjectura; potuit enim illud retentum fuisse jam inde à confusione linguarum, & à primis incolis eo illatum, (quale fere videtur accidisse nomini שק id est, saccus, quod tot linguæ retinuerunt.) Aut, si quod post primam occupationem novi orbis Ophiritis cum incolis ejus fuerit commercium, inde adhæsisse. *Alterũ est*, conjecturã illã ex metathesi *Peru* & *Ophir*, & alterã ex *parvaim* (quod volunt duale esse à *Peru*) post omnes alios penitus jugulatam à *Garcia Lasso Inga apud Pinedam loc. cit.* qui refert regionem hanc non fuisse vocatã *Peru* nisi ab Hispanis, idq; hac occasione, cum Hispani littora illa legentes incidissent in piscatorem & signis ex illo quęsivissent de nomine regionis, ille putãs de nomine suo quęri, respõdebat *Beru, Beru*, quod nomẽ istic frequẽtissimum est maritimis hominibus. VI. Quomodo homines in novum orbem pevenerint? Resp. 1. Ex Asia (ubi homo primum creatus, & ubi post diluvium Noachicum consedit) eo perveniss certum est: quamvis modus ignoraretur. *Augustinus lib.*15. *de Civit. Dei c.*7. quærit, an & quomodo omne genus bestiarum etiam noxiarum in arca servatum, in remotissimas quasque insulas delatum sit. Modos aliquot ibi proponit, tacite concedens remotissimas è terris insulas ex eo numero aliquas accepisse. Modos autem istos proponit, aut natando transisse, ad insulas

proximas: aut ab hominibus captas eò traductas aut jussu sive permissu Dei ab angelis potuisse transferri. Medium modum confirmat Ludovicus Vives, exemplo insularum fortunatarum, ubi multa animalia non inventa, sed ab Hispanis importata sunt. Medius ergo modus præsupponit navigationem. Quo magis mirum nullum ex illis modis potius alibi ab Augustino excogitatum fuisse, quam ut negaret Antipodas libr. 16. cap. 9. hoc argumento: *Nimisque absurdum est, si dicatur aliquos homines ex hac in illam partem oceani immensitate trajecta navigare, ac pervenire potuisse: ut etiam illic ex uno illo primo homine genus institueretur humanum.* Quod si hypothesios illius certitudo de cõtinentia Asiæ & Americæ, aut saltem de disterminatione utriusque per sinum aut exiguum aliquod fretum haberi possit (in quam etiamnum inquirunt & inquirendum putant viri harum rerum peritissimi; inter quos ampliss. & eruditiss. *Ioh. de Laet* in tract. de origine Gentium Americanarum c. Cl. Hug. Grotium) utique facile hoc dubium expediri posset. Vnde autem, quando & quomodo in novum istum orbem homines primum delati sint, non tam rationibus, quam ingeniosis conjecturis hodie inter eruditos certatur. Sunt qui putant statim post divisionem linguarum (de qua *Genes.* 11.) homines quodam terrestri itinere eo penetrasse, ac sedes suas fixisse, unde gentes illæ propagatæ. In hanc sententiam inclinat *Iosephus à Costa lib. 1. histor. Indicæ cap.* 16.; eamque aliis omnibus præfert modo laudatus *Ioh. de Laet lib. cit. p.* 11. & *p.* 104. & *p.* 89. 99. Qui tamen p. 132. &c. *observationes aliquot adjicit, è quibus diversæ viæ aperiuntur, per quas homines navigando in Americæ partes venisse videre possint, siquidem adhuc tam obscurum & difficile est terrestri itinere in ipsam homines deducere.* Pariter Acosta lib. cit. c. 20. concludit probabile esse primos incolas naufragio & tempestate actos eo deveniss. Prior sententia expeditissime quidem omnia dubia tolleret; sed cum probabilis tantum sit, & tota pendeat à conjectura & suspicione de continentia orbis veteris & novi: non video cur tutius acquiescere non liceat (saltem tantisper dum de continentia illa nihil exploratum habemus) in sententia illa, quæ statuit per navigationes, eo deveniss. homines, & eo traducta animalia; & quidem per Noachidas Genes. 10. Dubia quæ contra eam moventur, non esse ἄλυσα ostendit ibid. Cl. vir modo laudatus. De navigandi peritia, & frequentia apud veteres, vide quæ habet p. 75. de vicinitate insularum, & faciliori ex illis trajectu p. 132. & 137. & 14. *Hug. Grotius* opinatur omnes ferme populos cis Isthmum Panamę ex Norwegia & Islandia, reliquos populos ab isthmo Panamæ usque ad fretum Magellanicum ex Sinensibus ortos. Quem dicto libro refutat Ioh. de Laet. Alii malunt ex Tarta-

Tartaria eo delatos : quorum opinio, ibidem à Grotio refellitur. Alii à Iudæis originem accersunt. Alii à Chananæis. Quæ opinio ibidem examinatur. *Robertus Comtæus Nortmannus in dissertatione de origine gentium Americanarum*, probare conatur ex monumentis veterum, autoritatibus, & cõjecturis Americanos à Phœnicibus seu Sidoniis, seu Tyriis, seu Carthaginẽsibus procreatos. Quem videat, cui vacat. *Probl.* An mõtes, valles, aliæque terræ inæqualitates fuerint ante diluvium ? Resp. cum *Scaligero Exercit.* 43. *De montium vero generatione qui quærit, quærat is quoque de maris cœli & aliorum.* Et evincit hoc *Proverb.* 8. 25. *psalm.* 90. 2. imprimis *Genes.* 7. 10. Non diffitemur magnam mutationem circa montes, valles, fluminum alveos, paludes, lacus &c. factam esse per diluvium ; atque hinc non parum conturbatam si non fere deperditam antiquam Geographiæ rationem : Quin & post diluvium montes in valles, campos aut deserta in lacus, insulas in continentes & vice versa aut natura aut nonnunquam hominum industria converti. Quod de montibus dicimus, An de Atlante, aliisque majoribus *Scaligero Exercit.* 42. memoratis (propter loca *ps.* 36. 6.) & non potius de partibus eorum aut de collibus & monticulis asserendum sit dubitatur? Videtur tamen id desumi posse ex *Iesa.* 54. 10. *cum Iob.* 9. 5. & favent, quæ referunt *Strabo lib.* 17. & scriptores de terræ motu, præsertim *Keckerm.& Polanus ante hac cit. & Pineda in Iob.* 18. 4. Memorabilis historia est montis Conti in Rhætiæ valle Telina, qui cum aliquot dierum imber cum fulgetris & tonitru præcessisset, ipso crepusculo & sereno cœlo 4. *Septembr.* 1618. summo impetu & fragore unoque momento decidit, & oppidum Plurium & pagum Schilanum cum 920. incolis oppressit. Vide historiam hanc descriptam à *Fortunato Sprechero in hist. Motuum & bellorum Rhætiæ p.* 63. 64. 65. 66. Sed tamen & hæc de minoribus montibus aut partibus majorum exponi possunt. Quinam sint maximi & celebratissimi montes, & quæ circa eos admiranda, compendio discres ex *Kormanni Templo naturæ historico part.* 4. *consider.* 13. Cui adjungi potest *Ionstonus Thaumatogr. pag.* 89. *Bartholomeus Anglicus lib.* 14. *& Aliaco de Imagine Mundi cap.* 38. 39. scriptores Geographici & historici Naturales antiqui, *Plinius* cum *notis Dalecampii*, *Solinus cum Exercitationibus Salmasii*, *Strabo cum notis Casauboni*, *Geographia Nubiensis*, *&c.* (vide reliquos in Biblioth. nostra) : aut si quis compendio studeat consulat recentiores ; *Mercatoris Atlantem* ; cum *Davidis Christiani syst. geograph. lib.* 1. *cap.* 9. De montibus in sacrà scriptura memoratis consulendus est. *Adrichomius in descriptione terræ sanctæ*, & *Nierenbergius in libro de Miraculosis naturis terræ promissæ* : quamvis multa ibi occurrant fabulosa. Vnde etiam petenda contem-

platio Promontoriorum, capitum, rupium, vallium &c. in genere & in ſpecie. VII. *Probl.* De montibus Ignivomis, quæritur, an ratio naturalis incendii illius aſſignari poſſit? Reſp. Aff. Eſſe montes ignovimos præ aliis, docet communis tot ſæculorum experientia, de Ætna in Sicilia; Veſuvio in Campania, Hecla in Iſlandia, apud *Camerarium centur. 3. horar. ſubciſiv. c. 17.* *Adervam* apud *Geographum Nubienſem p. 29. & 123. edit. lat.* Æthnæ incendia deſcripſit *Bembus* peculiari libello de Æthna. Et *Cluverius lib. 1. antiquit. Siciliæ.* Veſuvii *Vincentius Alzarus* medicus Vrbani VIII. libro hiſtorico-phyſico apprime erudito, cui tit. *Veſuvius ardens.* Exſtant & alii tractatus de eodem Veſuvio Frid. Szembeck & Ioh. Bapt. Maſculi: ſed quos mihi nondum videre contigit. Meo judicio luculēter cauſam illius incendii explicuit Alzarus & ſtudioſis noſtris ſuffecerit. Poſſent & hic notari quædam paſſiones terræ 1. de terrę hiatibus & dehiſcentiis. Exemplum eſt Numer. 16. 2. De terræ-motu: de quo ſupra part. 3. ubi de meteoris 3. De ignibus ſubterraneis; qui ſæpe terribiles terræ-motus cient: de quibus *Voſſius lib. 2. de Idololatr. c. 42. imprimis c. 63.* Huc refer puteos ignovomos de quibus *Geographus Nubienſis p. 35. & 67.* Confer infra part. 6. theſ. 2.

3. De aquis & mari, ut & fontibus, fluviis, lacubus, ſtagnis, fretis, Euripis, æſtuariis, paludibus &c. quamplurima diſquirunt Phyſici & hiſtorici naturales ac Geographici modo citat. non pauca etiam Theologi ad *Geneſ. 1. & 7. Iob. 38. Pſalm. 104. & 107. Actor. 27.* aliaque loca ſexcenta. Vide hic *Zanchium* & *Daneum.* Quam nobilis ſit maris contemplatio, quam excellens ejus utilitas, compendio oſtendit *Stuckius in epiſt. Dedicator.* ad Periplum maris Erythræi; & *Gregorius Cyprius* in encomio Maris gr. quod edidit *B. Vulcanius cum Ariſt. libello de Mundo.* Et, ſi cui autores illi non ſint ad manum, *Alſtedius in Theolog.* natur. In ſcripturâ familiarius cognoſcenda Theologiæ ſtudioſo inter *Maria*, Occidētale ſeu mediterraneum Iudeæ, mare mortuum ſeu Sodomæ (de quo *Benjamin Tudelenſis Itiner. p. 53. Et Geographus Nubienſis p. 111. & Adrichomius num. 186. Salmaſius ad Solin. c. 36. D. Chriſtiani lib. 2. c. 7.*) ſtagnum Genezareth, mare rubrum (de quo Periplus Arriani cum doctiſſ. ſcholiis Stuckii, & *Conimbr. tract. meteorolog. 8. Benjamin Tudelenſis p. 12. & Ferdinandus Cordua in didaſc. multipl. c. 49.* Inter *fluvios*: *Iordanis*, *Nilus* (de quo poſteriori celeberrimo fluvio exſtant peculiares tract. *Ioh. Goropii Becani tit.* Niloſcopium & *Ioh. Baptiſtæ Scoriæ & Marc. Friderici VVendelini*) Tigris, Euphrates, Piſon, Gihon, quæ quatuor dicuntur flumina Paradiſi: de quibus infra *part. 6. theſ.* 5. Extra ſcripturam, celeberrima eſt palus Mæotis, & Pontus Euxinus, de quo poſteriori exſtat Periplus Arriani cum doctiſſ. commentario Stuckii.

Porro

Porro ad hydrographiã & geographiã ſacrã conducet ſtudioſis *tract. Ariæ Montani*, cui titulus *Caleb*, & *Adrichomii terra ſancta*: imprimis clavem & indicem præſtabit incomparabilis ille *Theſaurus Geograph. Ortelii*; cum quo conjungendus *Atlas Mercatoris* & *Nierenbergi liber de Miraculoſis naturis terræ promiſſæ*. De aquis, & mari, fontibus, fluminibus, phyſici, & hiſtorici naturales conſulendi, *Plinius lib. 2. cap. 79. cum notis Dalecampii*; *Solinus paſſim*, *cum exercit. Salmaſii*, *Voſſius lib. 2. c. 57.* & ſæpe jam indicati *Conimb. Clavius*, *Bodinus*, *Seidelius*, *Cardanus de ſubtil. & Varietate rerum*, *Scaliger adver. Cardanum*; *Nierenbergii hiſtoria naturæ*, *ejuſdemque libri 2. de miraculoſis naturis Europæ*; *Ionſtonus in Thaumatogr. claſſe 2. Thomas Lydiat de Origine fontium*, *cujus libelli* ſummam exhibet *Ionſtonus claſſe 2. cap. 4. p. 64. Vbi* vide. Occurrunt etiam nonnulla in quibuſdam opuſculis Ariſtotelis & Theophraſti gr. ab Henr. Stephano editis anno 1557. in 8. *& apud Atheneum lib. 2.* & in mirabilibus *hiſtoriis Antigoni gr. lat. anno* 1620. à Meurſio editis cum notis Lugd. Batavor. *Plutarchus & Ioh. Bocacius de fluminibus*. De Balneis naturalibus, ſeu fontibus calidis *Franciſc. Fabritius* libello peculiari, *Bauhinus*, *Fallopius*, *Horſtius*, *Sebizius*, *Aleardus Veronenſis*. Sunt & aliiqui linguis vulgaribus Germanica ſc. & Gallica de balneis ſcripſerunt. Sed nihil attinet eos hic citare: imprimis cum latinos ſcriptores aliquot indicaverit *Ionſtonus claſſ. 2. c. 5.* De aquarum potarum, aut extrinſecus corpori applicatarum ſive nivalium ſive marinarum ſive fluvialium, ſive pluvialium ſalubritate, efficaciâ, & uſu, cogitãdi occaſionem præbent loca ſcripturæ *Proverb. 25. 13.* &c: Vide *Valeſium de philoſoph. ſacrâ cap. 16.* Habet nonnulla huc facientia, *Vvendelinus de Nilo cap. 10. 11. 12. 13. 23. 24. & Thom. Minadeus* medicus Vtinẽſis *in diſp. Medicis*, *diſp. 6.* quæ eſt, Quid magis præſtet pro aquarum correctione, coctio an ſublimatio; & *Ioh. Manelfus in diſp. ad primam ſectionem probl. Ariſtotelis*. Qui ad alia properat, in cõtemplatione maris & aquarum, adeat ex theologis *Zanchiũ & Pereriũ l. 1. in Geneſ.* Ex philoſophis *Keckerm. in ſyſtem. & Diſput. phyſicis*, *& Dav. Chriſt. in ſyſtem. Geographico*, *& Caſmanni Problemata marina*: qui & alios præſtantiſſ. autores indicant. De hominum machinis & artificiis circa motum aquarũ, imprimis circa exaltationem, conſulẽdi inter antiquos *Hero in hydraulicis*; *Vitruvius l. 10.*; & inter recentiores *Ioſephus Cenedus in libro Ital. anno* 1579. Parmæ edito tit. *tre diſcorſi ſopra il modo d'alzar acqueda luogi baſſi*; Cardanus l. 1. de variet. c. 6. Ioſephus Scaliger diſcurſ. gall. in opuſculis. De artibus urinandi, natandi, navigandi in aquis alibi autores quoſdam indicavimus. Poſt illud tempus didici *Georgiũ Fournier ſociet. Ieſu* edidiſſe hydrologiam, ſeu de arte navigandi *l. 24.* Qui conſuli poteſt à ſtudioſis noſtris, qui legationes euangelicas in Indiam Orientalem aut Occidentalem ſuſcipiunt.

unt. Quæritur à physicis, An aqua sit frigidissima; an densissima; an in loco suo gravis; an alat; an & quomodo peculiariter illi dominentur influentię lunares; quæ sit maris profunditas; an moveatur ab oriente versus occidentem; an diversis aliis motibus moveatur; an omnia maria æstuent; quæ causa æstus marini; cur unum mare magis æstuet altero; Pontus Euxinus an sit mare; an mare sit meteoro. Nos de aquâ uno, de maribus tribus, de fluminibus & fontibus uno atque altero, problematis propositis, appendiculas de diluviis & inundationibus,& de Insulis subjicimus. *Probl.* 1. An aqua sit calida an frigida, an neutra? Resp.Pr. Affi. *Patricius in discuss.peripat.& Telesius*; quorum prior addit nullum corpus suâ naturâ esse frigidum, & consequenter nec aquam; sed ejus frigus esse adventitium ab aëre scil.sive per antiperistasin,sive per fugam à contrario, sive per concentrationem in angusta. Rationes non paucas pro hac opinione suâ coacervant, quas etiam recensetCasmannus *part.* 1. *de Mari probl.* 7. Sunt qui censent (ibid. apud Casman.) nec frigidam nec calidam esse, sed quia magis patitur quã agit recipiendo, aptam ad frigus & calorem, propter tenuitatem suam. Nos non videmus cur *Aristotelis* 2. *de Generat. & corrupt.cap.* 3. ac sectatorum ejus tum philosoph. tum medicorum sententia sit deferenda. *Scaliger exercit.* 47. 6. contendit aquam non habere calorem in potentiâ. Sed nobis sufficerit saltem calorem actu aquæ denegare, idque teste sensu, ratione, & scripturâ *Proverb.*25.13.25.

DE CREATIONE.

PARS SEXTA,

Resp. LUBERTO SPRUITIO Vltrajectin.

Ad diem 13. *Octob.* 1638.

11. *Probl.* Quæ sit origo maris; & an fuerit ab initio? Resp. Ab initio primo die scil. creatum fuit mare quod ad materiam seu contentum,elementum sc. aquæ *Genes.* 1. *v.* 2.; tertio vero die quod ad formam suam seu potius formale, hoc est situm & formam externam seu figuram,quatenus est receptaculum aquarum inferiorum *v.*9.10. *Eucherius* de quæstion. difficil. V. T. in Genesi: *Aquas ubi legimus à Deo factas? R. Etsi factas eas in exordio creaturarum non evidenter divinæ lectionis textus expressit*

preſſit, à Deo tamen factæ ſunt. Nam & aliquanta alia quæ non ſcribuntur, quomodo de cæteris intelligantur oſtenditur. Et tamen de aquis à Deo factis illud nos aliquatenus inſtruere teſtimonium poteſt quod dicitur: Separentur aquæ in congregationem unam, & appareat arida, quia ſcilicet non præciperet, ut aquæ à terra quam fecerat ſecernerentur, niſi & aquas ipſe feciſſet. Nec enim conſequenter in creaturarum ordine poſtea diſtingui juberet, quod ipſe non antea non creaſſet. Et hoc quidem ob id colligimus: quia creationis ejus manifeſte Geneſis non intulit mentionem. Manifeſtius autem creaturæ hujus Deum deſignat autorem Pſalmus ille qui dicit: Quoniam ipſius eſt mare, & ipſe fecit illud.

Eſt ergo cauſa producens ſolus Deus creator, ut conſtat ex loc. cit. & *Pſ.*65.5. *Iob.* 38. *Ion.* 1.9. Ejuſdem eſt cauſa conſervans Nehem. 9. 6. cum Heb. 1.3. ſed non ſola & immediata; quia utitur cauſis ſecundis, imbribus ſcilicet tum in ipſum mare immediate decidentibus, tum in paludes & flumina, quæ in mare aquas ſuas exonerant. Hinc ergo corrigendi errores eorum, qui ajebant eſſe ſudorem terræ; aut reliquias eſſe primogenii humoris, quem ſolis ardor exſiccarat; aut ex ſubterraneo quodam fonte erumpere (cum quo forte convenit tertarus Platonis) aut ex fluminibus oriri; aut ex vaporibus reſolutis: de quibus videndi *Ariſtotel. Meteor.* 2. *Plutarch. lib.* 3. *de placitis c.* 16. *Conimbric. Meteor. tract.* 8. *c.* 1. *Zanchius lib.* 4. *c.* 1. III. *probl.* An mare ſit unum? Aff. unitate ſcil. collectiva. In ſcriptura promiſcue ſingulari & plurali numero *Mare*, & *Maria* vocatur. Sic *Geneſ.* 1. *v.* 10. occurrit מקוה *mik've* id eſt, *congregatio* & ימים *jammim*, id eſt, *maria*. Quia unum revera eſt mare; unum *mikve*, unum receptaculum; quamvis pro variis locis, per quæ tranſit, aut quæ alluit, varia ſortiatur nomina. Hinc prima diſtinctio eſt in *Oceanum*, & *mediterraneum*. Illud eſt, externum, quod totam οἰκουμένην ambit, & per medium diſtinguit, quod ſecundum quatuor plagas mundi diſtribuitur in *Atlanticum* ab occidente, *Mare Orientale & Indicum* ab oriente; *Mare rubrum & Æthiopicum*, à meridie, *Mare glaciale* ſive *mortuum* à borea. Iſtud eſt quod in ipſam terram irrumpit & penetrat, multoſque facit ſinus, quos numerant. 30. quorum principales ſunt *Perſicus* ab oriente, & *Arabicus* ab occidente: unde reliqui ſinus derivantur. De quibus conſulendi libelli Geographici: & ex Theologis *Zanchius lib.* 4. *c.* 1. IV. *probl.* Vnde maris ſalſedo? Reſp. *Plutarchus de plac. lib.* 3. *c.* 6. *Plinius lib.* 2. *c.* 100. *Ariſtoteles* 2. *Meteor. c.* 3. varias referunt opiniones: & ipſi tribuunt ſoli, qui partes tenuiſſimas extrahat, & in vapores convertat, quam ſententiã prolixe explicat *Scalig. Exerc.* 51. 1: pro ea etiã *Rhodiginus l.* 27. *c.* 15. qui eodem libro & paſſim quãplurima de Mari obſervat. Quem conferat, cui vacat, & *Ionſtoni thaumatograph. p.* 74. *Davidem Chriſt. l.* 2. *c.* 9.

Suns

Sunt qui hanc tantum causam assignent, quia mare sit mixtum; quippe cui terrestre adustum sit admixtum. Sed quomodo & cur ab exustione salsum generetur, si porro quæras: non respondent. *Beatam*, inquit, Scaliger, *illam futuram vitam: quæ docebit nos quomodo fiat ab exustione salsum. Nunc enim meta intellectus nostri est.* *Alii* statuunt initio creatum esse salsum: ut *Daneus p.2.tr.3.c.11. Patricius tract. de Aqua & mari*; & ex illo *Casmannus part. 1. probl.* 8. qui contrarias opiniones ex professo impugnat. Nos cum his sentimus: *tum* propter historiam creationis, quæ non tantum aquam, sed & mare in formâ (cujus proprium est salsedo) ita creatum affirmat: *tum* quia non videmus, quomodo extractiones illæ vaporum tam vastam aquarum molem in perpetuâ salsedine continerent: *tum* denique, quia sequeretur naturam rerum mutatam esse, & à primâ creatione desciviisse. Rationes salsedinis adferunt duas: *Vna*, ne putrescat. *Altera*, ne pisces in eo putrescant: quæ est *Danæi loc. cit.* Priori aliquid tribuimus: posteriori fere nihil. Addo, putasse nos antehac, utramque opinionem de causâ salsedinis marinæ, posse sic conciliari: ut dicatur initio creatum salsum à Deo: & postea sic conservari mediante & concurrente vi solis. Invenio nunc talem fere distinctionem in *Titelman. physic. l.6.c.7.* v. *Probl.* Quæ causa æstus, aliorumq; motuum maris. Resp. Omnes species motus marini explicatas vide apud Casmannum in probl. *Marinis quæst.* 13. & 14. Idem de æstu sic determinat *quæst.* 27. *p.* 231. ut salsitudinem faciat proximam, internam, & propriissimam causam: solem vero & lunam statuit causas esse universales & externas per suas motiones, aspectus, luminis diffusionem, & influxum seminumque effusionem; ut ibidem cum Patricio loquitur. *Canonhierus in interpret. lib. 2. aphorismor. Hippocratis p.652.* refert ad solum lumen lunę (negat enim *influentias* omnes vulgo sic dictas) cum Vicomertato, Contareno, Burrio, Paulo Veneto, Mirandulano, Averroë, Scaligero ibid. citatis. Quibus in margine addit *Claudium Duretum de la verité des causes & effects des divers cours &c. de la mer &c.* Objectionem autem illam, quod lunâ in nostro hæmisphærio non apparente, nec lucem suam ejaculante, tamen fiat fluxus & refluxus maris, sic tollere conatur: *Cum Sol omnia lumina tam inferiora quàm superiora vario tempore temperet, ac moderatur: Luna tunc à Sole non temperata, sed fere naturæ suæ relicta hæc inferiora & præsertim humida quibus dominatur vehementius commovet; facile enim est per se lubrica & nullo negocio mobilia movere ac agitare, quod tanto impetu non facit, quando à Sole temperatur 3. idcirco Luna majores assultus Oceani excitat, cæteraque inferiora perturbat, minorem lucem tunc possidens, quia ad cienda humida minor lux requiritur dummodo, sit propria & à permistione aliena non admodum temperata, quia tunc eam ut propriam habens in*

frigida

frigida & humida quibus dominatur, juxta naturam suæ substantiæ, & particularem conditionem operandi vires suas transfundit. Alii malunt causam quærere in naturâ soli, cui mare incumbit, ut *Alexander, Buccaferrus, Buridanus, Cisalpinus ibid. apud Canonhier. citati. Claramontius lib.* 13. *c.* 22. *&* 25. causam facit incrementum aquæ maris per flumina, & inde ex æstuationem. Sed ab autoribus modo dictis non video causam proximam & adæquatam assignari, cur senis horis affluat, senis refluat, & cur menstruas illas vicissitudines patiatur. Sententiam Canonhieri & autorum ab illo cit. uberius explicatam & ulterius provectam dedit Zanchius part. 2. l. 4. c. 1. p. 514. *Sicut enim augetur lux Lunæ supra aquas : sic illæ intumescunt & fluunt : Sicut autem minuitur, sic aquæ remittunt, & refluunt; seu sicut motus ejus intenditur, vel remittit. Sic itaque res explicatur. Quia Luna dominatur aquis; ideo æstus maris motum Lunæ diurnum sequitur. Motus autem Lunæ diurnus, in quartas divisus est quatuor : ita ut singulis quartis, sex horæ attribuantur, quibus totius dies naturalis constat, qui est* 24. *horarum. Atque istæ quartæ dantur diurno Lunæ motui, juxta* 4. *cœli quartas, quarum quatuor sunt puncta, ortus, occasus, culmen diei, & culmen noctis. Sic itaque singulis diebus naturalibus, mare sequendo cursum Lunæ, quater movetur bis fluendo; & bis refluendo.* Vide reliqua *ibid. & thesin* 2. c. 3. de æstu menstruo, & cur in quovis mari non sit æstus nec idem in omnibus. Eadem est sententia Conimbricens. tr. 8, meteor. c. 6. Aliæ disquirentium conjecturis & opinionibus adferri solitæ sunt quamplurimæ, *Sol, Venti, Fundi, Littorum situs & Figurationes, Oceani decursus, Obices, refractio, in cumulum concursus, reflexio aquæ, palpitatio, regurgitatio, calefactio, frigefactio, Cœli in circuitum imitatio, cœli partes Lunæ oppositæ, Lunæ cursus, Lunæ radii, luminis resultatio, vapores, Lunæ æquarũ ductio, Lunæ tractio, Lunæ avectio, Lunæ ortus, Lunæ per ventos decursus, Lunæ ad meridiem ascensus, Lunæ descensus ad occasum.* Quarum aliquas examinat *Casmannus lib. cit.* Qui videri potest; & conferri *Claramontius l.* 13. *c.* 23. 24. *Ionstonus Thaumatogr. p.* 79. 80. *Majolus lib.* 1. *colloq.* 10. *Vossius lib.* 2. *c.* 69. Quod si quis naturæ hoc arcanum si non penetrare saltem proprius intueri velit, eum oporteret historiam factorum (ita loqui liceat) penitius ex quibusq; nautis scisciatari, & observationes omnium conferri. Ea de quibus plenius edoceri deberent philosophi istis quæstionibus complectebatur. *Marcus Ant. de dominis Archiep. Spalatensis*, cum anno 1617. ex Italia abiturus in Angliam, Hollandiam, & in ea urbem Amstelodamensem transiret.

Exemplum istarum quæstionum hic exhibeo, prout illud ante annos aliquot mihi sua manu descriptum communicavit Rever. & amicissimus *Antonius Plantius* minister, cum viveret, Amstelodamensis, Rever. & celeberrimi Petri Plantii itidem ministri Amstelod. & summi geogra-

phi, Fil. *Scire cupit Rev. D. Archiepisc. Spalatensis à nautis peritis, circa fluxum & Refluxum maris.*

1. *An semper Luna existente in Meridiano loci, sit in eo maxima maris elevatio; & semper Luna existente in puncto per quadrantem præcise à meridiano distante sit finis præcise Refluxus & initium Fluxus. Et si puncta ista initii ac finis Fluxus & Refluxus non sunt Meridies & linea horæ sextæ, sed alia; quæ nam illa sint, quot gradibus distent a meridiano & à linea horæ sextæ: Et An semper & ubique eadem respective an vero in eodem loco vel in diversis varient, & quomodo?*

2. *An in lato Oceano præter motum sursum & deorsum maris, hoc est Intumescentiæ & Detumescentiæ, sit etiam motus in Longitudine, aut latitudine, puta diurnus ab Oriente in Occidentem, vel alius?*

3. *An maximus fluxus & Refluxus sit sub æquinoctiali & minimus sub polis aut forte nullus, quoad intumescentiam & detumescentiam?*

4. *An in aliquo mari, Luna existente in aspectu quadrato cum sole, fluxus & Refluxus sit vel exiguus vel nullus?*

5. *Fluxus & Refluxus Novilunii sit semper æqualis in eodem loco fluxui & Refluxui Plenilunii. Sic etiam in utroque quadrato aspectu. An vero Novilunio & Plenilunio Luna existente circa Cancrum, majorem habeant fluxum & refluxum quam Luna existente circa Capricornum?*

6. *An ubique in lato Oceano fluxus & Refluxus sint æquales tempore, nimirum sex horarum?*

VI. *probl.* Vnde oriantur fontes & flumina. R. *Aristot. 1. Meteor. c. 1. 3.* si non omnia saltem plurima generari vult ex aëre & vapore intra terræ poros concluso, ibiq; per frigus in aquę guttas condensato: quam opinionem tuentur Peripatetici non ignobiles, eamq; incrustat *Cardanus de Subtil. l. 2. p. 162. Alii*, ex imbribus intra terræ cavitates receptis: quam opinionem tribus rationibus solidè refellunt *Conimbric. Meteor. tract. 9. cap. 1. Alii*, Quædam oriri ex mari, quædam aliunde: sic *Titelmannus commentar. in Eccles. 1.* qui tamen Aristotelis opinionem per omnia sequitur *Physic. lib. 6. cap. 7. Alii*, omnia oriri ex mari: sic *Vales. Philosophiæ sacr. c. 63.* Quam opinionem strenue tuetur *Scaliger. Exercit. 46.* Ante illos tradita fuit à Plinio, Philone: & è Theologis Basilio Hieronymo, Isidoro, Damasceno, Hugone, Alberto, Thoma &c. nixis loco *Ecclesiast. 1. 7.* Sed modum quomodo aqua ex mari derivetur in fontes, varie explicare conantur: de quo videndi *Conimbric. tract. cit. Alii* denique distinctione aliqua, quam scripturæ dicto applicant, sententias conciliant; ut *Lorinus commentar. in Eccles. 1. Zanchius lib. 4. c. 1. Conimbric. loc. cit.* ubi etiam Lorinus explicat, quomodo intelligendum sit: Mare non impleri,

pleri. Nos putamus tutissime dici posse, Fontes & flumina omnia immediatè oriri ex mari sive per apertos, sive per subterraneos meatus: ita ut hæc sit perpetua & primaria eorum materia: Accedere etiá aquam ex imbribus, & ex resolutis vaporibus collectã, quæ partem aliquam faciat, atque hac ratione ex mari oriri tãtum mediatè, quia sc. imbres & vapores è mari (saltem maximam partem) extrahuntur. Confer *Claromont. l.* 13. *c.* 5. VII. *probl.* Quid de miraculosis fontibus & aquis vinosis, sanguineis, rerum & qualitatum humanarum diacriticis; de quibus partim *Ionstonus*, *Thaumat. class.* 2. *artic.* 2. *&* 6. partim *Nierenbergius* in libris de Miraculosis naturis in Europa. R. De aqua Bethesda certum est ex *Iohann.* 9. & de aqua zelotypiæ *Num.* 5. & fuit utrobique miraculum divinum. De aliis quæ referuntur, superstitioni Gentilium, aut fabellis atque erroribus popularibus imputat Nierenbergius, quoties ipsi usu venit. Sic enim de lacu Pilati *lib.* 2. *cap.* 28. ex Gretsero suo: *Ita ut vulgaris illa non tam veritate; quam traditione imperitæ multitudinis niti videatur & c.* 29. ubi de fontibus prodigiosis: *Nec plures fontes accumulo; prædictos scriptores adeat, quem plures mirificos fontes cognoscendi desiderium tenet. Quamquam nonnulli non tantum è Poëtis, sed & ab Historicis & Philosophis proditi, ad fabulas potius quam ad rerum naturam, vel potius ad superstitiones malorumque geniorum præstigias spectare videantur, ut sunt illi de quibus Solinus cap.* 10. Fontes sane calidi & salubres aliquot locis efferuescunt, qui medelas adferunt, aut solidant ossa fracta, aut abolent à solifugis incertum venenum, aut etiam ocularias dissipant ægritudines: *Hactenus rectè his enim & similibus medendi facultatibus non paucos fontes instructos præditosque invenire licet.* Sed qui oculis medentur, *subdit Solinus*, & coarguendis valent furibus. Nam quisquis sacramento raptum negat, lumina aquis attrectat, ubi periurium non est, cernit clarius: si perfidia abnuit, detegitur facinus cæcitate, & captus oculis admissum tenebris fatetur. *Hæc Solinus, quæ aut facta sunt vi naturali aquæ, aut divina virtute, aut operatione dæmonis. Non primum: nam nulli aquæ ea vis naturaliter insita est, ut occulta patefaciat, sontemque tactu puniat, & insontem illæsum abire permittat. Non secundum: ubi enim Deus ad hæc per horum fontium aquas patranda sese obligavit? Vbi hoc scriptura vel traditio testatum fecit? Restat ergo tertium, ut scilicet, quidquid hic fit, id ope dæmonis fiat cujus vires nequaquam transcendit, ut quem tactu illa aqua vel acutiore videndi acie donet, vel lumine penitus privet, ita ut aquam illam non pro instrumento, sed pro signo producendi effectus adhibeat; quo offuciarum genere crebro olim dæmon Ethnicis nondum Christiana fide illustratis illudere consueverat.* Et *cap.* 30. fontes superstitiosos vocat qui apud Ethnicos insolitis effectibus admirandi erant. Applicet hæc suis fontibus sanguineis, aut salutaribus,

de quibus *ibid. cap.* 32. 33. & aqua ignis alimento *cap.* 75. de fonte S. Columbæ *cap.* 65. De fontibus vinosis, an unquam à veteribus eorum facta mentio, disceptat cõtra Baronium *Casaubonus in Exercitationibus*; quem rursum oppugnat *Roswеidus in lege Talionis tab.* 4. *p.* 49. Qui videndi.

Appendicula de Inundationibus.

CVM in explicatione textum scripturæ, & in causa inundationum Theologis de iis nonnunquam agendum sit, breviter scitu maximè necessaria hic indicabimus. 1. Diluvium omne est à Deo, unde dicitur ei præsidere *Ps.* 29. 10. & aquis imperare *Ps.* 77. 114. 11. A Deo tanquam agente solo, cum est miraculosum: quale fuit universale Noachicum: de quo commentator. ad *Genes.* 7. *& Danæus de Antiq. l.* 4. Quod naturaliter nec fieri posthac poterit, *Iob.* 38. 8. 9. nec fiet, ex fœdere inito, & peculiari sacramento Iridis confirmato *Gen.* 9. cum 2. *Pet.* 3. 6. 7. De peculiari illo, quo terra Sodomæ versa fuit in mare mortuum: an fuerit diluvium, quomodo factum; & an miraculosum: *disq.* 11. A Deo, per agentia naturalia. 1. *terræmotum*, quale fuit *anno.* 1509. cum Constantinopolis magna pars aquis oppressa. Confer authores de Terræmotu antehac cit. 2. *Absque terræ motu* fit vel à flumine tantum, vel à mari. *Illud* est cum ager aliquis sive pars regionis inundatur, aut ruptis aut superatis aggeribus: quia imbribus, aut liquefactis nivibus in tantum creverunt aquæ ejus, ut iis in Oceanum derivandis augusti alvei non sufficiant: imprimis ostia, per quæ se exonerat, glacie sint obturata: qualia quotannis fere alicubi evenire solent. *Istud* est cum mare ipsum intumescẽs & terminis suis egressum terræ partem inundat. Quod fieri potest duobus modis, vel superando ipsa littora, & proximam terram obtegendo, vel in fretum aliquod, aut per ostia in flumen æstuando, atque ita repagulis sive natura sive arte factis rumpendo aut transiliendo. Causam ejus si inquirimus; *superior* est justum Dei judicium adversus hominum peccata, quo fit ut terra, quæ cessit filiis hominum *Ps.* 115. 16. ipsis erepta mari adjungatur *Ps.* 107. 33. 34. *Inferior*, & naturalis istius extraordinariæ intumescentiæ sunt, *tum* corpora & influentiæ cœlestes imprimis lunares, *tum* vapores, venti, ignes, aër partim in fundo marino, partim in ipso mari, & si quid præterea ad causam ordinarii æstus explicandam à physicis probabiliter adferri potest. Nam hic metam esse intellectus nostri, & curiosis crucem fixam minime dubitandum est.

Probl. 1. *An tale diluvium sit naturale?* Aff. quia est contra aut supra le-

ges

ges mari positas; quod se toto tum non mutat situm aut terminos suos. *Iob.26.Ier.5.22.* quávis inter miracula rariora & extraordinaria referendum sit. Probl. 2. *An intumescentia & motus maris Ionæ. 1.v.4.13. fuerit naturalis?* Disq. IV. Diluvia ejusmodi marina ex historiis, & scriptoribus Meteorologicis (*Conimbric.tr.8.c.10.*) enotari possunt. Si qui compendio studeant, adeant *Chronicon Calvisii*; aut *Alstedii*, aut cujuscunque alterius: Ex nostratibus *Petrus Twisk* vernaculo idiomate cum cometarum catalogo etiam omnium inundationum edidit. Qui autores cum cuique ad manm sint, non est quod hic prolixior sim. v. Effecta & consequentia inundationum sunt variæ mutationes, 1. Continens fit insula, ut Sicilia, Cyprus, Eubœa, Besbycum. 2. Civitates & regiones hauriuntur, ut Helice, Bura, Pyrtha, Antissa; &, ne procul abeamus, partes quædam Flandriæ, Frisiæ, Hollandiæ, Zeelandiæ &c. Quarum aliquæ paucis annis, aliquæ sæculis, aliquæ ultra mille annos & amplius, aliquæ forte usque ad finem mundi aquis obtectæ manent. Saltem de terra Sodomæ illud piè credi potest. 3. His affinis est mutatio illa, qua insula terræ adjungitur, ut Antissa Lesbo, Zephirum Halicarnasso, Dromiscos & Perne Mileto, Narthecusa Parthenio. 4. Et altera, qua novæ insulæ emergunt (quæ antea forte exstiterunt, sed aquis submersæ, denuo denudatæ sunt) ut Delos, Rhodus, Anapha, Nea, Alone, Thera, Therasia, Hiera, de quibus vid. *Geographos, & Lexicon Ortelii.* Et *Ionstoni thaumatogr.p.86.* Et qua partes continentis denuo emergunt, vel natura vel hominum industria, ut in Hollandia, Beemstera, Purmera, Schermera &c. 6. Terra fertilis, campestris & depressa, arenis aggestis altior, & vice versa. Confer *Ionstonum loc.cit.* & *Grypbiandr. de Insulis c.29.*

Probl. 1. *An diluvii Noachici memoria πατροπαράδοτος etiam apud Gentiles aliqua remanserit.* R. *Malim aff.* cum *Danæo in Antiq. Mundi l.3.c.3. Plessde Verit.Rel.c,26. Pererio in Gen.7. Lipsio l.2.dis.21.* De gentibus Americanis idem asserunt historiæ & navigationes recentiorum; & ex iis *Ioh. de Laet in libro de Origine Gentium Americanarum.* Et *Ionstonus Thaumat. class.2.cap.3. artic.7. 11. probl. Quæ fides sit historiæ de fluviis Tamesi & Trenta aliisque sistentibus cursum suum per integrum diem* (Alsted. Chronol. c. 32.309.) *an non obscuret miraculum illud* Iosuæ 3. 16. *cum* Psal.114. *Resp.* Malim non credere, saltem ἐπέχειν. Alia est ratio, & manifesta, cum aut terræmotu, aut quacunque obturatione violenta cursus fluminis sistitur: uti factum anno 1618. cum in valle Telina mons defractus est: de quo *Sprecherus in hist. Rhæticâ p.63.-66.111. probl. Quid de fluvio sabbathico.* R. de hoc aliisq; per intervalla quiescētibus fluviis, & fontibus,

tibus, vide disp. de Sabbatho & Festus. IV. *Probl.* Quid de lacu Pyrenæo, & altero in mõte fracto prope Lucernã Helvetiorum (quem Pilati mõtẽ vocant) statuendum, in quos si quis lapidem dejiciat, continuo tempestates, tonitruas grandines dicuntur exoriri, apud *Bodin. in Theatro l. 2. p. 171. & Petr. Messiã lect. p. 2. c. 8.* R. Aut esse fallaciã auditus, aut illusiones hominum mendacium, aut spectra diabolica, aut ad populares mythologias referendum. Confer *Nierenbergium lib. 2. de miraculos. naturis Europæ lib. 2. cap. 28.* Quem vide de hoc, & passim de aliis quamplurimis aquarum admirandis: & *Ionstonum class. 2. cap. 3. artic. 3. 4. 5.* imprimis *artic. 6.* In specie *Maris* admiranda seu miracula tredecim breviter notavit *A Lapide comm. in Syrac. 43. 25. & Lorinus in psal. 107. Lacuum David Christiani lib. 2. c. 18. Fontium ibid. c. 21. Fluminum. Ibid. c. 20. De æstu marino* præter autores modo notatos, indico *Plin. lib. 2. 5. 97. Aristotelem in problem. & 2. Meteor.* 1. *Plutarchum lib. 1. de placitis c. 17. Augustin. 7. de Civit. cap. 22. Ptolom. lib. 2. c. 12. Solinum c. 22.* Et ex recentioribus *Davidem Christiani l. 2. syst. Geograph. c. 10. -16. Et Vossium l. 2. c. 69.* V. *Probl.* Quid de flammis in mari aut puteis, aut fontibus? De quibus *Ionstonus class. 2. cap. 1. artic. 1. & 2. & nos infra thesi* 3. Resp. aut esse flammeum fulgorem καὶ ἔμφασιν, qualis piscium quorundã, lignorum putrium, pyropi, asbesti. Aut si revera ignis exardescat, eũ generari & ali bituminosa aut salsa materia. Vide *Alzari Vesuvium ardentem. & Ionstoni Thaumatogr. c. cit. artic. 4.*

Appendicula 2. de Insulis.

1. *Probl.* An nullę fuerintę insul ab initio hoc est, à die tertio creationis; sed omnes demum ortæ sint per & post diluvia tum universale, tum particularia? Resp. Distinctionem præmittimus insulæ in perfectã, & imperfectã quæ scopulus (extans scil. nam scopulus latens insula dici nequit) qualis insula Tyrus. Et rursum in peninsulam & insulam propriè dictam. Adhæc in marinam, fluvialem, stagnalem. Præterea in majorem, mediocrem, minimam. Denique in naturalem, casualem, manu seu arte factam. Vbi naturalis rursum distinguitur in perpetuam, quæ ab initio fuit; & in ortam. Et orta in fixam & fluitantem seu natantem; qualem ferunt esse in Scotiâ in lacu *loumond*, cujus meminit *Camdenus in descriptione Scotiæ p. 383.* Plurimas alias vide indicatas una cum scriptoribus apud Gryphiandr. c. 6 p. 71. De aliquibus insulis naturalibus scil., præsertim majoribus (quales America, Tapobrana sive Summatra, Madagascar & S. Laurentii, Albion & Iernia, Cyprus, Creta) non est improbabile asserere, quod ante diluvium exstiterint. De mediocribus, ut & de minoribus quæ infinitę, tum marinæ, tum fluviales, tum stagnales, videtur cum distinctione respondendum aliquas ab initio fuisse aliquas non fuisse.

Senten-

Sententia hæc probari ſolet ex *Geneſ.* 10. v.5. *coll. cum Syracid.*43.25. ubi poſt diluvium & terram reſtitutam inſulæ quædam fuiſſe dicuntur. Sic *Majolus dier. canicular.*9.& 14. Et ex eo *Gryphiander de Inſulis cap.* 6. Sed quid ſi quis exciperet *Geneſ.*10.5.per prolepſin poſſe exponi,nõ quod tũc actu eſſent inſulæ,ſed quod poſtea factę ſint.Excipi etiam poſſet Hebręis inſulas dici quaſcunque terras (etiam continentes) longè ſitas, & ad quas navibus itur. Vide *Ierem.* 25.28. Loca *pſalm.*24.*v.*2.*&* *pſalm.*136.6.quæ *Gryphiander ibid.adducit*, non videntur mihi hoc probare. Argumentum ibid.c.6.ſubjungit,Omnes illas pro perpetuis ab initio creatis habendas, quæ poſtea ortę nõ reperiuntur in hiſtoriis,quia mutatio nõ pręſumitur, niſi probetur *l.*3.*l.*21.*de probat.* &c. Sed hoc nihil aliud quam probabile. Ejuſdem gradus eſt argumẽtum à finibus& uſibus inſularum deductum: quod ſcil. promoveant navigationes;diſtinguant maria; portus & ſtationes navigantibus præbeant; protegant continentes terras, aut majores inſulas contra maris violenti: uti de inſulis Norwegiæ littora obtegentibus *Chrytræus lib.*4.*Saxon.* & de inſulis Friſiæ *Vbbo Emmius lib.*1.*&* 2.*rerum Friſic.* & de Cycladibus *Strabo lib.*10.*Plin.lib.*4.*c.*12. 11.*Probl.*Quomodo naturales inſulæ oriantur, ſeu naſcantur? Reſp. tribus potiſſimum modis: cum per alluvionem & colluvionem arenæ paulatim naſcuntur: cum amnes locum, qui alvei fuerat, ſiccum relinquunt, & circumfluere cœperunt: cum inſulæ alveo fluminis non cohærent, ſed virgultis aut alia levi materia ita ſuſtinentur, ut ſolum ejus non tangant. Hos modos ex Iureconſultis, hiſtoricis,Geographis explicatos & probatos vide apud *Gryphiandr.cap.*6.*&* 18. 111.*probl.* Quomodo naſcantur inſulæ caſuales,ſeu fortuitæ? Reſp.Per terræ-motum;aut per diluvium ſeu vim maris aut fluminis,per quam partes terræ à continenti avulſæ in inſulas ſecedunt.Duos hos modos pluribus exemplis probat *Gryphiand.c.* 7. 1v.*probl.* An mare totum in terram aliquando mutandum; an vero terra in mare. R.Prius opinabatur *Democritus apud Rhodigin.l.*1.*c.*14. poſterius *Blancanus.apud Claromont.l.*12.*c.*17.Sed uterque abſque ratione. Nos ex ſacris literis edocti ſumus, terram non eſſe aquis obruendam, & mundum perſtitutum uſque ad diem noviſſimum. *Geneſ.*8.*&* 9.*&* 2 *Petr.*3. Quo die aliquod corporum continentium mundi inferioris & ſuperioris (inter quæ mare & terra)tollendum, ex ſcriptura nondum probatum vidimus. Adi loc. comm. & ſcriptores de Fine mundi. v. *probl.* An & quæ ſint mirabilia inſularum? Reſp. Nonnulla ex autoribus collegit *Ionſtonus p.*87. ſed longe operoſius & abundantius hoc egit *Gryphiander cap.* 32 Quem conſulant, quos hæc tangunt.

Tertio die creatæ ſunt plantæ. An etiam plantanimalia ζωόφυτα? Non puta-

putamus. Plantarum hiſtoria & contemplatio nobiliſſima eſt: quippe in quibus illuſtre creatoris & providentiæ divinæ ſpeculum, & in quarum ortu, forma, figura, qualitatibus imprimis antipathiis & ſympathiis infinita admiranda: quæ Botanici obſervant; quamvis omnia quis obſervet? Eclogam quorundam exhibet *Ionſtonus in Thaumatographia.* Sapientiſſimus regum (1 *Reg.*4.29.) Salomon hanc phyſicæ partem ſtudio ſuo maxime nobilitavit (1 *Reg.*4.33. De plantis ſacræ ſcripturę memoratis præter commentatores, *Levinus Lemnius tract. peculiari*, & paſſim (qui cum Lemnio editus) *Valeſ. in philoſ. ſacra.* De iiſdem in genere *Danæus & Zachius*; & carptim nonnulla Scholaſtici & locor. commun. ſcriptores. Imprimis exercetur Theologorum ingenia circa Rubenis *dudaim*, mandragorā (de qua diſſertatiuncula *Ioh. Druſii & Ioh. Lud. la Cerda miſcell. ſacr. c.*110.) Ionę ricinum; ut & hyſſopum, ſantalū, palmā, balſamum, myrrhā, aloën &c. quorum ibi mentio. Curioſè etiam à malè feriatis inquiritur cujus generis arbor vitę, arbor ſcientiæ boni & mali, lignum illud *Exod.* 15.25. arbor ex qua Iudas ſe ſuſpendit. Apud philoſophos agitantur iſtæ quæſtiones; An plantæ ſint animatæ; an ſentiant; An in iis differentia ſexus; cur plantis ſint data folia; unde ſit viſcum in arboribus; cur partes earum vivant etiam à reliquo corpore ſeparatæ; An plures ſint errores & monſtra in plātis, an vero in animalibus; An & quibus ſtellis & planetis ſubjiciātur; An certo ſyderum poſitu colligēdę, Quid de ſignaturis earum (quas vocant) ſtatuendum, Quomodo natura & ars producant plantas: quid de foliis ambulantibus, agno ſchytico, herba illa Luſitanis dicta *Sentida*, radice *Bacharas*, & pluribus admirandis apud *Plinium*, & Magiæ naturalis ſcriptores antehac cit. de quibus vid. *Keckerm. diſp. phyſ.* 13. *Scaligerum Exercit.*138. & 178. *Sennertum cap.* 18. *Sagitarii Diſput.* 13. *Timplerum*, *Magyrum*, *Sennertum*, *Velcurionem*, *Seidelium*, *alioſque autores phyſicos*, & *Theologos modo cit.* Diviſiones plantarum iidem ſuggerent: & quaſi in tabella omnes exhibet *Alſtedii Theolog. Naturalis.* De balſamo, aliiſque hodie vix inveniendis *Pancirolus* & *Salmuth*: ubi & alii autores citantur. Nos ſtudioſis noſtris hæc ventilanda proponimus 1. *probl.* An Deus actu produxerit plantas: An vero terræ ſolummodo virtutem dederit, qua ipſa poſtea produceret plantas. *R. Pr.* ſtatuit *Auguſtin. Geneſ. ad liter. c.*4. ob rationes, quæ ſequentibus quæſtionibus diſſolventur. Sed nos cum Scholaſticis *ad* 1. *qu.*69. *art.* 2. & recentioribus Theologis contrarium ſentimus: *tum* quia convenit textui *Geneſ.*1. *v.*11. & 2.9. *tum* quia erant neceſſariæ ad paſtum animalium: tum quia in paradiſo erant arbores: qui ſi non tertio die, ſaltem ante lapſum hominis erat creatus. 11. *probl.* An terra etiam activè concurrerit ad productionum plantarum:

rum : an vero tantum passivè, ita ut materiam suppeditarit. *R. post. aff.* contra *Cajetanum.* Rationes sunt. 1. *quia* terra nunc non concurrit activè, (est enim vis activa & plastica in semine non vero in terra : ut *præced. Disput.* dictum fuit contra opinionem *Danæi* :) nedum ut in prima creatione concurrerit. 2. *Quia* exserte *Genes. 2. v. 9.* ita explicantur verba *c. 1. 11. Germinet terra* &c. quæ *Cajetanus* & *Danæus* objiciunt. 3. *Quia*, in productione animalium terra se habuit passive subministrando materiam : quidni idem dicendum de plantis ? 111. *Probl.* An herbæ noxiæ ac venenatæ, adhæc medicamentariæ ; item spinæ & tribuli tertio die sint creata ; antequam homo peccasset ? *Resp.* cum *Augustino*, & *Scholasticis ad Thomæ loc. cit.* 1. *Quia* hoc affirmatur *Genes. 2. v. 5.* ubi exsertè, *omne virgultum* ; coll. cum *c. 2. v. 1. 2.* ubi Deus dicitur cessasse à speciebus rerum producendis. 2. *Quia* spinæ & tribuli sunt apta usui animalium ; immo & venenata quædam hominibus noxia, illis dulces escæ : quod de cicuta canit *Lucretius.* 3. *Quia* fuerunt serpentes ante lapsum ; quidni herbæ venenatæ. 4. *Quia*, tunc non erant ea homini venena aut noxia (ut venena dicuntur *Marc. 16. 18.*) cum omnia ipsius subessent imperio & usui : quomodo leones, lupi, ursi &c. tunc homini non nocebant. Et sic spinæ, tribuli non erant homini in pœnam, nec molesta. 5. *Quia*, omnia illa erant bona & perfecta in suo genere, accommodata scil. ad finem, ad quem producta : & specialiter propter hominem, cui partim in se prosunt, vel ad alimentum, vel ad medicamentum; partim in alio, hoc est in animalibus ad usum hominis creatis, ut exemplo cicutæ ostendit *Lucretius* ; aliisque quamplurimis ostendi posset. 6. *Quia*, natura rerum per peccatum non est mutata : sed tribuli, spinæ, napelli, aconiti &c. hæc est natura. Quod est contra *Basilium*, *qui Hexaëm. homil. 5.* vult rosam tertio die creatam sine spinis.

Probl. *An plantæ aquaticæ in fundo marium aut fluminum crescentes hac creatione* (Genes. 1. v. 11. cum 2. v. 9.) *comprehendantur.* Aff. *Quia ex terra nascuntur, æque ac omnes aliæ. Aqua, quæ præstat ipsis locum ambientem, non magis eas sibi vendicat, quam aër, qui ambit terrestres. Idem judicandum de plantis, quæ ex lapidibus proveniunt.* Maledictio illa terræ Israëlis *Hoseæ 4. v. 3.* quam *R. Aben Ezra* כרך דרש id est *allegoricè* accipiendam putat (pisces enim maris ne quidem tempore diluvii mortui sunt), à *R. David Kimchi* propriè exponitur, collato etiam loco *Deuteronom. 29. 23.* לא יצה בסלעים אשר בים וגם בקרקעים עשב וצמח שהמה ירעו הרגים וזרמים ארץ ישראל שהיתה בארץ קלת האל יתבך בעון יושביה בי בשהובים, id est, *Non crescet in rupibus quæ sunt in mari : quin & in*

fundo maris herba & germen quibus pascuntur pisces; idque in mari terræ Israel Fuit enim in terra maledictio Dei benedicendi in continente & in mari. Atque hæc quidem corpora naturalia in superficie terræ: quæ si secundum certas collectionis aut situs species aut oppositas earum privationes considerentur, distincte vocantur sylva, lucus, nemus, saltus, arbustum, virgultum, dumetum, spinetum, campus, ager, arvum, vinea, pratum, pascua. Sylvarum, locorum, vallium, desertorum seu nemorum; & semi-artificialium quorundam, ut piscinarum, vivariorum, (*Eccles.* 1. פרדסים gr. παραδεισοι) in scripturis crebra mentio. De quibus omnibus consulendi scriptores Geographici, architectonici, Oeconomici, & Geoponici. Exstat peculiaris *tract. Dubravii* Episcopi Olomucensis *de piscinis* in 8. antehac editus. Et prolixus tractatus *Iani Cornarii* Theologi ab Abr. Sculteto Heidelbergæ 1614. tit. *Theologia vitis viniferæ* editus de Vite vinifera, ubi ex scripturis & bonis autoribus Ethice & theologicè quamplurima illustrat, & problemata huc spectantia determinat. Scripsit etiam (sed physicè & medicè) de vino & omni potabili *Gul. Gratarolus*; *Valesius cap.* 27. *Atheneus dipnosoph. l.* 1. *&* 2. & nonnulla de varia ejus temperatura apud veteres & de vino dulci apud *Mercurial. lib.* 1. *c.* 17. 18. & de vini atque olei usu in omnibus vulneribus curandis. *Petrus Parisius. tr. peculiari.* Porro de vegetabilibus & plantis in universum scripsere historici naturales & Botanici, ex antiquis *Plinius, Theophrastus cum comment. Iul. Cæs. Scaligeri; Discorides cum comment. Mathioli*; Ex recentioribus *Fuchsius, Lobelius, Dodonæus, Bauhinus; & Clusius de plantis* exoticis & *Nierenbergius lib.* 1. *&* 15. Occurrunt etiam nonnulla huc facientia apud *Prosperum Alpinum in Medecina Ægyptiorum*, apud *Salmuthum in antiquè deperditis* (ubi & alii autores citantur); apud *Majolum in diebus canicularibus*; *Mercurialem in variis lectionibus*; *Cardanum de subtilit. & de Varietate rerum*, cum *Exercitat. Iul. Cæs. Scaligeri*, *Vossium de Idololatria lib.* 3. Illis qui ex professo & operosè hæc tractare nolunt, sufficere poterit *Herbarius Dodonæi* cum scholiis editus Lugd. Batav. lingua vernacula; quem ubi opus consulant. De admirandis plantarum & de plantis peregrinis *Ionstonus in thaumatogr. & Nierenbergius lib.* 14. *&* 15. *& Ioh. Terentius de plantis Mexicanis*; *Garcias ab horto & Ioh. Fragosus de aromatis apud Indos.* De herbis scripturæ *Valesius* & *Lemnius.* Earundem explicationem satis studiose consectantur passim *Lorinus & Corn. à Lapide* in suis commentariis, & ex nostris *Beza in notis ad N. T. Zanchium & Danæum* modo indicavimus. *Plantas* à sanctis denominatas, (quarum denominationum speculatio theologos præ aliis aliqua ratione tangit) peculiari libello descripsit *Ioh. Bauhinus* celeberrimi *Caspari Bauhini* frater. Sunt & alia nonnulla in superficie terræ, sed quæ hujus loci non sunt 1. quippe merè artifi-

artificialia, ut viæ pyramides, obiliſci, arces, ſpeculas urbes horti, labyrinthi, umbracula, circi, theatra, xyſti, porticus, pergulæ, portus, canales & aquæ-ductus, domus, curiæ, templa, ſepulcra &c. de quibus agunt ſcriptores Politici, Oeconomici, Architectonici, Antiquarii.

Contenta corpora, quæ intra terram ſeu in viſceribus terræ continentur ſunt 1. Animalia; ut talpæ, lumbrici aliaque vermium genera de quibus *Georgius Agricola lib. de Animantibus ſubterraneis.* Quo refer piſces foſſiles in Gallia Narbonenſi quorum meminit *Polybius l. 34. Hiſtoriarum* & ex illo *Atheneus l. 8. c. 1. Strabo l. 4. p. 126.* Et alibi pluribus in locis inveniri tales piſces teſtis *Plin. lib. 9. c. 57.* Etiam hodie tales inveniri ſcribunt recentiores, *Georg. Agric. l. cit. Rondeletius de piſcibus l. 1. c. 14. Majolus, Dalecampius ad Plinii loc. cit. Caſaubonus ad Straboms loc. cit. & ad Athenæi l. 8. c. 1. Nierenbergius de mirac. naturis Europæ l. 1. c. 43. Voſſius lib. 4. de Idololatr. c. 4.* Sed contra haut obſcurè in dubium trahit hanc phyſicam *Seneca lib. 3. natur. quæſt. cap. 17.* & ex profeſſo explodit *Mela lib. 2. cap. 5.* eandem oppugnat *Franciſcus Fernandius de Cordua in didaſcal. multipl. cap. 11.* ubi teſtem advocat ἀντόπτην *Caſp. Barerium.* Excipit tamen & ſuccurrit Plinius lib. 9. c. 57 ubi oſtendit quomodo ibi vivere & reſpirare queant: *Idem tradit in Paphlagonia effodi piſces gratiſſimos cibis terrenos aliis ſcrobibus, in his locis ubi nullæ reſtagnent aquæ: miraturque & ipſe gigni ſine coitu. Humo is quidem vim aliquam ineſſe, quam puteis, arbitratur, cum in nonnullis reperiantur piſces. Quicquid eſt hoc, certe minus admirabile talparum facit vita ſubterranei animalis, niſi ſorte vermium terrenorum & piſcibus natura ineſt.* Et Strabo lib. 4. p. 126. ubi docet, quomodo ibidem tali poſſint: *Ac paulo poſt ſupra mare locus aquoſus, plenus ſalinarum is etiam foſſiles habet mugiles. Ubi enim duos aut tres pedes foderis, immiſſo in aquam limoſam tridente configere licet piſcem eum juſtæ magnitudinis: is alitur limo ſicut anguillæ.* Et huc non parum faceret quod habet Nierenbergius l. 6. hiſtor natural. c. 13. *Buſones & ſerpentes in ſolidiſſimorum lapidum meditullio inventi. Fertur in Anconitano littore ac mari compertos eſſe lapides omni ex parte integros ac ſolidos, in quorum medio piſces latebant, quorum egreſſus ingreſſuſve nullum veſtigium fuit aut potuit eſſe. Diſſectis tamen lapidibus illis, erumpunt ad hominum eſum percommodi. Igitur piſces vixiſſe ibi, & adoleviſſe putantur innato lapidis humore ac frigore.* Contra defenſam vitam & reſpirationem replicari poſſet, piſces reſpirare aquâ per branchias attractâ, non vero, ut talpas, ſolo aëre ſubterraneo. Tutiſſimum forte videbitur & convenientiſſimum ordini creationis *Geneſ. 1.* (per quem piſcibus in aquis ortus & vita aſſignatur), ſi dicamus cum Cordua: *Non itaque piſces concedemus effoſſiles, niſi forte in aliqua aquarum vena, quæ terra latuerit operta; ex ea enim detecta, quemadmodum & ex puteis, aliquando piſces extrahi poterunt; cæterum ingrati, ac noxii ſaporis, & non jucundi,* 3.

cundi, ac salubris, ut de Paphlagonicis, ac Roscynonensibus piscibus dixerant antiqui: id enim reperiri non potest in piscibus luce carentibus, quemadmodum pro colophone, Senecæ nostri probabo testimonio, qui sic; Sed ut ad propositum revertar, accipe argumentum magnam vim aquarum in subterraneis loculis fertilem fœdo situ piscium: si quando erumpit, affert secum immensam animalium turbam, horridam aspici, ac turpem, ac noxiam gustu. Certe cum in Caria circa Myndum urbem talis exiliisset unda, periere quicunque illos ederant pisces, quos ignoto ante eum diem cœlo novus annus ostendit. Nec id mirum; erant enim pinguia, & diserta, ut ex longo otio corpora, cæterum inexercitata, & in tenebris saginata, & lucis expertia, ex qua salubritas ducitur. Hæc cum scripsissem & utriusque sententiæ autores contuliissem, placuit tandem omnium conciliationem instituere cum Vossio loc. cit. *Nec propterea existimandum, pisces ejusmodi ætatem omnem sine aquis posse vivere. Nam tales vel locis vivunt limosis, vel solo ejusmodi, quod aqua per venulas suas irrigetur. Imo pisces isti vel iis locis, quibus capiuntur, geniti sunt, ut anguillæ, & ranæ: vel eo depulsi undis reciprocis, posteaq; humo obtecti. Et hæc de piscibus fossilibus.* Huc pertinet *problema*: An sub & in terra carnes generentur, & consequenter dentur carnes fossiles. *R. Affirmant Libavius* & ex eo *Ionstonus class. 4. c. 31. 170.* Sed ut verum fatear, nullâ experientiâ aut observationem, nullâ rationū necessitatem video. II. Plantæ subterraneæ, quales bulbo-castans, quæ nostrates glandes subterraneas appellant, & similes. Plantas in fundis maris & fluminum, de quibus *thesi* proxime *præced.*, non referimus ad subterraneas, ut nec raphanos, pastinacas &c. quæ folia sua in superficie terræ ostentant. III. Ignes subterranei: non tantum singulis partibus terræ (ex quatuor elementis aggregatæ) insensibiliter permixti; sed imprimis illi qui locis quibusdam notabiliter uniti se exserunt, ut in metallifodinis, & thermis 2. In montibus, & puteis ad oculum ignivomis. De montibus supra aliquid notavimus. Inter omnes Vesuvius tot motibus &c. incendiis, & inde ortis vastitatibus celebris: de quo peculiar. tractatibus physice & historice agunt *Alzarius* supra laudatus; & *Iohannes Baptista, Musculus, Fridericus Szembeck, Iulius Cæsar Recupitus.* De puteis ignivomis Geographus Nubiensis part. 9. clim. 1. p. 35. *In extremitate ejusdem insulæ cernitur puteus ignis ardentis, altitudinis centum cubitorum: at interdiu fumus est, noctu vero ignis accensus.* Et 9. part. clim. 2. p. 67 *Fertur autem esse in prædicta insula* (Sejala scil.) *puteus ardens quandoque ignem evomens, quandoque vero tranquillus; incendioque pacatus.* IV. Aquæ subterraneæ non tantum insensibiliter terræ ubique permixtæ, sed etiam in fontibus, aliisque cryptis & cavitatibus subterraneis collectæ & seorsim subsistentes.

sistentes. Huc refer flumina, seu partes fluminum subterraneas. Quales Pyramus apud *Strabonem lib.* 12, Vachschiab apud Geographum Nubiensem part.8.clim.3.p.138. *Fluvius Vachsciab effluit è regionibus Torc, usque quo appareat in terra Vachs, ubi abscondit se sub magno quodam monte, super quem transeundum est quasi super pontem: nec scitur quantumnam cursum eo sub monte conficiat; at postea relicto monte fluit per limites Balch, donec perveniat ad Termed*: v. Aër subterraneus, partim terræ permixtus, partim spelunCas, aliasque majores & minores cavitates replens, ne detur vacuum. Qui non raro in cryptis quibusdã subterraneis conclusus & ventilatione omni distitutus venenatã qualitatem induit:qua homines aliaq; animalia subito exstinguuntur.Exempla(si bene memini)occurrunt apud *Cardanũ de varietate rerum.* Quod plerumq; ad latentes illic basiliscos aut venenata animalia referri solet. Confer infra *part.8.probl.de basilisco.* VI. Fossilia; sic dicta: quorum species commode revocari possunt ad metalla scil., succos metallares,lapides,omnis generis terras.De Fossilibus,eorumque speciebus Metallis scil. lapidibus, terris, succis agunt physici sæpius laudati: ex quibus complures citavit, & admiranda pleraque enotavit *Ionstonus in Thaumatographia class.* 4. per totum. *Georgius Agricola*, & *Libavius*, & *Martinus Cæsius in Mineralogia*, *de Metallis*: *Albertus Magnus*, *Marbodeus Gallus* cum scholiaste suo,Imprimis *Anselmus de Boot* Medicus Cæsareus *de Lapidibus* tam vulgaribus quam pretiosis peculiares *tractatus* scripsere. Vt jam nihil dicam de autoribus Chymicis, quorum hic ager est (quos vide in *Theatro Chymico*, & apud *Salmuthũ in novè repertis tit.* 7.& 8.*& passim* apud *Nollium in Physica Hermetica.*) Et *Cardano de rerum varietate & de subtilit.*cum *Scaligeri Exercit.*& tract.pecul. *Bernard.Gomesii* cui tit.*Diascepsis de sale*;de quo *& Salmuth.in deperd.tit.*15.*Gilberti* aliorumque infra cit.*de Magnete*;*Angeli Sala Vicentini de Mercurio* &c. Plures vide cit. apud *Nollium* & *Ionstonum.* Notum est *Arn. de villa Nova*, *De Rupescissa*, *Albertum Magnum*, *Thomam Aquinatem*, de mineralium natura & vario usu in publicum dedisse, quamvis professione essent Theologi. Fossilium, quæ in scriptura occurrunt, explicationem moliti sunt *Rabanus Maurus lib.de Natura à rerum,& Barth. Anglicus lib.*16. *de proprietatibus rerum*: ex recentioribus *Danæus part.2.tr.3.c.*30.50.& *Rueus Medicus* libello de *Gemmis scripturæ*, qui seorsim, & cum *Valesii philos. sacra* excusus est. Præmonendi sunt studiosi nostri ne omnibus à *Plinio lib.* 34. 35.36.37.*Solino cap.*38.52.&c. *Alberto*; *Vincentio Bellovacensi* &c. & ex iis à Secretistus *Alexio Pædemontano*, *Mizaldo*, *VVeckero*, *Porta*, ἱστορμένοις promiscue fidem habeant. Vt enim in aliis Physicæ specialis partibus, sic & in hac non pauca fabulosa nobilissimam ἱστορίαν deformarunt. Im-

primis Theologi ſpeculationi ſcripturariæ occurrit *aurum*, (quod ſeptem nomina ſortitur in V.T.) orichalcum ſeu chalco-libanum, æs, argentum, ferrum, gemma, lapis ille Ex quo cultri *Ioſu.* 5. duodecim lapides pretioſi *Apocal.* 19.20. *Exod.* 28.17. & 39.10. &c. Nos iſtas quæſtiones cõmentationi noſtræ convenire putamus 1. Quoto die creata ſint foſſilia, & cur Moſes eorum non meminerit. *R. ad pr.* die tertio: neq; enim videmus cui magis cõvenirent, quã illi, quo terra proxime adhærentibus adjunctis veſtita eſt. Et ſic Theologi communiter. *Ad poſt.* non liquere: niſi quod cum ſuo gremio & matrice (ita loquar) hoc eſt terra ea complecti ſatis viſum fuerit: quomodo angelorum creationem ſub creatione cœli (domicilii ipſorum) contentam antehac cenſuimus. Ratio *Danei*: quia ſcil. propoſuit Moſes tantum ea quæ in oculos incurrunt: at hæc à nobis paſſim non cernuntur; neſcio an ſatis ſolida ſit. Nam & in profundis maris multa reſtant, quę paſſim in oculos non incurrunt, quorum tamen mentionem facit *v.* 20·21. 11. *Probl.* An non repugnet ordini creationis, ſi dicatur ſpeciem unã rerum in alias per hominum induſtriam tranſmutari poſſe ex. gr. viliora metalla in aurum? *Reſp. Minime*: neque enim naturæ, rationi, aut ſcripturæ chryſopœia repugnat: immo & experientia multiplex huic ſententię favet, quod inter alios probat *Gualterus ab Hogelande libello peculiari.* Cui, ut & rationibus atque experientiis à recentioribus philoſophis, ac *Mart. Delrio* Theologo *Diſq. Magic. lib.* 1. *c.* 5. & ICC. *Pancirollo* ac *Salmutho part.* 2. *Memorabil. tit.* 7. (ubi & alios citant) allatis nolim reclamare; nec video quid ſolidius reponi poſſit. Nequis autem putet per tentamen illud, aut naturæ, aut Deo naturæ authori injuriam fieri; cogitet nemini vitio verti, quod procuret productionem plantarum, & animalium ex. gr. gallinarum ex ovis per calorem ignis focalis conformiter naturali calori temperatum: De quo *Scaliger Exercit.* 23. & *Brodeus lib.* 3. *miſcell. c.* 25. Sed hæc cum dico, nolim cuiquam autor eſſe ut rebus ſuis poſthabitis aureum cinistonem agat: abſit, abſit. Probo prudens monitum *Pancirol.* & *Salmuth. loc. cit.* & *Keckerm. diſp. phyſ.* 11. *Probl.* 8. 111. *Probl.* An orichalcum ſit diſtincta ſpecies metalli, & jam pridem in rerum naturâ eſſe deſierit? *Reſp.* Siquidem poſterius verum eſt, ut vult *Plinius lib.* 34. *c.* 2. *Pancirollus memorabil. part.* 1. *tit.* 8. *Magyrus in phyſ. c. de Metallis*, *Piccolomin. de Meteor. c.* 30. Nego eſſe ſpeciem diſtinctam, ſpecies enim rerum non intereunt, ſed ſunt æternę, phyſica ſcil. æternitate. Idem ſtatuendum de aliis deperditis *Pancirolli* modo memoratis; aut ſunt artificialia, aut nunquam fuerunt in mundo, aut non deſierunt eſſe, quamvis difficulter inveniantur. Confer ſupra part. 2. & 3. IV. *Probl.* Quid ſtatuendum

dum de lapide asbesto, amianto, cyprio, charistio, deq; lino & ellychniis inde confectis, deque aliis lucernis & lampadibus (quas vocant) perpetuis. *Resp.* de lapidibus, & lino inde facto cujus sordes non aqua sed igni purgentur affirmant *Plinius lib.* 19. *c.* 1. *Stephanus de urbibus in* κάρυστος. *Solinus cap.* 7. *Strabo lib.* 10. ubi linum *creticum* appellat *Augustinus de civit. Dei infra cit. Isidorus l.* 16. *Origin. c. de gemmis. Rhodiginus lib.* 13. *cap.* 18. *Majolus dier. canicular. part.* 1. *colloqu.* 20. *Turnebus lib. adversar. c. lib.* 2. *var. lection c.* 27. *Anselmus de Boot. l.* 2. *c.* 204. *Lemnius lib.* 2. *de occ. nat. mir. c.* 12. Linum autem ex lapidibus confici, docet *Plutarchus de defectu oraculor. Strabo l.* 10. *Discorides l.* 5. *c.* 156. Et *Podocatarus in historia de rebus Cypriis*, testatur Venetiis se habuisse tale linum (quod *Cyprium* appellat) igni illæsum & mundatum: quod ex lapide amianto, qui in Cypro reperitur, & malleo contusus excussa terrea superfluitate capillamentis suis lini speciem retinet & contexitur in telam. Simile quid testatur *Porta in Magia naturali. Anselmus de Boot. lib.* 2. *histor. lap. & gemmar. cap.* 204. Contra tamen de lapide dubitare videtur Idem Anselmus de Boot l. 2. histor. gemmar. & lapidum cap. 303. pag. 280. *Asbestos in Arcadiæ montibus nascitur coloris ferri. Plin. lib.* 37. *cap.* 10. *Albertus Magnus vocabulum corrupit & abeston inde facit. Ignotus lapis nisi amianthus sit.* Sed cap. 102. p. 190. aliter se explicat, *Modus*, inquit, *texendi hac ætate periit.* Plutarchus libro de defectu oraculorum mediam viam insistit.

Τῆς δ' ἐν Καρύστῳ πείρας χρόνος οὐ πολὺς, ἀφ' οὗ πέπαυται μηρύματα λίθων μαλακὰ νηματώδη συνεκφέρουσα. καὶ γὰρ ὑμῶν ἑωρακέναι τινὰς οἴομαι χειρόμακτρα καὶ δίκτυα καὶ κεκρυφάλους ἐκεῖθεν, οὔστε περικαομένους, ἀλλ' ὅσ' ἂν ῥυπανθῇ χρομένων ἐμβαλόντες εἰς φλόγα, λαμπρὰ καὶ διαφανῆ κομίζονται. νῦν δ' ἠφάνισται, καὶ μόλις οἷον ἶνες ἢ τρίχες ἀραιαὶ διατρέχουσιν ἐν τοῖς μετάλλοις.

id est, *Petræ autem Carysto jam diu est quod vena desiit glomos lapideos molles ferre, ex quibus fila nebantur. Nonnullos enim vestrum mantilia, plagulas, retia ex illa materia contexta aspexisse puto, quæ non comburuntur, sed usu sordida effecta in flammam conjiciunt, atque inde lucida & splendida efferunt: nunc autem evanuit, vixque in metallis raræ veluti fibræ ac pili intercurrunt. Pancirollus tit.* 4. dicit, linum vivum hodie non inveniri. De lucernis & lampadibus diuturnis aut perpetuis, varii autores affirmant quorum aliquos, qui nunc occurrunt, mox citabimus. Sunt ignes & fulgores qui appositione novæ materiæ combustilis per naturam aut per artem & industriam humanam perennes servantur: qualem ignem ἀθάνατον in Lycia esse refert *Photius ex Ctesia lib.* 71. *p.* 145. qui noctes & dies ardeat. *Plinius lib.* 2. *c.* 106. montem hinc flagrantem vocat chimæ rani & *ibidem* confert cum Æthna, & Vesuvio. Sed hic non est hujus loci: uti nec ignis perpetuus

petuus apud Iudæos, & Romanos; quia nihil admirandi habet. Lucerna quomodo conficienda, quæ per integrum annum luceat, docet *Cardanus lib. 6. de Varietatate rerum p. 661.* Sed nec de tali hic quæritur: Restat ergo inquiratur, de lucerna conficienda ex lapide lychnite, aut carbunculo, qui perpetuo luceat, & flagret, aut saltem propter fulgorem suum flagrare videatur: uti poëta loquitur, flammasque imitante pyropo. Atqui tales lucernas ad multos annos conservari posse non mirum: cum constent ex lapide duro, & fulgido seu flammante. An ergo admirandum hoc quærendum in lino lapideo & durabili accenso, aut in oleo lampadis inextinguibili. Ita quidem videntur velle autores qui de his scribunt, quamvis omnes nec uno modo nec satis accuratè loquantur. Certe funiculus quamvis nõ consumeretur (in quo solo durationis causam nonnulli ponere videntur, sed male meo judicio) flamma tamen & lampas defectu olei necessario exstingueretur: nisi adsit oleum inexstinguibile, quo funiculus ille perpetuo humectetur & ardeat. Hoc ergo admirandum investigandum esset, An sit oleum inexstinguibile, quod ἀλώσιμον funiculum lucernæ aut lampadis humectare posset in perpetuum aut saltem ad 1000. aut 2000. ãnos; ut flamma & igni non consumeretur. Et, ex qua materia, ac quomodo oleum illud confici possit? Tale numerat *Pancirolla in antique deperditis tit. 35.* De funiculo perpetuo facile fidem faciunt; sed non itidem de oleo flammam lucernæ pasturo nũnquã tamen depascendo aut consumẽdo. *Apollonius mirabil. hist. c. 36. p. 34.* (edit. gr. lat. Meursii in 4.) magis cautè & πιθανῶς mihi loqui videtur: τὰ δὲ ἐλλύχνια μένει τὸν ἅπαντα χρόνον ἀκατασκεύαστα καιόμενα μετ' ἐλαίου, id est, *Lucernarii autem funes usti cum oleo, nullo unquã tempore coburuntur.* Confer *de oleo Ionston. p. 2. c. 1. art. 5.* Cõjicerem fuisse forte in sepulcris illis cõspectas non lampades vere accensas & flammantes, sed factas quasi flammantes, hoc est, ex lapide lychnite aut simili efformatã fuisse figurã flammæ. Sed obstat, quod historiæ referunt, alias lampades aperto sepulcro & admisso aëre fuisse exstinctas, alias vero accensas. Exstinctioni, quæ refertur, facile opponi posset, non fuisse veram exstinctionem, sed tantum cessationem sensibilis fulgurationis per admissum diem & lumẽ in sepulcri aut cryptæ tenebras. In historias ergo & fidem scriptorum amplius inquirẽdum videtur. Nos ea, quæ ad manum nunc sunt lectori exhibemus eique ulteriorem indagationem ac judicium permittimus. Gutherius de Iure manium lib. 2. c. 32. *Quod ad lucernas attinet, illæ in omnibus fere monumentis inveniuntur, quæ lychnuchi & Bilichnes dicuntur, vel plurium lychnorũ. Vidi enim unam vndenum* ἑνδεχάλυχνον. &c. *post multos annos aperti tumuli immisso aëre: lucernæ statim illæ accenduntur. Qua arte id fieri possit nostrum non*

est

est diutius inquirere. Alii hac in re philosophati sunt multi, qui accensis his luminibus volantes alas ingenii combusserunt. Damasus in Sylvestro Papa refert Constantinum Magnum Romæ in baptisterio suo statuisse linum confectum ex amianto & incombustile ut perpetuo lampadibus arderet. Guido Pancirolla, de antiquè deperditis tit. 35. p. 124. *Præparabant etiam veteres Oleum incombustibile, quod nunquam consumebatur. Id nostra quoque ætate, sedente Paulo* III. *visum fuit, invento scilicet sepulchro Tulliæ filiæ Ciceronis: in quo lucerna fuit etiam tum ardens; sed admisso aëre, exstincta. Asserat autem annos plus minus* 1550. Ad quæ sic commentatur Salmuthus: *Incombustibile hoc Oleum rectius videtur appellari posse Vivum Statius:*

Vulcano condicta domus, quam subter eunti
Stagna sedent venis, oleoque madentia vivo.

Sed & Hermolaus Barbarus lib. Corollar. 5. *&* Franciscus Maturantius in epistola ad Alphenum *amicum, jamdudum testati sunt, Inveniri alicubi in subterraneis Italiæ monumentis lucernas perpetuo fulgore lucentes, qualis fuerit illa* Maximi Olibii *in agro Patavino, juxta oppidum Atheste eruta: quam arsisse supra mille & quingentos annos tradit* l. 1. Antiq. Patav. in fine Bernardinus Scardeo: *quem laudat* Melchior Guilandinus in commentario de Papyro mẽbro 6. *Olei autẽ sive Ignis istius perpetui dilucida extat descriptio apud* Hieronymum Ruceli, *in egregio ipsius opere, cui titulus est* Le impresse illustri: *quem locum aliquando ex Italico Latinè reddidimus. Nec multũ absimilis fortassis naturæ fuerit Naphtha: quam circa Babyloniam, bituminis liquidi modo profluere, ait* Plin. lib. 2. c. 105. *Cum quo* Xiphilinus apud Dionem lib. 35. *consentit. Est autem Naphta inquit, ex genere bituminis, usque adeo ardens, ut omnia, quibus adhærescit, prorsus exurat, nec ulla re humida facile exstinguatur. Huic, ait* Plinius, *magna cognatio ignium, transiliuntque protinus in eam undecunque visam.* Augustinus de civit. Dei lib. 21. cap. 6. *Si talia credenda sunt, credite & vos quod in easdem literas est relatum, fuisse vel esse quoddam Veneris phanum, atque ibi candelabrum, & in eo lucernam sub divo sic ardentem, ut eam nulla tempestas, nullus imber extingueret. unde sicut ille lapis, ita ista λύχνος ἄσβεστος, id est lucerna inextinguibilis nominata est.* Et paulo post: *Aut ergo in lucerna illa mechanicum aliquid de lapide asbesto ars humana molita est, aut arte magica factum est, quod homines illo mirarentur in templo, aut dæmon quispiam sub nomine Veneris tanta se efficacia præsentavit, ut hoc ibi prodigium & appareret hominibus, diutius permanet.* Et ad eum locum Lud. Vives in commentar. De lapide asbesto. *Aut etiam lino, quod ignibus non absumatur nam esse talem lini speciem* Plinius tradit. l. 19. *vivum id vocant, Græci ἄσβεστον ex argumento naturæ: qualia Parisiis vidimus ellychnia permulta ego & Petrus Garsias Lalous condiscipulus mihi & summa familiaritate conjunctissimus, quale & in hac re-*

gione mantile medio convivio igni datum, redditumque domino mundius splendentiusque quam posset aquis & smegmatis quibuslibet, sicut se mappas vidisse Plinius *testatur id idem experimentum.* Aut arte magica factum est. *Erutum esse sepulchrum memoriæ patrum, in quo ardebat lucerna condita ibi, ut ex inscriptione apparebat supra millesimum & quingentesimum annum, eaque tota extemplo, ut contrectari cœpta est, inter admotas manus friata in tenuissimum abiit pulverem. Pausanias in Atticis p.*24.25. (edit.gr.lat. Sylburgii apud Wechelum in fol.1583.) refert lucernam Minervæ factam oleo infuso noctes diesque arsisse per integrum annum: quod *funiculus inesset lucernæ è lino carpasio*, quod solum igni (οὐκ ἐστιν ἀλώσιμον) *non conficitur.* v. *probl.* Quid de viribus & operationibus magnetis; & an omnium earum manifestæ causę explicari possint. *R.* Compluria admiranda magnetica describunt peculiaribus & ingentibus voluminibus *Chabeus*, *Kircherus*, *Leonard. Garzonius.* Scripsit & de *magnete Gilbertus*; nec non *Anselmus Boëtius de Boot in histor.lapidum à cap.*247.*usque* 258.*Libavius in singularibus, Ioh.Baptista Porta lib.*7.*Magiæ natur.c.*7. *Ionstonus class.*4.*c.*15. Inter veteres aliquas etiam observationes notârant *Augustin. lib.*21.*de civit.Dei cap.*4.*Isidorus Hispalensis lib.* 16. *originum cap. de gemmis. Plinius lib.*36.*cap.* 16. Sed inter & post omnes alios *Samuel VVardus* Theologus quam plurimas suas de variis & admirandis magnetis affectionibus observationes exhibet libello Londini 1639. edito, tit. *Magnetis reductorium.* Si quis unius Wardi observationes attente legat facile videbit non illos asylum ignorantiæ captare qui doctã aliquã ignorãtiã in hoc occulto naturę sympatheticę miraculo libẽter profitentur; sed illos potius in labyrinthum absurdorum & turpissimorum errorum incidere, qui persuasi nihil se ignorare, omnium eorum scientiam & facilem explicationem pollicentur, quæ sapientes hactenus ignorant. Specimen pansophiæ suæ dent in demonstratione, quomodo ἀπόῤῥοιαι & perpetui effluxus particularum insensilium è corpore magnetico (quibus omnes admirandas tractiones magneticas, sed infelici successu adscribere voluerunt) castrorum instar aut vinculorum circumdare possint anchoram 20.lib. (de qua *VVardus c.*11.) eamq; motu violento protrusionis seu propulsionis & appulsionis ad magnetem perducere immo quam facillimè à terra elevare: reliquis omnibus metallis, lapidibus, & quibusque rebus loca intermedia occupantibus aut proximè vicina, immotis? Quomodo ferrum lõgè remotum per pulsum & trusionem istarum particularum lento motu ad magnetem propinquans celeri motu ad eandem contendat. De quo *VVardus cap.*13. & 14. Quomodo per istas effluentes particulas versus magnetem moveri trudi, & ferrum appelli possit, non impediente medio interposito crassis

scil.

scil. tabulati, vasis figulini, marmorei, metallici, etiam aurei, aut crassæ laminæ aureæ, argenteæ, stanneæ &c., aut muri aut camini lateritii, aut corporis humani obesissimi. De quibus *VVardus cap.* 16. Quomodo trusio & pulsus magnetem impellat & adducat ad ferrum, cum ferrum detinetur ne ad magnetem accedat. Quomodo particulæ illæ ex superiori loco descendentes ferream massam circumplecti, & à terra in altum elevare possint, ipsæ scil. cum ferro ascendentes & in aëre se librantes? De elevatrice virtute magnetis vide *VVardi cap.* 5. Quomodo fictitiæ illæ ἀπόῤῥοιαι non tantum ferrum versus magnetem pellere, sed etiam ibidem retinere possint. De quo *VVardus cap.* 41. Quomodo continuo tanta particularum magneticarum centies aut millies ferrum appellentium copia efluente magneticum corpus non minuatur? Cur magnes majora per instrumentum, quam immediatè suapte virtute efficiat? Cur decuplo plus per binas quam singulas cappas trahat? Cur non raro parvuli magnetes avellanæ nucis quantitatem excedentes, suum pondus sexagies immo centies multiplicatum attollant: cum contra magni aliqui magnetes pondus sibi æquale vix aut ægrè attollant? De quibus, aliisque admirandis effectis vide *VVardum cap.* 18. 19. 25. Hic ergo sistitur cursus eorum; qui quantitate, quiete, situ, figura, motu locali tanquam principiis naturæ universalibus omnia effecta se facillimè & ad oculum demonstraturos nuper jactabant; quique hinc depulsi ad alia atque alia nova asyla confugiunt; ne scil. doctam ignorantiam alicubi cogantur fateri. Nobis sapientissima videtur sententia Anselmi de Boot Medici Rudolphi II. lib. 2. de gemmar. & lapid. histor. cap. 249. p. 219. *Qualitas sane videtur, eaque quæ cum luce vel sono comparari possit. Vt enim lux vitrum transit momento temporis & sonus per opaca corpora & solidissima defertur ad aures & agnoscitur; ita etiam facultas Magnetis per quævis corpora ad ferrum, quod cum illo sympathiam habens ipsius motum sequitur & cum ipso tanquam amico consentit, idque non secus contingit quam fidibus, quæ dum ita extensæ sunt, ut si pulsentur à se distent diapason id est octava, una contacta altera intacta movebitur & consonabit, cæteris fidibus interjacentibus aut intermediis immotis; quod profecto non nisi soni qualitate ad aliam fidem transmissa fieri potest.*

Causa cur mutuo amplexu gaudeant, aut magnes ferrum trahat, inventu non solum meo judicio difficillima est, sed omnino impossibilis. Et paulo post: *Aliud itaque hic latet quam quod humana consequi possit mens, id naturæ relinquimus quæ multa in sinu suo recondita habet, ac admirari sapius quam intelligi vult.* VI. *probl.* Ex quo lapide fuerint facti cultri illi quibus filius Mosis *Exod.* 4. 25. & Israelitæ circumcisi dicuntur *Iosuæ* 5. *v.* 2. & an fuerint cultri

tri lapidei. *Resp.* Quod ad *prius* expedita magis videtur responsio, si dicamus ex vulgaribus saxis seu petris (materia facile in illis terris parabili, & ad scindendum aptâ) factos fuisse : idque innuere etiam vocem צור & צר quæ nõ solet notare lapides raros aut pretiosos. Quod ad *posterius*, omnino statuimus & ante annos cõplures amico de hujus loci interpretatione disquirenti respondimus non esse rationem cur propria hujus vocis interpretatio, & defensio *versionis græcæ & vulgatæ latinæ*, & usitatæ nostrę *Belgicæ* (quã retinet nova & accuratius elaborata) deseratur. Fateor quidem Chaldæum paraphrasten exponere per אזמלין חריפין, id est, *novaculas, cultros acutos*; & in hanc sententiam ire commentaria Rabbinorum *Schelomo Iarchi, Kimchi*, quos sequuntur Lexicographi recentiores *Pagninus* & *Buxdorfius*, cum interpretibus *Munstero*, *Tigurinis & Vatablo*, *Tremellio & Iunio*, *Piscatore*, *versione reformatorum Gallica*, *Anglica*, *Italica Deodati*; *Drusius in commentar. ad loca difficiliora*. *Arias Montanus & Andreas Masius in commentariis ad Iosuæ* 5. *Et notæ ad biblia* nuperrimę publica autoritate edita. *Exod.* 4.25. Qui posteriores cum *Aria Montano* non ex *psalm.* 89.44. novam vocis hujus significationem huc accersunt; sed metonymicè cultros acutos dici putant צור, quod ad saxum aut silicem eos exacuissent; aut metaphoricè, quod acuti essent instar acuti saxi aut silicis. Sed videntur novam hanc impropriam significationem primi excogitasse Rabbini, & quidem absque ulla necessitate. Nullum enim ejus exemplum ex scriptura adfertur. Autoritas Rabbinorum (quæ alioquin per se in grammatica & lexica non plus valere debet, quam in theologia) tandem resolvitur in Targum & in unicum illum locum *psal.* 89.*v.* 44. ut videre est & in *commentar. Schelomo Iarchi, Levi ben-Gerson & R. Kimchi ad Iosuæ* 5. ubi suum Targum, & illi firmando unicum hunc locum adducunt, ad quem *Kimchi commentar. ad psalm.* 89. 44. sic notat : וצור חרבו פירוש חרור חרבו, *& tsour charbo exponitur, acies gladii ejus*, Et sic ibidem *R. Scel. Iarchi & Aben Ezra in commentar.* qui duo posteriores probandæ huic expositioni adducunt locum *Iosuæ* 5.*v.* 2. Per circulum scil., aut obscurum per æque & magis obscurum. Cum tamen loco illi expeditè & concinnè aptari possit notissima vocis illius acceptio metaphorica ut transferatur צור חרבו *robur* seu *fortitudo gladii ejus*. Quomodo ibidem transferunt Arabs נסנח סיפה *adjutorium gladii ejus* : Et Syrus שרו נא *auxilium*. Sed forte hi non tam hebræum textum quam gr. 70. (τὼ βοήθειαν) expresserunt; quod utrique, præsertim Arabi non insolens. Inter rationes, quæ Rabbinos & qui eos ex Christianis sequuntur, hęc effugia quærere coëgerunt, videtur hæc præcipua esse. Quod saxa & lapides ad cultros; & cultri lapidei ad circumcisionem ineptisint.

Sed

Sed errant. Nam *primo*, etiam hodierni Iudæi, quamvis vivos cultris chalybeis circumcidant, mortuos tamen ante octavum diem, aut abortivos cultris lapideis: referente *Schindlero in Lexico in voce* מול. Et notissimum est, apud Gentiles magnæ matris Cybeles sacerdotes (dictos Gallos) genitalia sua cultro lapideo, seu testa Samia præcidisse. De quo ritu, *Lucianus in Dea Syria*, Interpres *Nicandri*; *Sextus Aurelius Victor in Heliogabalo.* Iuvenalis satyr.2.& satyr. 6. *Mollia qui rupta secuit &c.* Et Martialis lib. 3. *epigramm.*80. *Abscissa est samia &c.* Hinc celebratus Attys, apud Catullum in Aty: *Devolvit acuto sibi pondera silice.* Et Ovidius lib.4.Fastorum: *Ille etiam saxo corpus laniavit acuto.* De quo etiam *Arnobius lib.*1.*&* 5. *contra Gentes*, *Eusebius*, aliique. Et fuit procul dubio hæc mimica diaboli, qui Gentiles docuit ut externos ritus Iudæorum in sacris hisce (ut & in plerisque aliis) imitarentur. Accedit, quod novi orbis homines ante adventum Europæorum cultris lapideis usi sint, non ferreis, iisque omnia non minus aptè secuerint, quam nos ferreis. Vide *descriptionem Hispaniolæ*, *aliarumque partium novi orbis*, *& Majolum pag.*1.*dier.canicular. colloqu.* 18. Quin immo antiquitus apud *Herodotum lib.* 2. *&* 3. *&* 7. Æthiopes utebantur sagittis, quarum cuspides non ex ferro, sed saxo. *Plinius lib.*12. *cap.* 25. Balsami fruticem incidi ait, vitro, lapide, osseisve cultellis. Nequid dicam de smiride (vernaculè *amaryll*) qua vitriari nostri vitra sua scindunt, deque adamante, aliisque lapidibus ad scindendum & sculpendum aptis. Atque hæc quidem objectioni huic diluendæ sufficiant. Sunt & aliæ apud *VVilletum commentar.in Exodi.* 4.sed quæ minoris momenti. Quod ibi non suppeterent tot cultri lapidei, quibus tanta multitudo circumcidi posset. Quod in institutione circumcisionis Deus non præscripserit cultros lapideos. Prior objectio concidit si quis cogitet rupium, saxorum, & montium in illa regione copiam non defuisse. Posterior objectio militaret forte contra *Magistrum l.*4.*dist.*5. *&* *Bernardum serm.*1. *de circũcisione* qui dicunt necessario semper adhibitos fuisse cultros lapideos: non contra nos. Porro in sententia hac nostra & defensione *Belgicæ versionis* magis magisque ab illo tempore confirmati sumus, postquam eam pluribus interpretibus non improbatam deprehẽdimus. Sunt autem ex veteribus. *Iustinus*, *Augustinus.* Ex recentioribus præter Pontificios (qui omnes ferè huc eunt, propter autoritatem *versionis vulgatæ*, *& gr.*70. *& Magistri in* 4.*dist.*5.*&* *Thomæ p.*3.*qu.*70.*artic.*3.) *Andreas Osiander in editione interpolatæ versionis vulgatæ*; *Castellio in sua translatione latina*; *Schindlerus in lexico*; *Lutherus in versione Germanica*: *Anton. Bruciolus in versione Italica.* *Lavaterus in homiliis ad librum Iosuæ homil.*19. qui insuper mysti-

cum quid agnoscit adumbrans Christum, qui est petra. *Brentius commient. in Exod. 4. dicit.* Ziporam arripuisse *petram acutam.* Quin ipse *paraphrastes Chaldeus Exod. 4. 25.* צר exponit per טנרא, id est, *silicem, saxum.* Et maximus Rabbinorum *Maymonides part. 1. More Nevouchim c. 16.* verba Iosuæ exponit, per *cultros lapidum* sive *lapideos.* Et *Genesis Rabba* (commentarius est vetustissimus) vocat גרבין דטינת, id est, *novaculas saxi* seu *silicis*, hoc est laxeas. Et *versio gallica Exod. 4. 25.* in margine adscribit hanc expositionem, *cailjou argue.* Et *Anglica Ios. 5.* in margine adscribit: *or knives of flint. Exod. 4. 35.* in ipso contextu: *à sharpe stone.* Sunt ex patribus (quos sequuntur *Thomas loc. cit. Tostatus, Pererius in Genes. 17. & Masius in Iosuam p. 83.*) qui mysticum & typicum quid per cultros lapideos designatum putant, Christum scilicet qui est petra 1 *Corinth.* 10. quæ sententia nihil absurdi aut impii habet: certò tamen probari nequit. Iustinus Martyr aliam præterea mysticam significationem hic quærit, sed quæ valeat, quantum potest: Dialog. cum Tryphone Iudæo pag. 232. (edit. latinæ Iohann. Langi.) *Ille dicitur per secundam circumcisionem cultris lapideis populum circumcidisse: quod præconium & annunciatio fuit circumcisionis hujus, qua re secuit nos ipse* Iesus Christus *à lapidibus & aliis simulacris & acervos cumulavit eorum qui à præputio, hoc est ab errore & seductione mundi, in quovis loco saxeis cultris, id est nomine & verbis Domini nostri sunt circumcisi. Quod namque per similitudinem* (παραβολικῶς) Christus *lapis & petra à Prophetis sit prædicatus, satis est à me demonstratum.* Et p. 235. *O nos ergo beatos, qui per cultros lapideos secunda sumus circumcisi circumcisione. Vestra namque prima per ferrum & facta est, & etiamnum fit, duricordes enim esse perseveratis. At nostra circumcisio, quæ numero secunda post vestram in medium est producta, per lapides acutos, hoc est per verba ipsorum Apostolorum summi angularis lapidis, & absque manibus abscissi, nos circumcidit ab idolorum cultu, & (ut uno verbo dicam) à vitiositate omni. Quorum corda ita sunt circumcisa a pravitate, ut & lati mortem oppetamus propter nomen pulchræ petræ: unde aqua vivente, in cordibus eorum qui per ipsum, universitatis hujus parentem diligunt, scatente potum illa præbeat, aquam vitæ bibere volentibus.* Langus ibidem in commentariis præter alia ex Epiphanio adducta, notat p. 232. *Iudæi hodie in Rabinorum suorum scriptis proditum esse dicunt, Abraam usum esse in circumcidendo duobus acutis lapidibus, quibus ex adverso inter se objectis præputium interpositum, resectum est, nunc autem ferro se illi circumcidi fatentur.* Et pag. 233. *Circumcisio petrinis cultellis ideo fiebat, quia petra erat Christus. Et cum præputio quisque nascitur, cum vitio propaginis: nec mundamur sive à vitio cum quo nascimur, sive à vitiis quæ malè vivendo addimus, nisi per cultellum petrinum, id est Dominum nostrum*

Iesum

Iesum Christum, de sententia Augustini, tract. 30. in Ioan. *Serrarius in commentar. ad Iosuæ* 5. *q.* 8. dicit ex Rabbinis plurimos exponere de cultris acutis ad lapidem; idemque facere Ariam Montanum, *& ex hæreticis Chytræum: Calvinum vero studio forsam dissimulasse.* Sed quo candore hęc scripserit, patet ex iis quæ modo notavimus. Imprimis ex *Calvini Institut. lib.* 4. *cap.* 15. §. 22. quæ legere debuisset. VII. *probl.* Quid statuendum de decantato lapide philosophico? *Resp.* Quis, qualis & unde sit ille lapis, non uno modo explicant, qui eum jactant. A chimæra eum haut parum abesse facile quis suspicabitur, siquidem talis supponatur, qualem Henricus Nollius in appendice ad physicam Hermeticam describit pag. 737. 738. Quid est Spiritus Vniversi? *Spiritus Vniversi est essentia subtilissima, per omnes creaturas hoc mundo comprehensas diffusa, summa agendi potestate prædita penetratione sua omnibus robur & vires concilians, atque ita dispositа, ut corpora, quibus inest, conservet, vegetet, animet, atque ab omni imperfectione liberet, si modo perfectionis fuerint capacia.* Vnde est autem Spiritus hic Vniversi? *A Deo sub initium mundi creatus, atque corporeæ mundi substantiæ incorporatus est, ita tamen ut in constantiori corpore majori cum virtute & copia inveniatur.* Quodnam illud corpus est, in quod Spiritus Vniversi copiose transfusus est? *Est corpus omnium subtilissimum, & à corruptione crassitieque remotissimum nimirum cœlum, quod per astra & luminaria sua summam universi Spiritus copiam possidētia in hæc inferiora corpora vim & essentiam universi demittit, ut hinc in vigore persistant, ad vitam disponantur, anima impręgnentur, atque ab omni imperfectione certis mutationum gradibus provehantur.* Et pag. 739. 740. Quo medio Spiritus Vniversi haberi potest? *Eo medio, per quod è cœlestibus luminaribus sublunari creaturæ communicatur & incorporatur, dubio procul acquiritur. Iam vero aqua est medium, cujus interventu non tantum mineralia metalla, sed etiam vegetabilia animalia de spiritu ex Sole & Luna, cæterisque stellis defluente participent. Quis ergo in aqua spiritum Vniversi quærendum esse inficiari poterit? Et Moses ipse* Genes. 1. *Spiritum Domini latum fuisse super aquas, ingenue fatetur.* Spiritus Vniversi est ne Lapis Philosophorum? *Non per se, quatenus jam actu omnia sustentat & conservat, sed quatenus jam ex Vniversali medio medicinam eminentissimam Philosophica digestione decoctus est, dicitur & est Lapis Philosophorum.* Quid ergo est Lapis Philosophorum? *Lapis Philosophorum est Spiritus Vniversi; incubatu suo actuans aquas atque in medecinam tam superiorum, quam inferiorum habitaculum digestione Philosophica deductus, eaque virtute præditus, ut imperfectis substantiis perfectionem sua ipsius communicatione ingeneret.* Quænam est perfectio, quam Lapis Philosophorum rebus suis communicatione impertit? *Lapis legitime administratus metalla imperfecta in auri sta-*

tum

rum deducit, vegetabilibus maturationem, virorem & vigorem inducit, animaliaque quæcunque, sive sint bestiæ, sive rationales creaturæ, si quo morbo infecta fuerint, stupendum in modum ab eo sub minima dosi liberat. Imo hominem Angelica exornat sapientia, ita ut nihil in universo fiat & inveniatur, quod non cognoscatur ejus usu legitimo.

Materiam autem hujus miraculosi lapidis conficiendi ex lacrymis piorum, ex phantasticis arcanis istorum hominum deprehendit & in lucem protraxit Iohannes Iebsenius in discursu de lapide philosophorum Rostochii 1645. edito: ex quo hæc exhibere sufficerit: *Quid enim (ut paucula alia laborem absque Dei mandato suspectum facienti addam) Alcumistæ potissimum intendunt? Vt animadvertentes, Naturam omnia summa homini concessisse, Deum naturæ authorem ardentius ament, & ex nobilissima hominis parte (liceat hic non philosophice loqui) extrahant id, quod multipliciter prodesse homini potest; hoc est, ut pias lacrymas ignis beneficio redigant ad pulviseulum, cujus naturam primo assumat auri non ita multum, & deinceps quævis particula auri hujus philosophici massam non exiguam plumbi vel alterius metalli imperfectioris in aurum convertat, & (quæ major virtus) ægrotis quibuslibet in vino epota itra 24. horarū spatium post profundū soporem sanitatem pristinam restituat?* Hæc deliria etiā nō sine impietate ex scripturis (*Psal.* 126. 5.) probari cœpta detegere est refutare. Ab historicis & Physicis quæstiones illæ agitātur, An metalla differāt specie; an vivant; an generētur ex halitibus, an vero ex aqua cum terra, an ex sulphure & argento vivo; an æs ferro adversetur; an aurum inter omnia sit maxime solidum & ponderosum: Quid fuerit antiquorum electrum, quid pyropus, marmor, Bdellium, sal ammoniacum, æs Corinthium, vitrum ductile, murrhinum; quid de auro potabili statuendum; quid de usu argenti vivi aliorumque fossilium in medecina; quid de lapide besoar, ejusque viribus &c. De quibus consulendi studiosis nostris, *Keckermannus, Sagittarius,* & *Sennertus* &c. *libris* sæpius *cit.*

Adde & *Libavium*, & *Panciroll. cum Salmutho Memorabil. part.* 1. *tit.* 4. 5. 7. 8. 14. 15. 16. 33. 34. 36. & *part.* 2. *tit.* 3. *ubi rariora quamplurima & scitu dignissima.*

Corollar. Vt veram chymiam honoramus, & chymi-Iatriam suo loco relinquimus (de qua *Libavius*, *Sennertus* aliique artifices:) sic reicimus exsuperantiam illam superbiæ & vanitatis ciniflonum quorundam chymicorum, Hermeticorum recentium, Paracelsistarum, & dictorum fratrum Roseæ crucis, quæ in his se exserit: 1. quod omnium rerum scientiam profiteantur, eamque tenebrionibus suis Hermeticis (qui nusquam comparent) solis vindicent, quasi reliqui sapientes tum antiqui tum recentiores tanquam umbræ volitarent. 11. quod talem vim operandi

sive

sive arti suæ, sive tincturis sive extractis metallicis, sive lapidi philosophico tribuãt, quæ necessario aut in miraculum aut in Magiam reduci debet, *Crollius in chym. Basilic.* passim. & *Henricus Kunrath in Amphitheat:* apud *Henr. Salmuth;* & *Dialog. de Lapide philosoph.* edit. à *Ioach Tanchio p.* 55. 56. Et *Epist. Iuliani Medici*, quæ edit. est cum *Fama & Confess. Fraternit. Roseæ crucis*: & libro Germanico Luneburgi edit. 1617. cui tit. *Aut hic aut nusquam Elucidarius major elucidatio de reformatione totius orbis &c. per Ratdichs Brotoffers Laxene.* Sunt & aliæ libellorum quisquiliæ, magnificis titulis insignitæ, *Fortalitium scientiæ, Clypeus veritatis, Speculum Constantiæ, Raptus philosophicus, Thesaurus fidei, Fons gratiæ.* Cum quibus conferenda *excerpta ex Theatro Chymico.* Argentorati edito. 111. Quod nonnulli scientiæ suæ axiomata magica, & praxi operationes Magicas imprudenter, si non impie, admisceant: quorum aliqua notavimus *Disput. de Magia.* 1v. Quod in acquisitione pansophiæ suæ peculiare lumen, & extraordinariam gratiam divinam & sæculum Sp. s. non obscurè ipsi jactitent, ut *Crollius in præfat. Chym. Basil. p.* 25. 51. 56. 57. 68. 69. & fratres Ros. cruc. in *Fama & Confessione* ubi mussitant de revelatione & assistentia angelica. Confer tract. *Henrici Kunrath. de Igne Magorum* &c. *p.* 87. & illi adjunctum *judicium de Amphitheatro Henr. Kunrath. p.* 111. 112. 113. v. Quod magisterio suo seu arti chymico-universali postponant lumen & sapientiam scripturæ; ut *Rulandus Progymnas. Alchim. in epist. dedicat.* Quales Physicos & Medicos docte & piè monet celeberr. Medicus Sennertus in Hypomnematis physicis hypomn. 1. pag. 5. *Verum Dei Opt. Max. supra vires naturæ agentis potentiam, nudis freti naturæ & intellectus rationibus, cognoscere satis non potuerunt Philosophi. Rectissime autem ea è sacris literis, quarum usus Dei beneficio nobis indultus est, cognoscere possumus; & propterea ea, in quibus Philosophi deficiunt, ex iis supplenda sunt. Etsi enim Sacræ litteræ non ad naturæ interpretationem scriptæ sunt: tamen quia, quæ de mundi creatione à Mose scripta sunt Spiritus S. afflatu edita sunt; omnia illa, quæ in historia creationis habentur, verissima esse putandum est: & à pietate alienum, putare, quæ ibi dicuntur, vel latum unguem à veritate aberrare. Et sit, de quo jam non disputo, ut passim quædam in Sacra Scriptura de rebus naturalibus occurrant, quæ ex vulgata hominum sententia & ad vulgi captum vel tropice, vel figurate dicta sunt: tamen de historia creationis id dici nullo modo potest, utpote quam Deus unico hoc Mosis scripto clarè comprehensam ad extrema usque mundi tempora hominibus notam esse voluit. Et licet Scripturæ S. scopus primarius sit, media salutis æternæ proponere: ab iis tamen historia creationis mundi excludenda non est, ut Apostolus, ad* Rom. 1. v. 20. *docet, cum una opera à Spiritu Sancto ea nobis in iis revelentur de rebus naturalibus, ad quæ nullius ingenii acumen pervenire*

potuit. Et pag. 7. *Historiam autem Creationis descripsit Moses*, Geneseos cap. 1. *cujus interpretationem hic afferre operæ pretium non puto, cum multi, iique satis prolixi in hunc exstent commentarii, & inter eos, etsi brevis, non postremus,* Francisci Valesii. *Hoc saltem moneo, reperiri non paucos, qui textui Mosis mentem alienam inferunt, & non Mosen ex Mose, sed ex Gentilium scriptis interpretari conantur, ausu infelici & non tolerando. Certum enim est apud omnes Christianos, omnia, quæ in sacris literis habentur, vera esse, & quæ à Mose traduntur, plane historica, & propterea secundum propriam & germanam, & quam ipsa verba, secundum genuinam & sacris, imo vulgo usitatam significationem suppeditant, intelligenda, non vero secundum anticipatas, & ex Gentilium lectione haustas opiniones explicanda, nec Sacram Scripturam ad ejusmodi opiniones detorquendam esse.* Ante Sennertum ἀγράφους seu ἀνυγράφους & profanos ejusmodi physicos tetigerat Francisc. Valesius quondam Medicus Regis Hispaniar. in præf. ad sacram philosoph. p. 6. 7. *Ob hæc ego mihi persuadeo atque omnibus persuasum volo, ut omnem aliam doctrinam, quæ vera sit, ita naturalem, in his divinis libris contineri, adeo, ut disciplinas omnes quam plurimum juvari posse sperem, si doctissimi viri, aliis perlustratis, in eis præcipue laborent, sua quique tractantes. Nam veterrimi Philosophi, horum lectione sunt plurimum adjuti, proinde ego, perfectis jam in omnes Auditorios Aristotelis de Natura, & quamplurimos. Hippocratis, & Galeni de re medica, libros, commentariis, quod Deus concesserit vitæ reliquum, statui in his philosophari, tum quoniam nulla alia ratione censeo certi quidpiam de naturalibus haberi posse; tum quia nescio quo modo eorum lectio, etiam historica, aut Physica, animum pietate imbuit latenter. Quare huic lectioni consecrare senectutem, æquum est putare, scripta esse mihi hactenus Philosophica, ad opinionem, hæc autem scribi ad veritatem. Horum enim author ipse est Deus.* Quin & nuper *Iohannes Freitagius* Professor Medecinæ in Acad. Groningana ipsius Sennerti physica quædam philosophemata de productione formarum, *impietatis blasphemiæ; hæreseos* coarguit, quod scripturarum theologiæ & theologorum consensui & receptæ Academiarum philosophiæ viderentur ipsi refragari, & absurda ac periculosa nonnulla ἀκόλουθα post se trahere. Vide ejus apologiã ad orbis Christiani Academias præfixã *Refutationi novæ sectæ Sennerto-Paracelsicæ.* Tenenda hic est regula August. l. 1. de Genesi ad lit. c. 21. *Cui respondeo, ad eum ipsum me cibum suaviter pervenisse, quod didici non hærere homini in respondendis secundũ fidem, quod respondendũ est hominib. qui calumniari libris nostræ salutis affectant: ut quicquid ipsi de natura rerũ veracibus documẽtis æmonstrare potuerint, ostendamus nostris literis non esse contrarium. Quicquid autem de quibuslibet suis voluminibus his nostris literis, id est, Catholicæ fidei contrarium protulerint, aut aliqua etiam facultate ostendamus, aut nulla dubitatione credamus*

esse

esse falsissimum : atque ita teneamus mediatorem nostrum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ atq; scientiæ absconditi, ut neque falsæ philosophiæ loquacitate seducamur, neque falsæ religionis superstitione terreamur. VI. Quod Epoptas suorum sacrorum nullos fere admittant, nisi credulos & in verba ac somnia sua jurantes : imprimis theologos omnes tanquam profanos ab his sacris arceant. Quasi vero theologi peculiariter imperiti sint rerum naturalium & ad earum cõtemplationem planè inepti. Contrarium ostenderunt *Rabanus Maurus, Albertus Magnus, Thomas Aquinas, Vincẽtius Bellovacensis, Bartholomeus Anglicus, Rogerus Baco, Rupescissa, Arnoldus de Villa nova*, aliique quamplurimi : ut infinitos recentiores, quorum scripta physica exhibet *Nomencl. Isr. Spachii & Biblioth. Phil. Alegambe*, nunc præteream. Sed plausstrum perculerunt theologi, quod ad physicam sacram & scripturam omnia philosophemata de novis inventionibus & systematibus mundi, de rerum principiis ac naturis, deque novis & periculosis præsumtæ quasi omniscientiæ hiatibus cõformari velint, saltem tã cautè aut moderatè tractari, ne scripturæ in aliquo repugnent, & hac via juventus Christiana ad scepticismum, aut profanum scripturæ fastidium, aut ejus indignum abusum abducatur. Consideret pius lector, an theologi immo omnes pii & ad sobrietatem sapientes philosophemata hæc concoquere debeant; quæ ex arcano officinæ Hermeticæ depromit Henricus Nollius lib. x. physic. Hermetic pag. 551. *Si est possibile arte fieri & ex impuris corporibus oleum quoddam ardens & tamen incombustibile, quod etsi in omnia secula ardeat, flammamque de se edat, tamen non absumatur : multo magis Deo feliciter juvante illud idem oleum & remedium balsamicum humanæ naturæ convenienter præparari potest, ut hinc homo usitatos vitæ terminos transgrediatur, vitamque suam etiam in mille annos protrahat. Tanto beneficio quidam Philosophi præsertim Patriarchæ V. T. ante diluvium divinitus donati fuerunt. Ne vero arbitrare, tantum thesaurum sapientiæ hoc nostro seculo hominibus piis divinitus esse denegatum & plane ademptum. Certo enim certius scio filiis doctrinæ Theosophisque veris mediantibus precibus continuis a Deo hoc etiam abjecto tempore permitti, ut in accommodationem olei istius incombustibilis perpetuoque ardentis inquirant, oculisque suis deprehendant rationem & viam qua oleum ipsorum incombustibile ita disponatur, ut etiam in aqua perpetuam flammam, & sic perpetuam vitam edere possit. Si ergo tu quicunque ad divinam hanc sapientiam adspiras, Philosophicum istud oleum sanguini nostro immiscere, illudque in eo constanter flagrare curaveris, aditum habes dubio procul ad nobilissimum quendam thesaurum, quo post verbum Dei in hoc mundo vix major possidetur. Vt proprius ad rem accedam, oleum & balsamum incombustibile, quod ad vitæ prolongationem facit, e metallis, per, in, & cum metallis producitur. Igitur generale est.* Et p. 137. *Quare nemo mirabitur,*

rabitur, quod Philosophi secretiores miraculum naturæ adepti Angelica sapientia induantur, cum Deus supercœlestes aquas in abjecta minera ubique reperibili etiam concluserit, illasque Philosophis eliciendas & externo vestitu ablato educendas concesserit, sapientesque omnibus temporibus extiterint, qui Dei inspiratione tanti thesauri subjectum cognoverint, & exinde eruerint. Vide & alias ejusmodi inanias (an insanias) apud *Salmuthum de nove repertis tit.7.* inter quas enthusiastico-atheismũ sapiunt illa verba Rulandi in progymnasm. Alchymiæ, in dedicatione: *Si Paulo* (apostolo) *consentienter ratiocinari licebit, eminentior Dei notitia ex hujus artis Alchymiæ praxi hauriri potest quam ex ipsis sacrarum literarum monumentis.* VII. Quod particularibus multis teratologiis, labyrinthis, absurdis se implicent de quibus (quia nostri fori non sunt) videndi, *Libavius in Examine Fam. & Confession, Fraternit. Ros. Cruc. Iohannis Iebsenii Holsati discursus de Lapide philosophorum*, anno 1645. Rostochii apud Rihelium. *Salmuth ad nove reperta Pancir. tit. 7. Sennertum de Chymic. Consens. & Diss. Thomas Erastus contra Paracelsum.* Cum quibus conferendi Antagonistæ *Raymundi Lullii*, ad quos manuductionem præstabit judicium *Keckermanni*, quod exstat in *præcognitis Logicis.* Adeo ut tantum hiatum & paramirios illos bombos in superstitiosam Magiam, aut fanatica opinionum deliria & portenta, aut Pyrrhonico-Scepticismum, aut Libertino-Enthusiasmum, & consequenter impietatem ac hypocrisin, aut sacram universalemque ignorantiam plerumque desiisse deprehensum sit: de quo postremo non male πολυίστορ Cardani dictum de subtil.lib.15.pag.737. usurpare liceat: *Tertium genus inutilis subtilitatis in Raymundi Lullii libris spectare licet. Res prorsus risu digna, omnem velle tradere doctrinam, nullam nosse.* Conferenda hic *disp.* nostra *de Atheismo*, nec non Antagonistæ Enthusiastarum & Libertinorum, quos indicavimus in *Biblioth. Theolog.* quibus nunc addimus Rev. collegæ nostri *Ioh. Hoornbeeck tract: de VVeigelianis* hoc anno. 1646. editum. Est enim paralleliſmus, seu mavis syncretismus inter Neo-scepticos, Libertino-Enthusiastas theologicos & philosophicos: ita ut fanatici & thaumatophori tales philosophi plerumq; progignant aut in se contineant fanaticos & mõstrosos Theologos. Firmabo illud verbis celeberrimi Medici & philosophi Sennerti in præfat. ad librum de Chymic. cum Aristot. &c. *Ex Paracelso nimirum, tanquam fonte, dogmata sua hauserunt* Weigelius, Crollius; *imo illi ipsi Enthusiastæ, qui ante paucos annos in Thuringia religionem Christianam turbare conati sunt; & plures alii ex iis, qui hodie Fratern. R. C. seu socii seu clientes videri volunt.* Et paulo post: *Ex eodem fonte* Henricus Conradus, Crollius, in præfatione admonitoria, *& plurimi alii suas in Philosophia & Theologia opiniones hauserunt,*

runt, qui Magiæ, quam putant, naturalis, & Cabalæ studiosi, Academias & bonas literas præceptorumque institutionem negligunt, atque in Laboratoriis suis, quæ vocant, vel à sideribus erudiri cupiunt, vel, Enthusiastarum more, occultas inspirationes & revelationes, ac spirituum consortia, colloquia & auxilia exspectant; atque Diaboli, qui se in Angelum lucis transformare valet, insidiis incauti sponte sese objiciunt. Non pauca etiam docte & prudenter de artis chymicę & philosophiæ Hermeticę usu & abusu monet *Salmuthus in nove repertis tit.* 7. & 8. Qui cum fructu legetur. Cŏfer quæ infra *part.* 7. dicemus de temerariis quibusdă philosophematis circa cœlum & systema mundi.

Distinguitur terra in superiorem & inferiorem; Illa vocatur etiam terra viventium & incolæ ejus superi. Ista terra mortuorum & tartarus, ᾅδης, & incolæ ejus inferi. De qua distinctione multa congesta vide in eruditiss. *tract. Parkeri de descensu ad inferos lib.* 1. & 2. Addamus nunc aliquid de inferno: & paradiso terrestri. De inferno alibi ex professo acturi, quærimus nunc, quando sit creatus? *Resp.* 1. *Abulensis in Math.* 25. & *A Lapide in Genes.* 1. primo die creatum volunt. Et sic *Isidorus, Boërius*, & cum iis *Rusca lib.* 1. *de Inferno & statu Dæmonum cap.* 85. 11. Rabbini vulgo ex sententia *Bereschit Rabba* secundo die: & rationes addunt ineptissimas. 1. *Quia Ier.* 30. *v. ult.* dicitur præparatus *ab heri* (unde etiam *Boërius modo cit.* absurde probat primo die creatum.) 2. *Quia* operibus secundi diei non adjicitur, quod fuerint bona. Vide ineptias illas apud *R. Menasse De Creatione probl.* 20. 11. *Martinus del Rio & Bened. Fernan. in Genes.* 1. *Molina de Operes sex dierum dis.* 11. tertio die. 111. *Richardus in* 4. *dist.* 44. *qu.* 3. sexto die, cum homo creatus est. 1v. *Rupertus Tuitensis lib.* 9. *de Oper. Spir. s. c.* 21. ante creationem dæmonum: quod esset ante opera primi diei, hoc est, ante creationem mundi. Nos in re tam dubia putamus tenendum, fuisse inter opera sex dierum atque adeo creatum initio mundi; ut recte *Gregor. M. lib.* 15. *Moral. cap.* 17. 2. fuisse creatum ante creationem & lapsum hominis: nam tum angelos qui ceciderāt Deus ταρταρώσας catenis caliginis ligaverat 2 *Petr.* 3. 4. 3. *Denique* maxime probabile esse, si dicatur fuisse conditus die primo aut tertio. Quod autem apud *Ruscam loc. cit.* curiose disceptant nonnulli an ipso momento lapsus diabolorum, an vero ante sit conditus: id ipsis definiendum relinquimus. Alioquin ante ingressum peccati in mundum, infernum paratum, non magis absurdum est, quam cœlum paratum ante creationem & redemtionem hominis, aut ante angelorum persistentiam in gratia, atque adeo existentiam in termino obedientiæ: quam medicamenta creata, ante quam existerent morbi. 4.

De Paradiso disquirunt *Scholastic. ad* 2. *dist.* 17. & *ad* 1. *p. qu.* 93. & recentio- 5.

centiores *commentator.in Genes.* imprimis *Pererius toto l.3.*ut & *Bellarmin.de Gratia primi hominis c.* 10.19. *Malvenda lib. pecul. de Paradiso*; ex antiquis *Mosis Bar Cepha lib.de paradiso.* Sed quia non pauca incerta & dubia, plurima curiosa illic occurrunt, conferendi erunt Antagonistæ *Bellarmini*; & *Beroaldus in chronologiâ lib.*1.*c.* 9. Et *Gabriel Kaltmarck in historica descriptione Paradisi*; denique *Franc. Iunius*, *VVilletus*, *Pareus in Genesin*; & *Zanchius de Operib. creationis part.*2.*lib.*1 *cap.*1.Nos, quia theses conscribimus, tantum de singulis sententiam nostram absque rationum apparatu indicare cogimur. I. An allegorice creatio paradisi sit accipienda. *Resp. Neg.* contra *Aben Ezra* & *Maymonid.* & antiquos illos, quos refutat *Pererius lib.*3.*comment.in Genesin p.*269.373. & *Epiphan.epistol.ad Iohan.Hierosolym.Bellarmin.c.*10.11. II. Quoto die sit creatus? *R.* Tertio aut sexto, sed prius probabilius videtur, Et sic communiter Theologi: etiam Rabbini apud *R. Menasse probl.* 18. III. An sit locus in parte aliqua terræ,an vero tota terra? *Resp.Pr.Aff.* contra nonnullos apud *Perer.p.*373. IV. An sit receptaculum animarum fidelium post mortem. *R.Neg.* contra Iudæos: quorum opinionem & quidem communem explicat *R. Menasse probl.*17. V. An vox παράδεισος sit origine hebraica (פרדס *Eccles.*1.*Nehem.* 2.*Canticor.*4.) quâ 70. gr. vocem גן *hortum* exposuerunt. *Resp.* Ita videtur. Nec repugnat nobis *Pollux lib.*11. qui Persicam esse dicit. VI. An ex *Genes.*2.*v.* 8. colligi possit Paradisum situm fuisse ad Orientem? *Resp.Aff.*Patet enim Eden fuisse regionem orientalem versus Assyriam, ex *Genes.*2.14.2.*Reg.*19.12. *Ies.* 37.12.*Ezech.*27. 23. Et ex notatione locorum & fluviorum adjacentium. VII. An per Orientalem partem mundi intelligatur *India*, juxta stylum Geographorum,& scriptorũ omnium latin.ac græcor? *R.Neg.* sed terræ quæ citra sinum Persicum usque ad Iudæam porriguntur.Armenia scil cet, Persia, Arabia, Mesopotamia &c. idque juxta stylum scripturæ, *Genes.*29.& 25.*Numer.*23.cum *Deuter.*23. VIII. An sit extra nostrum orbem habitabilem, ultra Oceanum :ut vult *Ephrem Syrus* apud *Mosen bar Cepha in libr. de Paradiso* & *Bellarmin.de gratia primi hominis c.*14. *Resp.Neg.* Fuit enim in plaga orientali: uti jam diximus *probl.* 6. Quin ipse *Bellarminus* sibi contradicens contrarium statuit & probat *cap.* 12. IX. An sit locus cœlo proximus; ut *Rupertus libr.*1.*de Trinit.c.*37.pertingens usque ad lunarem circulum, quo aquæ diluvii non pervenerunt,ut *Rabanus*, *Strabus*; quam opinionem *Catharinus*, *Augustino*, & Scholastici *Bedæ* assignant (quod in dubium trahit *Perer. pag.* 376.) *Resp. Neg.* utramque opinionem quæ à nostra terrâ secludit paradisum, refutat *Perer.loc.cit.* X. An sit supra turbulentum hunc aërem, aut in tertia

aëris

aëris regione, ut *Toſtatus*, *Alexander Ales*? *Reſp. Neg.* & duas rationes eorum, *ne* ſcil. homo verſaretur in aëre aut loco minus ſalubri; & ne ab aquis diluvii vaſtaretur, egregie ſubruit *Perer. p.* 380. XI. An ſitus fuerit ſub lineâ æquinoctiali, ut *Bonavent. & Durandus in* 2. *diſt.* 27. *Reſp. Neg.* neque ibi ſunt flumina Euphrates, Tigris &c. XII. Quæ fuerint flumina Paradiſi? *Reſp.* inter tam multas opiniones (quas examinant *Bellarm. cap.* 12. *Pererius*, *VVilletus*, & *A Lapide in Geneſ.* *Zanchius de Oper. part.* 2. *lib.* 1. *cap.* 1.) expeditiſſimum eſt dicere: Eſſe unum fluvium Euphratem, qui non quidem in Paradiſo (nam hoc non habet textus) ſed poſt irrigatum Paradiſum deinde dividitur in quatuor capita. Sic *Joſephus* apud *Ambroſium epiſt.* 32. *Calvinus*, *Iunius*, *VVilletus*. Nam conſtat ex *Ptolom. Geogr. lib.* 5. *c.* 23. *Strabon. lib.* 15. *Plinii lib.* 5. *c.* 24. *Arrian. l.* 7. Euphratem in diverſos canales ſe diffundere, & diverſa nomina ſortiri. Si quis properet, aut ei autores non ſint ad manum, adeat *Ortelii Diction. Geogr. in voce Euphrates* & *Tigris*. XIII. Quæ ſint hodie, aut olim juxta Geographiam veterum fuerint flumina illa Piſon, Gihon, Ghiddekel, Perat? *Reſp.* Quod *Perat* ſit Euphates ex locis ſcripturæ *Geneſ.* 15. 18. *Deuter.* 1. 7. & 11. 24. *Joſuæ* 1. 24. 2 *Reg.* 23. 89. & 24. 7. (vide ibi *commentat.*) ubi illa deſcribuntur, colligi poteſt. Quod *Chiddekel* ſit Tigris ex *Geneſ.* 2. 14. *Daniel.* 10. 4. (Vid. *coment. ibid. Et Plinium l.* 6. *c.* 26.) ſic ſatis conſtare putant *Ar. Montan.* & *Maſius in Joſ.* 1. qui ibidem docet cur Euphrates & Tigris dicantur magna flumina. *Gihon* complures patres putarunt eſſe Nilum, & huc etiam recentiores nonnulli argumentum ab etymologia nominis ex *Moſe bar Cepha* adducunt: ut videre eſt apud *Ioh. Baptiſtam Scortiam. lib.* 1. *de natura & incremento Nili c.* 1. Sunt qui pro hac ſententia pugnant (inter quos *Conimbricenſes tract.* 9. *de meteor. c.* 8.) duobus argumentis: *Prius eſt*: huc advocant locum *Ierem.* 2. *v.* 18. *Reſp.* Sed ibi in hebr. eſt. eſt שיחור non vero גיחון; quamvis per errorem verſio gr. ita ſcripſerit, aut forte librarii locum corruperint. *Alterum eſt*: Quia Gihon in Moſe dicitur circumire terram Cuſch ſeu Æthiopiam: atqui Nilus eſt, qui tranſit Æthiopiam, ut docent Geographi. *Reſp.* Aliud eſt tranſire Æthiopiam, & aliud eam circumire. Deinde diſtinguenda eſt Æthiopia (vide *Strabonem lib.* 1. *p.* 21. & *Plin. lib.* 5. *c.* 8.) in orientalem Paleſtinæ & Syriæ vicinam; & in occidentalem quæ ad meridiem protenditur. Illam circumdat Gihon (de quo *Geographus Nubienſis part.* 8. *clim.* 3. *p.* 138.); iſtam Nilus. Præſupponunt autem *Conimbricenſes* huic ſuæ opinioni falſam hypotheſin de ortu Nili ex paradiſo. Sed redarguuntur à genuinâ ἱστορίᾳ de ortu Nili, quem in Æthiopiâ ex decem fontibus in montibus lunæ primum oriri deſcribit *Geographus Nubienſis part.* 4. *clim.* 1.

Et

Et ex hodiernis peregrinationibus unanimi consensu idem nunc docent recentiores Geographi;& qui ex professo de hâc quæstione scripsit *Joh. Baptista Scortia lib. 1. de Naturâ & incremento Nili cap. 2.* Dari autem Æthiopiam Palestinæ & Syriæ vicinam constat ex Geographis. Vna hæc ratio sufficeret refutandæ huic opinioni; Quod quatuor Paradisi flumina conjuncta dicantur, & uno ex fonte seu capite orta *Genes. 2. 10.* Atqui Tigris & Euphrates (qui proculdubio numerandi inter flumina Paradisi) hâc ratione cum Nilo non conjunguntur. Fluunt enim è septentrione ex Tauro monte Armeniæ majoris, & in sinum Persicum versus ortum exonerantur: Nilus vero fluit ex Montibus Lunæ (qui amplius 600. milliaribus Germanicis à Tauro distant) & in mare mediterraneum versus occidentem & Septentrionem sese exonerat. Sed huic errori forte occasionem dedit, quod Æthiopes Nilum appellant *Goion* vel *Gichon*: ut ambiguitate illâ decepti videri possint. Observo nunc apud *Geographum Nubiensem loco cit.* mentionem fieri fluminis *Gihon*, à Nilo distincti: & *part. 5. clim. 4. p. 196.* fluminis *Gihon* sive *gihan*, ibidem à Nilo distincti. Nâ Nilum distinctè describit *part. 4. clim. 1.*; & *part. 3. clim. 3. eumq;* exsertè ibidem distinguit *p. 197.* cum sex maxima flumina numerat, Nilum, Dagele (hoc est Tigrim.) Euphratem, Mehran Sindiæ, Hangen Indiæ, Baghanum in Sin, & Gihon in Chorasan. De Pison & Gihon doctè inquirit *Junius*, & fusè, *Pererius à p. 427. usq;* 444. aliiq; *ib.* & à *Corn. à Lapide* citati. Sed quia opiniones quorundâ veritati Geographicæ apertè repugnâtes videmus, alias omnes incertas & dubias, præstat cum *Mercero, Corn. à Lapide, VVilleto* doctam ignorantiam hic profiteri. XIV. Vbi ergo situs Paradisus. *Resp.* cum *Pererio, à Lapide, VVilleto, Riveto Exercit. 49. Zanchio aliisque ibid. cit.* Circa Mesopotamiam & Armeniam, quia 1. ibi sunt flumina Euphrates & Tigris, quæ originem habent in montibus Armeniæ, cursum per Mesopotam. Assyr. Chald. exitum verò in sinum Persicum. 2. Quia *Eden* est pars Babyloniæ, & hæc pars Mesopotamiæ, ut constat ex *Ezech. 27. 23. Jesa. 37. 12.* Ibi enim dicitur fuisse prope Haran, quod est in Mesopotamiâ. 3. Hæ regiones sunt ad Orientem, & amœnissimæ: & sic convenit cum descriptione Paradisi *Genes. 2.* Addunt & alias rationes *Pererius & à Lapide*: sed illæ minus solidæ sunt. XV. Quæ fuerit quantitas Paradisi? *Resp.* agit de eâ *Tostatus in Genes. 13. qu. 98. Perer. lib. 3. qu. 3. de Paradiso.* Sed dicendum: Non liquet. Saltem cum *Corn. à Lapide* puto non admittendam eorum opinionem, qui omnem Armeniam, Syriam, Mediam, Persiam &c. illi attribuunt. Fuisset ille orbis aliquis, non hortus. XVI. An hodie etiamnum supersit Paradisus? *Resp.* Ita quidem velint *Bellarminus, Marius, Lessius*, aliique Pontificii ab ipsis *cit.* ut commen-

cōmentum ſuum de tranſlatione Enochi in illum paradiſum ſtabiliant. Ex antiquis idem ſenſit *Irenæus lib.5.c.5.* ut faciat eum receptaculum animarum fidelium uſque ad diem judicii. *Sed hic eſt* (ait A Lapide in Geneſ. 2.8.) *error Armeniorum damnatus in Concil. Florentino.* Pontificii in varias ſectas hic abeunt. *Sunt* qui locum tantum ſupereſſe aſſerunt, ſed formam & decorem aquis diluvii ſublatum, ut *Oleaſter*, *Eugubinus*, *Ianſenius*, Zwarez *&c.* *Alii* ipſam formam & amœnitatem ſupereſſe; eamque providentia Dei ab aquis diluvii intactam fuiſſe, ut *Thomas*, *Scotus*, *Abulenſis*. *&c.* cum *patribus ibid.cit.* *Alii*, videri non exſtare, ſed diluvio periiſſe. Sic *Viegas in Apocal.* 11 *commen.* 5. *ſect.* 5. *Pererius quæſt.* 4. *pag.* 387. *& qu.* 5. per totum. Sed commentum illud de Paradiſo adhuc ſuperſtite; ejuſque laciniam, de Enochi habitatione in Paradiſo, ſolide refutarunt Diſputatores noſtri de Antichriſto; imprimis *Rivetus in Geneſ. Exercit.* 49. Et *Perer.* cum *Viegas modo cit.* XVII. De qualitatibus & adjunctis Paradiſi, & quæ in ipſo fuerint aut non fuerint animalia, curiosè quærunt Scholaſtici, & recentiores apud *Perer.* & *A Lapide*. Nobis ſufficerit dixiſſe, quod ex ſcriptura certo dici poteſt, fuiſſe in eo arbores, aquas, nec abfuiſſe animalia, cum ſerpens ibi inſtrumentum fuerit diaboli *Geneſ.* 3.1. XVIII. An paradiſi decor ſuperſtes fuerit uſque ad diluvium; & hominibus fuerit frequentatus; ſaltem cognitus. *Reſp. De primo & tertio diſq.* permitt. vide *Pererium p.* 386. *Secundum Neg.* ex *Gen.* 3.23.24. XIX. Paradiſus cur nunquam repertus fuerit? *Reſp.* multa excogitant & fabulantur nonnulli apud *Pererium qu.* 4. Sed cum ipſo dicendum: Quia non eſt. XX. De cultura Paradiſi an fuiſſet laborioſa, Quæ bona homini attuliſſet, & an homo in ſtatu innocentiæ etiam extra illum vixiſſet, quamdiu in eo manſiſſet; An cuſtodia ejus fuerit ei neceſſaria; An & quando in vitam cœleſtem inde transferendus: Quæ fuerit arbor vitæ, & altera ſcientiæ boni & mali, quæque utriuſque facultas, & quis uſus; An & quomodo paradiſus fuerit figura aut typus vitæ cœleſtis &c. diſquirendum eſt in loco de *Imagine Dei*, ſeu *Gratia primi hominis. Deniq;* quæſtiones de Ejectione hominis ex Paradiſo, deque Amœnitatis Paradiſi mutatione (cum tota terra maledictioni & vanitati ſubjecta fuit) deque Cherubim ad introitum Paradiſi conſtituto, pertinent ad locum de *Lapſu Adami*. Videantur *Bellarmini liber cit.* coll. cum Antagoniſta *Ameſio*. Et *Scholaſtici ad* 1. *qu.* 102. Atque hæc quidem de opere tertii diei, deque conſtitutione mundi elementaris, & quæ eo continentur, exceptis animalibus, de quibus in opere quinti & ſexti diei. De Harmonia ejuſdem cum mundo cœleſti, ad finem operis quarti diei *ἐν παρόδῳ* dicemus. Cæterum maxime admiranda in mundo hoc inferiori ſeu

elementari notata reperies, siquidem compendiosissimo cõpendio studes *in Thaumatographia Ionstoni*; cui adde si placet, *Commanni Templum Naturæ*. Si per plures scriptores diffundere te possis & velis, adeas recẽtiores naturalis historiæ partim scriptores, partim examinatores, *Majolum in diebus Canicularibus*; *Mizaldũ in centuris Memorabilium*; *Gaudentium Merulam in memorabilibus*: *Lemnium de occultis Naturæ miraculis*; *Georgiũ Brunonem in theatro mundi*, *Nierenbergium in historia Naturali*, & *de miraculosis naturis in Europâ*; *Camerarium in Centuriis mirabiliũ*; *Cardanum de rerum varietate* eundemq; *de subtilitate* cum *Exercit. Scaligeri*; *Vossium de Idololatria*. Si quis per omne genus autorum vagari malit, aut saltem data occasione super quæstione aut materia aliqua omnes consulere, is adjungat. 1. Antiquos physicos & historicos naturales, *Aristotelem*; *Plinium*; *Theophrastum*; *Solinum*; *Stobeũ*; *Apollonium*, *Phlegontem*, *Antigonum gr. lat.* à Meursio editos; *Rabanum Maurum*, *Albertum Magnum*, *Vincentium Bellovacensem*; *Bartholomeum Anglicum* 2. Geographos antiquos & recentiores; quos in *bibliotheca nostra* indicavimus. 3. Scriptores qui materias aut quæstiones mixtas scil. medico-physicas pertractant: quales *Fracastorius*, *Valesius*, *Cæsalpinus*, *Lycetus*, *Condrochus*, *Aquapendente*, *Libavius*, *Sennertus*, *Erastus &c.* 4. Problematum scriptores tum antiquos tum recentiores *Aristotelem*, *Theophrastũ*, *Aphrodiseum*, *Zimaram*, *Georgium Vallam*, *Trissinum*, *Conimbricenses*. 5. Scriptores Magiæ Naturalis & secretorum, ut *Iohann. Baptistam Portam*, *VVeckerum &c.* 6. Autores, qui miscellas & varias quæstiones, aut historias, aut observationes scripserunt; apud quos aut compluria aut saltem aliqua huc spectantia occurrunt; quales *Atheneus*; *Plutarchus*; *Aulus Gellius*; *Macrobius*; *Lucianus*; *Photius in Myrobiblo*; *Rhodiginus*; *Philippus Camerarius in horis subcisivis*, *Lonicenus in varia historia*; *Alexander ab Alexandro*, (sed qui pauciſſima habet scil. *lib. 4. c. 9. & l. 5. c. 9. & l. 6. cap. 2.*) *Petrus Messias in variis lectionibus*; *Mercurialis in var. lectionib.*; *Talantonius in variar. & reconditar. rerum Thesauro*, *Fernandius Cordua in didasc. multiplice*; *Salmuthus ad Pancirollam*; *Brodeus* denique *Magius*, *Hadr. Iunius* aliique φιλόλογοι simul editi à *Grutero in Thesauro Critico*. 7. Scriptores ostentorum, & prodigiorum; quales *Cornelius Gemma in cosmocritica*, *seu divinæ naturæ characterismis*, &c. quos indicamus in *disp. prima de Signis*. 8. Denique *scriptores* particularium admirandorum, & historiarum naturalium, quales de Monstris; de meteoris; de plantis, de animalibus, de metallis, de lapidibus, de Ignibus, de Mari & aquis, de Venenis, de medicamentis, de alimentis: quos suis locis in *hac disp.* & alibi indicamus. 9. Conferantur scriptores, rerum cœlestium in opere quarti diei, & Zoologici, in opere quinti & sexti diei, anthropologici in opere sexti diei notati. Ad

scripto-

scriptores anthropologicos refer *mirabiles historias medicas Donati & Schenckii.* 10. Conferantur etiam scriptores pneumatologici, *Martinus Del Rio*, & similes in *disp. de Dæmonibus, de Energumenis, de Magia* &c. & in *Bibliotheca nostra* indicati.

De opere quarti diei.

AGendum hic 1. de stellis, 11. de eorum effectis, motu, lumine, calore, influentiis, phænomenis & signis atque hac occasione de Harmonia mundi superioris & inferioris, seu cœlestis & sublunaris. 6. De stellis in genere quærunt philosophi, An sint partes densiores sui orbis, & consequenter ejusdem materiæ; an numerus earum minuatur aut augeatur; an & quomodo numerari queant; an & cur distingui debeant in fixas & errantes; an sex eorum differentiæ, quod ad magnitudinem, recte assignentur: an omnes sint sphæricæ: an fixis stellis triplex insit motus; an stellæ moveantur per se, an vero ad motum cœli: An & quæ fuerit stella anno 1572.: an & quæ stellæ in qualibet regione semper apparentes, semperque latent, &c: De quibus *Conimbric.*, *Aliaco*, *Clavius*, *Baranzanus*, *Gigas in sphæra*, *VVerenbergius in disp. Astronomicis*, *Casmannus in Astronomia.* Ex Theologis *Zanchius*, *Danæus*, *Pererius in Genesin*, imprimis etiam *VVendelinus in contemplationibus physicis & Claramontius de Universo*, qui in determinationibus suis ad scripturam respiciunt. Antiquorum varias de stellis opiniones invenies in *commentar. Scaligeri in Manilium*, & in *Stobei eclog.* 22. 24. 25. 26. Nobis nunc ista problemata reliquis θεολογικώτερα notanda. 1. *probl.* An in scientia astrorum speciatim in ardua quæstione de explicando systemate mundi, sacræ scripturæ ratio habenda sit? *Resp. aff.* contra *Rothmannum in epist. astronom.* (quæ etiam exstat apud *Casmannum p.* 1. *astron. c.* 6. *p.* 329.) aliosque nonnullos recentiores systematis mundi investigatores. Quamvis enim observationes, observationumque collectiones, & comparationes, & ex illis hypothesibus consequentiarum firmationes & argumentorum eductiones in scriptura non proponatur, nec inde etiam primum discendæ ac petendæ sint: tamen nullæ hypotheses sumendæ nullæ theses defendendę, nulla argumenta producenda, quæ veritati scripturæ contradicat, & autoritati ejus præjudicent. Quod si anceps pugna & disquisitio sit, circa scripturæ interpretationem, præstat ἐπέχειν, quam periculosas theses scandalose ἀλεξιφυλάκτειν. Sententiam hanc nostram probant argumenta, quibus autoritas scripturæ in genere contra atheos, omnesque à fide extraneos defendi solet. Accedit consensus præstantissimorum cu-

juscunque sectæ astronomorum. De systematis Ptolemaici defensoribus, id minime dubium. Supra indicavimus *Peucerum in libro de Circulis cœlestibus p.60.* De *Munstero*, Astronomo simul ac theologo & bibliorum interprete, aliisque alibi citatis id notissimum est. Mæstlinus in epistol.dedicator.astronomiæ præfixa post citatos omnes textus scripturæ, astronomica continentes, non veretur asserere: *Etenim si probè examinemus sacrum Codicem, haud difficile est ex eo omnium fundamentorum Astronomiæ (quæ hoc libro Hypotheses nominantur) veritatem evincere & obtinere, adeò ut si cunctis Physicorum & Mathematicorum rationibus abstinendum foret, in his solis nihil ultra desiderari posset. Quod annè de aliis theoreticis scientiis similiter dici, & probari possit dubito. Sic igitur nihil, nisi plenior & magis exquisita tractatio, rationi humanæ relicta videtur, quæ tamen & ipsa ad Dei imaginem creata, ut hoc præstare possit, divinitus admiranda sagacitate informata est.* Tychonici systematis antistites non inviti sequuntur maximi præceptoris sui sapientissima dictata in *responso ad Rhotmannum* (quæ excerpsit Casmannus cap.cit.p.336.): *Multo minus, quæ in excusandis iis, quibus sacra scriptura contrarium asseverat, à te prætenduntur, locum mereri poterint. Major enim & est, & esse debet divinarum literarum auctoritas ac reverentia, quam ut sic in modum cothurni eas tradi deceat. Licet enim ipsæ in rebus Physicis & aliis quibusdam ut plurimum ad captum vulgi sese attemperent, abest tamen, ut ob id statuamus, eas ita vulgariter loqui, quin etiam vera proponere credamus. Sic Moses etsi in* 1.cap.Geneseos *de mundi creatione agens, Astronomiæ penetralia non refert, utpote rudi populo scribens, nihil tamen in medium profert, quod non etiam ab ipsis Astronomis concedi queat.* Ibid.p.337. *Sic etiam nimium Phrophetis derogas, dum vis, ipsos non plus intellexisse de rerum natura, quam alios vulgares homines. Licet enim ex professo Physica non tractarint id enim non erat muneris eorum, tamen multa suis oraculis è Physicis desumta immiscent, quæ nemo etiam, quam maxime naturali Philosophia imbutus ire poterit inficias.* Et pag.340. *Quod etiam Phrophetis nimium deroges*, eos non plus quam vulgus imperitum in Astronomicis & Physicis intellexisse, *asseverando, ut ut divinitus immeditate instructi fuerint, & præterea antiquiss. Patrum visibilium à Deo conditarum rerum excolentium traditiones non paucas, nostris procul dubio ab Ethnicis acceptis certiores & meliores in promtu habuerint, non approbandum duxi, in qua etiamnum persisto sententia. Neque enim unquam leviter de his decernendum censui. Multa quidem & non post habenda, de iis, quæ physice in S. literis continentur, nuper etiam secundum vulgarium Philosophorum ratiocinationes, explicuit* Franc.Valesius *neque absque solerti, quo ad ea principia, labore, licet & multo plura in his longe aliter secundum veriorem Physicam forte quoque ex his ipsis non minima de parte potius petendam, enucleanda delitescant. Quin &*

Lamb.

Lamb.Danæus, *vir sane apprime eruditus, & de instituendis aliis optime meritus, Physicam suam Theologicam, tam ex veteri, quam novo codice non inutili labore exstruxit.* Copernicianí syſtematis zelotæ, nihil prius habent cum ipſis uſu venit quam adverſarios ſuos ſcripturis ad revocare. De *Foſcarino*, & ſimilibus, qui etiam theologiæ ſcientiam profeſſi ſunt, non eſt quod dicam: Mirum magis, quod ipſe Keplerus totus Mathematicus in epitome aſtronomiæ Copernicianæ lib.1.part.5.pag.109.pro rotatione terræ & quiete aſtrorum argumentum ducturus â cauſa motus primi, ſic incipiat: *Cum non terra tantum, ſed etiam cœlum ex materia ſit, Moſe nos contra Ariſtotelem obſirmante: neutrum corpus ſeipſo aptum eſt ad motum &c.* Ex dictis corrigi debet periculoſa illa exceptio *Kepleri ibid.pag.* 138. & *p.*9.10. & ab aliis recentioribus propoſita: Quod ſcriptura ſecundum viſus deceptiones & errores vulgi de rebus phyſicis & aſtronomicis loqui ſolet: Quam exceptionem prolixe examinamus in *Therſite Heautontimorumeno.* 11. *probl.* An ſtellæ ab hominibus poſſint numerari? *Reſp. Negat* ſcriptura *Geneſ.*15.5.& 22.17.& 26.4.*Ierem.*33.22. Excipit *Clavius p.*149. hoc intelligendum eſſe ſecundum ſententiam vulgi, & fallaciam viſus: quia hyeme nocte ſerena, maxime verſus polum arcticum ſtellæ admodum micant; hinc fit ut homines putent ſe multas ſtellas videre, cum videant tantum apparentias propter vehementem illam ſcintillationem generatas. Sed hæc reſponſio periculoſa eſt; imprimis cum Deo tanquam peculiare quid tribuatur numeratio ſtellarum *pſ.* 147. 4. *Deinde*, quia ab aſtronomis non fuiſſe axacte notatam & numeratam illam multitudinem, (quod tamen abſurdum aut ἀδύνατον videtur *Clavio*) conſtat ex nuperis navigationibus Batavorum, qui extra 48. Ptolemaica, nova quædam ſydera notarunt (quæ vide apud *Alſtedium*, & *Mullerium in Aſtronom p.*55.) ad hæc ex *mundo ſydereo Galilæi*, ubi ſydera Medicæa deſcribit antehac à nemine obſervata; *Denique* ex deprehenſis ſtellis circuli lactei, idque beneficio tubi Optici, abſque quo Ptolemæi & ſectatorum ejus aciem hactenus fugerunt, ut diſerte notat *Mulerus loc. cit.* Rejicimus ergo ἀθεόλογον hoc Clavii pronuntiatum: *Non eſſe intelligenda verba ſcripturarum, ut ſonant, nempe tot eſſe ſtellas, quot filii Iſrael futuri eſſent*, &c. Altera exceptio ejuſdem *Clavii* (cui tamen haut ita fidit) admitti poteſt: ſcripturam loqui de omnibus ſtellis, etiam ſporadibus, quæ extra ſigna ſunt: non vero de notabilibus ſtellis, quæ ſane numerari poſſunt. Et ſic aſtronomia cum ſcriptura non male conciliabitur. 111. *probl.* An diſtantiæ ſtellarum à terra, & à ſe invicem, atque adeo quantitas cœlorum accuratè menſurari poſſit? *Reſp.* Videtur id homini negare *Ierem.c.*31.*v.*37.& inter ἀδύνατα ſtatuere; pariter ac ceſſa-

tionem diei & noctis *v.* 35.36. & numerationem ſtellarum *cap.* 33. 22. Quid ergo fiet nobiliſſimæ Vranometricæ? Putamus metriam talem eſſe poſſibilem, quæ ſufficiat: præter propter ſcilicet qualis eſt Geographorum & mechanicorum, quæ cum propter multiplices difficultates tum ex parte inſtrumenti ejuſque collocationis, tum ex parte videntis, tum ex parte obſcurationis, turbationis, multiplicationis aut permixtionis medii per quod videtur; ſemper fiat, cum aliquo poſtulato aut hypotheſi. Scripturam autem negare ἀκρίβειαν abſolutam & mathematicam. Quomodo *præc. Diſput. de Terræ dimenſione* reſpondimus. Breviter poſſunt exactiſſime menſurari & numerari ſtellæ, ex hypotheſi ſcil. ut arenæ numerari; & eas numeravit *Clavius in commentar. ad Sacroboſco p.* 217. Quæ omnia ſcripturæ dictis non repugnant. Hanc putamus eſſe commodiſſimam ſcripturæ cum Aſtronomia conciliationem. Noſtri inſtituti non eſt querelas philoſophorum de hujus ſcientiæ in multis defectu, aut exceptiones adverſus metrias & obſervationes eorum, apud *Perer. commentar. in Geneſ. lib.* 1. *p.* 312. 313. *Keck. Diſp. phyſic. in Diaſc. de Cometis*, aut de omnium hypotheſeωn incertitudine ſeu falſitate apud *Claromontium lib.* 3. *cap.* 3. imprimis *Caſmannum part.* 1. *c.* 6. reponere. Sufficerit nobis ſi Spiritum ſanctum non doceant ἀξιοῦμεν aut χόμιζειν; aut ſcientiæ & obſervationis ſuæ certitudinem, ſcripturarum certitudini præponant. Vide quæ monuimus in noſtro *Therſite Heautontim.* IV. *probl.* An ſtellæ de cœlo cadant, aut in cœlo exſtinguantur aut lumen ſuum cohibeant, juxta *Iſ.* 13. 10. *Act.* 2. *Math.* 24. *R.* Siquidem ante finem mundi hoc futurum dicatur in ipſis ſtellis, hyperbolice & allegorice intelligendum eſt, aut de aliquo ſigno extraordinario; non vero de naturali curſu. Confer *diſp. primam de Signis.* Præterquam quod ſtellæ, quæ dicuntur, cadentes, & cometa, aliæque phaſes meteoricæ mundo ſydereo & legibus Aſtronomicis præjudicium nullum adferãt; quippe quæ legem ordinemq; motus & apparitionis ſuæ nullum habentia ad phyſicam releganda: ut recte monet *Keplerus epitom. Aſtron. Copernic. l.* 1. *p.* 12. v. *probl.* An quarto die ſint conditæ? *R.* Aff. cum patribus & recentioribus contra *Eugubin.* & *Catharinum.* Et res eſt evidentiſſima ex *Geneſ.* 1. *v.* 19. nec eſt quod verbum addamus. Videat, qui volet, ex abundanti *Perer. p.* 170. VI. *probl.* An ſint animatæ, aut rationales? *R. prius* videtur *affirmaſſe Ariſtoteles* ſecundum *Thomam*, *Aureolum*, *Scotum*, *Pererium. Poſterius Maymonides in libro de fundamentis legis p.* 29. 33. 34. *& Origenes*: & illo abſurdiores Manichæi ſtatuẽtes Chriſti corpus ſtellis affixum eſſe, imprimis lucido ſolis globo infuſum, apud *Danæum in Auguſtin. de hæreſ. c.* 46. Similia hæreticorum, Platonicorum, poëtarum deliria

ſuppe-

ſuppeditabit *Virgilius Georgic.4.& Horat.Odar.1.Catullus in poëm. de coma Berenices* de animabus brutorum, hominum aut partibus eorundem in ſtellas mutatis. Huc refer Muhammedica de ſtellarum intellectu & fide, de ſole, quod cum occidit, demergit ſe in fontem ferventis aquæ, *Alcor.cap.17.de Antro. De ſtellis*, quod è cœlo terris proximo pendeant catenis aureis appenſę: & quod dæmones repellant ab acceſſu cœlorum. Deque mari nebuloſo ſupra ſeptimum cœlum, & aërio ſupra nebuloſum, & lapideo ſupra aërium, & alio tenebroſo ſupra lapideum & delitioſo ſupra tenebroſum &c. Et ſimilia, quæ in lectione Alcorani ſe offerent. Vide Refutationem animationis apud *Pererium pag.285.* & quæ ſupra *part.2.&.3.* diximus de animatione mundi & infra dicemus *append. 3.* Similis farinæ ſunt phantaſmata de angelis qui ſingulis ſtellis præfecti ſunt, eaſque movent. Ex fatuis his opinionibus de ſtellarum intelligentia ſive inſita ſive aſſita per angelos paredros & motores, orta fuit antiquorum idololatria, &magia. Confer *Voſſii* eruditum opus *de Idololatria, lib.2.c.30.* Et quæ de ſole ſpeciatim mox notabimus *theſi proximè* ſeq. Conſectar. *Hypotheſibus & axiomatibus hactenus indicatis ſponte concidunt exceptiones Simplicii & Antinomorum contra opus diei quarti; quibus ut & reliquis omnibus ſolide ſatisfecit* Fr. Iunius ad arg.1.3.4,7. VII. *probl.* An ſcriptura doceat aſtra eſſe ignea, & formaliter calida? *Pſ.* 19. 7. *Reſp.* ſic quidem cenſuerunt *Auguſtin.Baſil.Ambroſ.*; qui in hac opinione confirmati ſunt conſenſu omnium antiquorum philoſ. (ſolo fere *Ariſtotele* excepto.) Sed nulla ratio cogit nos hanc opinionem amplecti. Nec video cur de nihilo ſint, quæ in contrarium adferuntur rationes, à motu recto ignis, & vi ejus conſumente ac corrumpente, aliiſque abſurdis conſequentibus deſumptæ. Sint ergo calidæ, non formaliter, ſed virtualiter. Confer *Perer.lib.2.qu.10.* VIII. *probl.* An quarto die ſint productæ quod ad accidentia, an vero etiam quod ad ſubſtantiam, ita ut partibus his cœli denſioribus dederit novas formas ſubſtantiales, figuram rotundam, lucem; & motum. *Reſp.* Reſolutio hujus dubii, prærequirit reſolutionem iſtius, an differant ſpecie à cœlo ſeu orbe ſuo. Sunt qui de ſtellis fixis affirment (*Thomas in 2.de cœlo lect.10.*) *Alii* de omnibus (excepta luna) ut *Becanus Theol.ſcholaſt.tom.1.tract.4.c.3.* Contra de omnibus. Negant *Albertus, Richardus, Major, Avenroës, Niphus apud Conimbric.ad 2.de cœlo c.7.qu.1.* Vbi ipſi diſtinguunt. Nos *Becani* ſententiam putamus eſſe magis probabilem, & hac hypotheſi reſpondemus ad propoſitum probl. *affirmative.* Sed an etiam dicendum partes evaſuras in aſtra hoc die à Deo fuiſſe denſatas, cum antea æqualiter omnes eſſent raræ. *Reſp.* Non videmus rationes *Pererii p.171.* adverſus *Hieron. Vielmium*

Vielmium allatas ita urgere, ut hoc negandum sit. Nam manet tamen, cœlum post naturam rerum constitutam esse incorruptibile, nec in eo ordinariò perpetua individuorum successione generari & corrumpi; quamvis Deus tum ex materia ejus formaverit astra. Contra rejicimus opinionem Pererii ibid. tanquam philosophiæ & Theologiæ minus convenientem: *Necesse est*, inquit, *astra secundum materiam suam, quæ non est alia quam substantia cœli, & secundum figuram, magnitudinem, densitatem à principio esse facta.* Vbi addit, quarto die datam ipsis formam quæ rei dat esse & nomen, formam autem illam esse lucem: adhæc varios motus: denique vim & virtutem varios effectus producendi. Sed stante hac ipsius opinione, non video quomodo *Eugubinum* & *Catharinum* tam præcisè rejecerit, qui dicebant stellas primo die creatas. 1x. *probl.* Quis stellarum status futurus sit post finem mundi? *Resp.* Forte dici posset servaturas eas lucem & splendorem ad illuminandum, non vero ad calefaciendum aut quidquam producendum: Nam ipsorum ut & elementorum, immo & corporum glorificatorum activæ qualitates (ex. gr. vegetativæ) ab opere cessabunt, Deo suspendente earum usum, & cohibente cõcursum suum cum illis qualitatibus ad agendum. Sed de hoc proprie agendum in *loc. comm. De Fine Mundi.* x. *probl.* An stellæ habeant ex se lumen, an vero omne mutuentur à sole? *Resp.* Disputant de eo philosophi & Theologi apud *Conimbric. in* 2. *de cœlo c.* 7. Et *Pererium l.* 1. *p.* 176. Nos putamus *pr. affirmationẽ* magis cũ *Gen.* 1. 14. 15. *Ies.* 30. 26. *Ier.* 31. 35. *Ezech.* 32. 7. cum 1 *Corinth.* 15. 41. convenire. Et sic *Danæus tract.* 4. *c.* 27. Nec dissentit *Pererius loc. cit.* x1. *probl.* An remotio stellarum à terra mutata sit. *Resp.* Ita quidem comperisse Copernicum testatur Peucerus de Circulis cœlestibus, sub finem, ubi agens de exacta horum corporum inter se proportione & magnitudine, quam artifices via geometrica cruerunt, sic loquitur: *Copernicus cum remotionem luminarium à terra mutatatam comperisset, diligentius pervestigatis & examinatis distantiis, apparentibus semidiametris & parallaxibus &c. Melanthonem* alioque idem hoc affirmantes supra indicavimus *part.* 3. *Melanthonem* allegat *Cardanus lib.* 3. *de subtilit. p.* 189. subdens: *argumentum quasi senescentis mundi.* Quod tamen eximium illum astronomum nõ ex sua, sed ex Melanthonis sententia, quam historice ibi refert, dixisse constat ex verbis immediate sequentibus: *Sed ratio deduci potest, vel ab instrumentorum varietate, vel cœli solaris dispositione, vel æquinoctiorum observatione, quæ varietatem suscipit & à locis, & à Solis magnitudine, propter quam æquinoctium aliquanto celerius fit, quam existimetur. Hoc autem cum observatum esset à multis, in Solis magnitudinem relatum est.* Adeo ut lemmatis marginalis in *libro Cardani* perperam aut incurioſe

curioſè poſſit inſpectio virum quem eruditiſſ. decepiſſe videatur cum ſcribit Cardanum in hac opinione aliis præviſſe. Quod autem Copernicum hujus obſervationis faciunt autorem : videntur eum malè intellexiſſe. Quidquid ſit, ſententiam hanc rejiciunt *Scaliger in Exercit. ſupra cit.* & *Rhotmanuus in epiſtol. aſtronomicis Tychonis Brahe p.* 131. Nec ſcripturę congruere videtur : uti ſupra oſtendimus. Hæc ἐν παρόδῳ viſum fuit notare, ut ſtudioſi noſtri præmoneantur, ne amplificationibns minus ſolidis de mundi ſenectâ & rerum omnium mutatione naſutioribus ridiculos ſe præbeant. XII. *probl.* An nomina Idolorum, & fabularum à Gentiliſmo olim ſyderibus ſeu ſignis cœleſtibus impoſita, à nobis ſint mutanda, ſi fieri poſſit ? juxta *Zachar.* 13. 2. *Pſal.* 16. *Reſp.* Quid de toto hoc negotio ſentiendum ſit, fuſè explicuimus in *diſp. de Idololatriâ indirectâ*, ejuſque geminâ *apologiâ tit.* & occaſione *confraternitatum Marianarum* editâ. Quia nomina nonnulla ſyderum *Iob.* 9. & 38. occurrunt, non eſt quod Theologiam Ethnicam, quam quotidiano ſermone & ſcriptis ſpirant nonnulli ac profitentur, excuſent. Nam vulgati interpretis latini, quiſquis ille fuit tranſlatio Spiritui ſ. non magis eſt tribuenda, quam incommodæ phraſes tum gallicæ tum latinæ *Seb. Caſtellionis*, quibus in tranſlatione ſuâ eum infeliciter, uſum notant *Beza tract. peculiar. adverſus Caſtellionem*, *Henr. Stephanus inſigni præfat. ad N, T.* gr. in 16. anno 1580. Et *Thuanus hiſtor. lib.* 36. Præterquam, quod alia longè ſit ratio de aſtris conſueto aſtrologorum ſermone loqui, quam de Deo & cultu Dei phraſibus non tantum, ſed ſententiis Gentilium, atque adeo ipſam veſanæ illorum Theologiæ praxin exercere. De quo monuimus in *diſp. de Gentiliſmo.* Interim non poſſum non hac occaſione indicare ἀναχόλυθον in conjecturâ eruditiſſimi alioquin & optimi viri Peuceri libro modo cit. ubi Ethnicas ſignorum denominationes ad ſanctos Patriarchas referre videtur : Sic enim E. 7. Stellas, *in* 48. *imagines ſeu effigies collegerunt, iiſque ex notarum rerum ſimilitudine ac convenientia congruentia nomina impoſuerunt.* Et paulo poſt E. 8. *Nec dubium eſt ex Phœnicia primo in Græciam perveniſſe, Phœnicibus vero à ſanctis Patribus poſt diluvium velut per manus traditam eſſe, & totam de aſtris doctrinam, & hanc ipſam ipſam diſtinctionem. Nam & in hiſtoriâ Iob & prophetiis Amos ſyderum fit mentio, ut* Keſil & Kima. Keſil *Orionem*, Kima *Pleiades ſignificare docti judicant, & à* Keſil *menſem* Kiſleu *denominatum conjiciunt. Solem* Ichemes, *& idolum ejus* Moloch. *Lunam* Ierech, *Luciferum* Mezaroth, *Heſperum* Aiſch *ſacræ literæ vocant, quæ & vetuſtiſſimam eſſe ſtellarum in certas effigies partitionem ac diſtributionem, & primo à Sanctis Patribus profectam declarant.* XIII. *probl.* Quæ fuerit ſtella Magorum *Math.* 2. *Reſp.* Alibi forte ex profeſſo de hac acturi ; defendemus nunc,

nihil absurdi esse, si dicatur de novo & miraculosè producta. *Danæus tr.* 4.*c.*10. putat fuisse aut cometam, vel unam ex stellis ordinariis quæ singularem cursum tunc tenuit. Interim videri possnnt cõment.ad *Math.*2. inter eos *Maldonat.*& *A Lapide.* XII. *probl.* Movent & has quæstiones (*Thom.*1.*q.*70. *Pererius p.*172.174.*Becanus loc.cit.*) Cur astra quarto die sint condita, ante animalia; & cur post plantas, quæ dignitate ipsis præstant. Adhęc, cur quinque reliquorum planetarum Moses non meminerit. Sed quia parum solidis rationibus illæ à dictis autoribus definiuntur;nõ est quod iis recensendis immoremur, acquiescentes in libera voluntate Dei, quæ est causa causarum & ratio rationum.

7. De sole & lunâ, eorumque naturalibus viribus & operationibus multa admiranda contemplationi nostræ objiciuntur ex lectione *Genes.*1.14. 15.16.*Psal.*8.*&* 19.*&* 104.19.136.1 *Cor.*15.40.41. De signis extraordinariis circa illa *Luc.*21.25.*Actor.* 2. Imprimis considerandaquatuor miracula circa solem *Exod.*10.*Iosuæ* 10.*Iesa.* 37.*Math.* 27. De quibus forte ex professo alibi dicendum. Deus etiam, & mediator Christus soli comparantur *Ps.*84.*&* *Malach.*4. Ad loca hactenus cit. commentatores passim non exiguam contemplationis hujus partem suggerent. Sed ex professo Physici atque astronomi in Theoricâ Planetarum disquirunt, Quanta sit solis & lunæ magnitudo, & quomodo illa investiganda, An luna sit minor omnibus astris, solo Mercurio excepto; Quæ causa Eclipsium; Cur sol à lunâ, & non à Venere aut Mercurio eclipsin patiatur; An sol sit constituendus in medio planetarum; quid solis altitudo, declinatio maxima &c. & quomodo deprehendatur &c. De quibus præter philosophos nonnulla *Pererius*, *Zanchius*, *Danæus*, *Vossius lib.*3.*de Idololatria*, cum quibus conferendi Physici & astronomi supra indicati. Nos, quia tempus & charta nos monent; ista nunc ventilanda proponimus. 1. An sol sit animatus. *Resp.Neg.* cum communi philosoph. & Theol. consensu.*Perer.pag.*281.283. Ex anima solis, ejus intellectus, ex intellectu tandem deitas, seu numen ejus eductum est. Et hac ratione hodierni Christiani moveri debent, ne temere & sine necessitate in cautioribus illudant opinionibus de mundi, cœli, stellarum, solis, anima, vita, sensu, intellectu. Qui antiquorum horrendam idololatriam, ejusque occasionem, progressum & varias formas nosse cupit, is adeat *Vossium de Idolotr.lib.*2.*a cap.*2.*usque* 15. cum quo conferri potest *Seldeni syntagma de DIs Syris.Benjamin Tudelensis* in suo *Itinerario p.*105. 107.refert in Haoulam solem peculiari ratione cultum fuisse; inque eum finem in singulis aris sive excelsis fuisse כמו גלגל חמה quasi orbem solarem magicis artibus confectum, qui exoriente sole maximo strepitu vertitur.

Maymo-

Maymonides in More part. 3. *c.* 29. idololatria Sabeoram describit. Solis excellentiam, ex scripturis, ejusque anagogen ad spiritualia vide ibidem à *Vossio* descriptam *cap.* 2. & ab *Alstedio in Theolog. Naturali.* Conferat, cui vacat, encomia solis apud *Macrob. lib.* 1. *Saturn. c.* 10. *Chalcidium in Timæum Platonis*, *Plinium lib.* 2. *c.* 6. *Ciceronem lib.* 2. *de Natura Deorum*, *Ambrosium l.* 4. *hexaëm. c.* 1.-8. *Lorinum in Ecclesiast*, 11. 7. 11. *probl.* Cur luna appelletur luminare magnum *Genes.* 1. *v.* 16. eum sit minor omnibus stellis, excepto Mercurio? *Resp.* Plenius illud explicuimus in *Therst. Heautontim.*; Vbi *Aben Ezra*, & Christianos interpretes nonnullos physicos atque astronomos citamus pro genuina hujus loci expositione, Adde *Chrysostomum homil.* 6. *Corneliũ à Lapide & Martyrem in Genes. & Fr. Iunium in resp. ad arg.* 8. *Simplicii & Antinomorum. notas novæ translationis Belgicæ*, & *notas Anglicas* nuperrimè editas; Summa huc redit, Quod luna terris sit vicinissima, & sic apparet non tantum major, sed & efficacia ac virtute agendi omnibus aliis stellis major est, & consequenter quod ad rationem luminaris & nõ quod ad rationem molis rectè diciturluminare magnum. 111. *probl.* Quid sint maculæ lunæ: *Resp. Danæus tr.* 4. *c.* 28. putat id fieri, quia corpus lunæ sicut terræ vicinum est, ita fecis terrenæ tanquam contagionem quandam habeat. Sed hoc parum philosophicè dici videtur: quamvis idem habeat *Plinius lib.* 2. *c.* 9. *Conimbric. in* 2. *de Cœlo cap.* 7. *qu.* 4. cum *Richardo*, *Ægidio* ibi *cit.* melius dicunt hoc esse à partibus rarioribus lunæ. Aliorum opiniones vide *ibid.* & apud *Plutrach. lib.* 3. *de placit. c.* 30. IV. *probl.* Quid de opinione eorum censendum; qui per tubũ opticum putãt se vidisse ibidem novum quendam orbem? *Resp.* Esse lunaticam. Fuit hæc opinio antiquorum quorundam *Democriti*, *Heracliti*, *Anaxarchi*, *&c.* Vide *Plutarchi librum de facie lunæ*, & *lib.* 3. *de placitis cap.* 13. & 25. & 30. *Laertium lib.* 2. & 9. Et forte huc tẽdunt Mahumedica deliria *c.* 57. & 65. *Alcor.* de montibus, fluviis, campis in cœlo. Nostra ætate opinionem hanc renovavit *Galilæus de Galilæis*, pro quo apologiã scripsit *Cãpanella peculiari libello.* Eandem persuadere voluit scriptor quidam anonymus Anglus libello vernaculo tit. *Detectio orbis in luna*, edito Londini 1618. ubi prẽter thesin prinicipalem has hypotheses & hæc consectaria defendit: Non repugnare plures mundos ulli principio naturæ aut fidei: Cœlos non constare materiâ incorruptibili, magis quam sublunaria: Lunam esse corpus solidum, cõpactum, opacum: partes lucidiores in lunâ repræsentata esse mare, obscuriores vero seu maculas terram: Esse illic altos montes, profundas valles, patentissima camporum spatia: esse illic atmo-sphæram, seu orbem crassi ac vaporosi aëris, qui immediatè ambit corpus lunæ: nostrum orbem illis esse lunam, sicuti illorum orbis nobis est luna,

probabiliter illic poni talia meteora orbis illius lunaris, qualia sunt nostri orbis: illic poni homines incolas illius orbis; sed incertum esse, cujus generis homines sint. Oppugnant hanc opinionem de pluribus mundis *Aristoteles l.1. de cœlo c.8. & Metaphysic.12.c.8.* Plato apud *Plutarchum de placitis lib.1.c.5.* Et *Scholastici ad Thomam p,1.qu.47.artic.3.* Imprimis peculiari tractatu & ex professo cõtra Galilæum hoc egit *Iul.Cæsar la Galla de phænom.in orbe lunæ.* Nolim tamen dicere omnes eorum rationes & testimonia ex scripturis allata firmiter concludere. Vide contrarium ostensum à *Plutarcho de defectu oraculorũ,& Iacobo Carpentario in commẽtar.ad Alcinoum.* Quin ipsi Peripatetici agnoscunt infirmitatem rationum Aristotelis, imprimis earum, quæ una inferre videntur pluralitatem mundorum esse impossibilem. Vide *Claromontium lib.16.de Vniverso cap.12.* imprimis *Conimbric.ad lib.1.de cœlo cap.8,qu.1.* ubi complures alii autores utriusque partis citantur; & ostenditur ex scripturis tantum hoc demonstrari posse & non ex rationibus physicis: in quem finem adducunt *Actor,17.v. Roman.5.v.12.* Zanchius lib.2.cap,5.thesi.7. itidem rejicit rationes Aristotelis;& nullo argumento aut testimonio pugnandum putat, quam isto: *Ea vero demum efficax est ratio, unum tantum esse Mundum, quia unum solum creavit Deus: ut Moses narrat. Mundus autem alius esse non potest, nisi condatur ab eodem conditore; a quo & iste. Vnum autem dumtaxat condidit & condere voluit: plures conditurus, si voluisset. Atque hæc est de unitate Mundi conclusio, veraque fides.* Si quod argumentum ex scripturis addendum, non improbabilia mihi videntur duo illa *Conimbricensium.* quorum posterius de hominum duobus Adamis ex *Rom.5.12.-19,* deque prædicatione Euangelii, adderem. Certe hic argumentum à Tostato Abulensi Episc.contra Antipodas allatum valeret.Neque enim ratio ulla esset homines ibi convertendi, nisi alati fierent apostoli & Euangelistæ: aut rapti crinibus ab angelis eo proveherentur: quale quid cuidam accidisse narrat apocrypha additio ad *Daniel v.35.* v. *probl.* Quo die sol sit creatus, & quoto luna, an scil. in plenilunio, determinat *Beda*: & ex parte *Danæus c.28.* cum *Basilio & Damasceno*: ut chonologos *Scaligerum, Torniellium, Capellum,* aliosque nunc præteream. Nobis non displicet ἀποχὴ Augustini lib.2,de Gen.ad lit.c.15. *Qualis*, inquit, *etiam luna facta sit, multi loquacissime inquirunt, atque utinam inquirentes loquantur, ac non potius docere conantes. Dicunt enim ideo plenam factam, quia non decebat, ut Deus imperfectum aliquid illo die faceret in syderibus quo scriptum est, quod facta sint sydera. Qui autem resistunt, dicunt: Ipsa ergo debuit prima luna dici, non quartadecima, quis enim incipit ita enumerare? Ego autem medius inter istos ita sum, ut neutrum asseram, sed plane dicam, sive primam sive plenam lunam Deus fecerit,*

rit, feciſſe perfectam. Ipſarum enim naturarum eſt Deus autor & conditor. Omnis autem res quicquid progreſſu naturali per tempora congrua quodãmodo prodit atq; explicat etiam ante continebat occultũ, etſi non ſpecie vel mole corporis ſui, tamẽ ratione naturæ. VI. *probl.* Quid de ſole quater orto apud *Herodotum in Euterpe* aliiſque circa eum miraculis aut prodigiis, quæ vulgò narrantur. *Reſp.* Aut ad fabulas referenda, aut ad phaſes meteorologicas, & ad viſus fallacias.

DE CREATIONE.

PARS SEPTIMA,

Reſp. LUBERTO SPRUITIO Vltrajectin.

Ad diem 20. *Octob.* 1638.

EFfecta & conſequentia ſtellarum ſunt 1. Motus. 2. lux & lumen. 3. Calor. 4. Influentiæ occultæ. 5. Tempus. 6. Significatio. De Motu quærunt philoſophi an ſit; an ſingularum ſit æquabilis & ordinatus, an vero vagus & varius; an ſuperiorum planetarum motus ab occidente in orientem ſit tardior; an motus ille ordinetur ad generationem & corruptionem rerum ſublunarium, ut vult *Ariſt. lib. 2. de Gener. & corrupt. c.* 10. contra motus ab oriente in occidentem ſit cauſa ſempiternæ durationis rerum; an ceſſante motu cœleſtium, ceſſare debeat omnis motus ſublunarium; an inferiores ſphæræ rapiantur motu diurno primi mobilis; Quid ſit aſpectus planetarum & quotuplex; quid eorundem ſtatio, progreſſio, directio, retrogradatio &c. de quibus *Commentator. ad Ariſtot. de Cœlo*, *Baranz. in Vranoſcop.* & vulgares libelli aſtronomici & *Clavius à p.* 40. *uſque* 61., aliique ſupra *parte* ſcil. 6. indicati. Nonnulla atiam attingunt *Pererius*, imprimis *Zanchius* & *Danæus*. Nobis ſint iſta problemata 1. an proprii motus omnium cœlorum, aut ſtellarum ante finem mundi abſolvendi ſint? *Reſp.* Sunt nonnulli, qui putant non fore finem mundi, antequam ſydera omnia ad eam poſitionem redeant, quam habuerunt in principio creationis. Sed conjectura hæc merito rejicitur à *Pererio p.* 270. quippe quæ geminâ nitatur ſi non falſâ ſaltem incertâ hypotheſi. *Prior* eſt, motus orbium cœleſtium eſſe inter ſe commenſurabiles, ut ſimul omnes perfici & ad eandem poſitionem, quam ſemel tenuerunt, aſtra reverti queant. *Altera*, mundum tam diu duraturum, donec propriæ omnium cœlorum converſiones abſolvantur; hoc eſt, duraturum ab initio creationis 36000. annos: 1.

tãtum enim tẽpus motui octavi cœli ab occasu in ortum assignatur à *Ptolomæo*: siquidẽ ulla ejusmodi observationibus fides. Vides ergo omnia incerta esse, & probari ignotum per magis ignotum. *Denique* sequerentur ex hac sententia, finem mundi ab Astronomis certo posse colligi ex certa & consummatâ cœlorum revolutione. Sed hoc absurdum ex *Marci* 13. astronomi nonnulli tale quid tentantes ἐπαυθφόξω in vanitate sua deprehensi sunt: inter quos celebris *Regiomontanus*, qui annum 1600. finem mundi constituebat. 11. *probl.* An post finem mundi cessaturus sit omnis cœlestium motus? *Resp.* *Aff.* determinant passim *Scholast. ad* 4. *dist.*48.& 3.*qu.*91.*art.*2.sed omnia non adeo certa sunt quæ ab iis illic dicuntur. Argumenta eorum petita ex *Apocal.*10.*v.*6. & *Iesa.*60.19.20. quibus *Pererius lib.*2.*quæst* 6.addit *Ecclesiast.*1.*v.*2. 4. 5. cum *Rom.*8.20.& *Deuter.*4.19. sunt mera pseudographemata, ex malè intellectis scripturis: Nec ratio illa concludit; Motus cœli est propter generationem sublunarium: sed ille tum cessabit completo electorum numero. Nam ipsi motum diurnum cum *Thoma in* 2.*de cœlo cap.*10.negant esse propter generationem. Neque etiam solidi quid habent illæ, Motus cœli est propter quietem; quam si nunquam consequitur, erit frustra. Adhæc, quies est nobilior quam motus &c. Contra *Neg.*partem magis probabilem putat *Baranzan.Vranosc.p.*1.*qu.*7.*dubit.*2.*membr.* 4. eamque probat ex *Ier.*31.35.36.& indicat rationes ab universi decore & perfectione, cœlorum fine, terræ illuminatione, divina bonitate &c. deductas. Quas explicatius habet supplement, *Thomæ* modo *cit.* Vbi etiam additur *Genes.*8-22. Sed nihil hic solidum, quod assensum cogat: ut videreiest in solutionibus ibi additis.Nisi quod in argumenti hujus enodatione admodum laboratur: Motus circularis est cœlo naturalis, atqui manente cœlo naturalia ejus manere necesse est. Thomas respondet in præsenti statu generationis sublunarium, motum esse de naturâ & perfectione cœli. *Pererius loc.cit.*hanc rejicit, & substituit: Non fore tunc in cœlo propensionem ad motum circularem, sed tantum aptitudinem &c.Sed videntur mihi familiares suos manes pati, difficillima & ἀλυθα scil.faciendo ea (quæ alioquin per se plana essent) ex axiomate aliquo philosophico malè intellecto. Nam *primo*; Actio, non est perfectio agentis intrinsecè sed tantum signativè, ut alibi disputant. *Deinde*, inclinatio remota, ut & potẽtia activa seu vires naturæ possent manere in natura aliqua, quamvis non exeant in inclinationem actualem, aut in ipsum actum. Quod fieret per solam substractionem seu cessationem concursus divini cum tali inclinatione, & cum tali actu. Quid enim vetat hic dicere de cœlo, quod de corporibus glorificatis ipsi tradunt. Dicatur ergo

motus

motus circularis cœlo naturalis esse (in actu scil. primo) quomodo nutritio cum facultate receptrice, attractîce, expultrice &c. corpori glorificato naturalis est; aut tactus respectu omnis tactilis, qui tamen in actum respectu omnium & singulorum tactilium non est deducendus. Non est ergo quod fingamus cum *Alberto*, *Scoto*, *Durando*, motum cœlo nec naturalem nec violentum esse. *Denique*, naturam rerum à Deo usque ad finem mundi constitutam, non est quod cum mundo renovato & tunc superstite per omnia comparemus. Alium enim tunc statum fore quod ad motus & mutationes ipsi pluribus differunt, & *Pererius lib. 2. qu. 2.* quæ pertinent ad *loc. comm. de Fine Mundi*. Præterquam quod quies solis tempore Iosuæ, naturam rerum non sustulerit; nec solis facultati & inclinationi vim fecerit. Putamus hanc quæstionem in medio relinquendam; aut in utramque partem sobriè de eâ inquirendum; aut potius hãc adferendam conciliationem, ut dicatur cessaturus motus ab occasu in ortum (quem generationi rerum & signis ac καίροις destinatum statuunt) non verò ab ortu in occasum: quem supereſſe non repugnat; immo & forte conveniret; magis siquidem verè dicitur eum ordinatum esse ad conservationem. 111. *Probl.* Vtrum secundum sacram scripturam astra sint immobilia, an verò per cœlum moveantur, sicut pisces per aquam, & aves per aërem. *Resp. Aff. Iustinus resp. ad qu. 93. Origenes lib. 1. περὶ ἀρχῶν cap. 7. & lib. 5. contra Celsum; Chrysost. homil. 6. & 13. in Genesin, Augustinus in 2. de Genesi ad lit. c. 10., Euseb. Emyss. Diodor. Tarsensis, Procopius in Genes. 1.* Addit *Philastrius in catal. hæres.* contrariam sententiam esse alienam fidei catholicæ ejusque assertores paganæ veritatis magis, quam Christianæ doctrinæ habere consortium. Ante illos opinio hæc frequentata fuit Stoicis apud *Cic. lib. 2. de Natura Deor.* & philosophis illis apud *Arist. l. 2. de Cœlo text. 43.* Et hodie ex parte revocata fuit à *Tychone Brahe* ejusque sectatoribus. Nec abnuunt recentiores quidam physici. Et multis rationibus tuetur *Fracastorius in libr. de Homocentricis*. Contrarium tamen tenent physici & astronomi quamplurimi, cum Scholasticis & hodiernis Theologis, in *commentar. ad Genes.* & in disputation. de Hexaemero; & ex professo probat *Clavius, ad c. 4. à p. 433. usque 458.* ex variis phænomenis dari non tantum orbes distinctos, sed & eccentricos atque epicyclos. *Pererius* putat omnino hanc opinionem tenendam. Sed ratio, quam adfert ex *Iob. 37. v. 18.* minus solida est: nec vagos illos astrorum motus, nec canales (quos quidam imaginantur) revincens: inspice modo verba textus & comment. *Mercerum*, & *Pinedam*, & ilico constabit agi ibi de aëre. *Danæus tract. 4. c. 16.* spatium continuum & unum esse concedit, sed diversis inter vallis tanquam locorum spatiis & sedibus stellas à

plane-

planetis distinctos,& fixas planetis loco esse superiores, quod innui putat *Amos c.9.v.6.* Nos, ut aliquid dicamus, opinionem *Tychonis & Danæi* non impugnamus; nec tamen putamus vulgatam sententiam Astronomorum scripturis repugnare. Quamvis enim motus cœlorum nunquam, astrorum semper meminerint; id ideo fieri potuit, quia hic in sensus nostros incurrit, ille minime. Relinquitur ergo veritatem hanc ex sensuum observatione & ratione investigandam. An scil. sint orbes, & an propter observatos motus stellarum ab oriente in occidentem, & vice versa, item ab austro in septentrionem,& ascensus ac descensus &c. epicycli sint ponendi. IV. *probl.* An velocissimi motus cœlestium corporum (quo scil. concipitur quævis stella in æquinoctiali posita conficere singulis horis 24.miliones miliarium & tertiã partem millionis) aliquod simile exemplum in motibus inferiorum sive naturalibus sive artificialibus dari possit: & motum illum tanquam Τερατολογίαν explodentibus hodiernis Copernicianis quid reponi possit, in quo ingenium suum exerceant, ut aut pariter mirari discant, aut proprias hypotheses, observationes, & metrias in dubium vocare. *Resp.* Pr. *Neg.* Post. *Aff.* idque triplici quæsito. Quorum primum exhibuimus *Therst. Heautontimor. sect. 3. pag.* 261. Quo pari aut exemplo docebunt Copernicani terram unius horæ spatio 225. miliaria Germanica circumcurrere posse? Hæc enim est ipsorum sententia. Secundum est quomodo concipi potest Christum, Eliam, Enochum, & novissimo die omnes fideles (manente corporum materia, quantitate, & localitate) brevi tempore in supremum cœlum pervenire, cum statuant Ptolemaici apud *Clavium p.* 215.216. terram ab octavæ sphæræ superficie concava distare 80. millionibus cum medio miliarium, atque adeo lapidem molarem inde descendentem indigere 90. annis, antequam terram attingeret (quamvis singulis horis descenderet ad ducenta miliaria,) & hominem directè hinc ascendentem ad eandem sphæram octavam, non perventurum ad ejus concavum intra bis mille annos (quamvis quotidie 100. miliaria conficeret.) Nec rursum à concavo ad ejusdem sphæræ convexum spatio 2000. annorum; nec denique à convexo ejusdem sphæræ ad cœlum empyreum spatio 2000.annorum. Iam verò si metriam & calculum Copernicianorum sequamur, infinities fere major erit distantia, & tanto magis difficilis atque ἀκαταληπτος hujus quæsiti enodatio. *Tertium* est, motum & projectionem luminis in instãti, aut tempore imperceptibili, per tantum spacium, ut explicent, & simili aliquo veloci motu in natura illustrent, si possint. Quamvis enim corpus non sit, est tamen corporea qualitas. Nec desunt inter ipsos, qui corpus esse contendant. Sed fulminis & venti (exhalationis scil. &

con-

consequenter corporis) velocissimum motum ubi dimensi fuerint, ostendant simile quid in aliis motibus. Itaq; aut angustias ingenii sui hic profiteantur (præeunte ut opinor scripturâ *Iob.* 38. 19. 20. *Lucæ* 10. 18. *Math.* 24. 27.) aut adversa fronte pugnantibus plerumque metriis ac observationibus suis usque adeo non confidant, ut Spir. s. in scripturis loquentem, ἀγραμμάτους faciant. Alterutrum ut faciant, necesse est.

Nunc agendum de luce ac lumine, & phasibus seu apparentiis inde exortis. In scriptura multa occurrunt, alias indicanda: & Deus ipse ac servator Christus, ut & verbum Dei, dona & gratia spiritus s., & consolatio ac conscientiæ serenitas lumini comparantur. Oppositum ejus primarium sunt tenebræ, secundarium umbræ, & suo modo crepuscula. Quæ omnia mediocrirer saltem à Theologiæ studioso cognosici velimus ut tãto accuratius loca scripturę, & controversias nonnullas, & practica per viam analogiæ explicare valeat. Physici & Optici ex professo hoc agunt, inter quos celebres professione Theologi *Abbas Maurolycus tract. de lumine & Vmbra*, *& Iohannes Episc. Cantuarienſis* author *Perspectivæ* dictæ *communis*, & *Marinus Mersennus* inter Opticos hodiernos celebris: qui multa cõmentariis suis *in Genesin* φιλοσοφικώτατα insparsit. Denique *Athanasius Kircherus* soc. Iesu theologus, qui *Gnomonico-catoptrica* edidit. Quibus ex *Euclidis*, *Vitellonis*, *Alhaseni*, *Kepleri Paralipomenis & Dioptrice*, *Nonii tract. di Crepusculis &c.* operosè ea non vacat perdisere, ii saltem *Opticam Risneri* aut *Rhodii*, aut *compendium Timpleri*, aut (quod præstat, & plenius est) *Alstedii in Encyclopædia* familiare sibi reddant. Adjungant autores physicos, & tract. *Ficini de lumine*, aut saltem imprimant quæ in Logicâ speciali *Keckerm. theomate de Luce* (quod *Polyanthæa Langii* edit. postr. inde etiam descripsit) & *Dionysius* ille dictus *Areopagita* collegit *de div. nominibus part.* 1. *c.* 4. & *de Hierarch. cœlesti c.* 15. ubi 34. proprietates lucis recensет. Admiranda & encomia lucis occurrunt passim apud patres in hexaëmero, & *Damasc. l.* 2. *de Fide cap.* 7. *& Pinedam in commentar. ad Iobi* 38. *& Lorinum in eccleſiast.* 11. ubi & alii autores indicantur ad *Iob.* 38. cum quibus conferendi *Zanchius*, *Danæus*, *Valesius*, *Barthol. Anglicus* &c. & si qui ad spiritualia potissimum applicant, nominatim *Ambros. Hexaëm.* 4. *cap.* 1. adde quæ de sole *præcedenti Disput.* notata sunt. Considerandæ imprimis Theologo extraordinariæ lux, aut splendor *Luc.* 2. 9. *Math.* 17. 2. 5. *Actor.* 12. 7. & 22. 6. *Exod.* 13. 21. 22. *&* 34. 29. De ordinaria luce, & lucido sive illud per se radiet (uti sol, flamma) sive lumen aliunde receptum reflectat (ut luna, speculum) quæ à philosophis quæstiones moventur, pleraſque proposuit *Timplerus*; & nonnullas *Baranz. in Vranoscop. part.* 1. *&* 2. & *Maurolycus in appendice probl. ad libr. cit.* & inter Theologos *Themesvar. part.* 2. *Rosarii in voce lux*, *dies*,

Nobis pro instituto sufficerit disquirere 1. An lux sit corpus ; aut substantia ? *Resp. Augustinus libr. 4. de Anima ad Vincent. cap.* 12. recenset inter corpora sed tenuissima, qualia & angelis tribuit. *Theodoretus quæst. super Genes. quæst.* 7. videtur facere substantiam : quem tamen *Pererius pag.* 10. studet excusare. Sed contra, probat *Thomas* cum suis 1. *quæst.*67, *artic.*2. *&* 3.non esse corpus, *quia* illuminatio fit in instanti, & quidem in omnem partem ; quod in motu locali corporis est impossibile.Deinde *quia*,daretur penetratio corporum. Esse autem qualitatem activam consequenter per se corpus lucens probat ib. Vide & Danei physic.Christ.tract.1.cap.10.Conimbric. ad 2. de cœlo c. 7.q.2. Breviter lux si substantia est, erit corporea aut incorporea. Non illa, quia daretur penetratio dimensionum, & plura corpora in eodem loco essent;Non ista,quia in sensus incurrit. Nec est,quod excipiatur cum recentiore quodam philosopho (*Frider.Bonaventura Vrbinate, in opusc.quomodo in sole calor producatur c.*21.) esse substantiam mediam inter corpoream & incorpoream. Tale enim dari unde probabit ? & cur entia absque necessitate multiplicabit ? 11. *probl.* An sit forma astrorum substantialis ? R. *Bonav.in* 2.*dist.*13.*art.*2. affirmat de luce quæ inhæret corpori lucenti ; à qua distinctum lumen (quod inde dimanat ad alia corpora) sit accidens.Sed opinionem hanc merito refutat *Scotus in* 3. *dist.*33. Et perspicuè hanc & superiorem Scoti sectator *Themes.Ros.l.*2. in voce *lux* n. 3. & 4.Vid. & *Conimbricens.in* 2.*de cœlo c.* 111. *probl.* An sit ens intentionale ? Resp.Neg. quia est qualitas admodum activa primi corporis alterantis,& tanquam primum atque universale instrumentum cœli producit calorem Ps. 19.& formas substantiales in his inferiobus; quo referri potest illa descriptio ab effectu Ephes.5.13. *Lux est quæ omnia manifestat.* Atqui hæc omnia intentionalibus tribui non possunt. Thomistæ specialiter de lumine probant, ad 1.*qu.*67.*art.*2. *tum* quia habet effectum realem : *tum* quia denominat medium: *tum* quia expellit oppositum, scil. tenebras. Sed eum oppugnat Scotus, contendens esse intentionem seu speciem lucis ; hac ratione, quia purum sensibile positum supra sensorium non facit sensationem. *Themes.var.n.*6. *&* 7.hanc habet conciliationem : per intentionem intelligi ens diminutum ; & lumen tale dici, quia non habet esse tam perfectum in medio,ac in suo fonte. 14. *probl.* An sit actio & passio; an vero qualitas, an utrnmque : ita ut ad tria illa prædicamenta referri possit ? *R.* Tertium aff. *Thomas Gianninius philsophus Ferrarienses, in disp.de Lumine cap.*8. *&* 9.Sed non videmus hoc philosophice dici posse : cum natura qualitatis ab actione distincta sit, & ratio formalis unius non sit tatio formalis alterius. Actio est quid transiens,lux autem est permanens.

v. *probl.* An omni parti cœli conveniat lux, ab intrinseco scil. ex propria natura. Resp. *Baranz. part. 2. Vranosc. qu. 3. dub. 20.* Aff. sed rationes ejus minus solidè sunt. Ipsa tamen sententia in se non est improbabilis. Quid si dicatur cœlum, quod primo die conditum erat luminosum (ut dictum in opere primi diei) aliquid lucis tamen retinuisse: postquam quarto die creata essent luminaria. VI. *probl.* An lux cœlestis stellarum inter se & à sublunari differat specie? *R.* Vulgo ex Platonis Timæo, tres faciunt species ignis, 1. cœlestem, qui est lux syderum plus lucens quam calefaciens. 2. aëreum, ut est flamma æquè lucens ac calefaciens, 3. terreum & densum, qualis est carbo aut ferrum candens, parum scil. lucens & vehementer urens. Distinctionem specificam ex Scholasticis *Albertus, Richardus, Argentina, Ægidius* defendunt ad 2. *dist.* 13. ducti ratione à diversis effectibus desumpta. *Thomas in scripto secundo ad dist. cit.* distinguit, & cum illo *Themesvar*; ut lux stellarum naturalis seu insita specie differat à luce solis, sed non lux à sole recepta. *Baranzanus* loc. citat. probat esse ejusdem speciei: non dissentiunt *Conimbricens. 2. de cœlo, cap. 7.* nec video absurdi quid illa sententia contineri. Non malè tollit omnia argumenta adversæ partis, negando distinctionem in effectibus ortis, & secundariis inferre distinctionem causæ; sed tantum effectum primarium; qui hic in omni luce est unus idemque. Quod explicat Averroës in 2. de Anima: *Una est natura in omni perspicuo.* Et contra Albertum hoc sic extendit Themesvar n. 12. *In luce ignis*, inquit; *& superiorum corporum est eadem ratio proportionis ad actum; quia utraque lux est actio diaphani, & utraque facit colores in actu, & utraque subito immutat, illuminando scil.* &c. Forte etiam dici posset, effectus varios & contrarios esse ab influentiis occultis & non à luce; aut à dispositione subjecti seu materiæ, in quæ lux agit. *Daneus c. 10.* cœlestem ab elementari (quam cum elemento ignis confundit) toto genere distinctam facit, quia scil. illa nullo pabulo egeat, nec unquam in cœlo exstinguatur, & sit pura, ab omni fuligine & fumis libera. Cui nihil aliud reponimus, quam colorem album, alium quemcumq;, qui sit in corporibus glorificatis, nec pabulo egere, nec corrumpi aut alterari, & tamē non esse toto genere distinctum ab hac nostra albedine: reducitur enim ad genus suum, id est, colorem; & ad speciem, id est, albedinē; habetque eundem effectum naturalē, ac primarium, albicationem scil. VII. *probl.* An lux corporum glorioforum, sit ejusdem speciei cum luce solis. Resp. Conjecturas & ficulneas rationes de hac aliisque corporis glorioſi dotibus coacervant Scholastici ad 4. *dist.* 49. Et ex iis *Themesvar. libr. 4.* in voce *Dos*, n. 7. & 8. Ex recentioribus *Baranz. in Vranoscop. quæst. cit. in* 3, disputat specie differre: ubi tamen

men concedit candorem corporum glorioſorum fore ejuſdem ſpeciei cum noſtra albedine. Nos pleraque illa malumus doctè ignorare : interim remittentes lectorem ad loc.com.de *Corpore glorioſo.* VIII. *probl.* An lux ſolis & ſyderum differat ſpecie à luce cœli Empyrei ? Reſp. *Baranzan. loc.cit.* non admodum negat. Idem *diglad.* 18. th. 14. 15. pluribus de luce illa philoſophatur ex pſeudo-Clemente Romano. Sed decidendum eſſet prius, An & quæ ſit ibi lux. Quod pertinet ad loc.comm.de *Cœlo Beatorum.* X. *probl.* An lux ſolis ſit ejuſdem ſpeciei cum luce primo die creata? Aff. *Thomas in* 2. *diſt.* 14. *&* 1. *qu.* 67. *a.* 4. *&* *qu.* 70. *art.* 1. quem ſequitur *Carthuſ. & Pererius p.* 96. cujus rationes ibi vide. Contra Neg. *Themeſvar* cum *Gulielmo n.* 20. hac ratione, quia ſecundum Magiſtrum ex iſta luce quarto die creatus eſt ſol. Sed videtur ſtatus controverſiæ confundi: Quæſtio enim eſt ; aut debebat eſſe : non de ſubjecto lucis (quod ſubſtantia eſt) aut de corpore luminoſo ſed de ipſa lucis qualitate. Eam autem dicere eandem eſſe ſpecie quid prohibet ? Modo relinquatur diſtinctio gradum. X. *probl.* An ergo lux ſolis ſit major. R. Aff. Pererius ibid. & ante illum communiter Sententiarii ad 2. *diſt.* 13. *Gloſſa, Lyra, Abulenſis* aliique in Geneſ, qui pro ſe allegant *Tertull. Ambroſ. Auguſt. Iunil. Hugonem.* Contra majorem fuiſſe lucem primi diei & circum ſeipſam collectam ac coacervatam circumviſſe univerſitatem rerum ; poſtea nim. quarto die propriis quaſi particulis ad cognatas ſibi res redactam & diremtam ſtatuunt *Nyſſenus, Athanaſ. Theodoret. Procop. Eugubinus. Alii* malunt fuiſſe utrobique æqualem, ut *Carthuſianus, Catharinus, Vielmius, Greg. de Valentia* ; quibus addit *Lorinus comment. in Sapient.* 7. *v.* 29. *Thomam qu.* 67. *art.* 4. *ad* 2. *&* *quæſt.* 70. *art.* 1. Sed aliud quid dicit Thomas : ſubſtantiam ſcil. luminarium primo die eſſe creatam, ſed informem ; quarto autem die eſſe formatam, non forma ſubſtantiali, ſed per collationem determinatæ virtutis : ita ut virtus illa illuminativa in communi, in ſpecialem & determinatam ad particulares effectus evecta ſit. Nos ſequimur ſententiam Pererii. VI. *Probl.* Iris, parelii, paraſelene, via lactea, & ſimiles phaſes ex varia lucis illuminatione exiſtentes, (quas vide apud *Zanch. l.* 3. *c.* 3.) an ſint entia realia an vero intentionalia. R. de omnibus Aff. excepta via lactea, quam cum Ptolomeo & recentioribus aſtronomis ac phyſicis credimus eſſe in firmamento & circulum cœleſtem, contra Ariſtot., qui putat eſſe meteorum apparens. *Clav. in Sacrob. p.* 306. *imprimis Zanch. l.* 3. *c.* 3. *&* *Conimbr. Meteor. tr.* 4. *c* 1. 2. XII. *probl.* An Iris fuerit ante diluvium, etiam potuerit eſſe ante diem quartum creationis. Reſp. pr. Aff. poſt. Neg. idque conſtat ex difinitione Iridis, tam lunaris quam ſolaris. Poſita enim nube tenui, denſa, æquabili, rorida ſoli aut

lunæ

lunæ ex adverso objecta (quod fuit ante dilivium) ponitur Iris : ea non posita (quod erat saltem ante quartum diem) non datur Iris. Videndi de Iride *Maurolycus*, qui gloriatur se demonstratam dedisse : cum ante ipsum multa dixissent Optici, sed nihil fere demonstrassent. Et qui post illum, *Risnerus*, *aut Rhodius*. Ex Theologis eam fusè explicat *Zanch. c.cit.* adde *Conim.tr.* 5. XIII. *probl.* An pulchritudo columbæ Ps. 68. 14. quæ ex coloribus consurgit sit realis an vero intentionalis. R. Lorinus in comment. secutus experientiam (ut putat) & judicium *Senecæ natur.qu. lib.* 5. *c.* 5. *Ciceron. Academic.qu.* 4. *Lucretii lib.* 2. &c. non obscurè inclinat in illam sententiam, quæ statuit colorem in collo columbino esse unum, sed videri plures : itaque omnem illam pulcritudinem esse κατ' ἔμφασιν, & comparat cum Iride. Contra *Vlysses Aldrovrandus* 15. *Ornithol. cap.* 11. putat diversos esse colores, & diversas superficies ex diversarum pennularum portionibus radiantes. Ex eo & cum eo idem fere habet *Frantzius in Histor. sacra Animal. pag.* 464. Quid si utramque sententiam conjungamus, præeunte Maurolyco tract. jam laudato lib. 2. p. 74. *Illud notandum colores Iridis in rorida nube non esse inseparabile accidens, tanquam colores in panno, aut in collo columbarum, sive in plumis pavonum. Nam si sic esset, colores Iridis in uno tantum loco apparerent. Quod non est, nam diversi spectatores, in diversis locis Iridem vident.* (Quod demonstrarat paulo ante theorem. 28. p. 62.) *Generantur igitur illi colores in Iride ex reflexione receptæ lucis ad determinatum angulum. Colores autem in plumis pavonum sunt realiter in ipsis plumis, nam ab omni spectatore ibidem videntur, hoc excepto quod mutantur & aliter apparent, si in rectum, quam si in obliquum pluma talis spectatur* &c. *Quoniam visus perpendicularis inspicit intima flamina; obliquus verò extremos floccos, qui alterius sunt coloris.* Hæc analogicè aptata collo columbino, & verbis Psal. 68. 14. explicabunt nobis pulchritudinem κατ' ἀλήθειαν eandem, & κατ' ἔμφασιν variam, ad varium spectatoris cujusque aspectum mutabilem; juxta illud Lucretii :

Namque alias fit uti claro sit rubra pyropo,
Interdum quædam sensu sic ut videatur
Inter cæruleum virides miscere smaragdos.

XIII. *probl.* Quid de phasi illa extraordinaria 2. Reg, 3. 22. statuendum? Resp. *Lyra* putat fuisse naturalem visus fallaciam ex reverberatione solis. Sed non est credibile neminem Moabitarum naturale hoc intellexisse, & omnes pariter deceptos. Præstat ergo dicere miraculum aliquod subesse: non quidem in reali conversione aquarum (quomodo Exod. 7. 17.) sed in apparentia. An autem immediatè acciderit illud aquis, & radiis solis talem speciem rubri coloris producentibus; ut in Iride : an vero ipsi visui

Moabitarum sive in organo, sive in medio, sive in speciebus visivis, quomodo Bileamo Num. 22. 31. & Luc. 24. 16. & Ioh. 20. 14. 15.) nō ita liquet. XIV. *probl.* An lux solis septies augebitur, & lux lunæ erit ut lux solis. Resp. sic ex Ies. 30. 26. *Hieronymus, Haymo, Carthus. Lyra, A Lapide*: qui illud proprie accipiunt. *Richard. ad 4. dist. 48.* addit hoc lumen accepturos ex splēdore corporum glorioſorum. *Gloſſa*, augendā esse lucē, eo quod per peccatum fuerit imminuta. Nos cum reliquis interpretibus malumus per metaphorā hyperbolicam interpretari de læto & felici statu populi Dei in Christo. Ad tractatum de luce stellarum pertinent 1. qu. de eclipsibus, umbris, & de gnomonibus ad Iob. 40. 17. Psal. 102. 12. Iesa. 38. 8. Hebr. 10. 1. Math. 27. 45. Sed hæc requirenda in cōment. Pinædæ, Lorini, A Lapide, & autoribus ibid. citatis. 2. *distinctio* lucis, luminis, radii fulgoris, coruscationis splendoris: item luminosi, diaphani, deniq; tenebrarum, umbræ, crepusculi: De quibus Themeivar & scholast. ibidem citati, & ex eo dictionarium theologicum Ioh. Altenstaig, etiā Bartholom. Anglicus libr. 8. à c. 41. usq; ad finē. Plura si quis quærat, ipsos fontes, scriptores physicos, Opticos, Astronomos adeat, supra & in bibliotheca nostra indicatos. Manaductionem ad definitiones & distinctiones terminorum præstabit lexicon Philosophic. Goclenii 3. *Consideratio* parallaxeos, refractionis, scintillationis, reflexionis: quæ accidunt luci & illuminationi stellarum. Parallaxis stellas nobis vidētibus ad horizontē magis deprimit. Refractio easdem supra horizontē magis attollit: *Refractiones* esse, hoc est stellarum refracte à nobis videri probant Widebergius disp. 1. astronom. Keplerus in Dioptrice, in præfat. Idem in Astron. Copernicana l. 1. part. 5. p. 59. Et in Astron. Optica c. 3. sect. 10. Quæ autem sit causa parallaxios, an sphæræ ignis concavo lunæ subjecti, an aër terræ circumfusus, an exhalationes terrestres & aqueæ aëri permixtæ; an vero bina ex illis, aut tria simul, disquirunt Rhotman. in epist. astronom. Tychonis, Keplerus in paralipom. ad Vitellionē c. 2. Vbi etiā p. 104. docet nō omnibus locis & temporibus easdē esse refractiones. Ipsum adeat, cui vacat. De *scintillatione* agit Claromont. l. 9. c. 11. De *reflexione* radiorum solis & lunæ Idem l. 8. c. 5. 6. 7. 8.

3. Sequitur calor: quem vulgo distinguunt in cœlestem, elementarem, & insitum seu innatum: de uno quoq; Physici & Medici consulendi. Mirabilis & communis quidem est artifex mundi, & cognitione nostra dignissimus: sed quod pauca videamus ad physicam sacram adduci aut cum ea conferri posse, erimus hic parciores. De speciali illo calore, quo utitur virtus plastica in procreatione hominis illustris est locus psalm. 51. 7. coll. cum Iob. 39. 14. 15. De calore cœlesti Psalm. 19. De caloris oppositō, frigore, scil. & medio participationis tepore Apocal. 3. De calore arte temperato ad metallorum fusionem, excoctionem, omnē

que

que pyrotechniam Exod.32.4.20.Ier.6.29. 1 Reg.7.45.46.Cõfer quæ in Opere primi diei notavimus de Igni. De calore in genere quærunt philosophi: An calor elementaris specie differat à cœlesti: Quot modis producatur calor: An per motum,& quomodo: quomodo per attritionem: quomodo per raritatem: quomodo per lumen: an per radium directum: an motus cœli per se sit causa caloris &c.De quibus inter alios *Baranz. in Vranosc.*; *Scaliger contra Card.*; *& Pererius de quæst. ultima*; *Conimbric, ad l. 2.de Generat.cap.3.quæst.8.* de quæstione prima.Quærimus hic 1.*probl.*An calor sit proprium internum;quod ab igni emanat?R.Aff.& analogicè probant illud philosophi;cum docent,quomodo aqua revertatur ad pristinum frigus.11.*probl.*An ergo possit ab igni separari,aut separatus fuerit in fornace Babylonico. R.N.Vide ibi *Pererium,& A Lapide,VVilletum.* 111. *probl.*An possit communicari ferro.R.N.Vide disputationes de communicatione proprii, apud autores cit.in *disp.de potentia Dei.*

Præter lumen & calorem cœlo adscribuntur occultæ influentiæ: quæ 4.
vel ex sola operatione lunæ in omnia aquea, & ex generatione mineralium in profundis terræ, & vegetabilium atque animalium in fundo maris(quo radii solis non pertingunt) satis demonstrari videntur. Negat tamen eas Canonhierus in comment.ad Hipocratis aphorismos loc. cit. omnesq; illos effectus lumini adscribit. Nos duo solummodo de iis; disquirenda proponimus 1. An occultæ influentiæ quas Ptolomeus lib. de *Inerrantium stellarum significationibus*: & post illum Astrologi Arabes,stellis in singula quæq; inferiora tribuunt,quorũ placita otiose & nimis credule neoterici quidam astrologi sequuntur,præsertim scriptores Almanachici; adhæc Empiricorum quorundam signaturę & sympathiæ inter signa Zodiaci & partes corporis humani, ratione aut experientia si non universali saltem mediocri aut aliqua probari possint? R. Neg. & experientia vulgarium Almanachorum incertas cõjecturas cõfundit,cum illi ex Ptolomeo quotannis ex.gr.ad finem Ianuarii annotant: *Delphinus occidere incipit, Fidicula circa primam facem parte sui occidere incipit, vehementer flat aquilo cum imbre. Imbres cum nivibus permisti cadunt.* Et sic ad finem Februarii: *Arcturus emergit, & pluit &c. Favonius late spirat.* Et ad initium Aprilis: *Scorpius occidit &c. Vergiliæ oriri &c, nebulosus aer per omnes terras.*

Confer egregiè in thematicis exercitati (teste Samuel. Wardo in præfat. ad Problema Catholicum) Gulielmi Perkinsi censuram vulgarium Almanachorum. 11. *Problem.* An directè influant in liberas voluntates & actiones hominum? Resp. Neg. pugnat enim illud cum Theologiâ & Philosophiâ: quæ liberam hominis voluntatem in causam naturalem transformari, atque adeo ipsius à causis naturalibus dependentiã non admittit:quæq; omnes causas liberas soli providentiæ & concursui

cursui divino directè subjicit. Quæ hypotheses cum à Theologis & philosophis partim in physicis partim in Ethicis & Metaphysicis solidè probentur, hic à nobis sumuntur & indicantur solummodo, ut breves simus. Ex his enim omnes classes argumentorum facile deduci possunt. III. *probl.* An ergo influxus illi, & mixturæ, amicitiæ atque inimicitiæ stellarum &c. saltem non inclinant (si non necessitant) voluntates humanas? Resp. Sic quidem vulgo distinguunt. Et videtur hæc sententia Ptolomæi Sic enim in Centiloquio n. 5. ex interpretat. Iovian. Pontani: *Potest qui sciens est, multos stellarum effectus avertere, quando naturam earum noverit, ac seipsum ante illorum eventum præparat*, & n. 8. *Sapiens anima confert cœlesti operationi quemadmodum optimus agricola arando, expurgandoque confert naturæ.* Et n. 10. *In dierum horarumque electionibus, utere maleficis, perinde ut optimus medicus ad curationē venenis utitur moderatè* &c. Sed 1. *cur* magis influentiis illis dispositivè subjiciuntur voluntates humanæ, quam catapotiis, aposematis & toti officinæ Pharmacopæorum; quam aëri, aquis, & locis; quam ventis, pluviis, odoribus, sapidis, ædium & utensilium sordibus ac purgationibus; atque adeo scopis, peniculis, lixis, calonibus, immo & sterquiliniis, bestiis, earumque morbis, mortibus, cadaveribus &c. Cur æque non constituuntur coproscopi & speculatores cloacini, qui observationes suas conscribant, qui themata erigant & inde humanas actiones prædicent? Vnde constat mutationem complexionis e. gr. Hermachi aut Socratis, magis immediatè, aut necessario dependere, ex hoc vel illo influxu istius syderis, quam ex hoc suavi odore aut fœtore, ex fide & arte hujus cloacinæ aut coprotergii, ex hujus foci aut culinæ calore, ex hujus cibi qualitate aut quantitate, ex hujus coci aut focariæ arte & inertiâ. 2. Quod si dicant astra agere in hæc inferiora agentia naturalia; illa rursum in naturam & complexionem corporis humani: & hanc in voluntatem inclinativè scil.: nullam adhuc evicerunt dispositionem, nisi admodum remotam, & non uno modo incertam ac merè conjecturalem. Neque enim certas habent regulas & experientias, quibus quasque superiores naturas cum singulis inferioribus elementis scil. eorumque distinctis partibus & plagis, ut elementatis in regno minerali, vegetabili, animali certo connectant & adaptent. *Deinde*, nos Galeni libellum, *Quod animi mores sequuntur temperamentum corporis*, quem in Disp. Ethicis Piccolomineus aliique allegant (quod ad inclinationem scil.) ita ex Theologia & philosophia explicandum putamus, ut homo seu compositum propriè dicatur principium actionum humanarum: & radicale principium, (si quod quæritur) anima, & quidem in ea τὸ ἡγεμονικὸν, non corpus. Prout animus bene aut malè fuerit affectus, utetur sensibus, appetitu

appetitu inferiori, atq; adeo humoribus & membris corporis ad bonum aut ad malum, juxta Rom. 6. Et oſtendunt Theologi practici, quomodo Spir. ſ. non tollat, ſed ad bonum convertat ſingulos affectus, ut & complexiones frigidas, melancholicas, cholericas &c. Sed pluribus prætenſę influentiæ refutantur in controverſ. de Genethliacis. Rejicimus 1. Delria Manichæorum & Mahummedis, quorum illi lucem ex Dei ſubſtantia, iſte ex mari productam ſomniant. II. *Influentias ſyderum in angelos aut dæmonas.* III. *Antiquas illas Gentilium ſuperſtitiones circa labores & Eclipſes ſolis & lunæ: de quibus Dalecamp. ad Plinii lib. 2. c. 12.*, & Salmuthus ad Pancirollæ nove reperta tit. 9. & Voſſius de Idololatr. lib. 2. c. 20. IV. Lectiones ſtellarum, & *Statuas* (quas vocant) *Taliſmanicas erectas & confectas ad certas cœli poſitiones & conſtellationes, ut influentias inde recipiant: de quibus videndi Selden. in ſyntagm. de DIS Syris, & Delrio in Diſq. Magic. quas non puduit Gaffarellum & quidem profeſſione Sacerdotem nuper defendere in libro cui tit. Curioſitez.* Inouyes part. 2. & 4. Sed poſt primam hujus diſputationis editionē cōperi librum illum cenſurâ notatum eſſe (& merito) à Sorbona Pariſienſi. Hæc ſimiliaque *ex parte etiam attigimus Diſp.* de Dæmonibus, De Magia, de Prophetia, de Superſtitione. V. Chaldæorum, aliorumque Gentilium vanitates genethliacas, & Rabbinorum מזלות *maſſalot.* 1. planetarias fortunarias fortunas, ſeu fata aſtrologica. De Fato in genere & ſpecie, ut & de fortuna (de quibus in ordinario curſu locorum communium diſſerere ſoleo ad cap. de Providentia Dei) ſæpius antehac promiſeram me diatriben quam editurum. Sed poſtquam prodiit multæ eruditionis tractatus de Idololatria, autore polyiſtore Gerardo Voſſio conſilium mutavi: contentus pauculis delibatis & indicatis autoribus in diſſertatione noſtra de Termino vitæ hic addidiſſe laudatum modo Voſſium qui lib. 2. cap 42-51 pluribus agit de Fato & Fortuna. De Fotunâ ante ipſum nonnulla collegerant: Aretius in problem. tōm. 1. p. 705. edit. in 8. Pererius diſp. phyſicar. lib. 9. Ludovicus Vives in Auguſtinum de civitate Dei ibidem à Pererio citatus; Alexander ab Alexandro l. 1. c. 13. Et Iovianus Pontanus peculiari & prolixo tractatu. Chryphiander in tract. de Inſulis pag. 81. Tholoſanus in commentar. ad lib. 3. ſyntax. mirabil. c. 12 Wendel. in contemplat. phyſ. ſect. 1. c. 4. Gevartius elect. l. 3. p. 144. notat fortunam malam, Nemeſin, deorum invidiam aliquando pro eodem ſumi. Fuſe de Ethnicorum Fortuna Natalis Comes lib. 4 cap. 9.

5. Agendum nunc de tempore conſequente ſeu effecto ſtellarum. Eſt autem tempus vel abſolutum & intrinſecum: vel comparativum & extrinſecum. Non illud, ſed hoc conſequitur motus & poſitiones ſtellarum: eſtque quarto die demum

concreatum. Cujus mensura tripliciter consideratur 1. in metiendo motus omnes inferiores applicando iis motus superiorum, & cum iis comparando. 2. in discernendo dies & noctes, æstates & hyemes, menses & annos 3. in signando & designando καιρὸς sive rerum gerendarum occasiones tanquã naturalia signa diacritica. Quæ omnia indicantur Genes. 1.14. Hoc enim innuit vocabulum מועד. Porro de temporum differẽtias explicat. Computus Sacroboſci, & magis perspicuè ac luculente recentiores Astronomi Munsterus, Keckermannus, Alstedius, Mestlinus, ut & Scaliger in canonibus Isagogicis, aliique chronologi in bibliotheca nostra citati, & Francisc. Paduanus Veronensis. Vltimum consequens, seu effectus stellarum est significatio, seu signatura: cujus oppositum sunt pseudo-signaturæ, de quibus mox in appendicula ad hãc thesin. Sunt autem stellæ in signa, seu significationes; quæ ex objecto divisæ in 1. naturales, ut solis & lunæ eclipses. 2. mixtas, hoc est, naturali-civiles, de quibus Plinius lib. 18. c. 42. & Hesiodus in Oper. & dieb. Virgilius in Georgicis, Palladius, Varro aliiq; rei rusticæ scriptores. Quibus adde scriptores rei nauticę. 3. Super naturales, & extraordinarias, quales Ioelis 2. 31. coll. cum actor. 2. 19. Quæ signa rursum ex forma seu efficiente dividuntur in miraculosa, & non miraculosa. Confer disp. 1. de signis. Duas tantum hic quæstiones movemus 1. An prognostica tempestatum, & similia naturalia ex astris prædici possint? Resp. In genere quidem notum est & constitutionem inferiorum pendere à corporibus cœlestibus: & hoc probat locus Iud. 5. 20. coll. cum c. 4. vers. 15. ut egregie locum illum à Genethliacis objectum explicat Georg. Abotus in prælect. Theologicis. Sed hoc tamen incertum & indeterminatum, quæ stellæ hoc aut illo situ, aspectu, & oppositione aut conjunctione hunc aut istum effectum in inferioribus producãt: consequẽter prognosticis illis vix ulla certitudo. Major certe illis quæ ex elementis & elementatis sumuntur, hoc est, prognosticis rusticis & nauticis, quæ collegit Mizaldus in libello, cui tit. *Ephemerides aëriæ*. Quarum veritatem ὡς παντὸς, (hoc est, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ haut obscurè approbat servator noster Math. 16. 2. 3. & Luc. 12. 54. 55. Sed hæc supra tetigimus. 11. An eventus & actiones quæ à libera hominum voluntate dependent, & sua natura mere contingentes, ex astris certo prædici possunt. R. Neg. atque adeo Ptolomæi quadripactitum, & centiloquium, Iulii Firmici Materni, Bethem, Almasoris, Zahelis, Messala, Omar, Manilii, Boncrontii, Ioh. de Indagine, Lucæ Gaurici, Cardani, Garcæi de erigendis cœli figuris & similes tractatus planetarios ac genethliacos lingua latina aut vernaculâ editos stultitiæ, ignorantiæ, superstitionis, merito arguimus.

mus. Nec satis mirari possumus, quod Christophorus Sthatmion Medicus Coburgensis circa ann. 1569. publico scripto contra Savanorolam & alter anonymus thesibus Academicis eam defenderit. Quibus Thomas Erastus peculiarem apologiam opposuit.

APPENDICVLA.

De Harmonia Mundi superioris & inferioris.

HArmoniam mundi in genere agnoscimus: est enim ordinata compages. Consistit autem hæc harmonia seu proportio potissimum in quantitate, & qualitate partium mundi. In quantitate, quoad numerum, pondus & mensuram. In qualitate quoad superiora inferioribus lucem & calorem infundunt &c. Vide *Valesium cap. 70. & Keppleri tract. de Harmoniâ mundi.* Sed varias quorundam speculationes nullâ scripturæ autoritate, nullâ naturalis luminis demonstratione subnixas rejicimus: imprimis propter periculum superstitionis & Magiæ. Sunt qui fingant harmoniæ tantum gradum, ut omnes naturæ in sensu quæq; proprio conveniant, & mutuò symbolizent. Huc tendere videtur commentum Campanellæ, de sensu rerum & Magiâ, peculiari tract. ab ipso celebratum. Alii harmoniam evehunt ad communem intellectum; quem quærunt in omnium naturarum communi formâ & animâ, quam animam mundi vocât. De quâ infra in appendice 3. ad disp. de Creatione. Harmoniæ seu concentui per quem Pythagoras mundum administrari volebat, apud *Empiricum c. Mathematicos p. 27.* non est quod immoremur. Vt brevē multorum cōmētorum, hypotyposin studiosis nostris exhibeamus, distinmus hæc tria, *harmoniam, signaturas, sigilla.* 1. De harmoniâ mundi totius librum peculiarem scripsit *Franciscus Georgius Venetus*, editum *Parisiis* 1546. *apud Andr. Berthelium.* Librum illum hactenus videre non potui. Sed autor mihi satis notus ex cabalisticis conceptibus, quos inspargit problematis sacris, facile conjectandum relinqui, de quali harmoniâ philosophatus sit. Nos ex aliorum scriptorum lectione sic eam describimus: *Harmonia* est putatitia convenientia, symbolizatio, & mutua ἐμπεριχώρησις naturarū & partium mūdi in virtutibus magneticis, seu sympatheticis & antipatheticis ad admirabili effectorum productionem. Putatitiā voco: quia nec scripturę autoritate, nec rationis & experiētię certitudine nititur, sed merâ affirmatione dicentium. Dividitur illa 1. in harmoniam mundi sensibilis seu corporei, & mundi intelligibilis, seu angelici: quæ proxima via est ad magiam, aliasque superstitiones. Huc refer commenta illa de

septem intelligentiis, de angelis mediis inter bonos & malos deq; præfectura & affixione certorum angelorum ad rerum cœlestium aut sublunarium certas naturas, formas, qualitates, horas, tempora, actiones & passiones, situs, conjunctiones, oppositiones. De quibus *Trithemius*, *Abano*, *Agrippa* aliiq;, tum antiqui tum recētiores sive Iudaici, sive dicti Christiani scriptores Cabalistici & Magici, alibi (in disp. *de Magiâ*) indicati. 2. In harmoniam mundi corporei seu visibilis macrocosmicam, & microcosmicam. *Illa* est convenientia sympathetica & dependentia operativa inter totum mundum tum cœlestem tum elementarem, & inter hominem, seu corpus humanum. Quam venantur & jactant imprimis recentiores Cabalistici, Hermetici, Paracelsici. Autores aliquot cum præcipuis Antagonistis supra notavimus. *Ista* rursum est duplex, *Una* est convenientia inter naturas & virtutes mundi cœlestis & mundi elementaris; ad inter se mutuo, & utrarumque cum perpetuo mobili operationes (uti vocant) astrales non tantum producendas in his inferioribus; sed etiam virtutes illas astrales iis communicandas: sicuti magnes virtutem suam communicat ferro. Sic *Agrippa lib. 1. de occulta philosoph. c. 11. & 16.* Hanc sectantur philosophi modo cit. & vani quidam astrologi, inde dicti judiciarii, genethliaci, prognostici: quorum aliquos sequ. thesi indicamus. Si quis compendio inanias illas astrologorum nosse cupiat, is adeat *Astrologiam Alstedii*. Altera mundi sensibilis harmonia macrocosmica, est naturarum elementarium inter se. Huc pertinent quamplurima vana aut incerta de admirandis virtutibus herbarum, lapidum, animalium &c. apud *Plinium*, *Albertum Magnum*, *Alexium Pædemontanum*, *Mizaldum*, *Weckerum &c.* Mundi hujus sensibilis harmoniam fundari volunt in animâ seu spiritu mundi, qui sit vinculum occultarum qualitatum. Sic Agrippa lib. 1. de occultâ philosophiâ cap. 14. Partes & species illius harmoniæ distinctè explicat Nollius physic. Hermetic. lib. 11. per totum: quem videant, qui compendio studeant. Dictat ibidem aliquid de cœlo crystallino, & de aquis supercœlestibus, & elementis omnibus spiritualibus quæ sint in cœlo empyreo non minus ac in mundo visibili sunt elementa corporea. Confer quæ idem habet lib. 1. p. 133. ubi aquæ supercœlestes cum diviniori aëre & igni ipsi cōstituunt cœlum empyreum; idque ex scripturâ probare conatur. Sed opinionem de cœlo aqueo seu crystallino refutāt autores supra citati; inter quos *Fr. Fernandius de Cordua in didascal. multiplici.* Non esse autem hanc jactatam harmoniam totius medicinę fundamentum (ut volunt *Agrippa lib. cit. Crollius de signaturus*, & *Nollius lib. cit.* aliique neo-Hermetici) docet *Sennertus de Chymicor. consens. & dissens. cap.* 18. quem vide, & monet *Bartholinus in controvers. anatomic.*

qu. 5.

qu.5.p.35. Ita quidē opinantur Paracelsici pœne omnes, qui vix aliud in suis Philosophicis & Medicis fundamen respiciunt, in eo equidē, quod parvi cū magno Mundo cognationem & consensum diligenter eruere nitantur, hautquaquā culpandi: quamdiu suos intra cancellos se continet analogia. At si apud Theophrastum Paracelsum, ejusque complices ea abutentis, extra limites evagetur liberius; Philosophorum utique & Medicorum virgulam censoriam merebitur, atque incurret non immerito. Quis enim cum Paracelso lib.4.de origine morb.invisibili in initio; Paragrani 1. tract.2.& alibi statuere sustineret, nihil plane magno mundo reperiri aut animo concipi, cujus in parvo non sit vera aliqua forma? Voluntque ejus sequaces omnium Entium totius Mundi naturam & proprietatem in homine esse: nec curandam choleram vel melancholiam Microcosmi, eo quod talia Macrocosmus non agnoscat; sed Arsenicum & Alumen &c. parum memores istius: Omne simile claudicare; & omnem nutare Analogiam. Quocirca nos hoc argumento à negativâ Quæstionis stabimus: Omne fundamentum verum & legitimum esse debet immotum, constans, & extra aleam dubitationis positum. Analogia, magni & parvi Mundi non est talis: Ergo. Propositio sua luce lucet. Assumtum ex sequenti Analogiæ examine dispalescet. Initio constituunt Paracelsici orientem in ore, occasum in ano, Meridiem in Vmbilico, septentrionem in dorso. At cur ortum in ore potius quam fronte vel naribus? Cur occidentem non in inpotius quam ano, ut orienti respondeat? Huc conferri possunt disputationes, An Deus in cœlis posuerit imagines animalium, animique hujus mundi inferioris, & an inferiora hæc imaginibus illis subjecerit &c. apud *Barthol. Sibyllam in quæst. peregrin. dec.1.cap.9.* p.377. Et *Delrio in disquisit. Magic.* Sed hæc pertinent ad disp. de Magiâ. 11. *Signatura* nihil aliud est quam investigatio & deprehensio dictæ harmoniæ macrocosmicæ aut microcosmicæ, seu occultarum virtutum, per signa quædam naturis singulis impressa. Artem vero illam & demonstrationem signorum quærunt in similitudine, sive figurarum, sive motuum, sive aliarum passionum seu affectionum. Et in dissimilitudine seu oppositione. De quibus *Agrippa lib. cit. cap.*15. 16. 19. 22. Ex cap.22. paucula hæc exhibemus:

Manifestū est quod omnia inferiora subsunt superioribus, & quodam modo (ut inquit Proclus) sibi invicem insunt, scil. in infimis suprema, & in supremis infima: sic in cœlo sunt terrena, sed sicut in causa modoque cœlesti, & in terra sunt cœlestia, sed modo terrestri, scil. secundū effectum: sic dicimus esse hic entia quædam solaria, quædam lunaria, in quibus sol & luna, causant aliquid suæ virtutis. Vnde res hujusmodi recipiunt plures operationes & proprietates consimiles operationibus stellarū ac figurarū, quibus subsunt sic cognoscimus solaria esse respectiva cordis & capitis, proter leonem solis domum, & arietem solis exaltationem: Et ex cap. 23. *Quæ vero res cui stellæ vel signo subsint, cognoscere difficile est valde: cognoscuntur tamen*

per imitationem radiorum, vel motus vel figuræ superiorum : quædam etiam per colores & odores, quædam etiam per suarum operationum effectus quibusdam stellis consonantes. Sic solaria sunt inter elementa ignis, & lucida flamma: in humoribus sanguis purior, & spiritus vitæ : inter sapores, qui est acutus, dulcedini mixtus. Inter metalla aurum propter splendorem : habetque à Sole, quod sit cordis confortativum. Inter lapides vero qui aureis guttis solares radios imitantur : sicut lapis aëtites aureis guttis Solem imitans, virtutem habet contra morbum caducum, & contra venena : sic lapis, qui dicitur Solis oculus, figuram habens similem pupillæ oculi, ex cujus medio radius emicat, confortat cerebrum, confert visui : Specialia signaturarum exempla ibidem capp. modo citatis ab *Agrippa* recensentur, & ab *Osvaldo Crollio in tract. de signaturis*; quem cum Chymicâ Basilicâ edidit. Habet & nonnulla *Cardanus l. 16. de variet. rerũ c. 89. p. 1051. Agrippa lib. 1. cap. 33.* vocat signacula & characteres rerum naturalium, quos stellæ per suos radios in lapidibus, plantis, animalibus, eorumque membris producunt. *Vnaquæque*, inquit, *res à dispositione harmonica, & à sua stella ipsam iaridiante sortitur speciale aliquod signaculum, seu characterem sibi impressum, illius stellæ sive harmoniæ significativum, ac specialem in se continentem virtutem, ab aliis differentem, vel genere, vel specie, vel numero præjacentis materiæ. Habet itaque quælibet res suum characterem ad aliquem peculiarem effectum sibi à sua stella impressum, maxime ab illa quæ in ipsa præ cæteris obtinet principatum, & hi characteres stellarum suarum proprias naturas, virtutes & radices in se continent atque retinent, earumque consimiles operationes in res alias, super quas reflectuntur, producunt, & stellarum suarum influxus provocant adjuvantque, sine planetarum, sive etiam stellarum fixarum, & imaginum, & signorum cælestium, quoties videlicet in debita materia, suo tempore, debitisque solennitatibus fuerint fabricati.* 111. *Sigilla* sunt signa & imagines secundum harmoniam mundi, & signaturas modo dictas artificiose ab hominibus facta, per quæ virtutes illæ putatitiæ harmoniæ macrocosmicæ aut microcosmicæ in rem aliquam aut personam transferantur, aut illiq; applicentur. *Cardanus lib. 16. de rerum varietate c. 89.* sic de constructione sigillorum philosophatur : *Oportet autem quatuor in his convenire : facultates natura, & materiæ, & syderis, tum hominis qui eo uti velit. Velut si velim annulum sigillumve ad conciliandum somnum, eligam lapidem somniferum, qualis est hyacinthus, aut crystalli species cæruleo distincta & maculata in congressu lunæ cum venere in Piscibus aut Tauro, & ut tum recte se habeat ad genesim ejus qui ferre sigillum voluerit : nam si congressus hic in oppositio Martis ejus qui ferre debet, incidat, parum juvabit, aut etiam forsan vigilias inducet. Figura quoque in his quæ ad affectus animi pertinent, multum confert : veluti ad somnum insculpemus hominem juxta rivum in sylva dormientem, nam &*

intuitus

intuitus & memoria imaginis proderit. Quod si lapis viridis sit, ipso colore juvabit, aut ex aqueo & viridi commixtus, velut prassii species cum albis fasciis. Oportet autem scire duo esse genera sigillorum: quædam enim generalem vim obtinent, juvantque fere omnes in ea causa, sed nulli proprii sunt, & non facile fiunt, nisi in constitutionibus generalibus, quales sunt eclipses & conjunctiones magnæ, dum etiam luminaria coëunt aut invicem opponuntur. Propria autem unum juvant alium non: sed longe sunt efficaciora generalibus: ac facilius parantur. Oportet tamen illius pro quo fit sigillum, exquisite genesim esse notam. Rursus sigilla quædam ad bonum opus vim habent, quædam ad malum. Et quædam etiam ad honesta ac licita: quædam ad turpia, licet non mala. Nos ergo de generalibus tantum sermonem habebimus, licitis honestisque, ac ad bonum opus tendentibus: cujusmodi sunt ad somnum conciliandum, ad sanitatem, vitæ longitudinem, ad memoriam ingeniumque augendum, ad futurorum naturalem providentiam, ad divitias, honores, principum gratiam, continentiam, filiorum procreationem, amicos, ad securitatem, à fulmine, à serpentibus, à feris, ad animi tranquillitatem, atque cætera hujusmodi. Sunt etiam sigilla alia quidem planetarum, alia cœlestium figurarum: nec solum signiferi, sed etiam aliarum: nos vero solum de planetis, & signiferi figuris loquemur. Ob id novendecim sigillorum, præter eam quæ ad somnum jam tradita est, structurum docebimus. Et Agrippa lib. 1. c. 33. p. 68. *Quod considerantes antiqui sapientes, qui ad investigandas occultas rerum conditiones plurimum laboraverunt, stellarũ imagines, figuras, signacula, sigilla, characteres adnotarunt, quos natura ipsa per stellarum radios in istis inferioribus depinxit, alios in lapidibus, alios in plantis, & ramusculorum juncturis atque nodis, alios in animalium membris diversis: Nam laurus, lotus, heliotropium, plantæ solares in suis radicibus ac nodis præcisis, Solis characteres ostendunt: sic & in animalium ossibus, & spatulis: unde spatularia divinationis species processit.*

Idem pluribus omnis generis sigilla & imagines præscribit à c. 35. usque 52. per quas virtus aliqua attrahatur à corporibus cœlestibus. Inter sigilla ista sunt specula, annuli, collyria, suffitus, imagines, seu statuæ cap. 43. 44. 45. 47. & lib. 2. c. 36. usque cap. 51. Et lib. 2. cap. 29, 30. 31. docet characteres & sigilla spirituum: & cap. 38. quæ divina dona homo desuper à singulis cœlorum & intelligentiarum ordinibus accipiat. Huc pertinent, quæ supra ex Seldeno & Gaffarello indicavimus de statuis solis aliisque dictis *tali manicis*, hoc est, astralibus seu cœlestibus. De quibus in disp. *de Magiâ*.

De

De opere Quinti diei.

6. QVinto die producti sunt pisces & aves. Hic in genere de brutis aliquid dicendum : deinde in specie de piscibus & avibus. De brutis quæritur 1. An ratione prædita sint : imprimis apes, formicæ, cercopitheci seu cynocephali, elephantes &c. Resp. neg. contra Plutarchum id asserentem, & Virgilium, qui Georg. 4. apibus vult esse partē divinæ mentis, & haustus Ætherios &c. & contra Franciscum Assisium, qui fratribus asinis & lupis, & sororibus corvis euangelium prædicasse, eosque ad resipiscentiam inflexisse dicitur. Præter rationes philosophicas apud Keckerm. aliosque, physicos indicamus ps. 32. v. 9. & Iob. 39 20. Cum Francisci alterius scil. Muhammedi, hoc est, hominis lymphatici doctrinâ apprimè convenit προφαντασίας Muhammedi in Alcorano, & Zuna (referente Ioh. Andrea olim Mauro & Legisperito Muhammedano, post sacerdote Christiano in Confusione sectę Mahomecæ) quo statuit omnia animalia bruta, ipsaque volatilia die judicii esse in vitam reditura, ac Dei censuram subitura, & verveces & animalia castrata in paschate mactata à Saracenis, resurrectura in die judicii, paradisum ingressura, & vota factura pro occisoribus; cumque trutinabit angelus Gabriel animas, id est, opera bona & mala discernet, castratos in bonorum operum lances ascensuros, ut eorum pondus augeant. Et p. 563. ex Zuna refertur animal quoddā nomine *alborah*, quo vectus fuerat Mahometus in cœlum, cum ipso paradisum & quidem primum omnium animalium ingressurum. 11. *probl.* Quomodo bruta perfecta, imprimis reptilia, terrestria, &c. in novum orbem & ante & post diluvium pervenerint. Resp. Disquirit de eo Augustl. lib. de civ. Dei supra cit. & Lipsl. lib. 2. diss. 19. Nos putamus siquidem ad septentrionem cum orbe nostro terra continente, aut saltem angusto freto orbis ille non conjungatur, aut antehac conjunctus non fuerit (quod nondum plane compertum) partim natatione, partim navali vectione hoc factum. Confer supra part. 5. 111. *probl.* An bruta utantur sermone, & an se mutuo intelligat, & an sint homines qui sermones brutorū intelligāt. Resp. Nos Neg. & quidquid de iis refertur apud Delrio disq. Magic. 2. q. 19. & Salmuthumin Pāciroll. l. 2. tit. 10. partim ad fabulas, partim ad dæmonum illusiones referimus. Confer infra part. 8. 1v. *probl.* An ex 4. elemētis producta. R. Aff. Quod autem Simplicius & Antinomus apud Iunium arg. 12. & 13. objiciunt Mosen dicere pisces & aves ex aquâ, hominem ex terra seu pulvere productum : id partim negamus, partim ad fallaciam à dicto secundum

dum quid ad dictum simpliciter referimus. De quo infra. v. *probl.* An quævis bruta generatione univoca producantur; an vero imperfecta nonnulla generatione æquivoca ex putri materia; alia etiam utraque generatione, ut mures &c. Resp.pr.N.Aff. secundum,& tertium.Quomodo autem generatio fiat, & ex qua materia, disquirit *Fortunius Lycetus in libr.de ortu spontaneo viventium*, & post illum ex professo, & perspicuè hanc materiam pertractat *Sennertus in Hypomnematis physicis*. Conferri potest Vossius lib.4.c.64.65.66. vi.*probl.* An ergo sint ejusdem speciei quæ diversa generatione producuntur? Resp. Quidni. Vide Perer. disp. physic.lib.8.c.16.17.18. & Conimbr.in 2.de cœlo c.3.q.7. & facit hæc sententia ad probandum Evam, Adamum, Christum (Hebr.2.11.14.) nobiscum esse ejusdem speciei, quamvis ortus ratio longe diversa sit. vii. *probl.* An intra sex dies omnis generis bruta,etiam venenata,noxia; & insectam sint creata? Resp. Baranz.diglad. 18.thes. 28. cum Augustino statuit culices, pulices, pediculos, & cætera insecta ex sudore hominum aut putrefactione genita non exstitisse: quia hoc repugnabat hominis beatitudini. Idem potuisset dicere de culicibus, muscis, vermibus, aliisque homini nunc molestis. Post subjicit, siquidem cum Basilio homil.7.admittendæ sint ejusmodi bestiolæ, pulices canibus, pediculos ovibus cimices similis esse relinquendos.Vide infra. viii *probl.* An bruta sint in cibum data à prima rerum creatione? Resp. Aff. contra Rabbinos nonnullos, qui volunt post diluvium Noachi demum hoc factum; ante illud tempus, nonnisi vegetabilia concessa Gen.1.29.30. Sed hoc sapit Pythagoricum illud apud Ovidium: *Quid meruere boves animal sine fraude doloque.* ix. *probl.* An ab aliquibus (seposita & abrogata nunc lege ceremoniali) per conscientiam sit abstinendum. R. Neg. Quæ quæstio pertinet ad disp. de superstitione. Porro de animalibus quamplurima quæruntur & referuntur ab autoribus physicis,jā sępius cit.,ab autoribus admirandorum naturę (quos supra part.6.indicavimus),imprimis ab Historicis naturalibus, *Aristotele*, *Plinio*, *Æliano*, *Alberto*, *Vincentio Bellovacensi*, *Barthol.Anglico*, superioris sæculi Plinio *Gesnero*, & *Bellonio ac Rondeletio de piscibus* & postremo omnium tanquam Oceano, *Ulysse Aldovrando.* Compendium hic laudabili studio studiosis Theologiæ paravit *VVolf.Franzius lib.de Animalibus sacræ scripturæ*, cui adjungi poterit Bustamātinus de *Insectis scripturæ*.Deinsectis in genere & in specie exstat tomus peculiaris *Aldrovandi*,& non pauca de iis collegit *Vossius lib.4.cap.94.&c.* De animalibus in genere, deque eorum contemplatione ad theologiam ac pietatem applicanda multa suppeditat *Nierenbergius in historia Naturæ.* Qui imprimis videndus. Consuli etiam poterit Theolog. Naturalis Al-

ſtedii. De origine & varietate ſuperſtitionis atq; idololatriæ circa animalia, *Voſſius tract. ſapius laudato* lib. 4. Si quis verſibus deſcriptam hiſtoriam animalium deſideret, is adeat *Oppianum* de piſcibus & de Venatione; & *Phyles* jambos, à Gregorio Berſmanio latinis verſibus expreſſos, Auſonii poëma, cui tit. *Moſella*; Ovidii fragmentum halieutici; & neoterici ſcriptoris, *Natalis comitis* poëma *de Venatione*, quod cum mythologia ipſius editum. Ad contemplationem de animalis natura in genere ſpectata pertinent iſti tituli 1. de generatione animalium; de qua Lycetus, Sennertus, Voſſius modo cit. II. De anima ſenſitiva brutorum, quod ſit ſubſtantia, incompleta ſcil. non vero vigor aut calor, ut vult *Daneus part. 2. tract. 5. cap.* 8. nec aliquod aliud accidens. De quo videndi recentiores phyſici, Conimbricenſes &c. III. De corpore, & partibus animalium deque humoribus, ſpiritibus, calido innato, complexionibus, IV. De ſenſibus. V. De motu progreſſivo. VI. De ſomno & vigilia. VII. De fame & ſiti. VIII. De ſanitate & morbo. IX. De monſtris. De quibus autores in diſp. 1. de ſignis indicati.

7. De piſcibus & avibus Scriptores de animalibus modo cit., quibus adde Atheneum; & ex Theologis non pauca Themeſvar; & Daneus. In genere quæritur. I. An amphibia quinto die creata? Reſp. Nihil prohibet hoc affirmare, eaque nomine piſcium comprehendi putamus, qualia ſunt fiber, lutra, rana, crocodilus, hippopotamus. II. Ex qua materia piſces & aves productæ? Reſp. 1. Becanus contendit (opinor, ut hymnum Eccleſię defendat) eſſe ex aqua productas aves æque ac piſces. *Primo* quia Auguſtin. Ambroſ. Baſilius, Rupertus, Eucherius, Damaſcenus, Hieronymus, & Scholaſtici ad 2. diſt. 15. *Secundo*, quia idem ſentit Eccleſia in hymno veſperar. feriæ quintæ: *Magnæ Deus potentiæ. Qui ex aquis ortum genus, partim remittis gurgiti; partim levas in aëra. Tertio*, quia eſt magis conforme ſcripturę Geneſ. 1. 1. 20. *Quarto*, quia multæ ſunt aves, quæ in aquis degunt. *Quinto*, quia piſces & aves in multis conveniunt. In eadem ſententia eſt Thomas cum ſuis 1. qu. 71. art. Baranz. digl. 18. th. 19. Et A Lapide ad v. 20. Zanchius, Daneus qui c. 26. pro ſe allegat Geneſ. 1. v. 20. & Auguſtin. lib. 3. de Geneſi c. 5. 6. Fulgent. de Fide ad Petrum c. 3. Sunt qui piſces ex aquis inferioribus, aves ex ſuperioribus accerſunt. *Alii* aves, quæ aquis delectantur aquæ, quæ vero terra, terræ attribuunt. Nos malumus dicere cum Cajetano, Catharino & Vielmio, piſces eſſe ex aqua, & aves ex terra, ſic tamen, ut ſynechdochice terrę & aquæ reliqua elementa admixta fuiſſe intelligantur: ut recte explicat Fr. Iunius ad 12. & 13. objectionem Simplicii & Antinomorum, & Pererius in Gen. p. 185. Probatur autem

hæc

hæc sententia ex Gen. 2. 19. *Deinde* quia jussit Deus aves multiplicari non in aquis (sicut pisces Gen. 1. 22.) sed super terram Gen. 1. 30. nec vocantur aves maris seu aquæ Gen. 1. 96. cum Ps. 8. nec degunt in illo elemento aut proximam cognationem cum illo habent: quod tamen Deus in operibus trium dierum observavit, ut quælibet in proprio suo loco produceret. Pererius contrariam sententiam cum exceptionibus suis satis egregiè refellit; & originem ejus apud patres & Scholasticos refert ad incommodam versionem latini Interpretis: cum in textu hebræo, & Targum longè aliter habeatur. Posset addi, accentum Atnach. in textu, adhæc paraphrasin Arabicam, & comentatores Rabbinos favere huic sententiæ. Sed tanti non sunt, nec ita hanc rem urgemus. Suffecerit ostendisse, sine necessitate non raro laqueis se induere Doctores, nonnunquam inde opinionum decreta procudere, à quibus postea se nec expedire possunt, nec forte alios expedire volunt: ne Ecclesia, hoc est, ne ipsi videātur alicubi tam oscitanter scripturas legisse, aut tam pueriliter impegisse. 111 An pisces sint imperfectiores aliis animalibus. Resp. Affi. Scholastici, & recentiores: apud quos videor mihi observare istas rationes. 1. *quia* dicuntur reptilia ἐρπετὰ. Ref. sed in hebræo est שרץ quod latiorem habet significationem Exod. 1. Psal. 105. 30. Levit. 11. 29. Nec fugit hoc Pererium pag. 182. 2. *Quia*, totum genus piscium est oviparum: sic Cajet. Ref. Multi pisces sunt vivipari, ut pristis, balena, vitulus, delphinus &c. 3. *Quia*, carent memoriâ: sic Basilius. Ref. Sed contrarium docet experientia, & solidè probat Augustin. lib. 3. de Genes. c. 8. & Perer. pag. 179. 4. *Quia* habent organa & membra obscuriora: quam scil. alia animalia perfecta; nam insectis pleroque perfectiores esse indubium est. 5. *Quia* habent obtusiores sensus; & consequenter minus sunt dociles: plerique scil. 6. *Quia* habent imperfectius *temperamentum corporis: quod ex eo patet, quia præbent exiguum alimentum: & ideo qui volunt jejunare & corpus affligere, solent abstinere ab aliis animalibus, & comedere pisces.* Sic Becanus cap. sæpius cit. Cui exhibeo non minus profundam quæstionem Baranzani, qui digl. cit. disputans aves æque ac pisces ex aqua productos, illudque probans ex magna inter utrosque convenientia, sic sibi objicit: *Dices, cur ergo tempore quadragesimali permittantur pisces, prohibentur aves? At quid me interrogas? Interrogabo ego te, Cur diebus Veneris & Sabbathi permittuntur ova, lac, & caseus, non pullus, vitulus, & caro, cum tamen idemmet cibus, qui in lac, caseum, ovum convertit quoque possit, & sæpe convertatur in pullum, carnem, ac vitulum? Non prima origo consideranda sed originatorum qualitas ad conversionem sequens.* Sed, dicimus ab Ichthyophagis, & maris accolis in Norwegia, Lappinia &c. qui piscibus absque pane; & in Hollandia, qui plerumque piscibus

ſed cum pane ſe paſcunt, quærendum eſſe, an nõ homines laboris parientiſſimos, adhæc pingues & nitidos bene curata cute iſtic commonſtrare poſſint. Ne quid dicam de monachis Carthuſianis, omnibuſque abſtinentibus quadrageſimalibus in papatu. Lævinus Lemn.lib.2.de occ.Nat. mirac.c.36.docet, homines ad libidinem incitari eſu piſcium: præterquam quod palatum, & gula Apiciorum ſæpe magis iis irritetur, quam aliis carnibus: ut conſtat ex Plutarchi ſympoſ.& Athenæi dipnoſoph. 7. Interim non negamus piſces eſſe imperfectiores, & cibum hominibus præbere frigidiorem ac humidiorem: (De quo Medici;& Sennert. Inſtit. lib.4.part.1.c.3.) ſed hoc nihil ad ſcopum principalem inſtituti carnis privii, qui prætenditur. IV. An aqua ad creationem piſcium paſſivè tantum, an etiam activè concurrerit? Reſp.Pr. aff. cum Pererio. Huc analogicè applica quæ diximus de germinatione plantarum. *Rejicimus, opinionem Auguſtini lib.3.de Geneſ.c.4. quod piſces hoc die non ſint actu creati, ſed tantum cauſaliter, ſeu potentialiter.* Ref. ex v.20. 21. *Deinde, ſi nunc non ſunt creati, non pertinent ad hexaëmeron: nec poſtea creari potuerunt: quia repugnat Geneſ.2.1.2.* V. An terreſtribus aquatilium numerus major, & quod ad ſpecies, & quod ad individua? Reſp. Aff. teſte experientia, & ſapientibus in hoc genere, Ariſtot.lib. 3. de Generat. animalium c. 11. & Plinio lib. 9. cap. 2. & non male convenit cum Geneſ.1.20. cum Pſal.104.25. VI. An in iſtis ſint majora, quam in illis; Et an terreſtria ab aquatilibus ejuſdem nominis & robore vincantur, & magnitudine. Reſp. pr. Aff.& probat *tum* experientia, quæ docet maximum in terreſtribus eſſe elephantum (atqui ille cum cetis comparari nequit:) niſi forte ipſo majores nonnulli dracones, ſi vera ſunt, quæ habent Plinius lib. 9.c. 12.13. 14. Ælianus lib. 15. cap. 21. Olaus Magnus lib. 21, c. 44. *tum* conſenſus ſapientum apud Plinium lib.9.cap.30. & lib. 32. c. 1. authoreſque ibid. à Dalecampio cit. *tum* etiam ſcripturæ Geneſ.1.21. cum Ionæ 1.17. Pſal. 104.26. Iob.41. Ezech.32.2. Pſal.149. 7. Poſter. aff. & probat experientia; ſi quis conferat cum Oppiano (lib.5. halieutic.) teſtudines, canes, panthæras, hiænas, arietes. VIII. *Probl.* Quid de anſeribus in Scotia, de remorâ, & ſimilibus ſtatuendum. *Reſp.* Valde dubito de fide eorum, qui illa referunt. Siquidem anſeres illi ita generentur; oportet in arbore eſſe ſeminarium aliquod. An remoræ fabula non ſit aurea legenda Plinia-na, vehementer dubito. Interim videri poſſunt *Bodinus, Ionſtonus, Nierenbergius* lib.3.c.5. Imprimis de remorâ Voſſius lib.4.c.11. Cauſam manifeſtam hujus effectus, quam ibi adfert ex Rondeletio, admittat, qui volet: ego hactenus malim dubitare. De torpedine quæ ibidem adfert alterius ſunt generis. Agit enim animal in animal; non vero animal in ligneam navem.

navem. Sed hæc quod ad Theologiam non tanti sunt. Majoris momenti, quod sequitur. IX. *Probl.* An inter aves detur pellicanus, qui pullos mortuos sanguine suo consparsos vivificet; & phœnix, qui unicus sit in mundo, & sexcentos annos cum vixerit, seipsum comburat; ex cujus cineribus, alius denuo enascatur. Resp. fabulæ; quæ cum adhibentur ad tuendam fidem resurrectionis, insigniter illam mihi videntur obscurare. Sequeretur enim dari naturaliter regressum à totali privatione ad habitum, atque adeo à morte ad vitam. Fateor historicos naturales Plin. lib. 10. cap. 2. & Ælian. lib. 6. c. 58. Oppian. Philostrat. Herodot. Epiphanium physiolog. c. 8. 11. id testari; Patres etiam & oratores sacros, inde amplificationes suas ditasse. Quin & ex recentioribus Theologis nonnulli, inter quos & Zanchius videtur fabulam de *Phœnice* admittere lib. 7. c. 1. pag. 588. autoritate patrum (quos ibi citat) adductus. Et Ribera in Iob. 19. 24. & 29. 18. ubi quamplurimos patres citat. Eosdem, aliosque patres & autores ut & loca scripturæ juxta versiones quasdam vide notata apud *Corduã c.* 7. & Hoeschelium in notis ad Origen. c. Celsum, p. 484. & ad Photium p. 940. & *Consalum Ponce de Leon in scholiis ad Epiphanii Physiologũ*: ubi tamen p. 33. histor. pellicani pro fabula habet: *Quare verius puto, hanc Pelicani figurã rostro pectus suuciantem ac supra pullos sanguinẽ instillantem, pro arbitrio pictorum hucusque nobis exhibitam, nec ullam hujusce naturæ avem usquam esse: partimque ex Æliani loco de pietate ejusdem avis in filios, partim ex Horo, qui vulturem scripsit femora sauciare, & ex fluenti sanguine pullos pascere, hoc omne fuisse effictum. Quod & Hebræorum sententia comprobatur, qui fatentur ingenuè, nescire se quæ avis sit pelecanus. At liberum esto (quid enim impediamus?) & inventis pro libito uti, & nova (si cui placuerit) etiam addere.* Nolim tamen probare quæ ibidem sequuntur: *Nulla est in suggestis anagogia hac frequentior, in excusis autem homiliariis tertio quoque verbo; quin & ipsis templorum, suburbium ac rusticanorum prædiorum parietibus, post Christum crucifixum Pelecano proximus datur locus, ut notissimæ scil. redemtionis nostræ adumbrationi. Bene quidem: Christo enim Salvatori mirifice prædicta hujus avis natura convenit. Nec multum interest, si de illius veritate dubitetur.*

Sed ubi nunc phœnix? quis eum vidit? Cur illi qui Arabiam incolunt, & qui eam describunt tale nihil produnt? Et quis hominum 600. annos vitæ ipsius observavit. Idem de pellicano quærendum. De Phœnice pleniſſimè disserit Cordua didasc. mult. cap. 7. Quem vide: & prudenter Nierenbergius lib. 1. cap. 15. *Iactatur, An phœnix illo ingenio quo narratur, verè sit in censu naturæ. Turba semper savit, artifex fabularum; Doctores dubitarunt. Ratio probabilis resistit non levibus fundamentis ex penu ipsius naturæ. In hac lite noster obtutus adigendus sequester: qui si alitem unicum in universo vidisset ex cinere suo recreari contra omnem rationem, & re-*

pugnantiæ ſpeciem, extemplo aſſentiremus. Majora miracula naturæ credimus, & ſunt: at quia impoſſibile eſt, omnia, quæ in univerſo patent, uni patuiſſe, cum ejus omnes partes nondum viderimus (erat enim neceſſe cunctos ſcrutari priùs angulos orbis, ut aſſeveretur unica iſta avis) quia etiam funus illud vitale, & cærimoniam moriendi nemo hactenus vidit, nemo fide dignus narravit vidiſſe quod videri poſſet, credendum non eſt. Etſi nulla ratio contra eſſet, ſatis jam damnavit ſenſus, quod nemini comparet. x *Probl.* De aquilæ juventa an quid credendum? Reſp. omnino, cum id habeat Pſal. 103.5. Quæ autem & qualis illa juventus docent ibid commentatores, inter eos Lorinus, & Franzius in hiſtor. animalium. Qui videndi. x1. *probl.* An piſcibus tribuenda ſit caro propriè dicta. R. Aff. Cum enim carnem vulgo diſtinguant anatomici (vide Batholin. p. 8. lib. 5 c. 1). Et Laurentium) in glanduloſam, viſcerum, quæ παρέγχυμα dicitur; cujuslibet partis peculiarem, quæ proprio nomine caret, muſculoſam, quæ propriiſſimè caro dicitur: negari non poteſt quin etiam quævis & quidem propriiſſime dicta piſcibus competat. Quod probatur 1. Ex apertis ſcripturæ teſtimoniis 1. Corinth. 15.51. Numer. 11.4.5.13.22. Iob. 41.v.23. ubi ceto marino caro adſcribitur. 2. *Ex* rationibus: *Primo* quia piſces cor habent, jecur, aliaque parenchymata, glandulas item, & muſculos; ergo. *Deinde*, quia ſanguis, proxima carnis materia, & cauſæ carnem procreantes piſcibus competunt; ergo. 3. *Ex* conſenſu phyſicorum & Medicorum. Vide Ariſtotelem libr. 8. hiſtor. animal. c. 2. & 3. & 18. & lib. 9. c. 37. & lib. 3. c. 2. & de part. animal. lib. 2. c. 8. Hippocratem lib. 2. de victus ratione ſect. 4. & Galenum lib. 3. de facult. aliment., vbi dicit optinam eſſe carnem piſcium *qui in puro mari vivunt, præcipue cum ventorum procellis agitatur &c.* Cardanus lib. 7. de variet. rerum cap. 38. ubi p. 495. *echinis proprium eſt carne carere: nam & piſces ſuam habent carnem.* Confer & Atheneum lib. 7. & 8. ubi multa de piſcibus. Hinc ergo conſtat non tantum popularem errorem in Papatu de piſcium uſu tempore carniſprivii, omni rationi repugnare; ſed & ipſum jus canonicum de conſecr. diſt. 4. c. 32. *carnem*: quaſi ſcil. piſces non eſſent caro. Ipſi eorum Myſtæ vi veritatis adacti carnem piſcbus tribuunt. Durantes lib. 6. rationalis, rubrica 7. Bellarmin. lib. 9. de bon. oper. c. 4. Nierenbergius lib. 7 hiſt: natur. c. 19. ubi titulus capitis eſt, de *carnibus piſcium*. Confer quæ monent Medici diætetici & *Voſſius lib.* 4. *cap.* 22. *cap.* 31. *&c.* de piſcium carnibus minus aut magis ſalubribus, ſapidis &c. x11. *Probl.* An rationes allatæ apud Plutarchum lib. 4. ſympoſiac. probl. 4. probent theſin ibidem propoſitam: *juſtiſſimum eſſe obſonium quod è mari petitur.* Reſp. Non video cur ad Pythagoricas ſuperſtitiones referri non poſſint. x111. *Probl.* Vnde fit ut de piſcibus cetaceis aliquando du-

do dubitatum, an tempore carnis privii iis vesci liceret; teste *Rondeletio lib.16.de piscibus cap.1.* Resp. Quod ob magnam eorum cum terrestribus convenientiam, piscibus strictè dictis aliquando opponantur; ut ibidem habet Rondeletius. De iisdem sic Bellonius lib.1. de aquatilibus cap. 3.p. 4. *Ita comparatum est à natura piscium generi, ut quos præter cæteros majores, ac sanguine præditos efformavit, eos ad terrestrium animalium imitationem non carnibus atque ossibus modo communierit, verumetiam reliquorum more coire, ac vivos fœtus edere voluerit.* De aquatilibus amphibiis idem dubium à superstitiosis moveri posset, & aliquando motum dicitur; atque exemtum baptismo lutræ, hac formulâ, *Fiat piscis.* XIV. *Probl.* Quod piscis genus videatur fuisse ille à quo deglutitus Ionas? Resp. Conjicit *Vossius lib. 4.c.7.* fuisse λάμνλω *lamiam*, cui tam vastus oris rictus ut integrum hominem, & quidem loricatum deglutiat. Idem censent *Rondeletius lib.13. c.12.* Aldovrandus *lib. 3. de piscibus cap. 32.* & ex iis *Pineda de rebus Salomonis lib.4.c.12. Corn. à Lapide in Ionæ 2.v. 1.* quem videat, cui vacat. XV. *Probl.* An nefas sit ciconias in cibum aut alios usus hominum juxta cum aliis parare? *Resp.* Ita quidem popularis superstitio ferre videtur; quæ forte occasionem sumsit ex eo, quod antiquitus in Thessaliâ quæ multos habuit serpentes, capitale fuerit lædere ciconiam. Sed imprimis arbitror stolidam legem Papæ Zachariæ superstitionem hanc ingeneravisse, qui corniculas, graculos, ciconias, etiam lepores & fibros, *omnino cavenda* statuit ab *esu Christianorum.* Vide Concil. tom. 2. epistolam Zachariæ ad Bonifacium. Pythagorica hæc superstitio fuit; & similis fere Orientalium & Græcorum, quibus antiquitus religio erat delphinos comedere, apud *Atheneum lib.7.* ubi de pompilo & delphino; & *Oppianum lib.5. halieutic.* ubi capturam ejus vocat ἀποτρόπον *abominandam.* Hieronymi tempore similem abstinentiam viguisse, nec ab eruditis correctam, constat ex verbis Hieronymi lib. 2. contra Iovinianum: *Si omne quod movetur, & vivit, ad vescendum factum est, & præparatum gulæ: respondeant mihi, cur elephanti, leones, ursi, cur viperæ, scorpii, cimices, culices, puliceque; cur vultur, aquila, corvus, accipiter; ceti, delphines, phocæ, minutæque cochleæ sint?* XVI. *Probl.* Quid de cantu emortuali cygnorum? *Resp.* Vulgari credulitate non tantum, sed & eruditorum complurium suffragiis θρυλλούμενον hoc decantatum fuit, & in proverbium abiit & rhetoricationes patribus & oratoribus ecclesiasticis etiã avidè usurpatas. Vide quæ congerit Talantonius in variar. & reconditar. rerum thesauro lib. 3. cap. 11. Sed credulitas illi inter se minimè conveniunt in fabulæ hujus narratione. Cesset ergo posthâc cantus hujus amplificatio fide experimentorum *Plinii lib.10. cap.* 23. in quibus etiam acquiescit *Franzius in histor. animal. p.* 378. Addit

Talan-

Talantonius loc. cit. *Lucianum lib. de electro & cygnis. Ælianum lib.* 1. *Alexandr. Myndium in Athenæi lib.* 9. *Scaligerum Exercit.* 232. Addimus Pierium Valerianum. Raderus ad Martialis lib. 13. epigr. 72. citatis utriusque partis autoribus videtur in medio relinquere. Hodierna experientia cum sileat, non dubitandum est, quin fabulosum sit.

DE CREATIONE.

PARS OCTAVA,

Resp. LUBERTO SPRUITIO Vltrajectin.

Ad diem 27. *Octob.* 1638.

De Opere sexti diei.

1. HOC die producta sunt animalia terrestria, & homo. Illa in tres classes dividuntur *Genes.* 1. 24. 25. In *bestias*, quæ sunt fera & sylvestria: in *jumenta*, quæ sunt mansueta: in *reptilia*. De quibus omnibus quæritur. 1. An Deus omnes species tunc produxerit. *Resp. Affirm.* ex textu cit. cum *Genes.* 2. 1. 2. De speciebus adulterinis (ut muli ex equo & asino; leopardi ex leœna & pardo; lyncis ex lupo & cervo; tityri ex ove & hirco;) quidam censent incertum esse an sint productæ. *Thomas* 1. *qu.* 37. *art.* 1. *Negat.* & *Pererius contra p.* 194. *putat.* in generatione istorum esse omnia naturalia, atque adeo non esse præter naturam, & consequenter sexto die creata. Quod autem Rupertus, Thomas & reliqui adversæ sententiæ patroni opponunt *Genes.* 36. & *Levetic.* 19. 19. respondetur ad prius, locum illum longè aliam posse admittere interprerationem (vid. Perer. A Lapide & Rivetum exercit. 144.) Ad posterius, non esse simpliciter vetitam diversarum specierum commixtionem, juxta Cajetanum & Hebræos. Sed de hac quæstione Scholastici ad *Thomæ* 1. 2. *q.* 102. *art.* 6. & comment. Serranus, Willetus, à Lapide ad *Levit.* 19. Franzius in histor. sacrâ animalium, videtur inclinare in negantem, ubi tamen subjicit *pag.* 319. *Porro quinque requiruntur ad aptam commixtionem brutorum si, quidem petulantia hominum non contenta est simplici naturæ cursu, excogitavit mixturas, quarum omnium auctor primus est Ana Genesis* 36. *qui reperit multos, cum pasceret asinos sui patris, id est, qui cogit coire asinum & equam, ut inde nasceretur mulus. Primo ani-*

mo animalia miscenda non debent multum discrepare in magnitudine. Non possunt misceri canis & equus, sed lupus & canis, asinus & equus, Panthera & Leo. Sic Homo nefando concubitu coit cum equis, capris, vaccis, suibus, &c. 2. Non possunt nasci bruta *ex commixtione diversorum nisi gestationis tempus in illis quæ miscentur, fuerit æquale. Ergo canis ex homine non potest nasci, neque equus ex Elephanto, quia homo absolvitur* 9. *mensium spatio, sed canis paucorum.* 3. Illa animalia quæ debent misceri, *necesse est esse etiam salacissima, ut imprimis sunt canes, vaccæ, hirci, sues, asini, &c.* 4. *Necesse est fieri mixtionem tempore idoneo, quod in plerisque est vernum. Ita à natura comparatum est, ut certo & stato saltem tempore veneri indulgeant, & pauca sint, quæ perpetuis stimulis veneris torqueantur.* 5. Necesse etiam est, ut hoc fiat ætate florescente, ubi & possint gignere semen, *illudque emittere, concipere, retinere. Hæ quinque regulæ si fuerint in promtu, non tantum sponte misceri poterunt animalia, verum etiam cogi solent à possessoribus ut misceantur, & ut inde nova species producatur.* Finis vero, cur veteres coegerint bruta, *ut miscerentur est hic: ut animalia, quæ ex tali mixtione producuntur, fiant fortiora.*

Sufficit ad determinationem præsentis quæstionis dicere, species perfectas omnes esse productas. Iam vero dicta animalia, non esse saltem tales, siquidem nolimus dicere monstra: quod inde constat, quod suam speciem non propagent. Aut enim sunt plane steriles, ut muli; aut si generant, pulli eorum in alterutram speciem inclinant; nec tertiam quandam naturam ab utrâque specificè distinctam constituunt, quamvis externa figura videatur miscella. Sic canes *illi*, quos leopardos, leones &c. vocamus; revera sunt canes; ut ut figura externa, & forte alia quædam, similitudinem aliquam leopardi aut leonis referant. 11. An producta sint animalia, quæ generantur ex putri materiâ? *Resp. Aff.* Basilius homil. 7. Distinguit Augustin. lib. 3. de Genesi c. 14. nihil vetare, si dicatur ea producta quæ generantur ex putri materia terræ, vel aquæ, vel plantarum, vel fructuum. Sed minime producta esse, quæ generantur ex cadavere aliquo aut corruptione animalium: quod tunc nullum fuerit animal corruptum. Et sic Thomas 1. qu. 72. Sed opinionem hanc merito refutant Pererius, & Becanus his rationibus. 1. quia eadem est ratio corruptionis animalium & aliarum rerum. 2. quia in principio nec ex putri materia plantarum, aut fructuum, nec ex corruptione animalium producta sunt (quod est alioquin post naturam rerum constitutam ordinarium eorum seminarium, seu semen analogicum) sicuti perfecta non sunt producta ex semine (quia nullum tale erat, non magis quam cadavera animalium) sed pariter omnia ex terra cum aliis elementis permixta fuscitata sunt; in posterum per seminaria tum univoca tum analogica propa-

ganda. Subjicio hic determinationem Valesii p.29. *Extiterunt à principio omnes rerum formæ, aliæ quidem actu, aliæ potentia; quoniam jam inde omnes, aut erant actu, aut poterant naturaliter oriri: neque quidem hoc durum videri cuipiam debet, quod in quibusdam exemplis videtur posse demonstrari cum enim sint quædam animalcula, quæ non aliam, quam ex hominis morbis, ac excrementis, generationem habent, ut pediculi, lentes, & acarus, animalculum inquam illud omnium minimum, quod scabiei est initium (aratorem vocant vulgo, & vulgares Chirurgi syronem) & lumbrici, tam lati, quàm rotundi, & ascarides vocari, & quædam alia animalcula innominata, quæ in quibusdam abscessibus, & in ossium carie reperta sunt, constat ea ab initio non extitisse: cum Adamus sine ullo morbo creatus à Deo sit, atque adeo perstiterit usque dum peccavit, quod perfecta jam mundi creatione, evenit. Itaque res quasdam vilissimas, & quæ ex putrescentia tantum fiunt, cujusmodi quæ dicta sunt animalcula, & algam, quæ putrescente aqua in lacunis gignitur, quæque sordes potius dicuntur quam res, ut inquit Arist. non dubito post exactam mundi creationem pullulasse. An vero res aliæ, quæ adeo viles non sunt, poterant tamen naturaliter oriri, ut metalla, lapides, & viventia, quæ utrunque ortum habent, ex semine inquam, & spontaneum, intra sex primos dies ornandi mundi gratia extiterint, an non, sed postea orta sint: haud habeo quod affirmem. Illud tamen mihi videtur probabilissimum, ea si in ipso mundi initio extiterunt, nõ tam creatione, quã properata generatione esse facta: nã receptissimum est illud Philosophorum axioma, naturam (multò magis Deum) nihil frustra facere.* Confer de generatione animalium ex putri materia Sennertum in hypemneatis physicis sect. ult. Et Nierēb. l. 5. c. 20. 21. III. *probl.* An in elemẽtoignis vivat & generetur aliquod animal? R. Videtur aff. Arist. l. 3. de Generat. animalium c. 11. sed, ut ex collatis loc. l. 2. de Gener. animalium c. 3. & 2. Gener. & corrupt. text. 21. ostẽdit Pererius, ex opinione veterũ. Affertur tamen chalcite lapide cremato in medio igni nasci pyrales sive pyraustas bestiolas muscis majores (referente Aristot. l. 5. hist. Animal. c. 19. & Plinio l. 11. c. 36.) & salamandrã in igni vivere. Sed supra part. 4. de hoc actum. IV. An sint Gryphes? R. Neg. cum Cardano, l. 17. de subtil. c. 97. Plinio l. 10. c. 49. Arriano hist. lib. 5. imprimis à Lapide in Levit. 12. Et Nierēb. l. 5. c. 22. Distinguint Keckerm. disp. 18. probl. 11. esse aliquod animal, sed non tale ac tantum, prout ab Herodoto, Mela, Philostrato, Alberto M. descriptum. V. *probl.* An sint Pegasi seu equi alati & Sphinges. R. Aff. Plinius lib. 8. c. 21. Sed nos utramque fabulam cum Brodeo miscell. lib. 5. cap. 24. & Dalecampio ad Plinii loc. cit. negamus. Nisi de posteriori velimus dicere cum Pausaniâ in Bæoticis p. 297. bestiam illam dictã Indis martiorã, Græcis ἀνθρακάγην esse tigrim. VI. *probl.* An sit monoceros seu Vnicornis? Resp. In sacris quidem non infrequens mentio רְאֵם

ראם *reem*, quod ubique moneceros vertunt 70. gr. & tranſlatio latina vulgata Pſal.21.22.& 92.11. Iesa. 34. & ſic paſſim explicant commentaria Rabbinor. ut & noſtrorum, imprimis patrum. Sed manet tamen difficultas, an ſit hoc animal, de quo tam multa hiſtorici naturales, Plinius, Solinus, Ælianus, Albertus, Iſidorus, Franzius. Rationes ſunt. *Prima* quia ſeptem ſunt animalium genera, uno cornu munita: ut notat Dalecamp. ad Plin.lib.8.21.& 11.37.; & pluribus omnia animalia Vnicornia greſſilia, aquatilia; volatilia, reptilia deſcribit Thom. Bartholinus tract. mox citando. Si ergo alicui ex ſex aptari poſſint textus ſcripturæ æque aut melius; quam dictæ unicorni; jam cadit hoc argumentum. *Secunda*, quia Deuter.33.17. Iob.39.9. (quæ loca inter alia allegat Baccius in lib. de Vnicornu, ut probet eum eſſe in rerum naturâ) & Numer. 23. 21. & 24. 8. vulgatus interpres vertit *rhinoceros*; & ſic Aquila Iob.39. Ex quo ſuſpicatur Pineda eundem 70. gr. & Hieronymo eſſe unicornem, & rhinocerota. *Tertia*, quia deſcriptio quæ ex cit. ſcripturæ locis colligitur, convenire & aptari poteſt rhinoceroti; quem eſſe certo conſtat, non tantum ex hiſtoricis jam cit. & Strabone lib.16. Diodoro biblioth.lib.4. Oppiano lib.2. de & venatione, Pauſaniâ Eliac. 1. p. 159. & in Bœoticis pag. 297. (ubi vocat θυρεὸς ἀιθιοπικὸς) Radero, aliiſque ad Martialem; Et Pinedæ in Iob.39. Politian. miſcell. c.65. Philippo Camerario lib.1.ſuccif.c.25. ſed imprimis ex recentiori experientiâ. Fuit enim ante paucos annos viſus Madriti, Toleti, teſte Pineda loc. cit. & anno 1515. ab Emanuele Rege Vlyſſiponæ commiſſus cum elephante, ubi elephas ſuccubuit teſte Corn. à Lapide comm. ad Numer. 23. & Pineda loc.cit.Fuit & miſſus ab Emanuele ad Pontificem teſte Iovio, & Camerar. ſed naufragio periit. Tria autem ראם *reem* in ſcripturâ tribuuntur, cornu altitudo, robur, ferocia. Quod rhinoceroti convenire dicitur (& Iob. 39. convenire pluribus diſputat ibid. Pineda) dicto unicorni minime, cum in deſcriptione ejus autores non conſentiant. Poſt primam hujus diſput. editionem nuper legi Thomæ Bartholini in tract. de Vnicornu anno 1645. editum: ubi cap. 24. rhinocerotem deſcribit; ſed ferociã ejus negat. *Quarta*, quia Tertullian. c. Iudæos cap.10.& lib.3.adv.Marcionem cap.18. Gregor. M. 31. moral.c. 13. Beda in Iob. 39. Iſidorus 12. etymol. 2. 1. (quem eo nomine carpit Marcilius ad Martial. ſpectac. lib. 9.p. 90.) & Albertus Mag. lib. 22. de Animal. pro eodem ſumunt unicornu & rhinocerota. Quas rationes ſufficere arbitramur, ut liceat medicis & phyſicis ex ratione & experientiâ hodie diſquirere, *An unicornis ſit in rerum naturâ*: ne quis putet cum Andr. Baccio Medico libr.cit.& Franzio Theologo rem eſſe ibi determinatam: nec auſit propterea

contrariam ſententiam amplecti, quamvis in eam propendeat. Quod ad autoritatem patrum, ea ut in aliis hiſtoriis, ſic imprimis in naturalibus admodum lubrica & infirma eſt: hinc credulè nimis, & quia amplificationibus eōrum admodum convenire putabant, arripuerunt fabulas de Phœnice, Pellicano, Vnicornu &c. Vt autem Theologiæ ſtudioſi à cacoëthe iſto ſibi caveant, nec ejuſmodi fabulis ſaltem relationibus incertis, populum paſcendo,& ſcripturam ac res theologicas illuſtrando ſe ipſos naſutioribus deridendos propinent, ſuggerimus breviter iſtas rationes dubitandi de Vnicorni 1. quia tota hiſtoria à Plinio & Æliano, & qui illos ſequuntur abſque examine ex Cteſiâ videtur deſcripta, de cujus dubiâ fide Ariſtot.lib.8. hiſtor. Animal.c.18. *Secundo*, quia nemo ex veteribus ſcribit,ſe eum vidiſſe:ne Romę quidem in ſpectaculis,quo tamen tot rariora animalia;imprimis tempore Domitiani,Diocletiani,& Gordiani adducta. *Tertia*,quia intermediis ſæculis,ut & ſuperiori & hoc noſtro (quibus tot inauditæ peregrinationes inſtitutę, & tot rariſſima animalia Imperatoribus,regibus &c. præſertim Romano Pōtifici donata)nemo teſtatur ſe vidiſſe: Nam quod M.Paulus Venetus & Ludov. Vartomanus de monocerotibus à ſe viſis referunt,illud cum Plinii & veterum diſcriptione minime cō venit(confer *Scalig.Exere.*205).Fuerunt itaq; alterius generis animalia. *Quarta*,quia non meminerunt ejus ſcriptores,qui Africā,Ægyptum,Aſiam deſcribunt: quos tamen hoc admirādum præterituros fuiſſe, nemini fiet veriſimile. *Quinto*,quia deſcriptiones autorum modo cit. in nullo fere cōveniunt,niſi in unitate cornu.Sed in ejus ſitu,colore,magnitudine;ut& loco,mole corporis,figura, colore,& virtute illa tantū nō miraculoſa adverſus omnia venena, omnes morbos, etiam totius ſubſtantiæ aut incurabiles: magna diſſenſio eſt. Quod minime mirum, cum de re ignota loquantur, & non entis (ut opinor) nulla ſit affectio. *Sexto*, quia ex cornibus aut fruſtulis cornuum, quæ apud Magnates oſtētantur, colligunt unicornes, (qui tamen nuſquam comparent) hoc eſt ignotum ex ignoto. Nam merito quæritur: An tanta ſint cornuum iſtorum miracula? A quo, ubi, quando ea inventa ſint? unde allata? Quæ certitudo, quæ experientia,eſſe ea genuina: cum tam multiplex fraus & impoſtura hic intervenerit, teſte *Baccio & ex eo Kerckermanno diſput.18. probl.*15. Et *Anſelmo de Boot lib. & cap.mox.citando*; & Thoma Bartholino cap.27. ubi etiam cornua quæ hic Vltrajecti in templo Mariano aſſervātur inter adulterina numeranda putat: *Neque hæc*, inquit, *monocerotis exactam referunt notam. Majora quippe ſunt, quam pro merito, & candidiora, quam ab antiquis depicta veniunt.* Cordua lib. & cap.cit. cornua quæ hodie circumferuntur putat eſſe piſcis, dicti monocerotis, non vero unicornu, aut

nu, aut asini Indici, aut rhinocerotis. Et sint alicubi genuina, hoc est, valeant contra venena, aut morbum aliquem, quod Medicis judicandum reliquimus, unde quæso demonstrabitur esse cornua dicti unicornis & non alterius animalis? Certè vulgaris Medecina in cornu cervino aliisque antidota invenire videtur. Sic enim Anselmus de Boot medicus Cæsareus l. 2. de lapidib. & gemmis c. 244. *Qui itaq; cum effectu verum unicornu cupit, is sibi vel Asini Indici cornu, vel rhinocerotis, vel illud quod lardi porcini faciem repræsentat, vel etiã fossile quod prius ebur, cornu cervinũ, lignum juglandis aut fraxini, vel etiam alterius materiæ ad venena commendatæ, fuerat, & medullam linguæ adherentem, albam odoratam in vino bullientem continet, sibi procuret. Ita enim voti compos fiet, nec exigui momenti ad venena quævis habebit medicamentum.* Ibidem pag. pręced. tradit verum unicornu viribus expellendi veneni carere. Thomas Bartholinus l. cit. c. 29. satis innuit incertã esse hanc vulgo jactatam vim unicornu supra alia cornua, ut & incertã ejus per signa agyrtarũ notitiã p. 225. sic scribit: *Vnde ejus defectu Rhinocerotis cornu præscribunt: ut Ioh. Renodeus lib. 3. de med. mat. c. 21. de se testatur: Cum omnes ægroti æque non valeant opibus: debet tantum divitibus exhiberi unicornu, aliis fortunæ tenuoris cornu Rhinocerotis, ut cervi præscribo, successu non minus felici.* Idem testabatur pharmocopola Toletanus apud *Corduam in didascal. multipl. c. 9. Denique*, ut concludam, minime est probabile speciem hujus animalis esse deperditam: & cum subinde sub arena aut sub aquis, quæ sylvas inundarunt, inveniri dicantur cornua, (ut ante aliquot annos in Hollandia jactatum memini) à nemine unquam inveniri posse hunc cornigerum. An non ergo suspicari liceat, Philosopho-Theologos ob reverentiam scripturæ (sed malè intellectæ) ut & patrum: philosopho-Medicos ob honorem Magnatum, qui vel hoc cornu imprimis cornu suum in contẽtiosa thesaurorum, & ἀρχαιοτάμειων magnificentiâ efferunt, hanc fabulam ἔκοντας ἀέκοντι θύμῳ continuasse, saltem ad rigidum examen revocare vix ausos? Quod autem unicornem à nemine capi posse, sed per virginem cicurari tradiderunt nonnulli patres, & cum iis Alb. Magnus, illud cum Medicis Gesnero & Baccio explodit ipse Corn. à Lapide ad Numer. 23. quamvis generalem historiam ob reverentiam, ut opinor, modo dictam retineat. Alterum illud de duobus cornibus Monocerotis, & crucis figura per ea repræsentata alibi expendam in disp. de Cruce; & Cornel. à Lapide & Ribera loc. cit. conciliandum relinquo. Hæc hactenus cum anno 1639. in prima hujus disp. editione scripsissem, incidi in Fernandi Corduæ didascal. cap. 9. qui non pauca de unicornu ex autoribus notavit: ipse autem dubitanti magis similis videtur, quam credenti. Vidi etiam tractatum de Vnicornu nuper (anno 1645.) editum

à Thoma Bartholino, ubi ex professo & nominis & rei luculentâ descriptionem exhibet, & probare conatur esse unicornu, ex autoritate, & rationibus cap. 25. & 26. Tres autem cum disceptantium sint sententiæ, duæ extremæ (quarum affirmantem Baccius, negantem Marinus pecul. tract. tuentur); tertiâ mediam seu limitatam à parente Casparo Bartholino antehac defensam ipse amplectitur: ut & Anselmus de Boot cap. cit. Qui ibid. cap. 241. 242. 243. agit de cornibus fossilibus, quæ pro monocerotis venditentur. De iisdem aliisque affinibus multa Batholinus lib. cit. qui ob variam ac multiplicem eruditionem lectu dignissimus est. An autem persuaserit esse celebratum monocerotem, lectoris arbitratui permitto. Ego nondum video, cur non minus liceat de eo dubitare, ac de Phœnice, quem cap. 94. p. 164. pari passu cum monocerote ambulare facit. VIII. An sit basiliscus? Resp. occurrit צפע & צפעוני Iesa 11. 8. & 14 29. Ierem. 8. 17. quod vertunt basiliscum; colligitur enim ex circumstantiis textuum esse genus serpentis venenatissimum. Sed hæc non juvant fabulas Plinianas lib. 8. c. 21. de catoblepa, basilisco, qui solo aspectu aut sibilo necat, qui erectus incedit, qui frutices afflatas perdit, herbas exurit, saxa rumpit &c. Non esse tamen fabulosa omnia, quæ narrantur, de basilisco exemplis allatis ostendit Scaliger Exercit. 246. Quid sit de visu eorum, & quomodo occidant, docent physici tit. de *Visu*, de *Venenis*, de *Serpentibus*. Geographus Arabs Nubiensis meminit magnorum serpentum, qui solo aspectu interficiant part. 4. clim. 1. unde & terram illam dicit vocari *terram serpentum*. *Basiliscus* seu *regulus* occurrit Psal. 91. Iesa. 11. & 14. &c. juxta interpretationem 70. gr. & vulgatam latinam. Esse talem serpentem testimoniis interpretum, patrum, physicorum & historic. naturalium antiquorum & recentiorum (inter quos ἀυτόπται Mercurialis & Mathiolus, à Lorino cum reliquis omnibus notati in commentar. ad Psalm. 91 v. 13.) probari videtur. Sed an vera sint quæ vulgò de ejus ortu ex ovo galli gallinacei excluso per bufonem deque ejus viribus referuntur, dubitat ibidem Lorinus. De orru ex ovo galli excluso per bufonem affirmat *Encelius de re metallicâ*, experientiâ id testari. Idem credidit *Cardanus*. *Lemnius lib. 4. de occult. naturæ miraculis cap. 12.* negat basiliscum Aphricæ aliisque præustis ac siticulosis regionibus peculiarem serpentem ex galli ovo nasci. Interim galli ovum non negat. *Ego* (inquit p. 402.) *ex conglobatâ intus concreatione putri, ac calore alitis circumfusa testa tale quiddam provenire imaginor, præsertim cum à concumbendi usu & consuetudine desuescit; tunc enim excrementum intus cohibitum coagulatur atque indurescit in ovum, quod ubi vel ab ipso gallo, vel alio animante foveri contingit, venenatus ex eo vermis, aut alia quædam virulenta bestia produ-*

citur

citur, quam Basiliſci nomine deſignant, quod ſerpentis genus Aphricæ aliiſque præuſtis ac ſiticuloſis regionibus peculiare. Vt autem lumbrici & vermes humanis corporibus innaſcuntur, atque ex humorum putredine, caloris beneficio animantur ac vivacem agilitatem concipiunt; ut veſpæ, ſcarabei, erucæ, muſcæ ex ſimo bubulo, aliiſque putridis humoribus enaſcuntur: curculiones in tritico, teredines in ligno glande, nucibus avellanis, caſeo, caloris atque ambientis aëris miniſterio ſcaturiunt: ſic ex hoc ovo venenoſus vermis, aut alterius generis nocens menſtroſaque beſtia Baſiliſco non abſimilis erumpit, quæ contactu, afflatu, halitu, expiratione, ſibilo obviis infeſta ſit atque exitioſa. Sic ex ſpinæ humanæ putrefacta medulla anguem progenerari memoria proditum eſt. Hæc probat Nierenberg. lib. 6. cap. 20. Ita ut communis illa & popularis Europeorum, imprimis etiam Belgarum noſtrorum opinio fabulis niti dicenda ſit. Quod autem ſolo ſibilo & aſpectu necare dicitur, illud aut fabuloſum eſſe, aut ſic accipiendum docent recentiores phyſici; cum diſputant, An viſus fiat emiſſione, quod halitis venenati ex apertis corporis, imprimis ex oculis effluentes noceant, non vero ipſa viſio activa aut paſſiva. Sed luculentius hujus rei cauſas explicat Lemnius loc. cit. pag. 403.

Quod autẽ vulgus exiſtimet, ac ſerio ſibi perſuadeat in noſtris regionibus tã pernicioſum nocentemque ſerpentem aliquando produci bufonis incubitu, ac nonnunquam in ſubterraneis antris ac ſpecubus Baſiliſcos inferre mortem hominibus, ſiquando in ea loca ſe conferant, anile cenſeo, cum halitus viroſi pædor, ſitus, graveolentia, ſœditas, quæ à tetris horridiſque locis emanant, ſpiritum intercipiant, atque hominem nonnunquam ſtrangulent, quod etiam aliquando venenatas beſtias quæ in hujuſmodi latibulis deliteſcunt, perficere non eſt quod quis ambigat. Præter autores à Lorino cit. vide *Lemnium*, loc. cit. & Voſſium l. 4. cap. 52. & 56. & *Nierenbergium* loc. cit. qui duo obſervant multa commenta admiſceri hiſtorię baſiliſci, quæ ibidem enumerant.

XI. *Probl.* An ſint Dracones, & quidem alati? Reſp. Pr. aff. ex Apocal. 20. verſ. 2. qui tamen peculiarem ſpeciem non conſtituunt, ſed ſunt ſerpentes annoſi, & aucti. De eorum magnitudine, robore, aliiſque adjunctis vide Plin., Franz. in hiſtor. anim. & *Pinedam* in Iob. 13. Poſt. aff. Solinus c. 35. Scalig. Exerc. 189. Ex ſcriptura pro ſerpẽtibus alatis adferunt Ieſ. 14. 29. & 30. 6. Et ſic accipiunt commentator. apud Corn. à Lapide. Rabbini tamen aliter: *Genus eſt ſerpentis* (inquit R. Sel. Iarchi ad Ieſa. 30. 6.) *non quod ſint illi alæ ad volandum, ſed quod procul* קיפין ומרלן id eſt, ſubſiliat: ſeu inſiliat. Et ſic R. D. Kimchi in Ieſ. 14. 29. Notãdum in hebræo eſſe vocem שרף *ſaraph*, quæ nõ ſignificat draconem, ſed πρηνῆα ſerpentem ignitum ſeu urentem, quales Numer. 21. 6. 8. cum Deuter. 18. 15. Et abundant in deſertis Arabiæ. Dici puto preſteres ut & dipſades ab effectu:

quam-

quamvis R. Sel loc. cit. dicat eos ex ore ignem efflare seu vomere, & draconis igni vomi in Scotia an. 1558. exemplum adferat Leslæus in descript. Scotiæ & ex eo à Lapide in Num. 21. Sed in θυμιατίω illo naturali, majoris experientiæ testimonium requirerem. De dipsadis & hebr. *Zimmaon* etymologia vide Vossium lib. 4. c. 53. Draconibus olim numen aut divinum quid adscriptum, & diabolum ac magos per serpentes, & dracones solitos fuisse homines dementare, aut maleficia sua exequi, disces ex iis quæ collegit *Fr: Fernand. Cordua in didasc. cap.* 1. Et Raynoldus in prælectionibus ad libros apocryphos, quod opus longe eruditissimum aliquando legent studiosi. Conferantur & Vossius lib. 4. cap. 45. Nierenb. lib. 12. c. 37. x. *probl.* An dentur elephanti, quales describunt Plinius, Ælianus &c. & ex omnibus Lipsius centur. 1. epist. & post illum pluribus admiranda elephanti persecutus est Nierenb. l. 9. c. 84. usq; 93. Resp. Non pauca admisceri fabulosa, sacris literis, rationi, experientiæ repugnantia: qualia imprimis de sermone & scriptione elephantum. Nam hoc est attribuere illis rationem, cum mutuo se comitentur λόγῳ ἐνδιαθέτῳ & προφορικῷ. Vt ex Physicis, & Logicis ad Aristot. l. 1. de interpret. tyronibus notum est. Hinc eleganter lingua Syriaca & Arabica animal brutum seu irrationale vocat חרש *chareſch, charaſch,* id est mutum. Sic enim interpres uterque vertit ἄλογον 2. Petr. 12. & oppositum ejus τὸ λογικὸν vertunt בעלא & מילא 12. c. 1. & Arabs Genes. 2. 7. in *animam loquentem,* id est, rationalem. Cum quo convenit phrasis Belgica: Een stom vel een dom beest. Et exserte scriptura ut brutis ratione Ps. 32. Iob. 39. sic & sermone negat 2 Petr. 2. 16. Si quid autem simile alicubi accidit, id naturæ aut nobiliori phantasiæ elephantis non est tribuendum, sed operationi diabolicæ; ut loquela canis Simonis Magi; & psittaci illius qui respondebat Pontifici, cujus alibi meminimus, & similia multa, qualia de Apollonio Thyraneo Philostratus lib. 4 c. de Dracone Expidaurio Romam allato refert Valer. Max. lib. 1. c. 8. Et quæ *Porphyrius* de sermone brutorum, cujus etiam meminit *Angelus Rocca* in biblioth. Vaticana p. 304. 305. Vide Origine, c. Celsum mox citandum. Confer Vossium lib. 3. cap. 44. *Denique* scriptura Iob. 40. cum sub nomine Behemot elephanti admiranda describit (nam de diabolo cum plerisq; patribus & Pontificiis exponere ineptum est; fatete id etiam Fr. Georgio tom. 5. Probl. sect. 2. p. 108. aliisque à Pineda notatis, qui idem operosè singula elephanti applicat: ut & de serpente, cum Bustamantino ibid. apud Pinedam refutato: ne quid dicam de immensa illa bellua Rabbinica apud Mercer. in Iobum, & Buxtorf. synag. Iud. c. 36. p. 536. *&c.* 1. pag. 29.) aliquot istorum saltem meminisset. De sermone asinæ Bileami recte notant comentat Cajetanus, A Lapide &c. ad Numer. 22.

mer. 22. eum fuisse miraculosum formatum à Deo aut angelo in ore asinæ; quem ipsa tamen non intellexerit. XI. *Probl.* An serpens *Genes.* 3. fuerit verum animal; & quale Serpentis genus fuerit; *Resp.* *Aff. pr.* cum *Pererio* apud quem probatum vide, ut & apud *VVilletum*, & *à Lapide in commentar.* *Ad secundum*, de quo variæ antiquæ & recentiores conjecturæ apud *Perer.* & *A Lapide loc. citat.* dicimus docte ignorandum: quod etiam sentit *A Lapide.* XII. *probl.* An serpens ante lapsum pedibus, aut saltem erecto incessu fuerit præditus? *Resp. N.* cum recentioribus contra *Basil.* & *Didym.* Est enim incessus, quem nunc habet, illi naturalis: sed post lapsum factus fuit infamis, abominabilis & invisus homini, & quasi in signum seu monumentum pœnæ & detestationis peccati: Quomodo Iris, quæ erat ante diluvium, facta est in signum fœderis. Cui exemplo perperam addit A Lapide ad Genes. 3. 14. *mortem*, *quæ homini erat, quasi naturalis, sed post ejus peccatum cœperit illi esse pœna peccati.* Quod de incessu dicimus, idem de comestione pulveris intelligendum est. Nec est prætereundem à nonnullis nostrorum addi hanc differentiam; quod incessus super ventrem in statu integritatis non fuerit serpenti tam molestus, ac post lapsum. Sic fere de labore hominis & cultu terræ distinguitur *Genes.* 3. *v.* 17. coll. cum 2. 5. 15. XIII. An serpenti aliisque animantibus in Paradiso sermo tunc fuerit naturalis, ut vult *Fl. Iosephus* & *Basilius*, (quod fabulis Platonicis consonat, apud *Euseb. præpar. Euang. lib.* 12. *c.* 9.) an vero ad tempus facultas loquendi & intelligēdi illi indita sit; ut vult *Ephrem* apud *Bar Cepha lib. de Paradiso*? *Resp.* Vtrumque esse paradoxum, Sic *A Lapide*, *VVilletus* &c. XIV. An ante lapsum fuerit naturalis antipathia inter hominem & serpentes? *Resp. Aff.* quod ad potentiam, non vero quod ad actum: fuit enim tunc per gratiam & privilegium dominii hominum in animantia cohibita, postea permissa exire in actum. Sic fere *Pererius*, *VVilletus* aliique commentat. ad *Genes.* 3. XV. *probl.* Cur diabolus hominem tentavit in specie serpentis potius, quam ovis aut asini. *Resp.* Non liquet: & nullius momenti censemus esse rationes ab *A Lapide* allatas ad *Genes.* 3. 1. XVI. *probl.* An verum sit, quod ex Aristotele afferunt, salivam hominis cruciare serpentem, etiam, si fauces ejus tangat, necare; eundem statim interire, si caput ejus nuda mulieris planta prematur, quod habet *Rupertus*; adhæc venenum deponere cum petit potum, ut vult *Epiphanius*; & serpentem supra omnia animalia odisse hominem; denique moveri & affici supra omnia animantia incantationibus &c. *Resp.* Pleraque fabulosa esse; reliqua incerta aut non absque limitatione accipienda. Videndi de his Historici naturales; & *Pererius lib.* 6. *comment. in Genesin.* XVII. *probl.* An ex *Psalm.* 58. 6.

ſtatuendum, aſpidem obturare aures contra incantationem. *Reſp. Aff. Lorinus in commentar. ad pſ.* 58.; *& Franzius hiſt. animal. p.* 726. Et plerique interpretes; & *notæ Biblior. Belgicor. Negat Valeſius in Philoſoph. ſacra, cap.* 3. Vide & *Turnebium lib.* 15. *adverſar. cap.* 5 *& lib.* 30. *cap.* 34. Sed contra probat, ac quomodo fiat ope diaboli exponit *Raynoldus* in eruditiſſim. opere *prælectionum ad libros apocryphos.* XVIII. *Problem.* An viperæ fœmellæ mares in coitu trucident; & an in partu catuli moræ pertæſi lateribus matris perfoſſis vi erumpant; & an coëant cum murænâ. *Reſp.* Ita quidem ἱστορικῶς naturales hiſtorici *Plinius*, & *Ælianus*, quos ſecuti inter alios nonnulli ex patribus; & inde ſucceſſivè inſervierunt illæ fabulæ oratoribus eccleſiaſticis.. Sed quia fabulæ ſunt, prudentius ab iis abſtinendum cenſeo. Vnde autem orta ſit fabula indicat *Voſſius lib.* 4. *c.* 52. Quem cum fructu videant, quibus vacat. Imprimis operosè & doctè de his fabulis diſſerit *Fr. Fernand. Corduan. cap.* 12. Vbi hiſtoricis, & patribus hanc opinionem ſecutis, rationes, autoritates, & experientias omni exceptione majores opponit. Videant illum, ſi qui penitus hæc noſſe cupiunt. XIX. *Probl.* Quid de charadrio ſerpente apud *Epiphanium in phyſiologo pag.* 98. *Reſp.* Puto eſſe fabulam. De ave iſtius nominis *Voſsius lib.* 5. *c.* 88. XX. *Probl.* An chamæleon ſolo aëre paſcatur, & quoſcunque colores induat. *Reſp.* ita quidem vulgo jactatum, & rhetoricationibus oratorum frequentatum. Sed fabulam eſſe ex frequenti experientia monent *Ioh. Heſronita & Gabriel Sionita in tractatu*, quem ſubjungunt *Geographo Arabi Nubienſi cap.* 9. XXI. *Problem.* Quid de bombycum reviviſcentia ſtatuendum. *Reſp.* evenire tale quid comprobatur quotidiana experientia. Vide *Libavium*, apud *Ionſton. in Thaumatograph. lib.* 1. *pag.* 377. Et *Voſſium lib.* 4. *cap.* 66. Sed non eſt dicendum eſſe illic regreſſum à totali privatione ad habitum, ſeu reſurrectionem ejuſdem numero; ſed novam generationem æquivocam ex putri materia, hoc eſt ex cadaveribus bombycum: prout & animalia ex cadaveribus animalium & quidem ejuſdem ſpeciei naſci notum eſt: quamvis ſubinde non ſint vere mortua. Vide *Sennertum in hypomnem. phyſ. ſect. ult. cap.* 8. *p.* 465. Vbi tamen illa verba obeliſco notanda p. 466. *Vt nulla amplius ad vitam diſpoſitio adſit, ubi nihilominus nacta materiam anima latens priſtinum corpus format.* Atque hæc de terreſtribus de quibus curiosè quærunt Scholaſtici apud *Thomam*; & recentiores apud *Becanum*, & *Pererium*. Cur Deus non benedixerit terreſtribus & plantis, æquè ac piſcibus; & cur eodem die terreſtria & homo creata. Sed nihil hîc ſolidè præter beneplacitum Dei allegari poteſt. Præterquam quod prior quæſtio ſumit, quod non conceditur:

Deum

Deum non benedixisse, quia Moses hoc non scripsit. Vtilius inquiritur de Animalibus mundis & immundis, de Esu sanguinis animalium ad *Genes.* 9. Et quomodo se stiterint Adamo, ut nomina illis imponeret *Genes.* 2. & Noacho, ut in arcam adduceret *Genes.* 7. De quibus commentat. ad loca cit. Porro quæ de speciebus, partibus, sensibus, aliisque facultatibus eorum cognosci possunt, quæque naturæ miracula in singulis speciebus, invenient studiosi apud autores à nobis ad quintum & sextum diem aliquoties cit. Inter eos de animalium naturâ in genere ordinatè varias contemplationes digessit *Nierembergius à lib.* 1. *usque ad* 9. qui legi potest cum hâc tamen cautione, ne omnia admiranda paris certitudinis esse existiment; sed ea cum judicio & delectu, rebus theologicis applicent. Sapienter de illis disserit Origenes contra Celsum lib. 4. sub finem; ex quo hæc tantum verba exhibemus, reliqua legant aliquando, quibus vacat p. 233. edit gr. lat. Hoeschelii in 4.

Sed esto esse aliquos qui ex inarticulata voce avium discentes prædicant abituras aliquo, facturasve hoc aut illud: dicemus hoc quoque dæmonas indicasse hominibus, non in aliud, quam ut eos decipiant, eorumque mentem alienent a Deo abstractam à cœlo ad terram aut etiam inferius. Porro quod ad elephantos attinet, ubi nam Celsus juramentum eorum audiverit, esseque hos nobis religiosiores erga cœleste numen, Deumque noscere. Equidem memini narrari multa miranda de hujus animalis natura & mansuetudine, nemo tamen quod sciam de elephantorum jurejurando prodidit, nisi fortasse fœdus cum homine semel initum perpetuoque servatū intelligi vult hoc nomine: quod ne ipsum quidem verum est, nam & si raro, nonnunquam tamen eos oblitos consuetudinis efferatos contra homines legimus, & ob id è dominorum sententia necatos ut inutiles. Quoniam autem mox in argumentum pietatis, qua nos illis inferiores videri vult, adducit ciconias nutricationis vicem reddentes suis parentibus: respondemus, neque hoc ex reputatione officii ciconias facere aut ratione aliqua, sed instinctu naturæ in brutis exemplum præbentis hominibus, ut pudeat eos gratiam autoribus vitæ suæ non referre. Quod si Celsus sciret quantum intersit ratione hæc fiant an natura, nunquam in laude pietatis ciconias anteferret hominibus: at ille contentiosè palmam hanc brutis asserit, producens etiam Arabicam alitem, Phœnicem in medium, post multorum annorum intervalla in Ægyptum devolantem, eoque deferentem patrem suum defunctum in globo myrrhæ sepeliendum in fano solis. Id narratur quidem, sed naturale potest esse, si tamen verum est. Quæ de animalibus in scriptura occurrunt compluria disquirit. *Fr. Georgius Venetus in probl. sacris tom. 6. sect. 6.* sed cum judicio legendus.

De Homine.

2. DE Homine, quæ Theologico-philophicè disquiri possunt referimus 1. ad essentiam & existentiam. 11. affectiones. 111. differentiam sexus. Circa essentiam considerandæ sint. 1. principia essentiæ. 2. principia existentiæ. Principia essentiæ consid. vel *Metaphysice* & logicè, ut genus & differentia; vel *Physice*, ut materia & forma humana. Resectis hic quæstionibus de imagine Dei, & statu innocentiæ, quæritur. 1. *Probl.* An homo specie differat ab angelo, idq; per formam suã, τὸ rationale scil. *Aff.* quamvis enim anima sua cum angelis symbolizet, quod ad immortalitatẽ, spiritualitatẽ, & facultates intelligendi; nihilominus per eam, seu per τὸ rationale ut sic, ab iis distinguitur. Angeli enim cũ Platonicis (apud *Alcinoũ de doctr. Platonis*, & *Prophyrium introductione ad Logicam Aristot.*) nõ sunt dicẽdi animalia rationalia: quia sunt spiritus cõpleti nec ad corpus animale ordinati. Vide *Thomã* 1. *q.* 50. *a.* 2. & 51. *a.* 1. 11. *Probl.* An ergo homo in angelum sive bonum sive malũ, & viciſſimnatura angelica in hominem transformetur. *Resp. Neg.* nec quod ad corpus, nec quod ad animam, nec quod ad compositum: corpus enim illud πνεῦμα ψυχικὸν 1. *Cor.* 15. & τὸ ἰσάγγελοι *Math.* 22. de similitudine actuum & qualitatum nõ vero substantiæ intelligenda sunt. Confer *disp. de Spectris*, & *de Dæmonibus.* 111. *Probl.* An homo in brutum aut viciſſim transmutetur? *Resp. Neg.* & quid de jactata lycauthiopia, & phrenetico ac melancholico delirio Nebucadnezaris sentiendum sit, ostendimus *Disput. de Dæmonibus.* IV. *Probl.* An plures sint species seu semi-species hominum, Præter unam? *Resp. Neg.* quod non tantum ratione, sed & scripturâ *Actor.* 17. 26. probatur. Itaque rejicimus quatuor hominum genera *Paracelsi.* Qui in *epist. ad Athenienses*, sive *de occulta philosophia* differit Deum præter homines Adami posteros, alia quatuor hominum genera, carne & ossibus, & ratione prædita creasse, eosque in singulis elementis collocasse, in terræ viscеribus pygmæos & gnomes, in aquis nymphas & undenos, in aëre silvos & melusinas, in igne Vulcanos & salamandras: & incertum adhuc esse, cui nam horum generi vera fides in Deum sit data, & via ad salutem patefacta. Sic ex eo refert *Godelmanus de Lamiis*, & *Delrio disq. Magic. lib.* 2. *q.* 27. Vide quæ *Disp. de Spectris*, & *de Dæmonibus* dicta sunt. Idem *Paracelsus* in unoquoque homine duplicem hominem constituit; de quo infra dicemus. v. *Probl.* An homo ante lapsum & post lapsum forma, specie, & proprietatibus essentialibus idem sit. *Resp. Aff.* Nihil enim substantiale, aut essentiale, aut naturale absolutum additum

aut

aut demtum. Quæ differentia fuerit in qualitatum & temperamenti ſymmetria, in ſtatura & pulchritudine, in nutritione & alimentis, in coitu & ſpeciei propagatione, in labore, in ordine & relatione ſuperiorum & inferiorum, explicandum eſt in loco comm. *de Imagine Dei.* Interim vide *Danæum part.* 1. *de Antiquitat. Mundi.* v. *Probl.* An ſint Gigantes: & diſtinctam ſpeciem conſtituant, aut ſaltem ſint monſtra? *Reſp. Poſterius utrumque Neg.* De priori dubitare nos non ſinunt *tum* ſcriptura. *Deut.* 2. & *Joſ.* 14. 15. 2. *Sam.* 21. 1 *Paral.* 20. *tum* experientia conſignata ab authoribus, qui de gigãtibus ſcripſere, *Danæus de Antiq. p.* 310. & 359. *Pererius* & *à Lapide in Gen.* 6. & 14. 5. & hic in *Num.* 13. & *Deuter.* 1. 28. & 2. 10. & 3. 13. & *Iſa.* 26. 14. *Pineda in Iob.* 26. 5. *Maſius in Joſ.* 14. *Lipſius lib.* 3. *diſſ.* 5. & ante omnes *Magius tract. de Gigantibus* quem inſeruit *miſcellaneis ſuis* ſeorſim, & cum *Theſauro Critico Gruteri* editis. Idẽ *libellus Magii* à corpore miſcellaneorum avulſus ſeorſim editus fuit in 4. Adde *Delrio in Senecæ tragœd.* & *Diſquiſ. Magic. lib.* 2. *q.* 15. *p.* 164. *Fazellus in hiſt. Siciliæ* meminit gigãtum Siculorũ; *Benjamin p.* 56. Damaſceni; *Cãbdenus* Britannorũ & duorum ſtatuæ ligneæ etiam num hodie oſtenduntur in curiâ Londinenſi: *Pomponii* cujuſdam Læti epigramma Hetruſcorum; Brabanti, Antwerpiani ſui, quem à *Goropio Becano* explodi non patitur *Delrio loc. cit.*; Hollandi cujuſdam dicti Nicolai Kiten in vico Sparrewou prope Harlemum; & alterius ruſtici ante annos aliquot orti ex Hollandia Boreali, quem cum ageret annum decimum nonum & etiamnum ſtatura creſceret, ipſe vidi Lugduni-Batavorum circa annum 1610. (ſi bene memini); alii aliorum. Sed omittendum non eſt ante aliquot annos libellum latine, & poſtea Belgice editum de oſſibus maximi gigantis in Gallia reperti, cujus ſepulcro inſcriptum erat: *Theutobocus Rex.* De gigantibus qui etiam hodie in India, & novo orbe reperiantur *Nieremb. l.* 8. *c.* 1. Sed vereor ne fabulæ ſint gigantes pæne canino vultu, roſtro & dentibus acuminatis. Adde & *Cardan. de ſubtilitat. liber.* 11. *pag.* 634. *de Varietat. rerum lib.* 8. *cap.* 40. *pag.* 527. & *cap.* 43. *pag.* 555. *Scaliger. Exercitat.* 263. *Valeſius in philoſoph. ſacra cap.* 8. Et *Lavaterus in* 1 *Paralipom.* 20. *Rhodigin. antiquar. lect. lib.* 2. *c.* 6. *Lorinum in Sapient.* 14. 6. Apud dictos autores habes citatos *Virgilium*, *Diodor. Plutarchum*, *Plinium*, *Solinum*, *Iſidorum*, *Melam*, *Herodotum*, *Philoſtratum*, *Philonem*, *Auguſtin. lib.* 15. *de Civitate Dei cap.* 9. (vide ibid. *Ludov. Vivem*) alioſque patres, *Marianum Scotum*, *Hectorem Boëthium*, *Olaum M.*, *Bocacium*, *Nauclerum*, *Surium*, *Fulgoſum*, *Majolum*, *Galeottum Martium*. Quin etiamnum hodie inveniri gigantes, oſtendunt navigationes Hiſpanorum, & ex autoribus cit. *Lipſius*, *Cardanus*,

nus, Scaliger, Pineda, literæ Iesuitarum Iaponicæ ad ann. 1555. Quæstiones non inutiles moveri hic possent; 1. *Qu.* An metaphorice seu mythologicè sint accipienda, quæ antiqui de gigantibus retulere ut videntur velle *Strabo lib.* 17. *pag. Macrobius lib.* 1. *Saturnal. cap.* 20. *Goropius, Becanus in Gigantomachia.* Peculiaris hic est opinio *Iacobi Boulduc* theologi ex ordine minorum Capuchinorum, *in tract. de ecclesia ante legem* an. 1630. edito, ubi *lib.* 1. *cap.* 8. 9. 10. contendit per gigantes in scriptura gr. γηγενεὰς nihil aliud intelligi quam בני אדם *filios hominis*, hoc est, terrenos, mundi & carnis voluptatibus affixos, sævos, superbos, impios, minime vero intelligi homines inusitata corporis mole & proceritate. Et citat pro hac opinione præter *Strabonem & Macrob. locis modo cit.*, *Philonem in libr. de Gigantibus*, *Flav. Iosephum libr.* 1. *antiquit. cap.* 5. *Chrysostomum & Damascenum in catena in Genes.* 6. *Cyrillum Alexandrin. l.* 9. *cap.* 9. *c. Iulianum* Addit istos esse, qui in mythologicis antiquorum dicuntur Diis bellum intulisse, ac è cœlo detrudere voluisse. Ab illis distinguit antiquorum Titanas, qui Noahi filii & nepotes fuerunt, quique (teste Diodoro Siculo lib. 5.) *quædam hominibus utilia invenerunt, & pro meritis apud universos mortales, immortalem honorem & memoriam adepti sunt.* Vide & confer *Danæum in antiquit. mundi modo cit.* Et *Natalis comitis mythologiam lib.* 2. *cap.* 1. *& lib.* 6. *cap.* 20. 21. *& libellum observationum ad Natalem comitem* ab anonymo viro docto adjectum, quem habet editio Genevēsis apud Samuelem Crispinum 1612. *cap. de Gigantibus.* Pergit modo cit. *Boulduc & cap.* 9., *&* 10. novem nomina hebræa *emim* Deuter. 10. 12. *Zamzummim* Deuter. 2. 20. *Rephaim* Genes. 14. 5. *Zuzim* Ibid. *Nephilim* Genes. 6. *Gibborim* ibid. *Enakim Alaphim Ramim*, passim *gigantum* voce translata, non significare corporis molem, sed pietatis & veritatis robur ac præstantiam, qua præditi fuerint sanctissimi patriarchæ primi humani generis & cultus divini propagatores. Quod operosè probat de singulis vocabulis, sed analogia textuum plerumque repugnante, imprimis *Deuter.* 3. & 1. *Paralipom.* 20. & 1. *Samuelis* 17. ubi exserte corporis moles contra *Boulducum*, & *Abulensem*, quem pro se citat, demonstratur. *Flavium Iosephum* ad partes frustra ab eo adductum constat ex *Antiquit. lib.* 5. *cap.* 2. Adde Phlegontem in Mirabilib. cap. 9. p. 79. *Messenæ ante annos non multos, ut Apollonius auctor est, dolium & lapide confectum, vi tempestatum, & alluvione copiosæ aquæ, ruptum & ex eo dolio effusum caput, triplæ ad humanum quantitatis, duos habens dentium ordines.* Et cap. 12. p. 80. *In Dalmatia quoque, in spelunca, quæ Dianæ dicitur, videre licet multa corpora, quorum costæ* XVI. *ulnas excedunt.* Et cap. 14. p. 83. *Enimvero quibus locis terra à se divulsa fuit, ingentia sunt reperta cadavera, quorum magnitudine stupefacti incolæ, non ausi ea*

loco

loco movere. indicii causa Romam miserunt dentem uni exemtum, qui pedis mensuram non attigit modo, sed etiam superavit: Et c. 15. p. 84. *Neque est huic fides deroganda narrationi, cum in Ægypto quoque locus sit, Litræ appellatus, in quibus Litris corpora istis non minora ostenduntur, non obruta terra, sed in conspectu posita*: Et cap. 16. *Sed & Rhodi accepimus ossa tanta esse, ut comparati cum iis nostri homines, sint multo minores.* Plura vide ibid. cap. 17. 18. 19. & apud *Plinium loc. cit.* Et apud *Hieronym. Magium lib. cit.* Argumenta quæ ex ratione in contrarium adfert *Bolducus* ἀναγλύφῳ laborant, nec est quod iis examinandis immoremur. 2. *qu.* An vi dæmonum seu magica producantur, ut vult *Valesius.* Et *Fr. Georg. Venetus tom.* 1. *probl. sacr. sect.* 2. ubi concedit fuisse gigantes in scriptura, sed negat ibi dici, quod ex hominibus geniti essent. Sed fefellit ipsum memoria. Vide *Iosuæ* 15. & *Numer.* 13. 3. *qu.* Quæ ergo sit proxima causa, ubi parentes non sunt gigantes; an calor & vis plastica, ex parte parentum, item an materiæ ubertas, an aëris & corporum peculiaris temperies, an cœlestes influentiæ, an vero augmentatio, & calidi atque humidi radicalis bonitas in ipso gigante. 4. *qu.* an omnes pro ratione corporis, viribus & robore excellunt. 5. *qu.* An sint gentes, seu nationes integrę, an vero familiæ tantum, & quasi gentes; an tantum singularia & rariora naturæ miracula? 6. *qu.* An sint monstra? 7. *qu.* An phantasiæ & ingenii nobilitate, cum aliis ejusdem gentis aut climatis hominibus certare queant? 8. *qu.* Vnde est, quod aut omnes, aut plerique fuerint homines violenti & truculenti? 9. *qu.* An omnes sint deformes? 10. *qu.* An hodie ita effœta debeat dici natura, ut in iisdem regionibus minus, quam solet, tam vastas corporum moles producat. 11. *qu.* Nomina gigantum in scriptura *tum* propria, gentilitia, aut patronymica, *tum* communia, quæ sint & quæ notatio, significatio, & differentia. 12. *qu.* An hodie in bello tam essent formidabiles, ac solent; & an non majoris usus sint milites mediocris staturæ? Sed decet nos esse memores instituti nostri: præsertim cum studiosis facile sit per otium & exercitii causa ex autoribus à nobis indicatis justum aliquod mellificium parare. v. *probl.* An Pygmæi sint homines? *Resp.* Pumiliones & nanos non negamus, de quibus *Cardanus* & *Delrio loc. cit.* Sed *Strabonis libr.* 18. *Plinii libr.* 7. *cap.* 2. spythamęos, ternas spithamas longitudine &c. cum gruibus belligerantes, ad mythologica, aut ad brutorum genus referimus. Confer *Rhodigin. libr.* 4. *cap.* 3. *Cardan. de Varietat. loc. cit. Agellium lib.* 9. *c.* 4. *Aristot. de histor. anim.* 2. *c.* 12. ubi eos vocat Troglodytas, *Ludovic. Vivem ad Augustin. de Civit. Dei lib.* 16. *c.* 8. Imprimis *à Lapide in Ezech.* 27. ubi Pygmæorum fabulam pluribus refellit. De reperta nanorum provincia anno 1600. in Peruvia (cujus

jus meminit *Delrio*) sic accipio, fuisse ibi homines minoris staturæ. Quod ad locum *Ezech.* 27.11. ubi Aquila, vulgata גמדים vertunt *Pygmæos* ut & Tigurina cum *Vatablo*, *Pagninus*, *Forsterus*, *Scindlerus*; Et *R. D. Kimchi exponit* אנשי מרה קטנה, id est, *viri parvæ staturæ*; quam expositionem etiam refert *R. Sel Iarchi*: ex eo staturæ brevissimæ Pygmæi certo colligi non possunt ut vult *Delrio*. Nam 1. *Hieronymus* quem hujus translationis faciunt autorem, etymon deducit ἀπὸ τῆς πυκμῆς *luctæ & certamine*. 2. *Theodotio* retinet hebræum *gămadim*, Syrus & Arabs Pygmeorum non meminerunt; Targum exponit קפוטקא, id est, *Cappadoces*. 3. *A Lapide* exponit cubitales, id est, cubitorum longitudine, gigantes scil. aut cubitantes, id est, cubitis validos, & decertantes; aut stationarios, stantes, quasi alluderetur ad עמר. Sed hæ conjecturæ nimis longe petitæ & incertæ. 5. Præstat dicere cum *Marino* & *Buxdorfio in Lexicis* esse nomen Gentis, (forte cujus urbem in Phœnicia *Plinius* corruptè *Gamalem* appellat *lib.* 2. *cap.* 91.) Et hoc convenit cum circumstantiis textus; Pygmæi autem minime. Quidquid pro illis ex *Augustin. loc. cit.* ex Nonnoso & Ctesia apud *Photium* 4. & 72. *pag.* 145. ex *Procopio lib.* 4. *de bello Gothico* aliisque autoribus modo cit. *Olao* item *Magno* & *legenda Macarii* (quorum fidem conficit & ipse *A Lapide loc. cit.*) adferri solet, nihil aliud suadent quam visos esse simios. Hæc cum prima hujus disp. editione ita scripsissem, legi postea *Geographum Nubiensem* qui *p.* 249. meminit hominum brevis staturæ, & *Nierembergium* qui *lib.* 5. *c.* 17. 18. disq. de Pygmæis, & concludit eos dari. Et *Talantonium in abscondit. rerum thesauro lib.* 3. *c.* 21. ubi utriusque opinionis autoribus productis concludit, esse pygmæos, nixus imprimis testimonio *Ezechielis c.* 27. & Ctesiæ apud *Photium in bibliotheca*. Sed hæc ruinosa fundamenta. VI. *Probl.* An sint homines dicti Arimaspi, Cynocephali, Sciapodes, & similes apud *Plinium* aliosque historicos. *Resp.* Inquirit de eo Augustin. loc. cit. & respondet *primo*: *Sed omnia genera hominum quæ dicuntur esse, esse credere non est necesse.* Postea autoritate scriptorum commotus subjicit: *Non itaque nobis videri absurdum debet, ut quemadmodum in singulis quibusq; gentibus quædã monstra sint hominum, ita in universo genere humano quædam monstra sint gentium.* Sed eo devenire non est necesse. Prior ipsius exceptio sufficit. Et si quæ hominibus similia visa sint, ea ad simios & similia animantia referenda, quod *Diodoro*, *Solino* suboluit, de quo & ipse *Augustin.* dubitat. VII. *Probl.* An dentur homines marini utriusque sexus, nominatim Nereides, & quid de fœmina illa quam in Noorthollandia prope Purmerendam & Edamum olim captam fama per manus apud nostrates tradidit. *Resp.* fabulosas esse relationes, quæ universali experientiæ, rationi, & scripturæ repugnant. *Illi*, quia

quia à piſcatoribus aliiſque perpetuo in mari verſantibus nunquam invenitur hoc genus hominum : quo ergo receſſit ? *Iſti*, quia homines, & animantia iſtius generis indigent reſpiratione, ut probant phyſici & Anatomici : atqui illa non datur in aquis. *Huic*, *tum*, quia ſcriptura teſtatur hominum habitationi terram eſſe aſſignatam *Pſ.* 115. 16. *Actor.* 17. 16. cum *Geneſ.* 3. 37. 18. *tum*, quia hoc ſequeretur abſurdum, plures homines quam octo ſuperfuiſſe diluvio Noachico : omnes ſcil. marinos, contra 2. *Petr.* 2. 5. cum *Geneſ.* 7. 21. 22. Ad teſtimonia objecta ex *Plinio lib.* 9. *c.* 5. & 32. *Alexandro ab Alexand. genial. dier. libr.* 3. *c.* 8. *Petro Meſſia in var. lection. part.* 1. *c.* 21. 22. &c. reſpõdemus, ſiquidem vere quid viſum fuerit, aut fuiſſe piſces, quales ex. gr. ſimii marini, epiſcopi, monachi, & tritones, cippæ, (de quibus *Scal. Exerc.* 226. 12.) aliiq; piſces humana forma, quos in parte Indici maris orientali plures inveniri teſtatur *Cardanus de Variet. rerum lib.* 7. *c.* 73. Et *Bellonius de Aquatilibus c.* 5. *p.* 37. 38. : aut ſpectra & illuſiones diaboli, quomodo de diis & deabus marinis Gentilium Neptuno, Tritone, Glauco, Nireidibus, Syrenibus, Najadibus judicandum monuimus *Diſp. de Spectris.* Bruta eſſe non homines ſtatuunt *Bellonius*, *Cardanus*, *Scaliger. loc. cit.* De homine marino non breviorem quinque jugerum ſpatio, apud *Pauſaniam in Phocicis pag.* 319. nemo dubitat, quin fabula ſit. Quin ipſe *Plinius* Tritonem ac Nereidas *lib.* 9. *cap.* 4. & 5. & *lib.* 34. *cap.* 11. *Ælianus lib.* 13. *cap.* 21. *Pauſanias in Bœoticis* non aliter ac belluas Marinas deſcribunt : & ſic *Dalecamp. ad Plin.* & *Alex. ab Alexandro*, quamvis nonnulla minime belluina illis attribuere videatur. *Plinius l.* 32. *c.* 11. Tritonem dicit eſſe piſcem ex genere pelamidum ſeu orcymorum, ſeu thunnorum. Recentiores etiam inter piſces numerant *Geſnerus* de *aquatil. cap. de hominibus Marinis*, *de Nereidibus*, *de Tritonibus*. *Rondeletius lib.* 16. *c.* 20. *Sirenes*, tranſferunt gr. 70. & latinus vulgatus *Ieſa.* 13. ubi in hebræo textu eſt vox תנים *tannim*. Sed illa vox ſignificat animalia terreſtria, ſcil. dracones & ſerpentes, ut ex aliis locis, ubi occurrit, & ex circumſtantiis textus colligitur. Et ſic exponunt recentiores interpretes. *Iobi c.* 20, *v.* 29. *gr.* 70. ſic habent ; ἀδελφὸς γεγονὼς σειρήνων. Sed ibi ex hebræo draconem, & rectè, exponunt recentiores, & ipſe latinus vulgatus. *Nierembergius lib.* 5. *cap.* 13. apud Ieſaiam ſirenes & onocentauros exponit dæmonas ea figura apparentes. Sirenes antiquis mythologis fuiſſe quod ad ſuperiorem corporis partem virgines, quod ad inferiorem aves, non piſces, notat *Natalis lib.* 7. *mytholog. cap.* 13. & poſt illum *Nieremberg. loc. cit.* & poſt hunc *Voſſius lib.* 3. *cap.* 94. Sed Occaſio fabularum phyſicarum de hominibus marinis partim ex ſpectris, partim ex idololatria Gentilium orta videtur : qui tanquam

numina coluerunt, ut alia animalia terrestria, volatilia, sic & aquatilia. Vide *Seldenum de DIs Syris syntagm. 2. cap. 3.* Et *Vossium de Idololatr. lib. 4. c. 51.* coll. cum *lib. 3. cap. 100.* De crocodilo Ægyptiorum numine res notissima est. Vt ad rem redeamus, nolumus negare quin forma quasi humana subinde visa sint, sive piscium genera fuerint sive monstra, sive spectra diabolica: & huc referendæ historiæ, (ex parte tamen fabulæ, ut opinor) quas congerit *Nierembergius lib. 5. cap. 14.* Quod ad piscemillum fœminam, quem in lacum (dictum Purmeram) post sævas maris tempestates anno 1403. ejectum, ibique captum narrant *annales Hollandii*, & ex illis eruditiss. *Hadr. Iunius in sua Batavia*; & *Petrus Amsterdamus in epistola ad Gilbertum* Physicum Romæ (ut referunt *Cardanus & Bellonius lc. cit.*) id quidem facile admitto: modo liceat mihi dubitare, de forma, quam fingunt & pingunt totam humanam, adeo ut nihil piscis videatur eferre: modo etiam liceat explodere tanquam fabellam sui sæculi, quiquid attexunt de muliebribus muneribus à pisce illo fœmina peractis, & humana cohabitatione cum mulieribus, aliisque rationis humanæ operibus (quamvis sermonis usu destitueretur), & insecuta sepultura Christiana (uti vulgo loqui solent) in cœmiterio; quod signa religioni edidisset, inter alia crucem honorasset. De Vrinatoribus per integram horam, immo & tres aut quatuor in mari delitescentibus apud *Alexandr. ab Alex l. 2. c. 21. & Cardanum de Subtilit. l. 11. p. 635.* dicimus illos ui tubis, aliisve instrumentis per quæ aër ad illos derivetur, aut remota aqua illos circumstet, (quod factitatum putamus ab illis artificibus, qui ante paucos annos in Belgio sub aquis candelam accensam conservabant, scribebant, canebant:) aut intercedere operam diaboli, cum tam diu delitescunt. Nam, quod *Keckerm. disp. 17. qu. 20.* putat etiam ad peculiare pulmonum temperamentum referri posse, mihi quidem est ἀπίθανον: neque enim pulmo per se facit respirationem absque aëre non magis quam oculus videt absque lumine: ut ipse in *system. physico*, cum omnibus physicis & anatomicis hoc docet. Porro Ionæ perdurato in ventre ceti fuit pure miraculosa: quod ibi respirarit: quod à calore ceti non fuerit consumptus, nec ab odore gravissimo enectus, atque ideo virium corporis atque animi ita compos fuerit, ut Deo preces offerre potuerit. Recte *Hieronym. ad loc. cit.* eo modo Ionam servatum dicit, quo tres socii Danielis in fornace Babylonico. His ita determinatis, judicet lector an nimium indulserit credulitati Ludov. Vives l. 2. de Verit. fidei p. 25. *At sunt etiam homines in mari, sicut in terra: quod pro indubitato est habendum vivere homines integros in mari, sicut* Plinius *tradit, quorum unus captus est ante annos duodecim in Batavia, quem viderunt plurimi: etenim detentus est supra duos*

nnos

annos mutus, & incipiebat jam fari, quoad ictus bis pestilentia in mare est remissus gaudens & exiliens. Sed isti quoque ex terrestribus sunt hominibus progeniti. Nam sunt in quibusdam locis maritimis homines maximo opere dediti natatui, cui exercitationi assuefaciunt pueros suos, ut hi diutissime possint durare sub aquis. Filii horum in aquis pene geniti, nati, educati, habitatione hujusmodi non aliter delectantur quam pisces, ita quemadmodum alii homines in arido, sic hi vivunt in mari, cujusmodi esse in extremis illis insulis Oceani, locis calidissimis, ex iis quæ relationibus nostrorum hominum accepimus, conjecturare licet. Raphael Volaterranus *refert, fuisse in Apulia ab hinc annos ducentos juvenem quendam, assuetum ab infantia in mari agere. Itaque inter marinas belluas complures dies versabatur, & continuabat illæsus, haud aliter quam si una esset ex eis, penetrabat maris intima & remotissima, revertebatur sæpe ad litus, & nautas de futuris tempestatibus præmonebat: Nicolaus prius dicebatur, postea Colapiscis, quasi Nicolaus piscis.* VIII. *probl.* An molæ & partus, quos vocant, lunares, sint homines, imprimis tales qui palpitantes videntur vivere. *Resp.* Quid sint molæ, quomodo generentur etiam absque viro, docet *Lemnius de Occultis natur. mirac. l. 1. c. 8. Weinrichius epistol. quadam*, quam edidit cum tract. *Mirandulæ de Lamiis* & fusè *Laurentius Anatom. l. 8. qu. 13.* Quibus præceptoribus præeuntibus è Theologis problemata & casus determinari possunt; An fœtus illi sint resurrecturi novissimo die, an baptizandi, cum vivunt nonnullorum opinione, cum revera non vivant, nec sint animalia, an qui contuderit, aut abortum eorum procurarit, homicidium aut ab ortum perpetrarit &c. IX. *Probl.* An dato vivere aliquos fœtus vitam animalem (uti de quibusdam, quos Belgæ Manekinderen / & suppers appellant), forte credi posset, siquidem videamus eos tactu præditos, an ilico statuendum, esse homines, magis quam monstra quævis, integra forma canina aut equinâ ex hominibus nata (de quibus mox dicemus,) aut quam vermes, serpentes, aliaque animalia per generationem æquivocam in humano corpore producta. Quidni enim in utero pari ratione produci possent animalia, ac in alia quavis parte corporis. Exempla suppeditant *Observationes Schenckii.* Quibus unum addo maxime memorabile in Anglia ann. 1637. ubi in corde nobilis juvenis annorum ætatis 21. post obitum dissecti inventus est serpens. *Historiam & disquisitiones physicas* huc facientes patrio sermone Londini 1639. edidit *Eduardus Bray* medicus extraordinarius sereniss. mę Magnæ Britanniæ reginæ. De abortivis fœtibus idem quæritur apud Theologos, an scil. sint homines, & novissimo die resurrecturi? *Resp.* Distinguendum est inter eos qui vixerunt in utero matris vita humana, & qui non vixerunt. De illis *Aff.* de his *Neg. Augustin. 22. de civitat. Dei c. 13.* nec affirmare nec negare audet, sic tamen ut in nostram senten-

tiam inclinet. Sed in *Enchiridio c.*85. aperte eam profitetur, & cum eo *Beda* ac *Philippus presbyter ad Iob.* 3.16. Porro meminit etiam scriptura abortivi *Eccles.*6.3.& 1 *Corinth.*15.8. Ad sextum præceptum decidendus est casus: An procuratio abortus sit homicidium. *Resp.* de hoc casu varii agunt. *Primo commentatores* ad *Exod.*21.*v.*22.23. *Secundo Thomas* aliique *ad* 4.*dist.*31. *Tertio* Casuistæ ad sextum decalogi præceptum, & in voce *abortus.* Conferendi autores, qui scribunt de casibus reservatis, inter quos post omnes plenissime hoc egisse videtur *Fr.Coriolanus Theologus* ordinis Capuchinorum: quem vide *part.*4.*cas.*6.*p.*736. *Quarto* Iurisconsulti ad *l.aliquid* §. *abortionis*, & *ad l.Cicero D.de pœn.*& *ad l.si mulierem* & *ad l.*3. §. *ex senatusconsulto D.ad leg.Corneliam de sicar.* Conferēdi Criminalistæ. *Quinto* Canonistæ qui accurate & operose in hoc inquirunt ad *c.Moyses* 32.*q.* 2. Conferendi eorum practici Criminales inter quos *Diaz* cum commentariis *Lopez de Salzedo.* Et *Bullæ ac constitutiones Pontificum*, eorumque collectores unde jura nova disci possunt: sunt autem *Flav.Cherubinus, August. Barbosa*, & *Steph. Quaranta*, sæpius nobis citandi. Quorum postremus multa & varia hic annotavit, aliosque autores indicavit. Vt studiosis aliisque quibus non vacat in hæc operose inquirere, aut quibus libri ad manum non sunt, in præsentiarum gustum aliquem demus, istas ponimus conclusiones. 1. *Concl.* accurata determinatio casus præsupponit & requirit scientiam physicorum & medicorum, de tempore quo animatur fœtus anima humana: ut rite judicetur, sit ne commissum homicidium proprie dictum nec ne. *Exod.*21.*v.*22.23. docemur distinctionem hic adhibendam. Pontificii quamvis in thesi aut in hypothesi dubium aliquod interveniret, illud tamen statuendum censent quod tutius est, ut monet Quaranta loc.cit. *Dicitur*, inquit, *fetus animatus in masculo post quadraginta dies, in fœmina post octuaginta: & si dubitatur an masculus sit, vel fœmina, præsumendum est esse animatum post quadraginta dies.* Navar.in Manuali Confessor.cap.15.n. 14. *quia in dubio tutior pars est eligenda*, & *est communis opinio, quam sequitur sacra pœnitentiaria &c.* Recens Casuista *Eligius Basseus*, eandem sententiam sequitur. Et *Coriolanus cap.cit.* qui tamen *c.*5. distinguit inter animam rationalem, & vegetantem ac sentientem; & de sola animatione per animam rationalem casum intelligi vult. 2. *Concl.* Procurationem abortus, cum fœtus nondum est animatus, & procurationem & inductionē sterilitatis esse gravissimū peccatum contrà naturalē hominum productionem & humani generis propagationem, nec ullo fine bono honestari posse, statuit *Navarrus in Manuali cap.* 16. *n.* 33. Quidquid contra alii Casuistæ, ut *Basseo, Azorio, Bonacina, Diana*, annotatoribus ad *Toletū* &c. citati, sub variis distinctionibus satis periculose hic excipiant,

& distin-

& distinguãt. Videatur *Genes.* 38. *v.* 7. *& ibi cõm. à Lapide.* Impediũt enim ne concipiatur fœtus humanus, aut ne conceptus animetur; quod est contra *Genes.* 1. *v.* 28. 3. *Concl.* An in foro externo tam politico quã ecclesiastico talis abortus aut sterilitatis procuratio sit homicidium completum & stricte dictum, atque adeo pari pœna cum procurato abortu fœtus animati puniendum; dubitatum fuit. Affirmare id videtur *bulla Sixti V.* anno 1588. quam habes in *Bullario Cherubini, & in constitutionibus Quarantæ.* Sed revocat illud *bulla Gregorii* XIV. *anno* 1589. & pœnas reducit ad terminos juris communis sacrorum canonum, & Concilii Tridentini. Pœnæ autem in foro politico, (indicante *Cherubino in notis ad bullam* prædictam) sunt exilium, vel alia arbitraria secundum qualitatem facti, personarum; ut docent Criminalistæ civiles & canonici *ibidem cit.* Coriolanus loc. cit. dicit, *si nobilis est sceleris autor parte bonorum amissa relegatur; si vero ignobilis damnatur in metallum ff. de pœnis l. si quis aliquid* §. *qui abortionis.* Mitiorem hanc Gregorii XIV. sententiam sequuntur nunc Casuistæ, & Canonistæ; ut videre est apud autores modo cit. Distinctionem aliquam facere & suggerere videtur lex Mosaica *Exod.* 21. *v.* 22. 23. Vide comment. *à Lapide.* Quamvis ab homicidio in interiori conscientiæ foro coram Deo non liberatur; ubi occasiones, initia, progymnasmata homicidii etiam remota & interna, analogice ad homicidium reducuntur. 4. *Concl.* Qui fœtum animatum occidit procurando abortum, verum & proprie dictum homicidium cõmittit, quia omne cõpositum ex corpore & anima humana est homo. Sic recte ex Canonistis *Coriolanus cas. cit.* §. 2. 3. Et suos taxat, qui contrarium leviter dicunt. Sunt enim inter recentiores, qui in casibus quibusdam concedunt procurationem abortus, per potionem quæ directe tendat ad salutem matris, quamvis dubium esset secuturam occisionem fœtus. Sic *Thomas Zanchez.* Sunt & aliorum periculosæ disputationes, quas vide apud *Azorium tom.* 3. *lib.* 1. *cap.* 4. *qu.* 1. 5. *Concl.* Est homicidium procurare abortum fœtus animati, cum dubitatur an fœtus sit animatus. In papatu plerique docent irregularitatem à tali incurri, quia est dubius an sit homicida. Contrarium tamen tenet *Diana*, qui pro se citat ex Canonistis *Præpositum* & *Gomesium.* Coriolanus distinguit cap. cit. n. 4. *Quod si dubitatur de fœtus animatione; An Religiosus dans, seu procurans potionem pro abortu; seu consulens, vel auxilium præstans incurrat in irregularitatem? Resp. quod in foro contentioso, ubi agitur de pœna, interpretatio fieri debet in partem mitiorem*, l. interpretatione, ff. de pœnis, *sed in foro animæ, ubi agitur ad placandum Deum, & emendationem, debet quis se reputare homicidam, quia in talibus tutior via est eligenda, ut in* c. juvenis de spons. *& bonarum mentium est, ibi culpam timere, ubi culpa non est*, cap. ad ejus in fine, distinct. 5.

distinct. 5. argum. cap. ad audientiam, de homicid. *Vide Navarr.* in Manuali, capite 27. num. 223. 6. *Concl.* Crimine hoc teneri omnes quovis modo procurantes & consulentes abortum, statuit *bulla Sixti* v. & rectè. 7. *Concl.* Eodem crimine teneri; qui quamvis potione aut aliquâ alia ratione nō quidem directè aut immediate mortem inferunt, sed procurant ut ante tempus infans in lucem edatur, ita ut nō possit esse vitalis. 8. *Concl.* Itidem eos, qui abortum potione aut aliquâ aliâ ratione procurarunt quantum in se est; quamvis effectus propter aliquod impedimentum non fuerit secutus. Sic *Coriolanus*, & recte. 9. *Concl.* Abortum procurari posse variis modis potione, baculo, onere, per magiam & sortilegia: & consequenter crimen hic esse majus aut minus: semper tamen esse homicidium. Proponit *Coriolanus ibidem* dubios casus; An clericus introducens per tectum meretricem prægnantem, quæ si decidens moriatur vel abortiat, fiat irregularis. Et, An clericus qui jocatur aut saltat cum gravida muliere, quæ abortit, fiat irregularis. Et ad utrumque respondet affirmative. Sed hæc & similia alibi ventilanda. x. *probl.* An monstra ex homine nata sint homines? *Resp. Aff.* siquidem anima humana sint prædita. Sic *Augustin. l.* 16. *de civit. c.* 8. vult homines omnes unius esse speciei ex uno Adamo, etiam monstra in quaque gente, aut monstrosas gentes in genere humano. Sed manet tota difficultas, quænam & quibus κριτηρίοις judicanda sint esse anima humana prædita. Nam *primo* omnia ut talia sint, non est affirmandum, ex. gr. serpentes, elephanti, hippocentauri apud *Plin. lib.* 7. *c.* 3. *& Iul. Obsequentem de prodig. c.* 218. & integra forma canis aut porci, &c. *Delrio lib.* 2. *qu.* 10. aut forma equi, quale anno 1627. Patavii ex fœmina Iudaica natum didici ex *Itinerario M.S. Nobiliß. D. Berckii* Belgarum ad Venetos Legati; & integrum felem exhibet *Lycetus lib.* 2. *de Monstris cap.* 53. Quo refer villosos illos vermes, quos ex diabolico concubitu à moniali Gandavensi uno partu editos narrat *Delrio disq. Magic lib.* 2. *Secundo*, admodum dubitatur de iis, quæ sunt formæ seu figuræ mixtæ: qualia non unius generis apud *Iulium Obseq. de Prodigiis & Plinium*, imprimis Historicos monstrorum, *Arnoldum scil. Sorbinū* Theologum, *VVeinrichiū* Medicum, & *Fortuniū Lycetum in tractatibus de Monstris*; ut & apud *Lycosthenem in tractatu de prodigiis, Theatro Zwingeri*, & in *selectis Hist. Boistæi Launæi, & Simonis Gaulartii*, occurrant. *Tertio*, nec difficultate caret, si edatur forma quidem maximā partem humana, sed tam portentose parva, ut sub illa quantitate corpus hominis organicum vix videatur cōsistere posse. *Quarto*, si biforme seu bicorpor sit idq; dupliciter 1. cōstās altero corpore humano altero belluino, aut saltē alterutrius potioribus partibus. 2. constans gemino corpore humano,

humano, aut potioribus. De *primi* generis monstris non videtur dubitandum, quin sint bruta, quia nullum corpus organicum animæ humanæ ibi comparet, *Secundi* generis distinguimus in ea quæ superioribus ventribus capite scil. & pectore hominem referunt, si non exactè, saltem magnam partem, inferiori vero ventre, atque artubus brutum, & in ea quæ illis ventribus brutum aliquod, inferiori vero aut artubus aut utrisq; hominem. *Illa* affirmarem esse homines; quia ex partibus continentibus concludere licet ibi esse viscera hominum primaria, cerebrum scil. & cor humanum. Talis fuit puer ille apud *Zonaram tom.* 3. *annal.* sine brachiis, & cauda piscina usque ad coxendices sursum porrecta, editus sub Mauritio circa ann. 578. *Ista* siquidem utroque ventre careant negarem, saltem affirmare non ausim. Quod si solum caput sit humanum, aut pectus, quale illud in *Fascic. Tempor. anno* 914. corpore humano & capite canino, dubitarem, quamvis in affirmantem facile inclinarem, si modo caput (ubi officina sensuum) sit humanum. De *Tertii* generis, dubitarem, si ex. gr. sint digiti auricularis magnetudine; quales embryones mulierem in Germania in pelvim ejeciisse numero 150. & aliam 70. refert *Albertus Magn.*, ex eo *Dalecamp. ad Plin.* 7. *c.* 3. Minus dubitarem de infante quem magnitudine perdicis viderat *Nicephorus lib.* 12. *cap.* 37. Magis rursum de vivis infantibus 365. quos Margaretam comitissam Hollandiæ magnitudine squillæ (minimæ credo, aut minimi vermiculi) enixam ἐπῳδῶν, seu potius fabulantur, de quo infra. Sed duæ hic oboriuntur quæstiones *prima*; An monstra ejusmodi, si vivant, sint baptizanda. *Altera*, an sint necanda. Ad priorem *Resp.* ubi dubitatio subest, exspectandum donec adolescat, & plenius cognosci possit, an sit homo, nullum enim hic in mora periculum, cum baptismus non sit necessarius necessitate medii: Saltem quidquid quis sentiret de necessitate baptismi, nullum est faciendum malum ut eveniat bonum. Malum autem est baptismum monstro conferre, quod nescias homo sit an brutum. Ad alteram. *Resp. Neg.*, si vel minima dubitatio subsit. Statutum quidem id olim à Lycurgo, & à Romulo teste *Halicarnass. lib.* 2. ut πέρας statim ἀπὸ λοχῆς occideretur & probat *Danæus in Ethic. Christian.* Exemplum occisi monstri refert *Nicephor. libr.* 18. *cap.* 35. Equum illum ex Iudæa Patavii natum à Iudæis occisum retulerat tunc domesticis D. Legati Berckii, R. Leon primarius synagogæ Venetæ Rabbinus. Quæ necessitas occidendi, etiamsi certo sint bruta, siquidem clam alantur, nec ferocia sua hominibus noceant, aut publico aspectu fœminis prægnantibus terrorem incutiant, non ita liquet. An forte respicitur lex Mosaica, quæ brutum, cum ipso comburendum statuit *Lev.* 20. 15. 16., an ad detestationem facti, & hominum,

commo-

cõmonefactionem (quomodo serpens maledictus. *Genes.* 3. & bos lapidatur *Exod.* 21. 29. 32. & brutũ occiditur *Lev.* 20. 15. 16.) an vero ad præveniẽdos partus monstrosos, siquidem contigisset imprægnari: an vero utrumq; in finem? De *quarti* generis monstris dicimus lædi, etiam occidi posse alterum corpus brutum, siquidem corpori humano eo aliqua ratione succurri possit. Adhæc humanum corpus aqua baptismi aspergendum. Quod si utrumque corpus sit humanum, aut saltem superiori parte si geminum corpus humanum, judicari potest duas ibi esse animas, & consequenter utrumq; seorsim baptizandum. Sed quid si unum pectus & duo capita? *Resp.* Vno corde existente non putem duos esse homines. Admodum difficilem quæstionem fecit juvenis ille ante biennium hic in Belgii civitatibus pretio á millenis hominibus conspectus, ex cujus ventre prominebat alterius hominis sed muti caput; quem anima, ejusque facultatibus intellectivis & sensitivis à gestante distinctum fuisse, & conseqenter aliam fuisse personam (quamvis cõmunibus quibusdam partibus corporis uterentur) vel inde constat, quod adversis affectibus & animi perturbationibus in se mutuo concitarentur. Plura de monstris humanis si quis requirat, is adeat *VVeinrichium* modo laudatum, aut potius *Fortunium Lycetum*, qui post omnes alios historiam novis quamplurimis exemplis auxit; & plenius in omnes monstrorum differentias, & causas inquirit. x1. *Probl.* Quid de Centauris, Sylvanis, Satyris, Faunis &c. *Resp.* Aut fuisse monstra humana individua, alicubi conspecta, sive ea ex nefario concubitu hominum cum bestiis, sive ex alio quovis naturæ ἁμαρτήματι genita fuerint. Aut fuisse spectra diabolica, quæ hominibus subinde ea forma apparuerũt. Aut fuisse species brutorum, simios scil. similesve bestias, quæ aliqua ex parte ad figuram corporis humani accedunt: Aut ad fabulas & otiosorum hominum figmenta referenda, quæ de iis scribuntur. Hac determinatione exhauriri putamus quod olim ab autoribus antiquis, aut testibus autoptis hodie relatum, dubium movere posset; quasi scil. essent diversæ hominum species, aut integræ gentes ac nationes monstrosæ. Confer quæ modo diximus de arimaspis, cynocephalis, Nereidibus, Sirenibus &c. *probl.* scil, 6. & 7. Quid olim aut hodie de ejusmodi dictis hominibus, scriptum creditum, dubitatum fuerit, vide apud *Nierembergium lib.* 8. *capp.* 1. 7. Qui collatus cum cõmentatoribus lucem adfert interpretationi locorum *Iesa.* 13. *v.* 21. 22. *&* 34. 14. *Levitic.* 17. 7. 2 *Paralip.* 11. 17. Quid superstitio Gentilium de Faunis, Satyris, Pane, Sylvano, Silenis, &c. fabulata sit vide apud *Natalem Comitem l.* 6. *c.* 6. -12. Centauros & Scyllas negat *Lucretius l.* 5. *Virgilius Æneid.* 6. canit eos in vestibulo inferorum stabulare cum somniis. Confer & *tom.* 1. *Thesauri critici* à Grutero editi, ubi *p.* 1115, de

centauri

de centauris & satyris. XII. *Probl.* Quid de strigibus, aut fabulis. *Resp.* Aut spectra esse; aut aves nocturnas, quas fœminas faciebant. Vide *disp. de dæmonibus, & spectris* & commentatores ad *Iesa.* 13.22. *Threnor.* 4. 3. *Mich.* 1.8. Gentilium fabulas explicat *Natalis Comes*; Iudæorum, *Buxdorf. in synagog. Iud.* De Harpyis tantundem credendum est. XIII. *Probl.* Quid de *cobalis*, seu virunculis montanis, quos homines, terreos appellant. *Resp.* non esse homines, sed spectra diabolica. *Agricola* aliique historici metallares, & ex iis *Cornmannus in templo Naturæ p.* 172. describunt. Confer quæ *idem* habet *p.* 165. *de geniis* seu *spiritibus terreis & nostram disp. de spectris.* XIV. *probl.* Quid de aliis homunculis terreis, quos credunt habitare in occultis æduum locis, qui Germanis *roboldi*, Ruthenis *Koltri* dicuntur? *Resp.* Idem. XV. *Probl.* Quid de albis nymphis, quę & Sibillæ, dominæ nocturnæ, Italis *Fatæ*, Gallis *Feæ*, Belgis Witte-vrouwen dicuntur: de quibus *Delrio in disquis. Magic. & Kornmannus p.* 113, & scriptores *de spectris. Resp.* Idem. Vide *disp.* nostram *modo cit.* XVI. *Probl.* Quid de gentibus prodigiosis, quæ duas manus in latere dextro, auriculas asininas, alterum crus equinum alterum humanum habere dicuntur; quæ in insulâ quâdam invêtæ dicuntur à navigantibus Hispanis in medio ad Colacutum itinere? *Resp.* cum Nierenbergio lib. 8. c. 2. *Non omnem penitus fidem similibus monstris oppignero, sed Auctores eam vindicent, maxime in his quæ sequuntur. Nec prætermittenda duxi, non quia certò putem, nationes illas tantæ deformitatis esse, sed quoniam probabile existimem, singularia saltem nonnulla monstra occasionem fabulæ dedisse.* XVII. *Probl.* Quid de hominibus dictis *Sterlochis*, qui alicubi in Arabiâ dicuntur tres habere oculos, aures amplissimas &c. *Resp.* aut esse fabulas, aut monstrum tale conspectum. Idem dicêdum de hominibus in Ægypto quos camelis ex parte similes ferunt, aliisque ex *Lycosthenis libro de prodigiis, à Nierembergio ibidem & cap.* 3. notatis; de quibus ita concludit. cap. cit. p. 134. *Omnia hæc Lycosthenes; plurima vana. Illud quod in Quæstionibus naturalibus observo, nunc inculco, plerisque monstris fabulam dedisse dæmones deformi apparentes specie, quemadmodum D. Antonio sub satyri & centauri vultu visi in deserto. Sed & Apostolico viro Balthasari Barretio, ex nostra Societate Iesu in reditu è Benâ apparverunt varia monstra. Putabat is initio, cum procul esset, nigritas esse patriæ incolas, sed locus desertus omnino erat & spiritus cognovit esse humanam figuram æmulantes. Accidit interdum, monstrosos homines ex incestis aut dæmoniacis congressibus edi. In Brasilia è barbaræ mulieris cum incubo congressu horrendum monstrum prognatum fertur, & in sedecim palmorum altitudinem excrevisse, dorso lacertæ pelle contecto, turgidis mammis, brachiis leoninis, oculis rigentibus, instar ignis scintillantibus, certisque membris fœdissimis adspectu.* Pari passu ambulant homines naso ca-

tentes apud *Benjaminum Tudelensem in Itinerario p.96.* Et capitibus belluinis apud *Geographum Nubiensem pag.71.* XVIII. *Probl.* Quid de hominibus caudatis in insula *In Zignanin*, de quibus *Petrus Martyr in hist.novi orbis. Resp.* Fabulam esse. Nieremberg. c.4. dubitat, an non sit historia. Et addit: *Certius est in regno Lambri caudatos esse homines. Scribit Marcus Paulus Venetus, caudam unius palmi esse. Eadem infamia alii homines Europæ laborant.* Hoc scilicet erat, cur hanc fabulam magis quam alius istius commatis inter historias adoptaret. Cogitabat de miraculosâ maledictione Augustini Anglorum Apostoli, per quam factum refert, ut homines in Anglia caudati nascerentur. Ita ille *lib.1.de Mirac.natur.Europæ cap.83.* ex *Ioh. Majore l.2.cap.9.de gestis Scotorum. Geopraphus Arabs part.10.climat.2.* fide *autoris libri Mirabilium* refert in insulâ Namaneg esse gentem caudatam, cui dominatur rex ex ipsismet. Sed illud tam verum arbitor, ac fabulam de simili gente in Hispania apud *Nieremberg.cap.cit.* & de fœminis quibus asininæ tibiæ & caudæ *lib.8.histor.natur.c.2.* XIX. *Probl.* Quid de hominibus cornutis? *Resp.* Si alicubi tales conspecti, ad monstra referendi. Fuisse autem monstrosos ejusmodi homines unicornes, & bicornes, quibus non tantum ex capite sed etiam ex naso, ex dorso, ex liene, ex pedibus, ex manibus cornua excreverint, docent historiæ medicæ: quas collectas vide à *Thoma Bartholino tract. de Vnicornu cap.1.2.*

DE CREATIONE.

PARS NONA,

Resp. LUBERTO SPRUITIO Vltrajectin.

Ad diem 3. Novemb. 1638.

Restant quædam de homine in genere.

I. XX. *Robl.* An vagiones, vulgo dicti *cambiones* Wisselkinderen sint homines? *Resp.* An tales sint qui aliunde ablati à dæmonibus supponuntur, ut partum humanum mentiantur, dubitari potest: quamvis affirment *Sprengerus*, *Gulielmus Parisiensis* aliique apud *Delrio lib.2.qu.15.* Sed si sint, non video cur negandum sit, esse homines ejusdem speciei

ciei cum aliis. Neque enim ementitum puerperium, & suppositus infans, tollunt essentiæ humanæ veritatem. Alioquin dici posset, illos vagiones subinde esse dæmonas, qui specie infantum se ostendant : siquidem vera sunt, quæ notat Mersennus commentar. in Genesin pag. 651. *Hūc Paracelsi homunculū eundem esse existimo cum diabolis, qui se ad instar infantium ali curant, quos aliqui* mont de gloire *vocant.* XXI. *Probl.* An Melusina, *Merlinus* vates, aliiq; qui ex homine & diabolo geniti dicuntut apud *Delrio loc. cit.* sint veri homines? *Resp.* An ex diabolo quid gigni possit, infra dicendum. Sed si quid tale contigisset; non esset negandum hominem ejusdem speciei : & consequenter generationem univocam: cum sit ex virtute plasticâ, ejusque vehiculo semine humano. Diabolus enim tantummodo se haberet ut instrumentum, applicando naturalia agentia passivis. XXII. *Probl.* Quid de spectris illis sive monstris, quæ vocant homines maledictos, qui scil. per peculiarem maledictionem & judicium Dei in bruta seu monstra bruto-humàna, aut in spectra & dæmonas aut spiritus erraticos conversi dicuntur. *Resp.* aut esse hominum figmenta : aut imposturas diabolicas. Exemplum habet *Stumfius in chronico Helvetico ad ann.* 1520. Et ex eo refert *Cornmannus in Templo vaturæ pag.* 173. De Melusinâ modo memorata idem fabulantur. XXIII. *Probl.* An satyri, fauni, Cyclopes, Panes, Centauri, virunculi metallarii &c. sint homines? *Resp.* Aut nihil tale esse : aut si quid alicui apparuerit fuisse aut animalia sylvestria ex.gr. simios &c.; aut monstra animalium; aut spectra diabolica : ut indicavimus *Disp. de Spectris.* An ejusmodi chimæræ possint generari disquirit *Magius Miscell. lib.* 1. *c.* 20. Sed supra *part.* 8, de iis egimus. Conferri possunt autores ibi citati.

XXIV. *Probl.* An Adamus, Eva, Christus, reliquique homines sint unius speciei. *Resp. & Aff.* neque enim potest diversus modus originis seu productionis, diversam speciem inferre. Rationes suggerunt philosophi, cum disputant animalia ex putri materiâ & ex semine genita esse ejusdem speciei. Nos addimus testimonia scripturæ *Hebr.* 2. 11. 12. 13. 14. 15. 16. cū *Actor.* 17. 26. An Christi generatio fuerit univoca, infra determinabitur.

XXV. *Probl.* Quid statuendum de opinione cujusdam, quæ asserit Melchisedecum verum hominem ex nihilo creatum? *Resp.* Repugnare *Actor.* 17. *v.* 26. & obesse defensioni veritatis contra Anabaptistas. Conferenda quæ infra dicentur *part.* 10. *thesi* 3.

XXVI. *Probl.* An homo dici possit naturæ miraculum, perfectissimum in universo, immo ejus perfectio, finis &c. quin & ipsum universum seu omnia, μικρόσμος, δαιμόνιον, Deus quidam &c. *Resp. & Aff.* limitatè scil. secundum quid, certo respectu, & suo

modo. Nam 1. est totum universum, illudque in se complectitur triplici ratione. *Secundū* esse reale: participat enim naturam mundi invisibilis & visibilis, incorporei & corporei: superioris, inferioris, cœlestis, elemētaris. Quæ omnia amplificata vide ab *Alstedio in Theologia naturali*, *Bartholino Anatom. quæst.* 2. & 3. *Secundum* esse repræsentativum seu ideale. Est enim ut epitome seu compendium, ita speculum, exemplum repræsentans omnes creaturas, earum virtutes & excellentias. *Secundum* esse intelligibile: quia intellectus ejus juxta Atistotelem, *est omnia*, per assimilationem scil. 2. Est perfectissimum in universo, nobilius & excellentius quid non tantum natura omni corporeâ, (de quo scriptores hexaëmeri ad diem sextum) sed etiam ipsis angelis, quia filius Dei hominum naturam adsumsit, non angelorum *Hebr.* 2. 16. & 11. *Philipp.* 2. 7. eosque nominat fratres *ibid. v.* 12. & dicuntur *Ephes.* 5. caro de carne ac os de ossibus ejus. 4. Est ens proximum Deo in Christo scil. θεανθρώπῳ. 4. Est perfectio & finis universi; mundi inferioris quidem in se cujus dominus constitutus est *Gen.* 9. 25. 26. *Ps.* 8 *v.* 6. 7. 2 *Corinth.* 3. *v. ult.* ubi innuitur dominium hoc restitutum per Christum, etiam mundi invisibilis in Christo capite suo propter quem sunt omnia *Hebr.* 2. 10. *Coloss.* 1. *v.* 16. quippe qui primo genitus est omnis creaturæ *Colos.* 1. *v.* 15. & potestatem accepit in cœlo & in terra, super omnia, etiam thronos, potestates &c. *Math.* 28. *v.* 18. *Ephes.* 1. *vers.* 21. 22. His limitationibus observatis elogia illa de hominis præstantia apud *Manil. lib.* 1. *Lipsl. lib.* 3. *diss.* 2. & 3. *Boistæum L'Annæum in Theatro Mundi*, *Bartholinum loc. cit. Maymonidem part.* 1. *cap.* 72. Et *authores Cabalistic. à Pistorio editos pag.* 130. 131. accipienda sunt, & rectè explicari possunt. Atque ita satisfit rationibus *Maymonidæ in Moreh lib.* 3. *c.* 12. & 13. ubi disputat, hominem nullam habere proportionem ad totam hanc mundi universitatē: Item entia omnia esse sui ipsius causâ, & nō alterius, atque adeo nec hominis. XXVII. *Probl.* Quomodo ergo homo dicatur nihil, vanitas, pulvis, umbra, vermis *Genes.* 18. 17. *Ps.* 62. 10. & 144. 3. 4. *Iesa.* 40. 15. Quibus consonant dicta Nebucadnezaris *Daniel.* 4. 32. & amicorum *Iobi* 4. 19. & 25. 6. quamvis per se non sint authentica; & illud *Pindari* Χλίας ὄναρ &c. Et Christus assumendo humanam naturam seipsum exinaniisse *Philipp.* 2. 7, *Resp.* Non absolutè & in se sed *partim* comparativè ad Dei infinitam perfectionem, quia omnia habet à se, in se, per essentiam, immutabiliter, independenter, & perfectissimè (quomodo solus dicitur bonus, immortalis, sapiens *Math.* 19. 1 *Timoth.* 1. & 6. *partim*, propter accidens peccati & miseriæ atque adeo absque homine illo κατ' ἐξοχὴν Christo scil.; & extra gratiam Dei, per quam, in quâ sunt quidquid sunt, alias nihil futuri 1 *Corinth.* 15. 30. cum 2 *Corinth.* 12. 11. quo fit,

ut

ut fœtidus, abominabilis, viliſſimus omnium, immo nihil, & plus quam nihil, deterior omni nihilo habendus ſit; ita, ut ſi ab eo non liberetur, præſtitiſſet illi nunquam fuiſſe, hoc eſt, *nihil* fuiſſe *Math.* 26. 24. Hominis ἐξοθένισμὸν vid. in *Plin. l.* 7. *præf. Plutarch. de Fortuna*; *commentatores ad Eccleſ.* 1. *Lotharii* poſtea Innocentii Papæ *opuſculo de contemptu Mundi*, *Boiſtæi Theatro Mundi*, *Molinæi*, *Denniſon*, *Baylly*, *Beſſæi*, *Stella*, aliorumque Meditationibus de Vanitate & miſeriâ humanâ. Porro de *Hominis* natura & proprietatibus conſulendi vulgares Phyſici & Anatomici, ſcriptores de Vniverſo & Hexaëmero, (*Nemeſius ſive Nyſſenus de Natura hominis*, *Theodoret. de Curationibus græc. affect. ſerm.* 5.) *Cardanus de Variet. & ſubtilit. Ionſtonus libro ſæpe cit.* præter tractatus peculiares de Homine, de Mente aut de anima humana, de riſu & fletu, de affectibus, de barba, aliiſque innumeris, quos partim vidimus partim ab aliis citatos habemus. Denique de oppoſitis hominis, imprimis de Morte, ibidem pro inſtituto paraeneticè & exotericè *autores cit.* ſed acroamaticè agendum de ea partim á phyſicis & medicis, partim à Theologis; & ab his ſolis practicè, ut oſtendimus in *loc. communi de quatuor noviſſimis*, & in *Aſcetica*: forte aliquando dogmatica, hiſtorica, & practica in compendium unius diatribes redacturi.

5. Sic quidem de homine in genere: agamus nunc de principiis ſeu partibus eſſentiæ phyſicè ſpectatis, quæ ſunt corpus, & anima. Ac primo de corpore quæritur. 1. An ſit pars eſſentialis hominis? *Reſp.* in ſcholis philoſophicis de eo non dubitatur. Sed nuper novatores noſtri, dicti Remonſtrantes, in ſuâ *apologiâ* voluerunt in medio hoc relinquendum, an ſcil. corpus ſit tantum animæ inſtrumentum, an verò etiam pars eſſentialis compoſiti: ut ſuccurrant Socinianis, qui negando hujus carnis reſurrectionem negant tamen ſe negare Reſurrectionem: quod ſc. corpus ad eſſentiam hominis non pertineat. Sed Ref. *Primo* rationibus omnibus, quibus philoſophi probant, omnem materiam in genere, etiam animalis conſtituere eſſentiam rei & non ſolam formam, Item ex materiâ & formâ fieri unum per ſe. Vide *Zvvarez*, *Ruvium*, *Conimbric. Diſp. de Materia & forma. Secundo*, quia ſynechdochicè dicitur, *homo*, inſcripturis; & homo creatus, de terrâ formatus, ſumptus & in eam reverti *Gen.* 2. 7. & 3. 19. *Pſ.* 90. 3. & 139. 14. 15. cum tamen hoc ſit immediatè & primo ſecundum corpus. *Tertio*, quia veritas, & eſſentia humanæ naturæ in eo etiam conſtituitur, cum ſcriptura loquitur de incarnatione Chriſti *Hebr.* 2. *v.* 14. cum 10. 5. *Quarto*, quia corpus mixtum, vivens, animale eſt de eſſentia hominis, ergo & corpus humanum ſpecificè ita dictum. Valet conſequentia: *quia quidquid dicitur de genere etiam dicitur de ſpecie.* Iam verò cor-

rò corpus animale seu animal,ut & vivens &c. non esse accidentale quid, sed essentiale, constat ex illa regula logica : *Genus non est accidens,nec pars suæ speciei. Quinto*, quia anima est actus corporis organici,quatenus organicum : ergo corpus est pars essentialis animæ coordinata & componitur essentia humana non tantum ex anima, sed etiam ex corpore. Videantur *commentatores Aristotelis in explicatione definitionis animæ. Sexto*, quia anima humana jam separata non potest specificè & formaliter distingui ab angelo, nisi per essentialem seu substantialem ordinem & coordinationem sui ad proprium corpus, & vice versa : quæ coordinatio necessariò arguit & præsupponit duas partes essentiales,seu principia interna essentię. *Septimo*, quia alioquin nulla esset consequentia in demonstratione illa Christi *Matth.*22.32. Abraham, Isaac, & Iacob vivunt (nunc scil.secundum animam); ergo & vivent secundum corpus : non est enim promissio facta animæ Abrahami,sed Abrahamo constante ex anima & corpore. Experiatur quis an explicari & defendi possit illa demonstratio Christi, ex hypothesibus Socinianis. II. *Probl.* An corpus sit in se aut per se malum, noxium, atque adeo cum Platonicis dicendum sit animæ carcer, sepulcrum, σῶμα σῆμα ? *Resp.Neg.* non magis quam anima : est enim. *Primo* partialiter essentia hominis, creatura Dei bona *Genes.*2. 7. *cum* 1.*v.*31. *Deinde*, illud nemo odisse debet, sed τρέφειν καὶ θάλπειν *Ephes.*5.29. *Tertio* filius Dei, illud adsumpsit in unitatem personæ, non minus, quam animam *Hebr.*2.11. 14. 15. 16. Eratque illa caro & sanguis Dei *Ioh.* 6. cum *Actor.*20.28. III. *Probl.* An partium varietate, mutuâ coordinatione, spirituum nobilitate, exquisitâ sensuum & organorum dispositione, humorum & temperiei ad operationes animales exquisitâ proportione &c. reliquis corporibus præstet. *Resp. Aff.* Si omnia complexim consideres. Nostri instituti non est hoc demonstrare : consulant studiosi physicos & Anatom. & *Ambros.lib.6.Hexaemer. c.* 9. *Rhodiginum l.*3.*c.*10.11. 12. autores de Excellentiâ hominis supra cit. Sufficerit indicasse *Psalm.* 139.14.15. & processum Dei in homine creando *Genes.*1.25. 26. & 2. 7. 8. cum de reliquis animalibus tantum dicatur : *producant aquæ* &c. *volatile volet in expanso* &c. *producat terra* &c. IV. *Probl.* An detur temperies æqualis ad pondus, ejusque excellentia sic extollenda, ut effectus prodigiosi, immo & miraculosi inde deriventur? *Resp. Neg.* & merito rejiciuntur deliria eorum, qui operationes Magicas,divinationem,& miracula peculiari corporis complexioni adscribunt. Indicavit paradoxos illos *Delrio lib.*1.*c.*3.*qu.*2. & refutavit ex professo *Medina de recta in Deum fide lib.* 2.*c.* 7. v. *Probl.* An arte medica, speciatim Paracelsico-hermetica, ad eam temperiem corpus humanum reduci possit,ut vita quasi perpetuetur,juventus

ventus restituatur &c. *Resp. Neg.* Verba sunt & voces *Paracelsi, Crollii*, & similium mirionum : quæ attigimus in *diss. de Term. Vitæ.* Ne diabolo quidem hoc esse possibile innuimus in *Disp. de Dæmonibus* : nedum Enthusiasto-Hermeticis. VI. *Probl.* An in homine sit duplex corpus, atque adeo duplex homo ; unus sydereus, incorporeus &c. alter elementaris, visibilis &c. *Resp.* ita quidem περιπάλογέσι novi Hermetici, sed sine ratione sine sensu : de quo vide *Sennertum de Chymicorum & Aristotelic. consensu & diss. c.* 5. & 15. Hominem quidem μικρόκοσμον posse dici, atque adeo analogicè in eo mundum cœlestem & elementarem inveniri concedimus ; & ostenderunt hoc autores à nobis cit. inter eos *Bartholinus in Anatom. loc. cit.* & *Laurentius lib.* 1. *c.* 2. Sed non est ferendum ut hoc propriè intelligatur, atque adeo corpus hominis & ipse homo in duo dispescatur in cœlestem, & elementarem. Vt rationes à philosophis & Medicis allatas præteream, scriptura hoc commentum respuit : cum docet hominem creatum esse ex pulvere terræ *Genes.* 2. & 3. cum 1 *Corinth.* 15. *v.* 45. 46. 47. 48. 49. & nullum aliud corpus ab illo circumgestari, nullum in morte deponi & in elementa resolvi, nisi unicum hoc terrestre, corruptibile, & mortale 2 *Corinth.* 5. *v.* 1. 2. 3. 4. & 1 *Cor.* 15. *v.* 53. 54. Vbi est ergo lar ille, astralis, gabalis, dæmonium, Deus Paracelsi ? In utopiâ, credo. VII. *Probl.* Cur corpus humanum magis subjectum morbis & defectibus, quã aliorum animalium ? *Resp.* Est pœna & justissimum judicium Dei in detestationem peccati : ut enim mors, sic præludia ad mortem & totus ille calamitatum oceanus miserum homuncionem inundavit, simulac peccatum introiit. *Genes.* 3. Hinc homo inter alia animantia peculiariter hebr. אנוש gr. θνητὸς latinè *mortalis*, dicitur. Non est ergo quod de hominis creati infortunata sorte aut natura noverca cum *Plinio* aliisque infidelibus quiritemur. Et hæc quidem causa prima. Secundæ possunt assignari. 1. perfectius & nobilius systema corporis humani : hinc plures & frequentiores defectus illi accidunt, repagulo & privilegio illo imaginis divinæ remoto : bonum enim non nisi ex integra causa, & malum ex quolibet defectu. Et quo major rei perfectio, tanto proclivior ac frequentior ejus defectus. 2. Reliquiæ seu umbræ dominii circa electionem quarumvis creaturarum ; quibus cum pro studio novitatis & mentis instabilitate utitur aut potius abutitur homo, hinc fit ut mutatus aër, locus, cibus, potus, dieta, (ne dicam de intemperantia) homini fiant venena & judicii divini satellites. Cum contra reliqua animantia, tanquam causæ naturales, ut plurimum iisdem & consuetis locis, cibis, laboribus, &c. affixa sint. VIII. *Probl.* An melancolia, lycanthropia, mania, phrenesis &c. sint morbi animi, an vero corporis ? *Resp.* Propriè & for-

& formaliter sunt corporis: anima enim proprie & in se iis non laborat, nisi quod impeditur in actionibus suis, ad quarum executionem corporis organa requirit. Hinc est, quod Medici istorum malorum cognitionem & curam sibi jure meritoque adscribant, ut videre est in vulgaribus Institut. Medicinæ. Morbi venefici aut symptomata à dæmonibns vexantibus, aut corporaliter possidentibus, aut à Magis ope dæmonum inflicta; etiam ad curam Medicorum pertinent; cum specie non differant à morbis modo dictis aut aliis quibuscunque. Confer *disp. nostras de Energumenis, de dæmonibus, de Magia.* Et Baptistam Codronchum Medicum Imolensem lib. 4. de morbis veneficis ac venificiis à cap. 4. usque 10. ubi initio capitis quarti morborum istorum cognttionem & curationem Medicis suis contra Theologos Exorcistas vindicat: *Et quoniam nonnulli Exorcistæ posuerunt falcem in messem medicorum, proponenentes varia vomitoria; linimenta, suffitus, balnea, & alia hujusmodi, quibus sine ulla differentia, ac temere, artem hanc profitentes, utuntur, insigni cum ægrotantium læsione ac periculo, ea propter, ne in posterum circa usum ipsorum error commitatur, ea sigillatim, nec non omnia alia simplicia medicamenta, quæ ad veneficia depellenda, cum antiquiores, tum recentiores usurparunt, ad examen revocare decrevi*: De aliis partium humani corporis affectibus, morbis, & symtomatis, quorum cognitio aliqua Theologis in explicatione scripturæ, ant enodatione controversiarum, aut determinatione casuum, aut visitatione ægrorum imprimis usui esse possit, monuimus quid in *Bibliotheca Theologica.* Vbi videat cui vacat. Imprimis & quæstionum, quæ pro Iurisconsultis, Canonistis, Casuistis à physicis & Medicis prædeterminandæ sunt, repetitio huc revocari debet: Præcipuarum syllabum dedit Baptista Codronchius in tract. cui tit. Methodus testificandi, in quibusvis casibus Medicis oblatis. *Sunt autem istæ: Qua ratione morbum simulantes sunt à medico deprehendendi, & quinam sint morbi, quos potissimum fingere solent.*

Ægrotantes acuto præcipuè morbo, in custodia positos, non nisi maxima cum difficultate ipsorumque discrimine, curari posse.

Traditur primo methodus universalis testificandi cum in ægrotantibus, tum in vulnerati, secundo particularis in ægrotantibus ubi quot in eorum prognostico attendenda sint, pateſit, ac de morborum generibus, quantitate, ac qualitate, nec non designis salubribus, exitialibus agitur.

Quanam ratione de vulnerato testificandum sit, ubi de signis, ac judiciis vulnerum agitur.

Quibus notis vulnera à venenatis armis illata, vel veneno infecta dignoscantur.

Mortis, ac symptomatum repentinus eventus, an veneno exhibito, vel corruptioni humorum sit ascribendus, ubi designis venenorum in genere, & in specie tractatur,

latur, ac de signis mortui ex veneno.

Venena dare, vel vendere prohiberi, quæ enumerantur

Vtrum qualibet veneni quantitas hominem jugulare possit.

De pubertate, ac signis pubertatis

De iis qui concumbere non possunt, ac de caussis.

Virginem incorruptam esse, quibus possit deprehendi.

Quibus signis mulier gravida dignoscatur.

Vtrum medicus cognoscere possit mulierem partum abegisse, ac de medicamentis abortivis.

Vtrum mulier post decimum mensem parere posit, & partus ille sit legitimus.

Novimestris partus mulieris, quæ viro defuncto post paucos dies alii nupserit, cujus sit censendus.

Quasdam mulieres quinquagenarias concipere posse probatur.

Dissimilitudo nati ad parentes, an sit sufficiens argumentum adulterii, ex quo de caussis similitudinis, ac dissimilitudinis filiorum cum genitoribus agitur.

Quid autem judicandum sit de desertionibus spiritualibus & tentationibus, cum quibus melancolia conjuncta est, & quomodo morbi illi spirituales (quorum cura proprié ad Thelog. pertinet) non sint cum ea confundendi, cœpimus indicare *Disp. de Desertionibus.* Sunt & aliæ illustriores medico-philosophicæ quæstiones, de temperamentis; de calido & humido innato, & balsamo naturali, de humoribus, de spiritibus, de pulsibus; de respiratione; aliisque infra ad finem *part.* 10. nominandi, de corporis unitate & continuitate, de dependentia animæ à corpore; de distinctis formis singularum partium corporis; de principatu, situ, figurâ, materiâ, usu partium &c.; an detur corpus neutrum, hoc est, nec sanum, nec ægrum; an capilli, ungues, quatuor humores, spiritus animales & vitales, lac. semen sint animati; An toto nutritionis decursu idem numero corpus perseveret; &c. de quibus consulendi Physici, & Anatomici jam sæpe laudati: inter eos *Conimbric. in libros de Generat. & corrupt. Sennertus in Physica & in tract. contra Paracelsistas* jam sæpe laudato; coll. cum Freitagio, ipsius Antagonista; & ex anatomicis *Laurentius & Bartholinus*, qui quæstiones subjiciunt. Qui si ad manum non sint, aut cui non vacat eos consulere, is ad minimum legat vulgarem aliquam Physicam, & *Melanthonem de anima* cum *commentar. Magyri & Cansingeri.*

Accedimus nunc ad speculationem de Animâ, de quâ *Primo* philosoph. systematici & quæstionarii ex recentioribus, Pontificiis, *Toletus, Complutenses, Thomæ à Iesu cursus Thomisticus, Ruvius, Ariaga, Oviedo, Mendosa, Massius, Antonii Fabri physica Scotistica, Conimbricenses*, apud quos omnis generis autores citantur. Ex nostris scriptores physici in *Bibliotheca* indica-

ti : quibus addimus *Combachii Anthropologiam. Secundo, Scholastici ad* 1. *Thomæ* coll. cum 1. 2. Qui hic verè patres humanæ sapientiæ. *Tertio*, ex nostris locorum commun. scriptores quales *Grynæus*, *Tilenus*, *Polanus*, imprimis *Zanchius*. *Quarto*, si cui lubeat antiqua Græcorum philosophemata conferre, is consulat *Theodoretum serm.* 5 *de curation. gr. aff. Stobeum in eclogis physicis. Alciniũ de doctr. Plat. c.* 17. & ex recentioribus *Eugubinum lib.* 9. *perennis philosophiæ* Complura etiam scitu digniſſima collegit *Iul. Cæsar Bulengerius in Eclogis ad Arnobium lib.* 1. *cap.* 4. 5. &c. Post primam hujus disp. editionem vir nobiliſſ., idemque celeberrimus Polyistor in antiquis scriptoribus atque antiquitatibus versatiſſimus *Salmasius notas* edidit *in Epictetum & Simplicium*, anno 1640. ubi ex professo eruit Stoicorum aliorumque veterum philosophiam de animæ humanæ naturâ & facultatibus. Plurima etiam huc facientia suppeditabit polyistor *Vossius lib.* 3. *de Idololatr. cap*, 33. 40. 41. 42. 90. *Quinto*, Iudæorum opiniones habes in *Physica R. Aben Tibbon*, & in *Maymonidæ More Nevochin*; *ejusdemque Fundamentis legis*. Nos ista problemata perstringimus 1. *Probl.* An rectè dicatur spiritus? *Resp. Aff.* & Theologiam in *Scaligero* desideramus, cum hoc nomine flagellat Melanthonem *Exercit.* 307. *sect.* 39. Sic enim vocatur *Eccles. ast.* 12. 7. *Psalm.* 31. 6. *Luc.* 25. 26. *Actor.* 7. 59. Quamvis non negemus, & animas, brutorum sic appellari, cum additamento *vitæ*, vel *carnis Genes.* 7. 15. *Numer.* 16. 22. Porro quæ de differentiâ inter נפש, נשמה, & רוח φιλολογῆσι Rabbini parum solida sunt, ut in prælectionibus nostris aliquoties docuimus. 11. *Probl.* An sit accidens, an crasis seu temperamentum, an corporea seu corpus, an spiritus animalis aut vitalis? *Resp. Neg.* Vide *Thom. contra Gentes lib.* 2. *c.* 63. *& in quæst. disp. de Anima artic.* 1. ex recentioribus *Conimbric. in* 2. *de Anima qu.* 1. *Zanchium lib.* 2. *c.* 5 111. *Probl.* An sit pars Dei *R. Neg.* contra Cerdonem, Gnosticos, Manichæos &c. ut & Gentiles nonnullos, & recentiores Enthusiastas, qui Deum cum hominis substantiâ confundunt, Furores hos refutat *Augustin. lib. de origine Animæ c.* 2. & *Scholastici ad* 1. *qu.* 90. *art.* 1. IV. *Probl.* An vera & substantialis hominis forma, & sic corpori uniatur, illudque substantialiter actuet & informet? *Resp. Aff.* sic ut unio sit non per accidens sed per se, non accidentalis sed substantialis, Scriptura enim duas illas partes hominis essentiales nominat, ex quibus homo constituitur *Eccles.* 12. 7. *Math.* 10. 28. & 6. *v.* 25. 1 *Reg.* 17. 21. 22. jam verò corpus non potest dici informare animam; sed anima informat corpus, tanquam materiam seu subjectum suum; unde dicitur in eo esse, manere; ex eo egredi, emitti, efflari &c. *Zanchius lib.* 2. *c.* 6. declarat hanc unionem similitudine lucis unitæ cum aëre. Rejicimus ergo opiniones Simplicii, Philoponi, The-

ni, Themistii, Averrois, & eorum, quos meminit *Concil. Viennense*, & *Ius Canonicum in Clementin. c. ad nostrum de Summa Trinit. & Fide Catholic.*, aliorum itidem, quos respicit *Concil. Lateran. sub Leone x. sess.* 8. Rejicimus & Platonem, qui in Alcibiade statuit uniri eam corpori, ut motorem mobili, gubernatorem navi. Denique & *Cajetanum*, qui in 1. *qu.* 76. *art.* 1. sentire videtur animam secundum gradum intellectivum non esse formam corporis; sed tantum ratione facultatis vegetantis & sentientis. Porro pro veritate sentētiæ nostræ, contra istos similesque errores solidè disputant *Scholastici ad* 2. *dist.* 17. & *ad.* 1. *qu.* 76. *art.* 1. & *Conimbric. ad* 2. *de Anima c.* 1. *qu.* 6. Confer *corollar.* quod post appendices *hujus disp.* infra subjiciemus. v. *Probl.* An singulis hominibus sua cuique sit anima? *Resp. Aff.* Nam si una esset omnium aut multorum, sequeretur scientiam & ignorantiam, veritatem fidei & hæreses, virtutes & vitia, reatum & maculam culpæ, una cum justitia, innocentia, & consequentibus præmiis ac pœnis, ut & antecedenti gratia ac ἀδυναμία, esse in una eademque anima: quæ omnia absurdissima sunt. *Deinde*, si quælibet anima, quæ vivit vitam gratiæ, suâ fide vivit *Roman.* 1. quibus reliquæ contradistinctę dicuntur mortuæ; & si anima quæ peccaverit, ipsa morietur *Ezech.* 18. sequitur distinctas singulis esse animas. Porro rationibus propugnant hanc veritatem ex patribus *Greg. Nyssen. lib.* 2. *phil. c.* 7. & 8. *Epiphan. Panar. tom.* 2. *lib.* 2. Ex scholasticis *Durand.* & *Gregor. in* 2. *dist.* 17. *Scotus in* 4. *dist.* 43. *Ochamus, Gandavensis, Hervæus in quodlibet. Ægid. tract. de Intellectu, Thomas* 2. *contra Gentes c.* 73. Idemque & *Albertus tract. peculiar.* Ex recentioribus autores sæpe cit. Rejicimus ergo 1. Manichæos, Pythagoram, Platonicos, & similes fabulatores, qui μετεμψύχωσιν, hoc est migrationem animarum sive in bruta sive in homines credebant. De quibus vide autores cit. apud *Lipsium lib.* 3. *c.* 12. *Conimbric. in* 2. *de Generat. c.* 11. *qu.* 1. & *in* 2. *de Anima c.* 1. *qu.* 7. Eadem opinio etiam ad antiquos Gallos, Germanos, quin & ipsos Iudæos pervaserat, ut colligimus ex *Math.* 14. ubi vid. *commentator.* Nec ab eâ recedunt Thalmudici & hodierni Iudæi, ut ostendimus *Disp. de Iudaismo.* Idem dicendum de hodiernis Indis sub imperio magni Mogul viventibus: qui antiquæ philosophię & theologię Pythagoricæ sectatores sunt. Eorundem ante sæcula aliquot meminit *Benjamin Tudelensis in Itinerario p.* 34. Quod Albigenses fide Antonini iis adjungit *Lorinus in Sapient.* 2. 22. & *Alphonsus à Castro adversus hæres. lib.* 2. *fol.* 63. id reliquis calumniis, quibus pii & orthodoxi illi homines à Papatu gravati sunt, accensemus. Ab hâc aliisque hæresibus quam longissimè illos abfuisse ostendimus *Desperat. Causæ Papat. lib.* 3. *sect.* 2. 2. Averroëm, aliosque peripati sectatores Themistium, Simplicium &c. qui unum fin-

gunt universalem intellectum, separatum quidem à singulis hominibus, sed eisdem assistentem & conjunctum per imagines, quæ in cujusque phantasia insident. 3. Lycanthropiam, seu animæ humanæ unionem cum corpore lupino: de quo disseruimus *disp. de Dæmonibus.* 4. Innominatos illos apud *Philastr.* & *Augustin. de hæres. c.* 78. qui statuebant animas impiorum post mortem verti in dæmonas, & bruta. Priorem hujus opinionis partem *Augustin, c.* 86. tribuit Tertullian. Nos errorem hunc notavimus *Disp. de Dæmonibus* & *disp. de Spectris.* VI. *Probl.* An plures sint quam una anima in singulis hominibus; seu an vegetativa, sensitiva, rationalis in uno homine sint tres animæ realiter distinctæ? *Resp. Neg. Gennadius Eccles. dogm. cap.* 15. tanquam hæresin Iacobo aliisque disputatoribus imputat, quod duas statuerint animas in homine, unam animalem quâ animetur corpus & immixta sit sanguini, & alteram spiritualem, quæ rationem ministret: cum quâ opinione conveniunt illi, qui duas statuerunt & quidem oppositas, sensitivam scil. & rationalem, quarum illa mortalis hæc immortalis: apud *Clementem lib. 2. Stromat.* & *Theodoret. lib.* 5. *de curat. græc. affert.* Et *Ochamum in* 4. *dist.* 7. *Mayronis in* 2. *dist.* 17. *Mirandulanum de eversione sing. cert. lib.* 33. *Fuerunt* (inter quos *Didymus lib. 3. de Spiritu sancto,*) qui ex perperam intellecto 1 *Thessal.* 5. 23. in homine constituerent tres partes essentiales, corpus, animam, spiritum. apud *Gennad. c.* 20. *Hieronym. ad Hedibiam qu.* 12. *epist.* 150. *Autorem de Spiritu* & *Anima cap.* 49. Sed in responsione ad locum objectum ex orthodoxis Alii per *Spiritum* intelligunt Spir. S. gratiam (*Gennad.* & *Hieronym.*) Alii ipsam animam, quæ pro diversis functionibus & respectibus dicatur *anima*, quod ad vivendum vel vivificãdum animet corpus; & *spiritus*, sive quod spiret in corpore illudque vitale & spirituale faciat. sive quod substantia ejus sit spiritualis (*Auth. de Spir. & Anima, Gennad. loc. cit. Hieronym. lib.* 4. *in* Math. *c.* 27. *Tertullian. de Anima c.* 6. *Gregor.* M. *lib.* 11. *Moral. c.* 3. *Isidor. lib.* 11. *orig. c.* 1. Nos cum recentioribus interpretibus exponimus spiritum partem animæ rationalem, & *animam* partem reliquam quam cum brutis habemus communem. Sic fere distinguunt *Matth.* 22. 37. ψυχὴ & διάνοιαν. 3. *Manichæi* duas finxerunt, unam divinæ particulam auræ & omni culpâ vacuam: alteram vitiosam à principio malo productam, apud *Augustin. lib. 6. contra Faustum c.* 8. *& lib.* 10. *Genes. ad liter. c.* 13. 4. *Plato in Timæo* coll. cum *lib. 9. de Republ.* referente etiam *Aristotele lib.* 1. *de Anima cap. ult.* tres animas statuit. Hanc ejus opinionem à communi scholâ damnatam, revocavit superiori sæculo celebris philosophus *Zabarella, tract. de Facultatibus Animæ* (præeunte ipsi *Averroë*) quem unus atque alter postea secutus fuit, inter eos *Gulielm. Vrsinus*: qui contendit hanc esse sententiam

Arist.

Aristot. Disp. p. 2. disp. 2. Nos quamvis cum *Hervæo tract. de unitate formarum q.* 18. nolimus hanc opinionem dicere hæresin, nec cum *Conimbricens. ad 1. de Gener. & corrupt. c. 4. qu. 21.* esse tunc hæresin, cum una negat τὸ rationale esse formam hominis : tamen omnino putamus tenendum, tantum unam in singulis hominibus esse animam : *tum* propter rationes philosophicas, à communi Theol & Philosophorum consensu allatas, nominatim à *Scholast. ad Thom. 1. q. 76 art. 3. & contra Gentes lib. 2. c.* 58. à recentioribus *Conimb. l. c. Ruvio in 2. de Anim. q. 5. 6. 7.* quibus addi potest *Zwarez disp. Metaphys. 13. sect. 3. & 16. sect.* 10. ubi disputat unius rei tantum unam dari formam. Et *Eustachius de S. Paulo in summa philosoph. p.* 173. Ex Theologis nostris *Zanchius lib. 2. c. 3.* idem fusè & solide agit. Et compendiosè *Polanus syntagm. lib. 5. c. 32.* Rationes & autoritates patrum, scholasticor. & philosoph. à dictis autoribus prolatas hic non repetam. Tantum indico. *Primo* repugnare hanc opinionem sacris literis, quæ secundum composita seu individua numerat animas, singulis singulas attribuens & ab iis denominans, *Genes. 46. 26.* cum *Actor. 7. 14.* & *Rom. 13. 1. Ezechiel. 18. 4. Deinde*, quia animam seu spiritum vitalem unum homini datum tradit, tam in prima creatione *Genes. 2.* quam in ordinaria generatione *Eccles. 12. 7.* cum *Zachar. 12. vers. 1.*; eumque unum in morte hominis reddi, & à corpore separari *Actor. 7. 59. Math. 27. 50.* cum *Psal. 31. 6.* Nam si tres animæ sunt datæ, in morte illę tres reddendæ essent : siquidem enim aut vegetativa, ant sensitiva maneret; jam viveret cadaver vitam plantæ aut animalis : quod absurdum est. *Tertio*, ex *Math. 10. 28.* Omnis anima in homine, ab altera parte compositi, hoc est, à corpore distincta, est immortalis : sed prætensa sensitiva & vegetativa in homine non est incorruptibilis aut immortalis ; ergo nulla talis est anima in homine : sed tantum duo illa, anima scil. humana, & corpus : quod alio argumento hoc confirmatur. *Quarto*, nullę sunt partes essentiales, nulla principia essentiæ, nullæ substantiæ incompletæ constituentes hominem, præter eas quæ in inferno puniri aut in cœlo coronari possunt : at illæ sunt anima, & corpus *Math. 10. 28. Actor. 1. 18. 25. & 7. 59.* cum *8. 2.* *Quinto*, quia autores hujus opinionis difficultatibus aliquot dogma de incarnatione & conceptione, ut & de morte & resurrectione Christi implicare videntur, & quidem absque necessitate. Vnum ex. gr. quæro, an anima sensitiva manserit in corpore post mortem Christi an non : si illud jam fuisset corpus ejus vivum in sepulcro : sin istud, aut separata fuit & substitit extra corpus, aut interiit. Non prius ; quia dependet à materiâ seu corpore, nec ulla forma ab eo est separabilis, exceptâ rationali. Non posterius, quia debuisset alioquin eam in resurrectione denuo creare aut

quocunque modo producere, atque adeo corpori in ſepulcro exiſtenti ſubſtantialiter unire: quæ omnia abſurda. Poſtquam hæc ita ſcripſiſſem in primâ editione, prodiit Tractatus Cl. *Voſſii de Idololatria*: ubi *lib. 3. c.* 40. ſententiam hanc judicat tutiorem. VII. *Probl.* An ergo dicendum embryonem ſucceſſivè tribus animabus informari; ut ſenſitivâ adveniente aboleatur vegetativa, & rationali adveniente aboleatur ſenſitiva? *Reſp.* Sic quidem cum *Thoma* 1. *qu.* 118. *art.* 2. *& contra Gentes* 2. *c.* 89. communiter *Scholaſtici*; & *Scaliger Exercit.* 297. 1. *&* 290. 2. *Conimbric. loc. cit.* aliique omnes philoſophi & Theologi Pontificii. Mihi tamen nunquam arriſit hæc opinio. Nunc circumſpiciens, an & alii mecum ita judicent, invenio *Goclenium in Exercit. ad Scaligerum qu.* 5. *p.* 55. dubitare, *Zanchium* verò *cap. cit.* apertè eam rejicere. Rationes eorum ibi vide. Mihi ſemper abſurdum viſum eſt 1. triplicem generationem & formę introductionem fingi; atque adeo triplicem ſpeciem naturæ viventis in actu conſtitui (anima enim eſt actus ἐντελέχεια corporis organici) ita ut fœmina prægnans concipiat & geſtet primo non hominem, ſed plantam, & deinde brutum. 2. tunc abortus, qui accidit poſt animationem fœtus, non ſemper eſſet homo; ſed aliquando tantum planta aut brutum. 3. *Tum* non poſſet dijudicare, an abortivus fœtus eſſet baptizandus, & ſepultura (ut ipſi loquuntur) eccleſiaſtica honorandus: quia quamvis viveret & momento aliquo moveret ſe, nulla tamen certitudo, an anima rationalis eſſet introducta, & ſenſitiva abolita. De quo caſu imprimis debuiſſent cogitare Pontificii, qui de baptiſmi neceſſitate & ſepultura Eccleſiaſtica tam præcisè & anxiè diſquirunt. Hæc ego anno 1638. in prima hujus diſp. editione ad determinationem præſentis, & proximè præcedentis problematis ſic commentabar. Poſtea evenit ut exoleti aliqui conceptus de mente ſeu ſpiritu, ab anima humana, & corpore diſtincto, deque animali humano à nonnullis recentioribus recoquerentur: qui ſi cum ἐπομένοις & hypotheſibus uſque ad finem defendantur, videntur incommodam & difficilem alicubi nobis reddere theologiam, præcipuè in elenchis Socinianorum aliorumque veterum ac recentium. Ego datâ hic nobis occaſione præſtructim philoſophis Chriſtianis & theologis conſiderandum dabam anno 1641. in *corollariis ad diſp. de Iubileo*, quæ incommoda mihi viderentur ſequi poſſe ex novo illo philoſophemate, de homine ente per accidens. Vide infra poſt *appendices Corollaria modo dicta.* Nuper etiam alibi diſputatum fuit de diſtinctione ſpiritus, animę, & corporis. Conſuli poſſunt libri de hâc controverſiâ editi. Conferatur *Calvinus lib.* 1. *Inſtitut. cap.* 15. §. 6. *Polanus lib.* 5. *ſyntagm. cap.* 32. *Zanchius part.* 2. *de operibus creationis lib.* 2. *cap.* 4. *Scholaſtici* cum *Thoma lib.* 2. *c. Gentes cap.* 58. *&* 1. *part. qu.* 7. 6. *artic.* 3.

quam-

quamvis ſtatuant prius animâ vegetante, poſtea ſentiente, denique rationali fœtum informari, validè tamen negant tres animas ſimul in homine ſubſiſtere. Videantur rationes eorum, & conferantur ejuſdem quæſtionis articuli ſeqq. 4. & 5. Quas ſubtiliores & ſolidiores ſpeculationes non video à recentiorum opinionibus Platonico-Hermeticis, aut à Zabarellæ ſectatoribus refutatas eſſe. Et ſi in æquilibrio poſitæ eſſent rationes utriusq; partis, nihil abſurdi tamen committeret; qui in eam partem inclinare mallet, per quam tutius & expeditius Socinianorum aliorumque antiquorum & recentiorum errores refutari poſſent. Semper enim ſana & ſobria philoſophia veritati religionis, & Theologiæ Chriſtianę ancillari geſtit. Quinam autem ſint errores, operæ pretium eſſet diſci à philoſophantibus, ex *Gennadio*, *Auguſtino*, *Alphonſo*, *Prateolo*, aliiſque hæreſeωn ſcriptoribus, quos alibi indicamus. Talium enim hiſtoriarum ignorantia ſæpe facit ut ſecurius hic diſceptetur. Quæ alea ubi jacta fuerit, pertinacem aliquando defenſionem, & turbas poſt ſe trahit. VIII. *Probl.* An anima ſit tota in toto, & tota in qualibet parte? *Reſp. Aff.* communiter Theologi & philoſophi, & nos cum illis. 1. *Sunt* qui animam negant eſſe in toto corpore; eam cum Stoicis collocantes in corde, ut Philo. (*Lipſ. lib.* 3. *diſſ.* 18.) Albertus, & aliqui recentiores. Et huc advocant ſcripturam, ex qua ſcil. conſtet animam in corde eſſe eſſentialiter ſeu ſecundum eſſentiam, in toto corpore virtualiter, in quo exerceat potentias ſuas per propria inſtrumenta, *Deuter.* 29. 4. *Rom.* 1. 21. *Math.* 15. 19. 2. *Alii* alligant eam cerebro, aut capiti, ut Xenocrates, Herophilus, aliique apud *Tertullian. de Anima*; & Platonici apud *Alcinoum de doctr. Plat.* c. 23. 3. *Alii* rurſum in abdito quodam loco, è quo quaſi aranea per totum corpus exigente neceſſitate diſcurreret. Sed reſpondetur, eſſe in corde tantum, non eſſentialiter aut informativè, ſed ſecundum peculiarem & organicum operationis modum, ut in fonte caloris, ſpirituum officinâ, ac ſede appetitus ſenſitivi. 4. *Alii* negant eam totam eſſe in ſingulis partibus, inter quos *Timplerus Metaph. lib.* 2. *cap.* 5. *qu.* 6. ſed quem puto hoc hauſiſſe à Conr. Vorſtio tunc temporis Theologo Steinfurtenſi, qui hanc opinionem tanquam hypotheſin ſubſternebat infami diſputationi contra Dei Immenſitatem. Ante eos idem ſaxum volverat *Simon Portius de Mente humana c.* 7. ſed cujus rationes, inquit *Zanchius*, facile refutari poſſunt. Nos cum *Auguſt. de Immort. Animæ Nyſſeno de Opifici. hominis c.* 12. *Scholaſticis ad qu.* 76. *art.* 8. & recentioribus omnibus ſtatuimus eſſe totam in toto & totam in qualibet parte: & quia res eſt alicujus momenti, ut loquitur *Zanch. loc. cit.* Rationes ſint iſtæ. *Prima*, quia totum corpus humanum, & quælibet pars ejus ab animâ informatur; & ſubſtantialiter ei unitum

nitum est, & per eam vivit ac operatur; atque adeo est corpus humanum: non verò solum cor, aut cerebrum &c. *Secunda*, tum anima esset cum corpore unum per accidens, & sic compositum seu totum nullum essentiale & per se, sed nihil aliud remaneret quam corpus humanum æquivocum. *Tertia*, si per partes & non tota esset in singulis partibus, sequeretur esse divisibilem, quantam, corpoream, & corruptibilem per partes, & sic consequenter secundum se totam. Quæ omnia sunt absurdissima. Rationes adversæ solvuntur si notetur; 1. Animam non dici totum quantitativum, sed totum essentiale seu metaphysicum: 2. Adhæc esse totam in toto corpore adæquate tanquam in primo & proportionato perfectibili, in parte qualibet inadæquatè. 3. Esse in corpore non inhæsivè ut accidens in subjecto; nec adhæsivè ut locatum in loco; sed essentialiter & formaliter, ut forma in materiâ, & cum materia in composito: Post primam hujus disp. editionem, video dubia aliqua contra hanc sententiam moveri à *Vossio lib. 3. c. 40.* qui tamen profitetur se odiosè nolle de eo contendere. Quæ prudentia & modestia maximi viri ut placet; sic non video cur non obstantibus illis dubiis sententia recepta retinenda non sit. De extensione; quæ difficillimè concipitur vide Gall. de la Serna c. Sennerrum. 1x. *Probl.* An etiam facultates, seu potentiæ animæ sint in singulis partibus corporis. *Resp. Aff.* de immaterialibus, scil. intellectu & voluntate: quo sensu *Scaliger Exercit.* 307. 37. ait, memoriam & intellectum esse in pede. De materialibus & organicis vulgo negant; apud *Thomam in 1. qu. 76. art. 8. Conimbric. in 2. c. 2. qu. 9.* Quam opinionem fulciunt ista hypothesi: Potentias illas non esse in anima tanquam in subjecto, sed in toto composito; *Thom. 1. qu. 77. art. 5.* Sed non video cur rejicienda sit sententia *Ianduni, in 2. de Animâ qu. 7. Ægidii quodl. 3. qu. 10. Soncinatis lib. 7. Metaph. qu. 7. Cajetani in de Ente & Essentia c. 7. qu. 16.* aliorumque, qui contrarium tenent. Itaque omnia conciliemus distinctione potentiæ in primam, & secundam. *Illa* emanat ex anima, & est, ubicunque anima: ex. gr. potentia videndi prima est in cœco, etiam omni organorum dispositione destituto, & sic potentia intelligendi in homine fatuo: Pari jure potentia videndi in pede. *Ista* verò includit & prærequirit debitum organum, ejusque aptam dispositionem; & sic visus, phantasia, memoria &c. non sunt in pede: non magis quam ingenium aut subtilitas imaginandi est in cerebro hominis fatui. His positis, elicimus hoc consectarium. *Potentias vitales non posse realiter separari ab anima sine implicatione contradictionis; quia habent immediatam ac necessariam connexionem cum anima, & ab eâ emanant non per actionem mediam, sed per immediatam efficientiam & dependentiam.* Sic *Cajetanus in 1. qu. 54. art. 4.* Et ante eum *Capreolus ad 1. dist. 3. qu. 3.* Et hoc contra recentiores apud *Ruvium in lib. 2. de A-*

de Anima tract. de potent. Animæ qu. 2. Vbi tamen concedit non posse ita separatas uniri subjecto extraneo. Quod corollarium hypothesin nobis facit in controversia de Implicatione Contradictionis : de qua vide *disp. de Potentia Dei.* x. *Probl.* An anima etiam sit in spiritibus, sanguine, aliisque humoribus, item semine, lacte, &c. hoc est, an illa sint animata. *Resp. Neg.* communiter apud *Thomam* 1. *quæst. ult. art.* 1. Et *Conimbric. in* 1. *de Generat. & corrupt. cap.* 4. *quæst.* 24. 25. Et *Ruvium in* 2. *de Anima quæst.* 8. ubi præter rationes solidas omnis generis autores Philosophi, Medici, Scholastici, patres adducuntur: quo studiosos, ut breves simus, remittimus. Tantum indicamus usum hujus disputationis esse multiplicem, 1. in Explicatione *Genes.* 9. 4. & *Levitic.* 17. 11. 14. *Deinde,* in enodatione quæstionis, an Christus personaliter & mediate univerit sanguinem divino suppositi; & quomodo intelligendum *Concil. Ephesin. can.* 5. & *Chalcedon. art.* 1. & 5. 3. An sanguis ille, qui alicubi ostentatur tanquam sanguis Christi, sit objectum formale adorationis. 4. An sanguis suo cuique corpori in resurrectione sit restituendus. 5. An siquidem sub speciebus hostiæ sit totum corpus Christi, etiam ibi sit sanguis in vasis suis. 6. An sanguis extra vasa effusus rectè dici possit concomitans corporis, idque tanquam aut pars, aut saltem tanquam quid necessarium ad vitam & sustentationem corporis. 7. An traductio animæ ita possit explicari, ut anima parentum in & cum semine decidi & transferri ac propagari dicatur. 8. An spiritus sint medium unionis essentialis, & vinculum animæ & corporis. 9. An iidem aliquo colore possint dici ipsa vita & anima hominis. x1. *Probl.* An capilli, ungues, sint animati. *Resp.* acerrimè hic degladiantur philosophi & medici pariter ac Theologi; quamvis hos non tantopere tangat hæc controversia ac superior. *Conimbric. loco cit. qu.* 23. tres opiniones æquè probabiles censent. *Prima* est, *Thomæ, Scoti, Iavelli, Vega, Viguerii,* qui animâ rationali eos informari volunt. *Secunda* est, *Bonaventuræ, Durandi &c.* qui ajunt vivere & informari non quidem animâ totius animalis, sed aliâ sibi propriâ, quæ solâ vegetandi facultate prædita sit. *Tertia* est, physicor. & Medicor. *Conciliatoris, Fracastorii, Fernelii, Garbii, Peramati &c. Conimbric. loc. cit.* in primam opinionem inclinant, & *Ruvius ad* 2. *de Animâ tract. de modo quo anima informat. qu.* 9. eam tuetur, *propter authoritatem Thomæ,* ut ibi loquitur. Secundam opinionem rejicit *Ruvius*, defendunt *Conimbric.* Cum quibus malim sentire, saltem quod ad capillos. Porro ad argumenta adversariorum tum in hac, tum in proximè præcedenti controversia facile est respondere. 1. *Objiciunt* ex ratione & autoritate *Aristotelis, Augustini, Thomæ*, sanguinem esse partem integralem viven-

tis. Ergo. Sic *Conradus, Hiſpalenſis, Medina, Toletus in* 2. *de Anima quæſt.* 4. *Scaliger Exercit.* 280. *Reſp.* ex philoſophis, & *Thoma* aliiſque ſententiariis *in* 4 *diſt.* 48. *qu.* 1. partes tripliciter dici, *primarias* pertinentes ad primariam conſtitutionem corporis, quales ſunt ſolidę, ut oſſa, carnes, nervi &c. *ſecundarias*, non pertinentes quidem ad primam conſtitutionem, ſed ſine quibus primariæ non poſſunt habere nec eſſe naturale, nec conſiſtentiam, nec operationem; quales ſunt fluidæ, ut ſanguis &c. *Pertinentes*, ad ornatum & conſervationem aliquam corporis, non vero ad naturalem ejus conſiſtentiam, ut pili &c. 2. *Obj.* Filium Dei cum perſonaliter ſibi uniret naturam humanam, etiam adſumpſiſſe ſanguinem & humores, quia pertinent ad veritatem humanæ naturæ; ut communiter docent *Scholaſtici ad* 3. *quæſt.* 54. *art.* 1. *Reſp.* ſanguis & humores ab illo aſſumpti ſunt, non aſſumptionibus diſtinctis ſed eadem totali & completa, qua aſſumta fuit à principio natura humana; quæ una eſt per unam formam ſubſtantialem. Quamvis autem hæ partes ſecundariæ non informentur eadem forma ſeu anima, pertinent tamen ſub formis ſuis propriis & incompletis ad veritatem & integritatem ejuſdem naturę humanæ, ad quam & ad partes corporis primarias à principio ordinatæ fuerunt, tanquam neceſſarię pro conſiſtentia & ſtatu earum naturali, & tanquam inſtrumenta ad operationes exercendas, & tanquam materia tranſiens earum (ut ſanguis) quæ in partes primarias tranſeant. Sic *Ruvius* egregiè *loc. cit.* Confer *Scholaſtic. ad* 3. *q.* 54. *art.* 2. 3. *Obj.* Spiritus ut etiam ungues, & capilli nutriuntur, & augentur. Sic adverſæ ſententiæ autores ſupra cit. De Spiritibus *Scalig. Exercit. cit.* ubi contendit non tantum inſitos, ſed etiam advenientes animatos eſſe. De unguibus *Valeſ. controv. lib.* 2. *c.* 21. ubi & tactum iis concedit. De unguibus & capillis *Thom.* 4. *diſt.* 44. *qu.* 1. *Iavellus* 2. *de Anima qu.* 10. *Viguer. Inſtit. Theol. c.* 21. *Reſp. Neg.* eſſe Propriam accretionem: ſed tantum apponi uni parti excrementum terreum, nec fit motus ſimul ad omnes poſitionum differentias. Haut aliter ac ignis, aqua &c. alicubi augentur. 4. *Obj. Levitic.* 17. dicitur vita eſſe in ſanguine: ergo videtur ſanguis vivere. *Reſp.* Cauſaliter & concomitanter hoc accipiendum; quia vita omnis cauſatur, ſuſtentatur, & declaratur per ſanguinem. Ex ſanguine enim ſpiritus; ſpiritus ſerviunt ſenſibus, & in homine ſenſus rationi. Dicendum ergo ſanguinem eſſe vitam vitalem & viventem, non formaliter, ſed cauſaliter ſeu diſpoſitivè & conſervativè. Requiritur enim ſanguis in corpore tanquam diſpoſitio quædam neceſſaria ad hoc, ut anima in ipſo corpore tempore extenſo conſervetur. Quomodo cibus dicitur ſanus non formaliter, ſed conſervativè & medicamentum ſanum effectivè ac diſpoſitivè *Auguſt. l.* 2. *cap.* 6. *contra adv. legis &*

gis & prophet. hunc locum explicat: Quod anima dicatur ſanguis, *quomodo Petra dicitur Chriſtus: non quia hoc erat, ſed quia hinc ſignificabatur.* Ex Rabbinis *Aben Ezra* egregius alioquin philoſophus exponit vocem נפש *ſpiritum vitalem*; & verba *v.* 14. *ſanguis ejus in anima ejus*; דבק בנפשו i.e. cohæreat cum anima (hoc eſt ſpiritu ejus vitali) ejus: quia ſcil. vaſa prodeuntia è ſiniſtro angulo cordis diviſa ſint in vehicula ſpiritus & ſanguinis. Sed melius *R. Sel Iarchi*: *Sanguis ejus*, inquit, eſt illi loco animæ; quia הנפש תלויה בו, id eſt, *Quia anima dependet ab eo.* Planiſſimè omnium נפש hic interpretamur *vitam*; quæ ſanguis dicitur, & eſſe in ſanguine, eo modo quo diximus. 5. *Obj.* Excipiunt *Cajetanus p.* 3. *qu.* 4. *art.* 3. duplicem eſſe ſanguinem; *imperfectum*, qui ad ultimam concoctionem non pervenit, qui ſcil. ſit nutrimentalis, quia habet rationem alimenti; & *perfectum*, qui magis depuratus ſit & ultimam concoctionem aſſecutus, atque adeo ad nutrimentum non pertineat, ſed ad veritatem & integritatem naturæ; *hunc* aſſumtum eſſe à filio Dei & in reſurrectione corporibus reſtituendum, *illum* vero minime. *Reſp.* ratio & experientia Phyſica ac medica duplicem ſanguinem ſpecie diſtinctum non agnoſcit. Itaque evanidum eſt hoc commentum. Quomodo filius Dei ſanguinem aſſumſerit; Deque ſanguine reſtituendo corporibus glorioſis in loc. com. *de Reſurrectione* & *Incarnatione* opportunè dicetur. 6. *Obj.* Excipiunt nonnulli ſanguinem tantum gradum vitæ ab animâ recipere. *Toletus* verò & alii recentiores cum illo, volunt eum non vivere, ſed tantum ab animâ illi tribui gradum corporis mixti: ut & oſſibus gradum vitæ, non ſentiendi, aliis perfectioribus partibus gradum ſenſus & motus, aliis inſuper gradum ſubſtantialem rationalitatis. *Reſp.* Dicitur quidem ſed non probatur, animam non tribuere omnes gradus eſſendi ſingulis partibus corporis, ſed plures vel pauciores ſecundum modum diſpoſitionis & organizationis. *Deinde* non video quomodo non recidant in abſurdas illas opiniones: Quod anima informet corpus mediante corpore ſeu diſpoſitione corporeâ; Item quod anima quà rationalis, ſeu ſecundum gradum intellectivum eſſentialiter non uniatur corpori, illudque informet. 7. *Obj.* Ex *Ariſtotele*, quod ſanguis ſecundum omnem loci differentiam moveatur in corpore. *Reſp.* Sed inde non ſequitur eſſe animatum: quia movetur non à ſe, ſed ab eâdem animâ, mediis ſpiritibus vitalibus tanquam inſtrumentis. *Probl.* 1. *An adeps anima informetur? Reſp.* Incl. in *Neg.* ſiquidem ſtatuatur eſſentialiter non differre à ſanguine. 2. *An & quomodo ſemen B. virginis dicatur peccato originali infectum & immundum fuiſſe. Reſp.* De eo dicemus in *diſp. de propagatione peccati originalis.* Atque hæc nos anno 1638. in primâ hujus diſp. editione pro modulo ita determinabamus. Sed nupe-

ræ velitationes quorundam pro vanitate & luxu seneſcentis mundi in ornatu capillorum, viris doctis occaſionem dedere accuratius in illas quæſtiones inquirendi, an capilli ſint pars corporis, an vero excrementum; & an vivant, ac quomodo. Inter alios nodum dextrè (meo quidem judicio) ſolviſſe videtur Rever. collega noſter *Carolus de Maets*, qui inſiſtens ſecundæ ſententiæ, non negat vivere capillos, ſed negat inde ſequi, eos vivere vitâ & formâ communi totius compoſiti, & conſequenter eſſe partem corporis propriè dictam; uti unus atque alter ex vanitatum capillarium patronis contendere voluerunt, ut huic problematicæ opinioni ſuperſtruerent, paradoxum, ſuum, de tondendis aut radendis capitibus fœminarum, deque alendis indefinitè aut infinitè capillis virorum, convenienter ſcil. ſaltem non repugnanter (ita loquar) naturæ aut honeſtati naturali, aut rectæ rationi: quæ ſcil. doceat partes corporis retinendas, fovendas &c. Credo ipſos velle Belgas noſtros reducere ad antiquum morem Indorum in inſulâ Formosâ, aut potius ad ſapientiâ Pygmæorum, de quibus Cteſias apud Photium in Myrobiblo p. 145. κομῶν δὲ ἔχουσι μακρὸν κάτω (N.B. uſum & ſignificationem vocis κόμης) *Comam alere longiſſimam ad ipſa uſque genua demiſſam, atque etiam infra, cum barba longiore, quàm apud ullos hominum. quæ quidem ubi illis promiſſior eſſe cœperit, nulla deinceps veſte uti; ſed capillos multò infra genua à tergo demiſſos, barbamque præter pectus ad pedes uſque defluentem, per totum corpus in orbem conſtipare & cingere, atque ita pilos ipſis ſuos veſtimenti loco eſſe.* Lector ipſe adeat collegæ noſtri *diatriben textualem ad 1 Corinth. 11.* Nuperrimè etiam edita eſt eximii Theologi & Medicinæ Doctoris *Ioannis Heiſtii* Eccleſiaſtæ Brouvershavienſis in Zelandia *Diaſcepſis de pilis*, *An ſint pars coporis*: ubi rationum pondere & conſenſu phyſicorum ac Medicorum validè diſputat pro ſententiâ negante. Quo lectorem remittimus. De ſanguine an ſit animatus & an pars corporis, ſubtiliter diſquirunt *Zwarez aliique recentiores ſcholaſtici ad 3. qu. 119.* ubi hypotheſin facit ipſis in determinandâ quæſtione, An ſanguinis Chriſti in cruce effuſus per triduum divinitati adjunctus fuerit, & cum reſurrectione rurſum à Chriſto aſſumtus atque una cum toto corpore organico animæ ipſius unitus fuerit. Et fuit orta ſuper eo calidiſſima contentio inter Dominicanos & Minoritas, ſe mutuo hæreſeos condemnantes: adeo ut bullâ peculiari eam ſufflaminare debuerit Paulus 11. anno 1464. Hodie nonnulli putant à Pontifice illo definitum fuiſſe, ſanguinem effuſum divinitati per triduum adjunctum fuiſſe. Negat tamen id *Franc. Collius* Theologus collegii Ambroſiani Doctor in *tract. de ſanguine Chriſti l. 5. diſp. 4. cap. 2.* Et cum eo *Flavius Cherubinus in notis ad compendium Bullarii tom. 1. p. 67.* XII. *Probl.* An pili, ungues, ſanguis, lac, ſemen ſint partes

anima-

nimales. *Resp.* Pendet ex determinatione præcedentis problematis. *Affir.* ex recentioribus *Arriaga in Cursu physico. Neg. Eustachius de S. Paulo in summa philosophiæ p.* 169. & *Conimbric. loc. cit.*, & *Scholastici ad locum Thomæ cit.* Et ex professo hoc problema ut & præcedens ventilavit Angelus Morellius Aretinus Theologus & Philosophus Servita in tract. de Trāsitu humanarum animarum in belluas &c. an. 1589. Patavii edito; ubi post rationes atque autoritates utriusq; partis expensas pro *Neg.* determinat. Operę prætium fecero si distinctiones ejus huc transcripsero. Quatern. E. *Secundo notandū est ex* Alexandro de Ales in summa sua parte secunda *quod viventia sunt in triplici discrimine: nam viventium quædam dicuntur proprie vivere, quædam minus proprie, quædam verò valde impropriè.*

Declaro singula: illa propriè vivunt quæ uniuntur animæ perficienti ea, veluti sunt corpora organica, jam ab ipsa anima actu perfecta, unde dixit Philosophus, Anima est actus corporis Physici organici potentia vitam habentis.

Illa dicuntur minus propriè vivere, quæ conjunctione vivunt veluti sunt illa quæ animabus perficientibus non sunt conjuncta; sunt tamen conjuncta corpori habenti animam ut perfectionem: Hæc licet animam non habeant, habent tamen ratione illius conjunctionis cum corpore virtutem aliquam vitalem per quam habeat contigui vel continentis operationes consimiles rei proprie viventi: & hoc modo embrio ante ejus organizationem dicitur vivere: similiter ungues, capilli, pili, & poma arboribus conjuncta, & sic similiter de aliis fructibus terræ.

Tertio & postremo illa dicuntur vivere valdè improprie, quæ non sunt animæ unita neque ex colligatione, vel conjunctione cum corpore vivente recipiunt aliquam virtutem vitalem intra se veluti suscipiunt viventia secundo modo: sed ex illa colligatione cum corpore suscipiunt solum aliquam vegetationem: unde sunt in dispositione ad unionem cum corpore vivificato, & sunt sicut nutrimentum respectu vitalis virtutis, & isto modo vivere dicuntur spiritus, & humores, qui vitali virtuti deserviunt, secundum quam quodammodo in corpore vegetantur, augentur, sive instaurantur: Dicet quis humores quomodo vegetantur vel nutriuntur in corpore?

Dico quod vegetantur vel nutriuntur, communiter loquendo, eo modo, sc. quo dicimus aliquid vegetari in corpore, quatenus in corpore non putrescit neque corrumpitur: & isto modo humores inter quos connumeratur sanguis vivere dicuntur: Vivere itaque est in triplici gradu proprie ut sunt habentia animum: Minus proprie ut habentia tantum virtutem vitalem: Valde improprie ut sunt non habentia animam, neque virtutem vitalem, sit tantum vegetationem quandam: Et sic ex hac optima distinctione patet quomodo concedi possit sanguinem esse animatum: & quo pacto satisfieri queat omnibus probantibus sanguinem vivere, & animatum esse.

Terzo principaliter notandum est quod ungues pili & capilli corporis non sunt formaliter animata vel viventia: ratio est quia talia non dicuntur proprie sana, aut

ægra, ideo non sunt formaliter viventia, ut supra deductum est, & consequenter dici posset quod non augmentantur vera augumentatione, sed solum ex continuatione, vel additione quadam alicujus partis supervenientis additæ seu continuatæ ad partem præcedentem, quemadmodum aqua, & cætera liquida augeri dicuntur. Et ad quæst. secundam quatern. G. 1. *Distinctio est talis Aliquid esse de veritate integritate & parte hominis quatuor modis contingit.*

Primo ut sit pars essentialis hominis necessario requisita sine qua homo esse non potest, ut materia, & forma respectu hominis, & cujuslibet compositi.

Secundo ut sit pars integralis humanæ naturæ, Partes integrantes requiruntur ad esse hominis sine quibus tamen homo esse posset, ut caput, manus, pedes, brachia, & similia membra, quibus homo quandoque caret: plures enim homines videmus sine manibus, & sine pedibus: Ratio hujus est quia tales partes integrales non solum includunt id, quod ad hominis essentiam attinet, sed etiam includunt aliquid additum, id est, quantitatem talem, vel talem figuram:

Hæ partes essentiales scilicet & integrales intrinsecæ sunt, quia intrinsece pertinent ad integritatem animalis; & inter has essentiales partes magis intrinsece attinent.

Tertio aliquid potest dici pars hominis non quidem intrinsecè sed pure extrinsecè sine quo, vel sine quibus natura secundum communem cursum ejus salvari non posset, nisi tales partes adjungerentur, veluti sunt humores, cholera, flegma, melancholia, sanguis.

Quarto aliquid dicitur pars hominis quantum ad decorem, venustatem, ornatum, vel pulcritudinem ejus: & sic omne quod attinet ad decorem hominis potest dici pars hominis, quemadmodum sunt hæc, barba, ungues, & capilli.

XIII. *Probl.* An ossa, pili, nervi, sanguis, spiritus, cerebrum sentiant? *Resp. Aff. Campanella lib* 2. *de sensu rerum & Magiâ.* Quod non mirum, cum omnibus rebus sensum tribuat. Contrarium tamen determinat communis Medicorum & physicorum schola: quam nos tutò & absque exorbitantiâ absurdi sequi possumus; præsertim cum theologiam & scripturam (quod sciamus) hæc ita non attingant. XIV. *Probl.* An homo possit esse sine liene, an pulmones deperditi restitui &c. *Resp.* Ad errores populares hæc rejicienda (quamvis *Talantonius lib.* 3. *abscondit. rerum Thesauri cap.* 19. disputet lienem eximi posse;) & Medicis disceptatio relinquenda. Theologiam enim nostram (quod sciam) non attingunt. De corde, ejusque affectibus & vulneribus aliter se res habet: uti innuimus in *disp. de Perfosso latere Christi.* Vt etiam de costis, & vulneribus circa illas: quia eorum meminit scriptura.

DE

DE CREATIONE.

PARS DECIMA,

Resp. LUBERTO SPRUITIO Vltrajectin.

Ad diem 10. *Novemb.* 1638.

XI. *Probl.* AN animæ omnes sint æqualis perfectionis substantialis; seu an una sit perfectior altera? *Resp. Aff. pr.* & *Neg. post.* de perfectione tum specificâ tum individuali. Et sic *Thomas* 22. *qu.*5. *art.*4. & 3. *qu.*69. *art.* 4. Cui contrariam sententiam à nonnullis Thomistis affingi operosè probat *Annibal Guaschus in Disput. peculiari de æqualitate animarum.* Recentiores tamen plerique aut problematicam seu quodlibeticam faciunt hanc quæstionem, ut *Conimbricenses in* 2. *de Anima c.* 1. *qu.*5. aut inæqualitatem acriter propugnant, *ut Bannes, Ruvius, & ante eos Capreolus, Iavellus, Ferrarienſis, Cajetanus, Ægidius, Bonaventura, Richardus,* & scholastici fere omnes præeunte ipsis *Magistro* 2. *dist.*17. ut quidem ipsi ejus verba huc trahunt: quamvis ego censeam tale quid iis non contineri. Quin immo Parisienses inter articulos damnatos referunt sententiam oppositam. Vide syllabum *variorum articulorum erroneorum omnium pene facultatum in Angliâ & Parisiis studiose & autoritativè condemnatorum, cum revocationibus eorundem*, qui cum Lombardo excudi solet. Vbi *cap.*8. habentur errores de Animâ & intellectu; inter quos & iste: *Item quod inconveniens est ponere aliquos intellectus nobiliores aliis: quia cum illa diversitas non possit esse à parte corporum, oportet quod sit à parte intelligentiarum: & sic animæ nobiles essent necessario diversarum specierum, sicut intelligentiæ. Error, quia sic anima Christi non esset nobilior animâ Iudæ.* Sententiam tamen hic condemnatam apertè amplexi sunt *Durandus, Argentina, Soncinas, Sotus, Toletus* 3. *de Animâ qu.*18. ubi addit oppositam opinionem temerariam & periculosam esse. *Fonseca* 5. *Metaphys. c.*26. *qu.*16. ubi etiam adducit autoritates patrum. Vt breves simus *Thomistæ cit. cum Ruvio* incrustant, & excipiunt, Individualem perfectionem *esse modum substantialem*, hinc aliam animam aliâ esse perfectiorem *substantialiter; modaliter scil. non essentialiter.* Ad hæc, Vnum hominem perfectius intelligere alio & melius penetrare naturam objecti, propter duo 1. quia habet meliorem intellectum & meliorem animum. 2. Propter inferiores potentias melius

melius disposita, nempe sensus internos & externos. *Resp.* Principium petitur. Hoc enim demonstrandum esset, substantialiter perfectiorem esse *tum* essentiam animæ *tum* facultatem intelligendi. Argumenta enim ipsorum nihil aliud conficiunt, quam potentias secundas esse perfectiores, hoc est ingenia hominum alia aliis esse perfectiora & nobiliora: quod nos concedimus. Sed inde falsa est consequentia ad potentias primas, & ipsam animæ substantiam. Præterea distinguenda est prima unio animę individuæ vestitæ suis facultatibus cum individuo suo corpore in unum substantiale compositum; ab unione secundâ in operationibus & ad operationes compositi. In istâ τὸ magis & minus locnm habet propter magis & minus in qualitatibus & dispositione organorum; in illâ verò minime. Probamus itaque vulgatum illud Aristotelis in scholis jactatum: *Si senex haberet oculum juvenis, videret ut juvenis*: Sed in sequentibus videbitur, sententiam hanc nostram dubiis nonnullis explicandis convenientiorem esse. XII. *Probl.* An per lapsum hominis essentialiter mutata sit natura humana, atque adeo deterior facta? *Resp. Neg.* Omnis enim mutatio est accidentalis, in potentiis secundis executricibus actionum humanarum. Quarum modificatio & dispositio per habitualem seu permanentem sanctitatem, aut adventitiam corruptionem, ad bonum aut ad malum determinat & specificat. Itaque nec essentialia constitutiva, ut corpus & anima, aut animal & rationale; nec consecutiva, ut mens, voluntas, earumque connaturales proprietates deperditæ, aut in se atque intrinsecè mutatæ sunt: nedum ut peccatum sit ipsa hominis substantia, aut essentialis hominis proprietas. Quod observandum contra Manichæos & Flaccianos; item contra Anabaptistas oppugnantes conceptionem Christi ex Mariâ peccato infectâ. XIII. *Probl.* An sit immortalis seu incorruptibilis; idque ex propriâ suâ naturâ, non verò per gratiam; & immortalitas ejus ex lumine & ratione naturali demonstrari possit? *Resp. Aff.* 1. *ab intus* scil. quia ipsius esse nullum habet dissolutionis aut desinendi principium, & ideo natura ejus postulat ut esse, quod semel accepit, perpetuo retineat; adeo ut, quamvis à Deo dependeat, per potentiam tamen ejus ordinariam destrui nequeat. Sed ἔξωθεν *ab extra* est corruptibilis, quia Deus per absolutam potentiam destruere potest. Et sic oppositè ad angelos & animas humanas, ipse solus dicitur habere immortalitatem 1 *Tim.* 6. Probatur autem animæ immortalitas, ex innumeris scripturæ testimoniis atque argumentis, quæ vide apud *Zanchium, Polanum, Alphonsum à Castro* &c. 2. *Aff.* quia nulla est in eâ compositio ex contratiis, nullaque alia dissolutionis principia; ita ut per applicationem agentis naturalis, aut impedimenti seu objici à gratiâ positi

positi remotionem, corrumpi nequeat: quo nonnulli referunt illud *Mat.* 10. *Animam autem non possunt occidere.* 3. A posteriori rationibus quibusdam suaderi, quibus homo non omnino petulans aut pervicax moveri possit, & debeat, non est negādum: sed tamen evidentem hactenus demonstrationem inventam, qua mens humana à priori convincatur & cogatur, nō ita liquet. *Scotus, Cajetanus*, aliique sentiunt solâ fide cognosci: Contrarium tenent Scholastici fere omnes & recentiores apud *Conimb. & Ruvium*, nec non *Lorinum in Ecclesiast. 3. c. 12. citati.* Quidquid sit de certitudine demonstrationis, facilitas tamen ejus & evidentia hactenus nondum comparuit: præterquam quod omnis sit à posteriori. Et hoc non obscurè fatentur autores citati. Nihilominus veritatem fidei solidè defendi, & objectiones omnes ex lumine naturali dissolvi posse certissimum est: Et hoc voluerunt Scholastici, & ex nostris *Zanchius*, qui etiam objectiones Atheorum nominatim Simonis Portii dissolvit. Gentilium sententiam de Immortalitate animarum explicat *Theodoretus de curationibus græc. aff. serm. 5.* Et ex recentioribus *Eugubinus in perenni philosophia lib. 9. & Plessæus de Veritate relig. Christianæ cap. 15.* Post quos idem egit *Iul. Cæsar Bullengerius in eclogis ad Arnobum lib. 1. ecl. 1. cap. 5. 6.* Ante hunc nonnulla collegerat *Turnebus in Phædonem Platonis.* Sed hæc non magis arguunt solius luminis naturalis evidentem demonstrationem, quam dicta Gentilium de Resurrectione corporis, beatitudine cœlesti, immo & Trinitate, satisfactione justitiæ Dei, & placamento per sanguinem. De Aristotelis sententiâ admodum disputatur. Sunt qui ajunt eum negare, alii dubitare, alii affirmare; sic *Thomas 2. contra Gentes c. 79. & ibid. Ferrarienses, & Naclantus Episcopus Clugienses tract. peculiari. Eugubin. lib. 9. c. 18.* & recentiores fere omnes. Videndi imprimis textus ipsius *lib. 2. de Generat. Animal. c. 3. Metaphys. 11.* (latinis est) *lib. 12.) c. 3. & lib. 1. de Anima c. 4. & lib. 2. c. 1.* Negari tamen non potest intellectum patientem ab eo statui mortalem, solum agentem immortalem, ut patet inspicienti modo *cap. 6. lib. 3. de Anima*, & solidè ac perspicuè contra alios interpretes seu potius tortores textus Aristotelici ostendit hoc *Iulius Pacius in comm. Montecatinus in lecturâ ad c. cit.* subtilem quidem excogitavit evasionem & conciliationem, ut νῦς jungatur cum participio χωριστὸς, atque ita opponatur menti animæ &c. si ex verbis Aristotelis probari posset. Demonstrationes naturales communiores & solidiores sunt istæ. 1. Sumitur ex independentiâ operationis animæ, intellectionis scil. quæ non est organica, nec absolutè & necessario pendet ab organo corporeo. Quamvis enim secundum naturæ ordinem, quamdiu est in corpore, species accipit à sensibus, tamen Deus potest illi immediatè eas imprimere; potest etiam actiones sensuum suspē-

dere ; ut patet in ecſtaſi & raptu. De quo in *diſp. de Prophetiâ.* Hinc ergo infertur quod ſit independens in eſſe, & à corpore ſeparabilis. 2. Intellectus eſt potentia purè ſpiritualis, inorganica, percipiens ſpiritualia & univerſalia &c. ergo eſt independens à corpore &c. 3. A conſcientiâ & ſyntereſi naturali, & juſtitiâ ac providentiâ Dei: Vnde colligitur hominis aliquid ſupereſſe poſt mortem, quia in hâc vitâ bonis non eſt bene, nec malis malè, pro ratione operum. Ergo &c. Quam rationem ego omnibus præfero. *Scaliger Exercit.* 309. *ſect. vigeſimâ* duas has urget rationes; quia eſt ſimplex, & quia quinta eſſentia, non elementaris: ergo nec diſſolubilis. *Antonius Sirmundus* ſocietatis Ieſu Theologus *tract. peculiari* anno 1635. edito hanc cauſam agit, & pro eâ has claſſes argumentorum adducit.

1. Ex autoritate divinâ, *Math.* 10. &c. 11. Ex autoritate humanâ. 111. Ratio, à providentiâ & juſtitiâ Dei. 1v. A præſtantiâ hominis. v. A lege virtutes heroicæ. v1. A lege virtutis communis. v11. Quia anima habet operationem aliquam propriam, nim. ipſam ſui viſionem:

1. Per communia principia. 2. Per intelligibilitatem propriam ſine ſpecie. 3. Per intelligendi vim æqualem. 4. Per independentiam intellectionis à corpore. Porro mortalitatem animæ aſſeruerunt olim Saducæi; Nazarei, Arabici (quamvis hi una cum corpore ſuſcitandam dicerent *Auguſtin. de hæreſ. c.* 83.) Samaritis eundem errorem tribuit *Philaſtrius*; Et Albigenſibus *Prateolus lib.* 1. *p.* 23. Quæ ſatanica eſt calumnia: eumque ab Hermanno Kiſwich (ſcribendum eſt, *Rijſwijck*) Hollando ſuſcitatum teſtatur *Alphonſus à Caſtro lib.* 2. *fol.* 62. Idem habet *Prateolus*; quod uterque deſcripſit ex *Lutſenburgio*, qui refert hunc Hermannum prius ad perpetuos carceres damnatum 1499. poſtea cum relapſus eſſet, combuſtum 1512. Hoc ſaltem conſtat nullibi hunc errorem vulgatiorem eſſe quam Romæ & in Italiâ, & ſpeciatim inter literatos ac Profeſſores Academicos, & Curiales Romanos, eoſque qui edunt ſub maxillis Papæ, Ignorare non poſſunt cur & contra quos conditum ſit decretum *Concil. Viennenſ., ſub Clemente V. & Lateranenſ. ſub Leone X. ſeſſ.* 8. *coll. cum conſilio Delector. Cardinalium ſub Paulo* III. Inſuper editi ſunt tractatus *Niphi, Naclanti, Cani, Ioh. Cognati, Antonii Sirmundi, Leonardi Leſſii*, aliorumque *de Immortalitate Animæ, Iavellus contra Pomponatium, Fortunii Liceti contra Cremoninum*; & *Talantonii diſſertatio in theſaurum rerum abſconditarum lib.* 2. *cap.* 7. Confer *diſp.* noſtram *de Atheiſmo.* x1v. *Probl.* An ſit ſubſtantiâ purè ſpiritualis ita ut in ſuâ entitate nihil corporis admixtum habeat; idque ex lumine naturali probari queat. *Reſp. Pr. Aff.* ex *Eccleſ.* 12. 7. *Luc.* 23. 46. Vbi ſpiritus nec aërem, nec ventum, nec ſpiritus vitales, nec quid-

quidquam quod in & cum corpore (à quo anima separatur) corrumpitur, significare potest. Contrarium tamen censuerunt Luciferiani apud *Augustin. de hæres. c.* 81., & nonnulli ex patribus, qui angelis & animabus tenuia & subtiliora corpora tribuerunt: ut *Origenes, Tertullianus, Iustinus Martyr, Macarius, Cæsarius, Claudianus de statu animæ, Gennadius c.* 12. *& Iohann. Thessalonicensis in pseudo-synodo Nicena* (quam 2. vocant) *actione* 5. *Augustinus* in eam partem loquitur: sed melius se explicare videtur *epistol.* 18. *ad Hieronym.* Et frustra hos excusare satagit, *Ruvius tract. de Anima Separata qu.* 2. Et *Conimb. in* 2. *c.* 1. *qu.* 1. Quod facile esset ad oculum demonstrare, siquidem tanti esset, & chartæ angustia caperet. Contraria sententia tenenda est, cum communi Theologiâ & philosophiâ, & Scholasticis apud *Thomam* 1. *qu.* 51. *art.* 1. *& qu.* 75. *art.* 1. *& apud Magistrum* 2. *dist.* 8. *ut & Nazianzeno, Chrysostomo, Cyrillo, Nysseno,* aliisque patribus, quos citatos video ab *Elmenhorstio ad Gennadii c.* 12. *Posterior* pars *aff.* à posteriori scil. ex operationibus ejus propriis; cum enim non sint corporeæ nec organicæ, certo ac proprio organo affixæ (uti sensitivæ) sequitur nec facultates rationales esse corporeas, atque adeo nec animam rationalem secundum propriam entitatem. XV. *Probl.* An sit simplex; an verò composita ex materiâ & formâ; aut ex potentiâ receptivâ reali, & actu reali, seu formâ in eâ recepta? *Aff. pr. Neg. post.* cum communi schola apud *Aristotelem* 2. *de Anima c.* 1. *&* 3. *& Thomam* 1. *qu.* 75. *art.* 5. ubi rationes vide. XVI. *Probl.* An sit divisibilis, an defatigetur, senescat, dormiat, patiatur directè à corpore aut rebus corporeis? *Resp. Neg.* De psychopannuchia, & animarum exustione per ignem ex professo agitur in locis commun. De *statu animæ separatæ*, & *de inferno.* Interim consulant studiosi *autores cit. & Goclenii Exercit. ad Scaligerum p.* 51. XVII. *Probl.* An animæ humanæ excellentia & vires ita sint amplificandæ, ut omnia ejus imperio subjecta dicantur, eique tanquam causæ directæ & physicæ divinatio, miracula, præstigiæ, fascinum attribuantur? *Resp. Neg.* contra Magos, Hermetico-Platonicos, & Cardanum, Pomponatium, & similes: de quo infra, & in *dispp. de Miraculis, de Prophetia, de Magia.*

Hactenus de principiis essentiæ humanæ; nunc de principiis exis- 2.
tiæ, seu ortu hominis. Considerari is potest quadrupliciter 1. In primo prima creatione ex terra. 2. in ἀναπλασματικῷ creatione ex costa viri. 3. In ordinaria generatione ex viro & fœmina. 4. In extraordinaria generatione, Christi scil. ex virgine per virtutem Spir. S. De primo & secundo productionis modo quæritur. 1. *Probl.* Ex qua materia primus homo productus, ex sola terra, an vero ex quatuor elementis? *Resp.*

Nihil vetat *Gen.* 2. 7. & 3. 19. 1 *Corinth.* 15. 47. per terram (quæ cum aqua est elementum prædominans in corpore humano juxta Scholasticos *ad* 1. *qu.* 99. *art.* 1.) synechdochicè intelligere quatuor elementa. II. *Probl.* An corpus *primo* formaverit in modum statuæ de limo seu luto aut argilla, quia pulvis ad plasmationem non est idoneus; *Deinde* in luteam hanc statuam paulatim induxerit dispositiones carnis & corporis humani; *Denique* simul cum ultima dispositione induxerit formas heterogeneas singularum partium, & cum iis simul creando infuderit animam? *Resp. Aff.* communiter *Scholastici ad* 1. *q.* 91. *art.* 2. *& commentatores nonnulli Chrysostomus, Gennad. in catena, Corn. à Lapide.* Sed hæc incerta sunt, nec ex scriptura probari possunt. Immo contrarium inde probatur de pulvere ex *Genes.* 2. 7. *&* 3. 19· 1 *Cor.* 15. 47. Nec ad rem faciunt loca *Iob.* 10. 9. *Ierem.* 18. 2. III. *Probl.* An Adam fuerit creatus ex terra rubra, & quidem in agro Damasceno, juxta *Hebron*; ubi & sepultus dicitur; quo facere putatur *Iosuæ* 14. 15. *Resp.* Ita quidem tradunt Hebræi, & cum iis *Hieronym. Lyra, Hugo, Abulensis*; & qui terram sanctam descripserunt *Burchardus, Bredenbachius, Saligniacus, Adrichomius.* Sed prius ex etymologia vocis *adamah*, fallaciter infertur; cum ea vox in genere significet humum seu terram (quod terra intacta rubeat aut rubere videatur), & non tantum terræ aliquam partem rubedine ab alia distinctam: vide *Genes.* 4. 2. 1 *Sam.* 4. 12. *Nehem.* 9. 1. *Exod.* 3. 5. &c. Reliqua quæ attexunt sunt fabulosa. Locum Iosuah aliter explicandum, & nomen *Adam* ibi appellativum esse docet tum accentus qui hanc vocem à præcedentibus distinguit & cum sequentibus conjungit; *tum* imprimis articulus præpositivus ה, qui cum nominibus propriis non construitur. Et sic *Targum.*, Adam exponit per אנש, id est hominem. Ita simul exploditur commentum *Ioh. Lucidi*, qui Adamum facit maximum gigantem. IV. *Probl.* An anima protoplasti à Deo immediatè sit infusa, eaque significetur per *spiraculum vitæ*? *Resp. Aff.* anima enim ab effectu illo in corpore maxime necessario, respiratione scil. vocatur נשמת à rad. נשם *anhelavit, attraxit spiritum Ierem.* 18. 16. 1 *Reg.* 9. 1. hinc dicitur Deus in nares ejus insufflasse *spiritum vitæ*: Et homo spiritum habere in naribus *Iesa.* 2. 22. Non videmus ergo melius transtulisse Vulgatum interpretem *in faciem*; ut vult *A Lapide*, cujus πχαμοὺς vide in *comment. ad Genes.* 2. 7. Admittimus autem quod notant *Scholastici & commentat.* complecti hanc animam τὸ vegetativum, sensitivum, & rationale: sed probationem ipsorum ex voce חיים *vitarum* ineptam putamus; est enim ea pluralis numeri, ut alia ætatum nomina. Vide *Psalm.* 16. *v. ult. &* 103. 4. *Iob.* 10. 12. *&* 24. 22. *Genes.* 17. 28.

Rejici-

Rejicimus Philastrium, qui sententiam hanc inter hæreses seu errores deputat; contendens per spiraculum innui spir. S. seu gratiam animæ Adami inditam. Sed merito eum refutat *Alphonsus à Castro libr. cit.* Et ante eum *Augustin. lib. 13. de Civit. Dei c. 24.* Hinc obiter nota, (quod etiam in *Desperat. Causa Papatus lib. 2. sect. 1. cap. penult.* monuimus) non omnes esse hæreses, quas tales indigetat aliquis ex scriptoribus Hæreseωn, *Epiphanius, Philastrius, Augustinus, Theodoretus, Gennadius, Damascenus, Leontius*; ut de recentioribus hæreseωn nomenclatoribus alibi nominandis jam non dicam. v. *Probl.* An ex loco *Genes. 2. 7. & Eccles. 12. 7.* rectè probetur animam esse unam & formam informantem atque essentialem corporis? *Resp. Aff.* VI. *Probl.* An revera Eva fuerit creata ex costa Adami? *Resp.* 1. *Sunt* qui hæc metaphoricè accipiunt, ut *Cajetanus.* 2. *Alii* simul creatam volunt fœminam cum viro, sed dorso aut latere illi conjunctam; ac postea separatam; illudque indicari *Genes. cap. 2. vers. 21. 22.* Sic *Rabbini apud Sel. Iarchi & Aben Ezra, in commentat. & Maymonid. in Moreh pag.* 280. quam opinionem arripit *Steuchus Eugubinus*: sed refutatur ex textu coll. cum 1 *Timoth.* 2. 13. Vide *Zanchium.* 3. *Alii* revera Evam ex Adamo formatam juxta literam textus coll. cum 1 *Corinth.* 11. 8. Sic *Augustinus lib. 9. super Genes. ad lit. c. 16. &* communiter *commentatores, Scholastici, & locor. comm. scriptores*: quibus nos assentimur. Difficultas movetur de costa Adamo ablata; fueritne alia restituta cum carne, cujus meminit *v.* 21. ut vult *Catharinus*? An verò Adamus habuerit tredecim costas, quarum una ablata manserint illi & viris omnibus 12. pari numero cum fœminis, ut vult *Thomas* 1. *quæst. 92. art.* 3. quem communiter Pontificii Theologi sequuntur & ex nostris *Zanchius.* Nos malumus sentire cum *Catharino*: rationes enim Thomistarum nimis dilutæ videntur: Fuit itaque non nuda costa sed & caro cum ea Adamo ablata, & ex utraque fœmina formata *v.* 23. (quod ex recentioribus rectè tradit *Pererius*) & consequenter cum carne & costa restituta. Quod *Aben Ezra* aliique Rabbini statuunt per צלע ut alibi sic & hic significari synechdochicè צד id est, *latus* (haut aliter ac græcorum πλευρὰ) id quidem nihil in se absurdi habet: & rationes nondum video, cur illa interpretatio huic præferenda sit; cum textui conveniat. VII. *Probl.* Qualis fuerit somnus Adami naturalis & ordinarius, an verò extraordinarius? *Resp.* Ex Rabbinis *Aben Ezra* observat תרדמה plus dicere quam שנה, & rursum שנה plus quam תנומה. Est enim sopor arctior & profundior. Hinc *Symmachus* vertit κῶμον (quo vocabulo Medici notant deperditionem sensus & motus in toto animalis corpore, illesâ manente spirandi facultate.)

Et 70. gr. ἔκστασιν. Nos cum patribus, Scholasticis, & nostris putamus duo fuisse in hoc somno extraordinaria 1. quod esset arctior somno naturali, & supernaturaliter, atque immediatè immissus; & hoc illi cum somno 1 *Sam.* 26. commune. 2. Quod esset ecstaticus, seu conjunctus cum ecstasi; & hoc illi commune cum ecstasi quæ dormientibus obtingit, de qua *Numer.* 12.6. & Elihu *Iob.* 33.15. Quod autem *August. tract.* 9. *in Iohannem, & lib.* 9. *de Genes. c.* 19. *Bernardus ser.* 2. *de septuagesima*, & recentiores *Pererius*, *à Lapide* &c. attexunt Adamum tanquam ecstaticum & prophetam mente sua vidisse spirituale conjugium Christi cum ecclesia, id eadem facilitate rejicimus quâ ἄτερ γράφης adfertur. Multo magis rejicimus commentum *Richardi in* 2. *dist.* 23. *art.* 2. (à quo non abhorret *Thomas* 1. *qu.* 94. *art.* 1.) quo statuit Adamum in hac ecstasi vidisse divinam essentiam. Quam opinionem de visione Dei in hac vita refutat *à Lapide in* 2 *Corinth.* 12. VIII. *Probl.* An anima Adami, tempore prior fuerit compósito; & an producta sit extra corpus? *Resp. Neg.* cum *Nysseno lib. de creatione hominis cap.* 29. 30. *Hieronymo epist.* 61. *ad Pammachium. Theodoret. de curat. lib.* 5.; quo etiam propendet *Augustin.* 12. *de Civit. Dei c.* 23. quamvis *lib.* 7. *de Genes. c.* 24. aliter statuisset. Rationes vide apud *Scholast. ad Thom.* 1. *qu.* 90. *art.* 4. cum quibus faciunt recentiores: nisi quod *Becanus in Theolog. Scholast.* contrariam sententiam probabilem putat; *Bonaventura* eam præferat, & *Magister* 2. *dist.* 17. in dubio relinquat. Sed propter errorem Origenis infra notandum, sententiam communem amplecti convenit. IX. *Probl.* Quomodo Adami costa eximi potuit sine sensu doloris. *Resp.* duo modi possunt excogitari. *Vnus* est, ut Deus vim tangendi suspenderit quod ad actum secundum: quod fit sola suspensione concursus sui cum causa secunda ad actum talem per facultatem sensitivam naturaliter sibi insitam, producibilem. *Alter* est, ut sopore illo & ecstasi ita obstupefecerit sensus omnes, ut officio suo non fungerentur. Nec id impossibile debet videri, cum experientia doceat homines, obsessione diabolica, morbo lethargico, symptomate epileptico, immo & narcoticis quibusdam arte factis reddi ἀναισθήτους. Ne quid dicam de fascino & maleficio, raptibus seu ecstasibus diabolicis, mania, phrenesi, melancholia, ebrietate &c. quibus phantasiam turbari ac sensum non parum hebetari notissimum est. Exempla sagarum refert *Tostatus in c.* 13. *Genes. qu.* 354. & presbyteri cujusdam *Augustin.* 14. *de Civit. Dei c.* 24. Ejusdem fere commatis sunt raptus Anabaptistarum Monasterienses; & monachuli illius Bernensis, quo abutebantur Dominicani Bernates ad probandam sententiam suam de conceptione Mariæ. Historia peculiari libello descripta est. Eandem repetit *Lavaterus de Spectris part.* 1. *cap.* 7.

Delrio

Delrio disquis. Magicar. lib. 2. qu. 1. ex professo docet quando & quibus causis indolentia induci possit. Quem vide. Confer *Disp. de Energumenis.* x. *Probl.* An corpus primorum hominum prius tempore formatum fuerit, quam anima sit creata & corpori infusa? *Resp. Aff.* antiqui & recentiores non pauci, nec ignobiles. Negans tamen tenenda est cum *Augustino, Nysseno, Damasceno, Thom. in 1. qu. 91. art. 4. ad 3.* & recentioribus, qui illum sequuntur: propter rationes ab ipsis allatas, quas ibi vide, & ex parte apud *Pererium lib. 4. in Genesin qu. 4.* XI. *Probl.* An angeli creârint hominem, aut aliquid contulerint ad ejus creationem; an anima hominis sit ex substantia Dei non verò ex nihilo; an Eva creata sit die septimo; an fœmina sit per se, an verò per accidens producta; an conjugium Adami & Evæ naturaliter fuerit indecens & illicitum, quod hæc ex illius costa formata esset? *Resp. Neg.* & quia abrumpendum; ablegamus studiosos ad autores jam sæpe laudatos. XII. *Probl.* An Adam creatus fuerit extra Paradisum, Eva verò in paradiso; an ætate & statura corporis perfecta; an origo hominis per creationem, & quidem ex terra etiam Gentilibus nota fuerit? *Resp. Aff.* Vide eosdem, quos supra; nominatim *Pererium.* Et de postremo *Lipsium lib. 2. diss. 4. Eugubin. lib. 9. cap.* Et *Danæum de prima mundi ætate cap. 3. art. 2.* XIII. *Probl.* An in formatione hominis aliquid de cœlesti natura ad mixtum fuerit: Cur Adam extra Paradisum, Eva intra sit creata: cur fœmina ex costa viri & non ex terra: cur Deus voluerit ex Adamo dormiente Evam formari: cur unam mulierem tantum crearit; an creata sit ex costa per rarefactionem, an verò per additionem alterius materiæ; cur Moses non memoret creationem animæ mulieris; cur Deus non æque potum ac cibum assignarit protoplastis &c. *Resp.* Quia partim curiosa sunt, partim incerta & dubia de quibus in utramque partem dici potest, putamus doctè ea ignorari posse, saltem chartæ nostræ parci. Si quis scire aveat quid Scholastici & commentatores hinc exsculpsant, is adeat *Pererium.*

Quæsita de tertio ortus humani modo, generatione scil. ad tres classes referimus 1. de Generatione in genere. 2. de origine animæ. 3. de formatione corporis. Primę classis quæstiones illustres sunt 1. An homo possit generari ex putri materia? *Resp. Negatur*, contra probrosas disputationes *Cæsalpini* celebris alioquin philosophi *lib. 5. qu. 1. & Cardani de subtilit. lib.* Quorum ille à *Taurello in Cæsis Alpibus*, iste à *Scaligero Exercit.* 19. 3. refutantur. Ante illos simile quid somniasse videntur *Avicenna lib. 6. Natural. Plato in Menoxeno* & alibi. Empedocles & Parmenides apud *Plutarchum lib. 5. de placitis cap. 7.* Cum quibus colludit vanitas Atheniensium, qui *ἀντίχονας* se jactabant. (Confer infra *probl. 9.* fuit etiam per- 3.

vulgata

vulgata antiquorum Gentilium & hodiernorum Sinensium opinio, homines è terrâ natos, tantamque Æthiopiæ & Ægyptii cœli Nilique indultu fuisse fœcunditatem, ut non tantum volatilia, aquatilia, terrestria, sed & homines spontaneo ortu fungorum instar illic nascerentur. Vide *Diodorum Siculum lib.1.cap.1.& 7. Iustinum lib.2. cap.1.& 6. cum notis Bernecceri; Eusebium lib.7. præpar. euang. c.17. Iustinum Martyrem in paræneſi, Lactantium lib.2.c.12. Cœl. Rhodigin. lib.2.c.19. Plinium lib.9. c. 58. Gryphiandrum de Insulis cap.8.§. 60. Salmuthum ad Pancir. novè repert. tit.10. p. 212. Othonem Heurnium in Iudico cap.13.* Poëtæ more suo de ortu ex lapidibus, aut ex dentibus fabulantur: ὀν μόνον γηγενεὶς, ἀλλὰ καὶ σπαρτοὺς ἀνθρώπους γεγενῆσθαι φᾶσι: ut loquitur *Theodoretus de curat. gr. aff. serm.5.* Huc refer fabulas de funginis hominibus apud *Casp. Barthium lib.8. adversar. cap.17.* Sed hanc opinionem detegere est refutare. Vide tamen *Lactantium loc. cit.* absurdis quibusdam eam urgentem. Et *Averroem in 3. de Animâ* apud *Rhodigin. loc. cit.* Paracelsus per artem Chymicam homines produci posse docet in Paramiro, ubi tres partes hominis facit, elementarem, cœlestem, & divinā: duas priores negat venire in cœlum. Ibidem sic scribit: *Dubitatum fuit à philosophis, num fieri possit, ut extra uterum muliebrem homo nasceretur: ad quod ego respondeo, arti Chymiæ ac naturæ id non repugnare, sed perfacile esse. Dampra in cucurbitulâ conclusa, vel lutata in equino ventre per dies 50. putrefactione summâ putrefiat, dum moveatur, quod facile est cernere. Post id temporis, similes quodammodo fiet Onechstnemum: attamen citra corpus pellucida. Hanc deinceps si humano sanguine quotidie prudenter cibes, seu alas, & inæquabili ventris equini calore conserves, ac foveas, membris omnibus ornata instar infantis ex muliere nati apparebit, minor tamen quantitate. Hanc nos rem homunculum appellamus, qui postmodum tanquam verus puer seu infans accuratâ sollicitudine ac diligentiâ educari debet, dum adoleverit. Hoc ex summis miraculis unum est, adeoque arcanorum omnium secretum maximum, quod tamen Pygmæis & gigantibus jam olim cognitum fuit, ut qui originem hinc acceperint.* Addit ibidem eos qui ita nati sunt omnia arcana & abscondita intelligere, quæ alias homines scire impossibile est, *quia* scil. *arte vitam, corpus, carnem & ossa acquisierunt, idcirco ipsis artes & scientiæ connascuntur*, nec aliunde discere opus habēt. Addit Mersennus citans hæc verba Paracelsi in Genes. p.651. in margine: *Hunc Paracelsi homunculum eundem esse existimo, cum diabolis, qui se ad instar infantium ali curant, quos aliqui* mont de gloire *vocant. Tholosanus lib. 9. syntax. artis mirabil. cap. 2.* refert ex *Paracelsi philosophia magna tract.1.& 2. libro de homunculo*, homines alios esse Adamicos, quales nos, alios non Adamicos, quorum alii undenæ in aquis, alii Pigmæi & Sylphæ in terris, alii Gnomii in montibus, alii Salamandræ in igne degentes.

Non

Non reperimus ab illis dicta. Breviter ſtudioſis noſtris conſiderandum ſuggerimus, an talis origo hominis conveniat cum *Pſal.* 139. & *Iob.* 10. aut cum nobili & admirabili corporis atque organorum ſtructurâ. Vide opinionem hanc rejicientes *Vegam lib.* 2. *de arte Medica ſect.* 6. & *Lorinum in commentar. ad Eccleſiaſt.* 3. 20. 11. *Probl.* An ex diabolo? *Reſp.* Oſtendimus in negantem ſententiam nos inclinare *Diſp. de Dæmonibus*: nunc abſolute negamus cum autoribus ibi cit. ob rationes ibidem, & à cit. autoribus allatas; imprimis negamus de dæmone ſuccubo: de quo ipſe *Delrio*, quamvis de incubo concedat. Congreſſum illum nefarium fieri poſſe concedit ex noſtris *Rivetus exercit.* 50. *in Geneſin*; ſed negat conceptum & partum hominis inde exiſtere poſſe. Hæc ita ſcribebam anno 1638. Poſtea legi & contuli Fort. Lycetum lib. 2. de Monſtris cap. 73. p. 231. ubi modos omnes enumerat, quibus per dæmonas monſtroſi partus edi poſſunt & ſolent. Quæ quia huic problemati affinia ſunt, huc tranſſcribam: *Inprimis enim poteſt perfectus fœtus à parentibus ortus vi dæmonis illudentis conſpicientium ſenſus monſtroſus apparere; ut enim præſtigiis homo videbatur ſibi, & aliis figuram aſini induiſſe; ſic nullo negocio poteſt infans variorum animalium membris compaginatus apparere malo Dæmone aſpicientium ſenſus illudente. Deinde poteſt Dæmon idem malus aliunde ſublatum monſtrum aliqua ex propoſitis cauſſis enatum paturienti clandeſtine ſupponere, vero partu ablato, aut ficta graviditate. Deinceps poteſt Dæmon monſtri conſtitutionem promovere applicando, ut dici conſuevit, activa paſſivis, nempe ſingulas antea propoſitas monſtrorum cauſas in uterum afferendo; nam vi Dæmonis, permittente Deo, poteſt tum generatrix, ac efformatrix virtus in ſemine degens adeo in quibuſdam partibus enervari, ut ſimilem parentibus fœtum conſtituere nequeat: tum ſeminis natura aliqua ex parte in viliorem eſſentiam deturbari, quæ non niſi animantis imperfectioris membra conſtituere apta ſit: tum materiæ fœtus partes aliquæ ineptæ reddi formæ ejuſdem ſpeciei cum parentibus: tum virtus fœtus altrix labefactari ne poſſit alimento partibus applicato earum figuram conciliare: tum materies alimentaris iis diſpoſitionibus aliqua in parte privari, quæ neceſſariæ ſunt ad induendam effigiem membrorum, quibus applicatur: tum in corpore fœtus morbus induci, quo ejus effigies in ferinam deformetur: tum imaginationi parentum ejuſmodi ſpectrum alte infigi, quo monſtroſus fœtus enaſcatur: tum in uterum fœminæ variorum animalium ſemen prolificum latenter infundi, quorum miſtione nuper novimus hujuſmodi monſtrorum cauſam exiſtere: tum etiam in alvo gravidæ animantis ſemiformata fœtui adjungi aliunde ſuſceptum ex utero feræ ſemiefficium catulum, & humano conceptui conglutinari in monſtri conſtitutionem. Cujus quidem monſtri cauſa efficiens proprie phyſica eſt; dæmon autem miniſter eſt, atque artifex apponens activa paſſivis, ingerens diſpoſitiones, removens, aut adducens impedimenta, ſolum motu locali*

monſtrorum cauſas agitans. III. *Probl.* An ex homine & bruto ? *Reſp.* Vix auſim concedere. Exempla aliquot ab hiſtoricis *Caſtanneda Luſitano, Saxone Grammatico, Olao Magno, Iohanne de Barros, Nierenbergio lib.* 5. *cap.* 6. & 7. adferuntur & illud notiſſimum in Belgio, apud *Delrio lib.* 2. *q.* 14. Sed forte reſponderi poſſet, aut diaboli fraudibus partum bruto ſuppoſitum, aut monſtra fuiſſe non homines, quamvis figura hominibus ſimilia fuerint : Quod autem *Delrio loc. cit.* ea dicit nec homines eſſe nec bruta, ſed mixtum quoddam ex utroque, haut aliter ac mulus ex equo & aſino : id ſane probare non poſſum. Si enim animali alicui ratio & anima humana non adfuerit, jam neceſſario eſt brutum; nullum enim datur medium ſeu tertium. Poſt primam hujus diſp. editionem cogitavi accuratius hæc diſtinguenda. Eſt ergo una quæſtio : An ex homine patre, & bruto matre homo generari poſſit ? Altera quæſtio eſt, an ex bruto patre, & homine matre homo generari poſſit. Ad priorem *Ariſtoteles* ex hypotheſi ſententiæ ſuæ de ſemine mulierum, abſque magnâ difficultate, affirmativè reſpondere poſſet. Sed cum ſententia ejus à veritate abludat, difficilior eſt determinatio. *Si*, inquit Nierenbergius loc. cit. p. 76. *utriuſque parentis efficacitatem fœtus deſiderat, non niſi fœminea vulva hominem verũ & mente exornatum novit, nec noviſſe poteſt : at ſi maris ſolùm vis fœtum fabricat, & fœmina ſolùm officina eſt, fortaſſe juxta Phyſicos poſſibilis erit poſt nefandum coitum hominem foveri in belluino utero præjacto humano ſemine. ſed iſtud numquam contigiſſe, Theologos potiùs decet aſſerere. Quare ſi qui veri partus beſtiarum fuerunt, unde fœtus homini-formes prodiere, inanes potiùs mente fuerunt, & ſemper cum pignore aliquo irrationalis naturæ. Fertur quidam apud Belgas vir pius è vaccâ genitus; dubia tamen mihi fides eſt.* Ad poſteriorem poſt recitata exempla quæ feruntur, ibidem cap. 7. per dubitationem reſpondet : *Non tamen liberaliter iſta credi oportet. Nec etiam puto eſſe ultra naturæ vires, ſi muliebre ſemen efficax eſt.* Sed *Fortunius Lycetus lib.* 2. *de Monſtris capp.* 68-73. validè pro utriuſque quæſtionis affirmante contra Mart. Delrio, alioſque contendit. *Primò* per exempla quamplurima ex antiquis & recentibus hiſtoriis atque obſervationibus collecta. Quæ ibi videnda. In quibus tamen plus æquo credulus mihi videtur. Omnia tamen in dubium trahere nolim. *Deinde*, per allatas rationes, quæ una ſint fontes ſolutionum, unde oppoſitæ objectiones & exceptiones dilui poſſint. Inter Rationes ejus præcipua eſt, quod non tantum ex plantis ſed etiam ex brutis diverſæ ſpeciei inter ſe commixtis, plantæ & bruta generentur, imprimis ſi naſcendi tempus utriuſque coëuntis ſpeciei æquale ſit, aut ſaltem non admodum inæquale. Minorem probat ex quotidiana experientiâ, & teſtimoniis Ariſtotelis. Majoris conſequentiam firmat cap. 71. *quod homi-*

nes non magis specie distent à canibus, ursis, equis, asinis, similis, quam platani à malis, castaneæ à fagis, orni à pyris &c. Sed magis strinxisset argumentum si dixisset, quam canes à leonibus aut lupis, quam glires à cuniculis, quam equi ab asinis. *Cap.* 70. ad probationem majoris & solutionem exceptionis addit, Quia homo cum brutis communem habet animalis naturam, communemque animam, & facultates sensitivas ac vegetantes: inter quas est generatrix cum suis subordinatis. Et ne inæqualitas efformationis fœtus & gestationis nimium obstare videretur, notat à *Petro Costeo* celebri Medico probatum homines undecimo & duodecimo mense natos, *lib. de Tempore partus cap.* 10.27.28. *Secunda ratio* est: Quod uterus e. gr. vaccinus, aptus locus esse potest, *quo* non minus quam utero humano fœtus humanus conservari, foveri & omnes functiones necessariæ circa ejus efformationem & perfectionem edi valeant: uti patere ait ex iis quæ scripsit in *libro de perfecta hominis constitutione in utero cap.* 23.24. *Tertia ratio est*, Quia ex iisdem alimur ex quibus constamus, teste *Aristotele*. Atqui lacte ferino, vaccino &c. ali possunt infantes: ergo ex semine & sanguine vaccino generari possunt. Atque hæ præcipuæ isti rationes, quas in illo observare potuimus. Quæ quamvis non omnes cum suis prosyllogismis æque solidæ, aut evidentes: tantum tamen cum allatis exemplis efficiunt, ut sententię huic nunc obloqui nō ausim. Idem *Lycetus cap.* 72. distinctè explicat quomodo ex nefario congressu viri cum ferâ & mulieris cum bruto triplex partus edi potest humanus scil. aut ferinus, aut formæ (externæ scil.) seu figuræ mixtæ, aut duarum formarum humanæ bestialis pro seminis humani aut belluini victoriâ ac prædominatione, aut pro genuino ac separato congressu mulieris cum homine & bruto: ita ut fiat superfœtatio. Hæc philosophemata usum suum habent apud Theologos, cum casus determinandi ad sextum decalogi præceptum, de conceptis aut in lucem editis fœtibus ex monstrosa ac nefaria illa commixtione occidendis aut non occidendis. Certe homo si conceptus, aut in lucem editus sit quamvis ex vaccâ, non videtur occidendus. Brutum si conceptum aut editum sit quamvis ex muliere, occidi posse, passim vix dubitatur. Et tamen lex Mosaica *Levitici* 20. indistinctè pronuntiat brutum à viro subactum comburendum: nulla habitâ ratione aut distinctione conceptus, si quis fuerit, & qualiscunque fuerit, veri hominis aut veri bruti. Alterutrum hic dicendum est aut verum hominem non potuisse concipi à bruto fœmina: aut si conceptus est, Deum pro absoluto dominio suo potuisse ejus occisionem in & cum materno utero bruti præcipere. IV. *Probl.* An naturaliter generetur homo ex sene centenario? *Resp.* Hoc quæro propter textum *Roman.* 4. 19. Si enim miraculosè

culosè intentę fuerunt vires Abrahami, jam dicendum erit naturaliter fuisse impossibile. Atqui contrarium evincunt non tantum exempla hominum ante diluvium *Genes.* 5. sed & hodierna, quamvis rara. Dicendum ergo Abrahami corpus fuisse tunc νενεκρωμένον, hoc est ineptum ad generationem, quippe laboribus, peregrinationibus, aliisque molestiis fractum atque enervatum. Aliena est altera ista solutio *Augustini* 16. *de civit. Dei* c. 28. non fuisse corpus ejus absolutè ineptum, sed tantum respectu Sarę. Longè absurdior *Pererii in Genes.* 18., ubi dicit ineptum fuisse non revera, sed opinione sua. Sed de hoc pluribus agebamus cum prælectionibus publicis explicaremus *epist. ad Romanos.* v. *Probl.* An homo generetur ex puero aut puella ante maturam eorum ætatem? *Resp.* Non videtur negandum, siquidem recipimus exempla à *Scaligero in Elencho chronolog.* adducta: quamvis suspicari liceat, non raro fraudem ibi subesse. Quod si non sit, jam dicenda erunt raro contingentia, & naturæ miracula. VI. *Probl.* An homo naturaliter generetur ex virgine absq; conjunctione cum viro: idq; per imaginationem, aut quamcunque prætensam virilis seminis attractionem? *Resp.* Omnino negandum est, ne miraculosam conceptionem virginis Mariæ (quam Christiani non tantum, sed & ipsi Saraceni juxta Alcoranum suum credunt) infidelibus elevandam prostituamus. Autor incertus Septemcastrensis tract. de Moribus & religione Turcarum cap. 14. de religiosis eorum sic scribit: *Illud vero magnum portentum, de quo magnus inter eos est rumor (scilicet plures conceptos esse & natos sine virili semine, qui Nefes ogli dicuntur, de quibus etiam in sequenti capitulo fit mentio) credendum est, fieri per fœminas non corruptas carnali corruptione. Potest tamen esse, quod ipsæ matres talium, sint uxores religiosorum, & propter prodigium continentiæ eorum, nascantur eis filii modo non naturali: sed modo alio diabolicæ dispensationis, hominibus occulto. Unde propter hoc ipsis Turcis non videtur insolitum, quando Christiani dicunt, imò ipsimet dicunt, & confitentur, Christum ex Maria conceptum, & natum sine humano semine. Quocunque igitur hoc modo fiat, licet sit insolitum & mirabile auditu, non tamen impossibile videbitur diabolicæ potentiæ, si cætera ejus opera inspiciantur, quæ in eis & per eos operantur.* Sed hæc tam vera sunt ac somnia nativitatis Antichristi aut Melchisedeki, aut ementiti quorundam fanaticorum natales. Quod si *Luc.* 1. 34. 35. *coll. cum Math.* 1. v. 20. 21. & *Iesa.* 7. attentius perpendissent *Thomas quodlib.* 6. *art.* 18. *Sánchez de Matrimonio tom.* 2. *lib.* 7. *disp.* 113. *Tostatus in Exod.* 5. & 7. & *Iesa.* 7. *Navarrus consilior. lib.* 4. *cons.* 2. *Henricus Henriquez lib.* 11. *de matrim. c.* 15. *Molina tom.* 3. *de Iustitia & jure tract.* 3. *disp.* 104. utique non dixissent fœminam absque congressu viri, & salva virginitate posse concipere: nec Medicis ludibrium debuissent. Sed nimis facile crediderunt historiolæ istiapud

sti apud *Thomam loc. cit.* de puella quæ ex patre conceperat, absque coitu; & alteri apud *Averroën* de conceptione in balneo &c. & tertiæ, de puero Romæ ex virgine nato, & jussu aruspicum in insulam deportato. Ad primam rectè respondet *Canonhierus in Aphor. Hippocratis pag.* 427. fabula illa fuisse palliarum flagitiosum incestum. Ad secundam & tertiam esse meras fabulas. Videat, cui vacat, & qui capere potest, *Canonhierũ*, operosè & ἀκριβῶς ista ventilantem, quæ pudor nobis nõ sinit hic exhibere. Mirum sane præstantiss. philosophum & Medicum *Valesium in paradoxam* hanc opinionem inclinasse, cum diceret, fœminam calidissimam sine viro generare aut concipere posse: quem notat *Laurentius lib. 2. anatom. cap. 4. quæst. 4.* Attingit etiam hanc quæstionem ἐν παρόδῳ *Delrio lib. 2. qu.* 15. Quod autem injicit, Calvinistas negando Mariam peperisse clauso utero, maximam partem miraculi obfuscare: iniquum & indoctum est. Neque enim consistit virginitas in eo, quod ipse cum *Canonhiero loc. cap. cit.* & scholasticis suis fingit: de quo hic plura dicere vetat pudor, & chartæ angustia. *Vid. Tol. Maldon. & A Lapide in Luc. 2. 23. & Villet. Rivet. in Exod.* 13. Et *A Lapide aliosque commentatores ad Deuter.* 21. & *Severini Pinæi tract. de notis virginitatis.* Sufficerit ad calumniæ depulsionem hic notasse: virginitatem formaliter esse nec substantiã nec accidens, nec positivum quid, sed privationem, conjunctionis scil., seu copulæ carnalis cum viro: ut colligimus ex verbis beatæ virginis *Luc. 1. 34.* coll: cum *Iudic. 11. 37. 38. 39. Genes. 24. 19.* Quam definitionem seu descriptionem virginitatis nemo sanus negare potest. Porro hujus problematis contra hominis naturalem conceptionem ex virgine determinatio facit ad tutiorem defensionem miraculosæ conceptionis Christi. Problemati huic nostro de generatione hominis ex virgine affines sunt quæstiones. 1. *An* uxor per fortem imaginationem vigilans aut somnians concipere possit ex marito absente: sic ut marito tanquam genuino patri infans ille adjudicandus sit. *Resp. Neg.* vide de viribus imaginationis quod ad miraculosa se non extendant, *Delrio in disquisit. Magic.*, *Sennertum in libro de Chymicor.* &c. *cap. Thomam Fienum in tract. de Viribus Imaginationis.* Ante annos octo aut novem libellus in Galliâ editus, & ex Gallico in Belgicum idioma traductus, qui continebat historiam nescio, an fabulam parabolicè aut per ludibrium fictam de ejusmodi filio ex imaginatione fœminæ alicujus concepto, absente per triennium marito: qui tamen à curiâ quâdam illi marito tanquam legitimus filius adjudicabatur. 2. *An* Dæmones possint efficere ut virgines mente & corpore incorruptæ absque ullo congressu viri concipiant, infundendo scil. in uterum ipsis dormientibus & non sentientibus semen fœcundum aliunde accersitum? *Resp. Aff. Delrio lib. 2. disq. magic. qu.* 15.

Sed merito vapulat à maximo Theologo *Riveto Exercit.* 50. *in Geneſin*: quem vide. Cogitent Pontificii an tam paradoxis diſputationibus non præjudicetur miraculoſæ conceptioni Chriſti ex virgine ſine virili ſemine. 3. *An* mola in virginibus abſque congreſſu virili generari poſſit? *Reſp. Aff.* cum *VVeinrichio, in erudita epiſtola* de hâc quæſtione editâ, & *tract. Mirandulæ de Lamiis* ſubjectâ in edit. in 8. quam Weinrichius præmiſsâ inſigni præfatione recudendum dederat. Vbi rationem oſtendit quomodo hoc fieri poſſit. 4. *An* puer 10. aut 11. annorum generare poſſit? *Reſp. Aff. Ioſephus Scaliger in elencho orationis chronologicæ Parei.* Vbi exempla aliquot adferuntur. Sed ut verum fatear nolim tam liberalis eſſe in credendo. Sæpe enim impuræ fœminæ conceptum ex puero fingerent, ut adulterium aut inceſtum tegerent. 5. *An* detur partus undecim aut duodecim aut etiam quindecim menſium; & utri marito partus certò adjudicari poſſit aut debeat, cum fœmina maturè tranſit ad ſecundas nuptias. *Reſp.* Vide quæ operose hic collegit *Salmuthus ad Pancir. novè reperta tit.* 10. *p.* 202.-211. ubi autores complures Medici pariter ac Iuriſconſulti indicantur. VII. *Probl.* An uno partu 365. homines edi poſſint, & quidem tamdiu vivere, ut omnes baptiſmo tingantur: ut quidem de Margaretâ uxore comitis Hennenbergii, & filiâ Florentii IV. Comitis Hollandiæ referunt tum noſtrates ſcriptores *Iunius in Batavia p.* 346. & ante eos *Eraſmus* & *Ludovicus Vives* (uti ibidem refertur,) *Bertius in tabul. Geographic.* Et *vulgaris hiſtoricus* noſtras unus atque alter qui vernaculo ſermone ſcripſerunt: tum etiam extranei, inter quos memoriæ nunc occurrunt *Guicciardinus in deſcriptione Belgii, Goclenius in Phyſica, Laurentius Anatom. lib.* 8. *qu.* 21. *Salmuthus ad Pancir. reperta tit.* 10. *p.* 216. *VVendelinus in Admirandis Nili cap.* 24. *Corn. à Lapide in Deuternom.* 24. Quin & hodie in templo Looſdunenſi oſtentatur inſcriptio, & pelves in quibus baptizati dicuntur. *Reſp.* Si quis in miraculum illud inquirat, inveniet non pauca huic fabulæ explodendæ. Nos duo ſolummodo notamus. *Vnum*, eſt quod incidiſſe dicatur in illud tempus, (annum ſcil. 1276.) quod ſtupendâ ignorantiâ & mendacibus miraculis fœtum, ejuſmodi fabulis ſpolia clericorum (reditus intelligo eccleſiaſticos) in immenſum augere ſolet. Fuit autem abbatia Looſdunenſis hujus hiſtoriæ unica & mater & nutrix; quam eâ occaſione à rerum novorum avidis imprimis ditioribus & magnatibus non infrequentius viſitatam nôrunt omnes, qui nôrunt quæ fuerint aucupia monaſtica. *Alterum* eſt, quod *chronicon M. S. quod accuratiſſimè res in Hollandiâ geſtas, quæ quidem alicujus momenti, conſignavit*, & etiamnum (ut didici ex amico fide digno) aſſervatur in camerâ Rationum, miraculi hujus non meminerit. Præterquam quod hiſtorici extranei tan-

nei tantum miraculum in tam illustri personâ editum non reticuissent. Cum ergo naturaliter tam multi fœtus uno partu edi non potuerint;nec temerè credendum sit nobis divinum miraculum : liberanda est patria & historia nostra ab insulsâ ejusmodi fabulâ,ne exteris salutioribus deridêdos nos propinemus. *Dalecampus in Plinii lib.7. c. 3.* non obscurè prodigiosi hujus partus fidem elevat. Alios autem minus ipsi paradoxos *ibid.* refert. & *Laurentius loc.cit.* Et *Salmuth. ad Pancir. reperta tit.10.p. 26.* Et *Camerarius centur 2.medic.historic.c.66.* Inter alia referunt ex *Alberto Magno* de 150. embryonibus auricularis digiti magnitudine in pelvim uno partu ejectis : quod non multum abludere mihi videtur à miraculo Hollandico. *Hadr. Iunius loc.cit.* adducit exemplum æqualis partus (365.) ex Margaretâ uxore comitis Holsteinii, qui accidit anno tricesimo septimo post partum Hollandicum; testibus scil. *annalibus Brunswicensibus, Alberto Crantsio*, & Ernesto Anhaltinorum Principum historio-grapho. Idem sed subdubitans refert A Lapide comment. in Deuter.24.19. *Celebre,& omnium ore vulgatum exemplum extat in Hollandia : uxor enim Comitis Hollandiæ pauperculam mendicantem repellens,eamque insimulans adulterii, eò quod tam numerosam prolem haberet, ab ea maledicta est, ut tot proles pareret quot sunt dies in anno.Maledictionem exaudiit Deus, fecitque ut uxor Comitis uno partu 365. proles pareret, quæ omnes baptizatæ sunt, & mox post baptismum mortuæ. Extat hujus prodigii pictura in monasterio virginum inter Leydam & Hagam Comitis. Idem prorsus contigisse Margaretæ uxori Comitis Holsteinii narrat* Crantzius in hist. Wandaliæ, & annales Brunsvicensium *anno Domini 1313.An idem sit hoc prodigium cum priore, ut eos sefellerint vicinæ voces Holsteinii & Hollandiæ, non laboro ; dummodo rem verissimam esse non dubitemus.* Exempla πολυτοκίας, quatuor scil. quinque, septem, duodecim &c. Quære apud *Marcellum Donatum in histor. mirab. c. 24.* Et *Schenckium tom.2.observ. 162.* & *Salmuthum loc.cit. Boxhornius in Theatro Hollandiæ pag. 173.* fœcundæ mulieris Mutinensis exemplum habet ; quæ aliquoties quaternos,& ternos,& decies gemellos pepererat : ita ut ante 40. annum ætatis 42. filiorum mater esset. Atque hactenus anno 1638. in primâ hujus disp. editione hanc historiam in dubium traxeram : postea visum fuit argumenta nostra instruere & in classes digerere, ut lectorum oculis subjici possint.

Rationes contra historiam monstrosi partus Comitissæ Hennenbergicæ Margaretæ.

1.Quia vulgatum *Chronicon Rhytmicũ Hollandiæ* (cujus author eo tempore vixit)ne semel quidem hujus miraculi meminit.Vt nec *Beka in historia Vltraject.* qui vixit anno 1358.Nec *Chronicon M.S.* quod asservatur in camerâ rationũ Hollandiæ:in quo res maximè memorabiles annotantur:Vti mihi retulit amicus fide dignus,& epoptes.Si quis curiosius in ista inquirat,archiva

chiva cameræ rationum Hollandicæ consulat, ad quæ provoco. Nec etiam diplomata comitum Hollandię, apud *Boxhornium loc. cit.* 11. Quia historia ipsa se suspectam reddit: ut uno in utero gestentur 365 infantes, & quidem vivi, perfectè conformatis omnibus membris, & tamdiu vixerint; ut fuerint baptizati. Videant Physici, Medici, & Iurisconsulti. *Dalecampium* jam citavimus. Addimus ex Salmuthi loco cit. p. 213. *De multiplici autem fœtus numero multa tam varia, & incredibilia tradi Paulus ait, ut fabulis annumerentur. Nam & quatuor pariter puellas à matrefamiliâs natas esse.* l. antiqui 3. ff. si pars hæredit. petat. & *Divo Augusto imperante, ancillam Cæsaris in agro Laurente uno partu quinque enixam pueros* Gellius *scribit.* lib. 10. cap. 2. & *Romæ fuisse Alexandrinam mulierem, quæ itidem quinque simul peperisset, & tum habuisset incolumes*, Vlpianus *testatur* in l. si pater. 36. §. nam & Aristoteles ff. de solut. & Cajus in l. utrum. 7. de reb. dubiis. *Cui insigniter adstipulantur* Simon Majolus dier. canic. part. 1. colloq. 3. pag. 45. 96. & seq. Ioh. Schenckius tom. 2. observ. Medicin. lib. 4. observat. 162. *qui quamplurima miræ fœcunditatis, numerosæque prolis uno partu susceptæ exempla sincera fide recensent.* 111. Quia circumstantiæ suspectam reddunt totam historiam. 1. Mater filia scil. comitis Hollandiæ, & uxor comitis Hennebergii in genealogiâ comitum de Hennenberch, non comparet. Nunquam enim comitum illorum quisquam, filiam comitis Hollandiæ duxit. Vide scriptores Genealogicos, inter eos *Michaelem Eytsingerum* & *Pontum Heuterum.* 2. Nec comparet Hermannus comes Hennenbergius. 3. Quia nihil absurdius & fabulosius illâ occasione, quæ refertur, hujus miraculi: quod comitissa non potuerit credere, fœminam gemellos potuisse ex uno viro concipere. 4. Quia Otto Episcopus Vltrajectinus patruus hujus Margaretæ, quem dicunt in personâ (alii per suffraganeum Guidonem) hos infantes baptizasse: non fuit illo tempore in rerum naturâ anno scil. 1276. (in quod tempus pleriq; hanc partum referunt). Erat enim tum Episcopus Iohannes Nassovius; & ante eum Henricus Vianensis. 5. Nomen puerpere. *Margareta;* Sic *Chronicon Holland.* vernaculum in *fol. Divis.* 117. *c.* 11. *Snoyus, Bockenbergius. Aliis Machtildis,* sic *Heda, Meyerus,* & *Chronicon Holland. modo cit. Divis.* 14. 6. *Annum* hujus partus quidam faciunt annum 1314. quos errare dicit *Meyerus. Marcus van Varnewijck in de Historie van Belgis lib.* 4. *n. seu c.* 68. ex *certo* quodam *chronico*, annum 1244. *Parvum Hollandiæ chronicon* vernaculum (referente eodem *Varnewijck*) annum 1266. *Magnum Hollandiæ Chronicon & chronica Brabantiæ* annum 1276. *Meyerus* annum 1287. 7. Numerum (infantum quorum dimidia pars masculi dimidia fœmellæ) alii statuunt 365., alii 364. 8. *Magnum chronicon Belgii* ex bibliothecâ Pistorii Francofurti editum 1607. dicit

cit matrem post partum aliquot annis vixisse & demum obiisse 1277. Alii omnes, statim cum infantibus expirasse. IV. Quia probationes, quibus fulciri solet hæc historia, partim fabulosæ & nugatoriæ sunt, partim dubiæ & suspectæ. 1. *est*, ex pelvibus, & tabulâ in templo Loosdunensi suspensâ, in quâ etiamnum hodie inscriptio legitur. *Resp.* Inscriptionem hanc esse novam, quam post mutatam religionem in Belgio ante annos 60 aut 65. præter propter interpolandam atque ibi ponendam curavit Iohannes Meursius Pastor Loosdunensis, parens Ioh. Meursii variis scriptis criticis & philologicis notissimi; uti memini ipsum admodum senem mihi anno 1617. hoc retulisse, cum affectu & credulitate non vulgari pro historiæ hujus veritate differeret. Vides ergo quantæ autoritatis sit novella illa inscriptio. Dices, antea fuisse inscriptionem aliquam in abbatiâ Loosdunensi, quam secutus fuit pastor Loosdunensis, & quam exhibet *Adrianus Iunius* in suâ *Batavia*, & ex illo *Marcus Zuerius Boxhornius*. Sic est, sed & illam, præterquam quod ab hodiernâ differat, constat recentem esse, & à rhytmica illa, quam ex *M.S. Chronico Frisiæ* describit ibidem *Boxhornius*, quamque autor ante centum annos ibi lectam fuisse ait, multum dissidentem. Secundam ergo inscriptionem novitas, eandem & primam una cum pelvibus unicè suspectas reddit, quod ostentatæ fuerint in abbatiâ Loosdunensi. Quid veri ex Papalibus monasteriis, de miraculis, & revelationibus exspectandum sit nôrunt omnes, qui decipi nolunt. 2. *Est*, quod in ripâ Mosæ in agro Bommeliano arx Pouroyen condita fuerit, 365. fenestris in memoriam hujus partus instructa & à *pueris*, *Puroyen* dicta; teste scil. *Rein. Snoyo*, Sed quam putidum hoc commentum sit, inde cognosces, quod neque ex historiis, (præsertim Geldricis & Hollandicis) nec ex constanti famâ per manus traditâ in illo tractu quidquam constet de tali arcis etymologiâ, deque 365 fenestris in memoriam illius partus conditis. Quin contra docent historiæ arcem illam conditam circa annum 914. à Roberto Heusdæ dynastâ, qui toparchiam Poudroyen condidit, & unum ex filiis natu minoribus eâ donavit. De quo partim *Chronicon Heusdanum M.S.* quod in patriâ meâ servatur, partim *Historia Geldrica Pontani lib. 5. p. 65.* Qui idem ex actis Tilensibus refert *lib. 7 p. 270.* arcem illam primum conditam à Iohanne Moliart. anno 1356. Potuit fieri ut arx bellicis furoribus diruta, denuo ab illo instaurata sit. Quidquid sit nihil referunt historiæ de 365. fenestris in memoriam partus illius conditis. Præterquam quod Cingarorum aut Andabatarum lingua, tam mirabilem vocis formationem & etymologiam admitteret, non Belgica aut latina. Quamvis enim prima syllaba *pu* aliquid ex nomine *pueri* referret, quid facies duabus syllabis *royen*? quid illæ significant, aut consigni-

ficant? & quâ lingua? Et obliti sunt fabulatores, non vocari arcem & toparchiam illam *Puroyen*, sed *Poudroyen*, aut contractè *Pouroyen* aut *Poeyroyen*. Quærere etiam liceat, quare ibi tam procul à Loosdunen loco partus, & quidem alieno in solo, in comitatus Teisterbantiæ parte illa, quæ primum ad dynastiam Heusdanam, postea ad ducatum Geldricum pertinuit, quare, inquam, ibi monumentum hujus miraculosi partus exstare voluissent, & quidem illi conditores modo memorati. 3. *Est*: quod historici aliqui hoc referant. *Resp.* Quid historiis & historicis sæculi illius decimi tertii verè mythici seu fabulosi & sequentium usque ad tempora reformationis tribuendum sit, cum versantur in materia miraculorum, ego jam non dicam, legantur *Ludovicus Vives*, *Melchior Canus*, aliique alibi à nobis cit. in *desper. causa Papat.* & in *disp. de Miraculis.* v. Addo ex recentioribus antiquitatum Hollandicarum scriptoribus in hanc sententiam nostram (quæ procul dubio si non evidenter vera, saltem tutior est) inclinare Clariss. viros *Petrum Schriverium* & *Marcum Zuerium Boxhornium in descriptionibus Hollandiæ*: qui legi possunt. Hæc non ineptè, ut arbitror, per digressionem hac occasione addere volui, ut Physici, Medici, Theologi præsertim exteri moneantur ne exemplum hoc sine examine, tam facile instituto suo aptent. Mirari subiit cur *Corn. à Lapide* hoc exemplo potius locum communem moralem, de pauperibus contumeliâ non afciendis *loc.* modo *cit.* illustrare voluerit, quam Hattonis Episcopi Moguntini à muribus corrosi. Nisi inter fabulas cum *Nicolao Serrario in Moguntiâ* posterius numerare placuerit. Cujus historicam veritatem vindicatam vide à *VVendelino in admirandis Nili cap.* 21. IX. *Probl.* An homines in novo mundo, aut in quâcunque terrâ vastis Oceani spatiis ab antiquo orbe, seclusâ, atque adeo antehac nec cognitâ nec frequentatâ, aliud ortus sui habeant initium, quam Noachum, & Adamum? *Resp. Neg.* ex *Actor.* 17. 26. & *Genes.* 10. Ex professo sententiam hanc tuetur, *Augustin.* 16. *de Civit. Dei c.* 8. Hinc ergo videmus quid de Ægyptiorum & Athenienssium contentiosâ gloriatione statuendum, qui αὐτόχθονας & γηγενεῖς hoc est suæ terræ filios se jactabant, nullâ Gentium migratione, nullo extraneo progenitore intercedente: quam glorationem ipsis cum lumbricis & muribus communem ajebat Diogenes. Vide de contentione Schytarum, Athenensium, & Ægyptiorum super antiquitate originis *Justinum historicum*, *Diodorum* aliosque autores supra ad 1. *Probl.* citatos. Simile quid habet *Polydor. Virgilius de Anglis*; ut notavimus *Desp. Causæ Papat. lib.* 3. *sect.* 1. Restant & aliæ quæstiones, An consistat generatio in productione formæ, aut materiæ, aut totius compositi, seu in unione materiæ & formæ; an in generatione hominis detur actio quæ animam (siquidem

dem ſtatuatur à Deo creari) intrinſecè attingat; quodnam ſit tempus geſtationis & partus, quænam ad conceptionem hominis neceſſario concurrant; quæ cauſæ ſterilitatis: item abortus &c. Sed anguſtia chartæ & temporis non patitur ea nunc perſtringere, quamvis ad quorundam ſcripturæ dictorum explicationē facerēt. Videātur Phyſici & Anatomici à nobis ſæpe cit. aut alii ſi qui accuratius hoc agant. Poſt primam hujus diſp. editionem recuſi ſunt Lugd.-Batavor. *tractatus Pinæi*, *Bonacioli*, & *Plateri de conceptione & formatione fœtus*. Exſtat & *Fortunii Liceti tract. de perfecta conſtitutione hominis in utero*. Et *Petri Coſtæi libellus de tempore partus*. Difficiles ſunt quæſtiones, quo tempore animetur fœtus; & quodnam proximum ac internum principium formationis fœtus: quæ uſum ſuum habent in explicatione quorundam locorum ſcripturæ ex. gr. *Eccleſiaſt.* 1. *Pſalm.* 139. & in diſpp. de perſonâ Chriſti, & in caſibus quibuſdam circa abortum & homicidium ad ſextum decalogi præceptum. Peculiari *tract. in animationem fœtus* inquiſivit *Thomas Fienus*: ubi variantes opiniones & autores indicatos invenies. Ipſe tamen à communi & receptâ Medicorum ſententiâ (quos patres, ſcholaſtici, noſtri & philoſophi & theologi hactenus ſecuti ſunt.) Agunt etiam de hâc materiâ *Sennertus*, ejuſque Antagoniſtæ *Gallego de la Serna & Freitagius*. Sed de hac quæſtione vide infra *appendicem* 1. *theſin* 4. De incommodis & naturę ἀμφιπτώσει, quæ in formatione & geſtatione fœtus intervenire ſolent ſive à cauſis externis naturalibus, artificialibus, ſupernaturalibus, (dæmonibus ſcilicet,) ſive ab internis, imaginatione ſcil. concipientis aut prægnantis fœminæ, inter omnes (quos novi) pleniſſimè egit *Fortunius Lycetus tract. de Monſtris*: cum quo conjungi poſſunt modo citati, & infra citandi ſcriptores de Imaginatione. De quæſtione, an ſemen utriuſque parentis ſit materiale principium generationis; infra *theſi* 5. *Probl.* 3. & in *prima appendice ad diſp. de creatione*, data occaſione verbulo monebimus.

De conceptione Chriſti ex profeſſo agitur in loc. comm. de Incarna- 4.
tione. Vnum hic ſolummodo determinandum: An Chriſti generationi ex virgine univocè & propriè conveniat definitio generationis phyſicę. *Reſp. Aff.* ſi ſpectes eam quod ad eſſentiam & ea quæ pertinent ad conceptum ejus quidditativum: quæ ſunt hæc duo 1. tranſitus à privatione formæ ad formam in materia. 2. Vnitio formę ſubſtantialis cum materia. Sin verò ſpectes hanc generationem quod ad extrinſeca & connotata quædam, non exigua eſt differentia. Quod enim exhibet mater ad generationem materiam ſcil. & activitatem ejuſque vehiculum & inſtrumentum, contulit & beata virgo pro ſua parte: ſed quod activè præſtare ſolet pater, opera ac virtute Spir. ſ. hic ſuppletum fuit, eademque excita-

ta vitalis facultas & concursus virginis ad evocandam attrahendamque materiam in locum conceptionis, & ad delineandum, efformandumque pro sua parte corpus Christi. Addunt *Scholastici ad Thomæ 3. qu. 33. art. 1.* momento temporis corpus Christi efformatum fuisse, non verò successivè: de quo in præsentiarum non disputabimus; quamvis hactenus nullam rationem viderimus qua solidè hoc probatur. Sed de hoc dubio infra *in appendice 1. thesi ult.* Similiter differentię aliquot inter productionem protoplastæ, & ordinariam generationem assignari possunt. Fons solutionum contra adversam sententiam sit iste: Essentiam, univocationem, & identitatem rei non variari per principium activum, aut per modum faciendi, aut per personam: cum ab iis per se non pendeat, sed à forma. Et hæc est sententia multorum Scholasticorum apud *Capreolum in 1. dist. 5. qu. unica art. 2.* Vsus autem hujus doctrinæ elucet in defensione Concil. Ephesini, Chalcedonensis & VI. ubi orthodoxè definitum fuit, Mariam propriè esse matrem Dei. Conferant studiosi *scholasticos ad Thomæ locum modo cit.* Et *Conimbricenses ad Aristot. lib. 1. de Gener. & corrupt. cap. 4 qu. 14.*

5. De Origine animæ multa disquiruntur: nos hæc imprimis ad Theologiæ nostræ illustrationem ventilanda proponimus 1. An sint creatæ in principio; aut saltem exstiterint ante corpora sua, & unionem cum iis? *Resp.* Affirmantis alterutram tenuerunt 1. Ex Gentilibus *Plato in Timæo*, qui eas in corpora ut carcerem detrudi somniat, ut delictorum pœnas luant. 2. Ex Iudæis Thalmudici & Cabalistici plerique, ut videre est apud *R. Menasse Ben Israel de Creatione probl. 15. 16. & Archangelum de Burgo novo in Cabalistic.* quem citavimus *Dissert. de Termino vitæ*: ubi vide: 3. Ex Doctoribus Christianis *Iohannes Hierosolymit. apud Hieron. in epist. ad Pammachium; & Origenes lib. 1. περὶ ἀρχῶν.* Quin & *Philastrius* contendit esse hæresin, si quis dicat, prius corpus Adami formatum, & deinde animam. In sententia Platonico-Cabalistica tria falsa occurrunt: Quod exstiterint animæ ante corpus suum, & ante compositum: Quod à principio creationis exstiterint: Et quod fuerint in statu peccati seu demeriti. Prudenter & candidè discernendum quousque alii huic errori affines sint. Refutant hunc errorem, *Epiphanius epistol. ad Iohannem Hierosolym. Hieronymus Epistol. citat. Augustin. epistol. 28. Cyrillus Alexandrin. in Iohann. libr. 1. cap. 9. Scholastici ad 1. quæst. 90. art. 4.* aliique indicati ab *Elmenhorst. ad Gennad.* Nos breviter indicamus hæc argumenta. *Primo*; Animæ ante unionem cum corpore nullum peccatum admiserunt ex *Rom. 5. 12. 13.* coll. cum *9. 12. & 2 Corinth. 5. 10. Deinde*, si in pœnam uniretur anima cum corpore, tum unio non esset naturalis, nec esset bonum &

perfe-

perfectio naturæ, sed potius malum quid, sicuti est omnis pœna: quod absurdissimum est. *Tertio*, Prius est in re illud quod ei est naturale, quam quod est præter naturam: sed separatio animæ & subsistentia separata est præter naturam, unio verò secundum naturam; ergo hæc illa prior fuit, non contra. *Quarto*, Si Deus in principio creasset animas separatas, tum non creasset omnes res secundum perfectionem cujusque naturæ congruentem ac debitam. Ratio consequentiæ est, quia propriam & connaturalem sibi perfectionem obtinet anima in corpore, non verò extra corpus: quippe quæ nativam habet propensionem ad suum corpus, ut docent communiter scriptores de Animâ separatâ, & *Scholastic. ad 1. quæst. art. 76. 1.* *Quinto*, si animæ existunt ante corpus aut sunt in viâ, aut in termino seu in patriâ, aut in neutro. *Non illud*; ut jam dictum est ex *Rom. 9. 12. 2 Corinth. 5. 10.* quia non est via aut curriculum salutis, nisi in hoc mundo & hâc vitâ. *Non istud*; quia terminus & merces non obtinetur, nisi post laborem & certamen hujus vitæ *Hebr. 12. 1. 2. 1 Corinth. 9. 25. 27. 2 Corinth. 5. 1. 2. 3. 2 Timoth. 2. 5. 12.* cum 4. v. *Neque hoc*; quia nulla est creatura rationalis, quæ non sit ὑπόδικος & ὑπόνομος, subjecta Deo in genere moris, & consequenter cujus actiones non sortiantur rationem virtutis aut vitii. (Confer *disput. de Iure & Iustitia Dei*:) Nisi forte dicant animas dormire, hoc est, quasi mortuas esse & vitâ intellectuali destitutas: Aut cum detruduntur in corpus omnium ilico oblivisci, quæ antea sciverunt, ita ut discentiæ sint reminiscentiæ (quomodo *Tertullian.* vertit Platonicum illud: ὃν ἀι μαθήσεις ἀναμνήσεις.) Quod commentum refutatum vide à *Tertullian. de Anima*, *Augustino 12. de Civit. Dei cap. ultimo*, *Thoma cont. Gentes 2. cap. 83.* & *Aristotele* cum sectatoribus *in 1. poster. cap. 1. & 3. de Anima cap. 4. 11. Probl.* An anima sit producta, an verò pars divinæ essentiæ. *Resp. Pr. Aff. Post. Neg.* contra nonnullos Gentiles, & antiquos hæreticos. Vide scriptores hæreseωn, & philosophorum Disputationes de Animâ. *111. Probl.* An sint per immediatam Dei operationem seu creationem ex nihilo, an vero per traductionem seu inductionem. *Resp.* Si quæ vexata sit controversia, hæc una est. Tot tractatus & disputationes exstant & Theologiæ & Philosophiæ, ut de copia magis conquerendum putent multi, quam de inopia. Ego tamen copiam præfero. Qui creationem tuentur unanimiter statuunt eam creando infundi, & infundendo creari. Credunt autem & scriptura, & rationibus ex lumine naturæ petitis hoc demonstrari. Quin immo ex patribus plerique & cum iis Scholastici ac recentiores putant

tant immortalitatem animę labefactari, siquidem traductio ejus concedatur, adeo ut passim aut inter hæreses, aut saltem inter periculosos errores opinionem hanc deputent. Vide *Gennad. c.* 14. coll. cum *c.* 18. *Thomam* 1. *qu.* 118. *art.* 2. *Scholasticos ad* 1. *qu.* 90. *art.* 3. *Lorinum in Ecclesiast.* 12. *& Pinedam in Iobum*; denique *Alphonsum, Prateolum*, aliosque hæres. scriptores: & recentiores *philosophos in* 2. *de Anima c.* 1. Monemus autem delectum rationum habendum, ne omnia, quæ adferuntur, promiscuè arripiamus. Sunt autem nobis istę 1. *Ex Genes.* 2. 7. ubi anima non ex materia sua transeunte, terra scil. (quæ analogicè erat tunc semen seu seminarium corporis humani) suscitata, sed à Deo formata corpori unita. Conferenda est autem hæc historia creationis hominis, cum creatione reliquorum animalium. 2. *Ex Ecclesiast.* 12. 7. cum *Hebr.* 12. 9. addi posset *Zachar.* 12. 5. Quibus locis peculiare quid tribuitur Deo in productione animarum; oppositè ad productionem aliorum viventium. 3. *Ex* conceptione Christi, qui cum similiter ut nos carnis & sanguinis particeps factus fuerit, *Hebr.* 2. 11. 12. 13. 14. 15. habuit animam ex creatione, non ex traduce. Si enim habuisset ex traduce utique à patre (hic enim autor traducis à plerisque solus, saltem primarius ab omnibus statuitur.) Sed patrem non habuit. Et quamvis animam ex semine matris non tulisset, tamen filius fuit matris suæ, & Davidis, Abrahami, Adami. 4. *Nulla* virtus corporea potest attingere effectionem substantiæ spiritualis: quia nulla virtus agit ultra suum genus. Iam verò anima intellectiva excedit totum genus substantiæ corporeæ. 5. Generatio corporis si causa sit producens animam, ergo dissolutio seu corruptio corporis erit causa corrumpens; sed posterius absurdum, Ergo. Est autem traductio seminis propria causa generationis corporis. 6. Omne agens naturale, quod agit dependenter à materia, nihil producit nisi quod à materia dependeat: sed anima non dependet à materia, quia potest subsistere extra corpus. 7. Accedit consensus omnium patrum (uno atque altero excepto.) Et antiquorum philosophorum; quorum omnium verba vide apud *Zanchium*; adhæc scriptorum intermediæ ætatis; & Scholasticorum, denique recentiorum Theologorum, Philosophorum, Medicorum tum Pontificiorum tum eorum qui à Papatu discesserunt, exceptis *Sohnio tom.* 2. *pag.* 563. *Peucero tract. de Ortu Animæ, Combachio Anthropol. cap.* 2. *Timotheo Brighto in physicam, Scribonii p.* 18. Et omnibus, qui se Lutheranos dicunt, quos autoritas Lutheri in contrariam sententiam aut saltem in ἐποχὴν adegit. Ex nostris *Musculus in loc. comm. & Piscator Disput. de peccato*, in medio relinquunt. *Martyr* putat ex scripturâ traductionem non posse refutari. Ex rationibus adversæ partis quæ alicujus momenti sint, 1. unica te-

re &

re & sola, quam *Augustinus*, *Lutherus*, & Lutherani, ut & nostri modo cit. sive asserentes sive dubitantes prætendunt, est propagatio peccati originalis. Vide *Augustin. Sohnium*, *Combach. loc. cit.* Et ex Lutheranis, *Meisnerum philos. sobriæ part.* 3. *Resp.* Sed sive modum illum explicare queant sive non, constat tamen fundamentalis thesis ex scriptura, quod sit peccatum originale, & quod propagetur in posteros Adami. Præterquam quod modum aliquem istius propagationis ostenderint ex nostris recentiores *Tilenus*, *Molinæus*, *Baronius* philosophiæ & postea theologiæ professor Abredonensis; & ante eos *Zanchius lib.*2.*c.*5. quem modum nos ulterius explicare & hypothesibus fulcire conati sumus in *Disp. de propagatione peccati Originalis.* 2. *Alteram* rationem nunc attexunt, ex *Genes.*1. 22.28. & 9. 1. conjunctim, cum axiomatis physicis homo generat hominem, & naturalissimum opus viventis est generare sibi simile &c. ergo homo producit animam. Sic *Sennertus*, *Sperlingius*, *Havenruterus*, *Libavius*, *Taurellus* aliique Medici & philosophi Lutherani, imprimis *Bartholinus in Instit. Anatomicis qu.* 9. *Resp.* responderunt jam satis superque scholastici ad Magistrum, *Thomam*, & recentiores philosophi tum nostri tum Pontificii *Scaliger*, *Pererius*, *Toletus*, *Conimbric. Ruvius*, *Timplerus*, *Goclenius* &c. ex Theologis *Zanchius loc. cit.* Nos unum hoc suggerimus: Mariam verè genuisse filium suum, & propriè dici ipsius matrem, ac Christum filium ejus, ut & Davidis, Abrahami &c. quamvis anima ejus non fuerit producta à matre. 3. Exprobrat *Bartholinus* à Calvinistis hanc sententiam defendi, ut elevent peccatum originale. *Resp.* Quasi illi primi aut præcipui sint authores hujus sententiæ. Quid ergo fiet antiquis philosophis, patribus, Scholasticis, & universæ philosophorum ac theologorum per totum Christianismum scholæ (quam magnam partem citat *ibid. Barthol.*) solis Lutheranis exceptis? Præterquam quod nec eruditione nec zelo minori hoc egerint & etiamnum agant Orthodoxi (quos Calvinistas vocat) et per hanc doctrinam, solidissime tueantur simul & peccatum originale, & animæ ἀφθαρσίαν ac immaterialem substantiam, atque ut tanto felicius Manichaica, Flaciana similiaque deliria profligent. Vide *VVithakerum*, aliosque *de peccato Originali.* 4. Epiphonemati Bartholini: *porro nisi quis manibus pedibusque in castra Pelagii secedere velit, qui peccatum originis negavit; animæ traductionem per parentes statuat necesse est*: duo opponimus. *Primo* ἐποχὴν *Melanthonis in libr. de Anima*, qui hanc controversiam vetat attingere, & *Augustin. lib.*5. *adv. Iulian. c.*3. qui in medio relinquit; & modestiam ac timorem Lutheri, qui publicè nihil affirmaturum se dicebat, sed privatim ita sensurum (referente ipso *Bartholino p.*73.81.) *Deinde* consequentias & determinationes à patribus, Conciliis, nominatim *Damascen. lib.*

lib. 2. de fide c. 12. & communi scholâ fractas; idque imprimis ad defendendam animæ spiritualem, incorruptibilem & à corpore independentem essentiam. Ad illa à *Conimbric. Ruvio*, & Theologis ad 1. *qu.* 118. & 75. *art.* 4. & *Bellarmino de amiss grat. lib.* 4. *c.* 11. allata ipsius est solidè respondere. Nobis hic nihil seritur, aut metitur. Neque enim traducem defendimus; nec tamen hæreseos aut quasi hæreseos assertores traducis insimulavimus. 4. Patres etiam quosdam hujus opinionis fuisse notat *Bartholinus*, nominans *Lactantium*, *Augustin.* &c. sic *p.* 97. *Resp.* Atqui de Augustino rectius paulo ante *p.* 81. Quidam malunt ἐπέχειν, ut *Augustinus*. Et passim probant hoc de eo Pontificii jam cit.; quibus adde *Lorinum in Ecclesiast.* 12. Confer ex Lutheranis *Elmenhorstium ad Arnob. l.* 2. *fol.* 49. Et *ad Gennadium cap.* 14. ubi citat autorem de Spiritu & animâ *c.* 48. Et *Augustinum de hæresibus cap.* 81. De Lactantio cum idem affirmant *Ruffinus*, & *author dialogi de Animâ* respondet *Elmenhorstius ad Gennad. c.* 14. *Ambo apertissimè falsilo qui, ut apparet ex Lactantio de opificio Dei c.* 19. Si quis ex patribus pro hâc opinione allegandus esset, is est *Cyrillus*, & aliqui latinorum præsumptores ut loquitur cum *Gennadio Author de Spiritu & anima*; hoc est, (indicante ibidem *Elmenhorstio*) *Tertull. l. de Animâ c.* 19. 22. 27. 36. Ne quid dicam de Anaspychianis & Apollin. ut & Luciferianis cætera orthodoxis apud *August. de hæres. c.* 81. Nos omnibus expensis, non videmus cur à communi, receptaque patrum & totius Christianismi atque adeo communi philosophorum sententiâ recedendum sit: præsertim cum negantes sibi in certâ aliqua sententia hactenus constare non potuerint. Quærunt enim nec inveniunt in quo acquiescant. 1. An anima producatur ex substantia seminis, seu ex potentia ejus eliciatur: affirmantes mirè se torquent, ut hoc explicent. Sunt qui dicunt semen esse materiam ex qua, respectu partis spiritualis in ipso latitantis; atque ita delineato corpore accedere demum eductam & excitatam ex potentia seminis per virtutem plasticam. Sunt alii, qui non obscurè ut semen plantarum, animalium, sic & hominum faciunt subjectum & vehiculum animæ: Vnde sequeretur semen esse animatum, & consequenter hominem: nisi forte inferiores & distinctas animas statuant. 2. An educatur de potentia materiæ, & simul traducatur ac propagetur ab anima parentis (sicut lux de luce accenditur) atque cum semine tanquam vehiculo, ipso conceptionis momento communicetur soboli, quando certò secutura est generatio. In hanc opinionem nunc delati hodierni philosophi Lutherani, ut ἴσην suam contra Calvinianos quamvis in vita philosophia ἀφυλάττωσι, ut videre est apud *Meisnerum in philos. sobr. Anti-Calvin. sect.* 3. *cap.* 6. *Bartholinum loc. cit. Sennertum cum hyperaspiste suo, Sperlingio in tract. de*

Origine

Origine formarum contra Freitagium : tale quid tradunt ex Theologis eorum *Chemnit. p. 1. loc. comm. loc. 7. de Peccato orig. c. 4. Gesner. disp. 2. in Genes. qu. 18.* Sed hæc opinio, à *Timplero*, imprimis *Freitagio adversus Sennert. & Sperling.* absurdis quibusdam consequentibus ita urgetur, ut non videam quomodo post multas exceptiones & effugia tandem non recidere cogatur, aut in semen actu animatum; aut in eductionem è potentia materiæ: aut in generationem & propagationem substantiarum spiritualium sive per decisionem, sive per sui multiplicationem; aut in creationem, ita ut anima parentum manens talis absque sui immunitione & corruptione dicatur creare ex nihilo animam filii sui. Nam simile illud de candela accendente candelam, præterquam quod non probat, rem hanc minime illustrat. Si enim præcise intelligis lumen, illud est accidens & quidem corporeum; at quæstio hic est de generatione substantiæ spiritualis. Sin verò intelligis ipsam flammam, illa est corpus, quippe ignis, immo pro impuritate ignis nostri usualis, est corpus mixtum, æque ac carbo. Sed quæ consequentia à generatione ignis, aut corporis mixti, ejusque conjunctione & συνδυάσει cum aliquo corpore (ex. gr. in ferro candente) ad generationem spiritualem (qualem hanc faciunt) quâ spiritus producit spiritum. 3. & Labyrinthea quæstio est, an traducatur à solo patre, & corpus à matre; an à sola matre: an ab utroque parente. Primum maximè probabile censet *Bartholin. qu.* 10. Secundum, minus. Tertium, quod amplectitur *Horstius*, minime. Ita videmus pluribus absurdis, & unde minus se expedire queant, undique premi hanc opinionem: ac propterea receptæ atque antiquæ non esse substituendam: saltem quamdiu patroni ejus, sibi & aliis non melius satisfaciunt. Particulares rationes & exceptiones eorum, ut & alia quæ restant de Formatione corporis, de facultatibus & proprietatibus hominis deque diversitate sexus aliisque accidentalibus, &c. nunc examinare non possumus, quia typographus monet abrumpendum. Reservamus illa peculiari appendici, quâ aliquando coronidem huic *Disp. de Creatione* συν Θεῷ imponemus. Interim confer infra *appendicem 1. ad disp. de Creatione* : ubi de vexatâ hâc quæstione nonnulla de novo commentati sumus.

Probl. An origo carnis Christi ex virgine rectè olim negata fuerit ab Anabaptistis, hoc argumento, quod mulieres non habeant semen. *Resp. Neg.* De semine earum prolifico disputant Medici & Philosophi. Vide pro affir. *Laurentium in anatomia lib. 8. cap. 2. qu. 4.* pro Neg. ac pro Aristotele *Cremonini philosophi Patavini tract. de semine.* Nos tutius in aff. sententiâ acquiescendum putamus: & sic *Conimbricenses in 1. de gener. & corrupt. c. 4. qu. 28.* Præsertim cum ad Medicorum argumenta accedat, quod se-

men & seminificatio illis tribui videatur *Levit.* 12. 2. & Christus vocetur semen mulieris, Abrahæ, Davidis; fructus item ventris Mariæ, & lumborū Davidis. Cl. Præceptor noster *Gomarus* suggerebat nobis in explic. *Gen.* 3. locum ad *Hebr.* 11. *v.* 11. Qui tamen, cum aliam etiā admittat interpretationem, per se non videtur stringere. Huic problemati affinis est quæstio, An mulieres activè ad generationem concurrant. Negantem sententiam *Aristotelis* rationibus ex professo, & communi (uti ait) Theologorum, Iurisconsultorum, & Politicorum consensu tuetur *Canonhierus in lib.* 2. *aphorism. Hippocratis p.* 647. ubi tamen distinguit, ad membrorum delineationem proximè fœminam concurrere, non tamen activè ad animationem fœtus, seu ipsam formæ introductionem. Idem sentiunt non pauci philosophi Aristotelici, & ex Scholasticis *Thomas part.* 3. *qu.* 32. *art.* 3. aliique, quos citatos vide à *Conimbric. in* 1. *de gener. & corrupt. c.* 4. *quæst.* 27. Vbi ipsi in medio relinquunt: magis tamen inclinare videntur in partem affirmantem, & pro eâ non tantum Medicos, sed etiam aliquot scholasticos adducunt. Quos ibi vide inter eos *Cajetanum ad* 22. *qu.* 154. *art.* 12. Et videtur omnino hæc sententia tutior, & phrasi scripturæ convenientior, & explicationi conceptionis ac generationis Christi.

Paralipomœna ad disp. 10.

de Creatione.

HÆc hactenus anno 1638. in primâ hujus disp. editione ita scripseram. Interim occasio non fuit integrum anthropologiæ supplementum tunc promissum pertexere & publicis disputationibus proponere. Tantum anno 1643. tres dedimus appendices, quas infra subjicimus. Earum duæ priores explicant nonnulla problemata ad anthropologiam spectantia. Ne tamen studiosis nostris hâc in parte desit manuductio & indicium, breviter hanc anthropologiæ sciographiam delineamus.

AD hanc contemplationem conferent autores physico-medici, & physico-theologi, quales *Cardanus, Cornelius Gemma, Libavius, Aquapendente, Lycetus, Grynæus, Cōbachius*, aliiq; *in Bibliotheca* indicati. Ipsa autem Anthropologia universa istis sectionibus circumscribi potest. 1. De hominis principiis. 2. De affectionibus. 3. De divisione. 4. de admirandis: quam sectionem, quamvis tribus prioribus contineatur, melioris tamen doctrinæ causa seorsim ab aliis pro

pro arbitrio quisque suo delineare poterit. Nos tantum indicem materiarum speculationi nostræ hic objectarum,& præcipuorum aliquot autorum, qui nobis noti sunt aut nunc occurrunt notabimus.

Sect. I. Principia sunt vel essentiæ, vel existentiæ seu originis. Illa sunt anima humana, & corpus humanum. I. De *anima* supra non pauca breviter perstrinximus, indicatis, ubi opus, autoribus: & infra in *appendice* 1. & 2. aliqua addimus. II. De *corpore* in genere & collective sumto, supra etiam nonnulla attigimus. III. De *partibus* corporis Anatomicis & Medicis alibi indicatis, agendum relinquimus. Theologorum est exemplo *Zanchii* & *Danæi* loca scripturæ, in quibus physiologica hæc occurrunt, quæ non pauca sunt, annotare, & genuinam eorum interpretationem sibi aliisque parare. IV. Ad tractatum de corpore humano ejusque partibus referenda est speculatio de *Monstris humanis*: in quâ inter alios antecessorem agit *Fortunius Lycetus tract.* jam aliquoties laudato;cum quo jungi debet *Bauhinus de Hermaphroditis*, mox infra rursum indicandus. V. De origine seu productione hominis supra egimus. Quæ vel prima, per creationem: vel secunda,per generationem; eamque vel miraculosam, Christi scil. ex virgine; vel naturalem & ordinariam ex mare & fœminâ. Huc pertinent contemplationes de conceptione, de formatione fœtus, & gestatione, de partu, eorumque omnium affectionibus & symptomatis. Præter scriptores anatomicos, nonnullos alios, qui peculiaribus tractatibus hoc agunt, supra indicavimus.

Sect. II. Affectiones hominis dividi possunt in absolutas,quæ vel vitales, vel animales,vel humanæ: & in comparatas,easq; compositas seu comparatas & in oppositas. Nos summa earum capita ordine hic indicamus. I. De *Vitâ*. Huc pertinet subtitulus, de vitæ brevitate & longitudine, & de *longævis*:de quibusplurima,cum autoribus annotata invenies in *dissert. epistolicis de Termino Vitæ à Ioh. Beverovicio* editis. II. De variis hominum ætatibus, infantiâ,pueritiâ,virili ætate,senectute:de hâc *tract.medicus Andr. Laurētii*.Hucaliquo modo referri possunt tract.*Plutarchi* & aliorū *de Educatione puerorū*.Et *tract.Cardinalis Paleoti de bono Senectutis*. III.De alimentis & nutritione, seu de cibo & potu; deque fame & siti. De his varii tractatus Medicorum. Inter quos etiam *tract. Lyceti de Abstinentibus*. Et *tract.Cardani* alicujus (si bene memini,) non Hieronymi,in 8. *de non edendis cibis fœtidis*; quem ante complures annos habui, nunc autem is ad manum non est. Huc etiam referri debent *Schola Salernitana, Ludovicus à Fonseca, Ranzovius, Lessius, Goclenius* filius aliiq; qui *de diæta & sanitate tuēdâ* scripserunt. Speciatum *de Literatorum sanitate tuendâ*, *Marsilius Ficinus*, & *Gulielmus Gratarolus*. Extat ejusdem *Grataroli tract. de Vino & omni potabili*. Huc referri debent *tract.Grevini*, *Henrici Bra*, & *Libavii de venenis*. IV.De sen-

sibus externis, eorumque affectionibus, tum in genere, tum in specie. De his præter physiologiam Medicorum, & vulgaria systemata physica, agit *Plempius in Opthalmographiâ*; *Hieronymus ab Aquapendente de oculo, visione, auditu*, *Andreas Laurentius de visus excellentia & conservatione* 1. gallicè, *&c.* Conferendi sunt scriptores Optici, & Acoustici in *bibliothecâ* nostrâ indicati. Huc refer *tract. de somno, & insomniis*: de quibus scriptores *de divinationibus*, quales *Peucerus*, *Delrio in disquisit Magicis*, aliique, apud quos alios autores citatos invenies. Et de Noctisurgis seu noctambulonibus: de quibus *Horstius*,& *Tandlerus*;& *Keckerm.in disspp. Physicis.* v. De sensibus internis. Hic imprimis dominatur speculatio de viribus Imaginationis, de quibus *Delrio in disquis. Magicis*; & peculiari atque erudito *tract. Thomas Fienus*; & *Hieron. Nymannus oratione quâdam, cum Tobiæ Tandleri nonnullis Physico-medicis dissertationibus* Wittebergæ anno 1613. edita. Ad tractatum de phantasia refer, læsiones phantasiæ per phrenesin & maniam; imprimis per deliria melancolica: de quibus *Tandlerus libro cit.* Et *Andreas Laurentius tract.peculiari*, sed gallicè scripto. Non pauca etiam ante ipsos notaverat *Levinus Lemnius in tract. de Complexionibus.* Sunt & alia internorum sensuum symptomata,quæ vulgò à Medicis distingui & enumerari solent.Vide *Sennertum lib.2.Instit.part.3.sect.1.c.7.& sect.3.c.4.5.6.*Sed ibi non comparet Corybantiasmus,de quo aliquid notârunt Magni πολυίστορες *Scaliger in Catullū* & *Salmasius in exercit.Plin.ad Solilini cap.52.p.1086.* Nisi forte per κώμα ἄγρυπνον (quod cum Hippocrate ita vocat) malum hoc *loc.cit.* designârit *Sennertus*. De *hydrophobia* agit *Ambros. Pareus in operibus chirurgicis*, & *Iulius Palmarius* Constantinus Medicus Parisiensis in *tract. de morbis contagiosis.* Huc etiam facit *Bauhini* libellus Germanicus *de lupis rabidis*, quem ibidem citat. Hæc θεῖα (ita loqui liceat) symptomata aliaque num. 7. mox nominanda anthropologiæ studiosi contemplatoris, præsertim theologi cognitione dignissima sunt: ut tanto felicius de fascino & morbis veneficis, deque energeumatis,de raptibus, ecstasibus ac divinationibus diabolicis, denique de tentationibus & desertionibus(cum quibus omnibus affinitatem aliquam habent,& subinde conjuncta sunt) judicare possit. Confer *disspp.*nostras *de Dæmonibus, de Energumenis, de Magia, de Miraculis, de Prophetia, de Desertionibus.* VI. De affectibus vulgò libelli Physici & Ethici, & Rhetores inter quos eruditè hoc egit *Gerh. Ioh. Vossius.* Idem utiliter ac diligenter præstitit *Gutberlethus tract. peculiari.* Sed imprimis ad solidam eruditionem hic consulendi *Scholastici ad Thomæ* 1. 2. *qu.* 22.-49. Sunt & libelli morales ac practici tum de passionibus in genere, tum de una aliqua in specie ex. gr.amore ira, metu &c. quos prolixum esset recensere. In *Bibliotheca nostra* & in *disp. nonnullos* indicavimus. VII. De cupiditatibus.

Hic

Hic imprimis occurrit titulus de fame & siti: ad quem referenda bulimia, & abstinentia. De quibus *historiæ Medicæ Donati* & *Schenckii* & *tract. Fort. Lyceti modo cit.* De appetitu Venereo multa (forte nimis multa) scriptores de Amore. VIII. De locomotiva. Huc refer tit. de respiratione de quo præter Medicos philosophus in parvis naturalibus; ad quæ commentati sunt *Albertus Magnus*, *Niphus*, *Gesnerus &c.* Idem philosophus scripsit de progressu animalium. Symptomata facultatis motricis sunt paralysis, spasmus, ἀφωνία & vocis læsio (de quâ mox sub alio tit.) tussis, sternutatio, oscitatio, pandiculatio, horror, rigor: de quibus *Sennertus cap.* 8.; quarum cognitionem aliquam si degustent philosophi & theologi anthropologiæ studiosi, de nonnullis sui fori rectius judicare poterunt. Imprimis hic commendari debet cognitio aliqua affectuum, qui non tantum motrices, sed & alias omnes aut pleraſque actiones lædunt, quales *cap.* 9. referuntur à *Sennerto*, lethargus seu veternus, caros, catalepsis & catochus, apoplexia, epilepsia, vertigo, ephialtes seu incubus: Quibus adde suffocationes uterinas. Sequuntur affectiones humanæ. Hic occurrit speculatio. 1. de *Intellectu*: de quo fusè recentiores ad *Aristotelem de Anima*, *Conimbricenses*, *Complutenses*, *Ruvius*, *Mendoza*, *Ioh. à S. Thoma* &c. ubi alii citantur. Imprimis & *scholastici ad Thomæ* 1. & ex nostris Theologis *Zanchius*, *Polanus &c.* De *Ingenio*, exstat celebris tractatus *Ioh. de Huarte* Hispanicè scriptus tit. *Examen de Ingenios para las scientias* excusus Lugd. Batav. 1603. in officinâ Plantinianâ; quem in gallicum traduxit Gabriel Chappuis. Nonnulla etiam quæ huc faciant, invenies apud *Alstedium in præcognit. philosoph.*, & *Eduardū Herbert* Baronem Anglum in *tract.* gallico, cui tit. *de la Verite* &c. Et *Robertū Brooke* itidem Baronem Anglum *in tract.* anglico, *de Natura veritatis, ejusq; unione & unitate cum anima* anno 1641. De *Memoria*, præter vulgares physicos, agit *Gul. Gratarol. de servanda, reparanda* &c. Sed plenius omnia explicuit *Alsted. in systematis Mnemonici libris septem.* De *habitibus Intellectualibus*, *autores* modo *cit.*; inter alios *Alstedius in præcognit. philosoph.* Quibus addendi vulgares philosophi in proemialibus ad Logicam, & Physicam, & in commentar. ad 5. Ethicor. Nicomach. Patres & fontes speculationum subtiliorum hic sint tibi *Scholastici ad* 1. 2. 11. *De sermone*: præter vulgares scriptores Physicos & Medicos, consulendi, qui de linguis scripserunt, alibi & alia occasione forte à nobis indicandi, in *disp.* textuali *ad Genes.* 11. *de linguis.* De symptomatis & vitiis sermonis (quæ *Sennertus* explicat *lib.* 2. *part.* 3. *sect.* 2. *cap.* 5.) peculiaribus tractatibus agunt *Baptista Condrochus*, *& Hieron. ab Aquapendente.* III. De *voluntate* ejusque libertate recentiores scriptores in systematis physicis & Ethicis; & disput. ad *Aristot. de Anima.* Quorum omnium fontes sunt

ſcholaſtici ad 1. 2. Nos infra in *append.* 2. aliquid de voluntatis determinatione delibabimus. Quod ad libertatem ejus, occaſio nobis antehac data fuit eam explicandi ac diſtinguendi, in *diſſert. de Termino Vitæ.* IV. *De Riſu & fletu*, præter vulgares phyſicos, *Rodolph. Goclenius tract. peculiari.* Moraliſtæ & Theologi nonnulla huc conferunt: quos indicatos vide in *diſp. de Lachrymis.* Atque hæc de affectionibus abſolutè conſideratis: ſequuntur relatæ & comparatæ, tum compoſitæ tum oppoſitę. I. Compoſitę affectiones inter ſe, ſunt ſympathiæ hominum. De quibus ſcriptores de ſympathiis ſupra (ſi bene memini) indicati. II. Comparatæ & compoſitæ affectiones hominum ſunt cum creaturis homine ſuperioribus, angelis ſcil.; & cum creaturis homine inferioribus. III. Oppoſitæ affectiones ſunt hominum inter ſe; & quæ inter hominem atque alias creaturas intercedunt. De quibus ſcriptores de antipathiis & occultis qualitatibus. Huc pertinet ſpeculatio de Venenis ſupra indicata: inſuper de Morbis,& de Morte tum corporis tum animæ. De illis agunt Medici. De hâc ſoli theologi. De iſta, præter Medicos, Phyſici & Theologi. Autores alibi, & alia occaſione forte indicabuntur. Huc pertinent contemplationes de cadaveribus, & de iis, quæ accidunt circa cadavera. Farraginem variorum dedit *Cormannus* in *tract. de Miraculis mortuorum*, ubi multa fabuloſa ex quibuſvis autoribus enotata comparent, quæ ipſe minime probat. Nos in *diſpp. de ſortis aliiſque divini nominis abuſibus* diſquirimus de præſumpta cruentatione cadaverum.

Sectio III. Diviſio hominum variè inſtitui poteſt, ſcil. 1. per gradus ætatis, quæ pertinet ad phyſicos. 2. per complexiones, quæ ad Medicos 3. per diverſas facies, voces, inceſſus, geſtus, quæ quia individualis & quaſi infinita eſt, à nobis pertranſiri non poteſt, interim admirationem divinæ ſapientiæ & providentiæ in nobis relinquere debet. 4. per tempora, quæ ad chronologos 5. per loca, quæ ad geographos ſeu topographos. 6. per ſtatus, vocationes, & opera varia civilia & artificialia: de quibus hiſtoricè & technicè nonnulla tractat *Thomas Gerſoni in Piazza univerſale &c.* Vbi & alii autores indicantur. Et practicè ac moraliter Ieſuita *Buſeus lib. poſthumo de Statibus hominum.* 7. per ſtatus, vocationes, opera, & miniſteria ſupernaturalia tum ordinaria, tum extraordinaria, miracula ſcil. prophetias, aliaque chariſmata. De quibus theologi. 8. Per ſexus differentiam: ſic ſunt vel mares, vel fœminæ. Quò referri debent tituli de Eunuchis, & de Hermaphroditis. De illis præter phyſicos, & antiquarios, theologi *commentatores ad Math.* 19. De iſtis *Ambroſ. Pareus in operibus chirurgicis*, & pleniſſimè *Bauhinus tract.* peculiari *de Hermaphroditis.* De *Fœminis* contemplationes variè inſtitui poſſunt. *Aut* ſecundum ſcientias, phyſicè

physicè scil., Medicè, Ethicè & Theologicè, Oeconomicè, Politicè & Iuridicè. *Aut* secundum diversos status earum; Hic occurrit, *primo* vita animalis & naturalis; de quâ Physici & Medici. Inter quos *Hippocrates* quatuor libris, præter ea quæ *aphorismis*, aliisque operibus inseruit. Et ex recentioribus *Ioannes Libaut* Medicus Parisiensis in *Thesauro remediorum contra morbos fœminarum*, qui ex latino gallicè editus Parisiis apud Marcum Orrii anno 1597. *Secundo*, vita Ethica & Theologica. Hic de vitiis & virtutibus, scientiis fœminarum. De quibus *Philippus Bergomas de præclaris fœminis*; *Marconville de laudibus & vituperiis fœminarum*, *Cornelius Agrippa in declamatione de fœminis*; *Bongus de mysteriis numerorum*, ubi multa *num.* 11. in vituperium fœminarum. Omnes exhausit & superavit Cl. *Beverovicius* in *tract. de fœminis*. *De studiis sapientiæ huic sexui non denegandis*, egit nobilissima & eruditissima virgo *Anna Maria Schurman* urbis & Academiæ Vltrajectinæ ornamentum. *Tertio*, vita œconomica. Hic occurrit agendum de virgine, nuptâ, viduâ. De quarum statibus & officiis nobilissima & amplissima vir, Belgicorum poëtarum Phœnix Iacobus Cats eques, & Illustr. Hollandiæ Ordd. syndicus. Libellos alios asceticos & paræneticos, alibi indicamus: *Georgium* scil. *Vivienum de matre familias*, *Casp. Stiblini Coropœdiam*, *Erasmi viduam Christianam*, *Ambrosium de vidui*, *Fulgentium epistol.* 1. 2. 3. *Quarto* vita politica. De quâ passim scriptores politici. Quo refer tractatum de Iure fœminarum, quem ante annum unum atque alterum promittebat Iurisconsultus quis in Belgio. (An nunc prodierit, nescio) & *Ioh. Irenæi aliorumque apologias pro fœminis*.

Sectio IV. Continet excellentiam, & admiranda hominis: quæ quamvis superioribus sectionibus pertractari possint & debeât, tamen melioris doctrinæ causa ad peculiarem hanc sectionem ea rejicimus. Scriptores admirandorum istorum, sunt *Ionstonus in thaumatograph. sect. ult.* *Petrus Boaistæus in Theatro mundi*, *Lemnius de occultis naturæ miraculis*, *Cornelii Gemmæ cosmocritica*, *Canonhierus in aphorismos Hippocratis*, *Thomas Gersoni in seraglio di miravigli*, *Cardanus de rerũ varietate*, aliiq; autores admirandorum supra *part.* 6. & anthropologici *part.* 10. indicati. Sunt autem admiranda illa quinque generum, naturæ, artis, virtutis & prudentiæ, scientiæ, pietatis. 1. Naturæ sunt, tum in se spectatæ, tum quod ad sui corruptionem. *Illa* sunt, admiranda ingenii, memoriæ, roboris, celeritatis, formæ. Huc refer exempla prodigiosorum ingeniorum, apud *Paschasium in recherces p.* 579. memoriarum apud *Alsted. in Mnemonica*; similitudinis facierum apud *Paschasium in recherches p.* 570. 582. *Ista* morborum & symptomatum. De quibus *historiæ Medicæ Donati*, *Schenckii*, *Fabritii Hildani*, *Amati Lusitani*; quibus adde *Lycosthenem de prodigiis*, & scriptores de monstris supra cit.

cit. Et *Cardan. de variet. lib.* 8 *c.* 44. *Condrochii de mortis veneficis*; Et *disp. nostras de energumenis, & de spectris*. Notat etiam actiones quasdam admirandas partim naturales partim mixtas *Nierenbergius lib.* 1. *de mirac. natur. Europæ cap.* 34. II. Artis sunt, tum liberalis(ut vocant)rhetoricæ scil., poëticæ &c. tum quasi liberalis, ut eicasticæ, statuariæ scil., fusoriæ, pictoriæ, sculptoriæ &c. item typographiæ, Musicæ instrumentalis & vocalis &c. tum mechanicæ, inter quas excellunt, architectonica, nautica, pecuaria, agricultura, venatoria, piscatoria, mercatura &c. De quibus omnibus vide *Thomæ Gersoni Piazza modo cit.* cum autoribus ibidem annotatis, & *Polydor. Virgil. de Inventoribus rerum*, & *Cardanum de variet. lib.* 10. & 11. & *Salmuthum ad Pancirollam*, *Nierenbergium lib.* 8. *cap.* 16. 22. aliosque in *bibliotheca* nostra citatos. III. Virtutis & prudentiæ heroicæ admiranda exhibent *theatra exemplorum*, & *summæ virtutum ac vitiorum*. IV. Scientiarum, & sapientum admiranda, vulgò annotant, qui singulas scientias ex professo pertractant, aut aliis commendant. V. Religionis ac pietatis admiranda sunt *partim* heroici impetus sanctorum circa cultum Dei (de quibus *martyrologia*, *Vitæ sanctorum*, & scriptores de theologiâ mysticâ, item libri exemplorum, apophtegmatum &c.); *partim* prophetiæ, miracula, aliaque charismata. De quibus theologi, & nos *disp.* de illis materiis, ubi autores citantur. Huc referri debent admiranda peccatorum, hæreseωn, atheismi, blasphemiæ, magię, crudelitatis, monstrosę libidinis &c. De quibus *disp. nostræ*, & *theatra Zwingeri* & *Honsdorfii*. Adde *speculum Tragicum*. Denique admiranda mortis & mortuorum. De quibus *Cornmannus in tract. de miraculis mortuorum*. Atque his capitibus ac titulis contemplatio de homine circumscribitur. Problemata præcipua ad suos titulos tanquam ad signa sua hic revocarem, nisi jam ante id præstitissem in *Syllabo problematum* anno 1642. edito *tract.* 4. *tit.* 1. *subtit.* 9.

APPENDIX AD DISPVTATIONES DE CREATIONE PRIMA.

Resp. CORNELIO BRUYNVISCH Zirizęa-Zelando.

Ad diem 11. *Iulii* 1643.

1. AD meliorem historiæ creationis & naturæ rerum explicationem, cognoscendæ sunt fanaticorum & pseudo-philosophantium quorundam opiniones, & veritas ab iis vindicanda. Sunt autem olim, & hodie debent esse suspecta ac prædamnata ἀθεπα Stoicorum, Epicureo-

cureorum, Platonicorum; & nonnulla Aristotelis: quę, si quis in philosophiâ historicâ minus exercitatus sit, aut à libris non ita instructus, annotata videbit apud *Corn. à Lapide in Actor.* 17. *& in Iacobi* 3. *p.* 139. 140. Conferat, qui potest, *Libavii schediasmata contra Rennemannum*, ubi Platonica; *& Lipsii physiolog. Stoicam*, ubi Stoica recensentur. Imprimis etiam *Alcinoum de doctrinâ Platonis*, *& Plutarchi libros quinque de placitis philosophorum*, & *Laertii* atque *Eunapii vitas philosophorum*. Cum his antiquorum hæreticorum & hodiernorum Libertinorum, & Enthusiastarum opiniones frequenter conspirant. Hodie Neo-Platonici, Paracelso-Hermetici, Et dicti fratres roseæ crucis, aliaque vertiginosa, aut Libertinica & Sceptica capita illis affinia specie veritatis inveniendæ aut illustrandæ, nihil nisi fumos spargunt, studiaque discentium & docentium pro virili perturbant. Contra quos juventus fideliter præmonenda: etiamsi sexcentis satyris, & libellis famosis, quæ odium & vindictæ cupiditas ob inscitiam castigatâ & protritam dictare solent, nos excepturi essent. Cum enim illi nænias & φλυαρίας suas superbè jactatas cum physicâ Mosaicâ & sacrâ conciliare nequeant, immo & nonnulli divortium ab eâ non obscurè profiteantur, Theologis intercedendum est, non minus quam si hæreses sub specie theologiæ à pseudo-theologis procuderentur. Atque hoc consilio tres appendices ad disp. de Creatione antehac edidimus; quas hic pauculis immutatis reponimus. Quia autem materia de animâ humanâ longè latèque per latifundia physicæ & theologiæ se diffundit, & ab hæreticis ac heterodoxis non parum vexata est, primâ hac appendice ab eâ initium faciemus. Sint ergo ista problemata. *Probl.* 1. *an spiritus & anima differant in homine? Neg.* Loquimur autem de distinctione reali, quæ est à parte rei, an scilicet Spiritus in homine sit alia res, quam anima, quæ est in eodem. Potest enim distinctio quædam rationis statui inter hæc duo, quod nempe spiritus & anima notent quidem eandem entitatem partialiter hominem constituentem, sed diverso respectu: spiritus quidem secundum esse absolutum, quod habet in rerum natura; anima autem eandem rem notet sed secundum esse relativum, quod obtinet in ordine ad corpus, illud actuando. Quod autem hæc duo realiter non differant in homine probatur 1. quia scriptura loquens de homine in eo unum duntaxat ponit præter corpoream substantiam. vid. *Gen.* 2. *v.* 7. 2. quia scriptura pro eodem passim sumit *spiritum* & *animâ*. Loco enim Geneseos assignato illud quod accessit pulveri vocatur *nepheſch* anima, & *Eccl.* 12. *v.* 7. *rouach* spiritus. 3. quia alias duæ substantiæ post mortem hominis supererent. Nam spiritus post dissolutionem redit ad Deum *Eccl.* 12. *v.* 7. & *Matth.* 10. *vers.* 28. dicitur anima superes-

se post mortificationem corporis. Quò autem abeat *anima* (si ponatur distincta esse à *spiritu*) post mortem, non immeritò quæritur. Quia sancti morientes solum gesserunt curam spiritus, illum Deo commendantes. Vt Christus *Luc.* 23.46. & Stephanus *Actor.* 7.v.59. Absurdum autem esset dicere animas eorum, quorum Spiritus à Deo suscipitur, diabolis in prædam cedere, nec tertium dici potest, cum duę tantum sint viæ morientium. *Luc.* 16. Obj. celebris locus apostoli 1 Thess. 5. v. 23. *Ipse autem Deus pacis sanctificet vos omnino perfectos: & integer vester spiritus: & anima, & corpus inculpatè in adventu Domini nostri Iesu Christi servetur.* Simile quid occurrit *Hebr.* 4. 12. Hunc locum arripuerunt, *Arabici Thnetopsychitæ* ad subvertendam animæ humanæ immortalitatem: quod conjicimus ex collatione theologiæ novorum *Thnetopsychitarum* qui ex Scholâ Socini prodierunt. Est autem hæc: *mortuos annihilari: corpus evanescere; Spiritum redire ad eum qui dederit eum: animam nec voluptatem sentire nec dolorem.* Sic anonymus tract. belgico edito an. 1631. Per Spiritum autem qui ad Deum redit minimè intelligunt *Spiritualem, & immortalem substantiam, suo intellectu, & voluntate pollentem, sed tantum divinæ particulam auræ, quæ nullam habeat extra Deum in se, & per se existentiam.* Idem anonymus, & Volkelius de vera religione lib. 3. cap. 11. Breviter: *negant esse ex ipsa creatione in homine agnoscendum quicquam immortalis vitæ. Socinus Epist. ad Volkelium* 5. *pag.* 484. De animæ humanæ, seu spiritus immortalitate actum est supra *part.* 10. *thes.* 1. responsum etiam ad loc. 1 *Thess.* 5. *vers.* 23. *parte nona th.* 3. *Probl.* 6. Addimus, optimè nobis placere expositionem autorum novæ translationis Belgicæ, qui per spiritum intelligunt mentem (ut 1 *Cor.* 2.12.) per animam, voluntatem & affectus (ut *Ies.* 26.8. 9.) Quod attinet loc. *Hebr.* 4. *v.* 12. videtur anima & spiritus ibi pro eodem sumi. Adeo ut vocabulum *spiritus* habeat se ἐξηγητικῶς ad vocabulum *animæ*, ut simile exemplum occurrit *Iohan.* 3. 5. ut hinc appareat vis sermonis Dei, quippe qui penetret & pertingat ad divisionem animę, quæ spiritualis natura est. Et eodem versu in fine copulantur duo, quæ idem significant. Porro originem spiritus ab anima distincti sic explicat I. A. Comenius in Synopsi sua Physica cap. 11. §. 11. *componitur* inquit *homo è tribus: corpore, spiritu, & anima.* Probat ex 1 *Thess.* 5. 23. & 1 *Corint.* 14. *v.* 14. *distinguit* inquit *ibi Apostolus inter spiritum & mentem. Et revera*, inquit ibidem, *ita est: corpus habemus ex elementis conflatum æquè ut bruta, spiritum habemus ex spiritu mundi, sed anima seu mens ex Deo est.* vid. ibid. prolixius. Quid autem ille Spiritus mundi (quam & animam mundi vocat) sit, explicat idem c. 2. Synopseos. p. 25. *Est ipsa vita* inquit *mundo infusa ad operandum omnia in omnibus.* Ex hoc generali Spiritu singula corpora participant, & dicuntur tunc suos speciales

ales & particulares ſpiritus habere, ex quo corpora partialiter ſecundum *Comenium* componuntur. Vt dicit eodem *c.* §. 111. in expoſitione paragraphi. *p.* 31. Cum autem vitam dicit eſſe hunc ſpiritum, vel eam propriè intelligit & abſtractè pro forma per quam vivens conſtituitur in eſſe viventis, ut album per albedinem album eſt, ſeu in actu primo; & ſic componere nequit: quandoquidem ſic ſumpta vita non eſt aliquid reale ſed certus modus exiſtentiæ & durationis, ſeu *ipſa animæ cum corpore unio prout dicit potentiam ad* ἀποτελέσματα *communia exercenda.* Si metonymicè pro eo quod vivificat, jam contradicit ſcripturæ; quæ effectivum & formale principium vitæ, id eſt, actionum vitalium dicit animam eſſe, vocat enim eam ſpiraculum vitæ. *Gen.* 2. Quicquid ſit nondum probatur talis ſpiritus. Nam quod ex loco *Gen.* 1. 2. adfertur ſine rationibus cogentibus ex analogiâ textus & fidei, & contra communem Chriſtianiſmi interpretationem & vindicias contra Pneumatomachos & hodiernos Socinianos; eâdem facilitate à nobis rejicitur, quâ adfertur. Quod ad locum 1 *Cor.* 14. *v.* 14. vocabulum νοῦς non vertendum *mens* ſed intelligentia ut *Beza* & alii. Vult apoſtolus ſignificare; ipſum ſibi quidem intus in corde precari licet aliena linguâ utatur, ſed fructum inde nullum auditores percipere poſſe. vid. *verſ.* 16. Philoſophema hoc de animâ mundi tetigimus *part.* 2. *theſi* 8. in Platone, ejuſque ſectatoribus; & infra *append.* 3. pluribus de eo diſquiremus. Sed Comenii ſententia videtur inclinare ad ſpeculationes Paracelſiſtarum. *Dornaviũ* Paracelſiſtico-ſcripturarium ibidem citavimus. Conferat, cui vacat, ipſum *Paracelſum* huc etiam collimantem *in tract. de Creatione hominis p.* 757. vid. etiam *p.* 761. 11. *Probl. An mens non differat ab animâ? Affirm.* ut accidens à ſuo ſubjecto, eſt enim mens facultas animæ, quâ apta nata eſt diſcernere inter verum & falſum: bonum & malum. Sæpius tamen à Philoſophis *mens* & *anima* pro eodem ſumuntur, Synecdochicè ſcil. 111. *Probl. An mens ſit cogitatio: uti nonnemo ex recentioribus philoſophantibus loqui amat? Neg.* differunt enim ut agens *quo* & ipſa actio. Eſt enim mens facultas animæ, quâ mediante ipſa cogitat: cogitatio autem eſt effectus animæ per mentem. Imprimis ex ſtatu animæ ſeparatæ liquidiſſimè evincitur diſtinctio rei ſubſiſtentis ac permanentis animæ ſcil. humanæ tanquam ſubſtantiæ vitalis, ſpiritualis, incorruptibilis, ab actione tranſeunte atque evaneſcente (cogitatione ſcil.); pariter & diſtinctione ejuſdem actionis ab activo principio *quo*, virtute ſcil. ſeu facultate cogitandi & intelligendi, hoc eſt à mente ſeu intellectu, qui in animâ ſeparatâ eſt tanquam in ſubjecto ſuo, & ex eâ emanat: quomodo omnia propria ex ſubjectis ſuis emanant. Si quis animam hominis, cum mente & cogitatione confundat per incogitantiam aut idioticam inſciti-

am, seu ignorantiam puræ negationis, utique judicandum est de crasso hoc conceptu, quod de altero illo, quo nonnunquam anima confunditur cum halitu ex ore prodeunte: sed si talia proferantur & studiosè urgeantur ab iis qui philosophiam didicere, immo ejusdem eximiam scientiam profitentur, utique merito suspicari liceret, monstri aliquid ab iis hic ali, quod tandē in scepticismum aut Epicureismū aut Sociniſmum desineret; siquidem moniti non desistant. Ita ut hâc occasione Theologis contra periculosa hæc philosophemata opportunè vigilandum sit, ne juventus Academica, præsertim theologiæ studiis dicata, istis corrumpatur; & ne profani homines in cogitationes illas deveniant, quod anima sit res, evanescens & corruptibilis. IV. *Probl. Quid de divisibilitate & extensione animarum rationalium statuendum? Resp.* Nodum explicare conatus est *Fort. Lycetus tract. peculiari.* Ex illo & post illum idem aggressus est *Sennertus in Hypomnematis physicis, 4. cap. 6.* Post hunc & contra hunc *Ioh. Gallego de Serna tract. de origine animarum cap. 3.* ubi determinat eas non esse divisibiles aut per se aut per accidens (consequenter nec extensas) haut aliter ac angelos; quia sunt substantię seu formæ spirituales, corpori oppositæ, & quantitatis incapaces. Reliquas autem animas quippe formas materiales, esse extensas & divisibiles per accidens, ad divisionem corporum: magis tamen aut minus. Sic minimè partes animalium perfectorum à toto abscissæ vivunt; magis partes animalium imperfectorum seu infectorum; maximè partes plantarum. Tandem caput hoc contra Sennertum ita concludit: *Constat enim animas omnes materiales esse divisibiles ad divisionem quantitatis, vel occultè, ut in brutis animantibus, vel conspicuè, ut in annulosis & in plantis, & plantarum animas per divisionem, & non per traductionem, ut vult* Sennertus, *multiplicari: quemadmodum reliquas omnes materiales animas per generationem fieri.* In cujus sententiâ acquiescere malo: in reliquis hujus naturæ arcanis doctam ignorantiam professus. Conferendi Schol. ad 1 q. 75. Supra autem breviter perstrinximus quæstionem. *An anima sit tota in toto, & tota in qualibet parte.* Quæ cum hâc nostrâ ferè coincidit, aut certè illi admodum affinis est. Nos de toto essentiali, deque totalitate essentiæ & virtutis affirmamus. Quo faciunt aurea verba Augustini lib. c. epistol. fundamenti cap. 16. *Singulis sui corporis particulis tota præsto est, cum tota sentit in singulis &c. neque ita utrumque teneas, ut aliam partem hic habeas, & alibi aliam, sufficiens exhibere se singulis locis simul totă &c.* Et lib. de spiritu & animâ cap. 28. *Sicut Deus unus semper ubique totus est, omnia gubernans, movens, vivificans, sic anima in suo corpore ubique tota viget, vivificans illud, movens, & gubernans.*

2. Circa ortum animæ rationalis tria quæri possunt. 1. *à quo sint.* 2. *ex quo*; an è nihilo sint, an verò ex re præjacente. 3. *quando factæ sint aut fiant*;

an

an ab æterno, an in tempore. Circa primum hæc problemata proponi possunt 1. *an Deus non utatur ministerio angelorum ad productionem animæ rationalis?* Ita voluerunt præter Avicennam Seleucus & Hermias; quam postea hæresin Messaliani secuti fuisse dicuntur. Sed imprimis Carpocrates, qui omnium primus sensit, mundum totum ab angelis creatum fuisse, eoque & animas. *Iren. lib.* 1. *cap.* 24. Sed cum animę producantur per creationem, quæ infinitam virtutem requirit in agente, & angelus suâ natura finitus sit, nullo modo ipsi animarum productio adscribi potest. Nec etiam per modum instrumenti. Sequeretur enim angelos disponere ad productionem effectus quem intendit agens principale, hæc enim causæ instrumentalis ratio est: sed hoc esse non potest, quia creatio, cum fiat in momento, & ex nihilo, nullam prorsus dispositionem præcedentem requirit, nec admittere potest: præcedens enim dispositio non potest esse in nihilo, quod perpetuò est æquè indeterminatum. Confer quæ supra dicta sunt *part.* 1 *th.* 4. 11. *An anima immediatè a Deo producatur? Aff.* 1. quia earum productio nulli in scripturis assignatur nisi soli Deo *Genes.* 2. *vers.* 7. *Zach.* 12. *v.* 1. *Eccles.* 12. *v.* 7. *Hebr.* 12. *v.* 9. 2. Ratio id quoque docet quia animę per creationē producuntur, (ut postea probabitur) requirit autem illa infinitam virtutem in agente, & ea in Deo solum reperitur. Ergo. Itaque meritò ecclesia cōtrarium errorem damnavit, ut testatur Leo primus epist. 93. ad Turbium episcopum c. 10. ubi, postquam recensuisset errores Priscillianistarum de animâ, subjecit hæc verba: *Sed omnes eos* (Priscillianistas) *catholica fides à corpore suæ unitatis abscidit: constanter prædicans, atque veraciter, quod animæ hominum priusquam suis inspirentur corporibus non fuere: nec ab alio incorporentur nisi ab opifice Deo: qui & ipsarum creator est, & corporum.* Reliqua ad hanc quæstionem pertinentia vide infra *thesi* 3. 11. Quod ad secundum *ex quo* animæ fiant. Quæritur 1. *An ex substantia Dei fiant?* id opinati sunt post Stoicos Manichæi & tandem etiam Priscillianistæ: ii enim statum illum de quo *Genes.* 2. è substantiâ Dei profectum fuisse existimarunt. Sed hæc sententia tanquam impia, & hæretica ab ecclesia fuit damnata, quemadmodum patet ex *epistola Hieronymi ad Marcellinum*: & ex *epist. Augustini ad Hieronymum* 28. Item *ex lib. de Origine animæ primo. cap.* 4. *& lib.* 2. *cap.* 3. Clarissime verò *ex Leone primo Epist.* 93. *ad Turbium cap.* 5. Pluribus rationibus hunc impium errorem refutavit *Thomas cont. Gent. lib.* 2. *cap.* 85. idem fecerunt alii Scholastici *ad Lombardum lib.* 2. *dist.* 17. Verba autem Mosis de insufflatione Dei in nares Adami, unde occasionem suæ hæreseos sumpserunt hæretici, θεοπρεπῶς intelligenda sunt; quia Deus non habet corpus quo posset corporaliter flatum ex se mittere. Significatur ergo hac Phrasi, Dei jussu,

& quasi flatu creatam inditamque fuisse corpori Adami animam : aut insuflasse in nares, id est, fecisse flare nares, spirare & respirare, quæ actiones animæ intus agentis indicia sunt. Vid. *Zanch. lib. 1. de creatione cap. 1. art. 6. §. 2* ratio hæc una sufficit ad evertendam istam hæresim. Quia Deus est indivisibilis, & propterea ex eo fieri nihil potest : nisi dicere velimus hoc productum esse ipsum Deum : quod absurdissimum. Deinde, quia omnes animæ una essent : est enim Deus indivisibiliter unus.

3. 2. Quæritur, *an animæ per traducem propagentur, an vero novæ quotidie creentur* ? cujus quæstionis hæc est sententia, utrum, sicut corpus hominis ex materia seminis, quod à generante deciditur, formatur, eodem modo etiam anima fiat, & producatur, vel ex aliquo semine, vel quocunque alio modo, ita tamen ut à generante derivetur, ac quodammodo ex ipsius animâ decidatur, an verò à Deo creetur, & hoc modo corpori uniatur ? tractavit copiosè hanc quæstionem *Augustinus*, præsertim *T. 2. tota epistola 28. ad Hieronymum*, item *Epist. 157. ad Optatum. T. 3. de Genes. ad litt. ubi totus liber septimus*, & *decimus*, hanc disputationem continet. Deinde *T. 7. quatuor libri*, qui sunt *de anima & ejus origine*. Est etiam inter opera *Hieronymi dialogus in t. 4* à nescio quo conscriptus, in quo breviter collecta est sententia Augustini, & Hieronymi, ex utriusque patris scriptis. Vid. etiam *Zanch. lib. 2. de creatione capit. 5. art. 11.* item. *Goclenium* qui in lib. quodam qui inscribitur, *ψυχολογία* recenset commentationes, & disputationes quorundam theologorum, & Philosophorum nostrę ætatis super hac quæstione. Et *Rodolphi Lavateri tract. peculiarem*. Cæterum dissidentes admodum super hoc quæsito sententiæ doctorum virorum reperiuntur. Quod ad patres attinet eorum antiquissimus *Tertullianus*, qui hoc nomine *à Gennadio lib. de Eccl. dogm. cap. 14. præsumptor* vocatur, animam ex traduce esse asseruit, ut liquet ex ejus *lib. de anima cap. 9. 19. 22. 26. 36.* cujus sententię sectatores fuerunt Luciferani, Cyrillus, & aliqui alii Latini. Alii docuerunt animas nullo modo per parentes posse propagari ; sed à Deo quotidie fabricari. Quæ sententia est *Hilar. lib. 10. de Trinitate. Ambros. lib. de Noë, & arca cap. 4. Hieronymi lib. 3. apolog. adv. Ruffin. Chrysost. Hom. 23. in varia Matthæi loca. Theodor. lib. 5. de curationibus græcor. affect.* Postremò quidam maluerunt, nihil determinare, sed potius fateri se animæ rationalis originem prorsus ignorare : idque arrisit imprimis *Augustino* ut liquet ex *lib. 10. Genes.* item *ex quatuor lib. de origine animæ.* Item ex *epist. 28. ad Hieron. & ex epist. 157. ad Optatum.* Denique ex *lib. 2. retract. cap. 56.* Quantum ad Scholasticos, ii non tantum docuerunt animam nostram immediatè à Deo creari, sed insuper contrariam de *traduce* sententiam ut erroneam non tantum, sed ut hæreticam rejecerunt. Vid. *Mag. Sent.*

Sent. lib. 2. dist. 17. & 18. item *Thom. part. 1. quæst. 118. art. 2.* ad eumque locum *Cajetanus* alioſque ipſius commentatores; eoſque ſequuntur promiſcuè doctores Pontificii. Videndus *Lorinus in Eccleſiaſt. 12.* & *Franc. Zwarez de opere ſex dierum lib. 3. c. 8.* ubi rationibus quibuſdam probare conatur, eſſe hoc de fide. Idem ex & cum Zwarezio contendit *Ioh. Gallego de la Serna* Medicus Regis Hiſpaniarum *in declamatione de origine animarum c. Sennertum cap. 8.* ubi *p. 108.* contrariam Sennerti opinionem dicit eſſe *hæreticam*, & *ſatis in fide ſuſpectam*. Poſtremò inter eos qui reformationem amplexi ſunt, in varias quoque ſententias conceſſum eſt, plæriſque qui ſe à Luthero denominant apertè traducem propugnantibus (videantur *Meiſnerus in philoſoph. ſobria* & *Bartholinus in Anatomia*, & *Sennertus in hypomnematis phyſicis*, antehac citat. & *Eckhardus in faſcic. controverſ. c. 10.* & *Sperlingius in Phyſica*); quibus accedunt ex reformatis unus, atque alter, *Peucerus tract. de ortu animæ*: *Georgius Sohnius* Theologus quondam in Academia Heidelbergenſi, ut liquet ex *tom. 2. operum* ejus, & Cl. Theologus, idemque eximius philoſophus *D. Combachius*, in ſuâ *Anthropologia*. Pleriſque tamen creationi animarum ſubſcribentibus. Sunt etiam, qui ἐπέχουσι & in medio relinquunt, ut *Muſculus*, *Piſcator*. Remonſtrantes quamvis videantur nobiſcum ſentire; argumenta tamen ex ſcripturis allata rejiciunt, nec meliora ſubſtituunt, apud *Corvinum contra Molinæum c. 10.* Nos breviter, quid de totâ hac re ſentiendum ſit aperiemus. Statuimus autem, cum Scholaſticis & reformatæ eccleſiæ doctoribus (paucis duntaxat exceptis) immediatè à Deo animas creari; putamuſque in hâc ſententiâ tutius acquieſcere aliquem poſſe, quod immortalitas animæ ratione naturali melius ſic defendi poſſit: Subnixi partim Scripturæ ſacræ teſtimoniis, partim etiam Philoſophicis rationibus idem evincentibus: Ex teſtimoniis ſcripturæ & argumentis ſcripturariis, quæ pro hâc ſententiâ adduci ſolent, nos tantum ſeligimus *Eccleſ. 12. 7. Zachar. 12. 1. Hebr. 12. 9.*, quibus præmiſſis & ritè explicatis, addi poſſet *Geneſ. 2. 7.* Reliqua, quæ adferuntur ex *Pſalm. 33. 15. Ieſa. 57. 16.* &c. nos ſtudio præterimus, quia nondum videmus ſolidè aut evidenter ex iis quidquam contra adverſarios concludi. Eccleſ. 12. 7. *Pulvis redit in terram quemadmodum fuerat; Spiritus autem redit ad Deum, qui dederat eum*. Hic tria diſtinctè videmus. 1. Apertam oppoſitionem pulveris ſive corporis, & Spiritus ſive animæ. 2. Spiritus dicitur redire ad Deum, quod dici non poſſet ſi non prius à Deo eſſet profectus. Quod diverſam planè animæ & corporis arguit originem. 3. Nominatim dicitur Deus dediſſe Spiritum. Nec hoc intelligi poteſt de communicatione, qua Deus omnia ut cauſa prima concurrens cum cauſis ſecundis producit, ſic enim & corpus

dat.

dat. Emphaticè autem Deus Spiritum dicitur dare, non verò hoc de corpore dicitur, quod clarè diversum originis modum nobis ingerit. Excipit Cartwrichtus in commentariis ad hunc locum & in hunc modum: *Qui, inquit, ex hoc loco conantur traducem evertere parum firmo nituntur fundamento. Nam liquidum est Ecclesiasten ad Protoplasti formationem respicere; cum Deus animam inspiravit Adamo, sicut ex corporis figmento apparet, quod ex terrâ extitisse dicitur.* Sed contra. Ad primi hominis creationem respici non potest, quia ex vi creationis istius anima primi hominis non erat separanda, ut sic sola ad Deum rediret. Et peccatum, quod causa fuit reditus hujus animæ ad Deum, non tantum Adamum tangit, sed omnes ejus fœderatos. Quapropter sententia mortis Genes. 3. 19. *pulvis es, & in pulverem reverteris* non uni Adamo lata, sed & omnibus qui in eodem antiquo & primigenio fœdere, cum Adamo censebantur. Quapropter & hic locus non solum de Adamo, sed de omnibus Adami filiis debet intelligi. Pro hac sententia etiam facit locus ille Prophetæ Zachariæ cap. 12. v. 1. *dictum Iehovæ qui extendit cœlos, & fundat terram formatque spiritum hominis in medio ejus.* Expressè hic de Deo dicitur quod sit formator spiritus hominis. Nec quicquam valet illa exceptio, quod quidem Deus formet animam humanam, sed quod ex hoc loco nondum satisfiat quæstioni: an è substantiâ parentum, an verò ex nihilo. Nam cum scopus Spiritus S. in hoc loco sit prædicare potentiam Dei, non usque adeo accommodatum foret si adferret talia, quæ etiam ab hominibus possunt fieri. Propterea quoq; conjungitur iis, quæ etiam absq; cõtroversiâ ex nihilo creata à Deo sunt. Vt denotetur animam ejusdem ordinis esse quoad modum efficiendi, cum cœlo, & terra. Nec etiam quicquam hic facit distinctio inter mediatam, & immediatam Dei productionem. Nam si mediata hæc esset productio, jam homo in participationem facti admitteretur, quod non fert textus qui productionem animæ, ut & cœli ac terræ, ut peculiarem Deo assignat. Huc quoque à non paucis adfertur locus *Heb.* 12. 9. ubi Apostolus ait: *Patres quidem carnis nostræ castigatores habuimus, & reveriti sumus: annon multo magis subjiciemur patri spirituum & vivemus?* hic expressè discriminantur patres carnis & animæ. Si verò anima ex traduce foret; iidem corporis, & animæ parentes essent. Duo ad hunc locum excipiuntur. 1. quod vocabulum *carnis* homonymum sit & non notet hic corpoream substantiam, sed corruptionem ingenitam: ut sumitur *Joh.* 3. 6. similiter & vocabulum *Spiritus*; quod hic non significet animam, sed dona spiritualia. 2. quod Deus quidem sit pater animarum sed mediatè. Sed prior exceptio non est congrua. Nam *Spirituum* nomen est plurale, illa autem antithesis tum valet cum σαρξ πνεύματι non πνεύμασι opponitur. Secunda

cunda exceptio non magis firma est. Nam sibi nō constaret ātithesis *patrū carnis*, id est, qui corpora genuerunt & *patris Spiritum* id est qui procreavit Spiritus. Deinde & sic corrueret vis adhortationis apostolicæ, ad majorem obedientiā Deo, quam patribus terrestribus præstandam. Quod ad locum *Genes.* 2. 7. quem antehac in prælectionibus & dispp. nostris adducere solemus, didicimus post primam hujus disp. editionem, eum etiam urgeri à *Fr. Zwarez lib. modo cit. cap.* 7. & Ioh. Gallego de la Serna pag. 107. Sed longè alia ratione, ac nos, inde argumentantur: *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ &c. Vbi asserunt, spiraculum vitæ fuisse rem creatam habentem similitudinem cum ipso Deo creante, in intelligendo, immaterialitate, & in immortalitate. Et affert locum Theod. qu. 23. in Gen. agentis adversus hæreticos, qui dicebant, spiraculum vitæ esse aliquid de substantia Dei. Et inquit Theod. Extremæ impietatis est, & blasphemiæ sententia hæc: nam per hoc Scriptura divina facilitatem creandi demonstravit, & ipsius animæ naturam obscure declaravit: nempe ipsam esse spiritum creabilem, invisibilem, intellectivum, & expertem crassitudinis corporis, &c. ubi non solum animas Adæ, & Evæ creatas fuisse asserit, quia primorum duorum hominum animæ erant, sed quia revera erant de natura creabili, & nullo modo de natura generabili, ex substantia scilicet incorporea. Vnde cum omnes animæ rationales conveniant in essentia, quæ ex sua natura sit creabilis, omnes proculdubio debent per creationem multiplicari. Quod quidem esse de fide, & esse veritatem Catholicam, vulgatissima est in dictis libris Francisci Suares sententia, sigillatim scilicet in singulorum hominum productione.* Nos missa hac explicatione & argumentatione, aliter & tantum ex loco inferimus, θεοφ. accessisse animā humanā, nec intrinsecè ex aut cum corporis Adami è substantia corporea (terræ scil. seu elementorum) materialiter producti principiis ortam fuisse. Nec abs re est animadversio illa Tostati ad Gen. 1. fol. 76. *In omnibus aliis animalibus & plantis dicebatur; producat terra, vel aqua: de homine autem non sic dicitur; quia materia reliquorum animalium & plantarum est terra, & de potentia materiæ dispositæ educitur forma, cum non sit aliquid, quod est. Non sic autem de anima hominis, quæ inter formas altissimum gradum tenet.* Durior tamen videtur mihi hæc determinatio Tostati, quæ ibid. sequitur: *Ille dicitur generare compositum; qui formam conjungit materiæ, cum Deus solus animam creare possit, & solus creatam corpori formaliter unire, idicetur hominem producere propriè. Etsi dicamus quod unus homo gignit alium, hoc accipitur large, prout ministrat materiam, & virtutem dispositivam, scil. vim formativam & organizativam &c.* Sed vide loci *Genes.* 72. genuinæ interpretationis vindicias apud *Rivetum Exercit* 17. *in Genes.* An *Iobi* 33. *v.* 4. una cum *Genes.* 2. 7. hanc præsentem quæstionem aptari possit (ut quidem vulgo à Pontificiis theologis aptari solet) merito dubitatur. Per spira-

culum enim, Deus aut ſpir. ſ. commodiſſimè intelligitur: ita ut unum idemque dicatur in parte poſteriori illius verſus, quod in priori, במלות שונות (ut loquuntur Rabbini); Hoc enim in ſcripturâ, præſertim in libris Iobi, pſalmorum, Ieſaiæ frequentiſſimum. Ioh. Pineda in comment. ad loc. cit. in hanc interpretationem inclinare ſe ſatis profitetur: *Quod autem hoc loco dicitur Dei ſpiritus feciſſe hominem, diterem idem ſignificari, quod parte ſequente per ſpiraculum: niſi obſtaret, quod prima pars fere ſemper pertinet ad corporis formationem, ſicut ſecunda ad vivificationem animæ.* Succedunt Philoſophicæ rationes idem confirmantes. 1. Si animæ fiant ex traduce, per traducem vel intelligitur ipſa parentum anima, ut ita ex anima parentum propagari dicantur: vel ſemen. Sed neutrum dici poteſt. Non prius, quia anima rationalis indiviſibilis eſt. Vel totam igitur animam ſuam communicare parentes liberis oportet, & ſic ipſi non habebunt; vel nullo modo, & hoc eſt quod volumus. Lubet præterea ſcire, an anima fœtus decidatur ex anima patris, an matris, an utriuſque. Non ex anima utriuſq; nam ſic neceſſario anima fœtus foret compoſita ex partibus integrantibus, ſaltem duabus, illa quæ à patre & illa quæ à matre deciſa eſt. Quod abſurdum. Nec ratio dari poteſt quare non ex utriuſque, cum pater & mater in generatione fœtus ſint agentia coordinata, & unum totale principium effectivum, nec mas ſine fœmina, ſicut nec fœmina ſine mare, generare poſſit. Nec etiam anima fieri poteſt ex ſemine. Quia quod ex corpore fit corporeum eſt. Anima vero corpus non eſt. Deinde ſequeretur ſemen humanum eſſe animatum: quod iis abſurdis premi poteſt, à quibus non facile ſe expedituri ſint hujus ſententiæ patroni. Nec ſemen concurrit ad animæ productionem ad modum principii intrinſecus conſtitutivi, quod tamen per particulam *ex* denotatur. Vnde porro ſequeretur quod corporis & animæ eadem forent principia, & per coſequens eſſentia eadem. Quod quam ſit abſurdum nemo non videt. Inde quoque concludimus, quod quandoquidem nec anima parentum, nec ſemen eorundē poſſit intrinſecus conſtituere, & ipſa tamen habeat eſſentiam, per quam conſtituatur in eſſe ſuo, neceſſario illam habeat ex nihilo & per conſequens à Deo creētur, quod intendebamus. Sed forſitan ex virtute plaſticâ, quæ ſemini eſt impreſſa, animæ proſeminantur: ſed nec hoc dici poteſt, quoniam virtus plaſtica habet ſe ad modum agentis inſtrumentalis & quidem corporei, ad conſtitutionem rei intrinſecus concurrentis. Deinde cum anima ſubſtantia ſit, & virtus plaſtica ſit accidens, quomodo ex ea anima fieri poſſit inexplicabile eſt, niſi in virtute agentis principalis ſeu ſubſtantialis, atqui hoc eſt corporeum, ſeu corpus. 11. Si anima

ma ex traduce fiat, jam dependebit in fieri à corpore. Quo posito nõ video quomodo cõmode probari, & naturaliter satis defendi possit animæ rationalis immortalitas, cum hęc sit optima illam probandi via. Immò veteres orthodoxi, propterea animam cum corpore interire negarunt, quia cum corpore nõ seminatur. Sic enim habetur in lib. de definitionibus Orthod. fidei, sive ecclesiasticis dogmatis c. 18. Tom. 3. operum Aug. *anima humana non cũ carne moritur, quia non cũ carne seminatur, sed formato in ventre matris corpore Dei judicio creatur, & infunditur, ut vivat homo intus in utero, & sic procedat nativitate in mundum.* Quid, quod necessario consequi veteres docuerint animam videl. Morti obnoxiam fieri, si ex traduce sit. Sic enim Hieronymus Lib. 2. cont. Ruffin. ad Pammachium & Marcellum Tom. 2. *Si cæpit, inquit, anima ex traduce, humanarum igitur animarũ quas æternas fatemur, & brutorum animantium, quæ cum corpore dissolvuntur eadem conditio est.* & Thom. quæst. 118. art. 2. ait *cum anima sit immaterialis, immortalis, & per se subsistens substantia, debetur ei esse & fieri non per generationem, sed per creationem.* III. Nec ullum agens naturale, quod in agendo dependet à materia, quid ab eadem independens producere potest, sed quicquid producit à materia dependentiam habere debet. Quæ cum nulla ratione animæ rationali quæ etiam extra corpus subsistere potest, possit convenire, non potest etiam provenire per traductionem seminis, utpote quod materiale est. IV. Varia etiam absurda ex hac opinione sequerentur, quæ ex parte nunc indicavimus: & hæc addimus 1. Si anima produceret animam sequeretur spiritum producere spiritum & se propagare sive per generationem, sive per quamcunque aliam productionis speciem. Immo animam seorsim generare, non vero compositum. Atqui hæc omnia absurda. 2. Si ex semine produceretur anima, sequeretur concurrentibus seminibus, statim animari fœtum. Atqui hoc absurdum. 3. Sequeretur animam humanam latere in semine, siue ut in potentia materiæ, sive actu in receptaculo seu domicilio suo: quod utrumque absurdum. 4. sequeretur animam patris aut transfundi & infundi cum semine & dependenter à semine paterno in uterum fœminæ, ibique die 40 aut 30 aut quocunque alio (quo fœtus anima dicitur) producere animam filii, per decisionem, aut luminis accensionem, aut quemcunq; alium propagationis & productionis modum: aut semine paterno adhuc in corpore ejus existente animam filii in eo & dependenter ab eo per animam patris actu produci & extra causas suas constitui. *Si prius* dicatur, explicandum porro an & quomodo tota anima paterna (neq; anima divisibilis somnianda est), ex utero fœmineo ad patrem revertatur? & an ac quomodo pater tamdiu absq; anima sua subsiterit? *Si posterius* dicatur: jam sequeretur animam filii á patre una cum

excretione seminis in uterum fœmineum infundi,& consequenter fœtum à primo momẽto receptionis seminis paterni esse animatum, quin immo jam ante in corpore paterno fuisse animatum antequam effunderetur. In quamcunque partem hic se verterint, non video quomodo ab absurdis se extricare queant. 5. Adde quod in quæstione de concursu animæ maternæ ad hanc productionem, sibi non satis constent, nec sibi aliisque satisfacere possint. *Obj.* 1. Gen. 1. 28. *fœtificate & augescite.* Hinc concludunt hominis eandem, quæ belluarum, rationem esse, earumque instar tum animam tum corpus ejus produci, quia de his *vers.* 22. idem dicitur. Sed conseq. infirma est, quia ex eo quod eadem verba de utrisque dicantur, non potest colligi quod per omnia similis sit generatio bestiæ & hominis; & textus respicit composita proseminanda ex utraque specie: augescunt enim & homines & bruta, dum ex iisdem alii homines, alia bruta secundum similitudinem speciei producuntur. Nec fœtificatio consistit in productione formæ, sed in ejus cum materia unione, quod in homine similiter usu venit, ut adeo, non obstante productione animæ immediata à Deo, dici tamen possit homo hominem generare. Ita Maria virgo dicitur peperisse Christum *Luc.* 2. 7. & ipsa mater ejus *ibid. vers.* 51. *Ioan.* 2. 3, 5. 12. *Ob.* 2. ex *Gen.* 2. 2. 3. quod Deus dicatur quievisse ab omni opere. Verum si simpliciter hoc intelligatur falsum est: Deus enim etamnum & mediatè & immediate operatur: mediate, concurrendo cum omni agente naturali ad productionem omnium effectorum ab ipsis procedentium; Immediate, ad conservationem universi, ad quam non utitur Deus operâ ullius creaturæ, cum non sit minus quid, quam creatio, immo de ea ratione solummodo differens. Et Christus in genere testatur patrem suum etiãnum operari & se cum eo *Ioh.* 5. 17. Intelligendus igitur locus de productione novarum specierũ. *Obj.* 3. *Gen.* 46. 26. ubi 70, animæ egressæ dicuntur ex femore Iacobi. *Resp.* est ignoratio Phrascos S. Script., in qua anima pro toto animato sumitur. Vt etiam ex textu patet. Nam propriè animæ non venerant in Ægyptum, sed homines. Deinde, quia dicuntur ex femore ejus processisse: processerant autem homines, denique ex seq. vers. ubi filii Ioseph dicuntur duæ animæ, per synechdochen. Accedit, quod vocabulum animæ pro cadavere sumatur *Lev.* 19. 28. & 21. 1. cur non etiam Synechdochice pro toto homine? *Obj.* 4. *Heb.* 7. 10. ex antithesi, quæ inter Levi & Christum ab Apostolo instituitur, quasi Christus tantum fuerit in lumbis Abrahæ secundum corpus, Levi vero ratione corporis & animæ. Sed fallacia est non causę pro causa. Vult enim apostolus ibidem extollere sacerdotium Melchidecianum supra Leviticum seu Araonicum: ex eo, quod ipse Levi, qui caput erat ordinis Aaronici

ronici decimas penderit Melchisedeco, & typice Christo. *Obj.* 5. continens præcipuum argumentum, sumitur à propagatione peccati originalis. Putant enim eos, qui creationem statuunt, eo compelli necessario, ut aut peccatum originis negent, aut Deum peccati autorem constituant: Cum autem neutrum scriptura admittat, sequi consequenter animã ex traduce esse. Sed hæc difficultas satis evidenter à Thologis & Philosophis sublata est. vid. *Zanch. lib. 2. c. 5. art. 6. &* apud *Gocleniũ in* ψυχολογία passim in sententiis eorum qui creationem defendunt, &c. aliosque in *disp. nostra de propag. peccati originalis* cit. Breviter hic repetimus Adamum cum justitia creatum à Deo, ut posset creatorem super omnia colere si vellet, voluntaria malitia defecisse ad amorem creaturarum, atque ita sibi meritum privationem justitiæ originalis, & omnibus posteris, qui in eodem cum ipso fœdere censebantur, quod in Adamo ut radice & capite fœderis omnes peccassent. Porro illud ipsorum demeritum cõpleri in actu justitiæ vindicativę Dei, cum creando animas, nõ increat aut cõcreat gratiã habitualem, uti factum ab initio. Nec tamen illã non concreationem peccati rationem habere, sed tantum antecedẽtis peccatum. Illa enim non datio seu privatio privans à parte Dei & negative considerata habet se ut justa & debita pæna (cujus oppositum, datio scil. non est debita): sed privatio privata (ita loqui liceat) à parte hominis & in homine considerata, formaliter est peccatum & injusta culpa; quia habitualis quædam aversio est à Deo & conversio ad creaturam, qui defectus culpabilis est. Vide sententiam hanc nostram pluribus explicatam & defensam in *disput. de propagatione peccati Originalis.* *Obj.* 6. seu potius instantia & exceptio, qua à præcipuis argumentis & absurdis, quibus urgentur, se expedire satagnnt: Quia flamma per sui multiplicationem producit flammam, & seipsam propagat, & lumen oritur ex lumine; ergo & anima eodem aut simili modo producit animam? R. Nihil absurdius hac instantia, seu consequentia. Flamma & ignis sunt corpora, estq; ignis in vapore, qui accenditur, tanquam substantia contenta in substantia continente, ut aqua in spongia; lumen vero in flamma est accidens in illo corpore, in igni scil. immediate, & in vapore mediate. Sed quæ consequentia à productione substantiæ corporeæ, de corpore in corpus & comproductione accidentis corporei in & cum suo corpore ad productionem substantiæ spiritualis de substantia spirituali? 4. *probl.* An animę hominum sic θυραθεν adveniant ut ex alieno corpore humano aut belluino transmigrent *R.* propter affinitatẽ materiæ hic rursum notamus μετεμψύχωσιν, quã supra attingimus & in *disp. de Iudaismo.* Fuit hęc olim sententia Platonis in Timeo & Pythagoræ: de qua vide *Laertium in vita ejus, & Lactantium lib. 7. c. 12. Plotinum in lib. de*

dæmone proprio: Iustinum contra Triphonem, Plutarchum lib. 5. de placitis cap. 2. Porphyrium in lib. de abstinentia animalium, Augustin. lib. 16. de civit. Dei, Basilium in Hexaëmer. Apulejum in metamorphosi. Eandem ab illo haustam usque in hodiernum diem mordicus tenent Indi sub regno magni Mogul, quotquot scil. Ethnicismum suum cum Mahumedismo non permutarunt. Vide *Mogoronicas relationes & epistolas à Iesuitis editas. Benjamin Tudelensis p. 34. Itinerarii* meminit Ethnicorum quorundam, quos *Dugziin* appellat, apud quos idem placitum tunc obtinebat. Ad Iudæos etiam absurdam hanc opinionem jam ante tempora Christi una cum Pharisaismo migrasse discimus ex *Fl. Iosepho lib. 2. de bello Iuda. cap. 7.* cum quo confer quæ Rabbini in *Iob* 33. 20. & recentiores, *Elias in Tisbi* in voce נלגול, *lexicon Rabbinum Buxdorfii*, ejusdemque *abbreviaturæ in* ארם, *& pentaglotton Schindleri, Menasse ben Israel in Conciliatore quæst. 43. in Genesin, & lib. 2. de Resurrectione cap. 18. & R. Leon Venetus in disput. de Iudaismo* à nobis *citatus.* Quæ facient ad intellectum loci *Matth. 16. v. 14.* Vbi videndi recentiores commentatores. Non desunt tamen ex Rabbinis, qui sententiam hanc repudiant; quorum aliquos indicat *Menasse ben Israel loco cit.* Et sunt inter eos qui hanc & similes fabulas metaphorice accipiendas dicunt. Et sic Pythagoram ac Platonem interpretantur *Boëthius lib. 4. de consol. philosoph.* & ibidem *Thomas in commentariis.* Et ex professo peculiari dissertatione hoc agit *Angelus Morellius Aretinus* Theologus Servita, tit. *De transitu humanarum animarum in belluas explicatio pro Pythagora & Platone.* Sed morem hunc interpretandi, seu potius torquendi autores per excogitata commenta, probare nequeo. Quæ enim enthusiastica, hæretica, magica, cabalistica hac ratione defendi, & in mysticam sapientiam tandem transformari non poterunt? Certe longè aliter de Pythagoræ & Platonis sententia judicarunt autores supra citati, & evincunt Indi genuini Pythagoræ discipuli, non tantum in ista, sed in aliis opinionibus, de abstinentia ab animalibus &c. De Iudæis dubitare nos non sinit textus *Matth. 16. 14. & Fl. Ioseph. modo cit.*

4° De tempore productionis animæ quæri possunt. 1. *Probl. An animæ fuerint ab æterno creatæ. Resp.* nihil certius, quam illas ab æterno non fuisse; nihil enim æternum est nisi Deus: nam quæcunque creata sunt aut cum ipso tempore, aut in tempore sunt facta. Quia *in principio creavit Deus cœlum & terram*, Gens. 1. 1. Immò implicare existimamus si creatura ab æterno esse statuatur, cum omnino de ratione earum sit novitas essendi. vid. rationes, quæ in genere contra sententiam quæ statuit creaturam ab æterno esse potuisse, allatæ sunt. *Disp. prima de creatione hes. VIII. num. X.* Quibus forsan addi posset argumentum à naturâ æterntatis petitum

titum. Est enim ea ad minimum *duratio ab ante interminabilis*: creaturæ autem omnis de intrinseco dicit ordinem ad creatorem, ut ad efficientem causam. Iam vero *causa omnis effecto prior est*; sufficitque prioritas naturæ (nam ab æternitate simpliciter prioritas removenda est.) Ex hoc enim consequitur quod existentia creaturæ de intrinseco dicat terminationem ad existentiã creatoris; quærenti enim quid fuit ante primum momentum existentię creaturæ? necessariò respondetur momentum existẽtiæ creatoris. Vt enim omnis bonitas resolvitur in bonitatem primã, omnis causa in causam primam, sic etiam omnis duratio, in durationem primam, id est, Dei. Hinc puto colligi creaturam nullam ab æterno esse potuisse, quia non potest exhaurire omnia momenta durationis: quia non potest exhaurire illud momentum existentiæ, quod necessariò præsupponendum est primo momento existentiæ ipsius. Alioqui non video quomodo creatura magis dependeat à creatore, quam ille ab ipsa; & sibi mutuo non subordinanda, sed coordinanda sint: quod tamen est contra rationem entis *à se* & entis *ab âlio*. Vide hanc sententiam prolixè propugnatam à *VVendel. contempl. Phys. Sect.* II. *c.* XV. §. XII. & XIII. II. *Probl. An in principio creationis omnes animæ simul creatæ sint. Resp. Origenes* videtur statuisse omnes animas à principio mundi certo numero esse conditas, & vel in stellis, atque cœlis, vel nescio quibus Dei thesauris latuisse, deinde verò in corpora aut sponte venire, aut jussu Dei detrudi. Vide *Zanch. lib.* II *de creatione cap.* V. *th.* I. §. 4. Iudæorum & Cabalistarum commentum, ut & Platonis attigimus in *Dissert. de Termino vitæ*. Sed convellitur I. per Scripturam Zach. 12. vers. 1. *qui fingit Spiritum hominis in medio ejus*: ubi expressè propheta dicit quod anima formetur in corpore, ergò non in cœlo, aut in principio mundi cum corpus nondum esset. Ratio idem suadet, anima enim forma est corporis humani; quoniam homo & anima & corpore constat: est autem naturale formæ ut suę uniatur materię, & præter naturam est, ut sit à materiâ suâ separata. Ergò si animæ fuissent omnes à principio mundi conditæ, præter naturam fuissent diu à suâ quæque materia separatæ. Hoc autem esse absurdum patet; quia in omnibus rebus sic naturâ comparatum est, ut quod est per se prius sit eo, quod est per accidens. Si igitur animę fuissent priores sine corporibus, prius fuisset illud quod per accidens est & contra naturam quam quod est per se, & secundum naturam. III. *Probl. quo tempore anima infundatur corpori*. Hæc quæstio licet quoad substantiam & directè sit Physiologica: In Theologiâ tamen ejus usus est, in quantum ex ea accersitur decisio casus illius qui occurrit. Exod. 21. 22. ubi Deus legem sancit de percutientibus gravidam. Verba sic habent: *Si rixati fuerint*

rint viri, & percuſſerint mulierem prægnantem, & egreſſi fuerint nati, & non fuerit mors, puniendo punietur, quemadmodum impoſuerit ſuper eum dominus mulieris: & ſi mors fuerit, dabis animam pro animâ. Vbi aperta diſtinctio eſt inter prægnantes in quibus fœtus animatus eſt, & in quibus non. Expedit igitur cognoſcere quando animetur. Sennertus Hypomn. IV. cap. 3. §. III. *Secundo*, inquit *certiſſimum eſſe pnto animam mox à primâ conceptione, quam primum ſemen patris & matris conjunctum eſt, & in utero matris retinetur, & corpus formari incipit, adeſſe, & qui contrarium ſtatuit, ſive traducis ſive infuſionis animæ patronus ſit aberrare eum à vero.* Alii qui negant ſtatim à conceptione infundi animam, non conveniunt inter ſe, quo temporis puncto, ſeu quot dierum tranſacto ſpatio anima intellectiva corpori uniatur. Valleſius lib. 2. controv. cap. 9. ad finem ait: *fœminas nunquam formari ante diem quadrageſimum, mares verò formari diebus triginta aut triginta quinque.* Communiorem ſententiam dicunt eſſe Conimbr. in lib. II. Ariſt. de anima q. 4. art. 2. §. 2. quam & ipſi ſequuntur: *in maribus abſolvi conformationem corporis & conſequenter animam infundi circa quadrageſimum diem, in fœminis circa octogeſimum.* Fienus in tract. de formatione fœtus quæſt. 8. concl. II. *anima*, inquit, *rationalis infunditur tertio circiter a ſeminis conceptione die, intellige ſi conceptus abeat in vitam & non ſit irritus.* Quicquid ſit, de præciſo tempore infuſionis, ſtatuendum eſt animam induci in corpus organizatum & recipiendæ animæ accommodatum. quod prob. 1. *Zach.* 12. *v.* 1. ubi dicitur Deus fingere ſpiritum in medio hominis. Non poteſt autem id dici, ſi ſemini in fundat; quia ſemen nihil hominis eſt, niſi potentiâ duntaxat. 2. *Ex ratione.* Quia contra naturam, & per accidens contingit animæ non eſſe unitam corpori, prius autem antea diximus eſſe illud quod per ſe eſt, quam quod eſt per accidens, ergò prius convenit animæ unitam eſſe corpori, quam eſſe non unitam. Sed unita eſſe non poteſt, niſi materia ſit prædiſpoſita: ergò in univerſum prærequiritur, ut corpus ſit diſpoſitum, quam exiſtere poſſit anima. Hæc argumenta premunt ſententias *Sennerti* & *Fieni*. Quibus & hoc addas contra utramque: Si tertio à conceptione die, quando probabile eſt conformationem nondum eſſe perfectam, & conſequenter animam corpori nondum eſſe unitam, contingat ut ſemen corrumpatur, aut ex utero ejiciatur; quid futurum de anima iſta? Non probabile eſt annihilandam eſſe. Nec ultimo judicio unietur iſti informi ſemini; homines enim reſurgent duntaxat, & illa hominis pars nunquam fuit: nec ſeparatim ſemper exiſtere poteſt, cum hoc ſit contra naturam ejus, utpote quæ dicit naturalem ordinem ad corpus. Aptentur huc quoque quæ atttulimus contra ſententiam, quę ſtatuit animas omnes in creationis principio conditas eſſe. Vbi probavi-

mus

mus non ante conditas esse quam materiæ unitas: loquimur autem de prioritate temporis. Quod attinet opiniones illas, quæ animationem masculi assignant diei trigesimo, vel trigesimo quinto a conceptione: fœminę autem quadragesimo; vel quæ masculi quadragesimo, fœminæ octogesimo: vix credibile est ultra periodum prioris sententię adscendendum esse, adeo ut posterior illa nimis longe extendere videatur animationem fœtus. Qui longissimè extendunt, ad suadendum id quod sentiunt, proferunt legem purgationis, quam tulit Moses *Lev.* 12. 2. Vid. *Maldonatum in cap.* 2. *Luc. Toletum ibid. annot.* 34. qui cum aliis rationem duplicatorum dierum purgationis sumunt ex diebus quibus fœtus animatur, masculus quadraginta fœmina verò octuaginta elapsis. Præmonet *Hurtadus disp. de generat.* 2. §. cxi. Doctores hujus sententiæ non conari ex eâ lege ostendere dies formationis, sed supponere ex Aristotele & aliis Philosophis eam opinionem, quâ positâ reddunt discrimen inter purificationem parientis filium, & filiam. *Conimbr.* tamen *loc. citato* directè hinc suam, & hanc sententiam probant: Sed fundamentum lubricum est: Non enim constat nobis ex isto loco rationem legis istius esse, certam formationis periodum. Ex eodem loco concludere quis posset die septimo aut decimoquarto animari fœtum, quod scilicet membra tunc conformata sint, licet perfecta formatio extendatur ad quadragesimum, aut octuagesimum, cum illa etiam simpliciter non sit necessaria ut anima recipiatur. Probabit autem ex eo, quia gravior impuritas terminatur octavo, si marem, decimo autem quinto, si fœminam peperisset. Hurtadus disp. citat. §. 112. *quæ sit*, inquit, *embryonismi periodus, & quod animationis initium, nec Hippocrates, nec Galenus, nec Aristoteles sciunt: novit autem qui omnia novit.* Etenim præcisam rei istius definitionem nec patitur seminis ipsius subinde diversitas, nec differens uteri, aut totius matris dispositio. Corn. à Lapide in comment. ad *Levitic.* 12. post oppugnatam sententiam Maldonati, concludit: *Propria & genuina causa hujus sanctionis & disparitatis est voluntas & beneplacitum Dei*, &c. *Idque appositè ad naturam, ob majorem scilicet in partu fœminæ humorum fluxus, & sanguinis corruptionem, ac parientis majorem languorem; nam ut docet* Theodoretus *gravius laborare solent mulieres dum fœminam pariunt, quam dum masculum.* Huic junge congruentiam Franc. *Valesii*, (quem vide cap. 18. de sacr. Philosoph.) *quod scil. fluxus sanguinis in partu maris durare possit ad* 40. *diem, in fœminæ ad* 80. *aut potius quod hos terminos nunquam excedat: ita ut si termini definiant non tam maximum sive plurimum quod sic, quam plurimum & maximum quod non.* Sufficiat dixisse, litem hanc Medicorum & physicorum nostram non esse: modo cautum sit genuinæ explicationi dicto-

rum ſcripturæ, & Theologicis veritatibus de incarnatione Chriſti. Interim nihil habemus contra illam opinionem, quæ ſtatuit, non eſſe credibile animationem ultra diem trigeſimum, aut trigeſimum-quintum in maribus & quadrageſimum in fœminis extendi. IV. *Probl. An ſtatim poſt deciſionem ſeminis à B. Virgine anima Chriſti formata ſit.* Qui hoc ſtatuunt, nolunt quidem animam rudi ſemini fuiſſe infuſam, ſed materiam unico temporis momento ita fuiſſe diſpoſitam, ut recipiendæ animæ accommodata fuerit. Explicant ſententiam hanc Conimb. loc. cit. *Hanc tamen,* inquiunt, *ſucceſſivæ formationis legem non ſervavit corpus Chriſti ſervatoris noſtri in utero virginis matris: nam quod naturæ vi quadraginta dierum ſpatio paulatim effingendum erat divinâ virtute & Sp. S. operâ momento perfectum abſolutumque fuit.* Eſtque ea communis Scholaſticorum opinio. Vide *Thom. cont. gent. lib. 4. cap. 44.* Idem ſentit inter reformatos magni nominis Theologus *Hieron. Zanchius lib. 2. de incarnat. Filii Dei qu.* VIII. *theſ.* 1. & cum ipſo plures alii. Nos autem, ut candidè ſenſum noſtrum explicemus, nunquã videre potuimus, quare contraria ſententia rejicienda ſit. Et *Heb.* 2. 14. dicit Apoſtolus Chriſtum *cõſimiliter* participẽ eſſe factum carnis & ſanguinis, ut pueri, & *v.* 17. unde debuit *per omnia* fratribus ſimilis fieri. Nec rationes in contrarium afferri ſolitæ aliud evincunt. Potiſſima eſt: quod λόγος nunquã fuit ὑπόστασις alicui embryoni, ſed tãtum veræ humanę carni rationali animâ præditæ. Verbum enim caro factum eſt, id eſt, verus homo; non autem primum ſanguis, deinde ſemen in corpore virginis Mariæ, tum embryo & poſtmodum homo. Sed hæc ratio præſupponit perſonam verbi aſſumpſiſſe carnem ſtatim à conceptione: quod tamen nos negamus, & ſtatuimus, quod quemadmodum alii fœtus animantur, diſpoſita jam materia, ſimiliter & Chriſtus animatus ſit, & quod ſic anima donatum corpus aſſumpſerit perſona Verbi; non vero quod humana natura ſubſtiterit aliquando extra perſonam Filii Dei; ſed quod ordine naturæ humanitatis aſſumptionem & unionem perſonalem præceſſerit infuſio animæ.

APPEN-

APPENDIX AD DISPVTATIONES DE CREATIONE SECUNDA.

Resp. CORNELIO BRUYNVISCH Zirizęa-Zelando.

Ad diem 16. Septemb. 1643.

IN *disputationibus de Creatione part.* 10. *thes.* 1. ostensum 1.
est animam esse immortalem & incorruptibilem idque ex propria natura non verò per gratiam; adhæc immortalitatem ejus ex lumine & ratione naturali probari posse. Sed duę insuper quęstiones huic affines circa materiam hanc excutiendæ restant. 1. *An ita cum hac animæ immortalitate comparatum sit, ut cum ea nullo modo cònsistere possit intervallum quoddam seu status quidam non existendi propria existentia, saltem ad tempus aliquod quod terminetur à morte, & resurrectione hominis?* Videtur talequid à Socinianis statui. Quod sc. animæ justorum cum ex corpore migrarunt, vivant, & existant in Deo: quod ipsis interpretibus nihil aliud est, quam animas justorum, cum ex corpore excesserunt, non quidem vivere, & existere, vita & existentia propria distincta ab existentia Dei, sed quod tales natura sint ut à Deo, in quo vivere & existere dicuntur, vitam & existentiam propriam recipere possint, quam etiam reipsa dein recepturæ sunt, cum corpori in die judicii reunientur. Sed absurdi in eo sunt, qui Socinum sectantur. Implicat enim apertè animam esse immortalem & tamen aliquando non existere; nam τὸ non existere rem, est signum rem illam esse mortuam; effectum enim immediatum mortis est non existentia rei quæ vixit, seu exstitit; mortuum autem esse & immortalem esse contradicunt. Ineptum insuper effugium est, quo contendunt, licet in se non existant, existere tamen in Deo, id est, dicere relationem ad potentiam Dei activam, à quâ restitui possunt & restituendæ sunt: sic enim sequeretur, omnia in tempore producta etiam fuisse ab æterno, quia ab æterno fuerunt in potentia Dei activâ, id est, à Deo produci potuerunt; & suo quæque tempore producenda erant. Quid quod existentia nihil aliud sit quam modus, quo aliquid extra suas causas constitutum esse intelligitur, ut passim docent Metaphysici: quo posito rursum implicat esse in potentia Dei ut causa existendi, & existere, quod simul ab ipsis in anima ponitur. Probatur idem ex Scri-

ptura, quæ teſtatur animas exiſtere in ſe & per ſe, etiam poſt ſeparationem à corpore & ante reſurrectionem. Matth. 22. 32. *Ego ſum Deus Abrahami, Iſaaci, Iacobi: Deus non eſt Deus mortuorum ſed vivorum*, ubi Chriſtus diſertè probat, Patriarchas ſecundum quid, id eſt, animas ſuas (nam corpora in pulverem redierant,) vivere ſeu exiſtere, idque in ſe, exiſtentiâ propriâ, quod ex textu patet, ita enim vivi ſeu vivere dicuntur, ut opponatur ſtatus eorum ſtatui mortuorum, quos conſtat & ipſos habere exiſtentiam in Deo (abſit ἀκυρολογία) ſeu exiſtentiam potentialem, nihil igitur reſtat, quod dici poſſit, quam Patriarchas etiam tum habuiſſe exiſtentiam actualem, diſtinctam ab exiſtentia aliorum entium. Similiter & Luc. 23. v. 43. *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo.* Ad hunc locum excipere ſolent, Latroni quidem promiſſum fuiſſe Paradiſum cœleſtem, ſed dandum demum poſt reſurrectionem: dixiſſe autem Chriſtum hodie eris mecum in Paradiſo propter certitudinem rei futuræ, ſicut Prophetę, res futuras per præſens, aut præteritum efferunt: hodie igitur non temporis, ſed aſſeverantis particula erit. Verum enim verò hoc nimis audacter abſque exemplo communem vocabuli & naturalem ſignificationem evertit. Et quis non videt, per adverbium *hodiè* Chriſtum reſpondere voluiſſe ad illud adverbium *quando* quod in petitione Latronis continetur, memento mei quando veneris in regnum tuum; ut ſit ſenſus hodiè erit illud quando, ſeu tempus, in quo à me petis recordationem tui, & etiam hodiè. 1. hodierno tempore mecum eris in regno meo. Sed evidentius adhuc patebit veritas aſſertionis noſtræ ex tractatione ſequentis problem.

Quæritur ſecundò, *An animæ poſt ſeparationem à corpore uſque ad reſurrectionem dormiant, & nec afflictiones nec gaudia percipiant.* Affirmat. Anabaptiſtæ invexerunt. Videantur Antagoniſtæ Anabaptiſtarum *Abrahamus Doreſlaer & Petrus Auſtro-Sylvius*, ubi agunt de quatuor noviſſimis. *Prothocol. Embd. Fol.* 360. & 361. Adſtipulantur iis, Sociniani, qui & ipſi contendunt, animam etiamſi exſtiterit, exiſtentia propriâ, ſaltem non ſentire dolores nec gaudia. Sic enim hac de re Smalcius diſput. de extremo judicio contra Frantzium. pag. 409. *Quemadmodum, inquit, corpus abſque ſpiritu cadaver eſt, ſic viciſſim ſpiritus ſine corpore nullas actiones exercere poteſt; hinc ſpiritus poſt mortem nullo ſenſu eſt præditus*, & idem ibid. *An Spiritus ille qui ad Deum redit, & à corpore ſeparatus eſt, ſenſu aliquo præditus ſit, & an voluptate aliqua fruatur ante Adventum Chriſti, & ante conjunctionem novam ſpiritus cum corpore glorificato valde dubitamus, immò aliter ſe rem habere credimus*, &

diſp.

disput. 8. contr. Frantz. de Ecclesia: *Error est*, inquit, *dum thes.* 25. *Ecclesiam partitur Frantzius in triumphantem & militantem: nulla enim revera nunc est triumphans, sed olim futura est, cum Christus Iesus venerit redditum unicuique secundum opera ipsius.* Vnde etiam hoc problema hisce verbis concipitur interdum, an detur ecclesia quædam triumphans ante resurrectionem, quod fecit. *Cl. Maccovius colleg. Theol. part.* 3. *disp.* XII. An Remonstrantes ab hâc opinione plane alieni sint, aut non sint, haut ita dici potest; nec ipsi apertè dicent. Scrupulum movere alicui possent verba *Episcopii disput. Theol.* 22. *thes.* 7. Vbi statuit animas justorum post hanc vitam usque ad diem judicii nullam extra se habere operationem, nec quidquam sentire. Vide verba ipsius, & confer cum *disp.* 23. *thes.* 2. & 4. Et cum ejusdem *defensione Catecheseos Remonstrantiæ contra D. Heidanum ad quæst.* 100. 101. coll. cum *Apologiâ Remonstrantium cap.* 19. Nos in nostrâ *catechizatione catechismi Remonstr. ad qu.* 100. lectori expendenda obtulimus excerpta ex horribili libello Sociniano, quem in vernaculum nostrum sermonem transtulisse & edidisse putatur Sociennus quidam Remonstranticus, olim inter ipsos verbi Minister, qui nomen suum primis literis D.R.C. (*Diedericus Raphael Camphuysen*) notatum præfixit. Vbi anonymus Socinianus ex Papistarum & Gentilium Poëtarum nugis ac fabulis profluxisse dicit, quidquid vulgò creditur de infernali cruciatu, pœnâ & damnatione animæ separatę, & animæ ac corporis post diem judicii. Addit dictus modo Remonstranticus interpres Belgicus (D. R. C.) pag. 214. 215. Neminem tantum præstitisse in instauratione collapsi Christianismi, quantum Socinus. *Nullus tamen*, inquit, *mihi tam excellens videtur, & pietati tam utilis, quam quod per spissas & communes tenebras fabulosi inferni & infinitæ damnationis perviderit, & præclarum hoc lumen hominibus restituerit, &c. Quod ad me attinet, gratias ago ex intimo corde Deo patri domini nostri Iesu Christi. Hæc enim illuminatio in hoc articulo (ad quam proprio ingenio pervenire non poteram) fecit ut cum jamjam totam Christianam religionem reprobaturus fuissem, eam cœperim amare, magni facere, rationalem deprehendere, & vita ac moribus hactenus per Dei gratiam ex omnibus viribus exprimere.* Et postea 219. *Ita ut confidenter aserere ausim, Papisticum hoc, aut potius Ethnicum figmentum* (de pœnis infernalibus post hanc vitam) *esse unum ex maximis impedimentis, quæ impediunt, ne Christiana religio purgari possit à falsis dogmatis & peccatorum pulvinaribus, qualia sunt de meritis & satisfactione Christi, de imputata Iustitia impœnitentium, impossibilitate & non-necessitate Christianæ obedientiæ &c.*

An quid aversus hæc excerpta excepturi sint Remonstrantes, & an ipsis

inſciis aut invitis tales Socino-Libertiniſmos tam aperte vomuerit prædictus ſociennus ipſorum ; non vacat nunc inquirere. Saltem hactenus nihil reponunt, nec ſe purgant. In Apologia ſua fol. 218. ſtudent Socinianos ab opinione hac purgare : dum ajunt, *incertum eſſe an negent animam intra ſe vitales operationes habere, iiſque frui, ſic ut non dormiat. Nonnulli eorum id videntur aperte ſatis affirmare.* Sed remiſſo lectore ad excerpta ex Socino & Socinianis, quæ *catechiζatio* noſtra *modo cit. ad quæſt.* 100. exhibet, nos ſententiam hanc de dormitione animarum, cujuſcunque illa ſit, rejicimus, ſtatuentes : piorum animas ſimulac ex hac vitâ diſceſſerunt voluptate, & impiorum cruciatibus affici. De piis probatur ex Ioh. 5. v. 24. *amen amen dico vobis, qui audit ſermonem meum, & credit eum qui miſit me habet vitam æternam, nec venit in condemnationem, ſed ex morte tranſiit in vitam.* Vbi conſecutiò vitæ æternę immediatè morti ſubjungitur : non eſt autem vita illa ſine voluptate; hinc gaudium dicitur Matt. 25. 21. *Vade in gaudium Domini tui.* Eſtque ille ſtatus quem oculus non vidit, nec auris audivit &c. 1 *Cor.* 2. *Prob.* 2. ex deſideriis ſanctorum quibus ſtatum illum, qui eſt poſt mortem, appetiverunt. 2 *Cor.* 5. *v.* 2. *&* 4. *Phil.* 1. 21. *Rom.* 7. 24. quod fieri non poſſet, niſi melius quid ſibi conferendum exiſtimaſſent : appetitus enim fertur, tantum in bonum, & magis in id, quod melius eſt. Iam vero ſtatum vitæ hujus appeterent potius quam futuræ, ſi in futura vita locus nullus gaudio niſi poſt judicium, quia melius eſt ſpirituali lætitia frui licet inchoata (1 *Petr.* 1.) quam nulla. Quod impii ſtatim à morte cruciantur. Prob. ex Act. 1. 25. *ivit in locum ſuum*, locum ſcil. perditionis ubi plenitudo eſt omnium cruciatuum *Marc.* 9. 43. 44. Ille enim erat locus ejus, qui filius eſt perditionis. *Ioh.* 17. 12. Probatur denique de piis & impiis ſimul ex *Luc.* 16. ex parabola divitis & Lazari : diſpares enim erant ſtatim poſt mortem ille miſer, hic beatus : quod fieri non potuiſſet, ſi & hujus & illius anima dormiviſſet, tunc enim pares fuiſſent, quod non permittit ſcopus parabolę. *Obj.* 1. quod mortui commnniter in Scripturâ dicantur dormire *Matt.* 9. *Ioh.* 11. *Reſp.* non corpus, nec anima in ſcripturis dicuntur dormire ſed mortui, id eſt, compoſita : nam ut corpus non eſt mortuum, nec anima, ſed vivens ; ſic nec corpus nec anima dormiunt, ſed quod ex his conflatum fuit. Inde autem animæ quies concludi non poteſt, Immo contra quemadmodum per ſomnum naturalem impediuntur quidem operationes corpori & animę communes, non autem quæ proprię ſunt animæ, ut patet ex illapſibus iſtis Dei in mentes prophetarum per quos mirabilia ipſis patefacere olim aſſueverat, ſic etiam in ſomno hoc qui præter & contra naturam eſt non quidem exerceri poſſunt operationes communes, ſed quin proprię poſſint, nihil vetat. Innuitur

tur autem hac phrasi in Sacris litteris resurrectio mortuorum : nam quemadmodum ii, qui dormiunt, aliquando dormire desinunt ; sic ii, qui mortui sunt ex mortuis aliquando resurgent *Obj.* 2. Heb. 11. 39. 40. *Atque omnes hi testimonio ornati per fidem, non obtinuerunt promissum illud, quoniam Deus de nobis potius quidquam providerat, ne absque nobis consummarentur. Resp.* 1. hoc argumento Sociniani bona conscientia uti non possunt, quandoquidem negant patribus in V. T. vitam æternam promissam fuisse. 2. per promissum illud non intelligitur vita æterna, sed exhibitio Christi in carne, hæc enim promissa erat patribus, sed non præstanda ante plenitudinem temporis, propositio itaque ista : *ut ne sine nobis perficerentur* nihil aliud notat quam : ut ne perfectam habeant cognitionem de Christo sibi promisso, antequam ad tempora nostra esset deventum. Sed controversia de psychopannuchia propriè referenda ad tract. de quatuor novissimis. Interim conferri poterunt Antagonistę Anabaptist. & *Calvinus*, cujus *tract. peculiaris* exstat.

Facultates animæ rationalis quà talis duæ sunt : intellectus & voluntas. 3. Intellectus est facultas animæ rationalis, ad verum, & bonum cognoscendum ordinata. Res enim sub duplici ratione intellectui objiciuntur, vel prout sunt in se, vel prout se habent in ordine ad nos. Priori respectu cognoscit eas speculativus, posteriori practicus. Quæstionibus plerisque hinc amandatis, quod sint fori philosophici, disquiremus hic primo de ordine qui observatur in facultatibus hisce quantum ad operationes ipsarum, *An in universum intellectus prior agat, an voluntas* ? sive *an imperium, quod est inter illas facultates in respectu ad se invicem, intellectui deferendum sit an voluntati* ? Sententia *Bonaventuræ* 2. *tom. opuscul. tractatu de mystica Theologia quæst. unica*, hæc est, non solum aliquam, sed etiam perfectissimam voluntatis operationem in hac vita, sine intellectione, & objecti propositione contingere : eandem secutus est *Vercellensis in paraphrasi* 1. *capitis dicti Areopagitæ de mystica Theologia in principio, & fine.* Eādem docuit *Gerson Alphab.* 66. *litt. O. & tractatu de mystica theologia*, pro eadem etiam refertur *Gregorius de Arimino in* 2 *dist. qu.* 1, *concl.* 2. *ad* 3. *rationem.* In contrarium verò abeunt *Gabriel Vasquez in* 12 *disp.* 35. *qu. part.* 1. *Zwarez*, aliique recentiores Philosophi & Theologi Scholastici; idem docet *Henricus Quodlibet.* 1. *qu.* 15. affirmans oppositum esse impossibile. Confer *disp. nostras de Meditatione.* Nobis autem probabilior videtur illa sententia, quæ & communior est, prius agere intellectum, nec voluntatem operari nisi consequenter ad actionem & motionem intellectus, movet itaque intellectus voluntatem non effectivè quidem, quemadmodum Deus, qui ut causa prima influit in agentem & actionem, sed moraliter & per modum suasionis,

ſuaſionis, per antecedentem objecti, & finis notitiam, unde non tantum actio voluntatis ſimpliciter, ſed etiam talis, & talis actio oritur: ſiquidem voluntas ab intellectu non modo quoad exercitium actus, verum etiam quoad ſpeciem movetur. Intellectus enim proponit voluntati objectum, à quo tanquam à principio formali externo actus voluntatis ſpeciem ſumunt. Probatur hæc ſententia 1. ex eo, quod *ignoti nulla Cupido* ſit, ut vulgò fertur. Voluntas proportionata eſt duntaxat ad bonum, nec fertur in rem aliquam niſi bonitate ejus allecta. Si autem voluntas propter bonitatem rem perſequitur, oportet bonitatem antea eſſe cognitam, & per conſequens præſtrui actum intellectus: cognoſcere enim intellectus eſt, voluntas autem cæca eſt. 2. Sequeretur voluntatem ferri poſſe in malum quà malum. Quod naturæ ejus adverſatur. Patet conſequentia. Ponatur enim quis appetere adulterium, quod legis divinæ conſcius abſoluto judicio perſuaſus eſt eſſe malum: quæro ſub quâ ratione appetat? certè non ſub ratione adulterii: Iam enim ſub ratione mali appeteret. Non poteſt igitur ferri in illud niſi quod ex ſe & in ſe malum eſt, per accidens induat rationem boni v. g. jucundi. Quod neceſſariò fit per intellectum, qui luctam ſpiritus & carnis in regenitis, ſeu carnis metuentis & concupiſcentis in irregenitis ſic determinat, ut honeſtati voluptas præferatur, ſeu melior judicetur. Atque hoc à voluntate fieri non poteſt. Voluntas enim volendo bona appetibilia non facit, ſed fertur in appetenda; objectum enim voluntatis adæquatum eſt *bonum*. Oportet igitur bonum eſſe antequam appetatur à voluntate. Quia objectum quà tale, ſeu in ratione objecti, prius eſt actu in ipſum tendente. Eſt itaque objectum voluntatis bonum antequam appetatur à voluntate. Vnde autem habeat illam bonitatem, quod in ſe malum eſt, non video, niſi ab intellectu. Relinquitur igitur prærequiri actum intellectus, ſaltem in talibus, quo voluntas promoveatur ad exercitium actus ſui. Quod de rebus in ſe malis diximus, de bonis quoque in ſe ſimiliter intelligendum eſt: quia rem licet in ſe bonam non appetet quiſquam, niſi & ſibi ſit bona. An autem cuiquam hoc loco, hoc tempore, hoc ſtatu ſit bonum, judicium eſt penes intellectum practicum. Confirmatur etiam *Auguſtini* auctoritate 8. *de trin. cap.* 4. *& lib.* 10. *cap.* 1. ubi docet voluntatem nihil diligere poſſe, niſi aliquo modo cognitum, ſi non ſcitum ſaltem creditum. Et cum cap. illo primo propoſuiſſet difficultatem contra hanc doctrinam, quia voluntas deſiderat aliquando ſcire incognitum, eam tollit in hunc modum: *Intelligendum eſt non hoc idem dici cum dicitur, amat ſcire incognita, & amat incognita; ut autem amet incognita non poteſt; non enim fruſtra ibi eſt poſitum ſcire, quoniam qui ſcire amat incognita, non ipſa incognita, ſed ipſum ſcire amat, &c.* quibus ver-

bus verbis ostendit, non solum nunquam contingere ut in incognita affectu feramur, sed etiam id fieri non posse, & ideo, cum scire aliquid cupimus, tunc nos ferri affectu nostro in ipsam scientiam, quam apprehendimus ut jucundam & utilem, atque adeo non in id quod ignoramus ferimur, sed in scientiam ejus, quod ignoramus, quę nobis incognita non est. Dicere quisquam posset, experimur nos animum nostrum applicare ad aliquid cognoscendum vel ab eo retrahere cum volumus, videtur itaque voluntas intellectum ad agendum applicare. Contra: nos nolumus intelligere, nisi intellectus jam ante volendum judicaverit.

Demonstratum est intellectus cognitionem tanquam præcedaneam ad 4.
actum quemcunque voluntatis requiri. Sed restant adhuc aliæ quæstiones præcedenti ἀχωρίστως connexæ: quarum *prima* est, *quis & qualis actus intellectus requiratur.* Quod ad priorem: cum in ordine ad voluntatem, quatuor possint esse actus in intellectu, notitia scil. apprehēsiva; judicium quo judicatur rem esse bonam vel malam; judicium aliud seu practicum dictamen, quo intellectus rem quam præcedenti judicio bonam aut malam esse decreverat, judicat amplectendam aut fugiēndam esse; syllogismus practicus seu discursus, quo ratio hujusmodi dictamen concludit. Dubitatur an ad omnem voluntatis actionem prærequiratur saltem præter cognitionem apprehensivam seu qualemcunque notitiam objecti, insuper cognitio bonitatis seu convenientiæ ipsius objecti, hoc est, judicium quo intellectus censeat & decernat objectum bonum aut malum esse, salutare aut noxium, jucundum aut molestum. Negantem partem sequuntur *Scotus & Gabriel ad 2. dist. 6.* Et *Marsilius in 2. q. 16. art. 1.* statuentes sufficere solam notitiam apprehensivam, & quidem simplicem, absque ulla compositione & divisione. Affirmantem partem tenent *Petrus de Aliaco & Gregorius ad 1. dist. 3. & Valentia ad 1. 2. qu. 9. art. 1. disp. 2. qu. 4. puncto 1.* qui hic pro se allegat *Thomam 1. 2. qu. 9. art. 1.* Ratio hæc adfertur, quia nisi voluntati ostendatur objectum sub ratione boni, nondum ostenditur illi suum proprium objectum, quod est bonum & conveniens: est enim voluntas potentiæ cœca, quæ demonstratione objecti sui ab intellectu facta opus habet. Explicationem & deductionem hujus rationis, ut & solutionem vide apud *Valentiam*; imprimis etiam apud *Conimbricenses in 3. de Anima cap. 13. quæst. 4.* qui utramque sententiam probabilem faciunt. Nos tamen cum *Valentia* sequi malumus affirmantem. *Secunda* quæstio est, *An præter simplex judicium de convenientia & bonitate objecti, requiratur præterea ulterior quidam actus rationis practicæ, qui imperium nominatur,*

ut voluntas moveatur & eliciat ſuum actum. Aff. Thomas 1.2. *qu.* 17. *art.* 1. & cum eo *Valentia diſp.*2.*qu.*4.*p.* 1. imprimis 12. *puncto* 1. & inter alia præcipuum fundamentum ejus in eo ſtatuit, quod oporteat ex parte intellectus peculiarem & propriam cauſam aſſignari, cur voluntas eliciat actum circa objectum aliquod, & erga illud moveatur. Sed apprehenſio & judicium de bonitate objecti non ſunt propria & ſufficiens cauſa. Admittendum ergo hoc imperium. Conſequentia probatur; quia alioquin voluntas non niſi caſu, & fortuito, & ſine ratione videretur moveri. Quid autem ſit illud imperium, & quis ordo inter imperium & inter uſum voluntatis, docet *Thomas ibid.artic.* 2. *&* 3. cujus mentem exponit *Valentia qu.* 12. *puncto* 2.3.4. Et poſt eum *Sylvius ad quæſt.& artic. cit. Tertia* quæſtio eſt, *An & quando voluntas moveatur ab intellectu & vice verſa.* De quo *Thomas cit qu.* 9. *art.* 1. ubi ſtatuit ſic moveri voluntatem ab intellectu quoad ſpecificationem ſui actus, ut quoad exercitium ab eodem non moveatur, ſed ipſa potius moveat intellectum, & cæteras potentias ad ſuos actus quod ad exercitium illorum. Sed difficultatem in hac ſententiâ invenit *Valentia*; quam tamen tollit poſſe putat quibuſdam diſtinctionibus, quas vide apud ipſum *diſp.*2.*qu* 4.*p.* 1.*pag.*205.206. Et *Sylvium ad qu.* 9. *art.*1. Porro modum quo intellectus movet voluntatem explicat Thomas ibidem his verbis: *ſicut præſentans ei objectum ſuum.* Et uberius qu. 22. de Veritate artic.11.ad 5. *Intellectus regit voluntatem, non quaſi inclinans eam in id, in quod tendit, ſed ſicut oſtendens ei quò tendere debeat.*

5. *Quarta* quæſtio: *An voluntas non ſolum dependeat, ſed etiam determinetur à practico judicio intellectus, ſeu an voluntas poſito practico judicio intellectus determinetur ad illud ſequendum, præſertim ſi ſit ultimum, quod exprimi ſolet his verbis: hoc nunc, omnibus conſideratis, eligendum aut faciendum eſt.* Variant hic doctorum ſententiæ. Quidam enim ſtatuunt voluntatem à practici intellectus judicio determinari quoad ſpecificationē, non vero quoad exercitiū Sic *Thomas* & ſectatores ejus. Cui ſententiæ iſtam hypotheſin præſtruit *Thomas* 1.2.*q.*9.*art.*1. quod intellectus movet voluntatē quoad ſpecificationem, voluntatem vero intellectus quoad exercitium. Quod *Greg. de Valentia ibidem diſp.*2.*qu.*4 *puncto* 1. ita accipiendum putat, Vt intellectus in movendo voluntatem ſuapte natura reſpiciat primario ſpecificationem actus voluntatis, voluntas vero in movendo intellectum primario reſpiciat exercitium actuum illius. Mox tamen ſubjicit; ſe dubitare an hoc ita revera ſit, nec adeo magni referre id certo ſcire. Alii nec quoad ſpecificationem, nec quoad exercitium: ſic *Becanus in ſumma Theol.Schol.ſec.Partis, parte* 1.*tract.* 1.*cap.*11.*qu.*5., *Zwarez, Ariaga* aliique mox citandi. Alii & quoad ſpecificationem & quoad exercitium. Atque hanc ſententiam ex Re-

ex Reformatis Theologis *Iohannes Camero* ante annos aliquot in scholas reduxit, & ex professo *peculiari tract.* adversus epistolam viri docti defendit; quem exinde Theologi & Philosophi reformati, non pauci secuti sunt. Inter quos publicè pro hâc sententiâ scripsit *Ioh. Maccovius tom. 1. disspp. miscellan. p. 455.* Et *Rivetus in disp. de libero arbitrio*, anno 1631. 7. Februarii. Probatur autem hæc sententia. 1. Ex Scripturâ, Psal. 9. 11. *qui nomen tuum cognoscunt, fidunt in te.* Si cognitio igitur non determinaret voluntatem, fieri posset, ut cognoscentes nomen Dei non fiderent in Deo. Ioh. 4. 10. *Si scires donum illud Dei, & quis sit is, qui dicit tibi, da mihi bibere, tum ab illo aquam vivam peteres.* Si itaque intellectus non determinaret voluntatem potuisset Samaritana scire donum Dei & non petere à Deo aquam vivã; & sic falsum dixisset Christus 11. Si contingeret ut voluntas non semper sequeretur dictamen intellectus; posset charitas separari à vera Christi cognitione: cum tamen Apostolus Iohannes neget, eos qui proximum oderunt Deum vidisse aut cognovisse 1 *Ioh.* 2. 9. 10. 11. III. Si voluntas post intellectus judicium posset suspendere actum, jam posset non appetere sui conservationem, quia posset non appetere bonum quo conservato ista promovetur: sed hoc modo creatura rationalis brutis esset deterior. IV. Voluntas naturaliter ad bonum est proportionata: contra naturam igitur ejus erit si rejiciat bonum bene cognitum. V. Si voluntas non determinaretur à judicio intellectus practici: sequeretur eam ferri in incognitum. Atqui hoc absurdum. Ergo. VI. Cum hoc ferè convenit argumentum: Voluntas est potentia cœca: Ergo indiget directione intellectus. VII. Homo rogatus cur tale quid faciat; respondet, quia judicat sibi hoc ita esse faciendum. VIII. Si voluntas contrarium appeteret bono ab intellectu monstrato, posset appetere malum sub ratione mali. Patet; quia si non occidere innocentem hic, nunc, habeat rationem boni; contra occidere innocentem hic, nunc, habebit rationem mali. Si igitur intellectus dictet insontem non esse occidendum, voluntas contra velit insontem occidere: appetet malum sub ratione mali: quod absurdum. IX. Quod si fieri posset, ut quis eligeret contra dictamen rationis, posset etiam fieri, ut in voluntate esset peccatum sine ignorantiâ, seu ullo errore vel defectu in ratione seu intelligentiâ: quod est contra illud Salomonis *Prov.* 14. 22. nonne errant, qui fabricant malum: Et peccatum dicitur חטא q. d. *aberratio, error*, gr. ἀγνόημα *Hebr. 9. v. 7.* coll. cum *Levitic.* 16. Sic peccatores passim dicuntur *insipientes* & justi dicuntur *sapientes, prudentes.* Vide & *Iesa.* 53. 6. *Rom.* 3. 11. X. Quia voluntas eget intellectus repræsentatione: ergo nisi repræsenteretur res hic & nunc amanda, non poterit voluntas in eam moveri. XI. Si judicium

esset indifferens, non posset voluntas moveri ad ullum determinatum per illud: nam à principio indifferenti non oritur actio determinata. Altera extrema & huic opposita sententia defenditur à *Zwarezio, Fonseca, Vasquez, Arriaga, Hurtado de Mendoza, Oviedo*, aliisque doctoribus hypotheticis. Probatur autem istis rationibus. *Arg.* 1. Si voluntas determinetur ab ultimo judicio practico intellectus: non manebit libera, sed ex necessitate feretur in actum: sed hoc absurdum; ergo & illud. Prob. antecedens. *Primo* quia de ratione causæ liberę est, quod positis omnibus ad agendum requisitis possit agere & non agere: hæc enim differentia est inter potentias liberas & naturales, quod hę ad unum determinatæ sint, & requisitis omnibus ad agendum positis, non possint non agere: hæ secus. Confirmatur *Secundò*, quia potentia libera debet esse indifferens: quando autem voluntas determinatur ab intellectu, ipsa non est indifferens, sed ad unum determinata: ergo non manet libera. Confirm. 3. si quis moveret manum pueri ad scribendum cui puer non posset resistere, non esset puero liberum scribere, sed necessarium. Si ergo intellectus movet voluntatem ad suas actiones; voluntas non est libera ad eas exercendas, sed necessaria, supposito quod non possit resistere, aut secus agere. *Arg.* 11. Si voluntas necessario determinatur à judicio intellectus sequitur 1. voluntatem non posse eligere minus bonum, relicto majori, quia intellectus semper judicat (nisi forte erret) majus bonum minori præponendum esse: at hoc est contra experientiam, quia sæpe eligimus minus bonum. Huc facit vulgatum illud: *Sed trahit invitam nova vis, aliudque cupido, Mens aliud suadet, video meliora, proboque, deteriora sequor.* 11. Sequitur voluntatem ex duobus bonis æqualibus neutrum posse eligere, quia rectum judicium rationis neutrum alteri præponit. *Arg.* 111. quod tantum moraliter agit, id non determinat voluntatem ad unum: sed intellectus tantum moraliter agit circa voluntatem, objectivè sc. seu finaliter ipsam movendo: ergo non determinat eam ad unum. Minorem hanc ita probat & diducit *Zwarez in Metaphys.* Quia judicium intellectus non movet voluntatem, nisi mediante objecto, quod proponit. Atqui propositum objectum non semper infert necessitatem, aut determinat ad unum, nec hoc est necessarium, ut voluntas possit tendere in suum objectum: Ergo determinatio illa ex parte judicii non est necessaria, immo nec possibilis. Voluntatem autem non moveri à judicio intellectus nisi mediante objecto, sic probatur. Aut movet judicium ratione objecti tantum, aut ratione sui, ita ut peculiarem efficaciam habeat ad determinandam voluntatem. Sed posterius est absurdum. *Primo*, quia talis efficacia repugnaret libertati voluntatis. *Secundo*, quia talis movendi

vendi modus plane alienus est à munere intellectus, cujus est tanquam principii activi extrinseci illuminare, dirigere & regulare actiones voluntatis, non vero aut tanquam principii extrinseci aut intrinseci elicere formalem actionem voluntatis. *Tertio*, quia movendi modus objectivus proprius est voluntati. Neque enim necessitatur & determinatur ad unum ab alio, nisi à solo Deo quoad exercitium, & nisi à bono in communi & similibus objectis quoad specificationem. *Arg.* IV. Quod non potest sequi intellectus judicium in bono spirituali nisi specialiter gratia & efficaci motione Dei adjutum, illud non determinatur à judicio practico: Sed voluntas non potest sequi intellectum nisi specialiter à Deo adjuta: non igitur ab intellectu ad unum determinatur. Confirm. minor: Si enim posset sequi absque speciali motione gratiæ, tum homines mortui in peccatis, traditi in reprobum sensum, damnati, Item Dæmones possent intellectum bene præfinientem pro mensurâ sc. cognitionis seu assensus in mente sequi: Sed contrarium verum. *Arg.* V. Ducitur à peccantibus in Sp. s.: illi enim contra dictamen intellectus practici abnegant voluntariè cognitam penitus veritatem, ratione incassum renitente. *Argum.* VI. Quia sequeretur omne peccatum ex tali judicio procedere; & consequenter omnem peccatorem esse hæreticum. Atqui hoc absurdum: Ergo. Hoc argumentum est *Arriagæ in physicis disp.* 8. *de Anima sect.* 2. *Arg.* VII. Quia sequeretur hominem similem esse brutis, quorum cognitiones qualescunque sint, ita determinant appetitum, ut illum non relinquant indifferentem. Hoc argum. est *Hurtadi de Mendoza in Physicis, disput.* 14. *de Anima sect.* 8. *Arg.* VIII. Sequeretur hominem non posse committere peccatum contra conscientiam: Atqui hoc falsum. Sæpe enim homines, qui mentem habent illuminatam malum faciunt contra dictamen mentis suæ. *Arg.* IX. Quia Adamus transgressus est non tam intelligendo, quam volendo. *Arg.* X. Quia error in intellectu, non habet rationem culpę; sed potius mali tristis. *Arg.* XI. Quia angeli transgressi sunt; quorum tamen intellectus erat bonus. *Arg.* XII. Quia *Ezechiel.* 12. populus dicitur non habere oculos ad videndum, quod rebellis esset. Sed his argumentis ita occurri posset ab oppositæ sententiæ autoribus. Ad 1. *Primo*, negatur libertatẽ voluntatis in eo cõsistere, ut possit agere contra ultimum judicii practici dictamen: sed sufficit, ut ab ea potentia moveatur, quæ non est determinata ad unum, sed ad plura indifferens. Intrinsecè enim libertatem & indifferentiam suam ad oppositum retinet, etiam cum secuta determinatione judicii practici se determinat. Sicut enim poterat objectum ab intellectu sub alia ratione proponi, sic & ipsa poterat aliud eligere. Omninò inficiandum est, de ratione causæ liberæ esse indifferen-

tiam ad oppoſita, poſitis omnibus ad agendum requiſitis: quod innumeris inſtantiis oſtendi poteſt. 1. ad hoc ut Deus in tempore mundum crearet, & redimeret, unum ex requiſitis erat æternum Dei decretum, quo ſtatuerat eum creare & redimere: quamvis autem non poſſent hæc ſimul componi, & Deum ab æterno decreviſſe mundum condere redimere, & ipſum non condere nec redimere: liberrime tamen eum & condidit & redemit. 2. poſito quod Deus voluntatem humanam moveat ad aliquid; huic poſitioni incompoſſibile eſt quod voluntas ad illud non moveatur; & tamen non obſtante hac incompoſſibilitate repugnat voluntatem moveri à Deo ex neceſſitate, ſed manet actus ejus contingens, & liber: implicat enim voluntatem quantum ad elicitos actus neceſſitari. Nihil jam dico de beatis, qui non ſunt indifferētes ad amorem Dei clarè viſi & tamen liberè amant; nihil de Chriſto, qui dum adhuc in vita eſſet, non erat indifferens ad obedientiam aut inobedientiam erga legem divinam, & tamen liberè obedivit. Hoc ſaltem 3. additur: non poteſt voluntas appetere bonum ſpirituale, niſi per ſpecialem gratiam convertentem præmoveatur. Eſt igitur gratia illa requiſitum ad appetendum bonum ſupernaturale; quo poſito non poteſt voluntas non appetere, ita ut hæ propoſitiones componi poſſent: voluntati adeſt gratia efficax & tamen non movetur ad appetendum. Ratio hæc eſt: quia gratia de formali dicit infallibilitatem eventus. Concluditur ergo poſſe voluntatem eſſe liberam in actu ſuo, licet poſito ultimato intellectus judicio, non poſſit non appetere, quod intellectus appetendum dictavit: quia neceſſitas ex ſuppoſitione, qualis reperitur in hoc caſu, non evertit libertatem ſimpliciter. Confer *diſſertationem* noſtram *de Termino Vitæ*. Sciendum igitur, quod, cum dicitur intellectum determinare voluntatem, non hoc velint autores, quaſi ipſam uni parti affigeret; ſed quod eam efficaciter & ſuaviter moveat: efficaciter quidem, faciendo ut ipſa infallibiliter operetur; ſuaviter autem, faciendo, ut operetur juxta modum ſuæ naturæ proprium, id eſt; liberè. Nec differentia inter cauſam neceſſariam & liberam in eo cōſiſtit, quod una poſſit agere & non agere poſitis omnibus ad agendū requiſitis: altera non poſſit non agere. Sed quod determinatio quæ eſt in hiſce cauſis, in altera ſit naturalis & abſoluta, in altera ex ſuppoſitione tantum. V.g. ignis non habet facultatem intrinſecam, qua poſſit non comburere ligna ſibi vicina; eo quod per ſuam formam ſit naturaliter determinatus ad unum, ſcil. ad comburendum combuſtilia legitime approximata. Voluntas autem retinet adhuc intrinſecè potentiam ad non agendum in ſenſu videlicet diviſo, ſecundum quem eſt indifferens ad unum, etiam tum cum actu ad unum eſt applicata. Ad 3. confirm. *Reſp.*

non

non futurum puero liberum scribere, si contra voluntatem ejus manus moveatur ab alio ad scribendum, si autem eo volente moveatur, libere scribet. *Ad arg.* 2 *Resp.* infirmam esse consequentiam illam, fieri enim posse nō negamus ut voluntas appetat minus bonum relicto majori, tum scil. cum intellectus in judicādo aberrat, minus bonum majori hic & nunc præferendum esse judicans. Etiam conceditur, quod si intellectus duo bona æqualiter judicet appetenda, voluntas non sit electura unum præ alio. Quia electio de formali suo importat melioritatem quamdam, in eo, quod eligitur, præ eo, quod relinquitur. Et ad vulgatum illud, *Video meliora, proboque &c.* dicendum, intellectum absolutum à comparato distingui: Illum non sequitur voluntas, istum sequitur. *Ad* 3. *arg.* conceditur illud, quod moraliter tantum agit, non posse determinare ad unum, in genere scil. causæ efficientis physicè & directè operantis: in genere causæ finalis negatur. *Ad.* 4. *arg. Neg. conf.* licet enim intellectus judicio posito requiritur adhuc aliquid ad id, ut actu operetur, præveniens scil. motio Dei, qua ad agendum applicetur: ita tamen cum ea comparatum est, ut posito intellectus judicio infallibiliter voluntas operetur; talem enim ordinem Deus constitutum à se infallibiter exequitur. Deinde in hoc argumento ἀσύζυγα conjunguntur, posse scil. intellectum esse renovatum, nec tamen voluntatem, quod falsum: Iohan. 6. *Qui audivit à patre & didicit venit ad me.* *Ad.* 5. *arg. Resp.* Peccantes in Sp. S. judicare quidem absolutè veritatem non esse abnegandam, quia id malum in se est: judicare nihilominus comparate, id est, in hisce aut illis circumstantiis, id esse faciendum, ut V.g. odio suo obsequantur, & hoc respectu rationem boni habet. Accedit quod Christus *Math.* 12. ubi agit de peccantibus in Spir. s. vocat eos (Pharisæos scil.) cœcos cœcorum duces, h.e. errantes in judicio. Et *Heb.* 6. dicitur quod non possint renovari ad resipiscentiam, μετάνοιαν: atqui sapere, estus mentis. *Ad 6. argum. resp.* per distinctionem. Quodlibet peccatum est hæresis, non formaliter aut specificè, sed implicitè & reductivè. Sic quando quis in genere recte sentit abusum nominis divini, ebrietatem &c. esse peccata, & tamen ea committit, non est propriè hæreticus dicendus; sed factum ejus implicat hæresin quam, seu analogum quid hæreseos. Breviter hæresis dicit de formali ratione suâ errorem circa quæstionem juris. Atqui in facto peccantis ebrietate, aut abusu nominis divini est tantum error circa quæstionem facti. *Ad 7. argum. Negatur consequentia* Manet enim hæc latissima dissimilitudo, quod homo agit ex præelectione secundum judicium intellectus practicum & sic liberrime, atque indifferenter, in sensu scil. diviso: bruta vero minimè. *Ad* 8. *argum. Negatur* consequentia. Nam contra con-

conſcientiam eſt omne peccatum quod eſt contra judicium abſolutum & generale dictamen ſyntereſeos, quamvis ſit ſecundum judicium intellectus comparatum. *Ad 9. Argum.* Immo & intelligendo & male judicando trangreſſus eſt. juxta illud 2.*Corinth.* 11.*v.* 3. ubi Eva dicitur decepta. Hic vitium & error in judicio. *Ad 10. argum.* Antecedens eſt falſum. Vide 2.*Theſal.* 1.*v.* 8. Et ſi virtutes theologicæ & intellectuales, ut fides, ſapientia, prudentia ſunt virtutes; ergo oppoſita eorum ſunt vitia; conſequenter non ſunt mala merè triſtia. *Ad 11. argum.* Contrarium patet ex *Iohann.* 8.44. ubi dicuntur in veritate non manſiſſe, hoc eſt, judicium intellectus eorum fuiſſe corruptum. Quomodo de hominibus 1.*Timoth.* 6.5. & 2.*Corinth.* 4.4. *Ad 12. argum.* Illud *quia* poteſt notare rationem à poſterori ſumtam ut ſcil. ratio conſequentiæ aſſignetur, unde conſtet eos non recte videre & judicare. Vt ſcil. rebellio ſit effectum aut conſequens & ſignum malæ mentis at perverſi judicii, non vero cauſa, aut antecedens. Ad argumenta oppoſitæ ſententiæ non pauca dici & applicari poſſent, ex diſputationibus Scotiſtarum, contra Thomiſtarum imperium intellectus & recētiorum Semi-Pelagianorum, diſputantium pro concurſu liberi arbitrii, ut *Zwarez*, *Fonſecæ*, *Hurtadi*, *Ariagæ*, *Oviedo*: aliorumque quos citat *Oviedo controv.* 8. *de Anima puncto.* 5. Nec non ex *Vaſquez. in* 1.2.*tom.* 1.*diſp.* 128. ubi negat ad defectum voluntatis in agendo neceſſario prærequiri defectum intellectus. *Iavellus* Thomiſta in *lib.* 9.*Metaphyſ.quæſt.*4. & quidem ſecundum viam Thomæ (ut ibid. loquitur) determinat libertatē eſſe radicaliter & originativè in intellectu, ſed formaliter & completè in ſola voluntate. Adhæc intellectum & voluntatem eſſe quidem potentias rationales & liberas, voluntatem tamen eſſe liberiorem intellectu: quia ſcil. non habet cauſam moventem intrinſecam in genere cauſæ efficientis neceſſitantem ipſam ad agendum, quia eſt motiva effectivè & ſui ipſius, & intellectus, & aliarum potentiarum; intellectus vero tantum eſt motiva voluntatis in genere cauſæ finalis. *Conimbricenſes in diſp. Ethicis diſp.*4.*quæſt.*2. utrum notitia intellectus concurrat etiam activè cum voluntate ad ejus actus eliciendos, dicunt utramq; ſentētiam ſibi admodum probabilem videri. *Idem in* 3.*de Anima cap.* 14.*qu.*4. Vtrum ut voluntas ſuum eliciat actum requiratur in intellectu judicatrix notitia; utramque ſententiam probabilem cenſent. Ex noſtris Theologis *Gulielmus Ameſius in medulla* ſua paſſim pro voluntatis indeterminatione & principatu pugnat: præſertim propter problema illud (uti videtur.) An fides ſit in intellectu, an vero in voluntate. Sed rationes ejus pro theologia & fide in voluntate ſolide non concludere, alibi oſtendimus. Nec fruſtra aut temere cum eximiis theologis *Beza*, *Zanchio*, *Perkinſo*, *Piſca-*

Piscatore, Gomaro, Maccovio fidem in intellectu subjectari, & à fiduciâ tãquã suo proprio essentiali & ἀχωρίστῳ accuratè distingui. Non prætereundum, quod Remonstrantes in Apologiâ suâ fol. 89. inferunt ex determinatione hâc sequi, nullos esse, aut posse esse habitus pravos in voluntate; nam si, inquiunt, posito aut sublato judicio practico, volitio necessario bona aut mala est; non *magis prava sit si judicium rationis falsum sequatur, per annorum aliquot centurias, quam si sequatur illud pene ad unicum, ita dixerim, momentum. Breviter, voluntas mali prava est juxta Censorem* (Theologum scil. reformatum, cui sententiam de determinatione adscribunt) *sicut hominis cæci loco motiva alioquin sana, prava sive inordinata est; non quia ei privatio habitualis inhæret, sed quia luce dirigente destituta actu tantum in movendo se aberrat, aut in incertum vagatur, ordinatè statim se motura, si modo luxoculis restituatur.* Eodem *capite 7. ad sect. 2. fol.* 81. alias quasdam rationes contra hanc sententiam proponunt, quas *Isaacus Junius in sua Antapologia* arbitratur facile posse dissolvi. Vide *ibid.* ipsius solutiones. Sunt autem istæ rationes. I. Quia tum sequeretur libertatem voluntatis, siquidem illa consistat in solâ indifferentiâ judicii practici, esse in voluntate, extrinsecam denominationem tantum, quia intellectus est voluntati extrinsecus. II. Consequenter non erit libertas, voluntatis proprietas à Deo impressa. III. Esset libertas tantum indifferentia passiva; qualis est intellectus in ordine ad hoc vel illud objectum. IV. Sic libera volitio in ordine ad judicium rationis plane necessaria erit, non minus quam appetitus sensitivus necessarius est in ordine ad sensuum dictamen, quod non potest non sequi. V. Voluntati non magis posse ferri legem pœnæ comminatione sancitam, quam appetitui sensitivo. VI. Peccatum tantum erit in intellectu seu judicio, non in voluntate. VII. Nullum poterit dari peccatum contra conscientiam. VIII. Nullâ opus erit reformatione voluntatis, nulla immediata Dei in illam operatione, quando hominem convertit; sed sufficiet reformatio judicii, quam necessario sequetur voluntas. IX. Nulla corruptio immediatè in voluntate facta dici poterit. X. Sequetur voluntatem in omni statu, eodem modo & pari libertatis gradu liberam esse, & manere. Nam quidquid antecedenter necessarium est, id uno tantum modo necessarium est. XI. Si indifferentia judicii sufficeret ad rationem liberi arbitrii, sequeretur tum 1. Voluntatem non posse ex duobus æqualibus bonis unum eligere: Quia judicium de æquali est indifferens. 2. Nec quando judicium rationis unum alteri prætulerit, posse minus bonum eligere: quia non est voluntas indifferens, nisi posita judicii indifferentia; Atqui ea

tum ceſſat, quando unum bonum alteri prælatum, aut altero melius judicatum eſt. Atque hæ quidem rationes pro utraque ſententia. Nos, neutram tanti ponderis eſſe putamus, ut propterea per alterutram negemus ſtabiliri naturalem voluntatis libertatem, & gratiæ divinæ efficaciam contra Pelagianos. Vtriuſque enim ſententiæ aſſertores, ad communem ſcopum neceſſariæ veritatis collimare & contẽdere poſſunt, quamvis non paſſibus æquis, propter diſſenſionem in hac hypotheſi. Forte conciliatio, aut ſaltem proprior unio diſſidẽtium inſtitui poſſet per diſtinctionẽ imperii directivi, ab imperio motivo (quam innuunt *Salaſar, Viguerius, & Oviedo in phyſicis diſp. de Anima loco cit.*); quorum illud intellectui, iſtud voluntati tribuatur. Cui addimus diſtinctionem inter imperium motivum, quo voluntas imperat intellectui; & imperium motivum, quo intellectus motus jam à voluntate viciſſim movendo dirigit & quaſi determinat voluntatem. Ita ut voluntas à ſeipſa determinetur, tum mediatè per intellectum dirigentem ipſam juxta imperium antecedaneum voluntatis, tum immediate per imperium ſuum motivum juxta directionẽ ſeu judicium antecedaneum intellectus. Hic autem difficultas objicitur. An tum voluntas & intellectus per circulum ſe mutuo moveant: & an non primam iſtam motionem voluntatis qua movet intellectum ad ultimam determinationem, præcedere neceſſe ſit aliam quandam motionem ſeu determinationem intellectus, & an ſic non ſit proceſſus in infinitum. Quomodo autem huic difficultati potiſſimum occurrendum ſit, diſquirunt *commentatores Thomæ ad 1.2. qu. 9. art. 1.* Communiter diſtinctionibus illis ſe expediunt. Omnis cognitio Intellectus diſtincta prærequirit volitionem ſeu motum voluntatis; non vero cognitio confuſa, nec actus intellectus, qui eliciuntur naturaliter & qui nullo modo nobis ſunt voluntarii e. gr. cum excitati ab objecto aliquo ſenſibili, illud etiam per intellectum apprehendimus. Rurſum Actus ſeu motiones voluntatis neceſſario & ſemper præcedunt deliberatos & liberos actus intellectus, ſaltem implicitè & virtualiter, non vero explicitè. Videatur *Gregor. de Valentia loc. cit.* Cujus ordinem actuum humanorum hac occaſione exhibemus, quia facit ad propoſitæ quæſtionis intelligentiam. Sic ergo ille diſp. cit. quæſt. 12. puncto 5. p. 276. 277. 278. *Igitur omnium illorum actuum voluntariorum, atque adeo propriorum hominis, quos à quæſtione tertia hujus diſputat. hucuſque monſtravimus, ordo eſt iſte.*

Primo *apprehenditur finis, id eſt, res aliqua abſolute ſecundum ſe.* Secundo *judicatur res eſſe conveniens, id eſt, bona.* Tertio *practicè proponitur voluntati per* imperium, *quod ſupra oſtendimus neceſſario præcedere quemcunque actum voluntatis.* Quarto *ſequitur quidem actus voluntatis, qui eſt ſimplex ſive* abſoluta volun-

voluntas, *qua nimirum placet homini, atque probatur res ipsa.* Quinto *apprehenditur præterea res, ut possibilis ad consequendum.* Sexto *proponitur rursus per imperium ipsi voluntati tanquam consequenda.* Septimo *voluntas proinde* intendit *illam consequi.* Octavo *voluntas per usum applicat intellectum ad consultandum de mediis, quibus res sit consequenda; id quod potest etiam implicité fieri hoc ipso videlicet, quod voluntas potest saltem velle, ut intellectus ita consultet. Nam postquam intellectus apprehendit rem, ut possibilem ad consequendum per media, bene potest ex hoc solum moveri, ut ulterius procedat ad inquirenda media, etiamsi ad hanc inquisitionem non impellatur expressa & actuali motione voluntatis.* Nono *concluditur per consilium & judicium practicum, hoc aut illud medium esse reliquis præferendum.* Decimo *proponitur rursus per imperium voluntati id medium, ut utile præ aliis.* Vndecimo *voluntas actum, per quem inclinatur in tale medium & talis actus diversa ratione est tum consensus in medium, tum electio medii*: consensus *quidem, quatenus per illum voluntas adhæret absolute tali medio proposito à ratione.* Electio *autem, quatenus adhæret illi medio præ aliis.* Duodecimo *sequitur deinde aliud imperium rationis, quo voluntati intimatur, ut utatur potentiis aliis ad exequendum medium.* Decimo-Tertio *voluntas* utitur, *id est applicat potentias efficaciter ad ejusmodi executionem.* Decimo-Quarto, *ipsa potentiarum* executio *tandem sequitur. Quæ quidem executio, quatenus per illam obtinetur finis, etiam est realis consecutio ipsius.* Decimo-Quinto *sequitur tandem* fruitio *voluntatis de fine jam obtento, quæ fruitio non aliud est secundum rem, quam delectatio & quies appetitus in re jam obtenta.*

Hoc, inquam, ordine eliciuntur hi actus sive illi directe referantur ad rem ipsam & objectum, circa quæ unusquisque versatur, sive etiam reflexè ad se invicem. Nam ut consideranti patebit, possunt etiam isti actus eodem ordine reflexè cadere in se ipsos. Nam qui consultat, verbi gratia, de medio eligendo, etiam consultat de Electione medii, & sic de aliis.

Atque hæc quidem hactenus de anima humana, ejusque facultatibus & actibus antehac visum fuit delibare. Statueram nonnullas alias quæstiones, quæ theologico-philosophicas hac secunda editione perstringere, sed quia operæ typographicæ properant, hac vice nunc supersedeo, contentus quæstiones illas indicasse. Est ergo. 1. *Quæst.* An anima sit homo. Vide *Thomam* cum interpretibus suis 1. *qu.* 75. *art.* 4. 11. An sit pars Dei, aut aliquid è divina natura decerptum: uti voluerunt Platonici, & Epictetus apud *Arrianum lib.* 1. *dissert.* 14. Et cum illis Cerdo, Gnostici, Priscillianistæ apud *Augustin. de hæresibus cap.* 46. & 70. Et hodierni Enthusiastę, confundentes subsantiam Dei & hominis; quorum furores detectos vide in tract. nobilis. viri & longè eruditissimi theologi *Philippi Marnixii in tract. belgico contra Enthusiastas.* Nec satis cautè hic locutus est *Lactantius*

Rantius lib.2.cap. 11. Hæc delitia refutata vide *apud Auguſtin. de origine animæ cap.2. Thomam* 1.*qu.*90 *artic.*1. *Conimbricenſes ad* 2.*de anima qu.*1.*artic.*6. 111. An ſit corporea, aut materialis, aut ex aliquo corporeo ſeu materiali orta; ita ut ſit aliqua ipſius materia conſtituens aut tranſiens: an vero ſit naturæ ſpiritualis? Prius volebant ex antiquis non pauci necignobiles: quamvis forte eos per ἀκυρολογίαν quidam excuſari putent. Quomodo & *Auguſtinus* Tertullianum excuſare ſatagit *de hæreſib. cap.* 86. *& lib.*1.*de origine animæ cap.* 3. Sed vix fidem faciet illis qui legerint ipſum *Tertullianum de Anima cap.*2.*&* 9. Quodammodo tamen,& certo aliquo extrinſeco reſpectu corporea & materialis dici poteſt, non quidem in eſſe ſuo abſoluto, ſed in eſse reſpectivo, quatenus ſcil. ut ens incompletum à naturæ autore deputata & creata eſt ad unionem cum corpore, ejuſque informationem, & cum eo totius compoſiti conſtitutionem, ac cum eo atque in eo communem vitam atque operationem. Præterquam quod comparatè ad Dei abſolutiſſimam ſimplicitatem & ſpiritualitatem, aliquo modo materialis dici poſſit: quomodo & omnia entia creata, quin & ipſe homo qui proculdubio eſt ens, *nihil* dici poteſt cõparatè ad Deum, primum entis analogatum, qui per eſſentiam eſt quod eſt. *Philipp.* 2.7. coll. cum *Pſalm.* 62.10.*&* *Danielis* 4.35. *Eccleſiaſt.* 1.2. Vbi videndi commentatores. Sed de animæ immaterialitate conſulendi inter recentiores *Anton. Ruvius* & *Conimbricenſ. ad Ariſtotelem de Anima.* Huc pertinet quæſtio, An anima poſſit pati ab igni, aut alia aliqua re corporeâ. De quâ theologi in controverſiis de inferno & purgatorio. Confer & *diſp.* noſtrã *de Dæmonibus.* 1v. An ſit ejuſdẽ ſpeciei cum angelis, ut voluit *Origenes lib.*1. περὶ ἀρχῶν *cap.*5. *&* 8. an vero eſſentiali nobilitate inferior angelis. Vide de hâc quæſtione *Thomam* cum ſuis 1.*qu.* 75. *art.* 7. *Conimbricenſes de anima ſeparata diſp.*1.*artic.*7. v. An & quomodo ſit ſimplex,& à quâ compoſitione abſoluta. *Reſp.* Ex partibus eſſentialibus, & ex integrantibus ſeu quantitativis. An etiam ex genere & differentiâ? *Neg.* Quamvis ſit naturę incompletæ. Quis enim neget animam ſeparatam eſſe conſtitutam ſub aliquo genere, & per differentiam τοῦ rationalis contrahi ad certam ſpeciem atque ab angelis eſſentialiter ac ſpecificè diſtingui? vi. An ſit diviſibilis? *Reſp.* de diviſione quantitativâ negatur. Videantur *Scholaſtici ad* 1.*qu.*76.*artic.*8.*&* *Conimbric.ad* 2.*de anima cap.*1.*qu.*8.& *tract. Gallego de la Serna contra Sennertum,* jam aliquoties citatum. *Thomas* 2.*contra Gentes cap.* 72. omnibus formis perfectorum animatorum indiviſibilitatem tribuit. Quod tamen cum limitatione accipiendum. Ex hac quæſtione pendet alia, de extenſione animarum: de quâ iidem autores modo

cit.

cit. Et nos supra. VII. An individuatio compositi humani per prius sit ab anima tanquam principio intrinseco; speciatim in reunione animæ separatæ cum suo corpore. De posteriori hoc dubio *Naclantus in tract. de contingentia, animæ immortalitate &c. p.* 82. VIII. An portio superior & inferior in animâ sint distinctæ potentiæ. De hoc disputant sententiarii *Scotus, Bonaventura, Durandus, Richardus ad* 2. *dist.* 24. & ex recentioribus ex professo *Rhada in controvers. inter Thomam & Scotum part.* 3. *controv.* 10. *artic.* 1. IX. An & quomodo affectus à voluntate, & inter se distinguantur. De hâc quæstione. Vide *scholasticos ad* 1. *qu.*80. *art.*2. *& qu.* 81. *art.*2. *&* 12. *q.*22. *art.*3. *& q.*23. X. An in sensualitate formaliter sit peccatum; an vero in solâ voluntate; seu an sit subjectum proximum peccati. De hoc *Scholastici ad Thomæ* 1.2. *qu.*74. *artic.*2. Et *Rhada part.*2. *controvers.*18. *artic.* 1. & 2. Huic affinis est quæstio, an virtutes morales sint in appetitu sensitivo. De quâ *Conimbricenses in disputationibus Ethicis disp.* 7. *quæst.* 5. & *Scholastici ad Thom.*1.2. *qu.*65. *art.*4. Et *Rhada part.*3. *controv.*15. *artic.* 1. Quorum sententiam ex Aristotele haustam meritò oppugnat *Amesius in medulla lib.*2. *cap.*1. XI. An animi mores sequantur temperamentum corporis; an vero potius dicendum, temperamentum & executrices corporis potentias, ut & omnia membra corporis sequi animam? Nos posterius affirmamus. Anima enim sanctificata & renovata per spiritum Dei utitur sanguinea complexione ad promtitudinem, alacritatem & gaudium in bonis operibus & officiis pietatis. Melancolica in profundâ rerum cœlestium contemplatione, & serîâ praxi pœnitentiæ, perpetuo mundi & alliciorum ejus fastidio. Cholericâ in zelo, fervore, & sanctâ contentione pro causâ Dei, omniumque consiliorum & expeditionum spiritualium celerrimâ executione. Contra anima perversa & non sanctificata utitur temperamento & membris corporis tanquam armis injustitiæ, e.gr. complexione sanguineâ ad facilem prolapsum in securitatem, & ad oblectationes mundanas. Melancolicâ ad solitarias machinationes malas, proditiones, hæreses, superstitiones. Cholericâ, ad rixas & contentiones. Sententia affirmans *Galenum* habet autorem, qui *peculiarem* de eâ *tractatum* scripsit. Vulgo distinguunt inclinari nos in moribus à temperamento, non necessitari. Sed merito disquiritur, an non temperamentum, quatenus executrices partes & potentias corporis afficit ac modificat, per prius inclinetur ab animâ, non vero contra. Sed quidquid sit de hâc distinctione, saltem constat Gentilem esse ἀθεολογίαν, quâ analysis bonæ indolis seu docilitatis, & consequenter conversionis nostræ ad Deum fit in temperamentum seu complexionem, & in educationem. Quid Remonstrantes hic sentiant, docebunt hæc ipsorum verba in Apologiæ cap.

10. fol. 118. *Neque vero negandum omnino videtur, conditionem temperamenti cujusque hominis vim magnam habere ad mores animi, ad virtutes & vitia. Pro ratione ejus aptior vel ineptior quisque est ad docilitatem & probitatem animi consequendum, Præcipuam tamen vim habent educatio & institutio. Atque inde ferè discrimen petendum est. Non videtur hoc negare Censor, ideoque per cautelam addit,* ubi de vera docilitate & de vera probitate, quæ ad res divinas requiritur, quæstio agitatur. *Atqui docilitas, quæ nos aptos reddit ad virtutes, sive ad honestatem morumque castitatem, quomodo non reddat nos aptos ad res divinas? Docilis probusque animus quas res citius libentiusque admittat, quam virtutes divinas, utpote æquitati & rationi rectæ maximè consentaneas, & ejusmodi argumentis adstructas quibus & qualibus cæteræ disciplinæ omnes carent?* Reliquas quæstiones de Intellectu & voluntate humana, aliisque animæ facultatibus vide in recentioribus physicis scholasticis (ii enim hic imprimis audiendi) *Toleto, Conimbricensibus, Ruvio, Arriaga, Oviedo, Mendosa,* quibus addatur tract. *Conimbricensium de anima separatâ:* Si quis medius inter Thomistas & Scotistas incedere malit, per nos licet secundum communes istas hypotheses, quæ sufficiunt explicandis & tuendis Theologicis veritatibus de libero arbitrio & gratia. Sunt autem istæ. 1. Intellectum seu facultatem cognitivam distingui à voluntate, seu facultate appetitiva. 2. Voluntatem in actionibus suis necessario prærequirere cognitionem intellectus, eamque non tantum apprehendentem, sed theoretice ac practicè judicantem. 3. Non tamen produci actum voluntatis efficienter à Iudicio tanquam à formali & intrinseco principio. 4. Nec habere se voluntatem, ut potentiam purè passivam & determinabilem, ratione intellectus, aut cujuscunque alterius agentis. 5. Nec intelligendum esse voluntatem ita determinari, ut ab intellectu ipsi imprimatur qualitas, aut motus, aut influxus quis; aut necessitetur necessitate coactionis aut naturali aut absolutâ, aut ut moveatur & determinetur physice, sed tantum ab antecedente, & ut à conditione, ac propositione objecti, & quadam morali quasi applicatione & determinatione. 6. Vt hinc sequatur tantum necessitas consequentiæ, secundum quid, seu ex hypothesi. 7. Atque ipsa voluntas nihilominus liberè seu voluntariè & spontaneè ut principium activum, formale, proprium, proximum & intrinsecum se determinet, & moveat in objectum suum, post scil. præcedaneam judicii practici determinationem. Haut aliter ac post præelectionem intellectus, eligit voluntas. 8. Vt voluntati non denegentur inesse aut inesse posse habitus boni aut mali. 6. Neque negetur immediata Dei operatio in voluntatem & intra voluntatem sive naturalis, sive supernaturalis, sed maneat Dei præcursus & influxus in utrumque, & concursus

cum

cum utroque immediatus: quamvis ille ordine naturæ prior sit, iste posterior.

APPENDIX AD DISPVTATIONES DE CREATIONE TERTIA.

Resp. CORNELIO BRUYNVISCH Zirizęa-Zelando.

Ad diem 9. Decemb. 1643.

QVæstionibus de anima rationali propter affinitatem materiæ inserimus & istam: *An mundo aut saltem cœlo insit anima rationalis, sed intellectiva, aut alia quæcunque anima.* Attigimus eam ante hac *part.* 2. *thesi.* 8. & *part.* 3. *thesi* 2. non quidem ex professo examinantes, sed solummodo tanquam rancidam & satis explosam opinionem rejicientes. Nunc quia videmus eam interpolatam cum scriptura non tantum conciliari, sed etiam ex eadem astrui, ab instituto & professione nostra non alienum forè putamus, si hac occasione de opinione illa ὡς ἐν παρόδῳ disquiramus, & ostendamus rationes non esse cur ab hodierna & communi scholarum totius Christianismi sententia aut à patrum & scholasticorum, nostrorumque Theologorum placitis, sacris literis, & rationi naturali sic satis convenientibus saltem non repugnantibus recedamus. Hoc autem præmoneo, me particulares & proprias hypotheses, aut consectaria hujus opinionis, aut diversos explicandi modos nolle consectari, sed tantum collimare ad commune paradoxum, in quod omnes omnium opiniones tandem recidere necesse est. Quod moneo, ne quis putet me nescium in varias sectas opinionem hanc scindi: dum alii intelligentiam motricem, animam cœli faciunt: alii præter intelligentiam, propriam animam illi tribuunt, eamque aut rationalem & sensitivam, sed instructam solum superioribus sensibus, & utentem non informantẽ, ut Academici & ex iis *Simplicius* 2. *de cœlo com.* 3.; aut sensitivam solum, sed sensu tantum interiori præditam, imaginatione scil. ut *Avicenna* 9. *Metaphys. c.* 2. Ex autoribus Theologis, quos hic sequor & defendo indico nunc *primo* Quintam synodum universalem Constantinopolitanam scil. quæ postulante & procurante imperatore Iustiniano an. 538. anathemate percussit eos, *qui cum Origene dicerent cœlum, solem, lunam, stellas & aquas, quæ super cœlos sunt, animatas quasdam esse & materiales virtutes* teste 1.

teste Nicephoro lib. 17. histor. eccles. cap. 72. qui ibidem dicit se ex actis synodi anathematismos illos descripsisse. *Baronius ad ann.* 535. *n.* 6. 7. dicit se eosdem descripsisse ex M.S. Antonii Augustini. Adde huic synodali decreto *Lactantium lib.* 2. *c.* 5. *Basilium Hexam. homil.* 3. *& in Psalm.* 48. *Cyrillum Alexandrin. lib.* 2. *c. Iulianum in fine*, *Ambrosium lib.* 3. *Hexam. c.* 4. *Augustinum lib.* 1. *Retract. c.* 5. *& lib.* 2. *c.* 7. *Hieronymum in Deuteron.* 32. 1. *& in Iesa* 1. *v.* 2. & imprimis *in epistolis ad Pamachium & Avitum. Damasc. lib.* 2. *de Fide cap.* 6. *Thomam p.* 1. *qu.* 70. *art* 3. cum commentatoribus, omnibusque recentioribus Scholasticis. *Bonaventuram*, *Durandum*, *Occamum*, *Argentinam ad* 2. *dist.* 14. *Lyranum in Ierem.* 10. *Tostatum in Exod.* 23. *qu.* 47. *Eugubinum in Psalm.* 19. Et ex recentioribus *Lorinum in Ps.* 19. *vers.* 2. *Scaligerum c. Cardanum exercit.* 6. *num.* 2. *Pinedam in eccles. iast.* 1. *v.* 8. *Pererium in Genesin lib.* 2. *qu.* 7. *&* 19. *Nierenbergium lib.* 2. *histor. naturalis cap.* 4. *&* 9. *&* 15. *Dandinum de corpore animato p.* 479. *Conimbricenses ad* 2. *de cœlo cap.* 1. *qu.* 1. *artic.* 1. *Claramontium lib.* 1. *de Vniverso cap.* 11. 123. *Vendelinum lib.* 2. *contemplat. physicar. sect.* 2. *cap.* 6. *& sect.* 3. *cap.* 2. *Vossium lib.* 2. *de Idololatria cap.* 33. 40. 41. Plurelque alios recentiores scholasticos, commentatores in Genesin, Physicos, quos nimis operosum esset hic recensere. Non prætereundus tamen, *Espenceus* Theologus Parisiensis, *qui peculiari tract.* animationem cœlorum in Paulo Ricio oppugnavit. Ex nostris *Danæus Physicæ lib.* 1. *c.* 14. ubi ex professo & graviter hanc opinionem perstringit. Qui mundum, aut saltem cœlum animatum esse voluerunt, fuerunt olim non pauci: *Timæus Locrus de anima mundi*, *Anaxagoras apud Laertium*, *Plato in Cratylo & epinomide* Vide *Alcinoum cap.* 14. Et *Stobeum in eclogis physicis cap.* 25. Stoici apud *Lipsium lib.* 2. *physiol. Stoicæ disert.* 7. 8. 9. 10. Hoc secuti sunt ex antiquis hæreticis Priscillianistæ apud *Augustinum lib. contra Priscill.*, Iudæi apud *Maymonidem in More Nevochin part.* 2. *cap.* 4. *&* 8. coll. cum *Buxdorfii Synagoga cap.* 17. Philosophi Arabes, Avicenna, Averroës &c. Ex recentioribus Paulus Ricius, aliique Cabalistæ, quos vide editos à Pistorio. *Campanella lib.* 2. *de sensu rerum & Magia cap. ultimo. Bodinus in naturæ theatro. Baranzanus part.* 1. *Vranoscop. quæst.* 2. *dubit.* 4. *Ioh. Iacobus Pavesius disp.* 5. *Metaphys. c.* 26. *Basso lib. p.* 333. 341. *Stephanus Theupolus lib.* 5. *contempl. Academic. cap.* 2. *Franciscus Patritius lib.* 4. *Pansuchiæ.* Nec immunis fuit ab hoc absurdo Origenes, ut supra *disp. de Creatione part.* 3. ostendimus. De Augustino infra dicemus. Anonymus autor *Enchiridii physicæ restitutæ* Parisiis anno 1623. in 8. editæ apud Nicolaum Buon. §. 5. 6. 7. Naturam facit duplicem, unam increatam spiritum scil. Dei creatorem mundi, qui primum aquis incubuit: alteram creatam, seu secundam primæ ministram, spiritum scil. universi, sive luminis in principio creati, & in corpus solare contra-

contracti virtutem vivificam & secreta fœcunditate dotatam. Quam etiam vocat spiritum igneum, & ignem invisibilem. Vtrumque autem hunc spiritum dicit vocari animam mundi: priorem quidem ex propria sententia; posteriorem ex sententia Zoroastri & Heracliti. De quâ postea §. 30. *Non citra probabilitatem philosophorum nonnulli animam mundi in sole, solem autem in centro universi constituerunt.* Sed an per creatum hunc spiritum universi intelligi velit animam propriè dictam & vitalem non liquet. Saltem pessime spiritus s. mundi creator statuitur anima mundi. Quod fere convenit cum περσιλογία Arabis illius apud *Maymonidẽ in more Nevochim part. 3. cap. 29.* qui Deum faciebat spiritum cœli. Recentiores Platonico-Hermetici & Paracelsici, quid sibi velint, nec alii, aut ipsi satis intelligunt. Aut enim idem dicunt quod Peripatetici cum philosopho *lib. 3. de generat. animalium cap. 11.* & cum autore libelli *de Mundo cap. 4.* aut inexplicabile & indemonstrabile figmentum somniant. De quo vide *Sennertum de chymicor. cum Aristotel. & c. cap. 7.* Dornavius Paracelsista novas scripturæ interpretationes, & ex iis animam mundi seu spiritum procudit. Vide supra. *Henricus Nollius lib. 1. physic. Hermetic. cap. 3.* animam mundi & spiritum universi idem facit cum igni. Hunc ignem dicit fuisse primævum & in chao, & non tantum aquam primævam in chao vivificasse, sed & omnia alia ex chao producta. Eundem ignem definit, quod sit *spiritus per universam primævam aquam subtiliter diffusus, ut eam ad suscipiendum varias variarum specierum formas disponat.* Addit ibidem, eam extra aquas non subsistere, & elementatis inesse per aquæ primævæ communicationem, & sine externo subsidio suas virtutes & operationes non potuisse exercere, sed Deo chaos movente per verbum suum cœpisse operari, nec tamen esse corpus, sed illud aliunde assumere atque ad suam naturam tincturarumque varietatem variè disponere, *Denique omnium rerum ideas in se habere, & pro virtute imaginationis suæ per divinum verbum impressæ (N. B.) secundum eas ideas seminum rationes varias in se recipere.* Quis non putet Hesiodum de sua Pandora & tota Deorum genealogia μυθολογεῖν? Omnia tamen illa cum dixit, tandem concludit p. 103. *Ignis primævus nihil aliud est, quam natura ipsa, quæ Aristoteli definitur principium motus & quietis &c.* Nihilominus p. 104. circulatione facta ad mythologiam suam redit: *Ignis superior* (qui scil. est in astris) *ubi in impuritatum sentina ignem inferiorem* (elementarẽ scil.) *occultum esse persensit, à Deo impetravit ut ei subsidio veniret, & ad se tanquam ad puritatis fontem perduceret.* Alibi tamen spiritum hunc mundi seu animam in cœlo collocare videtur. Confer supra *disp. de creatione part. 6. thesi 3. probl. 3.* Præsupponit hęc fabula Paracelsica de Anima mundi, alteram fabulam de chao. De quo *Nollius lib. cit. cap. 2. 3. 4.* illudque definit pag. 89.

Corpus ex aqua, igne vivifico actuata constans, eoque fine consistens, ut omnia quæ mundo comprehenduntur, ex eo per Dei verbum producerentur. Keplerus more suo in physicis παραφιλοξολογῶν animam tribuit mundo ejusque partibus & speciatim terræ: de qua sic quærit lib. 1. epitomes astron. Copernicanæ pag. 126. *Si anima est in terra, sub quam igitur speciem animæ refers?* R. *Constituit ipsa peculiarem speciem: nec enim crescere facit terram, nec sentire, nec ratiocinari, veluti per discursum, sed tantum movet, & promovet dicta opera, omnia solo instructu expediens.* Et paulo ante p. 125. Quærit, *Quæ sunt illa indicia animæ versantis in corpore telluris?* Ibidemque respondet:

1. *Calor subterraneus perpetuus & sensibilis. Materiæ namque quatenus talis, proprium est frigus: Omnis contra calor est animæ vestigium, vel prægressæ vel præsentis; Nam etiam ignis materiam, qua pascitur & superest, Animæ facultatibus progenitam obtinet.*

2. *Opera animæ propria, ut sunt, Generatio Metallorum, Mineralium & Fossilium: exsudatio humoris, unde ortus fluminum ex montibus perennis, exsudatio nebularum, & exhalationes humidæ vel aridæ perpetuæ, unde varii generis Meteora. Sic ex sanguine, bili, pituita, ex muco, sudore, saliva, excrementis, ratiocinamur de variis Animæ facultatibus.*

3. *Facultates eorum quæ ex Terræ visceribus eruuntur, ut quod sunt calida potestate, inflammabilia, inque lucem, cui est anima cognata, convertibilia: Talia sunt Sulphur, Mercasitæ, scintillas, percussi, reddentes, ignes denique ipsi subterranei. Et hæc spectantur tantummodo in exteriori cortice terræ, quanto mirabiliora censes condi spaciosissimo ejus sinu interiore, per mille septingenta millaria? Recte igitur à Natura generatorum argumentamur ad causam generantem: Sic enim etiam alias recte ratiocinamur, quæ res oleum intra se concoquat, quod est calidum potestate & inflammabile, illam conformari ab Anima.*

4. *Facultas formatrix in aëre, unde locustæ, muscæ, adeoque & figura nivis sexangula; sic pediculi nati in corpore hominis, indicium faciunt alicujus facultatis Animæ præsentis in illo corpore. Formatrix facultas in Marinis & fluvialibus aquis, unde Oceanus monstrorum pater dictus; formatrix in Terræ superficie, unde tot stirpium genera spontanea, tot insecta, Formatrix in intimis terræ visceribus, plane similis ei, quæ est in fœmellis: species foris occursantes intus exprimat, Naves Pisces, Reges, Pontifices, Monachos, Milites, fossiles.*

5. *Geometriæ exercitium, quod circa Mentis & sic animæ operam præstari nequit. Exprimit enim quinque corpora regularia in lapillis, sexangulas figuras in Crystallis & salibus. Sic enim etiam ex sexangula figura cellulatum, recte concludimus, Apes fictrices esse anima præditas & Geometriæ suo modo capaces.*

6. *Geometriæ extraneæ & cœlestis, quæ consistit in radiorum concursu, & perceptio, & secundum illam agitatio materiæ subterraneæ. Nam Terra exsudat meteora*

teora ad præscriptum Aspectuum, quorum rationes formales sunt mere Geometricæ. Sic enim & illud animal quod movet pedes ad leges alicujus cantilenæ, rectè concludimus & percipere cantilenã, & mensuram intelligere, denique ab Anima regi.

Etsi hæc omnia habet & percipit anima Telluris, instinctu primævo, non discursu & ratiocinatione & profectu, ut homines.

Baranzanus part. 1. Vranoscopiæ quæst. 2. dubit. 4. membro 1. pag. 60. animam cœli facit alterius ordinis, ac sunt animæ sublunares: *& esse inter illas tantum analogicam convenientiam, qualis est inter vitam angelorum & brutorum, & sic animas cœlestes nos esse vegetantes, neque sensitivas, neque intellectivas.* Antiquorum Platonicorum & recentium Hermeticorum sententiam ex professo incrustat *Conradus Aslachus in Physica & Ethica Mosaica* anno 1613. edita *cap.* 12. ubi inter alia argumenta adducit locum Nehemiæ 9. v. 6. *Et tu vivificas hæc omnia.* Animam vero & vitam ibidem exponit per virtutes activas, vires, & facultates energeticas. Quamvis autem contra opinionem de anima mundi antea nonnihil dixisse videatur in *tractatu de triplici cœlo lib. 2. cap.* 11. & lectori suo animæ hujus expugnationem apud *Danæum* & *Casmannum* commendasse, hic tamen pro eadem ad dictum tractatum *p.* 100, & ad Orationem suam de Anima mundi provocat. Sunt qui Platonicorum sententiam excusare satagant, quasi Deum creatorem & conservatorem universi per animam mundi designare voluerit. *Chalcidius super Timæum* ait Platonem per animam mundi intelligere, quod Christiani per spritum s. Idem habet *Cyrillus Alexandrin. contra Iulianum lib. cit. Philo Iudæus in libello* περὶ ἀφθαρσίας κόσμου animam mundi facit providentiam Dei. *Sennertus cap. 7. de Chymicorum cum Aristotelic. &c.* videtur cum *Ficino lib. 4. de theolog. Platonis cap.* 1. animam Platonicam de διάκρισις contrariarum rerum συναγωγῇ interpretari. Sed quamvis aliquando Deum cum mundo manifestè & crasse confundat (ut supra *part.* 2. ostendimus, & testatur idem *Cicero lib.* 1. *de natura Deorum*) sibi minime constans, nec seipsum nec alios intelligens & poëticis acurologiis, allegoriis, lusibus & picturis potius μυθολογούμενος, ac instar Protei in omnes formas se vertens, lectoremque exotericum & verborum sectatorem oblectans, quam serio atque acroamatice disputans: effugere tamen non potest, quin absurdæ hujus opinionis de anima mundi à Deo mundi opifice distincta cõdemnetur tum ex propriis verbis, tum ex antiquorum & recentiorum sectatorum consensu. Videantur ejus verba in Timeo. Ex sectatoribus ejus *Proclus comment. in Timeum*, instar omnium audiatur *Alcinous de doctrina Platonis cap.* 10. Vbi Deum, quem partem cujusquam esse negat, & totum ex partibus constitutum, exserte ab anima hac distinguit. *Ex voluntate enim sua omnia seipso complevit, mundi animam excitans &*

ad se convertens : quippe cum intellectus ejus (scil. animæ mundanæ) *sit causa*, qui (intellectus) κοσμηθεὶς ὑπὸ τοῦ πατρὸς, διακοσμεῖ σύμπασαν πλὴν φύσιν ἐν τῷδε τῷ κόσμῳ *quia à patre adornatus, naturam vicissim hujus mundi totam exornat.* Et cap. 14. quod est de anima Mundi sic de ea philosophatur : pag. 489, *Anima præterea mundi, quæ semper fuit, non efficitur à Deo, sed ornatur tantum, eaque ratione illam facere nonnunquam asseritur, quod excitat eam, & ad seipsum ejus mentem velut ex corpore & profundo quodam somno convertit, ut intelligibilia ejus intuens, ejusque notiones affectans, species inde recipiat formasque. Unde perspicuum est, & animal esse & mente donatum esse mundum à Deo. Nam quum optimum hunc esse vellet, merito quoque animatum atque intelligentem efficere debuit.* Stobeus eclogar. lib. 1. c. 25. *Plato*, inquit; *mundum dixit esse animal & ratione præditum* ζῶον ἔμψυχον ἔννουν τε *quod à se nutriatur; ejus autem principatum* τὸ δὲ ἡγεμονικὸν ἀὐτοῦ *in cœlo posuit.* Ibidem producit verba Platonis ex Timæo. Eodem modo sententiâ Platonis interpretatur *Cicero lib. 2. de natura Deorum. Plutarchus in qu. Platonicis q.* 1. Sed *Plinius l. 2. c. 7.* Platonis instar fluctuare videtur; modo Deum cum mundo & anima mundi confundens, modo ab iis distinguens : *Quapropter effigiem Dei formamque quærere, imbecillitatis humanæ reor. Quisquis est Deus (si modo est alius) & quacunque in parte, totus est sensus, totus visus, totus auditus, totus animæ, totus animi, totus sui.* Et postea in fine capitis. *Per quæ declaratur haud dubiè naturæ potentia, idque esse quod Deum vocamus.* Sunt & alii, qui mundum non tantum animatum & intelligentia præditum cõtenderunt, sed & Deum. Inter quos Sextus Empiricus adversus Mathematicos p. 326. Xenophantem numerat, quem Socraticè differentem & sic concludentem inducit : νοητὸς ἄρα ὁ κόσμος· ἔστι γὰρ διὰ τοῦτο θεός *est ergo mundus mente præditus, seu intelligens, & ideo Deus.* Nec abfuit Plato ab enthusiastico hoc delirio: ut supra *part.* 2. indicamus. Augustinus satis indecore fluctuat in enchiridio ad Laurentium cap. 58. *Sed nec illud quidem certum habeo, utrum ad eandem societatem* (angelorum scil.) *pertineant sol & luna, & cuncta sydera, quamvis nonnullis lucida corpora esse, non cum sensu & intelligentia videantur.* Sed hic fructus nimium æstimatæ Platonicæ philosophiæ : uti bene in *commentario ad locum cit.* observavit *Danæus*: quomodo olim de Origene Nicephor. *Callistus lib. 17. cap. 17.* Alibi tamen *Augustinus* negat astra esse animata & argumenta adversariorum dissolvit *lib. contra Priscillianistas cap. 8. 9.* Quod autem Plotinus, Numenius, Amelius animam mundi Platonicam interpretati sunt spiritum sanctũ (teste *Theodoreto de curat. gr. aff. serm. 2. pag. 33.*) id Platonem invitum juvare non potest & doctrinæ sacræ ab autoribus illis minime intellectæ corruptionem & heterogeneam confusionem arguit. Illi enim (ut *loc. cit.* observat *Theodoretus*) post adventum servatoris

vatoris cum venerint, euangelia audierunt & multa theologię Christianæ mysteria suis libris inseruerunt.

Vt de opinione hâc tanto melius judicemus, conclusiones aliquot po- 2.
nimus; quarum prima sit. I. *Concl.* Mundus non habet unam numero formam substantialem. Probatur I. *Quia* completæ naturæ non habent unam formam substantialem. Atqui species rerum in mundo sunt completæ naturæ ex. gr. cœlum, elementa, omniaque ex iis composita mineralia, vegetabilia, animalia. II. *Quia* non possent particulares quælibet naturæ in hoc mundo à se invicem specificè distingui, tanquam naturæ completæ. Quod absurdum, & contra scripturam, quæ naturas completas specificè distinctas docet, & ex eo admirabilem Dei sapientiam ac potentiam demonstrat. Vide *Psalm.* 104. per totum, & *Genes.* I. 11. 12. 21. 24. 25. ubi exsertè adhibetur nomen מין, *species*. Confer *Genes.* 6. 20. & 7. 14. *Levit.* 11. 14. 15. 16. 19. Vide *Zanchium de operibus creat. lib.* I. *c.* 2. §. 4. 5. Patet consequentia: quia distinctio omnis specifica est à forma; ideoque quæ unam habent formam, non distinguuntur specie, sed sunt essentialiter unum seu essentia una, aut in essentiam & naturam unam, quod ad esse scil; completum. III. *Quia* hac opinione negantur & subvertuntur naturę ac causæ quælibet particulares, earumque particularia principia activa & specificæ agendi facultates à formis dependentes. Quidquid enim specificarum operationum his per se & primò tribui solet tanquam principiis, illud per hanc opinionem ad formam mundi amandatur. IV. *Quia* per hanc universalem totius naturæ formam, hoc est, principium activum, subtrahitur speciali providentiæ divinæ, quæ immediatè immediatione virtutis & suppositi omnia in omnibus operatur, non tantum conservando per continuum influxum, sed movendo, præmovendo, & applicando seu determinando eam ad singularitatem & ad specificationem singulorum actuum: dum influit & in causam secundam, & cum ea in effectum. Breviter quidquid formæ huic universali adscribitur, illud necessario subtrahitur aut causis & naturis particularibus, aut divinæ providentiæ. *Si illud dicas*, jam repugnas toti philosophiæ, & per indirectum etiam Theologiæ, quæ cum Augustino sentit, Deum sic omnia administrare, quæ creavit, ut etiam ipsa proprios suos motus agere & exercere sinat, (*Augustin. de Civit. Dei lib.* 7. *cap.* 10.) & consequenter respuit opinionem tanquam stultam & impossibilem, quæ statuit causas secundas otiari, & solum Deum agere ad præsentiam earum. Vide *Thomam c. Gentes lib.* 3. *cap.* 69. & *pag.* 1. *qu.* 105. *art.* 5. & modernos commentatores ad eum, nec non ex Metaphysicis *Zwarezium*. *Sin istud* admittas, jam simile quid fingis paradoxo Durandi, qui negat concursum Dei,

omnemque providentiam ſpecialem. In abſurdum tale manifeſtè ſe detrudi patitur Campanella lib.2.c.32.pag. 194. ubi dicit animam hanc *totius curam gerere.* Et pag. 195. *Alii Deo tribuunt hos ſecretos actus. Ego vero inquam Deum infinitum eſſe, nullamque creatam naturam præſertim inferiorem poſſe ejus ſuſcipere influxum infinitum, ſed cum modificatione finita; non enim eſt ſuſtinere apta, ut & Bernhardus dicit: Hac de cauſa prius obumbrationem feciſſe in matre Ieſu, quanto magis ergo naturaliter geſta indigent modificatione, & obumbratione in tanta luce?* 5. *Quia* hinc infirmatur, ſi non proſternitur argumẽtum illud pro providentia Dei contra Atheos & Epicureos deſumtum à rerum diſtinctiſſimarum & repugnantium, ac mutabilium immutabili ordine, mutua dependentia, coordinatione, ſubordinatione, coaptatione, ſucceſſione, viciſſitudine, diſcorde concordia in omnibus operationibus ſuis, tum, ad proprium cujuſque, tum ad commune totius univerſi bonum. Si enim hæc omnia vel in totum vel ex parte ad proprium, οἰκεῖον & intrinſecum univerſale principium, formam ſcil. mundi reduci poſſunt, utique rima ſatis lata, ſi non oſtium aperitur exceptioni contra hanc providentiæ demonſtrationem. Videatur autem hæc demonſtratio apud ſcriptores de Providentia, & contra Gentiles, Atheos, &c. alibi citatos. Atque hæc argumenta noſtra: ad quæ ſi quid excipi poſſit, coram in ipſa diſputatione diluemus. Perſtringamus nunc ſolummodo objectiones. Quarum 1. *Object.* Quidquid forma non continetur, illud aut confuſum & indigeſtum eſt, aut vi quadam extrinſeca præter naturam ordinatum eſt (uti omnia artificialia,) & conſequenter durare nequit. Sed neutrum de mundo dici poteſt: eſt enim ordinata quædam compages, & durat in æternum, æternitate ſcil. Phyſica. *Reſp.* Axioma illud, ſi abſolutè & univerſaliter accipiatur, falſum eſt. Nam angeli una forma non continentur, nec animæ ſeparatæ, immo nec anima quælibet in corpore; nec etiam una forma continerentur plures mundi ſi Deus eos produceret: nihilominus tamen ſubſiſterent. Adhæc, Deus potenti verbo ſuo conſervat & continet omnia, in ſe, tanquam cauſa efficiens (*Heb.* 1. 3. *Pſalm.* 104.29.30.) & hinc eſt quod non diſſiliant, nec confundantur. 11. *Object.* Si non detur univerſalis forma, ſequetur Deum omnia agere per proximas & particulares rerum naturas. Sed poſterius abſurdum. Ergo. *Reſp. Minor Neg.* Immo abſurdum eſſe Deum non agere per particulares quaſque naturas ſecundum legem ac diſtinctionem in prima rerum creatione inditam. Fruſtra enim naturæ illæ eſſent, ſi ipſæ non haberent ſpecificas ſuas activitates, & ſecundum eas agerent. Quin & ſcripturæ manifeſtè hoc repugnaret, *Hoſ.* 2.20.21. coll. cum *Gen.* 3.17. *Deut.* 28.23. *Inſtantia*: Hoc ſi admittatur, jam Deus & natura idem erunt

quod

(quod est commentum Stoicorum,) Deusque instar formæ rebus omnibus præesse dicendus est: quod absurdum. *Resp.* *Neg.* consequentia: Deus enim est principium externum, natura quælibet principium internum; Deus præest omnibus, tanquam efficiens, non tanquam pars, aut forma. III. *Object.* Si non detur universalis forma, sequeretur gravia non posse tendere sursum, levia deorsum: Sed posterius absurdum, sæpe enim gravia sursum tendunt &c. *Resp.* Consequentia nititur ista falsa hypothesi, quod gravia sponte sua, naturaliter, & per se tendant sursum. Quod negatur: sit enim hoc per accidens, & præter naturam gravium, per vim scil. extrinsecam particularium agentium, ex. gr. solis, qui attrahit vapores, & hominis qui projicit lapidem. Ita ut nulla universalis seu communis forma hic requiratur. IV. *Object.* Si res vilissimæ in natura indigeant substantiali formâ, quæ nectat partes earum; qua dissoluta partes solvuntur: ergo multo magis ipsi mundo tam variis & tam distantibus partibus adornato forma assignanda est. *Resp.* Consequentia gratis nectitur, nec ulla ejus ratio assignari potest. Deo sapientissimo architecto nihil in mundi opificii ex nostra imaginatione mechanica præscribendum est. Res à Deo creatæ sunt mensura sapientiæ nostræ, non contra. Vide & expende *Iob.* 38. *&* 39. *&* 40. *&* 41. Plura fecit Deus, & plura facere potest, quam nos capimus. Ne quis autem putet, desertam esse mundi compagem, ac mox dissolvendam aut avolaturam, nisi imaginaria illa forma ligetur, occinimus illi ex Boëthio lib. 4. de consol. philos. *Tu numeris elementa ligas, ut frigida flammis, Arida conveniant liquidis, ne purior æther Evolet, & mersas deducant pondera terras.* Quis continet terram, aquam, &c. intra limites suos? Vide *Iobum modo cit.* & *Psal.* 104. & 42.

II. *Concl.* Mundus non habet animam neque vegativam, neque sen- 3.
sitivam; & consequenter non est animal Prob. 1. *Quia*, omnia in mundo non sunt animata, nec sentiunt, nec spirant spiraculo vitæ: ergo non datur communis anima. Probatur antecedens tum scripturâ, tum ratione, & experientia & ipso sensuum testimonio. Scriptura exserte distinguit inter creaturas viventes & non viventes *Gen.* 1. 20. 21. 22. & 7. 15. 21. *Psalm.* 150. 6. Rationes sunt istæ. *Quia* omne animatum habet corpus organicum certa ratione per commissuras arctissimè adunatum & compactum *Eph.* 4. 16. Atqui mundus tale corpus non habet. *Quia* omne animal habet animam suam in corde & sanguine juxta *Deut.* 12. 23. *&* *Gen.* 9. 4. coll. cum 1 *Corinth.* 15. 39. Sed multæ partes mundi nec carnem nec sanguinem habent: *Quia* nullas actiones vitales edunt, quales sunt nutritio, auctio, respiratio aut transpiratio, motus progressivus, seu animalis, appetitus sensitivus tum irascibilis tum concupiscibilis. 2. *Quia*

seque-

sequeretur mundum alium mundum, aut mundos ejusdē speciei secum, univoca generatione posse producere. Est enim naturalissimum opus viventis (juxta philosophum) generare sibi simile. Quo autem perfectius est animal, eo perfectior apparet generandi ratio. Atqui mundus fingitur animal esse perfectissimum. Nam quod inter animalia muli non generent, aut forte insecta quædam; hoc fit, quia illi sunt monstra seu naturæ ἀμφιπήματα, & ista imperfectissima. III. *Quia*, sequeretur unumquodque animal (ex. gr. canem, equum, hominem) duplici animâ informari, & propria sua, & communi anima mundi; & consequenter duum generum animales ac specificas operationes à duplici illo intrinseco ac formali principio procedentes edere. Sed ostendantur, quænam sint distinctæ illę operationes in homine, aut cane, quæ ad animam humanam aut caninam tanquam ad suum principium reducendæ non sint, sed ad solam animam mundi. IV. *Quia*, sequeretur animalia ne quidem perfecta & perfectissima (qualia equus, leo, elephas, homo,) esse naturas per se completas, seu animalia propriè dicta, sed esse partes perfecti animalis (mundi scil.) integrantes: haut aliter ac nos judicamus de capite, corde, cauda, pede &c. animalis. Atqui hoc absurdum, scripturæ & sapientibus repugnans. Vide *Genes.* 1. *Ps.* 8. & 104. *Iob.* 39. & 40. ubi animalium nomenclatura & diversitas. V. *Quia*, sequeretur animal nullum propriè mori; saltem non quod animam mundi: quippe quæ nunquam ab ullo corpore separatur au separari posset. Nec videmus quomodo corpora animalium possent dissolvi & in pulverem redigi, quippe per ultimum actum & ultimam formam, animam scil. mundi essentia & unitate sua contēta. Quod si dicas duas mortes, quarum una sit ex separatione animæ particularis (ex. gr. humanæ aut caninæ,) & altera ex separatione animæ universalis. Iam peto conciliari istam distinctionem cum infinitis textibus scripturæ, qui vitæ, mortis, & mortalitatis meminerunt. Deinde quæro, an, & quomodo anima mundi novissimo die separanda sit à mundo, & singulis animantibus, ac hominibus tum mortuis, tum viventibus tunc immutandis juxta 1. *Corinth.* 15. Ab his aliisq; se extricent hujus opinionis fautores, ut verum vero per totam Theologiam & philosophiam undique consonet. VI. *Quia*, sequeretur animas omnes particulares, nominatim etiam humanas, aut partes esse illius animæ mundi atque ab illa oriri, & decidi; aut formaliter ab illa contineri, atque adeo formas aliam & ulteriorem per formam informari, animas per animam animari. Quodcunque hic dicatur non video quomodo non incommodis & difficultatibus multis urgeri possit. Videamus nunc objectiones. 1. *Obj.* Universi corpus est omnium consensu præstantissimum; ergo animatum:

nam

nam animata sunt præstantissima. *Resp.* 1. Falsum præsupponitur, esse sc. unum corpus; cum sit aggregatio multorum corporum. Demus instantiam in ordinato exercitu (nam illi mundus comparatur *Genes.* 2. *Ies.* 40.), ubi est corpus præstantissimum ex tot nobilissimis creaturis, hominibus scil. coagmentatum: quis tamen inferat, una & communi anima intellectiva eum animatum esse. Idem dico de ecclesia, quæ unum corpus est (*Ephes.* 1. 23. & 4. 4.), non tamen naturaliter, sed & supernaturaliter nobilissimum. Conclude ergo, una forma essentiali, unâ numero anima intellectiva, & una numero gratia regenerante ac fide informari, & sic unam esse naturam ac essentiam per se, unamque supernaturam. II. *Obj.* In mundo plurima apparent opera vitalia, omnesque ejus partes dicuntur plenæ anima: Ergo anima præditus est. *Resp.* 1. Opera vitalia, ad particulares animas viventium reducenda sunt: nisi quis animas omnes & vitalia principia contra scripturam, rationem, & sensuum cognitionem negare velit. Non est igitur necesse propterea ponere animam mundi. 2. Quod omnes ejus partes dicuntur anima plenæ, id si quis intelligat de continentia locali & unione per accidens, quomodo spongia dicitur plena aqua, concedi potest, de mari, terra, aëre, tanquam partibus continentibus. Sin vero quis intelligat omnes & singulas partes & continentes & contentas esse anima vivente præditas: Nos negamus, & petitur principium. III. *Object.* Universum saltem cœlum, continenter in orbem movetur: ergo in eo est anima motus circularis principium *Resp.* 1. Cœlum moveri conceditur: sed inde nulla est consequentia ad universum, ejusque animam. 2. ex motu præsertim circulari forma aliqua & natura cœli rectè concluditur: sed non anima aut natura vivens & sentiens. 3. Si animalis, immo & voluntarius esset hic motus corporeus: expediēdum esset quomodo & cur non fatigaretur animal continua ista & rapidissima circumgyratione, & Motus ille, ut omnes alii animales, non esset in fine remissior. IV. *Obj.* Mundus propria figura clauditur; ergo & propria anima terminatur? *Resp.* Antecedens negari potest: neq; enim mundus per se & immediatè propria aliqua figura clauditur, sed extimum corpus cōtinens. Quomodo circumvallatio castrorum milites, & navis, aut domus, aut templum, aut civitatis murus homines, aliasque res ibi contentas claudere dicuntur: unde tamen non sequitur propriam continentis corporis figuram, esse propriā omnium cōtentorum. 2. Negatur etiam consequentia. Quia lignum, aqua in vase, lapis &c. propria & particulari figura terminatur, non tamen propria & particulari anima. V. *Obj.* Plurima corpuscula obscuræ & viles mundi partes, ut muscæ, vermes &c. anima præditæ sunt. Ergo absurdum esset,

mundi corpus absolutissimum carere anima. *Resp.* 1. Rursum præsupponitur falsum, mundum esse unum corpus. 2. Inconsequens consequentia. Quid si similem nectam, corpuscula illa anima sentiente prædita sunt, & cicadæ tantum sonum edunt, & philomelę tam suaviter cantillant: ergo multo magis sol & luna; ut sit harmonia cœlorum Pythagorica. Rursum nani seu pumiliones anima rationali præditi sunt: ergo multo magis corpora cetorum & elephantum, quorum præstantiam ipsa scriptura tam magnifice prædicat *Iobi* 40. & 41. Rursum corpusculum pulicis anima præditum, ergo multo magis corpus ordinati exercitus una anima humana informatur. VI. *Obj.* Mundus unum cum sit, per cõsensum partium, à divina providentia dispositarum: sequitur dandã esse animã, sine qua partium unio & consensus servari nequit. *Resp.* Consequentia petitur nõ probatur. Nos eam negamus & sufficere putamus intrinsecum principiũ naturæ cujusq; particularis, & extrinsecum divinæ manutenentiæ & gubernationis specialis. VII. *Obj.* Sequeretur mundum esse monstrum, siquidem quædam partes ipsius essent animatę, & nõ ipse totus. *R.* 1. Cadaver bruti aut hominis non est monstrũ, quãvis nõ sit animatum, quia non abit à natura cadaveris. Sic equus non est monstrum, quod nõ sit homo. Præsupponitur ergo falsum & nõ probatur, singulas partes mũdi natura sua esse aut debere esse animatas. 2. Non magis absurdum & monstrosum est, quam omnes plantas non sentire æque ac animalia, aut omnia bruta non ratiocinari æque ac hominem, aut animalia omnia non volare, ęque ac aves. 3. Nolo huc adferre, quod philosophi statuunt, nec excrementa, nec sanguinem animalium esse animatum: & tamen nihil in corporibus illorum esse τερατῶδες. VIII. *Obj.* Si mundus non esset animatus, tum homo non posset dici parvus mundus: nam talis dicitur præcipue quod ad animam. *Resp.* Simile non est idem. Si quis metaphoricam istam phrasim etiam ad animę essentiam & facultates extendat, illi probandum esset mundum habere voluntatem, & consequenter in æternum salvandum aut damnandum.

4. III. *Concl.* Nec mundo, nec cœlo, nec octavę sphæræ, nec stellis anima intellectiva, seu mens creata attribuenda est, quę tanquam principium universale & forma sive informans sive assistens omnia contineret, dirigeret, produceret, aptaret, moveret. Probatur. I. *Quia*, S. Scriptura præter Deum nullas naturas intellectivas agnoscit, quam angelos & homines. II. *Quia*, omnis natura intellectiva seu mens habet rectam rationem, & voluntatem, & consequenter sua natura ordinatur ad primam ac summam rectam rationem ac voluntatem, hoc est, ad Deum: & sic sublex cum sit, capax est æternæ beatitudinis aut miseriæ. Quæ omnia de

mundo,

mundo,aut cœlo affirmare perquam absurdum est. III. *Quia*,sequeretur lapides,metalla, stellas, aquas, ventos, terras, montes, & bruta omnia in aëre, mari, terra non minus non tantum sensu sed & ratione prædita esse quam homines; quippe quę ut partes universi æque ac homines anima illa informenter. IV. *Quia*,labyrinthus difficultatum & ἀλύτων paratus videtur huic opinioni. Ne autem multis argumentis ad absurdum cumulandis nimis otiosè eã gravare videar, indicabo solummodo nõnulla ζητήματα,à quibus cõmode se expedire debent. Sunt autẽ ista. 1. *An* anima hæc sit divisiblis,& tota in toto,ac tota in qualibet parte;an vero indivisibilis. 2. *An* animę humanę, & brutorum pariter ex illa communi anima derivẽtur. 3. *An* sit incorruptibilis ab intra,uti anima humana & angelus. 4. *An* mortalitate humana per peccatum in mundũ ingressa atq; una servitute illa corruptionis (*Rom.* 8.20.21.) totius mundi; anima illa mutata sit quod ad essentiam,aut quod ad qualitates, atque operationes suas. 5. *An* in finali conflagratione mundi, anima illa corrumpẽda, aut annihilanda sit;an vero ut aliæ animę ac formæ intellectivæ,tantisper à corpore suo separãda sit,& seorsim extra corpus subtitutura,ac postea illi redunienda. 6. *An* animet & informet totum mundum, inferiorem & superiorem, visibilem & intelligiblem hoc est, cœlum empyreum, infernum, angelos bonos,& malos, animas hominum separatas, etiam animam Christi separatam, cum esset in statu mortis, imo & totum Christum secundum humanam naturam tam in cœlo nunc existentem, quam in diebus carnis. 7. *An* post novissimum judicium, animatura atque informatura sit beatos in cœlo, an vero intelligentia ejus tum cessatura sit. 8. *An* in brutis aliisque viventibus secundum totum mortalis, in hominibus vero forma incorruptibilis. 9. *An* sit forma materialis, seu immersa materiæ,atque ab ea dependens; an vero sit immaterialis? 10. *An* intellectivam hanc animam crearit Deus ad imaginem suam nec ne? 11. *Quod* si prius dicatur, an legem illi posuerit, & pepigerit cum ea fœdus spirituale, & quibus conditionibus ac promissionibus? 12. *Quod* si fœdus interceserit: quæritur an in eo perstiterit,& ad terminum pervenerit,ac nunc in eo sit, itidem ut angeli boni. 13. *An* vero per fœdus gratiæ salvanda sit? 14. *An* non sequatur hanc animam in uno animali mundano proximè repræsentantem unius Dei imaginem, & intimè omnibus rebus præsentem atque operantem omnia in omnibus, esse hac ratione excellentiorẽ angelis, cõtra *Heb.* 1. *v.* 5,6.7.13.14. immo & ipsa anima humana Christi. Admittit hoc absurdum Campanella l. 2. de sensu rerum &c. c. 32. ubi dicit animam hanc *quocunque angelo præstantiorem esse*, item *excellentissimam nec non beatissimam, quæ in prima mente, quid agendum sit, & juxta ejus ideas operetur in materiis*

teriis ac formationibus particularibus; denique esse mentem divinam. Quæ deliria an hæresin sapiant, judicet Christianus lector. 15. *An* posito hoc creato spiritu, hac anima primo die creata, per quam sequentia opera quinque dierum creata sint & etiamnum sustententur in esse & operari, non infringatur placitum Theologiæ nostræ, *Socino contra VViekum*, aliisque fanaticis oppositum: Quod nihil præter Deum sit causa creationis principalis aut instrumentalis: & consequenter quod ex creatione deitas contra Atheos, & deitas Christi contra Arrianos & Photinianos solidè demonstretur. Vide *disp. de Creatione part.* 1. & *disp. de Atheismo part.* 4. & *Ioh. Iunium in examine respons. Socini contra VViekum class.* 6. *cap.* 1. 16. *An* sicuti in homine à nonnullis ponitur corpus, & anima humana (unde constet animal humanum,) & præter ea tertium, spiritus scil. seu mens, quæ personaliter uniatur cũ animali humano; sic etiã præter animal mundanum conflatum ex corpore & anima, constituendus sit spiritus seu intelligentia aliqua quæ personaliter animali mundano uniatur? v. *Quia*, recoquit hæc opinio rancidas illas & obsoletas Platonicorum opiniones ab ecclesiis & scholis Christianis unanimi cõsensu explosas: aut viam sternit ad præcipitia Stoicorum; & paradoxa recentiorum ut *Campanellæ de sensu rerum & Magia*, ut & Abayliardi atque antiquorum Priscillianistarum, de vita cœlorum & astrorum, apud *Bernardum in epistolis, epist.* 190. & *Augustinum de hæresibus*: & ad Philonis Iudæi opinionem, quod mundus perfectiori ratione imaginem Dei in se habeat, quam homo. Vide hãc opinionẽ refutatã apud Scholasticos in *1. q. 93. art.* 3. Et *Pererium in Genesin lib. 4. q. 2. de imagine Dei.* Vt jam non dicam de Arrianorum essentiato Deo seu vice Deo, per quem omnia creata conserventur; de Socinianorum virtute & potentia Dei à Deo realiter distincta; deque eorundem luce inaccessa, & spatio, seu loco, qui Deo coæternus; de Valentini æonibus; De *Cornelii Agrippæ* infusis virtutibus occultis per rationes animæ mundi, deque spiritu mundi, qui sit vinculum occultarum qualitatum, denique de vitalibus, intellectualibus & divinis donis desuper detrahendis &c. (Vide *lib. 1. de occulta philosophia capp.* 11. 14. 37. 38.) Adhæc de Iudæorum decem Sephirot (de quibus *disp. de Creatione part.* 2.), de Averrois universali intellectu agente; de Enthusiastica confusione Dei cum creaturis, & harum in illum transformatione; deque recentiorum Paracelsistarum, Weigelianorum, & similium febricitãtibus seu potius fanaticis somniis, de Gentilium idololatrico cœlorum cultu, immo & totius mundi sub nomine Panis, & ἀθεότης seu πολυθεότης, de cujus origine vide *Vossium loco* supra *cit.* Et *Maimonidem in Moreh part.* 3. *c.* 29. de Magorum & Genethliacorum impiis superstitionibus, de qui-

de quibus in *disp. de Magiâ*. Ad hæc similiaque portenta (quorum aliqua attigimus *disp. de creatione part. 2. thesi* 8.) facilis esset prolapsus; saltem eorundem per defensionem hujus animæ non tam facilis ac tuta refutatio. Imprimis cum ex Platonicis & Paracelsico Weigelianis & enthusiasmis tota hæc Pandora conflata videatur. Videndi & conferendi hic Antagonistæ Alcorani, Cabalistarum Iudaicorum, Trithemii, Agrippæ, aliorumq; Magorum, Platonicorum, Stoicorum, Paracelsistarum, Weigelii, Iohannis Bohemi, Fratrum Roseæ crucis, omniumq; aliorum Enthusiastarum tam in philosophia, quam Theologia: quos alibi partim indicavi, partim indicabo. Nominatim hic commendo *Nierembergium lib. 2. cap. 4. & 9. & 15.* qui periculosa ἐπώμενα & præcipitia hujus figmenti ostendit. Ab his absurdorum sive consequentiis sive præcipitiis sententiam suam non satis liberant, si dicant se illa non admittere, nedum pertinaciter tueri; atque adeo se non esse hæreticos aut hæreticis affines, ideoque absurdis illis non esse urgendos. Quidquid enim sit de hæresi, deque eorum pervicacia, & particulari intentione, nec non de sententiæ ipsorum limitatione & contractione, deque sollicita præcisione quarundam hypotheseωn & consectariorum, quibus fanatici luxuriant (de quibus omnibus nunc judicium nobis hac vice non sumimus): saltem negare non possunt, quin fanaticorum modo dictorum manus imprudenter confirment, & sibi ac nobis non minimum solidæ refutationis apparatum eripiant, rudioribus aut volaticis ingeniis occasionem impingendi, & inventis eorum aliquid addendi (quod facile) præbeant; atque adeo otiosæ eorum speculationes & disputationes, ad minimum sint erroneæ, malè sonantes, periculosæ, scandalosæ, piorum aurium offensivæ. Confer infra *consectar. ad thesin 6.*

IV. *Concl.* Anima mundi non est persona sive per se, sive cum mundo unita consideretur. Probatur 1. *Quia*, nullæ sunt personæ creatæ præter homines & angelos. 2. *Quia*, definitio personæ illi non competeret: dato quod esset aliqua forma mundi. Quod per partes deduci potest. 3. *Quia*, talis personalitas & personalis unio, incommodat Theologicæ explicationi ac defensioni de personis trinitatis, & de persona Christi, ut & de compositis ac personis humanis. Quocunque enim modo commenta illa de personalitate animæ mundi, deque unione ejusdem cum animali mundano colorentur, obfuscant & turbant veritates Philosophicas & Theologicas tanto cum labore & tam anxiâ cum cautelâ in luce positas. 5.

V. *Concl.* Anima hæc mundi non est ad imaginem Dei condita. Prob. 1. *Quia* solis hominibus & angelis hoc tribuit scriptura: uti ex theologiâ catecheticâ norunt catechumeni. 2. *Quia*, tum capax esset fœderis spi-

ritualis, atque æternæ beatitudinis; nec tantum ipsa, sed & totum animal mundanum ab illâ informatum. VI. *Concl.* Animam illam nec esse, nec dici posse primam intelligentiam, hoc est, angelum, per quam Deus tanquam ministram & vicariam, regat mundum. Prob. 1. *Quia*, de nullis angelis in individuo, certi quid sciri potest, nisi ex verbo Dei. Atqui hujus supremę intelligentiæ verbum Dei non meminit. 2. *Quia*, angelus hic esset bonus, aut malus. Non est bonus: quia tum esset electus, ad beatitudinem æternã, & esset spiritus minister qui mitteretur pro re natâ, ad ministerium piorum in hoc mundo *Hebr.* 1. Non malus, quia Deus non faceret illum perpetuum ministrum & vicarium suum, hoc est, immediatum rectorem mundi. Tertium genus angelorum neutralium, aut purè naturalium non datur: nisi in commentis Magicis Platonicorum, & Pselli, & *Abbatis Trithemii in libro de septem Intelligentiis, & in Steganographia*: quæ attigi in *disp. de Dæmonibus.* VII. *Concl.* Non esse ergo triada illa in mundo naturam seu corpus, animam, mentem. Nedum ut imago Trinitatis in triade illâ ostendi, aut quæri debeat.

6. Annotemus nunc breviter objectiones, quæ adversus *Concl.* 3.4.5.6. ad ferri solent, aut possunt. 1. *Obj.* ex *Genes.* 1. *vers.* 2. *Resp.* Tutissima & plerorumque antiquorum ac recentiorum expositio est, intelligi Spiritum sanctum. Vti ex professo docent *Zanchius de oper. creat. lib.* 1. *c.* 2. *Rivetus in Genesin Exercit.* 2. *Pererius ad loc. cit.* Quamvis autem duas alias ibidem adferat, nusquam tamen comparet anima mundi: ne quidem in expositione *Cajetani*, quam non sine stomacho ibidem rejicit. Conferantur & antagonistæ Socinianorum *Ioh. Iunius*, aliique *cit.* Imprimis & *notæ bibliorum Belgicorum, & Anglicorum.* Expositio hæc Platonico-Paracelsica non paucis absurdis & difficultatibus implicatur. Quæri enim potest, quando sit creatus hic spiritus mundi informator? An à primo momento mundum animaverit? Si non, quid ergo mundum tantisper informaverit, & subsistere fecerit? An vero mundus tamdiu fuerit materia sine forma, corpus sine vita, chaos Platonicum? II. *Object.* Ex *Psalm.* 104. *v.* 30. *Resp.* Non intelligitur illic fictitia ista anima seu spiritus mundi, sed Spir. sanct. A quâ Ecclesiastica & communi interpretatione dum sine ratione receditur, & argumentum tollitur, quod inter alia adhibent *Athanasius*, *Ambrosius*, *Didymus*, *Nyssenus &c.* ad probandam deitatem Spir. sanct. III. *Obj.* ex *Psalm.* 19. *v.* 1. *Resp.* Hinc nõ tantum anima mundi seu cœli, sed & cõcentus ille Pythagoricus a nonnullis probatus fuit: ut videre est apud *Maymonidem in Moreh Nebuchim cap.* 6. Sed hæc retulisse, est refutasse. Vide autores pro concentu cœlesti & contra eum citatos apud *Lorinum in Psalm* 19. *v.* 1. *&* 4. IV.

Obj.

Obj. Ex *Pſalm* 136.5. unde *Cajetanus* probabilem fecit ſententiam, de animatione cœlorum. Vide *Lorinum in comment. ad locum. Reſp.* Intellectus laudatur, non cœli, ſed Dei: quomodo *Proverb.* 3.19. *Ierem.* 10.12. & 51. 15. v. *Obj.* Ex *Iob.* 38. *v.* 7. per ſtellas metaphoricè intelligi poſſunt angeli. Quod ſi proprie accipias, dicendæ ſunt laudaſſe Deum, ut *Pſalm.* 19.1. & 4. uti oſtendit *Pineda in comment. ad locum.* VI. *Obj.* *Quia* pulcerrimum quodque mundo tribuendum eſt, atqui hoc eſt intellectu præditum eſſe. *Reſp.* Quid ſi idem dicas de brutis, de lapidibus, de peponibus & fungis: ſunt enim opera Dei. Omnes fabulæ Thalmudicæ & Alcoranicæ, de gallo gallinaceo intelligentia prædito, de fide aſtrorum, de ſalute & paradiſo animalis alborach, & vervecum mactatorum in paſchate, & ſimilia ſexcenta cum Æonibus Valentinianorum, & tota Heſiodi Theogonia, ex eadem affirmatione defendi poſſent. Idem dico de ſuaviſſimo concentu cœlorum, quem Pythagoras ſomniavit. VII. *Obj.* Quia tam ordinata omnium rerum diſpoſitio abſque intelligentia ſubſiſtere nequit: ea autem nulla eſt, niſi hujus animæ mundi, cum Deo immediatam & ſpecialem omnium iſtarum conſervationem & motionem tribuere abſurdum & indignum ſit. *Reſp.* Immo abſurdiſſimum eſt in tanta euangelii luce non didiciſſe Chriſtianos ex elementis catecheticis etiam minimorum & viliſſimorum providentiam Deo tribuendam. Nolo me ad hæc catechetica inculcanda diffundere. Videantur *Locorum communium ſcriptores de Providentia*, & quæ nos partim de eadem diſſerimus in *tract. de Termino Vitæ*: ubi præſtantiores aliquot autores indicavimus. Sunt & aliæ objectiones, quas habent *Conimbricenſes ad* 2. *de cœlo cap.* 1. *qu.* 1. *art.* 1. & Recentiores quidam Platonici, aliique paradoxologi apud *VVendelinum in contemplat. Phyſicis ſect.* 2. *cap.* 6. quæ quia ibidem accurate & operoſe ſolvuntur, nec quidquam habent peculiare, ab iis perſtringendis ſupersedeo; præſertim temporis anguſtia nos monente. Conferantur autores antagoniſtæ animationis mundi & cœlorum ſupra *theſi.* 1. citati.

Conſectarium.

OPinionem de animatione mundi aut cœli cum *Bonaventura ad* 2. *diſt.* 14. & *Conimbricenſibus quæſt. cit. art.* 3. falſam & erroneam eſſe cenſemus; non hæreticam. Addimus, poſſe tamen ab aliquo iis cum hypotheſibus & conſectariis defendi, ut accedente pertinacia in hæreſin deſineret. Non enim putandum eſt quidquid titulo & ſchemate philoſophico in ſcenā producitur, libertatis & ſubtilitatis philoſophicæ ſalvo cōductu ab hæreſeos

reseos suspicione aut accusatione in perpetuum immune præstari. Pineda in Eccleſiast. 1. v. 1. mediam viam tenet, & sententiam communem non quidem de fide, sed tãquam dogma eccleſiasticum fidei proximum asserit: *Si non certa fide*, inquit, *constare tamen cœlum & astra non esse animata, tanquam dogma eccleſiasticum fidei proximum, frequentissimum inter patres, receptissimum inter scholasticos, jam à nemine, nisi cum gravi temeritatis notâ, non suscipiendum.* Idem fere habet & Thomæ aliorumque testimoniis probat *Espenceus tract. cit.* Confer quæ supra monemus *thesi quinta in fine.* Nierenbergius lib. 2. cap. 9. pag. 22. aliter censet: *Ceterum his non irritantibus, mite judicium de animatione cœlorum tulerunt, multi, & cum Fidei venia & pace. Ego severe jus dicam. Puto istam opinionem oppido alienam doctrinæ & Religioni nostræ. An, quæso, mentes illorum corporum Deo fruuntur? an in via sunt ad delinquendum habiles? an in judicio Christi comparebunt vasti illi rei? Tum si fruitura Deo sunt, anne transmittenda in empyreum erunt? Cur* Iesus, *qui omnia nobis nota fecit velut amicis, de istis concivibus nostris tacuit? An pro illis mortuus fuit? Cur de illis siluit Moyses, qui tanto apparatu, & occupatione divina, humanam conditionem descripsit? Cœli enim, si animalia sunt ratione prædita, homine nobiliores sunt, nec transcursim & perfunctorie enarratio originis eorum debuit contemni. Cur in secundo & quarto die perfectæ perfectiores creaturæ, cũ processus ab imperfectioribus fuerit? An nobilissima ista corpora propter hominem ignobiliorẽ sunt? nonne rationabilius esset, ignobilem homuncionem propter ipsa? Adhæc, si Dei conspectu fruuntur, quid fecerunt cur deterantur demum, dissolvantur, adurantur in fine sæculi? corpora beatarum animarum, & quæ semper innocentes fuerunt, tam pessime habenda non sunt. At pericula damnant istam opinionem, plurimarum hæresum matricem. Viderint Menandriani, Carpocratiani, Simoniani, Cerinthiani, Archontici, de suis Principibus mundi potestatibus. Ad hæc, quam obnoxia superstitioni licentia Aureoli cœlos permittentis adorari dulia?* Concilium quintum sub Iustiniano inter impietates & hæreses numerat & autori hujus opinionis, Origeni scil., non minus anathema dicit, quã Arrio, Eunomio, Macedonio, Nestorio, Etycheti. Vide *Nicephorum, Callistum lib. 17, histor. eccleſiast. c. 27.*

PRopter affinitatẽ materiæ subjungimus *disp. de Creatione* corollaria quædã impertinentia una cum *disp. de Jubileo* proposita ann. 1642. mense Decembri. Quod qua autoritate & qua occasione factũ sit, & quam mendaciorũ ac calumniarũ tempestatem inde nonnulli in hanc Academiam, præcipuè & nominatim in me tunc ejus Rectorem concitarint, disces ex publicâ Academiæ apologia, cui tit. *Testimonium Academiæ Ultrajectinæ, & Narratio Historica qua defensæ, qua exterminatæ novæ Philosophiæ* &c. & ex libello Belgico, qui continet *inchoatũ processum Nobiliss. & Ampliss. Senatus Ultrajectini contra Renatum des Cartes, ejusq; libellos famosos.*

COROL-

COROLLARIA.

Ventilanda 18. & rursum 24. Decembris, horis & loco solitis.

I. ASsertio παραδοξολόγου *Taurelli in Triumpho philosophiæ*, in præmissis axiom. D. 4. & D. 5. quam ex illo adoptare voluit *David Gorlæus in Exercit. Philosophicis Exerc. 14. p. 267.* qua statuitur, *hominem ex anima & corpore compositum esse ens & unum per accidens, non vero per se*: absurda est & multis modis impingit.

II. Rotatio terræ diurna & annua (quam nostra ætate Keplerus, aliique nonnulli Mathematici ex oblivionis tenebris eruerunt) veritati divinæ sacris literis revelatæ directè & evidenter repugnat, nec convenit cum rationibus luminis naturalis, quas philosophia hactenus affatim suggessit. Dubia quædam, ut & conjecturæ partim incertę, partim absurdæ, quæ contra afferri solent, nullam solidam philosophiam, in qua mens veritatis avida acquiescat, fundare queunt.

III. Negativa philosophia de substantialibus rerum formis earumque propriis ac specificis facultatibus, seu qualitatibus activis, & consequenter specificis rerum & distinctis naturis, (quam *Taurellus, Gorlæus, Bassonis* in scenam nostra hac ætate reducere conati) non satis cum physica Mosaica & sacra hactenus nobis conciliari posse videtur. Consulant studiosi nostri *Danæum, Zanchium, commentatores in Genesin, & Scholasticos ad Lombardum & Thom. Deinde* quidquid sit de summa rei, quam philosophorum disquisitioni relinquimus, hoc unum saltē hypomnema studiosis nostris subjicimus: Achillei argumenti istius, quo formas explodere conantur, consequentiam suspectam habeant; quæ hęc est, negatur essentia & existentia formarum, quia earum origo, seu modus originis incertus est aut explicari non potest, sic ut patroni formarum & sibi & aliis in eo satisfaciant. Hoc periculoso axiomate semel hausto proclive erit vanitati, scepticismo & petulantiæ humani ingenii, disputare, non dari animam rationalem, nec generationem & conceptionem hominis in utero matris, nec ventum, nec lumen, nec processionem divinarum personarum, nec assumtionem carnis & unionem hypostaticam in Christo nec peccatum originale, nec miracula, nec prophetias, nec illapsus Dei in mentem & voluntatem hominis, nec regenerationem hominis per gratiam Dei, nec energemata dæmonum intra corpus hominis aut circa ejus mentem, &c. quod modus originis istorum teste experientia, & scriptura de nonnullis (*Psal. 139. Eccles. 1. Iohan. 3. &c.*) sic explicari nequeat,

ut doctissimi non cogantur doctam ignorantiam profiteri, & mentes eorum quiescere, si non evidentia veritatis inspectę, saltem altitudine veritatis occultæ.

Epimetra Respondentis pro philosophia Theologiæ antillante.

1. AMbiguum admodum est dicere: Mechanicam esse fundamentum physicæ. Si quis explicet de physica mundi cœlestis, putamus esse absurdum; sin vero intelligatur universam rerum naturã & opificium Dei mensurandum & exigendum esse ad opera artis humanę, aut ad libellam Archimedis & Vitruvii, putamus esse Pythagoricum & sine rationibus dictatum; ex solo illo principio deductum, αὐτὸς ἔφα.

2. Periculose à Scholasticis plerisque disputatur, creaturam aliquam posse esse æternam ab ante.

3. Non datur anima mundi Platonica, sive quæcunque alia substantia incorporea viva & vivifica; nec cœli sunt animati.

4. Plures mundos, Galilæi mundum in luna, ad petulantium ingeniorum lusus relegamus.

5. Mentem humanam Platonis, quæ sit homo, & quæ inhabitet σῶμα tanquam σῆμα, fere comparandam putamus cum duplici homine Paracelsi.

6. Vniversalis omnium hominum intellectus Averrõis, nec cum philosophia; nec cum Deo ipsius Aristotele, nec cum propheta ipsius Mahumedo, aut Mahumedistica religione convenit.

7. Si detur dæmonem aut angelum animalia sive perfecta sive imperfecta producere, an illa ab aliis animalibus toto genere seu essentia distinguerentur tanquam supernaturalia? *Negatur.*

APPENDIX

Ad Corollaria Præcidentia.

Ad disputandum proposita Die 23. & 24. Decembris hora Nona. 1641.

PRÆFATIVNCVLA

Ad doctiss. expertiss. Medicinæ & Philosophiæ Professores Academicos, reliquosque in hac inclyta Republ. Vltrajectina Medicos, & Philosophos.

VIri Clarissimi, factum est in nupera disputatione nostra, ut doctiss. & ornatiss D. opponens, qui vestro & omnium auditorum judicio in palæstra Medica & philosophica nunquam non omne punctum tulit, mihi ab initio

ntio nihil tale ad evitandã πολυπραγμοσύνης suspicionem cogitanti, gratissimã occasionẽ daret in capitalẽ quæstionẽ de formis substantialibus excurrendi; quam alioquin ad vestrum forum ablegaram: quòd libens faterer vestram esse philosophiam (nominatim, physicam) & κλήσει & χρήσει; Theologos necessario & sobrio usu ut plurimum posse esse contentos. Hæc quia bonâ cum venia vestra ita evenere, non potui non telam exorsam pertexere & paulò latiorem disputandi campum Gymnasiis nostris aperire, indicatis rationibus, dubiis, & hypothesibus nonnullis, quæ hactenus à fastidiosa formarum cum suis appendicibus, negatione, qualecunque judicium meum abduxerunt. Non statui falcem immittere in vestram messem, aut carpere moderatam ac philosophicam libertatem de quæstionibus ejusmodi accuratiùs, ac vulgò fieri solet, disquirendi; quam vos admittitis, modò summa rei, & tota schola philosophica non tollatur: Hoc tantũ ago, ut ostendam me quæcunq; potui, vestra & vestri ordinis prædecessorum ingeniosè inventa, solerter observata, subtiliter dijudicata, rationibus suffulta libenter pro modulo meo ac ratione temporis & didicisse hactenus, & etiamnum subinde discere γεράσκοντα ἀεὶ πολλὰ διδασκόμενον; atque ita vobis sapientiæ naturalis mystis jure meritoque applaudere velle; ubi vero non datur ultra prodire, vobiscum in docta ignorantia acquiescere. Addere quidem possem, me nihil ἀτόπως commissurum, si adolescentes vix elementis philosophiæ imbutos hac ratione moneam, ne tam facile absque evidenti & valida demonstrationum evictione, omnem scholarum philosophiam exsibilent, antequam terminos ejus intellexerint: atque ita, ubi ad studia facultatum superiorum se applicuerint necessario præsidio destituti, cogantur autores omnes sine fructu legere, lectiones & disputationes tanquã κῶφα πρόσωπα, aut statuæ Dedaleæ audire: quippe incocta condimentis ignotæ ipsis philosophiæ. Sed præstat nunc manum de tabula. Suffecerit, ad commune veritatis depositum, in quo & vestræ & omnes aliæ disciplinæ communi vinculo cum Theologia sociatæ conspirant, hoc qualecunque æreolum nostrum contulisse. Valete & de Academia, quod facitis, bene mereri pergite.

De rerum naturis & formis substantialibus.

NOn ingerimus hæc studiosis, ut omnes nunc stante pede formas cum appendicibus suis necessario credant, aut pro iis mordicus contendant, sed ut saltem tantisper ἐπέχωσι à peremtoria sententia ejusque executione, qua misera & innoxia entia de antiqua sua possessione deturbentur; donec scholarum philosophiam, nominatim logicam, metaphysicam, physicam, si non 1.

accuratiſſimè,ſaltem mediocriter perdidicerint,& paucula hæc,quæ ſubjicimus hypomnemata ſolide determinata, inq; iis ſibi ſatisfactum viderint. Vtcumq; tandem judicarint, operam non luſerimus, ſi eos è feroce contemtu & fuga ſtudii philoſophici,inſuper ab idiotica ruſtica & ſuperba ignorātia interea temporis revocaverimus,ut ſaltem de iis alibi diſſentientibus aliquando dici poſſit illud jactatum apud Arabes: *Sapiens cum errat, errore erudito errat.* Sunt autem hypomnemata noſtra triplicia, 1. Præjudicia quædam,quæ diſceptantibus ſuggero. 2. Rationes pro formis,quæ perſpicuè ſolvendæ. 3. Rationes contra formas & pro Vicariis illis accidentibus, quas recentiores quidam formis ſubſtitutas velint,quæ convenienter & dubia quæ cum principiis, & conſectariis ſuis defendenda.

2. Primi generis hypomnemata ſunt 1. Cõſiderent,an ſibi ſatisfaciant incõciliatione hujus opinionis cum ſacra ſcriptura. Verum enim vero cõſonat: Et millies doctam ignorantiam profitebuntur philoſophi Chriſtiani,quam ut vel minima ſpecie præjudicium adferant veritati divinę. Vide *Gen.* 1. 11. 21. 22. 24. 25. *Proverb.* 30. 24. 25. 26. 25. Vbi permanentes naturas,facultates, & ſpecies rerum diſtinctas innui putamus. 11. Videndum, an non ab opinione negante, ſaltem facilior quam ab affirmante eſſet prolapſus in dubitationem; An ullæ ſint formæ ſubſtantiales, quæ corpus hominis actuent, & unum compoſitum cum eo conſtituant? Quod ſi quis hoc neget, & Galeni κρᾶσιν, aut particulam divinæ auræ ſeu animæ mundi,aut univerſalem intellectum Averroîs, aut Platonis mentem,tanquam παρέδρον genium in ergaſterium corporis detruſum eique alligatum, ut Promotheus Caucaſo, ſi quis dico tale quid ſubſtituat; quibus rationibus illum felicius & tutius retunderes, quam aſſertores formarum. 111. Videndum, quomodo ſtante hac opinione, commode explicari ac defendi poſſit diſtinctio inter entitatem ſubſtantiæ & accidentis. Nulla enim, juxta ipſos, haberi poſſet differentia ſubſtantialis inter lupum, ovem,balenam,elephantẽ, ſerpentem, lapidem, napellum, aconitum,triticum,ſolem, lunam,terram; adde & horologium, ligneum equum Trojanum, Phalaridis bovem æneum, volantem columbam Archytæ, caput æneum Sylveſtri Papæ, ſtatuam loquentem Alberti M. domum, ſellam, veſtem &c. Sed regerent forte ſubſtantias illas eſſentialiter differre per quinque illa accidentia motum, quietem, poſituram, figuram, quantitatem. *Reſp.* Dato hoc ita eſſe (de quo nunc non diſputamus) difficultas tamen hoc effugio non tollitur. Manet nihilominus, Subſtantias à ſubſtantiis aliter non diſtingui quam accidentia à ſubſtantiis & accidentia inter ſe, illa enim & iſta accidentibus diſtinguuntur. 1v. Videndum an non hinc proclivior prolapſus, cum quis rationibus

&

& consequentiis urgetur, in absurdam hanc opinionem : Non da-
„ri causas secundas propria causalitate prędditas, sed tantum causam pri-
„mam ac universalem agere ad præsentiam, & dispositionem causa-
„rum secundarum. Absurdum hujus opinionis vide commonstratum à Scholasticis, & recentioribus metaphysicis ac theologis, in loco de Providentia, de concursu Dei cum creaturis. Consequentię, quibus urgeri possent, sint istæ. 1. Non dari Dei concursum, nec motionem primi motoris accommodatam ad naturas & proprietates causarum secundarum, sive illæ necessariæ sint, sive contingentes. 2. Non esse in substantiis creatis motorem intrinsecum, & principium substantiale motus internum ac proprium : nam dispositio mobilis ad motum à quantitate, figura, positura non est activitas aut causalitas causæ efficientis, sed tantum conditio requisita, & causa sine qua non. 3. consequenter, cum nullum mobile potentia possit se actu movere aut ad motum determinare ; relinquitur quærendus aliquis motor externus, qui potentiam deducat in actum. Quem autem hic dabunt ? animam mundi Platonico-Virgilanam, aut intelligentias, aut Deum, aut atomos, aut globulos cœlestes. Aliquid hic dicendum erit. v. Videndum ne negatio qualitatum propriarum, quæ internè emanant ex forma & substantia rei (quarum negatio ad formarum negationem sequitur, haut aliter ac vara vibiam tra-
„hit) in hæc absurda nos adigat. 1. Substantias creatas esse immediatum
„suæ operationis principium ; cum nullę sint qualitates activæ, quibus mediantibus operantur substantiæ : quod vide excussum à metaphysicis, & Theologis, cum agunt de simplicitate Dei, deque distinctione attributorum divinorum. 2. Nullas esse omnino qualitates, ut nec secundę, aut tertiæ, ita nec primæ speciei; hoc est, nullos esse habitus: contra communem Philosophorum & Theologorum scholam. Velim videre quomodo ii, qui negant facultates seu potentias naturales, contra Atheos, Scepticos, infideles vindicaturi sint habitus (quorum necessitatem scriptura & ratio suadet) ne pariter in pentagonum illud ergasterium Motus, quietis, quantitatis, posituræ, figurę compingantur. VI. Ex hac opinione sequitur, nullas dari definitiones substantiarum : cum non dentur formæ, aut propria prima & interna essentialia, unde differentia desumi possit. Quod quam sapiat logicorum filiis cujuscunque sectæ, omnibusque ingeniis acroamaticis, & quarumcumq; disciplinarum professoribus,
„ipsi viderint. VII. Sequitur & hoc absurdum: Omnes substantias cre-
„atas, ipsum etiam hominem (& quid ni angelos & animas separatas ?)
„esse entia per accidens, collectiva, aggregata: non vero essentias seu naturas unas per se. Ita ut nulla essentia videatur esse per se ; nisi forte ato-

tomi, aut globuli ætherii, aut particulæ insensibiles, aut ideæ Platonicæ (quas ille vocabat αὐτοάνθρωπον, αὐτοίππον &c.) aut chimæræ bombinantes in vacuo &c. Hominem autem debere dici ens & unum per se, infra docebimus. VIII. Sequeretur facultates proprias, & intrinsecas earumq; principia in animalibus, alterius generis nulla esse, quam in automatis, aut statuis Dedaleis, & consequenter opificia Dei & naturę per creationem aut generationem producta, essentialiter & univoce eadem esse cum operibus artis: quod quomodo cum *Ps.* 104.29. & 7.14. 15. *Num.* 16. 22. & 27.16. *Hebr.* 11.9.10. *Hab.* 2.19. satis cõveniat, fateor me nõdum videre. IX. Sequeretur nullam esse generationem aut corruptionem rerum naturalium. Sed de hoc *Thesi* 4. X. Cum quantitati & figurę tribuitur efficientia & motus, qui formis earumque qualitatibus activis tribui solet; videndum ne aliquando adolescentes imprudenter per consequentiam admittãt axioma illud Magicum ab omni theologia & philosophia Christia-
„na hactenus rejectum, Quantitatis & figuræ aliqua est efficacia, eaq; aut
„per se aut cum aliis concurrit tanquam activum transmutationis princi-
„pium. XI. Dubium hoc solvendum: Quomodo non sit processus in infinitum, aut circularis demonstratio fere similis demonstrationi quam prætẽdit decantata fides carbonaria Pontificiorum? Vt tantundẽ faciat ad illud: Quare movetur ex.gr. terra *R.* quia sic movent ejus situs, positura, figura; & quare illa ita movent, & unde hoc est, an ab atomis, an à globulis ętheriis &c. Quod si ais, rursum, quęro, mundus ille atomorum, aut globulorum, quomodo movetur, & quare? Tantundem auferes; itq reditq; viã. XII. Opprobrium de hac opinione quasi omniscia tollendum, quod illi
„imponitur: Quod multo minus quam sententia opposita, immo nihil
„explicet aut solide demõstret in naturæ arcanis. In genere quidem & indefinitè dicit esse effectus naturales à quinquercione illo accidentium, quod Chorebus quisque unius atque alterius horulæ spatio doceri posset: sed nec in specie nec in individuo determinatè explicat aut probat, de rebus & motibus cœlestibus, de iis quæ in visceribus terræ, in fundo maris, in internis corporum motibus, de iis, inquam, quæ hactenus alios naturæ indagatores latuerunt. Sed de hoc sequenti *Thesi* 4.

3. Rationes, quæ à formarum assertoribus adferri solent primum pernoscendæ, deinde perspicuè & solidè solvendæ. Hunc in finem accuratè legendus est junioribus aliquis ex recentioribus disputatoribus physicis aut metaphysicis; quales *Zwarez*, *Pererius*, *Ruvius*, *Toletus*, *Conimbricenses*, *Complutenses*, *Arriaga*, *Mendoza*, *&c.* Ex omnibus pleniſſime & subtiliſſime hanc causam agit *Zwarez*. Nos in præsentiarum has tres rationes defendemus. *Prima* ratio sumpta est ab actionibus pro-

propriis rerum naturalium, quæ promanant quæque ex ſuis diſtinctis perfectionibus & qualitatibus: Illæ autem perfectiones aliquam naturam ſubſtantiamque perficiunt. Hinc infertur in quolibet compoſito dari principium unum & radicem omnium potentiarum & operationum : quod non eſt materia, (quæ communis;) nec accidentia, quæ non poſſunt eſſe ultimatum principium, relinquitur ergo, nihil aliud eſſe quàm formam. *Secunda* ratio : Datur aliqua prima radix, primuſque conceptus cujuſque entitatis, ex. gr. humanitatis, equinitatis &c. quæ cõſtituat rem in proprio eſſe & ab aliis eſſentialiter diſtinguat : Atqui illa non eſt materia, quippe communis, nec accidentia aliqua, quia non poſſunt componere aut conſtituere ſubſtantiam, eique dare entitatem: Ergo eſt illud quod formam, εἶδος, τὸ ἓν εἶναι, ἐντελέχειαν, perfecti habeam, naturam κατ' ἐξοχὴν (quippe actuantem & informantem materiam & cum ea conſtituantem compoſitum) appellamus. *Tertia* ratio : Ex corruptione ſubſtantiali hoc colligimus. Aufertur eſſentia hominis, equi, canis, &c. ita ut ſecundum ſcripturam & naturalem rationẽ dicantur non eſſe. Sed hic materia, non deſiit eſſe, quippe in ingenerabilis & incorruptibilis : ergo forma; quo factũ ut diſſolveretur compoſitum, & fieret *non-ens*, hoc ſcil., puta, equus, canis &c. Quod ſi quis dicat per interitum ſolam fieri accidentium mutationem : regerimus, tum hominem, leonem, canem &c. mortuum, accidentaliter differre & non ſubſtantialiter à vivo; non magis quam Socrates ægrotus differt à ſano, ſedens à ſtante, doctus ab indocto, ſenex à puero. Alias objectiones, quas *Baſſonis lib.* 3. opponit coram in diſputatione diluemus.

4. Rationes, quæ contra formas adduci ſolent, philoſophice ita demonſtrentur neceſſe eſt, ut intellectum veritatis avidum cogant, & quieſcere faciant. Quod hactenus nequaquam factum, nos nunc pro virili defendemus. 1. Ratio, & quidem palmaria ac Achillea eſt : quia ortus, ſeu modus originis formarum non poteſt explicari, aut ita demonſtrari, ut difficultas nulla ſuperſit. *Reſp.* reſponſionem noſtram ad hujus argumenti majorem ejuſque conſequentiam, quam in corollario innuimus, non repeto, ſed rurſum defendendam ſumo : addita hac cautela, ſi adoleſcentes imprudentiores illa chorda oberrare non deſinant, & tam ruinoſo, ac putrido tibicine ſubverſionem & ſubſannationem totius ſanæ ſobriæque philoſophiæ fulcire : eo tandem per ſolidas conſequentias adigendos eſſe, ut fiant aut beſtiæ aut athei. Sed vide *corollarium noſtrum*. Fuiſſe autem hoc negantis ſententiæ argumentum Achilleum, conſtat ex *Gorlæo Exercit* 14 *p.* 267. & *Baſſone lib.* 1. *Intent.* 3. & 4. ubi ex hoc argumento præmiſſo concludit *p.* 159. *linea* 3. *p.* 161. coll, cum *indice*, *in voce forma*, nullas

las esse formas substantivas, & antiquos facile potuisse ostendere, quomodo, à quo, & ex quo fiant formę; dixerunt enim animam formamque cujusque rei esse instrumentum, & consistere in certa rei partium compositione & proportione. Porro de difficultatibus & multiplici disquisitione Philosophorum, ut explicent modum originis formarum, consulendi præter *Basonem lib. 3. loc. cit.* imprimis *Sennertus Hypomnem. physicor. 1. cap. 3. & Zwarez disp. metaph. 15.* *Secunda* ratio est quam innuit *Gorlæus*: Entia non esse multiplicanda absque necessitate, cum effectus rerum naturalium per alia principia sufficienter explicari, & ad ea reduci possint. Sed principia illa non uno modo explicant. Aliter enim veteres, quos laudat *Bassonis* & refutat *Aristotel. l. 2.* Ἀκροαζ. aliter recentiores: quamvis plæreque sententiæ in uno aliquo communi conveniant, quo negato aut refutato & ipsę concidunt. Nos rancidas & explosas jampridem tum veterum tum recentium Paracelsistarum, Hermeticorū opiniones (quas frustra *Dornavius* cum sacris literis conciliare conatus est) nunc non refodiemus: sed solummodo demōstrari petimus eam, quæ hodie aut heri emersit statuentem à quantitate, figura, situ seu positura, motu, quiete, omnia derivari, omniaque arcana naturæ optime per ea explicari ac demonstrari posse: quod nos negamus. Rationes adferuntur istæ. *Prima*, ut horologium movetur sola dispositione partium suarum, per quantitatem, figuram &c. sic & res naturales: Sed verum prius: Ergo & posterius. Negavimus majorem & minorem. Ad probationem minoris atque alias insuper instantias diximus, horologium bene dispositum & aptatum, actu tamen non moveri sine externo movente, manu scil, hominis, aut vicaria ejus, ponderis depressione ac tractione: quomodo clavicimbalum, cythara, testudo optimè ad cantum disposita & aptata, actu non canit sine accidente externo motore, manu scil. artificis; ut & molæ optime dispositæ actu non molunt sine externo impulsu aut tractione aquæ, venti, equi aut asini &c. Addimus nunc hydraulica organa aut clavicimbala sine motu aut pulsu aquæ in tubulis subterraneis actu non sonare; nec tamen aquam illam dici posse partem organi, nedum motorem ejus internum. *Secunda* ratio: Quia cor animalis movetur sola dispositione partium R. moveri ab anima seu forma informante, mediantibus qualitatibus tanquam principiis *quo*, aliisque instrumentis ad motum animalem requisitis. *Instantia*: atqui potest imminui cordis motus immo plane cessare aut tolli, etiā vivente animali, ergo nō est ab anima: siquidem enim ab anima esset, utique præsente anima illa, præsens esset motus. *Resp. Negatur majoris consequentia.* Ratiocinatio est ab anima rationali, & tamen ab infante recens nato abest illa, quamvis non absit anima rationalis. Sic dato motum cordis

dis ceſſare in vivente animali, non tamen inde ſequitur, animam ſeu formā non eſſe principium iſtius motus. Quod enim motus aut imminuitur aut ceſſat, illud eſt ab organis & ab impedita facultate. *Inſtantia.* 2. Si forma illa eſſet principium motus, & uteretur ad illud qualitatibus & inſtrumentis, tum ſequeretur formam illam uti ratione ſeu ratiocinari *Reſp. Neg. conſequentia* : quia formæ per facultates naturales operantur ſine ratiocinatione ; ſic animalia inſtinctu naturali, immo & vegetabilia noxia fugiunt, convenientia ſibi proſequuntur ; ſic ex. gr. hirundo abſque uſu rationis chelidonia adhibita ſanat oculos pullorum, & ſtomachus noſter, jecur &c. concoquunt, nec ſunt ſubjecta directioni rationis. Addimus lapidem cadere deorſum, aſtra oriri, omnia denique naturalia motus ſuos peragere abſque ratione : ſic enim creata ſunt à Deo, & ſecundum impreſſas ſibi facultates ad fines ſuos tendunt, haut aliter ac ſagitta ad ſcopum. Vide Metaphyſicos diſputantes de cauſa finali. Ad minorem ſyllogiſmi reſponſum eſt, De imminutione motus cordis concedi, eam accidere, ſed tum nullam ſpeciem conſequentiæ eſſe, ſiquidem imminutus motus etiam ſit motus. Totalem ceſſationem motus non concedi, ſed deferri hoc ad experientiam Medicorum. Quis autem hoc expertus ſit, non patere : Et quid ? ſi quis nullum ejus motum aliquando extrinſecus percipiat, ideo non eſt dicendum, nullum intus aut exterius eſſe motum, Facile enim regeri poſſe, motum eſſe inſenſibilem, prout de ſyſtole in pulſu quidam ſtatuunt. Atque hæ quidem rationes hactenus ventilatæ. Eædem ut de novo tanto melius urgeantur, & aliæ deinceps adjiciantur, appendicem hanc conſcripſimus.

Conſectarii loco adjicimus aliquid de qualitatibus omnibus occultis : 5. Non eſſe temere rejiciendam ſententiam philoſophorum & medicorum. 1. *Quia* melius convenit cum docta ignorantia (de qua aliquando, ſi Deus volet, ex profeſſo agemus :) quam ſententia oppoſita, quæ panſophiam, & quidem abſque difficultate, ſpirare & promittere videtur ; Quod non poteſt non eſſe ſuſpectum. Videantur interim dicta ſcripturæ *Iobi* 38. & 39. & 26. & 42. *Eccleſ.* 1. *Pſ.* 29. 11 *Quia* occultæ qualitates, quas ſagaces naturæ indagatores ipſis objecerunt explicandas, nondum ab illis explicatæ ſunt. Vide quæſo *Sennertum de conſenſu Chymicor. cum Ariſtotel. c.* 8. imprimis *Hypomnem Phyſ.* 2. Et ſi quas tentent explicare (quod tamen raro fit) *rationes adferunt ineptas & ridiculas, aut ea negant quæ etiam experientia confirmata ſunt*, ut ibid. loquitur eruditiſſimus Sennertus. Quamvis autem noſtri fori propriè non ſint, tamē quia ſyrma conſequentiarum nimis dilatant ad exploſionem totius Philoſophiæ : nos pro modulo & exercitii gratia nunc defendemus, venena, hydrophobiam, peſtis

contagium, immo ne magnetem quidem ab ipsis explicari posse per motum, quietem, situm, quantitatem, figuram.

Probl. Cur homines quidam præsentia felium (quam ipsi ignorant) ita afficiantur, ut pene syncopen patiantur, alii, si inscii particula casei vescantur, ita commoveantur, ut inde nonnunquam gravem & periculosum morbum sibi contrahant?

6. Addimus verbulum de omni motu locali circulari, de agitatione partium insensibilium, de globulis ætheriis, de crassiori mundi parte in variarum figurarum particulas distributa, quæ à subtilioribus elementis circumrapiatur in gyrum & in cometarum ac planetarum globos variè pro partium suarum diversitate à sole distantes, compingatur; & si quæ similia; posse ea audiri tanquam ingeniosas conjecturas, aut nova inventa; non autem recipi pro solida & probata philosophia, ut ita instar Glauci Homerici temere mutemus χρύσεα χαλκείων, nisi ab *autore Dioptræ Gallicæ*, qui novam philosophiam promittere videtur, aut quibuscunque aliis ἀνδράσι ἀληθεῦσι longe evidentius demonstrentur, quam formæ, & facultates rerum tum manifestæ tum occultæ aliaque scholarum philosophemata hactenus à patronis suis demonstrata sunt. Meminerint autem φιλομαθεῖς hanc demonstrationem fieri debere aut sensui nostro per μαθηλοδείξιν, aut rationi per solidas argumentationes: quas paulo evidentiores esse velimus, quam illa, quibus *Renatus de Cartes in Methodo sua pag.* 34.35.36. demonstrat esse Deum: *Cogito*: inquit, *ergo sum.* &c. De quo ex professo erudit. *Mersennus aliique Parisienses tract.* nuper edito; & nos forte alias.

7. In Corollar. 1. dixeram opinionem *Taurelli* & *Gorlæi* de homine ente per accidens, multis modis impingere. Argumentum, quo moventur tale est. Duo entia seu substantiæ completæ faciunt unum per accidens & non per se: sed corpus & anima hominis sunt duæ substantiæ completæ? Ergo. *Resp. Major* non est universaliter vera; & *minor negatur.* Quod coram in ipsa disputatione ut pluribus & usq; ad extremū ventiletur, cursim nunc indicamus istas hypotheses 1. Hominē esse speciem substantię & animalis unā inunam esentiam seu naturam ex anima & corpore creatam, innui putamus *Gen.* 3.*v.*7. 1 *Cor.* 15.45. coll. cum *Gen.* 1.26.27. 11. Christus θεάνθρωπος (in quo duæ naturæ seu substantiæ completæ) est unum per se & non per accidens: facta est enim unio naturarum in unum suppositum ὑποστατικῶς. Vide Theologos de persona Christi. Multo magis ergo substantialiter & per se facta est unio inter animam & corpus hominis, quippe quæ tam longe non distant, nec tam sunt completæ substantiæ, ac divinitas & humanitas. 111. Christi humana natura vera non esset magis

gis ſubſtantia una per ſe,quam eadem mortua;nec in vivẽte magis fuiſset ſubſtantialis unio animæ & corporis,quam in mortuo; quod videtur abſurdum. IV. Subjectum adæquatum & totale virtutis & peccati,& conſequenter præmii & pœnæ non eſset compoſitum & ſuppoſitum humanum ſecundum animam & corpus, corpus ſecundum omnes corporeas facultates & partes;ſed tantum Mens ſeu anima hominis, niſi forte excipiatur glandula pinealis, quod facultas animalis & mens humana illi proprius & magis immediate videatur aſſiſtere & cum ea conjungi aut in ea habitare. Vide 1.*Cor.*5.5.*&* 7.34.*&* 6.19.20.1.*Theſ.*5.23.*Rom.*6.12.13. V. Non tã cõmode refutari poſsent Sociniani;qui negant corpus eſse partem eſsentialem hominis, aut cum anima conſtituere ſubſtantiã & ſuppoſitum humanum,conſequenter idem numero corpus non eſſe reſuſcitandum. De quo Antagoniſtę Socinianorum,& nos in prælectionibus locorum cõmunium. VI. Sequeretur angelum,Dæmonem in corpore energumeni,(imprimis ſi aſſiſtat glandulæ pineali,aut illã præ aliis partibus corporis energemate ſuo inſideat)non magis aut minus eſſe unum,quam animã exiſtentem in corpore: idem enim utrobique eſſet genus & modus unionis,ſcilicet per accidens; nec hic magis quam illic eſſet unio ſubſtantialis aut una ſubſtantia ſeu natura. VII. Idem ſequeretur de anima ſeparata,ſi quidem alteri homini, aut corpori alicui humano aſſiſteret. VIII. Quia ex hypotheſi *Taurelli & Gorlæi* (quibus omne compoſitum eſt ens per accidens, & ſolum ſimplex ens per ſe)per conſequentiam educi poſſet, etiam angelos & animas ſeparatas eſſe entia per accidens, quippe realiter compoſita ex duobus entibus completis, ſubjecto ſcilicet & accidente. Breviter in tota rerum natura nullas eſſe ſubſtantias aut naturas, quæ ſint unum per ſe,niſi forte excipiant atomos,aut ideas,aut quinteſſentias,aut ſimilia. IX. Impingit etiam hæc opinio in plurima dogmata metaphyſica, ut partim autores ejus concedunt, partim per conſequentias illas imponi poteſt. Ex pluribus propter temporis anguſtiam iſta nunc indicamus. 1. De ente, eſſentia & exiſtentia, natura & ſuppoſito. 2. De uno, unione compoſito, toto, deque per ſe & per accidens. 3. De principiis & cauſis, nominatim de cauſa univoca & æquivoca, de principio interno & externo, de forma informante & aſſiſtente. 4. De diſtinctione ſubſtantiali, & accidentali, de diſtinctione rei naturalis ab artificiali, de diſtinctione monſtri (quod qua tale eſt ens per accidens) à natura humana debite ſecundum leges naturæ conſtituta. 5. Quod homo non ſit ſubſtantia nec directe pertineat ad prædicamentum ſubſtantiæ: ſed tantum indirecte, & per accidens eo referatur, quippe ens per accidens & collectivum. 6. Quod unus homo non magis ſit unum per ſe, quam exerci-

tus, civitas &c. ubi homines multi collective. 7. Quod consequenter homo essentiali & perfecta definitione non possit definiri. 8. Quod materia & forma compositi sint propriè materia, & forma ejus sit unio, hoc est accidens, seu purus modus, relatio scilicet. Vide *Gorlæum Exercit.* 14. *p.* 266. 9. Quod unio humanæ animæ cum ejus corpore, sit quærenda in mero accidente aliquo ex illis quinque, & quidem in situ seu positura: ut quidam videntur concedere. 10. Quod corpus non sit natura hominis, sed tantum ejus instrumentum, per quod anima in corpore existens operatur.

8. In Corollar. 2. Diurnam rotationem terræ, quam contra *Keplerum*, *Galileum*, aliosque neotericos nonnullos astronomos excussam vide apud *Alexandrum Rosseum in libello contra Lansbergium & Carpentarium*; imprimis apud *Froymundum in Ant-Aristarcho*, & *ejusdem Apologia*; diximus repugnare & veritati divinæ sacris literis revelatæ, & rationibus naturalibus. *Priorem* classem argumentorum constituemus nunc *Iosuæ* 10. *vers.* 12. 13. 14. *Ecclesiast.* 1. *vers.* 4. 5. 6. 7. *Psalm.* 19. *vers.* 5. 6. 7. Defendemus ergo exceptiones ad hęc loca quæ apud *Lansbergium*, *Keplerum*, & *Foscarinum* (qui omnium acutissime & uberrime hoc egit, ut videre est in ipsius *epistola* Lugd. Batavorum anno 1635. una cum *Galileo de systemate mundi* edita) occurrunt, esse infirmas, atheologas, periculosas & nimis leviter in sacris ludentes ac luxuriantes, contra *Rom.* 12. *vers.* 2. *Iesa.* 66. *vers.* 2. Vt antehac ostendimus in *Thersite nostro Heautontim.* *Posteriorem* classem argumentorum instructam vide apud *Froymundum.* Nos ex ea, has decerpimus 1. Pondus non relapsurum ad perpendiculum in eandem terrę partem: quod *Aristoteles* objecit 2. *de cœlo c.* 13. idem dicimus de pondere ex altissima turri, quod non ad ejus pedem, sed procul inde ad partem occidentalem casurum esset; quod objiciunt *Tycho*, *Thomas Fienus*, *Froymundus*. Sed fortius stringet de globo ex majori tormento bellico versus palum aut arborem à septentrione in meridiem, aut vice versa emisso. Si ergo sagitta recta sursum per axem horizontis emissa, non rediret in idem terræ punctum, sed fere quatuor miliaribus Germanicis (secundum calculum *Tychonis in epist. ad Rothmannum*) inde versus occidentem relapsura esset, si modo unicum horæ minutum itione & reditione consumeret; quanto magis id fiet in globo ferreo. Exceptiones, quæ adferri solent de terræ vi magnetica, de aëris rotatione, absurdum hoc sanare non possunt, immo absurdiora ei, & absurdissima addunt. Et ut præstructim verbulo replicem. Quomodo ergo globus ab occidente versus orientem emissus majori velocitate non fertur, quam ab oriente versus occidentem? Immo quomodo potest globus ab oriente versus occiden-

cidentem ex tormento exire & curſum ſuum conficere, ut non retineatur & retro rapiatur ab aêre. II. Ædificia, & terra, ſaltem ſuperiores ejus partes, item maria, flumina, tam rapida circumgiratione (quæ ſingulis horis abſolvit 225 miliaria Germanica) diſſilirent. III. Mare faciens unum globum cum terra & ab occidente verſus orientem fluens, navigationem celeriorem efficeret: ſed contrarium experientia nautarum Luſitanorum Affirmant *Conimbricenſes in Meteorologicis.* Argumenta pro motu terræ ex ſcriptura quidem & Phyſica ridicula ſunt: ex hypotheſibus & obſervationibus Aſtronomicis incertæ conjecturæ ſunt aut entia rationis, aut imaginaria: ut oſtenſum ſatis ab autoribus modo cit. Palmarium quod habet *I. Lanſb.*, quomodo concludat vide apud *Froymundum in Apologia p.* 106. & 117. *Ad alterum* palmarium, quod habet *Galileus*, de motu Martis & planetarum circa ſolem tanquam centrum, in ipſa diſputatione reſpondebimus.

Epimetri loco ſint hęc hypomnemata de inventione, conſtitutione & augmento ſcientiarum, I. Bene inventis & bene conſtitutis nolle uti, frui: ſed ea per ſe aut alia ipſorum loco velle de novo invenire eſt multiplicare entia abſque neceſſitate, & ingenio ac eruditioni injuriam facere: *cum ars ſit longa, vita brevis, experientia fallax.* II. Studioſi in Academico curſu non tam obſervationibus & experientiis occupantur, quam inventorum perceptione & impreſſione: Et ſic cum *Ariſtotele Metaph. I. cap. I.* ſtudioſum doctum & non expertum præferrem indocto, & experto. Si tamen experientiæ πάρεργον, doctrinæ ἔργον jungi poſſit (quod hic fit) utique feliciſſimam illam Academiam judicavero. III. Fallax & inutilis eſt illa methodus inveniendi & conſtituendi ſcientias, ut quis 1. omnes univerſales experientias, omnia inventa, omnia dogmata tot ſęculis ab univerſo ſapientum choro, per novas atque iteratas experientias, per ſubtiliſſimas argumentorum reciprocationes examinata & probata, dediſcat, obliviſcatur, abjiciat, & quaſi ejuret: ſpe ſcil: novæ & melioris Philoſophiæ à ſe aut aliis inveniendæ. 2. Vni aut alteri experientiæ circa unam rem aut circa unius rei unum effectum naturalem, perpetuo inhæreat, & tantillam particulam pro genuina Philoſophia venditet: ſuſque deque habita omni Philoſophia & experientia communi, ſaltem longe frequentiori quam ſua, & quidem circa omnes aut pleraſque res naturales. 3. Tam infelices ſæpe conſequentias anguſtæ experientiæ illi ſuperſtruat, & incerta, lubrica, non ſatis probata principia, axiomata, definitiones, & demonſtrationes inde fabricare cogatur, aut vadimonium deſerere. 9.

Quantum eſt quod neſcimus.

DE HIERARCHIA COELESTI, ET ANGELIS TUTELARIBUS.

Resp. IOHANNI PASCHASIO Amisfurtensi. *Ad diem* 30. *Mart.* 1639.

De Angelis in genere, & de bonis in specie, multa disquiri solent à vulgatis Theſium & locorum communium Scriptoribus. Nos iis nunc post habitis (quia alia magis urgent) duas quæſtiones ſolummodo in præſentiarum de Hierarchiis, & angelis tutelaribus *ventilabimus. Reliqua qui deſiderat, is adeat locorum communium ſcriptores, &* Zwarez lib. 8. de Angelis, reliquoſque ſcholaſticos ad 1. Thomæ, *ſed cum judicio legendos*; *Et* Ioh. Gulielm. Stuckium de angelis angelicoque præſidio, Caſmanni angelographiã. *Adde* Stephani Clotz tractatum de Angelolatria, *ubi controverſiam de cultu angelorum c. Pontificios plene pertractat*; *Et* Voſſium lib. 1. de Idololatr. à c. 6. uſque ad 10.

1. AD prioris quæſtionis intelligentiam præmittimus iſtas concluſiones 1. *Concl.* nullam certam rationem eſſe cur angeli ſint dicendi ſpecie differre: quidquid hic diſputent *Scholaſtici ad Thomam p.* 1. *qu.* 50. *art.* 4. *& ſententiarii ad* 2. *diſt.* 3. 2. *Concl.* Conſequenter imparitatem eorum in naturali dignitate non conſtituendam. Pelbartus Themeſvar in aureo roſario theologiæ lib. 2. in voce *angelus* III. 37, poſt recenſitas ſcholaſticorum opiniones, magis ſobriè ſic determinat: *Sed an de facto ſint in una ſpecie angelica plura individua? Reſp. ſecundum* Scotum *ſimul &* Gulielmum *ac* Bonaventuram *è* diſt. 3. part. 1. art. 2. q. 1. *colligendo, quod quamvis de hoc certam ſcientiã non habeamus: tamen habemus probabilem ſententiã quia ex quo nobis non innoteſcit vel apparet per ſcripturam nec per dicta ſanctorum, nec per officia vel per operationes angelorum tanta in eis diſtinctio ut quilibet angelus ſpecifice diſtinguatur ab alio, præſumptuoſum eſt ergo hoc dicere. Eſt ergo poſitio ſobria & catholica quod in angelis eſt etiam ponere diſtinctionem perſonalem tantum vel numeralem ſub eadem ſpecie: aut in omnibus: aut ſaltem in aliquibus.* III. *Concl.* Non ita certo ut dogma fidei determinari poſſe, an angeli officiis & gradibus diſtinguantur: affirmantem tamen maxime eſſe probabilem ex *Coloſſ.* 1. 16. *Epheſ.* 1. 21. coll. cum 1 *Theſſal.* 4. 16. IV. *Concl.* Nullo modo ſciri poſſe aut inveſtigari debere, quomodo officiis diſtinguantur, 1. an ſcil. relate ad homines tantum, an vero etiam ſuperioritate & ſubjectione inter ſe. 2. rurſum, an officiis cuique peculiariter aſſignatis, an vero promiſcue pro re nata & Dei imperio

rio modo huic modo illi impositis. Hic docta ignorantia locum habet. Contra Pontificii temere & indocte admodum determinant sequentia theoremata, quibus multa consectaria ἀθεολόγως superstruunt, de quibus infra. I. Esse novem ordines seu choros angelorum. Quod probant partim ex *Coloss.* 1 & *Ephes.* 1. partim ex novem istorum nominum explicatione aliisque argumentis infra recensendis. II. Ordines illos distinctos esse in tres classes, seu terniones, (ex superstitiosa imitatione trinitatis in Deo) quos *hierarchias* vocant. III. Hierarchias illas officiis distingui, ut prima seu suprema immediatè Deum & divina cognoscat, & sequentem doceat & hæc rursum tertiam. Quod probant ex *Ies.*6.3.& 63.12.*Zachar.*1.13.& 2.*vers.*5.6.*Hezek.*9.4.5.*Daniel.*8.16. *Ps.* 24.6. IV. Eadem dignitate & gradibus sic distingui, ut prima secundæ, & secunda tertiæ imperet. V. Præterea primam assistere tantum, non ministrare; Mediam (excepto ordine *dominationum*) & infimam ministrare, hoc est hominum hierarchiis imperare, præcepta Dei à superioribus accepta annuntiare aut exequi. VI. Infimum ordinem (*angelos* scil.) tantum deputari ad singulorum hominum custodiam particularem: de quo postea. VII. Hinc hierarchiæ definitionem recentiores talem ex pseudo-Dionysio cap. 3. constituunt: quod sit, *sacer ordo, scientia, & actio, quæ ad divinitatis similitudinem, quoad ejus fieri potest, accedit, & proportione illustrationum quæ ei divinitus data sunt, ad Dei intentionem traducitur.* Sic *Vasquez in Thomæ* 1.*disp.*224. Gabriel in 2.dist.9. antehac sic definierat: *Hierarchia creata est sacra quædum potestas, plures continens ordines, communicans inferioribus determinato ordine quod à prima potestate divina susceptit.* Distinguitur ipsis in universum hierarchia secundum triplicem substantiam intellectualem, divinam, angelicam, & humanam, in *supercœlestem*, quæ est Trinitatis, *cœlestem*, quæ est angelorum; *ecclesiasticam*, quæ est hominum. Cœlestis dividitur in *eparchiam*, seu supremam; *mesarchiam* seu mediam; *hyparchiam*, seu infimam. *Proprietates* quibus distinguuntur, sunt ordo, scientia, operatio. *Actus* hierarchici sunt tres, purgare, illuminare, perficere: qui in substracto supponunt pro eodem scil. inductione scientiæ; in connotato vero sic differunt, ut *illuminatio* notet objecti manifestationem; purgatio præcedentis ignorantiæ remotionem, *perfectio* subjecti elevationem & melioratione. Suprema purgatur, illuminatur, perficitur à supercœlesti seu divina; media à suprema, & simul purgat, illuminat, perficit infimam; infima purgatur &c. à media, & purgat &c. hierachiam humanam. *Ordo* in genere definitur ex Lombardo *multitudo cœlestium spirituum, qui inter se aliquo munere gratiæ similantur, sicut in naturali donorum participatione conveniunt.* Quam definitionem vide declaratam apud *Gabrielem ad* 2. *dist.*9.

dist.9.qu.1. Speciales ordinum singulorum proprietates, officia & consequenter definitiones ex notatione vocum sic elicit dictus Dionysius, *Seraphim*, qui præ reliquis caritate præditi sunt. *Cherubim*, qui multitudine cognitionis. *Throni*, qui quasi θεοφόροι sunt, & Deum insidentem capiunt. *Dominationes*, qui à subjectione soluti veræ dominationis cupiditate flagrant, & ad veram ejus similitudinem se & reliquos sequentes se formant. Aliter tamen *Gregor M.* & *Bernardus*, *Virtutes* δυνάμεις qui invictam fortitudinem ad divina omnia obeunda habent, & virtutem inferioribus conferunt. Aliter *Gregor. M. Potestates*, qui habent liberam in rebus divinis dispositionem, & in ea servanda aliis præeunt. *Principatus* qui principatum obtinent, seu qui archangelis & angelis præ sunt; ut quidem vult interpres Dionysii *Pachymerius*. *Archangeli*, qui angelis præsunt. *Angeli*, qui hominum hierarchiis imperant. Et sic communiter fere de angelis philosophantur, seu potius fabulantur *Scholastici ad 2.dist.9. & 11. & ad 1.qu.108. & 112.113.* Et cum illis commentatores ad loca scripturæ infra citanda, præsertim ad *Ephes.1. & Coloss.1.* Ex philosophis *Franc. Patricius in Panarchia.* Ex Polemicis cum contentione defendunt illa *Bayllius in Catechesi part.2.qu.45. Coccius in Thesauro Catholico tom. 1. lib. 3.* Quibus præivit *Pseudo-Dionysius*, cum suis interpretibus, commentatoribus, & vindicibus, Interpretes sunt *Ioh. Erygena* Scotus, *Ambrosius Orator* monachus Camaldulensis, *Joh. Sarracenus*, *Ioachimus Perionus*. Commentatores sunt, ex Græcis *Maximus* & *Pachymerius*, ex latinis *Hugo de sancto-Victore*, *Albertus Magnus*, *Dionys. Carthusianus*; quibus jungi possunt *Vercellensis*, qui extractiones fecit; & *Ambr. Orator* ac *Faber Stapulensis* qui scholia adjecerunt. Vindices sunt, *Baronius ad Annum* 109. *Possevinus in apparatu sacro*, *in voce Dionysius Areopagita. Bellarminus in scriptor. Eccles. Martinus Delrio disquis. Magicar, lib.6.* & peculiari quodam libello contra Scaligerum qui tit. *Vindiciæ Areopagiticæ*, denique *Matthæus Galenus* peculiari tract. cui tit. *Areopagitica.* Confer infra *thesin 4. object. 4. in fine.* Præter Pseudo-Dionysianas speculationes, nonnulla de hierarchiis occurrunt apud *Greg. Magnum homil. 34. in Euangelia*, & *lib. 32. in Iobum c. 24.* sed quæ ab Areopagiticis nonnihil dissentiunt. Hinc est quod tum Scholastici tum recentiores in explicandis hierarchiis non usque quaque conveniant. De *Ignatio*, aliisque patribus, quos citat *Coccius*, infra dicemus.

Hierarchiæ

Hierarchiæ tres.	Prima	Seraphim	1.	Chori sive Ordines novem.
		Cherubim	2.	
		Throni	3.	
	Media	Dominationes	4.	
		Virtutes	5.	
		Potestates	6.	
	Infima	Principatus	7.	
		Archangeli	8.	
		Angeli.	9.	

Audiamus nunc rationes, quibus commentum hoc refutetur. 1. Quia non potest sciri per lumen & rationem naturalem, nec per scripturam. Prius ipsi adversarii agnoscunt: & *Zwarez disput. Metaphy.* 35, *sect.* 3. enumerans attributa angelica naturaliter scibilia, hierarchiæ & ordinum non meminit. Posterius constat ex inspectione omnium scripturæ textuum, quæ à *Dionysio* & sectatoribus ejus adferri solent. Non est ergo hic sapiendum supra id quod scriptum est, præsertim cum *Coloss.* 2. 18. de angelis dicatur ἃ μὴ ἑώρακεν ἐμβατεύων. 11. Quia fundamento hujus speculationis sublato, cadit tota. Fundamentum est discrimen nominum, unde distinctio & definitiones ordinum desumuntur. Atqui præter novem illa nomina, occurrunt adhuc alia, *Filii Dei* Iob. 1. & 2. *Stellæ matutinæ* Iob. 31. 7. (quod de angelis exponi ab omnibus Græcis & Latinis, ut & Chaldæo & 70. gr. agnoscit *Pineda in commentar.*) *Dii* Ps. 8. 6. & 97. 7. *Vigiles* Daniel 4. 15. *Exercitus cæli* Luc 2. 13. *Viri* Genes. 18. *Spiritus* Hebr. 1. 7. *Fortes* Ps. 78. 25. *oculi Dei* quæ duo postrema si non solide saltem ad hominem concludere debent: quia scil. plerique patres de angelis accipiunt: Adde *montes*, & *Lapides*: quorum illud ex *Nazianzeni*, istud ex *Hieronymi* in *Ezechiel.* 28. & *Gregor M. lib.* 32 *moral. c.* 25 sententia de angelis explicandum: referente & probante *Ioh. Lud. de la Cerda l. de Excellentia cœlest. spirit. cap.* 30. Ergo deberent adhuc octo aut decem ordines angelorum constitui. Accedit, quod argumenta ex etymologia seu notatione vocum demonstrativè non concludunt (ut norunt tyrones Logici) nisi ipse Deus docuerit. Ne dicam, etymologias aliquot *Dionysii* supra allatas esse ineptas aut incertas. 111. Quia in scriptura non fit mentio archangelorum, sed tantum archangeli: qui proprietatibus scientiæ, actionis, & officii non postponitur *principatibus* (quod est commentum *Dionysii*) sed iis æquatur, ut colligitur ex *Daniel.* 10. 13. coll. cum *Iudæ vers.* 9. 1v. Quia nullæ proprietates ex notatione vocum istarum eruuntur, quæ omnibus angelis non sint communes. Omnes enim cognoscunt Deum, fervent ejus amore, Deus iis insidet tanquam thronis &c. v. Quia repugnat scriptu-

ræ *Hebr.* 1. 14. cum *Psal.* 91. 11. & 34. 7.) distinctio illa in assistētes & ministrātes; quasi scil. sola infima hierarchia, aut infimus ordo ad ministeria hominū deputentur. Nec valet exceptio per distinctionē ꝑ mediatè & immediate: *tum*, quia ex scriptura nō probatur: *tum* etiā quia angeli parvulorum (qui ipsis sunt angeli custodes, ex infimo sc. ordine) immediate discunt à Deo eique assistunt: *Math.* 18. 10. Quæ ratio valet saltem ad hominem & ex hypothesi communis interpretationis Pontificiorum: quam tamen non ita solidam aut certam esse, infra ostendemus. VI. Quia hæc Platonica & Ethnica magis sunt, quam theologica? Illi enim distinguebant genios suos in supercœlestes, cœlestes, & subcœlestes ut videre est apud *Iamblichum in mysteriis Ægyptiorum p.* 180. Et *Proclum in Alcibiadem Platonis p.* 408. Ex recentioribus conferri possunt *Eugubin. de perenni philos. lib.* 8. *c.* 14. *Patricius loc. cit.* Conferantur & Stoica apud *Lipsium physiol. Stoicæ lib.* 1. *diss.* 18. 19. Et *Vossium lib.* 1. *de Idololatr. cap.* 6. Hos imitati sunt Rabbini & Cabalistæ, qui hos ordines recensent, 1. *Chajot kadosch.* 2. *Ophannim.* 3. *Arelim.* 4. *Chasmalim.* 5. *Seraphim.* 6. *Malachim.* 7. *Elohim.* 8. *Bene elohim.* 9. *Cherubim.* Sub quibus ponunt *Ischim.* Vide hos ordines explicatos apud *Archangelum de Burgo novo commentar. in dogmata Cabalist. p.* 738. Et *Franciscum Georgium tom.* 6. *problem. sacror. sect.* 5. §. 173. ubi eos ex scriptura probare conatur, sed more suo, id est, admodum absurdè & inepte. Similes fere sunt speculationes Gnosticorum & Valentinian. de Æonibus apud *Irenæum*, & Magorum de Intelligentiis apud *Trithemium lib. de septem Intelligentiis*, & *Agrippam loco* infra *cit.* VII. Curiosas & vanas has speculationes condemnant patres *tum* tacite silentio suo (primis enim quadringentis annis de hierarchiis illis altum silentium) *tum* expresse, Iræneus lib. 2. c. 45. ubi promiscue & indistinctè recēset *ăgelos, thronos, dominationes, potestates, innumerabiles.* Nazianz. Orat. de Theol. in fine. *Vides quemadmodū hac in oratione, quâdam velut vertigine correpti hæreamus, neq; progredi ulterius possimus, quã quod esse sciamus quosdam nuncios, & principes nuntios, & thronos, & dominatus, & principatus, & potestates, splendores & gradus & copias mentis vi præditas.* Augustinus enchirid. c. 58. *Quomodo autē se habeat beatissima illa & superna societas, quæ ibi sint differentiæ personarum, ut cum omnes tanquam generali nomine angeli nuncupentur, sicut in epistola ad Hebræos legimus: Cui enim angelorum Deus dixit aliquando, Sede à dextris meis, hoc quippe modo significavit omnes universaliter angelos dici: sint tamen & illic archangeli: & utrum iidem archangeli nominentur virtutes, atque ita dictum sit, Laudate eum omnes angeli ejus, laudate eum omnes virtutes ejus: ac si diceretur, Laudate eum omnes angeli ejus, laudate eum omnes archangeli: & quid inter se distent quatuor illa vocabula, quibus universam ipsam cœlestem societatem videtur Apostolus esse complexus dicendo; Sive sedes, sive dominationes, sive principatus, sive potestates: dicant qui possunt si tamen*

possunt

possunt probare quod dicunt, ego me ista ignorare confiteor. & contra Priscillinistas ad Orosium cap. 11. *Imo vero ne præcipiti suspicione in fabulas sacrilegas irruamus, clamat scriptura divina: Altiora te ne quæsieris, fortiora te ne scrutatus fueris, sed quæ tibi præcepit dominus illa cogita semper, ut magis in istis temeraria præsumptio quã cauta ignoratio culpanda videatur. Certe ait Apostolus: Sive sedes, sive dominationes, sive principatus, sive potestates. Et esse itaque sedes, dominationes, principatus, potestates in cœlestibus apparatibus, firmissime credo, & differre inter se aliquid indubitata fide teneo. Sed quo me contemnas, quem magnum putas esse doctorem, quænam ista sint, & quid inter se differant nescio. Nec ea sane ignorantia periclitari me puto, sicuti in obedientia si domini præcepta neglexero.* (Quamvis *de civit. Dei lib.* 11. *& lib. de Genesi ad literam cap.* 12. copiosius nonnulla tradat; quæ tamen cum placitis Dionysianis & Scholasticis non ita conveniant) Cyrillus Hierosolymit. Catechesi 11. *Cum enim thronos & dominationes, quæ sunt Christi opera: cum & principatus & potestates ignorant, ipsum factorem curiose scrutari aggrediuntur. Dic mihi primum, ô audacule, quid thronus differat a dominatione, & tunc sis curiosus circa Christum: dic mihi, quid sit principatus? quid potestas? quid virtus? quid angelus? & tunc factorem perquire curiose.* Bernardus serm. in Festo Martini (quamvis & hic Dionysianas fabulas à se in nonnullis immutatas sectetur *serm.* 19. *in Cantica.*) *sic sunt cœlestes spiritus & terrestres: nec minor sane distantia inter eos. Angeli, archangeli, virtutes, principatus, potestates, dominationes, throni, cherubim, & seraphim. Bene nomina novi. Forte hoc totum est. Quid enim amplius capiam terrigena de cœlestibus: carnalis homo de spiritualibus & divinis? Veruntamen & si ignoro quid lateat in his tantis appellationibus, illud equidem certissime novi: quod magnum & mirabile aliquid sub hac tanta verborum majestate clausum & signatũ.* His annumera *Theodoretum in Coloss.* 1. & *Ruffinum in expositione symboli,* qui statuunt hæc officiorum nomina relationem habere ad homines. VIII. Nec prætereundum Pontificios neç secum nec cum sociis satis convenire, imprimis admodum eos fluctuare & incertos esse, quod *Gregor. M.* aliter choros ordinet & explicet ac *Dionysius.* Et hinc arbitror *Concilium Tridentinum* nihil contra nostros statuere, aut hæreses circa angelos indicare ausum fuisse. *Bellarminus in controversiis* hujus temporis, hierarchicas omnes præteriit. Becan. disp. de officiis Angelorum c. 1. sect. 8. 11. 12. 13. 16. ingenue fatetur, *incertum esse quænam sit distinctio hierarchiarum: De serie ordinum & dispositione ex Dionysio nihil certi haberi posse. Multo minus posse affirmari, quomodo distinguantur inter se ordines* &c. reliqua quæ in hanc sententiam *loc. cit.* dicuntur, lector ipse legat chartæ enim & formæ Thesium nobis consulendum est. Vasquez ad 1. Thomæ disput. 226. c. 1. *Dionysium hæc non nisi per revelationem discere potuisse, ex Paulo scil. ut ipse testatur c.* 6. subdit Gregorium M. ex aliorum cõmemorationesua scripsisse;

Augustinum ingenue ignorantiam fateri : Causam fuisse, quod libri Dionysii diu suppressi latuerint.

2. Demonstratione nostra defuncti, subjicimus hæc consectaria. Vanitatis & curiositatis argui sequentes disputationes & determinationes, ac sponte sua concidere: 1. Theologiam hanc non esse necessariam, aut de fide, nec ad praxim tam utilem; ut quidem *Coccius in Thesauro* nomine *catholicismi* eam venditat, & *Bayllius* tanquam caput catecheticum proponit *part.2. catechesi qu.45.* & Gabriel Biel ad 2.dist.9.ejus usum ad praxim & devotionem inculcat. *Ex parte hominis congruum fuit & necessarium, ut eum ab invisibili adversario angelus defendat. Quia enim homo non habet tantum colluctationem adversus carnem & sanguinem, sed adversus mundi rectores & adversus spiritualia nequiciæ in cœlestibus ut dicitur Apost.* Ephes.6. *quot sunt hostes invisibiles. debet per oppositum habere invisibiles adjutores ad sui ipsius defensionem. Et quia adversarius undique impugnat nos. Nam rationem seducit per astucias. Voluntatem allicit per blandicias. Virtutes executivas corporales : id est membra ut in obsessis opprimit per violentias. Ideo necesse fuit bonum angelum specialiter ad hoc dari ut hominem defendat ab oppressione. Vt hominem erudiat & dirigat contra fallaciam. Vt hominem exhortetur & concitet ad bonum contra blandicias. Et quia diabolus homine erat fortior & in proposito malicie pertinatior competebat homini ut daretur angelica custodia quæ comprimeret pietantem adversarii in præmissis.* Sic & *Pelbartus Themesvar in Rosario.* Quod idē ex recentioribus facit Ioh. Ludovicus de la Cerda tract.de Excellentia cœlest. Spirituum, ubi c.9 sic loquitur : *Angelorum ordines esse novem certum est.* 11. Vanas & futiles esse disputationes Scholasticorum de angelis supremæ hierarchiæ, an unquam ad homines mittantur: negant id *Dionysius cœlest.hierarchiæ c.13. Gregor.M. lib.17.Moral.c.9. Damascenus lib.2.de fide cap.3. Thomas 1.qu. 112. artic. 2.* quem Scholastici plerique sequuntur ; & ex recentissimis *Hieron. Medices* absolute id negat. Contra affirmant alii, ex quibus *Corn.a Lapide in Daniel.10.& Hebr.1.& Ioh.Lud.de la Cerda cap.4.* operosè illud probant ex *Hebr.1. Gen.3. Iesa 6. Ezechiel.9. Daniel.10.13.& 12.1. Luc.1.19.& 2.13.* coll.cum *ps.97. Matth.25.& 18.10. Apocal.1.4.& 5.6. Tobiæ 12.* ubi angeli Deo astantes nominatim *Cherubim, Seraphim* dicuntur missi fuisse ad Ecclesiam. Addit ibidem patres, *Cyprianum in præfat.ad Cornelium Papam, Origenem in Philocalia c.22. Primasium in Heb.1. Gregorium Nyss.de Vita Moysis, Autorem meditationum sub nomine Augustin.lib.3.c.3. Chrysostomum Orat. in Parascæve, Hieronymum in epist.ad Damasum, Athanasium serm.3.contra Arrianos.* Cum prædictis Theologis Iesuitis faciunt ejusdem Societatis *Becanus in Disput de Officiis angelorum circa homines.* Et *Vasquez ad 1.Disput.* 242. Quibus præiverunt *Durandus* & *Scotus*, qui tamen cum recentioribus nonnullis limitant, mitti eos extraordinario, non vero ordinariò.

Vasquez.

Vasquez quamvis Thomæ rationes omnes refutet, fatetur disp.cit.cap.2. *nullum esse firmum fundamentum in scripturâ aut patribus pro alterutra sententia*. Hinc judicet lector, quam certa sit fides & devotio, praxis & religio Papistica, quæ incertis illis conjecturis & quodlibetis superstruitur. 111. Vanas esse diatribas de distinctione angelorum assistentium & ministrantium, ex *Pseudo Dionysii cap.* 7. Iudæi quatuor faciunt assistentes, Raphael, Gabriel, Vriel, Michael. Vana etiam est distinctio illa, qua se hic expedire student recentiores, Quod assistentia quæ dicit immediatam visionem divinæ essentiæ, omnes sancti angeli Deo assistant, sed quod omnes non assistant assistentia, qua dicit immediatam secretorum Dei revelationem & notitiam. Sic *Hieronymus Medices in explicatione formali summæ Thomæ p.1.q.112.art.3.* IV. Vanas etiam esse speculationes illas de septem angelis coram Deo assistentibus; qui sunt *Principes aulæ cœlestis, Ecclesiarum omnium præsides, Dei administri, hominum mediatores & præpositi*: quorum officia describunt *Pineda de rebus Salomonis lib.5.cap.* 15. *Ioh. Lud. de la Cerda lib.cit.cap.5. Cornelius à Lapide in Apocal.* 1. ubi complures autores citat: Et hamaxis argumentorum (quorum nullum est solidum) speculationem hanc hyper Dionysianam probare satagit, ut scil. ἀγγελοθρησκεια Papistica aliqua ratione palliari possit. Nomina eorum recensent *Serrarius comment.in Tobiæ c.12.v.15.* Michaël, Gabriel, Raphael, Vriel, Sealthiel, Iehudiel, Barachiel. Anxie de nominibus his in Papatu contenditur. *Alii* ea ad Iudaica & Magica commenta referunt, ut revera inde origenem habere constat ex *Agrippa occultæ philosoph.lib.3.c.24. Abbate Trithemio lib.de Septem intelligentiis*, quem posteriorem etiam pro confirmatione sententiæ suæ advocat *Corn.à Lapide loc.cit.* Quin & *Papa Zacharias in Concilio Romano* nomina angelorum (exceptis Michaele, Gabriele, Raphaele) damnavit anno 745. & nomina dæmonum vocavit: Circa quod decretum *Ioh.Lud.de la Cerda cap.4.* & *Delrio disquis.lib.1.c.4.qu.4.* & *Serrarius loc.cit.* admodum sudant ut illud cum suo septem angelorum cultu concilient. *Alii* septem nomina & officia partim ex scriptura, partim ex traditione, autoritate Doctorum, & revelationibus haberi putant. Vide *à Lapide loc.cit.* Alii artificiali quadam methodo & regula Thalmudico-Cabalistica, ex scripturis ea eliciunt & formant. Artem illam ex Iudæis exhibet *Agrip.l. cit.c.25.* quæ gemina fere est lãpadi venatoriæ Pseudo-Dionysii, qua ille in scripturis investigavit suos novem choros. Idem *Agrippa c.26.27.* duas insuper alias methodos indicat. *Alii* eosdem faciunt septem illos assistentes Spiritus cum angelis planetariis, seu intelligentiis orbium motricibus; ut *Trithemius, Agrippa.* Et ex Theologis *Franciscus Georgius problem.sacrorum tom.6.prob.* 186. alii tamen dubitant, inter

quos *Cornel.à Lapide loc.cit.*& *Serrarius in Tobiæ* 12. *Ioh. Lud.de la Cerda c.*4. dicit ſententiam hanc debere merito eſſe ſuſpectam. Quod *Papa Zacharias modo cit.* inter tria nomina, quę excipit, etiam ponit *Raphael*, id ſine judicio factum. Cum ejus nulla alia origo niſi ex fabulis Iudaicis, & *libro Tobiæ* illis fabulis conſperſo. In *Bereſchit Rabba ſect.*48. dicuntur nomina angelorum aſcendiſſe ex Babel, ſcil. Raphael, Michael, Gabriel. IV. Superſtitioſum nō tantum, ſed & ex hypotheſi incertæ fidei Papalis vanum atque incertum eſſe ſpecialem cultum ſeptem angelorum, tanquam præſidum totius mundi, ſpeciatim hominum, qui ſcil. per ſe aut per alios à ſe miſſos defendant nos à ſeptem vitiis capitalibus, hortentur ad contrarias virtutes, obſiſtant tentationibus, occaſiones peccati removeant &c. ut quidem hæc philoſophantur *Serrarius, de la Cerda*, & *à Lapide loc. cit.* Miras & novas fabulas ultima hac mundi ſenecta procudit Papatus de Septangelico regimine & cultu. Panormi in Sicilia 1516. vetuſtæ effigies & adſcripta nomina ſeptem archangelorum repertæ ſunt. Antonio Ducę ſacerdoti anno 1527. revelatum fuit Thermas Diocletiani Romæ eſſe locum ſeptem ſpirituum ante Deum aſtantium: (ſunt autem editæ illæ revelationes Venetiis, & deinde Romæ anno 1555.) hinc factum ut locus ille anno 1551. dedicatus ſit B. Virgini angelorum, hoc eſt, ſtipatæ & circumdatæ ſeptem angelis. Anno 1555. alia viſione ſignificatum eſt eidem ſacerdoti Thermas illas ad honorem ſeptem angelorum in templum conſecrandas. Quare Pius IV. curavit templum illic ædificari idque μετὰ πόλλης φαντασίας dedicavit, anno 1561. & titulo Cardinalitio ornavit. Idem templum poſtea novis privilegiis & ornamentis illuſtrarunt Pius V. & Gregorius XIII. Ab illo tempore per invocationem horum ſeptem angelorum, qui coluntur ad S. Mariæ angelorum, multi energumeni liberati dicuntur: ſi qua fides *Chronico dicti templi*, & Ieſuitæ *Corn. à Lapide*, qui illud legit. Conferri poſſunt *Victorellus de Miniſteriis angelorum c.*21. *Anton. Spinellus tract. de Feſtis & Templis Deiparæ, Pancirolus in Theſauris Romæ abſconditis c. de S. Maria angelorum & libellus de* 7. *angelis* Neapoli editus anno 1594. Vt autem ſcias quam firmum hujus templi & cultus ſeptem angelorum ſit fundamentum, referunt *Chronica ejuſdem templi* & *Chronica ordinis S. Franciſci part.*4. *l.*6. *c.* 30. B. Amadæo ann. 1460. nomina eorum ſupra à nobis recenſita fuiſſe revelata, ſed notat *Corn. à Lapide* præter hanc revelationem, ibidē haberi & multas alias partim paradoxas partim ad Scotiſticam Theologiam efformatas, ut non ſine causâ (inquit *A Lapide*) vir gravis dixerit: *Angelus B. Amadæi fuit Scotiſta.* Et hæ quidem ac ſimiles revelationes fundant celebres devotiones angelicales in Sicilia, Neapoli, Romæ, & per totam Italiam: ut & ſodalitium

tium Imperatorium ſeptem angelis Panormi inſtitutum: inſuper deciſiones Doctorum, qui ſeptem hæc nomina approbant, quales *Alcazar, Galatinus in Apocal. Salmeron tom. 3. c. 3. Maſſellius l. 3. de B. virgine c. 5. Spinellus, Victorellus*, aliique jam citati. De Exorciſmis & benedictionibus per ſeptem hæc nomina *in diſp. de Magia, de Superſtitione*, de *Exorciſmo*, de *Benedictionibus*, & de *Antidoto Peſtis* proprie agendum. Quod ad cultum angelorum ſive in univerſum ſive ſecundum hierarchiarum & ordinum proprietates conſideratorum attinet (quem ex profeſſo buccinant *Drexelius, de la Cerda*, & ſimiles practici jam cit.) is examinatur *cap. de Idololatria* & ex profeſſo à *Stephano Clotz* theologo Argentinenſi *tract. de Angelolatria*. Ad cultum refer Templa Angelis dedicata (de quibus *la Cerda c. 49.*) & Feſta, de quibus in *Diſp. de Feſtis*. v. Futilem & vaniſſimam eſſe diſquiſitionem, an ſeptem illi principes ſint ex ordine Seraphim an ex ordine Principatuum &c. Vide Andabatarum inſtar digladiantes *Salmeronem, Vaſquez, Serrarium loc. cit.* & *Corn. à Lapide in Ezech. 1.* & *Danielis 7. Apocal. 1.* qui poſtremus tamen rei difficultate, & contradictionibus victus fatetur, non conſtare. Poſt illum tamen *Ioh. de la Cerda libro cit. c. 5.* ſtatuit, omnino eſſe ex Seraphinis. Nec mirum cum ibidem etiam determinare auſit non tantum contra judicium *Rangolii in lib. 1. Regum c. 20.* & *Baronii tom. 9. an. 745. n. 3.* ſed & ipſius Papæ Zachariæ ac Concilii Romani, *videtur*, inquit, *Concilium damnare voluiſſe hos poſteriores angelos* (inter quos *Vriel*) *in odium Adelbrechti hæretici, quamvis alioquin Vrielis ſit mentio apud Catholicos in bono & catholico ſenſu*, & adducit ibid. *Eſdræ lib. 4. Iſidor. lib. 7. etymol. c. 5. Miſſam Æthiopum tom. 4. biblioth. patrum fol. 120. Ambroſ. lib. 3. de Fide ad Gratian. c. 2.* VI. Non minus futilem eſſe diſputationem de quatuor Cherubim *Ezech. 1.* An quia curæ ſublunarium competat quaternarius, an ſint quatuor ordines angelorum, qui præſint orbi & eccleſiæ, an ſint quatuor principes, conſiliarii, & quaſi præfecti Dei *Michael, Gabriel, Raphael, Vriel*: quod poſtremum tanquam maxime literale & genuinum probant *Pineda de rebus Salom. lib. 5. c. 4. Alcazar in Apoc. 4. Corn. à Lapide in Ezech. 1.* habentur enim hæc quatuor nomina in *Miſſa Æthiopum*, & reperta ſunt in ſepulcro Mariæ conjugis Honorii Imper. inſcripta laminæ aureæ, teſte *Marliano in topograph. urbis Romæ l. 5. c. 21.* VII. Incerta & vana eſſe theologemata de angelo Mich. & Raph. & cultum Papalem iis ſuperſtructum. De illo vide *A Lapide* & *Lorini commentar. in epiſtolam Iudæ*. De iſto audi Ludovicum Balleſter, in Onomatographia in voce Raphael: *Hinc ergo canit in ſancti Michaelis laudum hymno Eccleſia*,

O Chriſte,

Ange-

Angelum nobis medicum salutis
Mitte de cœlis Raphael, ut omnes,
Sanet ægrotos, pariterque nostros
Dirigat actus.

Apud *S. Augustinum serm. 226. ait ipse Raphael*: Ego sum minister curationis, Deus est auctor sanitatis. *De Raphaele duas refert opiniones* magister sententiarum lib. 2. dist. 10. *unam, esse ipsum ex ordinibus altioribus: alteram ex infimo, & hanc sequitur* eo loco D. Thomas *dicens Michaelem ex ordine Principum esse, Gabrielem ex Archangelorum, Raphaelem ex Angelorum. Non defuit qui scriberet proprium & tutelarem Tobiæ Angelum fuisse Raphaelem, alii docuerunt è virtutum ordine. sane proprium Tobiæ, vel etiam Saræ custodem non fuisse perspicuum videtur, quod ipsi Tobiæ, vel Saræ antea non adesset, sed ad eos missus tunc fuerit, cum preces ambo suas Domino fudissent, &* cap. 12. *non se tutelarem eorum Angelum ait, sed unum è septem, qui astant ante Dominum: ordinis vero cujusnam sit, minus explanatè est significatum. Archangelum tamen fuisse probabilissimum est, é septem illis qui ante Deum astant, unus fuit. Deinde in eadem sententia videntur veteres: Nam lib. de promissionibus parte 2. cap. 39. S. Prosper*, Raphael, *inquit*, Archangelus missus à Deo, non tantum captivis solatia, quantum etiam beneficia cœlestia orantibus ministravit. *Similiter Archangelum eum vocat D. Severius Episcopus Minoricensis in Epistola de Iudæorum conversione, quæ Domini an.* 118. *apud Cardinalem* Baronium tom. 5. annalium *legi potest. Vocat etiam* D. Isodorus originum l. 7. c. 4. *Raphaelem Archangelum. Æthiopica quoque Missa sicut Michaelem & Gabrielem, ita & Raphaelem è majoribus splendidioribusque Angelis unum constituit. Hoc quoque* Septuaginta *interpretes significant, dum eum non simpliciter Angelum Raphaelem, sed magnum Angelum appellant, sicque ex Angelis præcipuum faciunt.* VIII. Inepta esse & ἀθεολογα quæcunque de Principe angelorum Lucifero ex *Iesa* 14. *& Io.* 41. tum *Scholastici ad Thomæ* 1. *qu.* 63. 7. tum commentatores Pontificii *ad loc. cit.* vulgo ineptire solent. IX. Atq; una corruere, quidquid inquirunt de angelis ex quaque hierarchia apostatantibus; & de hierarchiis atq; ordinibus diabolorum: quod attigimus in *Disp. de dæmonib.* X. Curiosa & incerta plane esse philosophemata, de generibus angelorum, an scil. sint plura intermedia, an vero unum tantum genus proximum: quæ vide apud *Scholast. ad* 1. *qu.* 50. *a.* 4. & *Zwarez disput. Metaph.* 35. *sect.* 3. *n.* 43. 44. XI. Vanam itidem & hanc quæstionem, Vtrum ordines mansuri sint post diem judicii: de qua *ad* 1. *qu.* 108. *art.* 7. XII. Incertum esse, quidquid determinatur, de illuminatione & purgatione ab ignorantia, quam superiores angeli dicuntur præstare inferioribus: de quo *ad* 2. *dist.* 9. *&* 11. *& ad* 1. *Thomæ quæst.* 109. ex recentioribus operosè

rosè *Vasquez. disp.* 216. & 217. XIII. Vanam esse disceptationem, An angeli superiores intelligant per species magis universales, quam inferiores; de quo *ad* 1. *qu.* 55. *art.* 3. XIV. Vt & illam, an distinctio ordinum & hierarchiarum sit à natura, *ad qu.* 108. *art.* 4. XV. Vanissimam, & absurdissimam simul, Vtrum homines ita possint mereri, ut assumantur ad ordines angelorum; *ad qu. eandem art.* XVI. Frustra & inepte ex hierarchica hac Theologia demonstrationem aut imitationem hierarchiæ ecclesiasticæ & monârchiæ Papalis deduci, ut & septem diaconos & septem cardinales: De primo vide solide disputantem *Chamierum tom.* 2. *l.* 9. *c.* 11. De secundo agendum in controversia de æqualitate ministrorum, & de Episcopatu. De tertio nugatur *A Lapide in Apoc.* 1. quæ indicasse est refutasse.

Objectiones adversariorum in ipsa disputatione diluemus, hic 4. solummodo in gratiam opponentium eas indicamus 1. *Object.* est ex *Coloss.* 1. & *Ephes.* 1. coll. cum *Ezechiel.* 22. *Iesai.* 6. 1. *Thess.* 4. *Genes.* 3. *Judæ v.* 9. ubi reliqua nomina occurrunt: quod est argumentum Pseudo-Areopagitę sectatoribus commune. Variæ quidem loci ad *Coloss.* 1. & *Ephes.* 1. interpretationes adferuntur, quos hic non examinabimus. Vide *commentar. Gomari & Davenantii in epistol. ad Colossenses.* Nos saltem indefinite aliquam angelorum distinctionem ibi agnoscimus, *tum* propter particulam disjunctivam εἴτε; *tum* quod principum *Daniel.* 10. 21. & archangeli 1 *Thessal.* 4. 16. *Judæ v.* 9. mentionem fieri videmus. Sed negamus definite ex locis illis sciri posse, qualis, & quanta sit illa differentia. II. *Obj.* Addit *Bayllius in catechesi part.* 2. *qu.* 45. locum *Matth.* 11. *v.* 11. *Coccius* 1 *Petr.* 3. 22. & sub eodem titulo: *Asserunt sacræ literæ*, comprehendit citationes Liturgiarum Petri, Marci, Iacobi. Quam inepta, immo quam impostoria hæc theologiæ methodus. III. *Obj.* Rationes & congruentias satis ficulneas adferunt *Scholastici ad* 2. *dist.* 9. inter alios Gabriel: quarum hæc una est: Sumitur distinctio hierarchiarum secundum proprietates, quas ponit *Dionysius*, quæ sunt scientia, ordo, actio. Vel aliter accipitur hęc distinctio & clarius secundum tres status & officia, quæ sunt status contemplativorum, & activorum. Thomas in scripto secundo super 2. dist. 9. art. 1. ingeniose quidem, sed absque scripturis excogitavit sufficientiam hujus distributionis. Qui uno modo generali participant divina, sunt unius hierarchiæ. *Iam vero prima*, inquit, *hierarchia percipit divina mysteria quæ ad ministerium angelorum spectant, in ipso suo fonte hoc est, Deo: & propter hoc ejus ordines nominantur in respectu ad Deum.* Secunda *percipit divina mysteria in quibusdam rationibus universalibus: quare & ordines ejus exprimunt potestatem non limitatam.* Tertia *percipit ea in rationibus specialibus: unde ejus ordines habent potestatem limitatam ad hominem, vel Provinciam.* Distinctionem

ctionem ordinum ibidem deducit ex diversis actibus. *Primo*, Quia tres respectus rationalis creaturæ ad Deum, 1. inhabitari ab eo per gratiam. 2. ferri in ipsum per cognitionē. 3. ferri in ipsum per amorem: hinc *throni*, *cherubim*, *seraphim*. *Deinde* quia tria requiruntur ad aliquem, qui habet potestatem generalem regendi aliquam multitudinem 1. in operando disponere. 2. imperium per robur potestatis munire. 3. Exequi quę ad officium regiminis pertinent: Hinc *dominationes*, *virtutes*, *potestates*. *Denique* quia actus sunt 1 vel super unam gentem. 2. vel super unum hominem, de his quæ pertinent ad gentem. 3. vel super unum hominem, de his quæ spectant ad eum singulariter: & hinc *principatus*, *archangeli*, *angeli*. Sed ut ut ingeniosè hæc proponantur, de iis tamen dicendum est, illud philosophorum Scholasticorum: *Sufficientias plerunque esse insufficientes*. 1v. *Obj.* Ex autoritate *Dionysii in cœlest. hierarchia cap.* 6. 7. 10. quem fingunt ex Paulo mysteria illa didicisse. Sed Pseudo-Dionysius ille quisquis est, à nostris (nominatim *Illyrico in catalogo testium veritatis lib.* 1. *Beza in Actor.* 17. *Scaligero de Emendatione temporum lib.* 6. *pag.* 539. sed imprimis & plene à *Riveto in Critico sacro*, & *à Coco in censura patrum*); & ante ipsos ab *Erasmo in responso ad Censuras Parisienses tit.* 31. *p.* 181. *Cajetano*, item & *Valla ad Actor.* 17. satis detectus est; non est quod hic actum agam. Consulantur ipsi *autores modo cit.* Aut si quis compendio studeat, solus *Rivetus*. Sane siquidem Dionysius audivisset à Paulo (quod audacter affirmat *Corn. à Lapide in Ephes.* 1.) ea quæ audiverat & viderat raptus in tertium cœlum 2. *Corint.* 12. mirandum sane esset. 1. *Paulum* ea non potuisse scribere aut eloqui. 2. *immo* & prohibuisse *Coloss.* 2 3. *tam* multa vana, falsa, scripturis & veritati historicæ repugnantia doctrinæ Paulinæ intertexuisse, quæ à cit. censoribus notata vide. 4. denique eo stylo fuisse usum, qui cum Pauli scriptis tam bene convenit: ac stylus Pindari, aut Aristotelis, in libris physicæ ἀκροάσεως & organo logico. *Deinde*, Dionysius non est scriptor θεόπνευστος, nec eum Paulo aut apostolis quisquam Pontificiorum ausus fuit æquiparare. *Tertio*, ipse dictus *Dionysius* non credidit à Paulo se hæc didicisse: alioquin in scripturæ interpretatione non fluctuasset, (ut *cap.* 6.) nec Timotheo libertatem dissentiendi reliquisset; quod facit cap. 13. *Quæ tibi*, inquit, *itidem trado. Tuæ jam erit spiritualis discretæque scientiæ, aut altera ex his causis omni ambiguitatis absolvi scrupulo, eamque alteri honorem præferre, ut quæ consentanea ratione ac fortassis veritate subnixa sit, aut abs se ipso aliquid invenire; sive ab alio discere, quod sit integerrimæ veritati propinquius &c.* Librum de divinis nominibus simili epilogo exornat: *Porro si hæc aut minus recte, aut minus plene diximus, & à veritate seu in toto seu in parte aberravimus &c.* *Quarto*, Dato non concesso esse genuinum illum Areopagitam hujus doctrinæ autorem,

rem, non magis tamen ei credendum esset quam Papiæ, qui ex institutione & traditione apostolica putabatur hausisse opinionem chiliasticam, de quo vide nostram *Disp. de Regno millenario.* *Quinto* : ne ipsi quidem Pontificii in Dionysii autoritate acquiescunt: qui in explicatione ordinum eo posthabito adhærent Gregorio Magno : imprimis opinionem ejus de non missione primæ hierarchiæ ad homines ex scriptura & patribus refellunt : ut videre est apud *Vasquez*, *A Lapide*, *de la Cerda*, *aliosque supra cit. Martinus Delrio* peculiari *libello contra Scaligerum tit. Vindiciæ Areopagiticæ*, & in *disquis. Magicis lib. 6. cap. 2. sub finem* acriter pro hoc Dionysio contendit, & testes producit, qui Areopagitā operis hierarchici autorem agnoscant, *B. Maximum*, *Georgium Pachymerium*, *Ioh. Syneopolitanum*, *Mich. Syngellum*, *Photium* & Theodorum presbyterum apud *Photium in bibliothec.* qui libro peculiari hierarchicum hoc scriptum Areopagitæ vindicare voluit, *Andream Cretensem*, *Iohannem Damascenum*, *Suidam*, *Anastasium Sinaitam*, *Anastasium Nicenum*, *Anastasium bibliothecarium*, *Liberatum in breviario*, *Billium Prumeum lib. 1. sacrar. observat.*, *Hilduinum Francum*, *Gregorium Magnum*, *Martinum Papam & Martyrem*, *Agathonem.* Sed quam facile esset delectu instituto, plerosque ab antiquitate, alios ab autoritate ecclesiastica, etiam in Ecclesia Romana. & consequenter a testimonio dicendo removere. *Deinde* verbis singulorum inspectis & examinatis, quidam ex siculneis & vanis suis ratiunculis sive conjecturis deprehenderentur testes nimis creduli, & consequenter nimis leves. *Denique* videndum esset an antiquiores *Chrysostomus*, *Nazianzenus*, *Dionysius Corinthius*, qui à recentioribus illis testibus dicuntur agnovisse hæc scripta Dionysii, aut ex iis multa desumsisse, eadem hæc scripta, quæ hodie exstant, intellexerint ; & specialiter omnes illos σεσφιζμενους μυθους de hierarchia cœlesti. Ne quid dicam, de antiquorum patrum silentio & dubitatione, circa dictam hierarchiam, uti supra *thesi* 1. *sub finem* ostendi. Sed nil opus operosè nugas illas consectari : Dionysii scripta inter canonica aut autenthica hactenus referre non audent; aut sententiam ejus tanquam de fide aut necessarium & cōmune dogma ecclesiasticum determinare ac sancire. v. *Obj.* Ex autoritate *Ignatii epistolæ ad Trallianos*. Sed de *epistolis Ignatii* quid statuendum sit, docuerunt modo nobis laudati *Cocus* & *Rivetus* & nuperrime *Iacobus Usserius* vastę lectionis & eruditionis theologus inque antiquitate ecclesiastica versatissimus, in nova editione *epistolarum Ignatii* an. 1644. ubi in prolegomenis *cap.* 3. & 15. invictis argumentis & ipsorum adversariorum testimoniis ostendit epistolas illas in multis fuisse corruptas & quidem ab homine hæretico. Idem notat locum hunc pro hierarchia citatum, Inde ἡ ζωὴ τῶν ἀγγέλων usque ἣν μαθητὴς εἰμι, non exstare in antiquo codice Anglicano, qui peculiarem versionem latinam

epistolarum Ignatii continet. Insuper observat in *annotationibus suis ad epistol. cit. p.* 23. Ignatii propositionem juxta versiones, Morellii & Verlenii esse negantem, non verò affirmantem. Sic enim Morellius; *Nam & ego non quemadmodum vinctus sum, ita cœlestia intelligere possum.* Et Verlenius: *Etenim & ego, non quatenus vinctus sum, etiam cœlestia intelligere possim.* Et Petrus Halloixius apolog. pro scriptis Ignatii cap. 2. *Ex innata sibi humilitate dixisset, se non perinde ac vinciri potuit, etiam posse intelligere cœlestia: quemadmodum apostoli videlicet, quibus utrumque contigit; ut & ipsi à tyrannis vincirentur, & intelligerent. Illud enim* τῷ δύναμαι *significat, etiam possum, ita possum. Qui sensus est facillimus, maximeque obvius, & modestiæ sanctissimi martyris longe convenientissimus. Alioquin non reperitur, quo illa negationis particula* οὐ *referatur.* Adde quod occurratur in hoc interpolato textu Ignatii æones, (αἰώνων τε μεγαλότητας, i. *æonum magnificentias*), quod nec scripturam, nec antiquitatem ecclesiasticam sapit, sed hæretica deliria Gnosticorum & Valentini. De quibus vide *Irenæum*, *Tertullianum*, & *Augustinum in libro de hæresibus.* Hoc argumento inter alia assumentum hoc interpolatoris *epistolæ ad Trallianos*, ante annos aliquot convincebat *Nic. Vedelius Exercit.* 8. *ad epistol. cit.* Concludimus ergo, audacem Pontificiorum mythologiam hierarchicam, Ignatii autoritate stabiliri minime posse: cum ipse *Ignatius ibidem loc. cit.* neget se cœlestia illa de ordinibus angelorum intelligere posse, cumque ea ibidem explicuerit. VI. *Object.* Ex *Clementis constitut. lib.* 8. *c.* 12. *Resp.* Sed notha esse illa scripta Clementis à nostris (*Riveto* & *Coco*) jam satis probatum, accedente propria adversariorum confessione. Nuperrimè ostensum ab *Vsserio in proleg. ad epistolas Ignatii capp.* 10. 11. 12. 13. 14. ab eodem interpolatore & Clementina & Ignatiana corrupta esse. VII. *Object.* Ex *Gregorio M. libr.* 32. *in Iobum c.* 25. qui ex *Ezech.* 28. 13. & *Ephes.* 1. & dicto *Dionysio* argumentantur. *Resp.* quia pseudographemata ipsius manifestè redarguuntur facile constat quanti hic valere debeat ipsius autoritas. Adde quod Pontificii eam non sequantur, ut supra dictum. VIII. *Object. in Thesauro catholico* Addit *Coccius Irenæum*, *Hippolytum*, *Clementem Alexandr.* aliosque magno numero: sed quorum pars ne γρῦ quidem habeant de angelographia Areopagitica; alii patrum nomine ne in Papatu quidem veniunt, quales ex. gr. *Lombardus*, *Otho Frisingensis*, *Cæsarius Heisterbachus*, *Bernardus Senensis*, *Turrecremata*, *Henr. Gorrichemius &c.* IX. *Object.* Specialiter appendicem illam, de septem angelis Principibus, qui tanquam universaliores rerum mundanarum administratores sint qui tamen mittantur nonnunquam ad universaliora negotia: probant à *Lapide in Apocalyps.* 1. & *de la Cerda lib. cit. c.* 5. *Primo*, ex scripturæ testimoniis, *Apocal.* 1.

coll.

1.coll. cum 5.& 8.15.& 16.& 17. ex *Zachar.*3.& *Tobiæ* 12. Deinde, ex autoritate patrum. *Tertio*, ex revelationibus. *Quarto*, ex rationibus quibusdam. *Quinto*, ex consensu Rabbinorum, & philosophorum: addere debuissent, & Magorum. *Sexto*, *De la Cerda* præter septem nomina indicat insuper etiam alia, Ieremiel, ex *Esdræ.*4.*c.*4. Eromiel, Saniel, Azael ex *libr.*2. *Sibyllinorum carminum*, Rumiel, & Phaniel ex *Bedâ in collectaneis.* Rationes autem illas, seu potius inanias in, theses has minutim ut transcribam & refutem chart a non patitur. Annoto tantum sapientissimum monitum Corn. à Lapide, cujus velim & ipse & omnes Pontificii Heptangelici cultores, Exorcistici &c. probè meminissent; commentar.in Ezechiel,1.4. *Ita isti* (Iudæos & *Corn. Agrippam. l.* 3.*c.*47. designat) *aut Magi, aut nominũ & portentorum figuli, quos non Vriel, Magiel sed aut Vaniel & Stultiel nescio quis exagitat. Scriptura enim æque ac ecclesia, non nisi tria angelorum nomina agnoscit*, Michael, Gabriel, Raphael: *atque hasce patrum cum angelis familiaritates ignorat.* Quæ quomodo cum libro *de la Cerda*, & ipsius portentis de cultu Heptangelico ad *Apocal.* 1. (quorum supra meminimus) & cum *Hieronymi Mengi Flagello ac fuste Dæmonum*, aliisque Exorcisticis conciliari possint, videant quorum interest.

De Angelis Tutelaribus.

ANgelorum officia, & ministeria circa alias creaturas, præsertim circa homines multis, sed maximam partem ἀγεώφοις, describi solent. Primo faciunt Tutelares, quosdam universales, septem scilicet angelos de quibus jam diximus. Præter illos sunt Tutelares particulares, iique triplices 1. *vel* creaturarum quarumvis, & ad effectus particulares: sic diversi ordines (ait ex Gregorio *Thomas* 1. *quæst.*113.*artic.*2.) deputantur diversis rerum generibus, ex.gr. *potestates* ad arcendos dæmones, *virtutes* ad miracula facienda in rebus corporeis &c. 11. *vel* communitatum seu nationum, Provinciarum, civitatum *Thomas* 1. *qu.*113.*a.*2. *De la Cerda cap.*31. Doctorum testimoniis, revelationibus, exemplis & historiis probare conatur, eos præesse regnis, civitatibus, muris, juri Episcoporum &c. Idem *cap.*20. probat eos *esse* bellorum præsides. 111. *Vel* singulorum hominum, qui specialiter dicuntur angeli custodes: de quibus hæc tanquam indubitata ponunt 1. *Singulis* hominibus angelum bonum custodem præfectum; singulis, in quam, tam non prædestinatis quam prædestinatis, tam Gentilibus quam Christianis: etiam ipsi Anti-Christo. Vide *Scholasticos ad* 2. *dist.* 5.

11, & *ad* 1. *qu.* 113. *art.* 5. Et *de la Cerda cap.* 39. ubi ad Mariam virginem, & Adamum ante lapsum extendit, solumque Christum excipit. Et hæc est communis scholasticorum & recentiorum opinio: exceptis *Altisiodorensi lib.* 2. *summæ & Argentina aliorumq; quæ ad* 2. *dist.* 11. & dicti *Dionysii c.* 4. *cœlestis hierarchiæ.* Vt hinc videas quanti Pontificiis sit autoritas Dionysii, cum ipsis aliter placet. 2. *Etiam* angelum malum singulis hominibus assignatum, sed à Dæmonum principe deputatum: sic *Lombardus*, 2. *dist.* 11. & *Bonaventura ac Gulielmus ad loc. cit.* Vocant autem hunc dæmonem *exercentem.* 3. *An* autem bonus angelus datus sit ab ipsa conceptione, à nativitate tantum, an à baptismo disceptatur ad *Thomam loc. cit.* Ipse secundum affirmat, eumque sequitur ex recentioribus *Vasquez disp.* 145. *c.* 1. Primum tamen, præfert *Bonaventura*, & cum illo *de la Cerda cap.* 39. 4. *Custodem* illum permanere usque ad finem vitę. 5. *Eundem* nunquam hominem ex toto dimittere. Quamvis enim loco eum dimittat (cum scil. est in cœlo) nunquam tamen dimittit quoad effectum custodiæ. Sic *Thomas qu.* 113. *art.* 6. 6. *Permittere* aliquando ut homo labatur in malum culpæ aut pœnæ, 7. *Non tamen* tristari, quando hominibus aliquid mali evenit. 8. *Custodes* omnes esse ex infimo ordine. 9. *Officia* seu effectus custodiæ varie enumerant ad *Thomæ qu. cit. & ad* 2. *dist.* 11. Et *de la Cerda tract. cit.* prolixè. *Gerson part.* 3. *tract. super Magnificat* enumerat septem: alii quatuor ut *Bonaventura*; alii quinque; ut *Corn. à Lapide in exod. cap.* 23. aut octo, ut idem *A Lapide in Math.* 18. 10. alii duodecim, ut *Gabriel ad* 2. *dist.* 11. qui eos colligit ex scripturis. *Primus* est pro delictis increpare *Iudic.* 2. *Secundus*, à peccatorum vinculis absolvere, *Actor.* 12. quod intelligendum est dispositivè. *Tertius* impedientia à bono auferre, quod figuratur *Exod.* 12. ubi percussit primogenitos Ægypti. *Quartus* arcere dæmones *Tobiæ* 12. *Quintus*, docere & intus illuminare *Daniel.* 9. *Sextus*, secreta revelare *Genes.* 18. *Septimus*, consolari afflictos, *Tobiæ* 5. & 6. *Octavus* in via Dei confortare 1 *Reg.* 19 ubi Eliæ dicit. Surge & comede &c. *Nonus*, in via deducere & conducere, *Tob.* 5. *Decimus*, hostes dejicere *Ies.* 37. *Vndecimus*, tentationes mitigare *Gen.* 32. ex lucta Iacobi, & benedictione ãgeli. *Duodecimus*, Oration. deferre, *Tob.* 12. Addit *de la Cerda c.* 22. 24. alios speciales effectus circa crucem domini, & eucharistiam. *Idem c.* 21. enumerat aliquos speciales effectus circa mortẽ: & exemplis ex *Cantipratensi*, *Speculo exẽplorum & similibus* fabulatoribus probare conatur. *Antonius Dauroultius in Floribus Exemplorũ seu in catechismo historiali c.* 3. *t.* 43. addit hunc effectum, quod animæ, cujus custodia ipsis commissa, lumen cognitionis, solamen, & subsidium præstant in purgatorio. *Corn. à Lapide in actor.* 12. addit, quod subinde induant personam & speciem suorum cli-

clientum, eorumque negotia in hac vita curare, ipsorum vices supplere, cum ipsi absunt, & nihil tale faciunt, immo sæpe insci sunt, aut turpiter negligunt. Idem habet *Thyræus de apparitionib. 2 c. 10.* Qui idem *lib. 1. c. 12.* tradit eos mortuorum personam & speciem assumere. De quo in *disp. de Spectris.* Exempla ab utroque ex fabulosis scriptoribus allata ibi videat cui vacat. Et conferat explicationem istorum mysteriorum ac collationem cum Theologia Ethnica apud *Delrio lib. 2. disquis. qu. 26. sect. 2.* Nec omittendus ille effectus, quod aliquando bonos & justos corporalibus pœnis puniant. Probat id *Lorinus ad Ps. 77.* (nobis 78.) *v. 49.* exemplo Franciscæ Romanæ à Paulo V. inter sanctos relatæ, (vide *Bullarium*), quam assessorem angelum habuisse dicit, monitorem interdum & correctorem, nonnulla etiam illata pœna. *Corn. à Lapide ad Ieremiæ c. 51. v. 8.* ex Origene tradit, angelos animam impiam quæ correptiones & inspirationes eorum in vita contempsit, deserere in agone. Particulares omnes effectus angelorum custodum fusissimè exponit *Feuradentius in appendice ad Alphonsi à Castro lib. 1. de hæresibus.* Præter hæc jam enotata, Problematicè quærunt Scholastici 1. quomodo angelus deserat prædestinatum seu fidelem. 2. An etiam singulis rebus, aut saltem generibus singulorum singuli angeli præficiantur. Ac *Thomas* quidem affirmantem hic censet probabilem *qu. 113. art. 2.* Sunt & aliæ istiusmodi disquisitiones, quas collectas vide apud *Themesvar lib. 2. rosarii, in voce* angelus *sect. 10.* & *Iosephum Angles in floribus theologic. quæst. ad 2. sententiar. part. 1. dist. 11. quæst. unica & Barthol. Sibyllam in speculo peregrinar. quæst. decad. 2. pag. 426. & deinceps.* Sed plenius philosophiam hanc pandunt Cabalistæ & Magi, & ex iis *Agrippa de occulta philosophia lib. 3. cap. 20. 21. 22.* Atque hæc hactenus de angelis tutelaribus, seu custodibus juxta Pontificios. Qui theologiam hanc de angelo custode unicuique homini à nativitate assignato necessariam faciunt. Vide Binsfeldium suffraganeum Trevirensem de confession. maleficor. prælud. 17. p. 186. Vbi tamen dolose terminos mutat, & statum controversiæ pervertit, ut aliquo cum colore Calvinum calumniari posset. Sic enim habet theorema: *Sicut unicuique homini ab ortu nativitatis suæ, ad tutelam & custodiam, deputatus est bonus Angelus, secundum sacras literas, & sanctorum Patrum doctrinam: Ita etiam ad exercitium ac tentationem malus spiritus destinatus cuilibet, ut Doctores sentiunt.* Commentarius vero, qui subjicitur, sic habet: *Angelorum custodiam calumniatur* Calvinus in institutionib. sect. 7. c. 14. & in cap. 18. Matth. *& alibi, quem sequuntur ejusdem farinæ homines: sed Catholica Ecclesia Angelorum tutelam firmiter amplectitur.* Cum hoc fere conveniunt *A Lapide in Math. 18. 10.* & *Actor. 12.* Vbi vide. Imprimis *Zwarez lib. 6. de angelis cap. 17.*

ubi

ubi complures autores cit. Videatur & *Renatus Laurentius in Tertullian. de Anima*, & *Sirenius lib.*5.*de Fato cap.*4. qui duo cum Ethnicorum theologia comparant. Quod etiam ex professo factum à *Steucho Eugub. l.*7.*de perenni philos. c.* 18. Lorinus in commentar. ad Ps. 91. 11. insigniter controversiæ statum occultat, atque ita occasionem se invenisse putat nostros per latus Calvini calumniandi : *Caterum locus hic totus convincit angelos nostri curam gerere, si quis alius, ex multis, adversus errorem Calvini, qui ridet velut paganicam doctrinam, aitque per eam Dei gratiam malignè extenuari, diabolum hoc astu fiduciam nostram aliqua ex parte conari minuere, pugnare cum tota scriptura; falsum & profanum commentum esse.* Ex uno nosce omnes, & reliqua omnia. Inspiciantur *loca Calvini* in margine notata, & judicet lector, an vel minima specie de angelorum protectione & custodia hæc dixerit Calvinus, an vero de duobus geniis à nativitate cuilibet homini assignatis, de angelorum custodum religioso cultu. Magis candide & verecundè Maldonatus ad Math. 18. 10. *Illud etiam non perpetua traditione solum, sed plusquam probabilibus scripturæ testimoniis superest creditum singulos Christianos singulos angelos bonos habere &c.* Et postea : *Calvinistæ tamen, ut sapientissimi suo judicio sunt, nihil credunt: tantum dicunt omnes angelos omnium hominum esse custodes &c.* Sunt ex nostris qui reliquis consectariis posthabitis ut probabilem opinionem admittunt, de bono angelo custode singulis hominibus, saltem, fidelibus assignato, inter quos *Zanchius de Oper. Creat. lib.*3.*c.*13. Et nuper eam sententiam ex professo defendit *Alstedius in supplemento Chamieri, de Eccles. lib.*5.*c.*7. Nuperrime etiam in eandem inclinare se haut obscure indicat *Vossius lib.*1.*de Idolol. c.*7.. *Grotius in notis ad Math.* 18. 10. pro hac sententia stare videtur : in fine tamen eam destituit aut in medio relinquit. Autoritate patrum (quorum aliquos ibi citant, plures Pontificii supra indicati) aliquo modo uterque moveri videtur. Nos tamen amplectimur sententiam *Calvini in Institut. lib.*1. *cap.*14. §.7.*& commentar. in Ps.*91. & in *Math.*18. aliorumque reformatorum, qui opinionem illam ut vanam & curiosam rejiciunt; & putamus antiquis patribus, ex philophia Platonica, & theologia mythologiça Gentilium aliquid hic adhæsisse.

Rationes hujus sententiæ sunt. 1. Quia scriptura communitèr angelis adscribit nostri custodiam *Ps.* 34. 8. *&* 91. 11. coll. cum *Math.* 4. 6. *Heb.* 1. 14. *Luc.* 15. 10. *&* 16. 22. 11. Quia effectus particulares angelorum custodum ex scripturis non probantur : immo nonnulli scripturis ἀλόγοις repugnant, ut delatio & oblatio orationum nostrarum : quod Antagonistæ Pontificiorum, nominatim *Raynoldus* solide probavit in *censura Apocryphor. tom.*1.*prælect.*62. Qui videndus. Ex recentiss. scriptoribus de interpreta-

pretatione loci *Apocal.*8.v.3.4.5. fusè agit *Stephanus Clotz* theolog. Argentin. *de Angelolatria disp.*12. III. Ab absurdo consequenti: quia nec rationi nec scripturæ convenit, quod infidelibus, blasphemis (à quibus Deus recessit) dicatur adesse angelus custos, usque ad horam mortis. IV. Quia magis facit hæc opinio, quam oppositа, ad ἀγγελολατρικείαν, aut saltem ad affectationem familiaritatis cum proprio suo angelo; item cum angelis seu geniis loci, nationis &c. atque ita proclivior hinc prolapsus in idololatriam aut superstitiones Magicas. V. Quia convenit cum Theologia Ethnica, Mahumedistica, Rabbinico-cabalistica. De Rabbinico-cabalisticis commentis super angelis tutelaribus, genethliacis, puerperii, pestis, mortis &c. consulantur *Buxdorfii Synagog. Iudaica*. Et *autores Cabalistici à Pistorio editi*. Et Fr. Georgius Venetus in problematis sacris tom. 6. *sect.*5.§.174.p.373. *Quæ sunt Angelorum officia? Nonne Daniel refert, quod Angelorum alii sunt assistentes, divino tribunali videlicet, Deum continue laudātes: alii vero ministrantes ipsi, & nobis scilicet. Quibus assistentibus ministrantes respondent. Horum autem aliqui præsunt quatuor noctis custodiis: de quibus Christus meminit dicens. Et si venerit in secunda & tertia vigilia, noctis videlicet. Matthæus vero & Marcus de quarta noctis vigilia mentionem faciunt, dicentes. Quarta autem vigilia noctis venit ad eos, scilicet Iesus, ambulans supra mare. Duabus vero primis vigiliis, quando erit durus influxus, durumque judicium, quod Hebræi* דין *Din appellant, acriores & ex latere Aquilonari Angeli præsunt: duabus autem postremis mitiores, Australes videlicet. Alii quoque præferuntur quatuor anni custodiis, per quatuor stationes Solis, à cardine videlicet in cardinem distinctis: ut alibi disseruimus. Alii vero præsunt Planetis, quorum nomina in Harmonia memoravimus. Alii quoque præsident duodecim signis: de quibus Iohannes meminit dicens, quod in portis id est signis, quæ (ut Plato ait) sunt portæ cœli, sunt duodecim Angeli: Et, cum signorum istorum aliqua sint Orientalia, aliqua Occidētalia, aliqua Meridionalia, aliqua vero Aquilonaria: Hinc ipse Iohannes subinferēs inquit. Ab oriēte portæ tres, ab Aquilone portæ tres, ab Austro portæ tres, & ab Occasu portæ tres. Alii vero Angliæ tutelæ & custodiæ nostræ additi sunt. Alii præsidēt animātibus. Alii præsunt plantis: alii lapidibus, qui pretiosi dicūtur: ut secretiores Theologi & veri Sapientes affirmāt. Alii quoq; præsunt bello: alii paci. Alii Regibus & Prælatis præsident. Alii vero provinciis & regionibus sunt præfecti: quæ moribus differunt, juxta differentiam custodum suorum. Et adeo omnibus rebus & operationibus Angeli præficiuntur: ut Deus in Mūdo hoc inferiori per Angelorum ministerium omnia operetur. Ideo Paulus hōrum sacramentorum non ignarus ait. Omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi.* Conferantur hæc cum *theologia Magica*, quæ cum Rabbinico-Cabilistica & antiqua Chaldaica convenit, vide *Agrippam de occulta philosoph. l.*2.*c.*58.59. *& l.*3.*c.*10.16.17.20.21.22.24.*&c.*

Et *Abbatem Trithemium in epistol. ad Imper. Maxmilianum.* Et quæ passim indicat *Gilbertus Gaulmin in notis suis ad librum Rabbinicum de vita & morte Mosis. Mahumedistica theologia*, cum Rabbinica hic convenit, quippe ex fecibus illis hausta. Phil. Lonicerus tom. 1. chronic. Turcicor. cap. 24. *Omnium*, inquit, *Mahometarum firma hæc est opinio, singulis infantibus, ut primum nati fuerint, binos addi angelos, quorum alter dextram, alter sinistram muniat, perpetuique per omnem vitam eorum sint custodes.* Vide *eundem cap.* 19. de angelis duobus, qui mortuum jam quartam horæ partem sepultum & novo spiritu divinitus infuso vivificatum de vita anteacta examinent. Cum Ethnicis hanc theologiam convenire, fatetur Binsfeldius loc. cit. *Ad hanc*, inquit, *doctrinam Platonici accedunt.* Apulejus *multa scripsit* de Dæmone Socratis. *Ægyptiorum doctrina traditum est, ab Dæmonum præside Deo pro ratione propositæ vitæ, Dæmonem assignari, non ab astro aut Planeta: quod sensisse Porphyrius putatur, ut auctor est* Iamblicus. *Philosophorum varias sententias de Dæmonibus cuique assignatis refert* Cœlius Rhodiginus, lectionum antiquarū l. 1. c. 31. *Hinc illud pulchrum apud* Plutarchum in l. de Romana fortuna *exemplum. Cum Marcus Antonius & Augustus, singulari amicitia & benevolentia juncti, habito otio sæpè lusibus inter se diversis transmittere soliti essent, & M. Antonius semper victus abiret: Quidam apud eum divinandi peritia clarus, audacter ita admonere cepit. O Antoni, quidnam tibi cum adolescente isto? Refuge ipsum, & vita. Tu quidem illustrior es, natu item grandior, sed plurium quoque imperator, bella multa exantlasti, peritia rerum præstantior es. At nescio, quo pacto hujus ipsius Dæmonem Dæmon reformidet tuus. Quin tua quidem fortuna ampla est ex se, sed fortunæ adolescentis subblanditur. Quod ni abieris procul, ad illum defecturum apparet.* Dubium esse potest: An mutato loco, mutetur & Dæmon? *Quidam enim absurdum arbitrantur, eodem referente* Cœlio lib. d. cap. 32. *quod Dæmon unus ita in mancipium venerit, ut ne latum quidem unguem à nobis discedat, quantumvis longinqua terrarum spacia abierimus: Qui etiam in ea sunt opinione, ex eadem radice, quod homo in uno loco sit fortunatior, quam in alio. Quia cum in qualibet Dæmonum decuria, plura sint dignitatis & virtutem discernicula, variatis locis varii sunt rerum eventus. Sic fœlicior & fortunatior erit in loco, qui potentiorem Dæmonem adeptus fuerit, infœlicior, qui inferiorem & debiliorem, ut exemplo à* Plutarcho *relato ostenditur.* Et sic quidem theologiam Papalem cum Ethnica componit *Binsfeldius*, Quod etiam facit *Delrio lib. 2. disquis. Magic. qu. 26. sect.* 1. Quem vide. Et hujus rei fidem faciunt celebres illi versus Menandri apud Ammian. Marcellinum lib. 21,

Ἅπαντι δαίμων ἀνδρὶ τῷ γενομένῳ
Ἅπαντος ἐστι μυσταγωγὸς τοῦ βίου.

Et

Et dictum Arriani in Epicteto lib. 1. c. 14. Επιτροπον εκαστω προϊστησι τον εκάστου δαιμονα, και παραδωκεν φυλαττειν αυτου αυτω, και τουτον ακοιμητον και απαραλογιστον. Et *Maximi Tyrii dissert. 26. & 27. de dæmonio Socratis, per totum.* Tantum ex dissert. 26. in fine p. 270. hæc enoto, quia apprime conveniunt cum Theologia Papali: *Ita ii quos dixere dæmonas, inter Deos sunt hominesque. Hi sunt qui mortalibus sese offerunt, mortales affantur: qui media in natura hominum versantur, abundeque quicquid humanum desiderat genus, solent præstare. Magnus eorum est numerus.*

Ter sunt mille etenim per terræ uberrima regna.
Gens immortalis famuli Iovis.

Horum alii morbis medentur, alii in rebus ambiguis consilium dant, alii occulta nunciant, alii in exercendis auxilio sunt artibus; alii itinerum sunt comites. Rursus alii urbani, alii sunt rustici: alii sunt marini, alii sunt terrestres. Alius rursus aliud corpus habitat. Hic Socratem, ille Platonem, ille Pythagoram. Xenonem ille, ille Diogenem. Hic terribilis, ille hominum amantissimus, hic civilis, ille milit aris. Quot denique hominum sunt ingenia: tot & dæmonum sunt genera:

Namque Dei similes peregrinis sæpe colonis,
Quolibet induti percurrunt corpore terras.

In eo tamen à Papali angelographia dissentit, quod impiis nullum genium assignet: Hac enim limitatione verba præcedentia concludit: Εαν δε μοχθηραν δεξης ψυχην, ανεστω αυτη και ανηπισταλητω. i. *At vero si animam mihi ostenderis impiam, scias illum neque incolam, neque vitæ suæ habere præsidem.* Huc refer quæ habent de suo cujusque genio, de spiritibus παρεδροις, de dæmonio Socratis, de Genio Antonii, apud *Plutarchum in ejus vita.* Quod ad angelos tutelares locorum, nationum &c. invenies illos in Gentilium Theologia; de Diis præstitibus, vialibus, tutelaribus, geniis loci, laribus, penatibus &c. & quæ Plato cum suis passim philosophatur de Diis & Dæmonibus: illos enim esse angelos nostros observat *Theodoretus de Curat. gr. aff. sermone, de Materia & Mundo.* Confer *Engubin. perenn. philos. lib. 5 c. 12.* Et Antiquitatum scriptores, *Gyraldum, Rosinum & Dempsterum, Natalem Comitem,* aliosque ubi de Diis Gentilium, deque geniis agunt. De geniis paredris vide *Lipsii physiolog. Stoicam lib. 1. cap. 19. Delrio loc. cit. & Erasmi Schmidi commētar. in Pindari olympia p. 322. & 19. Pythia p. 118. Vossium lib. 1. de Idolol. cap. 7. & 11.* Et *Rodiginum loco modo cit. & Natalis comitis mythol. lib. 4. cap. 5.* Vbi observat, non tantum hominibus, sed & plantis, ædificiis, locis aliisque rebus genios fuisse attributos. Confer de eodem *lib. 3. c. 6. p. 205.* Et *Max Tyrium dissert. modo cit. Alcinoum de doctr. Platonis cap. 15. vi.* Ipse *Magister* dubitat *in 2. dist. 11. §.* ideoque.

7. Objectiones Alstedii sunt I. ex *Math.* 18.11. Ex *Actor.* 12. III. Ex historia *Tobiæ.* Præter has habent Pontificii etiam sequentes. IV. *Bonaventura Ies.* 29 *Ecclesiastic.* 17. Alii *Daniel.* 10.12. *Iesa* 37.36. *Coccius in thesauro Cathol.*, *Genes.* 48.16, *Exod.* 14.19. *Ps.* 91.11. *Iudith.* 13.20. *Hebr.* 1.14. V. *Scholastici ad* 2. *dist.* 11. rationes & congruentias : nonnullas etiam *de la Cerda cap.* VI. Idem à *Cerda*, & imprimis *Corn. à Lapide in Actor.* 12. revelationes, exempla, fabulas. VII. *Coccius* & *de la Cerda* autoritatem patrum. Ad quas objectiones in ipsa disputatione respondebimus : ne his diutius immoremur, præsertim cum nihil difficultatis habeant. Ad locum *Math.* 18. extat erudita responsio in *myrotheco*, aut *in operibus Cameronis.* Conferantur etiam *Dubia Evangelic. Spanhem. part.* 3. *dub.* 61.62. ubi ad loca *Math.* 18. & *Actor.* 12. plene respondet. Non est ergo quod actum agam.

8. Hinc educimus porismata. I. Vanas & futiles esse disquisitiones. An Christus, aut B. Virgo habuerint angelos custodes ; An angeli à custodia, cui deputati, aliquando amoveantur, ut vult *Fr. Georg. Venetus sect. cit.* §. 177. aliasque istius generis ineptas & absurdas quæstiones quas videat, cui vacat, apud *Zwarezium in tract. de angelis*, & scriptores de angelis tutelaribus mox infra nominandos. II. Non esse doctrinam de angelo custode catholicam, aut necessariam, nec facere ad peculiarem fidei ac pietatis praxin : ut quidem volunt *Vasquez disp.* 245. *c.* 1. *n.* 2. *Bayllius in Catech. p.* 2. *qu.* 47. *Coccius in Thesauro*, *Binsfeldius loc. cit. De la Cerda tract. cit. per totum.* III. Non salutandum quotidie angelum custodem, nec familiaritem cum illo affectandam. IV. Vanum esse & idololatricum omnem cultum religiosum, quem Pontificii angelis custodibus deferunt ; & angelis omnibus in genere & collectivè per quascunque devotiones, & per festum omnium angelorum ; de quo *Gavantus tom.* 2. *p.* 164. De cultu angelorum custodum vide apparatum precum & devotionum quem ex variis Angelolatris collegit *De la Cerda à p.* 512. *usque ad finem.* Confer Iesuitarum *Drexelii horologium auxiliaris tutelaris angeli custodis*, *Fr. Alberini tract. de angelo custode* : Ejusdem *apparatus angelicos* cum *diurnali aureo angeli tutelaris. Nigroni Officium angeli custodis* ; *Collegii Insulensis Peregrinationum Paradisi rebus ad cœli iter necessariis instructam duce Angelo*; *Iacobi Hautini de angelo custode* ; *Martini Roa beneficia S. angeli custodis* ; *Pauli de Barry de devotione erga angelos* ; *Petri Hermandes de Ovalle Obligationē colendi angelos custodes*; *Petri Cottoni meditationes & conciones*, inter *quas* sexta est de āgelis custodibus ; *Didaci de Celada in commentar. liter. & morali in Iudith*, ubi *ad cap.* 13. *v.* 11.-21. §. 24. de angelis custodibus. Invenio *in bibliotheca Philippi Alegambe p.* 490, mentionem fieri discursuum de Angelo custode *tom.* 2.

Lui-

Lusitanicè autore *Antonio Vasconcellio* Iesuita. Idem *Alegambe p.*502. servari dicit in collegio Romano *Francisci Foliani tomos septem de angelis tutelaribus*, ubi cœlestia perfectionis sensa, quæ ab eo sibi indita prædicabat, annotavit. Atque hæc quidem Iesuitæ ad promotionem novæ religionis angelorum tutelarium. Illis adde carmen *Ioh. Hemelarii* canonici, Antwerpiæ ann. 1621. cui tit. *Paræneticon angeli custodis ad Hugonem Grotium &c.* Et publicas preculas ad angelum custodem in vulgaribus libellis asceticis: inter quas illa vulgata est in Officio B. Mariæ.

Angele, qui meus es custos pietate superna
Me tibi commissum salva (N.B.) defende, guberna;
Terge meam mentem vitiis & labe fluentem.
Assiduusque precor mihi sis, relevesque cadentem.

Denique officium & festum angeli custodis celebrari concessum à Paulo V. Quod vide *in officiis Ordinis Minorum* editis cum *Diurnali Romano*; & de concessione Papæ *Gavantum tom.* 2. *Thesauri sacr. Rituum p.* 164. Habet etiam quid de festo & officio angelorum custodum *Molanus in diario ecclesiastico Medicorum.* Anno 1601. 16. May. concessa est à S. congregat. Rituum angeli custodis Missa pro congregatione annunciatæ societatis Iesu. Ab eadem congreg. approbatur angeli missa 6. April. 1615. Eadem decernit ut angeli custodis officium sit duplex minus 2. Octobr. 1627. Et celebrandum prima die non impedito officio novem lectionum post festum S. Michaelis; cedit etiam dominicæ 12. Martii 1618. Porro de controversiis, utrum angelorum custodum festum sit duplex majus, ita ut debeat utrasque vesperas habere integras, & quibus festis cedere aut non cedere debeat, vide nugantem *Gavantum loc. cit.*; ubi etiam determinat; festum angelorum custodum fieri concessum ex devotione & non ex præcepto. Originem ducit hic cultus ab Ethnicismo, uti constat ex *autoribus thesi præced. citatis.* Substernebantur huic theologię, philosophemata Pythagorica & Platonica: Esse & requirimediam potestatem, quæ homines conjungat cum Deo τὸ δαιμόνιον scilicet. Quam potestatem tribus potissimum nominibus insigniunt, aut in tria distinguunt, Ἡ ἀγγέλους φοβεῖσθαι, δαίμονας: quorum illi cum diis proxime cohæreant; isti cum hominibus, hi in medio positi. Vide *aurea carmina Pythagoræ.* Et *Maximi Tyrii dissert.* 26. *sub finem, & dissert.* 27. *per totum.*

DE NATURA ET OPERATIONIBUS DÆMONUM.

Resp. HENRICO BORNIO Vltrajectino. *Ad diem* 17. *Februar.*

Disputationibus de Spectris, Energumenis, Magia, Exorcismo *antehac editis, hanc de Dæmonibus tanquam fundamentum substernimus.*

1. ANgelus malus in veteri testamento appellatur. I. שטן *Satan* 1. *Paral.* 21. 1. *Zachar.* 3. 1. 2. (quamvis exponat *R. Aben Ezra* cum *R. D. Kimchi* de Sanballat & sociis, *Ar. Montanus* de Antiocho Epiphane) *Iob.* 1. & 2. 70. *gr.* tranferunt διάβολος alibi cum non de spiritu sed de homine adversario usurpatur, vertunt ἐπίβουλος 1 *Sam.* 29. 4. & Σατὰν 1. *Reg.* 11. 14. 23. 25. Paraphrastes Chaldæus retinet *Iob.* 1. & 2. *Satan*, sed *Zachar.* 3. vertit חטאה *chattaah*. i. peccator, ἁμαρτία scil. quomodo in N. T. ὁ πονηρός. II. שר, *Deuteron.* 32. 17. cum *Ps.* 106. 35. ubi gr, 70. vertunt δαιμόνιον: *Targum*, מזיק *massik Ps.* 135. sed *Deut.* 32. & alibi retinet *Schedin*, Quam & Syrus habet *Ps.* 106. Arabs Interpres transfert שיטאן *Saitan*, quam vocem etiam impurus *Muhammed in Alcorano* suo passim usurpat. III. שעיר *Sagnir Levitic.* 17. 7. *Targum* & Rabbini exponunt per *Schedim*; *R. Aben Ezra* addit etymologiam, quod forma pilosi animalis seu hirci hominibus apparerent, & illa sub imagine à Gentilibus, atque adeo ab Israelitis culti fuissent in Ægypto *Gr.* 70. transferunt τὸ μάζιον h. e. idolum. Arabs *Saitan.* IV. Rabbinis dicitur מריא plur. מריאים, quod *Aruch* adfert ex *Bereschit Rabba sect.* 7. In novo testamento occurrunt tria nomina hebraica, quorum priora duo sunt communia, seu appellativa *Satanas*, (semel Satan. 2. *Cor.* 12. 7.) & *Belial* 2. *Cor.* 6. quod traductum ex V. T. ubi tamē non nisi de hominibus usurpatur *Deut.* 13. 13. *Iud.* 19. 22. &c. *Tertium* est proprium, *Beelzebul*, *Matth.* 10. 25. & 12. 24. &c. quo certus dæmon. princeps scil. aliorum denotatur. Derivari autem illud ex Deo μυάγρα seu μυόδη Accaron 2 *Reg.* 1. *v.* 2. non dubitamus, nec tamen concedimus criticam falcem in græcum textum mitti, & juxta exemplum vulgatæ & Syriacæ versionis scribi *Beelzebub.* Vbique enim, hoc est septies, exemplaria græca constanter habent *Beelzebul*, quæ sequitur Arabs & plerique patres. Ita notat *Dominum stercoris*, seu *stercoreum*: (quomodo idola dicuntur *gilloulim* i. stercorei *Ezechiel.* 22. 3. & 14. 4.) eleganti paranomastica detorsione Spiritui S. non inusitata, ut ostendit *Drusius ad* locum *Math.* 10. & doctiss. *Seldenus syntagm.* 2. *de DIs Syris c.* 5. Et *Scultetus lib.* 2. *exercit. Evangelic. c.* 57. qui videndi ab illis, qui philologiam sacram & antiquitates sectantur. Præterquam quod nomina

mina propria in alias dialectos traducta, aliter scribi & pronuntiari minime sit insolens: quin immo & in eadem lingua; sic e. gr. *Nebucadnezar.* 2 *Reg.*24.1 *Daniel* 1.1.&c.scribitur *Ieremi.*21.1.*Ezechiel* 29.18. *Nebucadrezar*: nec tamen dicimus textum esse corruptum. Quod autem *Seldenus* fatetur cum *Origene* se ignorare ob quam rem ad principem dæmonum denotandum usurpetur τὸ *Beelzebub*: nos salvo aliorum judicio putamus non fuisse prius nomen impositum dæmonio deinde idolo, sed vice versa ab idolo Gentilium nomen hoc populo Dei, atque adeo ex usu loquendi ab ipso Sp.S.fuisse traductum ad significandum diabolum;idque hoc fundamento, quod Gentilium idola interpretative nihil aliud essent quam dæmonia 1 *Corinth.*10.20. De Beelzebub principe dæmonum, vide infra *part.*2.*thesi ult.* Nomina græca in N.T.sunt ista 1. ἄγγελος *Math.*4. *Actor.*13.&c.quod Syrus transfert אכל קרצא *Ochel kartso* i.criminator,promulgans calumniam. Reliqua nomina fere exponit per suam דיוא *dajavo*, cujus originem ducunt ad hebr.דאה i. *vultus*, *milvus*. II. δαιμόνιον & δαίμων *Math.*7.22.& 83.1.quæ vox alioquin apud Platonem aliosque profanos authores in bonam partem accipitur, quin & ipsum Deum notat, in Cratylo. III. ὁ πονηρὸς Matth.6 & πνεύματικὰ τῆς πονηρίας Ephes.6. IV. πνεῦμα ἀκαθαρτον Luc. 4. 39. & πνεῦμα Ephes.2. 2. Actor. 23. 8. Luc. 8.29. & 9. 39. & πνεύματα πονηρὰ Luc. 7.21. V. ὁ ἄρχων & ὁ θεὸς τοῦ κόσμου & ὁ αἰὼν τοῦτο Iohann. 12. 31. 2.Corinth. 4.4. ἀρχὴ, ἐξουσία, κοσμοκράτωρ, ἄρχων τῆ ἐξουσίας δυνάμις Ephes. 6.12. & 2. 2. Rom. 8. 38. VI. ἄγγελος absolute Rom. 8.38.1 Corinth.6.3.& cum adjectione ἄγγελος ζαλὰν 2.Corinth.12.7. ἄγγελος ὁ ἄγγελος Math.25.41. VII. Serpens 2 *Cor.* 11. 3.& magnus draco, antiquus serpens *Apoc.*12.9.& 32.9.VIII. 1.Sunt qui addunt ex *Apoc.* 9.11. nomina Angeli abyssi, Ἀπολλύων heb.Abaddon, quibus admodum congruere putat *Selden. loc.cit.*hebræorum *Aschmedai* à radice שמד *Schamad* exterminavit, perdidit. Sed nos malumus per illa Antichristum intelligere, diaboli scil. primogenitum. Atque hæc nomina sacra. Apud profanos scriptores usitata est vox *mali genii*. Dæmonis, dæmonii: videatur *Plato in Cratylo*, *Macrob.Saturnal.lib.*1.*c.*23. *Philostratus passim in vita Apollonii Thyanei*; Δαιμόνιον φαῦλα occurrit apud *Plutarchum in Dione*. Apud *eundem in convivio*, *ad quæst.* π βελτιων *Resp.* Thales esse θεόν; & *ad qu.* π βλασφημοτερον; Idem respondet, esse δαίμονα. Tertullian.cap.22. apologetici ait: de hortatorium (scilicet dæmonium) *plene à bono omnes sciunt poëtæ*. Porro de nomine dæmonis multa colligit ex Gentilibus scriptoribus *Eugubinus l.*8.*de per.philosoph.cap.*19.20.33.34.Vnde etiam constat dæmones malos illis non fuisse incognitos. Quamvis à nonnullis hæc sententia improbata, uti innuere videtur *Augustinus lib.*9.*cap.*1. De quo mox

infra

infra *theſi* 2. Sed alii & ſubinde confundebant Deum ſeu Deos, cum dæmonibus: alii eos diſtinguebant; uti patet ex *Auguſtini loc. cit.*, & *c.* 2. 3. Hinc ſententiarum varietas & confuſio: ut alii dividerent Deos in bonos & malos ſeu invidos; alii negarent Deos aliquos aut dæmonas eſſe malos. Confer quæ infra *theſi* 2. de hac confuſione notamus. Reliquæ fere Rabbinis, Cabaliſtis, philoſophis, Magis & vulgo uſitatæ ſunt aut individuorum, aut ſpecierum, ita loqui liceat: de quibus *theſi ultima*. Porro nominum iſtorum philologica conſideratio à vulgatis lexicographis, nec non ſcholiis ad ſcripturam petenda: ne hic nimis prolixi ſimus.

Conſectar. I. Ridiculè & imperitè *R. Menaſſe Ben Iſrael probl.* 22. *de Creatione* שד *Sched* à שרה i.e. *agro* derivat. II. Non eſt verisimile, *Ketebh Pſ.* 91. 6. aut *Sagnir Ieſa* 13. 21. & 34. 14. notare diabolum; quidquid ſit de expoſitione vulgati interpretis, 70. gr. Targum, Rabbinorum, & patrum, ac recentiorum quorundam. III. Multo magis inſulſum eſt per Behemot & Leviathan *Iob.* 42. & 41. cum patribus & commentatoribus Pontificiis intelligere diabolum. IV. Nec loca *Pſalm.* 78. 49. & 109. 6. huc velimus trahi: ne tam infirmis probationibus proſtituamus Theologiam noſtram: cum aliam & concinnam interpretationem textus illi admittant. V. Longe abſurdiſſimum eſt, quod de *Lilith Ieſ.* 34. 14. *R. Sel Iarchi*: שם שירה i.e. nomen eſt diabolæ; & nuper *R. Menaſſe loc. cit. Spiritus fœminei ſexus.* Ex qua lepida interpretatione nata eſt mythologia Rabbinica de Matre diabolorum, quæ fuerit prima conjux Adami (vid. infra theſin 4.) Rectius *Aben Ezra* & *David Kimchi in ſcholiis ibid.* avem nocte volantem exponunt. VI. לי"ש *Laiſch. Iob.* 4. 11. quod gr. μυρμηκολέων vulgatus *tygris*, non notat diabolum, ut vult Eulogius apud *Photium in Myrobiblo* 280. VII. *Mammona Math.* 6. *verſ.* 24. non eſt nomen dæmonis, ut vult *Lombardus lib.* 2. *diſt.* 7. VIII. Omiſſa ridicula etymologia *dæmonis* quaſi *dimon*, à latina voce *divitiis* & Syriaca *Mammon*; & *diaboli* à *dia* i.e. duo & *bolus* i.e. morſellus, quia mordet duo ſcilicet corpus & animam, ut ex Catholico & Gemma gemmarum Scholaſtici nonnulli, inter eos *Gulielmus*, & *Themeſvar.* Quæritur quid reſpexerit Iſidorus lib. 8. c. 11. *Diabolus hebraice dicitur deorſum fluens &c. ſuperbiæ pondere deorſum corruens cecidit &c.* quem ſequuntur *Bonaventura ad* 2. *diſt. qu.* 1. & *Gerſon tract.* 8. *ſuper Magnificat.* Doctiſſ. *Mathias Martinius in Onomaſtico* conjicit eum quamvis perperam dicat vocem eſſe hebræam, reſpexiſſe בול *boul*, quod vertitur *Ieſa.* 64. 4. ἐκρυεῖν *defluere*: aut potius linguam Arabicam, רבל *dabala flaccescere, tabescere*, unde *debon* id eſt maraſmus. Sed *Iſidorus* vocem Διάβολος non dicit eſſe origine hebraicam, nec ſi dixiſſet tantam

tam puto in illo fuisse hebraismi & Arabismi cognitionem, ut de radicibus illis cogitarit. Simpliciter ergo dicendum, Isidorum contuliſſe ſynonymum hebraicum, quod ipſius opinione fuit נָפַל à rad. *naphal* id eſt, cecidit, dejecit ſe, defecit, corruit: *Geneſ.*6.4. Vbi alioquin gigantes intelligendi ſunt, quos plurimi antiquorum credebant eſſe à diabolis genitos, nonnulli diabolos ab ipſis genitos. De quo infra.

Voce explicata accedamus ad quæſtiones *An ſit*, *Quid ſit*, *cur ſit*, Primum quidem eſſe angelos malos ſeu dæmonia, *conſtat* 1. ex innumeris ſcripturæ teſtimoniis, quorum aliqua his theſibus citamus. 11. Ex ſpectris; quæ ad cauſas naturales referri non poſſunt, nec ad Deum aut angelos bonos, propter effecta eorum mendacia & improba. Ex hoc argumento collegerunt hanc veritatem Gentiles antiqui, & hodierni, aliique extranei, ut Mahumediſtæ. Vide *diſp.de Spectris.* Ad hanc claſſem argumentorum refero oſtenta & prodigia. Cujus argumenti vim ut Gentiles viderunt, ſic declinare nō potuit ipſe Machiavellus l. 1. diſcurſuum c. 56. p. 231. *Hujuſmodi rerum cauſas ab iis explicari poſſe credo, qui rerum, naturalium ac ſupra naturalium cognitione inſignes ſunt: à qua me alienum eſſe fateor: niſi forte cum philoſophis quibuſdam pronuntiandum cenſeamus, aerem plenum ſpiritibus & intelligentiis eſſe, quæ res futuras prævidentes, & caſibus humanis condolentes, eas hominibus per hujuſmodi ſigna prænuntient, ut ſe adverſus eas tempeſtivius præparare & communire queant. Vtut ſe res habeat, Experientia certe compertum habemus, talia ſigna ſequi ſolere magnos aliquos motus.* 111. Ex Oraculis quæ è terræ cavernis, ex arboribus, ex ſtatuis edebantur. Quod eadem conſequentia, ac præcedens argumentum urgendum. Vide *diſp. de Prophetia.* 1v. Ex energematis & energumenis, per eandem conſequentiam. Confer *diſp. de Energumenis.* v. Ex effectibus & maleficiis magicis, per eandem conſequentiam. Confer *diſp.de Magia.* v1. *Deinde*, ſi quid valeat apud Atheos & Libertino-Scepticos, accedat conſenſus omnium cujuſcunque ſectæ ſapientum, Iudæorum, ſcil. Mahumediſtarum, Gentilium. Poſtremorum teſtimonia vide apud *Eugubinum lib.* 8. *de perenni Philoſophia. Rejicimus ergo.* 1. Errores Saducæorum qui dæmonia negabant *Actor.* 23.8. *Epiphan. lib.* 1. *tom.* 1. 14. *Nazianzen. orat.* 6. quæ eſt de Spiritu S. 11. Quorundam inter Gentiles, qui exiſtimabant dæmonum naturam ab omni malo prorſus abhorrere. Sed confundebant illi angelos bonos & malos, & Deos cum dæmonibus. Quomodo *Heſiodus* de aurei generis hominibus canit, Τοὶ μὲν δαίμονές εἰσι Διὸς μεγάλου διὰ βουλὰς, Ἐσθλοὶ, ἐπιχθόνιοι, φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων. &c. De quo vide *Theod.curat.ſerm.* 8. *p.* 111. Confer & *Eugubinum lib.* 8. *cap.* 31. 33. Et Heinſium introductione ad Heſiodi opera & dies cap. 10. p. 239. ubi hanc Gentilium theologiam ſic

2.

explicat : *Horum igitur* γηγενῶν *duo constituenda genera : quorum alteri dissoluebantur ; alteri in speciem* λογικὴν *convertebantur , & constituebant nobilius quid & aerium. In omni vita tria statuunt Platonici;* βιον, θάνατον, λῆξιν, *sicut Proclus loquitur : vel ut nos mallemus,* βίον, τελευτὴν, μοῖραν *id est, vitam, vitæ finem, & quod vita finem sequitur. Primi igitur sæculi homines quotquot nobiliores erant, post emensum tempus suum* λῆξιν Δαιμονίαν, *sive* τοὺς Δαίμονας τοὺς ἐπιχθονίους *constituunt . Secundi* τοὺς ὑποχθονίους. *Tertii sine* λήξει *interierunt. Quarti Heroas. Quinti* ψυχὴν ἀνθρωπίνην, *quos Hierocles* περί γεια ξῶα, *in libro de fato & providentia vocat , ubi eos tertios facit post* τὰ οὐρά νία, *quos Deos dicimus: quos sequuntur* τὰ αἰθέρια *quos Dæmones appellamus.* ὧν τὰ μὲν πρῶτα , *inquit* οὐράνιά τε καὶ θεοὺς καλεῖσθαι ἃ δὲ μετ ἐκεῖνο τὸ σύστημα ἔχειν ἔλαχε χώρα, λογικὰ αἰθέρια τε καὶ ἀγαθοὺς δαίμονας ὀνομαξεσθαι, τῶν τὲ συμφερόντων ἀνθρώποις ἑρμηνέας τε καὶ ἀγγέλους γενομένους, τὸ δὲ ἀνθρώπειο τῶν τελευταίαν τάξιν ἐπέχειν. οὓς περιγεια ξῶα καὶ ἀνθρωπίνας ψυχάς, καὶ (ὡς ἀνέιποι Πλατων) ἀθανάτους ὀνομάξεσθαι ἀνθρώπους. Et paulo post adducto loco Platonis, sic pergit: *Vt ex verbis aliquid constituamus duplices illarum ætatum facit homines alteri perpetua quadam serie humanum genus constituebant: qui autē puriores & præstantiores erant* λῆξιν *divinam consequebantur , & inter Dæmones referebantur. Atque hæc causa est , cur ex ætatibus illis* λῆξιν *constituat Poeta , &* εἴδη λογικά *e quibus omnibus unum solum instituto suo applicat. Id autem est* τὸ τῶν Δαιμόνων. *Repetit enim paulo post hæc de iisdem.*

Τρὶς γὰρ μύριοι εἰσὶν ἐπὶ χθονὶ πουλυβοτείρη
Ἀθάνατοι Ζηνὸς, φύλα κεσθνητῶν ἀνθρώπων.

111. Fanatici Enthusiastæ *Davidis Georgii* , qui diabolos transformat in corruptionem voluntatis humanæ , pravosque animi motus, aut cum iis confundit : qui demum exstiterint post lapsum Adami, ut convincitur ex *lib. Mirabilium part. 2. cap.* 28. 29. 30. 117. & evidenter ac compendiosè ex *Apologia ipsius ad Annam Oldenburgicam Comitissam Embdanam cap.* 5. Nec negare ausus fuit hanc ejus hæresin , novissimus omnium Hyperaspistes larvatus Andreas Hugelmumsonus ; quem detexit & resutavit *Vbbo Emmius* historicus & Professor , cum viveret , Groninganus. IV. Aristotelis , & quicunque absque mixtura Christianæ fidei in omnibus illum sectantur (quales imprimis Avicenna , Averroes & Averroistæ superioris sæculi in Italia) ; quem dæmonas nullos agnoscere , sed omnia eorum effecta aut fabulosa ducere aut ad causas naturales reducere certum est iis , qui modo scripta ejus inspexerint. Vide ex professo de hoc disputantem *Pomponatium de Incantamentis cap.* 9. & 10. Qui in quascunque formas se verterit, *Aristotelem* excusare non potuit: quod ipse fatetur. Idem evenit *Eugubino lib.* 8. c. 27. & *Scaligero Exercit.* 155. quamvis ille non ita fateatur. V. *Platonis in Cratylo & Epinomide*, & sectatorum Plotini , Procli, Porphyrii, Iamblichi, Alcinoi qui dæmonibus bonitatem attribuunt & benigna

benigna officia erga homines, atque adeo angelos bonos cum malis confundunt, ut constat ex *Augustino lib.* 10. *de civit. Dei cap.* 11. *Eugubino l. cit. c.* 22. 23. 24. Pseudo-philosophiam illam recoxit Psellus refutatus à *Delrio disqu. Magic. lib.* 3. Eamque tanquam primarium Magiæ fundamentum & allicium avide arripuerunt Doctores Magici Agrippa, Trithemius &c. Nec satis ab ea alienos se ostendunt *Pomponatius*, *Cardanus loc. cit.* & si qui sunt istius commatis philosophi. Modo enim ajunt, modo negant, Sed optime id constabit, si videatur ipse *Psellus* nuper *gr. lat.* cum notis editus à Gilberto Gaulmin, & conferatur cum eo *Iamblichus de mysteriis Ægyptiorum.* VI. *Timothei Brichti disputationem*, quam habet *in animadvers. ad Physicam Scribonii* contra divisionem angelorum in bonos & malos, putamus non esse heterodoxiam Theologicam, sed meram λεπτολογίαν dialecticam, circa technologema *Divisionis.*

Quid sit dæmon explicabit hæc descriptio: Est *angelus in integritate creatus, qui propter propriam defectionem, malitiæ & miseriæ immutabili subjectus providentiæ ac gloriæ Dei inservit etiam invitus.* Genus facimus *Angelum* id est substantiam spiritualem. De essentia ejusque proprietatibus, ut & de existentia & personalitate nihil hic dicendum; præsupponuntur illa ex tract. de Angelis in genere. Differentiam specificam, qua à bonis distinguitur, immutabilē malitiam & mileriam: Cujus causæ subjiciuntur. Rejicimus hic errores 1. Platonis, qui in Epinomide materiales facit dæmonas, & quidem animalium numero comprehendit, quibusdam corpora tenuiora ex aëre, aliis ex æthere attribuens. 11. *Porphyrii in 2. de Abstinentia*, ubi non tantum cum aliis Gentibus delirat dæmonas nidoribus & sanguine hostiarum delectari sed & corpuscula illorum aeria iis pinguescere. Ad quæ miror Eugubinum subjicere cap. 30. *Quæ forte vera sunt, ut proinde locis humidioribus inhæreant. Sed mihi cum primis vestigantur, quæ multorum testimoniis confirmata, ob id veriora noscantur. Sic ambulantes, per loca arida, & sine humoribus, & aqua, non habent* ubi conquiescant. Manifeste nimis hanc λαχυσίαν dæmonibus attributam evincunt, ea quæ occurrunt apud *Iustinum*, *Athenagoram*, *Minutium*, *Chrysostomum serm. de S. Romano. Tertullian. cap.* 22. *Originem c. Celsum* fere *circa finem. Porphyrium* sibi contradicentem & hæc incrustantem vide quomodo ex Pythio confundat *Theodoret. de curat. serm.* 12. *p.* 138. 111. Thalmudicorum & Cabalistarum, qui corporeos eos statuunt & rebus corporeis affici, cibis vesci, generare, mori instar hominum. Quas rancidas nugas ambitiosè venditat R. *Menasse ben Israel problem. de creatione* 22. ubi etiam ex *ps.* 104. *v.* 4. probare conatur, corpora eorum ex igni & aere esse composita. Sed de origine, essentia & natura dæmonum fluctuant, & in varias opiniones sciſſi sunt: quas,

ne prolixus sim, verbis singulorum autorum citandis, pleraſque compendiosè recenſet Munſterus in notis ad Levitic. 17. *De his aëreis dæmonibus, Hebræi mirabiles habent opiniones. Nam ajunt: ſicut Deus à principio quaſdam fecit creaturas corporeas ex quatuor elementis, ſic quoque fecit quaſdam ex duobus tantum elementis, puta ex igne & aëre: & hæ exterioribus ſenſibus percipi non poſſunt, ſicut nec anima jumenti, eo quod corpus habeant quodammodo ſpirituale. Et ſicut corpora ex quatuor elementis compoſita, diſſolvi poſſunt per mortem, & reſolvi in elementa, ita quoque memoratæ ſubtiles creaturæ poſſunt mori, & corpus illud inſenſibile reverti poteſt in ſua elementa. Et habet iſti dæmones tres proprietates angelorum miniſterialium, & tres proprietates filiorum hominum. Nam habent alas ut angeli, (memẽto me referre opinionẽ) volant perniciſſimi ut angeli, præſciunt futura ut angeli, edunt & bibunt ut homines, generationi operam dant ut homines, moriuntur ut homines. Movent ſe celeriter de loco in locum, quod omni deſtituantur gravedine. Nam ſi avis, quæ de terra & aqua aliquid habet, tam velociter ſe movere poteſt, quomodo non velocius dæmones iſti aërei per aëra movebuntur, qui nulla onerantur gravi materia? Cibus & refrigerium eorum eſt ut lambant liquiditatem aëris, & odorem hauriant ignis. Vnde & à necromanticis ſuffitu fumi facile ad votum haberi poſſunt. Et quod futura præſcire dicuntur, id non habent ex ſua natura, ſed cum in æthereis partibus circumvolitent, multa diſcunt à rectoribus orbium cœleſtium, quæ ipſi deinde aliis, quibus volunt, revelant. Non tamen cognoſcere poſſunt ea, quæ poſt multos annos futura ſunt, ſed quæ præſens cœlum minatur. His nulla commiſſa eſt autoritas aut poteſtas, ut nec nocere quidẽ nec prodeſſe poſſint homini. Sunt rurſus alii, qui de dæmonibus aliam habent opinionem, nempe quod omni careant corpore elementari, ſed nudæ ſint animæ, creatæ à principio mundi priuſquan corpora pro eis formarentur. Nam cum ſabbatum jam illuxiſſet, & illæ nondum corpora à domino accepiſſent, relicti ſunt nudi ſpiritus abſque corpore. Et d ajunt Hebræi innui per hæc verba, quæ in principio Geneſeos ſcribuntur. Quæ creavit Deus ut faceret. Vocantur autem proprio nomine* שרים *quod ſuperiorum influentias devaſtent & immutent: quod & magi facere dicuntur, eorum freti auxilio. Induunt nonnunquam corpus ut horrore videntes concutiant. Sunt rurſum dii, qui adhuc abſurdiorem habent opinionem, nempe quod ex ſomniali hominis ſemine hi maſcantur cacodæmones, aut ſaltem corpus aſſumant præſertim ſi dormienti carnalis & turpis imaginatio ſeu illuſio obverſetur: & hos vocant* מזיקים *id eſt nocentia dæmonia, quæ homini tandiu inſidiantur, donec ſublatus fuerit de mundo. Vndie ſapientes Hebræorum dicũtur ordinaſſe quod cum funus aliquod in ſepulchrum eſt mittendum, ſeptenæ fieri debeant circa illud circulationes: fugiunt enim ab illis dæmones, & tunc ſubito mittendum eſt corpus in foveam priuſquam dæmon redeat & cadaver, unde ipſe factus eſt, inficiat atque inquinet. Mira invenies de his portentis apud Rabi* Abraham *autorem* faſciculi myrrhæ. IV. Hæreticorun, qui diabolum aut ex

trice-

triceſimo æone natum, ut Valentiniani, Archontici; aut corporeum dixerunt ut Meſſaliani; aut ãgelos cum mulieribus cojiſſe ad homines procreandos, ut Sethiani. De quibus videndi *Epiphan.* *Auguſt.* aliique hæreſiũm ſcriptores. Nec ſunt plane immunes ab hac opinione illi ſcriptores, qui abuſi loco *Geneſ.* 6. *v.* 2. putarunt angelos genuiſſe ex mulieribus gigantes, aut dæmonas ac propterea è cœlo dejectos ut *Philo de Gigantibus*, *Iuſtinus* 17. *orat. ad ſenatum Romanum*, *Clemens Stromat.* 3. *Tertullian. de habitu mulierum*, *Lactantius lib.* 2. *cap.* 15. *Alii* eodem loco *Geneſ.* 6. abuſi putarunt eſſe dæmonas, (dictos filios Dei, quia natura tales ſint), qui corporei cum ſint, inſtar hominum generarint, ut *Franciſc. Georgius tom.* 1. *problem.* 74. Alii eundem locum ſic acceperint, ut putent dæmones primum ſuccubos à potentiſſimis viris validiſſimum ſemen excepiſſe, quod deinde iidem incubi in validiſſimas fœminas transfuderint, unde gigantes nati; ut *Burgenſis in Geneſ.* 6. & *Valeſius philoſ. ſacr. c.* 8. v. Mahumedis qui *Suratt.* 65. homines ex umbra, diabolum ex flamma ignis conditum ait. VI. Cujus furores ſuperat delirium idiotici & phantaſtici cujuſdam nuperi Enthuſiaſtæ *Iohannis Boëmen*, qui dæmonem ex ſubſtantia Dei creatum dicit, & partem eſſe eſſentiæ divinæ. *Apolog.* 1. germanice *c. Balthazar. Tylcken ſect.* 521. VI. *Ethnicorum*, qui improborum animas transformatas putabant, in manes, lemures, larvaſque circum vagantes, territantes, atque infeſtantes. Ita teſtatur Iſidorus lib. 8. origin. *Larvas in hominibus factos dæmones ajunt, qui meriti mala fuerint.* Sed vide ipſum *Apulejum de Deo Socratis* & *apolog. part.* 1. Et *Philoſtratum de vita Thyanæi lib.* 3. *cap.* 2. Hujus ſententiæ fuerunt etiam Iudæi, ut patet ex *Fl. Ioſepho lib.* 7. *de bello Iudaico cap.* 33. Ex Chriſtianis *Athenagoras in legatione* affirmat angelos *Geneſ.* 6. 2. genuiſſe gigantes, quorum defunctorum animæ in dæmonas ſint mutatæ, & circa mundum pererrant. Patrum quorum aliqui Ethnicos & Platonicos ſecuti dæmonas fecerunt guloſos, qui nidoribus & ſanguine hoſtiarum allicerentur, ut *Athenagoras*: aliqui theogoniis & genealogicis fabulis Ethnicorum. Iudæorum, & hæreticorum inſiſtentes, diabolis attribuerunt luxuriam & congreſſum cum fœminis, quales illi quos infra citamus. Alii & quidem complures cum Platonicis corporeos eſſe & corporeis affici; ut *Iuſtinus Martyr. quæſt. Græc. confut. Origenes* περὶ ἀρχῶν *in prologo. Tertullian. de carne Chriſti c.* 6. & *c. Marcionem lib.* 3. *c.* 9. (quamvis hunc excuſet *Pamelius in paradoxis Tertulliani*, dicendo quod vocem *corporis* late acceperit pro *ſubſtantia*); *Lactantius lib.* 2. *cap.* 15. *Cæſarius Dialog.* 1. *Macarius homili* 4. *Claudianus de ſtatu animæ lib.* 3. *Gennadius de Eccleſiaſt. dogmat. c.* 12. *Auguſtinus de civit. Dei lib.* 8. *c.* 16. *Geneſi ad lit. lib.* 3. *c.* 10. *Epiſtol.* 111. & 115. *Retractat. lib.* 1 *c.* 26. *ad quæſt.* 47. Vt vel hinc videant Pontificii

(qui hanc opinionem hodie rigide & communi fide rejiciunt) quam dextre interpretatio & praxis patrum cynosura sanæ Theologiæ statuatur. Quid item de actis Conciliorum, ad quæ tam promptè confugere solent: Cum in *Concil. Niceno* 2. *act.* 5. Ioh. Episc. Thessalonic. dicat: *ita ecclesiam catholicam docere.* Sed de hoc plura contra Pontificios in *disp. de patribus.* Ex recentioribus theologis & philosophis Pontificiis eandem opinionem fovent *Cajetanus in Genes.* 4. & *in Ephes.* 1. Et *Niphus tract.* 3. *de dæmonibus cap.* 34. An autem dæmones afficiantur rebus corporeis infra *thesi* 9. disquirimus. VIII. Inter recentiores vastæ lectionis & eruditionis vir Gerard. Ioh. Vossius tract. de Idololatr. (quem post primam hujus disp. editionem vulgatum, commodùm nunc confero) lib. 1. c. 6. de sententiarum discrepantia sic judicat: *Etsi vero cum nemine contentionis funem duxero, qui angelis corpora tribuat, laxius hac voce accepta: non tamen assentiendum Thalmudistis, qui eos nugantur productos ex sinistro massæ latere: vel Platonicis, qui definire non verentur, corpora iis esse rotunda, ac his ætherea, illis aërea, vel alius elementi. At extra controversiam ponimus, etsi humana sæpius corpora assumant; minimum tamen corporeos esse dicendos, quatenus perfectæ sunt substantiæ per se, nec ordinem habent naturalem ad corpus: contra quam in animis sit humanis, quæ citra quidem corporis organa, sed modo subsistunt imperfecto: puta ut pars perfectæ substantiæ constitutiva; unde nonnisi indirecte & reductive ad substantiarum seriem pertinent.* Nos in sententia scholasticorum quippe tutiori, & quæ nihil absurdi habet, manemus. In qua secuti sunt Patres, qui dæmonas faciunt ἀσωμάτους, Autor sub nomine *Justini quæst. Græcanicis confut. q.* 2. *Cyrillus in Ioh. l.* 2. *c.* 10: *Nazianz. orat.* 2. *de Theolog.* & 38. *de natali Christi, Chrysostom. orat.* 1. *de Provid. Theodoret. de curat. gr. aff. serm.* 3. Et *in Genesin quæst.* 36, Adde iis *Pseudo. Areopagitam*, & *Damascenum.*

4. Causa efficiēs diaboli, quatenus creatura est seu secundum id quod Deus illum fecit, est solus Deus, ut in loc. comuni de Angelis docetur: quatenus vero ut diabolus seu formaliter malus consideratur, & secundum id quod seipsum fecit, nulla alia est causa efficiens (seu potius deficiens) quærenda extra ipsum. Est ergo obstinatæ malitiæ, quæ lapsum ejus excepit, si consideretur ut culpa, diabolus solus causa efficiens physica: sin vero consideretur ut pœna, idem solus est causa moralis meritoria. Lapsus autem seu primi sui peccati solus est causa physica, nam hic meritoria nulla locum habet. Denique omnis miseriæ & pœnæ qua talis à Deo inflictę ac porro infligendæ, diabolus est causa meritoria, Deus vero per justam & efficacem providentiam suam causa physica operando & cessando ab actione, subtrahendo, permittendo. Veritas autem, hujus assertionis nostræ probatur 1. *quia* Deus creavit omnia valde bona *Genes.*

1. 31.

1.31. 2 *quia* Deus nullo modo est aut esse potest autor mali culpæ; quod alibi ex professo probatum, hic præsupponimus: sed Deus est autor mali pœnæ, quod cum sit bonum justitiæ ab alio nullo esse potest tanquam summo domino, rectore, & judice, quam ab ipso; ut suo loco demonstrandum est. 3. *Quia* scriptura diabolum exserte facit authorem lapsus & malitię suæ 2 *Petr.* 2.4. *Judæ v.* 6. *Iohann.* 8.44. 4. *Quia* si Deus esset author peccati diabolici, esset per aliquam actionem, quæ Deo circa hoc peccatum adscribitur. Sed per nullam earum est. Non per præscientiam & decretum tum permittendi tum ordinandi in bonum: quia sunt actiones immanentes. Non per creationem, quia creavit eos bonos, & angelos lucis *Iohann.* 8. 44. *Judæ v.* 6. Non per permissionem, quod labentes non inhibuit aut sustentavit, quia permissio non est actio, sed cessatio ab actione seu non actio. Non per actualem ordinationem, qua lapsum hunc convertit ad aliquid bonum, ad gloriam scil. *tum* Iustitiæ erga diabolos & improbos qui ab illis cruciantur; *tum* castigationis paternæ electorum, qui ab illis exercentur; tum providentiæ generalis in hoc universo, ubi ministerio eorum uti novit; tum immediate gratiæ & erga angelos electos, & misericordiæ erga hominem lapsum: Nam tota hæc emanans ordinatio seu gubernatio, sequitur lapsum, eumque præsupponit, ergo non est causa. Adhæc validissime evincit Deum esse causam non mali sed boni, quippe qui ex ipsis tenebris lucem educat & desperatissimo malo contra & præter naturam suam & contra seu præter intentionem malefici in bonum utatur. Porro si quis quærat an & quomodo lapsus hic fuerit possibilis (de quo disputant *Scholastici ad Thom.* 1. *qu.* 63. *art.* 1. Et idem *Thomas contra Gentes lib.* 3. *qu.* 109. & 110.) respondemus simpliciter ad quæstionem *an sit*, ex eventu tanquam à posteriori id constare. Ad quæstionem *cur sit* seu *quomodo*, nihil ita responderi potest quin semper maneat aliquid ingeniolo nostro in hac vita ἀκατάληπτον, non minus quam circa modum illum quo diabolus decepit Evam 2 *Corinth.* 11. 3. A parte diaboli non fuisse impossibile ut deficeret, suadet status ejus mutabilis: neque enim voluntas ejus recte agendi lex ac norma fuit, nec veritas & justitia illi essentialis, nec absolutè bonus erat & per essentiam (quod soli Deo proprium) sed omnia illa erant in illo ἐκμέτρῳ, per participationem, accidentaliter, atque adeo mutabiliter. Aparte Dei fuisse possibile nec inconveniens ut lapsum permitteret, docet ex eventu & à posteriori summa ipsius sapientia, perfecta bonitas, & summnm ac absolutum in omnes creaturas jus ac dominium, secundum quod ita voluit; cujus voluntatis causa quæri non debet, nec assignari à nobis potest. Considerentur loca *Rom.* 9. 15. 18. & 11. 35. Rationes

nes alias, quas congruentias appellant, quæ ab *Augustino*, Scholasticis, Metaphysicis contra extraneos è fide adferri solent, suo loco relinquimus; modo ne statuantur ratio adæquata & à priori, aut causa necessaria cur Deus potius permiserit malum ingredi in mundum primo per angelos, deinde per homines; quam utrosque aut alterutros in bono confirmarit, cum pro summa & libera potestate ac potentia sua potuisset. *Rejicimus* ergo 1. *Iudæorum*, & Christianorum quorundam (quos supra *thesi* 3. notamus) opinionem de dæmonum ortu ex congressu angelorum cum hominibus. 2. *Eorundum* Iudæorum opinionem de ortu dæmonum ex conjugio Adami cum priore uxore, cum qua ante Evam copulatum fuisse Adamum fabulantur, eamque *Lilith* appellant: quæ ipsis mater dæmonum. De qua fabula videndus liber *Ben Sira*, ut hebraicè ab ipsis Iudæis editus est. 3. *Eorundem* opinionem de quamplurimis dæmonibus maribus genitis ab Adamo ex commixtione cum dæmonibus fœminis totis 130. annis, quibus propter luctum ex morte Abelis à congressu cum uxore Eva abstinebat; & quamplurimis dæmonibus fœminis, quas iisdem 130. annis pariebat Eva ex commixtione cum dæmonibus maribus. *Bereschit Rabba sect.* 20. & 24. Et *R. Selomo in psam.* 89. *v.* 33. qui *ibidem* paulo aliter, quod geniti sint ex fluxu seminis nocturni, dum separatus esset ab Eva. Idem secutus *Thalmud*, ait separationem hanc fuisse factam per excommunicationem Dei, propter gustatum fructum vetitum. Variat ergo ab iis R. *Abraham* Hispanus apud *Munsterum in notis ad Mattheum hebraic. cap.* 14. 4. *Alias* Iudæorum, ut & Gentilium & Christianorum tum hæreticorum, tum orthodoxorum opiniones de ortu dæmonum *thesi præcedenti* attigimus. Confer infra *thesin* 8. *sub finem.*

Consectar. Scholastici ad 1. *qu.* 63. *art.* 1. & *ad* 1. 2. *qu.* 58. *art.* 2. & *qu.* 77. *art.* 2. & *ad Magistrum* 2. *dist.* 22. & 23. disputant, An possit Deus creare angelum seu creaturam rationalem quæ sit impeccabilis per naturam, sive contra finem & præcepta naturalia, sive contra supernaturalia: Et an possit dari intellectus creatus cum ea perfectione naturali, ut clare & intuitivè videat Deum. Nos rejecta falsa hypothesi de primo instanti ævi seu morula angelorum, qua illi fuerint absque gratia in puris naturalibus, ut vocant; cum *Thoma p.* 3. *qu.* 16. *art.* 1. & 1. 2. *qu.* 4. *art.* 4. contra *Durandum* & *Scotum* statuimus posse creaturam fieri impeccabilem per gratiam unionis, aut per claram Dei visionem, aut per peculiarem quandam assistentiam seu confirmationem: Præterea, affirmativam sententiã saltem de impeccabilitate circa finẽ & materiam virtutis supernaturalis præjudicare doctrinę de necessitate gratiæ. Cui vacat de præceptis naturalibus sive à natura inditis sive positivis superadditis eos videre dimicantes, is adeat

Caje-

Cajetanum, aut potius *Vasquez* qui fusè de eo agit *ad 1.qu. 63. art. 1.* aut *Becanum Theolog. Scholast. part. 1. tract. 3. c. 4.* qui compendiosè.

Vt autem defectionem dæmonum tanto melius percipiamus, consideranda sunt ista 1. Vnde cecederint. 2. qui & quales ceciderint. 3. quot ceciderint. 4. Quis ordo seu processus. 5. Quis locus. 6. quod tempus. 7. Quodnam genus peccati. 8. Quantum sit peccatum. 9. Quænam consequentia hujus peccati. 1. Defecerunt à statu integritatis in quo conditi erant: quem statum non tantum constituimus in puris naturalibus (ut ex Scholasticis *Bonaventura*, *Henricus*, *Scotus* cum suis &c. hic distinguere solent) sed in gratia imaginis divinæ, quæ & naturalis & supernaturalis diverso respectu dici potest, quomodo Theologi nostri contra Pontificios de imagine Dei in Adamo determinant. Eam putamus notari voce *veritatis* Iohan. 8. 29. haut aliter ac imago Dei in homine voce *rectitudinis* Eccles. 7. *Vasquez* sententiam hanc nostram tuetur & contrariam refutat in *p. 1. disputat. 217. c. 4. & 4.* 11. Fuerunt ex angelis cœlestibus, qui ceciderunt. Hic quærunt Scholastici, an ex uno ordine, an vero ex omnibus aliqui ceciderint: Et posterius *Lombardus* cum suis affirmat. 2 *lib. dist. 6.* Ex recentioribus *Becanus c. 4. qu 3.* probari id dicit ex *Ephes. 6. 12.* & ex patribus; quos tamen nullos ibi adducit. *Themes var. Rosar. lib.* 2. in voce *Dæmon*, duas adfert rationes. *Prior est*, quia de summo ordine aliquis cecidit, puta Lucifer, ergo multo fortius de ordinibus inferioribus aliqui ceciderunt. *Altera*, quia ad singulos ordines angelorum aliqui homines assumentur, ex quibus angelorum ruina reparabitur; Ergo. Quas rationes etiam innuit *Thomas 1. q. 63. art. 4.* Sed inanias illas falsis aut incertis hypothesibus subnixas detexisse est refutasse. 111. Numerus lapsorum in scriptura non est definitus. Sufficit ergo nos indefinitè hoc scire, multos fuisse; quod à posteriori ex multitudine dæmonum colligitur. Quod autem Scholastici cum *Thoma art. cit.* definiunt ex 2 *Reg. 6. 16.* plures angelos permansisse in gratia quam peccasse; parum soliditatis habet. Plus vanitatis habet quod Rusca lib. 5. de inferno & statu dæmonum cap. 3. *Certo hoc statui posse* &c. *id theologi uno ore fatentur.* Adhuc plus temeratiæ curiositatis habet determinatio Guliermi Parisiensis de Vniverso part. 3. c. 8. *Theologi Christianorum*, *ait* Parisiensis, *produnt decimum ordinem solum cecidisse, sic intelligentes, non secundum planum literæ, quia decimus ordo nunquam fuit: sed secundum æqualitatem, quod est dicere, quia tot ceciderunt quot unus ordo continet, ceciderunt inquam secundum eos, ita quod ex uno quoque ordinum aliqui, ita quod ex omnibus simul aggregatis summa unius complectitur.* Ad hæc verba Parisiensis sic commentatur Rusca loc. cit. 5.

Cum ergo juxta hujusce autoris mentem (part. 2. de Vniverso cap. 94. 95.) *tot legiones sint in unoquoque ordine substantiarum abstractarum, quot sunt in una legione angeli, legionis autem numerus sit sex millium sexcentorum sexaginta sex, apparet evidenter, sic dicamus ad numerum integri ordinis Angelorum, ascendere multitudinem dæmonum peccantium: cecidisse sex mille, & sexcentas sexaginta sex legiones malorum Angelorum, quæ constituunt numerum* 4443 5556. *dæmonum. Incerta prorsus res, quam, uti dictum, sacræ litteræ, & veteres religionis nostræ magistri reticuerunt, contenti scire,* Quod novit Deus, qui sunt ejus. *Mea sententia, longe major est dæmonum numerus, ut ea insinuant, quæ initio capitis diximus. Adjicio semper unicuique hominum dæmonem assistere, immò nonnunquam uni, infinitam illorum multitudinem. Si moris esset, frequenter exempla adhibere multis id ostenderem. Sane quindecim millia dæmonum adfuerunt morti cujusdam Cunionis vitæ probitate insignis, ut testis est* Cæsarius Heisterbachensis, *Dæmon ipse, ut scribit idem* Cæsarius, *retulit Vualtero cuidam, in pergrandi sylva non extitisse tot arborum folia, quot dæmones aderant morienti cuidam Abatissæ, quæ sanctissime vixerat. His, ut temere fidem non abrogo, sic non imprudenter mihi videor conjicere, infinitum prope malorum spirituum numerum, in vasta hac totius mundi universitate, ad decipiendos mortales, commorari, ac longe excedere definitam à Parisiensi summam.*

IV. Ordinem & processum defectionis absque scripturis ita ex sententia quorundam patrum describunt Scholastici, Vt primo unus aliquis (quem principem Angelorum & Luciferum appellant) ceciderit; idemque alios omnes ad lapsum persuasione & exemplo suo impulerit. Nec videndentur ex nostris quidam ab illa sententia abhorrere (excepta fabula de Lucifero,) inter quos nonnemo ex Theologis hodiernis præstantissimus, & ante eum *Danæus Isagog. part. 2. c. 19.* adducti loco *Math. 25. 41. Apocal. 12. 9. & 20. 2.* Sed consequentia illa non videtur satis solida, quia nunc inter dæmonas aliquis eminet, ideo in lapsu fuisse antecessorem. Malumus itaque doctam ignorantiam hic profiteri. Quod si quis instet, Nunc inter dæmonas est unus pejor omnibus aliis, & graviores pœnas sustinet: ergo ab initio fuit quis angelus omnium princeps, qui primus tempore peccarit, cujus peccatum gravissimum propter causalitatem, quia ille à nemine seductus, omnes alios seduxit. *Resp.* consequentiam esse infirmam. Potuisset enim pejor fieri incremento malitiæ, & ab initio per primum peccatum talis non fuisse. *Deinde* antecedens falsum esse quod ad prius membrum; & plane incertum, quod ad posterius membrum Plures enim dæmonas (& non unum) pejores esse aliis constat ex *Luc. 11. v. & Math. 17. v.* De maxima vero unius supra omnes alios pœna nihil habet scriptura. Commentum autem illud de principatu Lucife-

ri,

ri, quod post Scholasticos quinque argumentis statuminat *Bellarmin. de Pontifice lib.* 1.*c.*9. vide refutatum à *Chamiero*, *Vvittakero &c.* Alteram disputationem de instanti & morula inter peccatum luciferi & aliorum, & inter condemnationem ac lapsum è cœlo ut curiosam & incertam Bonaventuræ & Schotistis relinquimus. v. Locum, ubi defecerunt, fuisse cœlum beatorum docet scriptura *Iudæ v.*6. Itaque putamus audaces satis esse opiniones eorum, qui angelos aliquos in aere, aut cœlo stellato, aut mundo inferiori creatos volunt. Vide *Pererium in Genes.* 1. & *Corn.à Lapidein epistolam Iudæ.* VI. Tempus lapsus non definit scriptura. Hoc saltem indefinite constat, præcessisse lapsum Adami; itaque non fuisse integritati moram longiorem quam à prima creatione mundi, usque ad lapsum Adami exclusive. Opinionem *Eugubini*, quod peccarint primo creationis suæ instanti, & disputationes Scholasticorum de tribus morulis seu instantibus, quorum secundo aut tertio demum gratia puris naturalibus fuisset super addita, &, an peccare potuerint primo creationis instanti, ipsis relinquimus, cum non pauca partim absurda partim incerta intercurrant. Hoc saltem recipimus, inter morulam seu instans viæ & instans termini (in quo lapsi & condemnati sunt dæmones) distinguendum esse. Consulat eos qui volet *ad* 2.*dist.*5 *&* 1.*Thom.q.*63. *ar.*6.ex recētioribus imprimis *Vasq. ad Thom.*, *& Rhadam part.* 2.*contr.* 11.*art.*1.*&* 3. VII. Genus peccati cum patribus (quos citat *Vasquez*) non paucis definiunt *Scholastici ad Magistri dist.cit.*& *Thom.q* 63.*a.*2.& recentiores Pontificii in *comm..ad* 2 *Pet.*2.*&* *Iud.v.*6. fuisse superbiam. Cui incerto fundamēto, sed ipsis certissimo, superstruunt & has Disputationes: An objectum superbiæ angelicæ fuerit divinitas per essentiam? an vero unio hypostatica? an beatitudo sua naturalis? an dominium & prælatio, ut scilicet voluerit præesse angelis, aut hominibus, aut utrisque? Quæ omnia eadem facilitate rejicimus, qua absque scripturis adferuntur. 2. Alii dicunt fuisse invidiam ex *Sapient.*2.24. sic *Cyprianus de zelo & livore.* Scholastici conjungunt illam cum superbia, & in duas opiniones hic abeunt. Sunt qui peccatum hoc ab illis commissum dicunt cum adhuc essent in via. Contra alii cum essent in termino & in statu damnationis, tunc enim homini invidisse gloriam quam ipsi perdiderant. 3. *Alii*, ut *Occam*; *Biel*, *Themesvar* peccata sic plenius describunt, ut fuerint successive tria capitalia, quibus addunt alia novem accessoria & quidem mortalia. Peccatum seu lapsus diaboli consideratur vel quantum ad *inchoationem*, & sic fuit superbia præsumptionis & tumoris, quam comitabatur ingratitudo, nimius amor sui & peccatum omissionis, quod non cohibuerit illam præsumptionem: Quantum *ad medium* fuit superbia ambitionis; quam comitabatur rapina

& appetitus, appetiit gloriam modo indebito, scil. sine meritis; denique quod cito eam appetiit scil. cum adhuc esset viator. Quantum ad *consummationem* & confirmationem fuit aversio odii, ex quo enim non potuit obtinere quod appetebat, cœpit odisse Deum. Quod comitabatur invidia, obstinatio, desperatio. 4. *Alii*, Mendacium ex *Iohan.* 8. 44. 5. *Alii*, luxuriam, ex *Gen.* 6. 2. Eam enim iis tribuit non tantum opinio *Iosephi* & *Philonis*; sed & patrum *Athenagoræ*, *Iustini*, *Clementis Alexandrini*, *Tertulliani*, *Lactantii*. Absurditatem hujus opinionis non est quod hic persequamur. Videantur *Commentatores in Genesin.* 6. & *Eugubinus perenn. philosoph. lib.* 8. *cap.* 42. 9. *Alii*, Remissionem & minorem attentionem circa contemplationem Dei: jam enim incipiebant aciem mentis à Deo ad se ipsos convertere & excellentiam suam admirari. Sic ex nostris eximius quis Theologus *Disp. de Angelis*: qui ibidem negat superbiam peccatum angelorum. Sed, ut verum fatear, non video quomodo non recidat in opinionem scholasticorum, quam rejicit. Quando enim de lapsu protoplasti aut dæmonum quæritur, non intelligitur primum cogitationis aut appetitus initium, sed peccati completi & consummati species. Nos defendemus certissimam hic esse doctam ignorantiam: nullam ex omnibus opinionibus certam, quamvis illa de superbia videatur reliquis probabilior. VIII. De Magnitudine peccati quærunt Scholastici, an omnium peccatum fuerit æquale? an omnes peccarint ex destinata malitia? an vero aliqui ex errore, ignorantia, seu actuali inadvertentia & inconsideratione cujusdam circumstantiæ actui suo apponendæ? Pugnant hic Scotistæ cum Thomistis. Nos pugnæ tantum spectatores erimus, omnia illa in medio relinquentes, ne sapiamus supra id quod scriptum est. Idem dicimus de quæstionibus, cur peccatum eorum sit irremissibile? cur non possint pœnitere? An Deus possit illis infundere bonam voluntatem? Et si non; quodnam sit impedimentum? Quare Deus tam breve tempus illis præfixit pro misericordia obtinenda. Quæ operosè ventilantur à *Bonaventura*, *Occamo &c.* & eorum compilatore *Themesvar.* Videntur etiam nonnulli ex nostris (inter quos supra citati) nimis tribuere patribus & Scholasticis, in rationibus assignandis cur hominibus lapsis facta fuerit gratia, diabolis non. Nos autem putamus nullam hic demonstrativam & cogentem rationem posse adferri, præter liberum Dei beneplacitum *Math.* 11. 27. *Rom.* 9. *v.* 15. *&* 11. 35. *Ephes.* 1. 11. à reliquis rationibus abstinendum, ne fidelibus paleas pro doctrina scripturarum, & adversariis conjecturas nostras pro solidis responsionibus venditemus; Et ne viam sternere videamur ad analogicum aliquod meritum de congruo, propter quod hominibus magis liberatio obtigerit,

rit, quam dæmonibus. Aureum est monitum Aquinatis pag. 1. quęst. 32.a.1. *Cum quis ad probandum fidem Christianam inducit rationes, quæ non sunt cogentes: cedit in irrisionem infidelium. Credunt enim, quod hujusmodi rationibus innitamur, & propter eas credamus.* Quod utinam applicaretur sexcentis aliis conjecturis, congruentiis, & aitiologiis quæ ad singula fere consilia, dicta, facta, Dei aut Christi servatoris, eorumque ordinem & circumstantias otiosè à pluribus commentatoribus & Postilliistis adferri solent. Porro rationes illas (quas pleraſque *Bonaventura ad 2.dist.7.* fatetur esse congruitatis nõ necessitatis) inter recentiores Pontificios etiamnum ex patribus obtrudunt *Vasquez in 1.qu.73.art.2.disp.249. c.7.* Et *Corn.à Lapide comment.in 2.Pet.2.* ubi eas videant, quibus vacat. IX. Consequẽtia peccati dæmonum fuerunt partim in ipsis, partim in hominibus. In ipsis; est lapsus triplex de statu gratiæ, quam habuerunt, de statu gloriæ quam habituri fuissent, & de cœlo domicilio suo; Hinc continuitas & obstinatio in peccando (de qua *thesi 7.*) & miseria perpetua (de qua *thesi penult.*) In hominibus est lapsus, ad quem eos incitavit.

Rejicimus I. Porphyrium, qui (apud *Augustin. de Civit. Dei lib. 10. c. 11.*) statuebat Dæmonas quosdam esse naturaliter malos. II. Manichæos & Priscillianistas (apud *Augustin. de hæresibus c.46.*) qui negant diabolum esse angelum, sed contendunt esse quandam naturam mali & alterius Dei, quæ à seipso debellata sit. III. Eos qui apud *Danæum* (*Isag.part.2.c.20.*) volunt dæmonas non esse angelos cœlestes, qui primam originem deseruerunt; sed fuisse alios angelos præter istos malos. IV. Recentem Iudæorum scriptorem R. *Menasse Ben Israel*, qui 22. *problem. de Creatione*, non obscurè innuit malos dæmonas esse à Deo creatos, in & cum inferno. Quamvis ipse coram in colloquio famliari, quod per occasionem mecum hic habuit, affirmaret, se nescire an sint diaboli: de angelis quidem certum esse ex scriptura, de diabolis vero non itidem. V. Antiquiores Thalmudicos & Cabalistas, qui fingunt diabolos ortum habere per generationem ex Adamo, & Lilith ejus priori uxore, matre dæmonum. Vide eos apud *Buxdorf. Synagog. cap.2.p.7.76.77.* R. *Abraham Hispan.* apud *Munsterum in schol. ad Mathæum hebraic.c.14.* Confer quæ supra notamus *thesi 4.* VI. Platonicos, alioſque Gentiles (quos citamus *disp.de Energumenis thesi 6.*) qui diabolos ex improborum animabus in ipsos post mortem transformatis originem ducere somniabant. VII. Patres nonnullos *ibidem cit.* qui Thalmudico Platonico hoc delirio puritatem fidei & scripturæ simplicitatẽ cõtaminarunt. Cum quibus faciunt illi, apud *Photium Myrobl.num.232.* qui insuper addebant Gigantes ex angelis & fœminis progenitos cum brutis congredientes genuisse homines prodigiosos

digiosos & dæmonas, tam virili quam muliebri specie. VIII. *Iosephum*, *Philonem*, *& patres modo cit.* qui putarunt angellos esse corporeos, & luxuria primum peccasse *Genes.*6.2. atque ita factos diabolos & cœlo dejectos. Quasi jam ab initio diabolus non peccasset 1.*Joh.*3.8.& *Joh.*8.44, & hominem ad peccatum seduxisset *Genes.*3. IX. *Alexandrum Ales*, *Lombardum*, *Henricum*, *Bonaventuram*, *Scotum* cum suis, qui negant Dæmonas creatos esse in gratia. X. Curiositatem *Thomæ* cum sectatoribus *p.* 1. *qu.* 64.*art.*2.& *contra Gentes l.*4.*cap.*9.ubi disputat, Potuisse diabolos agere pœnitentiam, si Deus ipsis tempus & auxilium gratiæ concessisset. Contrarium tuentur *Durandus*, *Scotus*, *Richardus*, *Gabriel*, *Major &c.* XI. Curiositatem *Bonaventuræ*, *Occami*, *& Themesvar*, qui definiunt, Diabolum sicuti ab initio, sic & nunc appetere æqualitatem Dei; quamvis tunc cum spe ejus obtinendæ, nunc vero absque illa spe. XII. Curiosas esse nugas ejusdem *Occami* & ex illo *Themesvar*, cnm determinant, casum illum dæmonum è cœlo in aerem fuisse motum temporis modici & quasi inperceptibilis, ex *Luc.* 10.*v.*18. Sed sensum citati textus non esse literalem, sed mysticum potius fatetur *Corn.à Lapide in commentariis* : ubi non paucos ex patribus & Pontificiis citat, qui idem hic senserunt quod *Scholastici* modo *citati.*

*Probl.*1. an certum sit primum peccatum dæmonum fuisse in Spiritum sanctum stricte & proprie ita dictum; atque eo distinctum à peccato hominum, & irremissibile? *Neg.* 2. Quo loco habenda quæ in *Homero*, *Empedocle*, *Plutarcho* &c.de lapsu dæmonnm occurrunt (vide *Eugub.lib.*8.*cap.* 39. *Resp.* Ex certa ratione aut theologia naturali non profluxisse; sed ex fama & traditione inter Orientales sparsa, & inde ad Græcos traducta; deinde in mythologias transformata : quæ tamen Gentilibus insultantibus fidei nostræ tanquam argumenta ad hominem (ut vocant) opponi possunt : ut scil. illa ridere in theologia Christiana quorum similia in suis autoribus & theologicum applausu & admirationes saltem sine ofione hactenus legerunt.

Finales causæ diaboli, qua talis nullæ assignari debent, quia malum non habet finem. Quamvis autem finis nullus sit operis (ut vocant) in se & per se; est tamen operantis Dei, qui omnia propter seipsum *Prov.* 16.4. Certo enim fine & creavit illum in statu integritatis, & permisit defectionem, & dereliquit illum in lapsu, & malitiam ejus ordinavit ad multiplex bonum, Est igitur finis ultimus gloria Dei; subordinatus usus diaboli tanquam instrumenti providentiæ divinæ, in hac vita ad vexandos homines, pios ad exercitium tantum, impios ad vindictam & victoriam : post hanc vitam ad torquendos impios : Ita Deus in utrisque

tropheum

tropheum & gloriam inculpatæ juſtitiæ ſuæ erigit. Diſputant *Scholaſtici ad 4.diſt.47.* an etiam poſt judicium dæmones torturi ſint impios. Ego rationem nullam video cur affirmativa non poſſit admitti : quamvis dogma fidei nolimus inde exſtrui. Cum enim diabolus mortis habeat imperium *Hebr.2.14.* Et Deus ipſo nunc utatur ad impios in hoc mundo, &in inferno torquendos,non obſtante, quod ipſe condemnatus ſit & torqueatur *Iohan.16. 11. Math. 8. 29. Iacob.2. 19* : Quidni dici poſſet eundem poſt extremum judicium impiorum tortorem fore? Saltem ex ſcriptura probari non poteſt, hoc non fore, aut abſurdi quidquam & contradictorii implicare. Si quis autem à fide extraneus hanc ſapientiſſimam Dei gubernationem arrodat, ei opponimus iſtas rationes. *Prima*, non eſſe abſurdum ſi Deus malos ſpiritus adhibeat ; quia ipſe abſolute præeſt omnibus creaturis, & eas ſibi ſervire facit, quamvis ſe corruperint. Neque enim æquum eſt ut malitia creaturæ ceſſare faciat dominium creatoris & mundi gubernationem. *Secunda*, perfectiſſima ſapientia, bonitas & potentia Dei inde magis eluceſcit, quod utitur tã malis inſtrumentis ad bonum. *Tertia*, In magna domo ſunt vaſa ad viliſſima miniſteria deputata, ad quæ præſtantiſſimis uti nolumus Sic angelis non poſſet uti divina povidentia mala permittens & in bonum ordinans ad tyrannos & pſeudo-prophetas inſtigandos *1.Reg.22.22.23.* & ſimilia ſcelera. *Quarta*, Vt ad majorem Dei gloriam, ſic ad majorem fidelium laudem & conſolationem, quod tam potentes & improbos adverſarios fide & panoplia ſpirituali à Deo inſtructi tandem vincant. *Rom. 16.20. 2 Cor.12.9.Iac.4,7.* Hinc conſectarii loco elicimus uſus practicos : ne quis putet Theologiam hanc eſſe mere ſpeculativam. *Primus*, eſt reprehenſionis. Quod tam ſecuri & ignavi ſint homines in opere ſalutis, in vitæ hoc curſu & certamine. Cum tamen tam antiquum, tam δαίμονα & verſipellem, tam improbum, tam iratum, tam potentem habeant adverſarium : Et Deus homines aliquando tam horrendis modis per illum affligat. *Secundus* eſt, Excitationis, ad meditationem & admirationem virtutis in domino noſtro Ieſu Chriſto, qui hoſtem hunc exuit & triumphavit *Coloſſ.2.13.1.Ioh.3.8. Tertius* adhortationis ad invocationem Dei,vigiliam ſpiritualem,cautionem & conſtantiam in hoc certamine &c. *Epheſ.6.13, 1 Pet.5.Iacob.4.7.* Confer *Chryſoſt.in Epheſ.6.homil.22. Quartus* conſolationis, ex eo quod tantus adverſarius, hactenus per ſpecialem & paternam Dei providentiam ita coercitus ſit, ut nobis non tantum non prævaluerit,quod ad æternam ſalutẽ, ſed pleriſque nihil,aliis parum damni in corpore aut bonis externis hactenus intulerit Ergo in futurum bene ſperemus, & fortiter iuſultibus ejus nos opponamus, quandoquidem ſine pa-

ne patris noſtri voluntate, ne porcis quidem, nedum corporibus aut ſanitati noſtræ nocere poſſit *Math.*8.31.& 103.31.

Probl. 2. An diabolus tentator repulſus, relegetur in infernum, nec poſſit denuo tentare, ſaltem non eundem, aut ad idem vitium. *Reſp.* Sunt qui ita ſenſerint referente *Thoma q.*114.*art.*5.& videtur inter eos fuiſſe ipſe *Magiſter lib.*2.*diſt.*9.*cap.ult.*& *Origenes* ab illo cit.quod agnoſcit *Themeſvar.* Fluctuant hic *Durandus*, *Bonaventura*, *Richardus*, ipſe *Thomas* (credo, ut honori Magiſtri conſulant). Hoc enim omnes videntur velle concedere: dæmonem ſaltem aliquo modo, (ut loquitur *Themeſvar*) aut ad tempus aliquod (ut *Thomas*) à tentatione ceſſare. *Themeſvar* ait diabolum (Luciferum ſcil.) qui primus tentavit Adamum, deinde Chriſtum, à quo victus, nunc ceſſare & ligatum eſſe uſque ad tempus Antichriſti *Apoc.*20. Nos omnia illa tanquam γραώδεις μύθους rejicimus.

7. Accedimus nunc ad adjuncta ſeu propria dæmonum: quæ ſunt vel ratione eſſentiæ & ſubſiſtentiæ, vel ratione accidentium. De illis omnibus agendum eſt loc.comm.de Angelis: Vt & de iſtis pleriſque ibidem. Quæ ergo hic peculiarem merentur conſiderationem 1.mentis, 2.voluntatis, 3.potentiæ, 4. poteſtatis, ſunt iſta. 1. Ratione mentis tum negativa, tum privativa, tum poſitiva. *Negativa* duo ſunt 1. quod non præſciat, (neque adeo certo prædicere poſſit) futura, libera aut contingentia, neque ex cauſis ſuis quia ibi ſunt indeterminata: neque in ſeipſis, aut per ſpiritum proprium (quod eſt ſolius Dei); aut per revelationem divinam (hoc enim ordinario eſt privilegium angelorum & prophetarum). De futuris naturalibus, quæ in cauſis ſuis determinata ſunt aliter ſtatuendum. 2. Quod certo aut intuitive non cognoſcant cogitationes aut volitiones ſive angelorum, ſive dæmonum, ſive hominum, nec futuras, nec præſentes. Quod poſterius eſt contra *Durandum in* 2.*diſt.*3.*qu.*5. Quidquid ergo de iis norunt, probabiliter & per conjecturam tantum colligunt ex geſtibus aut operibus exterioribus tanquam ſignis & effectibus cogitationum. Rationes ſunt iſtæ. *Prima*, quia ſoli Deo hoc tribuitur 2 *Paral.*6.6.*v.*30.*Pſ.*44.22.*Ierem.*17.9.*Actor.*1.14. Et ipſi cogitanti ſive angelo, ſive homini 1.*Cor.*2.11. *Secunda*, Quia voluntas rationalis ſoli Deo immediate objicitur, & ab eo dependet, & ille ſolus in eam operari poteſt *Prov.*21.1.*Pſ.*33.14. hæc ratio eſt *Thomæ p.*1.*q.*47. *a.* 4. *Tertia*, quia non habent illarum cognitionum ſpecies acquiſitas aut concreatas; ergo non habent ſufficiens principium ad cognoſcēdum. Species illas eſſe ipſis concreatas perperam ſtatuitur à Thomiſtis. *Privativa* mentis adjuncta ſunt 1. quod careant habitibus cognitionis ſupernaturalibus quamvis ſupernaturalia multa cognoſcant. Ratio eſt, quia tales habitus ſunt

à gra-

à gratia quæ extrinsecus accedit, & quâ natura perficitur, & adhærens corruptio, si non quod ad omnem existentiam, saltem quod ad dominium tollitur. Atqui gratiam aliquam dæmonibus à Deo conferri, quâ natura eorum inclinaretur, determinaretur, & perficeretur, ex scriptura probari nequit. 2. Hinc est, quod in illis sit multiplex ignorantia, dubitatio, error in iis quæ à supernaturali Dei ordinatione pendent. 3. Etiam oblivio. Non quod species innatas amiserint, sed quod actualiter recordari nec velint nec possint multa bona. Sic *Richardus* & *Bonaventura*. Hinc *Vasquez* (si bene memini) alicubi statuit, quod mutaverit opinionem de Christi morte, quod in ea esset deceptus. Saltem à malitia & desperatione propria eum ad insanias & vertigines in cõsiliis & decretis circa particularia facta & negotia nonnunquam adigi cõstare videtur ex tentatione Christi *Matth.*4.& concitatione Iudæ, Pilati, & Iudæorum ad Christum crucifigendum. *Rejicimus tamen illa*, quæ interpolator epistolarum *Ignatii epistol. ad Philippenses* infarxit de diaboli ignorantia: quæ fere conveniunt cum iis, quæ habet Pseudo-*Clemens l. 6. Constitut. apostolicar. c. 6.* Et frustra *Mestræus* editor *Ignatii in notis ad epistolam ad Philipp. n.* 13. contra *Scultetum* hoc excusare conatur asserendo, Dæmones nunquam opera Christi, tanquam à vero Dei filio facta cognovisse. Quod exserte repugnat *Marci* 1. *v.* 24. 34. *&* 3. 11. 12. *Lucæ* 4. 41. Et Tertullianus adversus Praxeam: *Hoc & Satanas cum in tentatione agnovit: si filius Dei es. Hoc & exinde dæmonia confitentur: scimus qui sis, filius Dei.* Et contra Marcionem lib. 5. *Iesum & secundum nostrum euangelium diabolus quoque in tentatione cognovit; & secundum commune instrumentum, spiritus nequam sciebat eum sanctum Dei esse, & Iesum vocari, & in perditionem eorum venisse.* Aliter *Halloixius c. 5. apologiæ pro scriptis Ignatii* per distinctionem temporis, & *Vedelius in notis criticis ad epistol. ad Philippens.* per varias distinctiones ac limitationes dictum Ignatium expedire conantur. Sed frustra, ut erudite ostensum ab multæ lectionis & eruditionis Theologo *Vsserio* in nupera editione *Ignatii*, *prolegomen. cap.* 12. Qui videri potest. *Zwarez ad* 3. *qu.* 41. *art.* 1. disputat Christum usque ad illud tempus (scil. tentationis Christi) non cognovisse diabolum, Christum esse verum Deum. Et sic fere *Ioh. de Turrecremata* in *quæstionibus super euangeliis* de tempore & de sanctis *quæst.* 3. *ad dominic.* 1. *quadrages. fol.* 42. 6. ad objectionem, quod virtus Christi erat nota dæmonibus &c. ex Luc. 4. Respondet:, *Negando minorem*, scil. *Quod virtus Christi esset* &c. Vbi de verbo ad verbum describit Thomam p. 3. qu. 41. artic. 1. ad 1. Qui habet: *Ad primum ergo dicendum, quod sicut* Augustinus *dicit in* 9. de civ. Dei *Christus tantum innotuit dæmonibus, quantum voluit: non per id quod est vita æterna, sed per quædam temporalia*

ralia suæ virtutis effecta: ex quibus quandam conjecturam habebat Christum esse filium Dei. Sed quia rursus in eo quædam signa humanæ infirmitatis videbat, non pro certo cognoscebat eum esse filium Dei: & ideo eum tentare voluit. Et hoc signatur Matth. 4. *ubi dicitur, quod postquam esuriit, accessit Tentator ad eum: quia, ut Hilarius dicit, tentare Christum diabolus non fuisset ausus, nisi in eo per esuriei infirmitatem, quæ sunt hominis, recognosceret. Et hoc etiam patet ex ipso modo tentandi, cum dixit, Si filius Dei es. Quod exponens* Greg. *dicit, Quid sibi vult talis sermonis exordius nisi quia cognoverat Dei filium esse venturum, sed venisse per infirmitatem corporis non putabat?* Vbi sic Cajetanus: *Inseruit autem verbum Lucæ Euangelistæ de scientia dæmonum in principio prædicationis Christi: quoniam licet Lucas dicat illa verba inter narrandum de miraculis Christi: non tamen dicit quod tunc primo didicerunt dæmones illum esse Christum. Et propterea illud Lucæ verbum quia sciebant illum esse Christum, ad præteritū tempus inculpabiliter & rationabiliter ab Autore relatum videtur. Viderunt siquidem dæmones, & quæ ab Angelis in die nativitatis Christi dicta sunt & quæ à pastoribus gesta, & quæ à Magis duce stella, & quæ à Simeone & Anna dicta sunt: & postea Christi verba ad matrem in templo, de Patre suo, & dicta à Ioanne Baptista de Christo. Ex quibus facile erat cognoscere, illum esse Christum absque ulterioribus miraculis; collatione præsertim facta cum prophetiis.* Sed contra & certius autor de Cardinal. Christi operibus serm. de jejunio & tentationibus sub nomine Cypriani asserit *divinitatem potissimam ex ipsis effectibus negari non potuisse.* Quod autem in tentatione dixerit, Si tu es filius Dei, ita explicat: *Nec vult fateri, nec præsumit diabolus diffiteri Christum filium Dei: sed dubie dispenseque consulens tendiculis blandis innectit sermonibus &c. Positiva* adjuncta sunt 1. Quod in mente retinuerint habitus & cognitiones naturalium, etiam supernaturalium, quæ Deum ejusque opera & cultum concernunt: Deus enim lumen naturæ initio datum conservat, & generali auxilio ei cooperatur; ut recte notat *Bonaventura ad 2. dist. 7. 2.* Quod multum scientię experimentalis sibi de novo comparent ex longo ævo, assidua mundi partium circumitione, summa in negotiis scrutandis sagacitate, multo rerum usu, arte physiognomica, Magia naturali & profunda occultorum naturæ speculatione, intelligentia prophetarum. 3. Quod subinde cognoscant quædam ex singulari Dei revelatione *Iob.* 1. 1 *Reg.* 22. Et sic forte accipienda prædictio dæmonis de morte Saulis, 1. *Sam.* 28. 4. Atq; hinc multa futura etiam libera & contingentia aut certo, aut sagacitate conjecturali admodum probabiliter sciunt, eaque per se aut per magos prænuntiant.

Probl. 1. An recte ab *Oecumenio in* 1 *Pet.* 5. ex Iustino Martyre causa assignetur, cur diabolus post Christi adventum nunc magis furiosè insidietur homi-

hominibus quam ante, quia scil. tunc non adeo aperte norat vim sui supplicii, quippe quam Prophetæ ænigmatice tantum, Christus vero aperte denuntiasset? *Cum autem*, inquit, *Dominus advenisset, & aperte diabolo ejusque angelis ignem æternum repositum ac paratum esse dixisset, hoc ille, audito non cessat fidelibus insidiari, multos habere volens suæ defectionis consortes, ne solus huic adhærens pudefiat, frigida hac & invida consolatione sibi plaudens.* Ψυχρᾷ ταύτῃ καὶ ψυχρᾷ ζηλοτυπίᾳ τῷ μυθίῳ τούτῳ παραμυθούμενος. 2. An diabolus sit Atheus? *Affir.* in summo gradu, distinctionibus illis adhibitis, quas in *disp. de Atheismo* explicuimus. 3. An ergo ignoret esse Deum, ignorantia sive puræ negationis sive pravæ dispositionis? *Neg.* 4. An in eum cadat deceptio circa præsentia, & oblivio circa prætertia? *Affir.*

II. Ratione voluntatis adjuncta sunt tum Privativa, tum positiva. *Privativa* sunt 1. quod sit mala & corrupta habitualiter. 2. Quod quando operatur, nil nisi malum operetur. 3. quod non possit operari bonum, nec rursum bona fieri; atque adeo sit immobiliter fixa & obdurata in malo. Quæstio, quæ hic agitatur inter Thomistas & Scotistas, an unquam possit habere bonam voluntatem, mera logomachia videtur, & sola distinctione termini *posse* seu *potentiæ* expeditur. 4. Quod etiamnum crescat ejus malitia 5. Quod malitia illa comparate ad homines malos intensive sit maxima, non tamen simpliciter & absolute est maxima seu summo gradu; quia impossibile est dari summum malum, sicuti datur bonum. 6. Quod eadem malitia comparata cum humana extensive sit maxima: extendit enim se ad quævis peccata. Sed distinctio Scholasticorum ad *Thomæ p.* 1. *qu.* 20. *art.* 1. & 63. *art.* 2. hic observanda. Peccata omnia sunt in diabolo *secundum reatum*, (quid si potius dicamus *secundum communicationem* seu *participative*) quia potest homines ad ea incitare: non vero *formaliter*, secundum *affectum* aut *actum proprium*, ex. gr. luxuria, gula. Est enim spiritus, nec afficitur sensilibus. Sunt ergo ista in eo formaliter, superbia, invidia (quæ habet *Thomas qu.* 63. *art.* 2.): quibus addimus blasphemiam, idololatriam, præsumptionem, quæ opponitur spei, infidelitatem non quidem per positivum dissensum sed per privationem assensus, speciale peccatum inobedientiæ, mendacium & calumniam, Injustitiam, odium adversus Deum, angelos, homines, & in ordine ad homines adversus alias Dei creaturas, *Genes.* 3. 1. *Petr.* 5. *Ephes.* 6. *Iohan.* 8. *Matth.* 8. Quæritur an ira & acedia etiam cadat in diabolum. *Resp.* De priori dicimus cum *Vasq. ad Thomæ loc. cit.* non videre nos cur eam neget *Thomas*; cum exserte scriptura iram ei tribuat, *Apocal.* 12. *v.* 12. Est ergo in illo cum distinctione illa, quam ex *Thom. qu.* 20. *art.* 1. huc applicat *Becanus tract. cit. c.* 4. *qu.* 2. Duo in ira considerari τὸ *materiale* accessionem sanguinis circa cor, & τὸ formale 8.

appetitum vindictæ. Secundum hoc est in diabolo. De acedia negat cum Scholasticis *Becanus*, quia scil. dæmones careant corporibus. At qui distingui hic potest, & idem à nobis responderi, quod à *Becano* de ira. Et ex definitione acediæ constat eam cadere posse in diabolum: *Est enim tristitia de bono spirituali, ut ad ipsum hominem attinet.* Sic cum *Scholastic. ad 22. qu. 35. Toletus* aliique Casuistæ. *Positiva* adjuncta sunt 1. Quod per peccatum non sit ablata naturalis libertas voluntatis: atque adeo cum necessitate peccandi (quam omnes Scholastici hic admittunt, quāvis in radice & ratione ejus designanda varient) illa conciliari possit ac debeat. 2. Quod voluntatis (ut est potentia seu facultas vitalis à Deo creata) bonitas naturalis seu metaphysica, quæ cum entitate convertitur, non sit deperdita: atq; hoc sensu pessimus diabolus secundum essentiā & proprietates naturales possit dici bonus seu bonum quid, quatenus sc. est creatura Dei. 3. Quod voluntas ejus subinde feratur in bonum aliquod, quod materialiter, objective, in se & revera sit tale e.gr. cum vult affligere improbos in hac aut in futura vita, afflictio illa est bonum justitiæ; cum vult veritatem etiam fidei profiteri & docere, cum vult alicui in paupertate, morbo, periculis succurrere. 4. Nunquam tamen voluntas ejus facit aliquod bonum morale, quia in bona illa fertur non bene: Ex circumstantiis enim & intentione omnia illa fiunt & sunt, quod ad ipsum, subjective & formaliter mala. Itaque non est in illo aliquod bonum morale, sive ad modum actionis transeuntis unde formaliter possit dici bonus. 5. Bonitas autem extrinseca in ordine ad finem bonum, quod Deus illo utatur tanquam medio & instrumēto ad bonum, ejus respectu tota est per accidens: intrinseca autem est mere naturalis & essentialis: neutra moralis.

9. III. *Adjuncta* ratione potentiæ sunt duplicia, vel passivæ vel activæ. *Passivæ potentiæ* adjuncta sunt 1. Quod non possit violenter destrui, aut contundi, aut vulnerari à rebus corporeis e. gr. igni, aqua, ferro &c. 2. Quod ab intrinseco & in se non sit corruptibilis aut mortalis, nec potentia propinqua nec remota: nulla enim sunt in ipso principia corruptionis; quāvis θύραθεν corruptibilis sit, quippe qui à Deo possit destrui. 3. Quod nō afficiatur dolore aut voluptate à rebus sensilibus nec ab iis allici aut fugari possit. Rejicimus ergo deliria 1. eorū qui statuunt dæmonas subjici corporibus cœlestibus, quos refutatos vide ad *Thom. p. 1. qu. 115. art. 5.* Ratio autem unica hæc sufficit, quod non sint naturæ corporeæ, nedum sublunaris & elementaris, ergo cœlum nihil in illis imprimit. II. eorum qui qualitatibus specificis seu astralibus (ut vocant) mineralium, herbarum, animalium, præterea manifestis qualitatibus primis aut secundis e.g. fulgoribus, coloribus, odoribus, sonis animatorum & inanimatorum,

vocibus

vocibus humanis, cantu vocali aut instrumentali, peculiaribus dispositionibus & temperamentis corporum &c. dæmonas allici aut fugari statuunt. Qualia non tantum apud *Plinium l.* 21. *c.* 16. *& l.* 32. *c.* 1. *Philostratum in vita Apollonii l.* 2. *c.* 2. *Fl. Iosephum l.* 8. *c.* 22. & Magos Cabalistas, Platonicos, *Porphyrium*, *Proclum*, *Iamblichum*, *Psellum*, *Agrippam* &c. occurrunt; sed etiam apud Theologos aliosque autores Pontificios, *Burgensem in* 1. *Sam.* 16. *Mengum in flagello dæmonum Exorcismo* 3. 4. 5. 6. *Serrar. in Tobiæ c.* 6. *&* 8. *Grillandum de sortilegiis qu.* 3. *num.* 23. *Delrio disquis. Magic. lib.* 2. *qu.* 32, *sect.* 3. *& l.* 6. *c.* 2. *Cardanum de varietate rerum l.* 16. *c.* 93. *Pomponatium de incantamentis p.* 242. *Rhodiginum l.* 2. *c.* 28. *Lambert. Hortensium comment. in Virgilii Æneid.* 6. *Albertum M. lib. de Virtutibus lapidum &c.*, *Barthol. Fayum in Energumenico*, &c. Rationes omnibus illis opponimus istas; quarum *Prima*, Dæmones sunt incorporei; ergo nullo modo possunt pati aut cogi à re corporea aut naturali sive sit substantia sive accidēs, sive actio sive passio; ut scilicet accedant aut recedant, agant aut cessent. Res enim incorporeæ omni modo corporeas superant. *Secunda*, quia non sunt capaces voluptatis aut doloris sensitivi, destituuntur enim sensibus & organis sensuum, quorum objecta sunt res sensibiles, quæ voluptatem aut dolorem adferunt. Naturaliter ergo à rebus corporeis affici aut pati non possunt: ut *Serrarius in Tobiæ* 8. *qu.* 3. imperite dixerit, efficientiam illam *fumi fuisse quadantenus naturalem*. Sed *excipiunt*: Deum in vindictam criminum diabolos subjecisse rebus sensilibus, quamvis natura sua iis sint superiores: ita ut potentia seu virtus illa afficiendi sit supernaturalis. Sic *Grillandus loc. cit.* & adducitur *Raymundus Lullius l. de Quinta essentia*. Simile quid habet *Valesius Philosoph. sacræ cap.* 16. *&* 28. *Resp.* Hoc gratis dicitur, & sine scripturis. Et falsum est naturam ac proprietates naturales per peccatum mutatas esse. Rursum *objiciunt*, Animas rationales affici à corporibus, Ergo & dæmonas. *Resp.* Longe diversa est ratio. Animæ uniuntur corporibus suis tanquam formæ, & requirunt certas in corporibus dispositiones, quibus læsis anima tristatur, & ablatis anima cogitur recedere. Sed diaboli tantum adsunt aut insunt corporibus tanquam extrinseci motores localiter. Denique *objicitur*, multiplex experientia. *Resp.* 1. Multæ hic intercurrunt fallaciæ tum hominum ignorantium, tum Magorum impostorum, tum ipsorum dæmonum, qui cum factis aut verbis præ se ferunt se rebus illis affici, torqueri, fugari, more suo mendaces agunt. 2. Etiamsi daremus res quasdam diabolo molestas aut gratas esse, non tamen inde sequeretur, eum ideo cogi ad veniendum aut recedendum, ad agendum aut cessandum: Est enim libero arbitrio præditus. 3. Totum illud, si quid fit, est per accidens. Neque

enim rebus illis sensibilibus alliciuntur dæmones propter ipsas, sed propter aliquid aliud illis conjunctum sive inclusum sive ab iis derivatum. Fit autem illud tribus modis, ut bene explicat *Thomas de Potentia qu.6. art.ult.* *Vel quia* res corporales sunt aptæ & diabolo idoneæ, ad perficiendos effectus mirabiles applicando agentia passivis. Sic e. gr. delectatur melancholica complexione, herbis & bestiis venenatis, pharmacis incitantibus ad libidinem, plenilunio aliisque infelicibus syderum constitutionibus, quibus melancholia aliique noxii humores abundant &c. *Vel quia*, homines per eas in peccatum adducuntur, sic e.gr. delectatur lautis conviviis, choreis, comœdiis &c. *Vel quia*, sunt signa & sacramenta superstitionum, quibus dæmones ex pacto delectantur, non tanquam cibo & potu (ut loquitur *Augustin. de civit. Dei lib.* 21.c.6.) sed tanquam signis. Conferantur quæ de hac controversia præter Scholasticos, erudite disputat *Raynoldus in censur. libr. apocryphor. lect.* 47.48.49. Quas aliquando leget lector, quisquis omnimodam & diffusam eruditionem amat. Cum ergo nec naturalem nec supernaturalem vim habeant, & priori conjecturæ stare non ausit *Serrarius loc. cit.*, & posteriorem aperte *ibidem* oppugnet, sequitur frustraneum confugere ad virtutem mediã sive mixtã, Quę hoc argumento eliditur: Quod neque supernaturale neque naturale illud nõ est *quadantenus* (uti loqui amat *Serrarius*) naturale aut supernaturale. Ratio cõsequentiæ patet ex regulis Topicis, Quia quod nullo modo est tale, aut, quod simpliciter negatur tale, illud non potest dici, quadantenus aut aliquo modo tale. Quod autem *Serrarius* hic efficientiam refert ad supernaturalia tria scil. remotionem causæ h.e. libidinis; & preces Tobiæ ac Zaræ, & significationem in fumo duplicem, tum passionis Christi, tum exstinctionis seu debilitationis earum partium: id omne sine scripturis, & gratis dicitur, & diserte repugnat ipsis verbis textus libri *Tobiæ c. 9.v.8.* uti sibi contradicens eum exponit ipse Serrarius. p. 81. *Primo* Fumi adversus dęmonem efficientia fuit quadantenus naturalis. *Quia ut supra indicatũ, Angelus* c.2.v.8. *vim efficientiãq; istam eo modo describit, quo naturales reram vires contro morbos, describi solent.* Cordis, *ait*, ejus particulam si super carbones ponas, fumus ejus extricat omne genus dæmoniorum, sive à viro sive muliere. *Quis Dioscorides, Plinius, aut Matthiolus insitam herbæ vim aliter enunciet? Quibus aliis verbis, quæ natura suggerit medicamenta eloquantur Theophrastus, Hippocrates, & Galenus. Res naturalis recensetur*, cordis particula: *præparatio item naturalis*: si super carbones ponatur. *Verbum deinde, quod agendi vim importat, additur*, extricat, *id est extricandi & expellendi vi præditum est, ut: supra dictum. Neque* c.6. vers.6. *Tobias, nisi de naturali harum rerum vi, rogat, cum ait*, Quod remedium habebunt ista quæ de pisce servare

re jussi? *Raphaelem enim hominem tantummodo putabat, sed qui non frustra servari hæc vellet, peritiamque ipsorum efficacitatis aliquam haberet. Hoc enim & Raphael ipse* v. 6. *indicarat.* Sunt hæc necessaria, ad medicamenta utiliter. *Et in Græco modum exponit, paulo quidem aliter quam in Latino* v. 8. *sed ita tamen, ut eadem omnia, & paulo forte clarius, indicaret:* Ἐὰν τινα ὀχλῇ δαιμόνιον, ἢ πνεῦμα πονηρὸν, ταῦτα δεῖ κατακαῦσαι ἐνώπιον ἀνθρώπου ἢ γυναικὸς καὶ μηκέτι ὀχληθῇ. *id est.* Si vexet aliquem dæmonium vel malus spiritus, oportet hæc (*cor & hepar*) suffimigare coram homine vel fœmina, & non vexabitur amplius.

Secundo, Videtur naturalis hæc efficientia, non tum primo simpliciter, sed in creationis principio, ab ipso naturę authore, cordi & jecori fuisse impressa. *Primo quidem quia Angelus eo ipso medicamenta esse ait* cap. 6. *significat vim quandam medicandi fixam & constantem iis inesse. Secundo consentaneum videtur, ut Deus, quemadmodum adversus eos, quos post Adami lapsum futuros videbat, morbos & ulcera, medicas quibusdam rebus vires indiderat: sic etiam inderet adversus Dæmones, quos non animas tantum, sed & hominum corpora læsuros prævidebat.*

Cum ergo nec supernaturalis nec naturalis vis efficientię fingi possit, frustra recurritur in quæstione de fumo, aut aliis quibuscunque ad signum: ita ut per modum signi, corporalia dici possint agere in dæmonas. Nam recurrit idem probandi onus, Esse signum naturale aut supernaturale. De illo norunt esse somnium. De isto postulatur revelatio, institutum, promissio, mandatum Dei: antequam sine audaci superstitione & Dei tentatione adhiberi possit. *Potentiæ activæ* adjuncta sunt. 1. Quod talis potentia operativa ad extra sit in dæmonibus, realiter ab intellectu & voluntate distincta. 2. Quod se exserat per actionem transeuntem in externam materiam. 3. Quod se exserat partim per actionem immediatam, motum scil. localem; per actionem mediatam, (scil. generationem, corruptionem, alterationem, augmentationem) quæ sequitur ad motum localem mediante alio supposito, ejusque virtute applicata ad agendum. Per illam frequentissime agit, & plurimum potest, quia materia corporalis illi obedit, de quo *Thomas* 1. *p. qu.* 53. *& qu.* 110. *art.* 3. per istam etiam non pauca operatur, scil. illa quæ causæ naturales possunt, dum iis utuntur tanquam instrumentis, & per localem motum applicando agentia passivis, ut agant juxta naturalem modum & activitatem suam. Hinc est quod mirabiles effectus producant, quas causæ naturales nunquam per se produxissent. 4. Quod potentia locomotrix dæmonum ad extra, non sit realiter distincta ab ea, qua seipsos localiter movent. 5. Quod potentia operativa dæmonum non extendat se ad quævis promiscue in natura rerum

rum efficienda. 6. Quod tamen, si comparatio instituatur, in se longe superet omnem potentiam & artem hominum, & quod ad nos magis sit admiranda. Rationes sunt, *tum* quia norunt multas occultas rerum virtutes & accommodata applicandi tempora, quæ nos ignoramus; *tum* quia celerrime operantur; *tum* quia modo nobis insensibili & occulto.

10. IV. Potestatis & Dominii diabolici, quod habet in homines, & in ordine ad hominem, in pleraſque alias creaturas hæc sunt adjuncta 1. Quod sit non primum, supremum, & αὐτοκρατορικόν, sed subordinatum. 2. Quod consequenter non sit absolutum aut in se aut ratione exercitii, sed limitatum per providentiam divinam. 3. Quod non sit naturale, primævum, sed tyrannicum & propter peccata introductum. 4. Quod ordo quidam sit in ἀτάκτῳ & Tyrannico illo regimine; Quis autem & qualis infra dicetur. 5. Quod ratione impiorum sit dominium proprie dictum, & simile videatur dominium proprie dictum, utili (si ita loqui liceat) immo & directo: qua ratione *Regnum* dicitur, & diabolus Princeps, Deus, Rex. Quod regnum delineatum vide apud locor. comm. scriptores, & Catechistas ad 2. petitionem Orationis dominicæ. 6. Quod ratione fidelium proprie nec regnum sit nec dominium (*Col.* 1. 13.) sed potius antiqui dominii umbra, reliquiæ, & vestigia aliqua tantum ad vexationem, pugnam & exercitium. *Ioh. VVierus* scripsit de *pseudomonarchia dæmonum*; sed tractatum illum cum secunda editione editum nunc conferre non vacat: quod solummodo prima editio *VVieri de præstigiis* ad manum sit.

Probl. An cuique homini malus genius seu tentator à Lucifero sit destinatus, & an illud recte probetur à *Cassiano collat.* 8. *c.* 17. ex loco *Zachar.* 3. *v.* 1. ? *Resp. Neg.* utrumque. Conferantur quæ de genio bono & malo à nativitate cuilibet homini assistente, dicta sunt in *disp. de Hierarch. &c.* & *angelis tutelaribus.*

DE

DE NATURA ET OPERATIONIBUS DÆMONUM.

PARS POSTERIOR.

Resp. HENRICO BORNIO Vltrajectino *Ad diem* 3. *Mart.* 1638.

NAtura & proprietatibus dæmonum ita expositis, agendum porro de eorum effectis seu operationibus, quæ & negative & positive considerandæ sunt. Præmittimus autem hypotheses quasdam, quas ex generali doctrina partim de *Ente creato*, partim *de Spiritibus* præsupponimus & hic solummodo indicamus; quarum *Prima* est, Diabolus non est omnipotens nec intensive nec extensive: sed potentia ejus secundum modulum naturæ ipsius definita est. *Secunda*, nō est ἀυτεξούσιος, nedum ut sit infinitus. *Tertia*, non continet in se universam naturam rerum, ne quidem inferiorem seu elementarem. *Quarta*, Non habet in se facultates aliarum rerum, immo ne unius quidem ab ipso specifice distinctæ; non habet, inquam, neque formaliter, quia non habet formam illius rei, nec est illa res seu natura; neque eminenter, quia non est causa universalis & prima. *Quinta*, Non potest extra se agere immediate, non immediatione virtutis si agat motu locali, non immediatione aut virtutis aut suppositi, si agat alio aliquo genere motus. *Sexta*, non subjiciuntur illius potentiæ res potentiâ receptivâ naturali nisi mediate, mediante scil. potentia activa aliarum rerum naturalium, qua utitur, (excepto motu locali, quem propria virtute immediate peragit.) Subjiciuntur autem illi potentia obedientiali, eodem modo, quo lignum arti aut artifici qui in illud introducit formam statuæ, aut mensæ. Nunc despiciamus de Operationibus dæmonum *negative*, quid non operentur: idque vel in genere vel in specie. *In genere* non possunt 1. creare creatione mediata aut immediata: est enim hoc propriū Dei *Ies.* 44. 23. cum *Rom.* 1. *v.* 19. 20. 11. Consequenter, nec annihilare. 111. Non possunt perdere hunc mundum sive per se, sive mediantibus virtutibus aliorum corporum e.gr. ignis, aquæ &c. Hoc enim soli Deo reservatur 2 *Petr.* 3. Accedit, quod nulla pars inclinationem aut potestatem habere debet ad subvertendum totum? Confer *Augustin. lib.* 2. *de Trinitate*, *Thomam quæst.* 16. *de Malo art.* 9. *& contra gentes lib.* 3. *c.* 102. 1v. Consequenter non possunt invertere leges & ordinem universi, nec supera inferis miscere, nec cœlum aut integra elementa loco suo movere aut partes integras mundi continentes sc. exturbare, aut cœli & syderum cursum, lumen, influentias sistere aut 11

vacuum inducere ne in minimo quidem aëris ſpatio, quia ordo univerſi poſtulat ut omnia ad conſervationem ejus ſint contigua. De quibus mox diſtinctius agendum. v. Non poſſunt ullam ſpeciem novam producere, aut aliquam ex ſpeciebus creaturarum à Deo creatis plane abolere. vi. Non poſſunt actiones naturales, animales, humanas proprie & univoce ſic dictas edere: quidquid imitentur & fingant, neque enim in ſe continent principia iſtarum actionum, potentias ſcil. requiſitas. vii. Non poſſunt miracula facere. Mira illorum quantum differant à veris miraculis dicimus *Diſp. de Miraculis.* viii. Non poſſunt motu locali agere in diſtans nec alicubi, ubi ſecundum ſubſtantiam localiter non ſunt præſentes. ix. Non poſſunt immediate de termino ad terminum diſtantem moveri, nedum corpora portare, ut non tranſeant ſpatium intermedium. Sic recte cum *Bonaventura*, *Scoto & Scotiſtis ad 2. diſt. 2. qu. 12.* ex recentioribus *Rhada part. 2. controv. 7. art. 5.* idque contra *Thomam p. 1. q. 3. art. 2.* x. Quamvis multi poſſint eſſe localiter uno in loco ſeu ſpatio, (non enim daretur penetratio dimenſionum, ubi non eſt quantitas aut corpus) non poteſt tamen unus eſſe in diverſis locis non continuis aut contiguis: quod colligitur ex motu locali angelorum & mutatione præſentiæ ad aliquid hic aut alibi operandum *Luc. 2. 9. 13. 15. Johann. 1. 51. Matth. 28. 2.* xi. Non poſſunt movere in inſtanti nec ſeipſos, nec corpora naturalia de loco in locum diſtantem, & conſequenter mira ſua cum agunt, quamvis ſæpe breviſſimum, aliquod tamen tempus ad id requirunt.

12. Notemus nunc in ſpecie, quæ dæmon efficere nequeat. Diſtribuimus autem ea ſecundum objecta, quæ ſunt vel intellectualia vel pure naturalia. Illa doctrinæ cauſa conſtituemus 1. Chriſtum. 2. angelos. 3. animas ſeparatas. 4. homines in terris. Ac primo 1. circa Chriſtum 1. nihil nūc nunc agit locali ſuo motu, cum ſit in gloria extra omnem paſſionem & vexationem. 2. Nihil etiam tantum in illum potuit, cum eſſet in terris, *Ioh. 14. 30.* ut opus redemptionis impediretur. ii. Circa angelos 1. nihil operatur quo illos vincat aut in munere impediat, aut unde illi reali aliqua paſſione afficiantur. Nam paſſio intentionalis non afficit proprie ſubjectum, ſed tantum terminat actionem agentis. 2. Non poteſt etiam eos localiter movere. Quæſtionem hic movent Scholaſtici, an ſi velint angeli, poſſit eos movere. Nobis ea ſatis vana videtur. iii. Circa animas ſeparatas 1. tantum non poteſt ut animas fidelium ſaltem ex cœlo & quiete ſua evocet, eas pro libitu moveat, circumducat, infeſtet, aut ad alios infeſtandos iis abutatur. Confer *diſput. de Spectris theſi ult.* Rejicimus ergo contrariam opinionem *Iuſtini Martyris in Dial. cum Triphone*, ubi etiam dæmonibus tribuit poteſtatem revocandi animas juſtorum. Quod

etiam

etiam ante non fecit *R. la Torre tract. 2. de Potestate ejiciendi Dæmones disput.4.* Nec ad eas pervenire, aut iis se immiscere potest: cum ex cœlo qua sit extrusus 2 *Pet. 2. Iud. v.6.* cum *Eph.2.7.* & 6.12 Vnde putamus tutius esse si *Iob. 1.v.6.7.* & 1 *Reg.22.* accipiamus tãquã hypotyposin parabolicã res describatur. Contra ac nonnemo ex hodiernis Theologis sentit. 3. Animæ impiorum in inferno ab illo moveri, vexari & torqueri concedimus; sed eas inde in terras ab eo duci & in infernũ reduci minime credẽdũ est: nec absque ulla rationis necessitate stabiliẽda sunt mystica Magorum axiomata de ψυχαγωγια. Recte R. la Torre tract. 2. de Potestate Ecclesiæ coercendi Dæmones disp.4. *Licet attenta sua naturali virtute possent animas separatas localiter movere quo vellent tamen à Deo prohibentur*: quod etiam impiorum animabus applicat *p.207.* IV. Circa hominem consideremus operationes ejus primum in genere circa quosvis; deinde in specie circa electos & fideles. In genere quæri solet quid agat vel magis circa totum compositum, vel magis circa animam ejusque facultates internas. Circa totum compositum quæritur 1. *quod ad ortum*, an diaboli producant homines. 2. *Quod ad actum* & vitæ cursum, An eos transforment in lupos, feles, aliasque bestias, & viceversa. Item, an μεταμψύχωσιν procurent, denique, An per ecstasin animam ad tempus separent à corpore. 3. *Quod ad defectum* & interitum, An à morbo lætali ad sanitatem, à senecta ad juvenilem ætatem seu potius complexionem, à mutilatione membrorum ad integritatem, à privatione sensus externi ad habitum, ut e.gr. à cœcitate ad visum, Denique à morte ad vitam reducant. Ad *primam quæstionem*, notandum triplicem modum productionis hominum cogitari posse, per creationem scil., per generationem æquivocam ex putri materiâ, per generationem univocam. Primus modus diabolo simpliciter est impossibilis, quia solus Deus est creator, ut modo diximus. Secundus modus impossibilis est; quia tantum naturæ vires miraculosè intendere non potest, ut homo tam perfectum animal, ex putri materia, instar insectorum & similium suscitetur: quamvis illud naturaliter fieri posse defenderint celebres philosophi *Andr. Cæsalpinus*, & *Cardanus*. Illum merito exagitat *Taurellus in Cæs.alpibus lib. 4. qu. 1.* Istum *Scaliger. Exercit. 193.* Tertius modus itidem impossibilis est, quia desunt illi facultas, materia, & instrumenta ad hoc requisita. Sed manet adhuc difficultas, & variantibus sententiis apud Theologos & Philosophos acriter contenditur, An diabolus non possit esse saltem instrumentum generationis hominum applicando naturalia agentia passivis: ut virtutem plasticam ejusque vehiculum semen virile aliunde adferat, & quam celerrimo motu locali, & per fabricata ad id corpora atque instrumenta transferat atque applicet cor-

pori fœmineo, ut inde sequatur conceptio : ita ut pater sit is ex cujus semine gigneretur ille homo, mater vero illa quæ illud excepit & positis ponendis, ac collatis ex sua parte, quæ juxta leges naturæ conferenda sunt, concepit, gestavit, peperit. Historiæ non paucæ proferri solent, quæ occasionem dant huic disputationi præterquam quod necessaria sit ad genuinam expositionem *Genes.6.2.* contra philosophos, hæreticos, patres, & recentiores nonnullos tuendam. Heroas sive semideos Gentilium, (inter quos Sileni, crediti mortales; quippe; quorum sepulchra ostenderentur, siquidem vera dicat *Pausanias in Posterioribus Eliacis*) ex homine & Deo aut Dea (hoc est dæmonio) genitos jactabat antiquitas. Fabulis & commentis suis aut confundunt aut alio trahunt illa poëtæ, & Platonico-Cabalistæ ad *Platonis Cratylum.* Si revera tales geniti sunt, ad dęmonas hoc referendum. Multa etiam ex confessionibus Magorum & sagarum, de dæmonibus incubis & succubis referunt ICC. & Theologi, qui causas illas tractarunt : Accedit historia celebris istius Merlini Angli nati, ut ferunt, anno 440. & puellæ illius quam in Marthonia Scotiæ ex diabolo concepisse refert *Hector Boethius histor. Scoticæ, lib.8.* & quæ refert *Ludovic. Vives ad Augustin. lib.15. cap.23.* & *Delrio lib.2. qu.15* Quid hic dicemus? Aut omnia rejicienda tanquam ficta: sed forte hoc nimis durum videtur; quamvis de plerisque hoc statuere ausim. *Aut* genitos illos, quos dicunt, ex diabolo non fuisse homines sed dæmonas humana specie : Sic *Timplerus Metaphys. l.4. c.4. qu. 26.* *Aut* dicendum, fœminas cum dęmone vere aut imaginario congressas, & postea per eum ita affectas tanquam uterum gestantes; & tempore partus aliunde infantem suppositum. Quod est responsum nonnullorum qui negativam opinionem tuentur : inter quos *Hyperius Method. Theol. l.2. p. 304.* & *Paulus Fris.* Sed mihi ἀπίθανον & inexplicabile videtur quomodo in illis casibus, qui recensentur, ita decipi potuerint fœminę parientes cum obstetricibus aliisque si quæ adfuerint (ut nunc deceptionem imaginarii coitus in medio relinquamus.) Præterquam quod vix possibile fuerit semper infantes recens natos aliunde ad ipsum partus punctum surreptos supponere. Nihil ergo restat, quam ut concesso coitu, de conceptione & generatione hominis ex dęmone succubo aut incubo doctam ignorantiam profiteamur. Quod ad affirmantem sententiam, vix mihi satisfacio in illo dubio : Quomodo semen illud sit prolificum & spiritus genitalis in eo conservetur, quod non sine aliqua temporis morula aliunde transferre potest diabolus : & stent philosophemata de Generatione hominis Physico-Medica apud *Aristot. de Generat. Animal. lib.2. c.3.* & Anatomicos omnes. Nequid dicam de lege naturæ, qua Deus statuit, ut ex congressu viri & fœminæ nascantur homi-

homines *Geneſ.* 1. & 2. Supra quam ſolus Deus ex virgine ſemel naſci fecit hominem, noſtrum ſcil. Immanuel. Tenent Affirmativam Theologi *Scholaſtici* & Pontificii fere omnes ad 2. *diſt.* 8. & *Thomæ p.* 1. *qu.* 51. *a.* 3. Et *commentatores in Geneſ.* 6. & ſcriptores de Rebus Magicis inter quos noviſſimus & inſtar omnium (ubi alii citantur) *Delr. l.* 2. *qu.* 15. cum quo confer *Serrarium in Tobiæ* 6. *qu.* 2. 3. 4. 5. Excepto *Pererio in Gen.* 6. & *Themeſvar. n.* 74. qui dubitant, & *Euſtachio de S. Paulo*, qui *Phyſicæ* ſuæ *part.* 3. *tract.* 2. *qu.* 3 tantum probabile putat. Præterea philoſophis & ICCis. nonnullis, *Nic. Remigio, Brodæo, Cardano, Baptiſta Porta, Vlrico Molitore &c.* Paucis his exceptis reliqui Medici, Philoſophi, Philologi, ICC., Canoniſtæ cum Theologis conſentiunt: liberos tamen ex tali coitu natos volunt eſſe hominis illius, à quo ſemen excretum eſt, non dæmonis. *Guliel-mus Pariſienſis de Vniverſo part. ult.* addit ex tali coitu natos eſſe monſtroſos, craſſis ventribus, minutis membris, ſtrumis magnis, quibus lactandis & nutriendis quinque mulieres non ſufficiant. Sed non video qua experientia hoc probari poſſit, ut à fabularum numero eximatur. Ex noſtris ſententiæ accedunt *Zanchius de Operib. Creationis part.* 1. *lib.* 4. *c.* 16. *th.* 1. Quamvis non habeat pro dogmate tã neceſſario, ut impium ſit contrarium ſentire. *Hemmingius tract. de Magia, Danæus tract. de Sortiariis; Zepperus de legib. Moſaicis lib.* 4. *c.* 11. *n.* 463. *Caſmannus Angelograph. lib.* 2. *c.* 21. *qu.* 5. & 6. vulgarem ſententiam de Incubis & ſuccubis non negat: Dicit tamen ſe ambigere: Generationem autem hominis ex tali coitu haut obſcure rejicit. *Rivetus Exerc.* 50. *in Geneſin & VVillet. in Gen.* 6. de Incubis de ſuccubis concedunt; ſed de conceptione inde exiſtente negant. Negativam ſententiam amplectuntur ex noſtris Theologi, Philoſophi & ICC. non pauci. *Timplerus Metaphyſ. lib.* 4. *cap.* 4. *queſt.* 26. 27. qui contrarium affirmare dicit eſſe impium. *VVierus de Præſtig. Godelmannus de Lamiis. Reginaldus Scot. lib.* 3. *c. ult.* Cujus tamen liber ut in Anglia combuſtus, ſic alię paradoxæ opiniones à Theol. Anglis *Raynol.* & *Perkinſo* refutatæ ſunt. *Hyperius loco cit. Paulus Friſius citatus à Caſmanno in Angelographia.* Qui omnes non tantum hominis nativitatem ex nefario illo concubitu negant, ſed & incuborum & ſuccuborum horrendas tragœdias aut ad fabulas relegant, aut ad morbum Ephialtem & ad meram phantaſiæ illuſionem & deceptionem. Nos congreſſum nefarium fieri poſſe concedimus; in generationem autem ab aliis diſq. permittimus: quamvis in Negantem malimus inclinare; quæ proculdubio etiam tutior eſt. Quod ad conceptionem, generationem, & partum virginum ſine coitu, qui fingitur, ex ſemine virili per dæmonem in uterum inſenſibiliter injecto, eam ut impoſſibilem & contradictoriam nec non aſylum omnium

impuritatum, inceſtuum, adulteriorum, abſolute negamus. Confer *diſp. de Creatione part.* 10. *theſi* 3. *probl.* 2. & 6. Non poſſum quin adſcribam hic verba Cyrilli c. Antropomorphitas lib. 1. c. 17. p. 78. ubi negat gigantes à dæmonibus genitos: ex editione B. Vulcanii in 40. *Stultum autem eſt exiſtimare, dæmones incorporeos corporis munia exequi poſſe, quodque à natura ſua alienum eſt efficere. Neque enim quicquam eorum quæ in rerum natura exiſtunt aliquid præter ſuam naturam præſtare poteſt; ſed unumquodque ut factum eſt, ita manet, ſuum cuique munus præſcribente Deo. Ipſe enim eſt author ac Dominus omnium ortus, cujus nutu atque arbitrio unumquodque eorum quæ ſunt, eſt id quod eſt.* *Ad ſecundam* quæſtionem de transformatione & in ſpecie de *Lycanthropia* reſpondemus, eam nunquam factam nec fieri poſſe: Ratio eſt, quia tum diabolus poſſet creare, & facere miracula. Sed ſcriptura & ratio hoc negant. Quidquid autem ex luce factorum & experientiâ adferri ſolet apud rerum Magicarum diſquiſitores, item *Auguſtin. lib.* 18. *de Civit. Dei c.* 16. 17. *Plin. lib.* 8. *c.* 22. & *lib.* 10. *c.* 44. illud ipſum ſi fabuloſum non ſit *aut morbo* imputandum, quem medici *lupinam melancoliam ſeu inſaniam lycanthropiam*, vocant, & ſpeciem faciunt Melancoliæ: *Æginet. l.* 3. *c.* 16. *Aëtius l.* 6. *c.* 11. *Codronchus de morbis veneficis l.* 3. *c.* 7. *Sennertus Inſtitut. Medecin. l.* 1. *part.* 2. *ſect.* 1. *c.* 7. *Aut* corruptioni phantaſiæ per diabolum, qua fit ut homines falſo imaginentur ſe beſtias eſſe & hæc aut illa agere. *Pomponatius de Incantam. c.* 12. duriuſcule loquitur: *immutando ipſorum mentes.* 3. Siquidem duo ſuperiores modi propoſitis exemplis aptari non poſſint, diabolicis præſtigiis hoc tribuendum per quas *aut* hominem (dictum lycanthropon) aſpectui aliorum ſubtrahit & alio tranſfert interim phantaſiæ ipſius illudit, & verum lupum aut aliam beſtiam (ſeu mavis ſpectrum & ſpeciem ejus) ſubſtituit: *aut* hominem illum ſive exuviis ſive ſpecie corporis lupini circumfundit, & ipſe ſive immediate, ſive mediate per illum lycanthropon homines & jumenta vexat, quin & nonnunquam eundem viciſſim ſecundum apparentiam in corpore lupino, ſecundum rei veritatem in corpore ſuo humano ſinit contundi & vulnerari. Et hæc ſententia de præſtigiis eſt *Auguſtini lib.* 18. *de Civ. Dei c.* 18. *Thomæ de Miraculis art.* 8. & 1. *p. q.* 114. *art.* 3. & *ibidem* commentatorum. *Raph. la Torre tract.* 1. *diſp.* 4. *Leonardi Vairi de Faſcino*; *Delrio diſq. l.* 2. *c.* 18. & *commentar. in Senecæ Agamemnon.* Quampluri autores citantur ab illo in Diſquiſ. *Corn. à Lapide comment. in Daniel. cap.* 4 *p.* 1300. Et ex noſtris *Davæi tract. de Magia*; *Lavaterus de ſpectris. Raynoldi prælect. in libri apocryphos* 92. 93. *Caſmanni lib.* 3. *c.* 18. *qu.* 6. Ex Medicis & Philoſophis *Danielis Sennerti Inſtitut. Medecin. loc. cit. Timpler. cap. cit. qu.* 28. *Peuceri de Divinationibus*, ubi de ecſtatica. *Cardani, Vvieri, Reginaldi Schot, Eraſti, Martini*

tini Biermanni tract. De Magia. Et ICC. *Godelmanni, Greg. Tholoſ., & Althuſ. Quartus modus* evaſionis, ad hominum belluinos mores hoc referens; quem innuit *Timæus Locrus l. de Animo mundi*, & poſt illum *Plato in Epinomide* cum ſectatoribus, (De quo *Rodigin. lib. 9. c. 21.* & *Vives ad Auguſtini loc. cit.*) quia ludicrus & allegorico-Mythologicus eſt, difficultatem non tollit nec ingenia acromatica paſcit. Rationem contra ſubſtantialem transformationem hominum adferimus iſtam. *Quia* anima humana non poteſt informare corpus belluinum, nec vice verſa. Quælibet enim forma ſubſtantialis requirit proportionatas & peculiares ſibi diſpoſitiones, & corporis organizationem: ut conſtat ex definitione animæ. Nec tamen probamus incredulitatem *VVieri lib. 4. cap. 23. Cardani lib. 8. de Varietate rerum cap. 8. Reginaldi Schot. in Detectione Magiæ l. 4. c. 1. 2. 3. 4. 5. 6. Dalecampii ad Plin. lib. 8. c. 22.* Qui omnia pro fabulis habent, quæcunque de lycanthropis referri ſolent: aut morbo melancolico, aut diabolicæ illuſioni & imaginationis corruptioni imputant. *Reſp.* omnes hiſtorias & experientias falſi arguere nimis temerarium eſt; præſertim cum nec ſcripturæ, nec rationi repugnet, nec contradictionem implicet modus ille metamorphoſeos pręſtigiatoriæ à nobis oſtenſus. Et neceſſario ille ſtatuendus eſt cum non tantum ſibi ſed & aliis videntur lupi, canes &c. Ab altera parte multo magis improbamus nimiam credulitatem *Mallei Maleficarum, Olai Magni, Bodini in Dæmonomania, Remigii l. 2. dæmodolatr. c. 5. Spondani commentariis in Homerum*, Addit Ioh. Fredericus Wolfeſhuſius philoſophus Lipſienſis in Oratione de Lycanthropis ibidem habita an. 1561. *Paracelſum, Pomponatium, Peucerum, Fernelium* (quorum verba non vacat nunc conferre & expendere), iiſque ille accedere ſe profitetur, & ex profeſſo Bodini ſententiam defendit: ſic tamen, ut adductis quamplurimis hiſtoriis de hominibus in lupos, aſinos, feles transformatis, limitationem hanc addat p. 41. 42. *Non ſimpliciter in beſtias verti, ſed tantum externa figura & forma; ſalvo ſpiritu & ratione humana, diaboli tamen arte ut plurimum ſopita, & inſolitorum phantaſmatum objectu oppreſſa.* Quod idem teſtetur Homerus de Vlyſſis ſociis, Et Boethius lib. 4. de conſolat. metro incipiente, *Vela Naricii ducis* &c. Ita ut in dicta *metamorphoſi non ſit* κτίσις, nec γένεσις, *ſed* ἀλλοίωσις; *ſitque homo ille tranſmutatus non* ἄλλο *ſed* ἀλλοῖον, *& tali individuo* per tranſmutationem non διαφορὰ, ſed ἐπεροῖσις *quadam acceſſerit.* Sed ne tale quid à diabolo fieri poſſe malim ſtatuere cum Iac. Capell. in Hiſt. ſacr. & exotic. ad annum mundi 3428. p. 241. Verba ejus de Nebucadnezare hic exhibeo, *Modus captus noſtri modum ſuperat. Sit ſane lycanthropiſmus, ſit corybantiaſmus, ſit furor melancholicus. Modo ſciamus nec hominem reapſe in feram mutatum: Sed exter-*

ternam figuram, non essentialem formam mutationem illam suscepisse : nec tale quidquam à maleficæ superstitionis hominibus aut ab ipso Satana præstari posse , quale hic patravit Deus, demonstrandæ potentiæ suæ & contundendæ principum superbientium insolentiæ. Fredericus Wolfeshusius modo cit. mutationis modum physice sic explicari posse censet p. 51. 52. *Verisimile itaque , ad transformanda hominum corpora & membrorum lineamenta externa materiam à dæmone talem seligi , & per occultos meatus corporibus immitti, cui naturalis secundum propositam effectionem alterandi facultas insit. Quia vero materia corporea ob nativam crassitiem inepta est ad penetrationem in quamlibet partem alterabilis , recte , puto , cum Cæsalpino dixerim , tenuiorem ex rebus substantiam , quæ operi accommoda sit, à dæmonibus elici. Vt enim Medicos ad tuendam sanitatem succos videmus exprimere, & Chimistas per sublimationem ex omnibus terra nascentibus purissimam elicere essentiam , quam Quintam vocant : ita omnino credibile est , spirituosam substantiam ab omni fœculentia probe expurgatam , & veluti formam materiæ crassitie liberam dæmonum industria à rebus separari & pro instrumento proximo ad formam peregrinam corpori affingendam usurpari. Atque hinc ist proculdubio , quod affectiones quascunque fere momento temporis inducunt , cum spiritus nimia tenuitate undiquaque penetret , ac , quod in pestilenti aëris statu , serpentum venenis & omnibus fere morbis contagiosis patet , brevissimo tempore operetur.*

Sic autem agit (opinor) dæmon , posteaquam intra corpus accepta est aptæ materiæ contagio , quemadmodum Anima , quæ alendo & augendo animalis corpori est attributa. Vt enim hæc innati spiritus & caloris adminiculo sanguineum alimenti succum ad extimos venarum tubulos deductum miro subigit artificio , percoquit , densat , novaque & solidiore carnis specie vestit , illa tamen pro multiplici animalium natura & crasi , multiplice ac diversa : (sic in homine , teneriore ac glabra cute molliter apparet obducta , duriuscula vero hirtaque pelle tecta in quadrupedibus : Atque illis in pedum manuumque digitos sectim , & decenter excrescit , hic in rigentes ungulas & incurvos horribilesque ungues desinit.) Ita dæmon in corpora Lycanthropon invisibili spiritu illapsus materiam corpoream, suo mediante pharmaco , pro arbitrio turbat , varie commovet & commiscet , transfert , componit, dividit , motus celeritate & efficacitate pharmaci momento perficiens , ut materia, quæ alendo & amplificando corpori proxima est , peregrinis qualitatibus inquinata , naturam ab insita diversam assumat , & ita non in partes humani corporis , sed membra bestiarum abeat , motum materiæ pro lubitu intus moderante ac dirigente spiritu. Inde mox pilis efflorescunt Lycanthroporum corpora , novoque unguium genere pedes & manus obarmantur , diducuntur aures , decora ac venusta facies in novam oblongo rictu oris deformem excrescit , transitque totus aspectabilis habitus naturæ rationalis , ad cœli contemplationem divinitus erecta , in figuram naturæ brutæ , depresso corpore & inclinata facie terram obtuentis.

Credi-

Credibile autem est, in tali metamorphosi non modo vi novarum qualitatum alterari & immutari membra extima, sed peculiari quoque machinatione dæmonis contrahi, diduci, explicari, dirigi, totumque adeo corpus incurvari, eo modo, quo VVierus impostorem quendam (è Iosepho Scalig. & Matthiolo) scribit effeciſſe, ut quis digitum ori insertum mordicus non sine dolore & clamore invitus premeret, tinctu cujusdam pulveris convulsis faucibus, ut incurvatus haud erigere se posset, simul amens etiam fieret mirosque gestus exhiberet, quadam unctione circa temporum & carpi arterias vim tantam faciente. Rationes peculiares pro limitata. *Prima,* quia Nebucadnezar transformatus fuit in bestiam *Daniel* 4. & asinæ Bileami ad tempus indita fuit ratio humana, *Numer.* 22. 23. cum 2 *Petr.* 2 16. idē de serpente *Genes.* 3. asserit. *Ephrem. Resp.* negatur utrumque. Possunt enim illa absque difficultate aliter explicari. 1. Nebucadnezar non fuit transformatus quod ad essentiam, sed tantum quod ad habitum & cultum corporis & accidentia quædam interna atque adeo usum rationis per ferinam melancoliam. Sic præstantiores Theologi citati *à Corn. à Lapide & VVilleto commentar. in Daniel* 4. 2. Asinæ Bileami non indita fuit ratio humana (hoc enim implicaret contradictionem ut asina manens ratione sit prædita,) ne quidem sermo humanus univoce & proprie sic dictus, sed ad similitudinem sermonis humani; Quomodo de sermone serpentis *Genes.* 3. judicant plerique Theologi, qui videri possunt apud *Pererium, à Lapide, VVilletum*, aliosque commentatores. 3. De serpente ad tempus ratione prædito juxta Ephrem apud *Bar Cepha* recte *Corn. a Lapide in in Genes.* 3. esse paradoxa. Sed meminerit nos idem Papistis reposituros, si quid ex eodem Ephremo pro Papismo suo allegent. *Ad tertiam quæstionem. Resp.* posse diabolum quidem immittere ecstasin seu raptum suum, aut hominem vita privare, non vero animam separare à corpore mox reduniendam, aut ad alia corpora migraturam. Ratioprioris est, quia illa esset idem quod resuscitatio ex mortuis; atqui illa diabolo impossibilis est, ut mox dicemus. Ratio posterioris est, quia quælibet anima suo corpori non tantum specie eidem (ut modo dictum) sed & numero aptata & unita est, & vice versa. Immo contrarium ut fiat putamus implicare contradictionem: Esset enim compositum ae suppositum hocunum numero & rursum hoc aliud numero, hoc est esset unum & non unum. Quod implicat. Hæcecitas enim compositi nullum aliud internum suæ individuationis principium habet, quam unionem singularem hujus individuæ formæ cum hoc corpore organico, seu singularem respectum & adaptationem unius ad alterum, unde fit ut sit hic homo, nempe Socrates. Fundamentum autem & primum principium istius unionis singularis, ex proportionatione singulari & respectu mutuo istarum par-

tium exſurgente nullum aliud quærendum eſt quam externum determinatio ſc. cauſę primę, quę ut res omnes, actioneſque ſic & ſubſtantias ad ſingularitatem ſuam determinat, ut hæc ſit, & nō hęc alia. Cum autem ſemel adaptavit, applicuit, & determinavit hanc materiam ad hanc formam, non poteſt hoc mutari, niſi ſimul individuum & hæcceitas ejus mutetur. Quod enim factum eſt infectum fieri nequit. Ad *quartam* quæſt. *Reſp. Non* poſſe à morbo letali quenquam reſtituere. *Non* poſſe viſum reſtituere cœco, cui ſcil. cœcitas obtigerit per carentiam oculorum; aut humorum, aut tunicarum in oculis aut ſimilium ad viſionem neceſſariorum: aliter ſe res habet in cœcitate quæ ex debilitate, aut intemperie organorum, aut oppilatione quadam oritur. Ratio autem eſt, quia illud eſt miraculoſum. *Non* poſſe viſcera aut artus principales reſtituere. De quo infra. *Non* poſſe ex ſene facere juvenem. Contra ſentiunt *Delrio libr. 2. qu. 23.* & *Baranzanum in qu. novis digl. 19. theor. 13.* Sed ad exempla ibi allata dici poteſt, aut nihil tale accidiſſe, aut fuiſſe ſecundum apparentiam magna ex parte; quidquid præterea fuerit, revera non potuiſſe eſſe complexionē juvenilem, ejuſdem ſcil. gradus, ſiquidem juventus non ſpeciem complexionis ſed gradum dicit. *Multo minus* poſſe mortuos ſuſcitare; quia hoc eſt proprium Dei *Iohann. 5. 20. 21. Rom. 4. 17. 2 Corinth. 1. 9. Hebr. 11. 19.* Et valet hic theorema Ariſtotelis: *A privatione totali ad habitum non datur regreſſus*; ſcil. naturaliter. Ad exempla, quæ adferuntur ex Philoſtrato aliiſque apud *Delrio lib. 2. qu. 29. ſect. 2.* reſpondemus, ſiquidem ficta non ſunt, fuiſſe *aut* ſpectrum diabolicum ſpecie hominis defuncti; *aut* cadaver defuncti ad tempus geſtatum & motum à diabolo (exempla habes in pſaltria Bononienſi apud *Peucerum de Divination. p. 14.* & convictore quodam Cornelii Agrippæ apud *Delrio diſquiſ. Magic. lib. 2. qu. 19. ſect. 1.*) *Aut* hominem illum non fuiſſe revera mortuum, ſed ita viſum: quod in caro, apoplexia, ſyncope, hyſterica paſſione aliiſque ſymptomatis haut inſolens, adeo ut nonnunquam per errorem vivi homines ſepulti ſint; (quod Doctori Subtili Iohanni Duns Scoto Coloniæ anno 1308. accidiſſe ferunt.) *Aut* hominem illum à diabolo ita ſopitum, omnemque ipſius motum ita cohibitum, ut aſtantibus mortuus videretur. Quod porro objicitur de muſcis aliiſque inſectis naturaliter reviviſcentibus. *Reſp.* Siquidem ſunt mortuæ, non eſſe eaſdem numero, ſed ex putri materia alias produci & conſequenter nullam eſſe reſuſcitationem à morte. Confer *diſp. de creatione. Deinde*, non valere conſequentiam à productione muſcarum, quæ calore cœleſti ex putri materia ſuſcitantur, ad productionem perfecti animalis, nedum hominis. Objicitur à *Delrio* pro reſtitutione juventutis exemplum ſerpentis & aquilæ. *Reſp.* Iuventus illa dicitur non ſpecifice talis, ſed analogicè & meta-

metaphoricè. Conſect. 1. *Reſicimus* Pomponatium, qui c. 10. p. 199. *ait reſurrectionem eſſe naturalem, & arte & conſequenter à dæmone curari poſſe.*

v. Circa animam humanam ejuſque facultates iſta non operatur. 1. Non illabitur in mentem aut voluntatem, nec intra eas operatur, nec circa eas ita operatur, ut phyſica actione faciat eas quidquam intelligere aut velle. 11. Conſequenter non operatur immediate in intellectum patientem, qui ſolus intellectionem elicit, judicat & intelligit: nec recipit patiens intellectus ſpecies intelligibiles ab illo, ſed à ſolo intellectu agente. 111. Non elicit intellectionem, nec format conceptum formalem, nec phyſice facit ut intellectus judicet judicio ſpeculativo aut practico. 1v. Voluntatem immediate & phyſicè non applicat, determinat ad agendum, ſive per judicium practicum, ſiquidem ſtatuatur voluntas ab eo determinari. v. Immo non tantum non operatur intra voluntatem, & in voluntate, ut operatio ejus ſit per modum actus, ſed ne quidem immediate voluntatem attingit, pulſat, aut circa eam operatur per modum objecti ſeu proponentis objectum, ſeu inſtrumenti proxime diſponentis: A ſolo enim intellectu res voluntati proponitur ut in eam feratur. v1. Hinc ſequitur hominem non excuſari à peccato, nec illud imputari poſſe diabolo, tanquam cauſæ propriæ directe & ſufficienter illud producenti: cum tantum agat per modum proponentis & ſuadentis appetibile & quidem remote: (Vide *Scholaſticos ad* 1. 2. *q.* 80. *art.* 1.) & quidquid egerit diabolus nulla tamen exiſtat actio humana proprie & formaliter ſic dicta, niſi ex libera voluntatis ad alterutrum oppoſitorum inclinatione & converſione procedat. v11. In Phantaſiam & reliquas facultates ſenſitivas multa cum poſſit diabolus, non tamen omnia. 1. Non poteſt phantaſiam hominis immutare novæ ſpeciei impreſſione, ideo non poteſt efficere ut cœcus à nativitate recte de coloribus imaginetur. 2. Non poteſt affectus omnes, autaliquem affectum e. g. triſtitię, metus &c. plane quod ad radicem & ſpeciem ab homine tollere. 3. Nec poteſt cauſalitate phyſica certo & inevitabiliter immittere alicui affectum e. gr. odii, amoris &c. erga tale vel tale ſingulare objectum. v111. Cum ergo circa affectus hominis & voluntatem rationalem tantum non poſſit diabolus nimis liquidum eſt, ſtolidam eſſe opinionem de philtris & faſcinis, quæ per varias actiones, ceremonias & res naturales arte & ope dæmonum amorem aut odium τοῦ δεῖνα inprimere credita ſunt. Videat, qui volet, fabulas illas apud *Virgilium* in *ecloga* 8. cui *tit. Pharmaceutria per totum*, & *Æneid.* 4. cum *commentariis Servii, Hortenſii, Taubmanni, La Cerda, Pimpontii, Petri Nannii &c.* Et apud *Theocritum Idyllio* 2. cum ſcholiaſte græco; Et apud *Horatium Epod.* 5. *in Canidiam*, cum *commentariis variorum* ſimul editis & ſeorſim *Lambini, Torrentii, Chabotii.*

Et apud *Plinium lib.* 8. *cap.* 42. Et *Aristotelem lib.* 2. *de animalibus cap.* 14. *& lib.* 6. *cap.* 22. *& Albertum M. lib.* 22. *de animalibus*, *Ficinum* Theolog. Platonic. *lib.* 13. *Pomponat. de Incantamentis c.* 8. *Calcagnium peculiari tract. de Magia Amatoria*; & qui multa ex omnibus autoribus collegit *Delrio lib.* 3. *part.* 1. *qu.* 3. *sect.* 1. *&* 3. *&* 2. qui vel solus sufficere possit illi; cui libri & otium non sit: ubi etiam nullitatem istorum Philtrorum magicorum, & antidotorum probat. Inter alia, quæ amore conciliando adhiberi solent celebratum est τὸ ἱππομανὲς, quod *Theocritus loc. cit.* appellat φυτὸν, quod vulgo ibi transfertur *planta*. Et sic accipit scholiastes græcus, atque hoc nomine Theocritum castigat. Sed *Casaubonus in lectionibus Theocriticis cap.* 3. φυτὸν exponit per φῦμα: quo poeta à censura scholiastæ liberatur. Fertur hippomanes esse caruncula in fronte pulli equini recens nati, juxta illud Virgilii, *Quæritur & nascentis equi de fronte revulsus, Et matri præreptus amor.* Describit eam *scholiastes Theocriti loc. cit.*, & ante eum Plinius lib. 8. c. 42. *Et sane equis amoris innasci veneficium, hippomanes appellatum, in fronte, caricæ magnitudine, colore nigro: quod statim edito partu devorat fœta, aut partum ad ubera non admittit, si quis præreptum habeat. Olfactu in rabiem id genus agitur. Amissa parente in grege armenti, reliquæ fœtæ educantor bũ.* Theophrastus apud *Photium in bibl. num.* 278. ad invidiam refert quod equa ἀπεσθίει τῶν πόλων τὸ ἱππομανὲς καὶ γὰρ καὶ οὗτο τὸ πρὸς ἔνια χρήσιμον *Var. Phavorinus in lexico* suo describit, quod sit τῷ μεγεθεῖ ἔλττον ἰσχάδος, μικρὸν, πλατὺ, περιφερὲς, ἐστι δὲ εἰς πολλὰ δόκιμον Sed qua autoritate, aut qua experientia hoc post Theophrastum, Plinium, & Scholiastem Theocriti affirmet, fateor me non videre. Vsus enim superstitiosos aut magicos quis non videt esse inutiles? Diximus quid non possit circa hominem: Addimus tribus verbis, Quid specialiter non possit circa electos. Non potest 1. in genere eos privare æterna salute *Rom.* 8. *v. ult.* 11. Consequenter non potest eo occidere, aut totalem & finalem phrenesin seu maniam immittere ante actualem conversionem. 111. Nec potest Ecclesiam de mundo tollere: consequenter non potest ecclesiam catholicam uno tempore in hoc mundo viventem ita cribrare & vastare, ut omnes vel ad tempus abnegent fidem Christi.

Probl. *An vere fidelium & sanctorum sive viventium sive mortuorum specie apparere possit?* Resp. *Quidni?*

Consectar. Quod *Thomas quodlib.* 2, *at.* 7. negat dæmonem influere in animam rationalem. Et *Hieronym. in Math. lib.* 2. *c.* 15. cogitationes a diabolo immitti, & *Gennadius cap.* 83, *Didymus de Spir. san. lib.* 3. substantialiter aut secundum substantiam animam vel mentem hominis implere, id omne juxta distinctiones positas recte exponi potest.

14 Circa pure naturalia non potest 1. quidpiam in mundo cœlesti, ut mutet

tet aut ſubſtantiam, aut qualitates, aut ordinatos, motus, aut ſitus cœli & ſyderum? nec tempora & tempeſtates quæ inde dependent. Non poteſt lunam de cœlo deducere, non lucem ſtellarum nec luminis & influentiarum diffuſione tollere, non curſum mutare aut ſiſtere; hæc enim immutabili naturæ legi à Deo fixæ repugnarent, & nonniſi per abſolutam ejus potentiam mutari poſſunt, *Geneſ.* 8. 21. cum *Ierem.* 33. 20. 25. *Mat.* 24. cum 2. *Petr.* 3. De mutatione circa ſolem vide *Exod.* 10. 2 *Reg.* 23. *Matth.* 27. Rejicimus ergo eos qui lunã à Magis è cœlo deduci putant (vide apud *Delrio lib.* 2. *qu.* 9.) aut diabolos aſtrales influentias pro libitu poſſe fingere, refingere, augere, iiſque ita impreſſis in res ſublunares uti ad mirabiles operationes. 11. Tantum non poteſt in mundo elementari, ut integra elementa ſeu corpora cõtinentia mutet aut quod ad ſubſtantiam aut quod ad qualitates & primarias & ſecundarias. Idem de loco ſitu, contiguitate ſuis cuique adjunctis corporibus intelligendum eſt. Sic e. gr. non poteſt efficere ut tota aqua deſinat eſſe humida, frigida, à terra ſeparata quãvis uno globo cõjuncta, ut ceſſet omnis curſus fluminum, omnis maris affluxus ſcil. & refluxus, intumeſcentiæ & detumeſcentiæ, ab Oriente in Occidentem &c. *Probl. An poſſit efficere ex monte vallem ex inſula continentem & vice verſa. Incl. in aſſ. c. diſt.* Non poteſt terram loco movere *quia* non eſt proportionatum ipſius potentiæ ut mutet ordinem elementorum mundi: Nulla etiam eſt potentia paſſiva ſeu inclinatio terræ ut ſit extra locum ſibi aſſignatum. Eandem terram in loco ſuo movere & rotare nequit: quia hæc eſt lex naturæ univerſalis ut terra immobilis perſtet in loco ſuo *Eccleſ.* 1 *Pſ.* 104. 111. Circa corpora quævis ex elementis compoſita, tantum non poteſt. 1. Vt per ſe, directè & propria virtute, hoc eſt per localem motum immediatè producat aliquam formam ſubſtantialem aut accidentalem corpoream ſcil. & permanentem. Nam incorpoream aliquam aut ſpiritualem, ſeu potius intentionalem ut & corpoream debilis entitatis & cito interituram eum communicare non negamus; ut infra videbitur. 2. Vt conſequenter formas novas introducat in rebus. 3. Vt etiam mediatè per agentia naturalia non univoca, eorumque virtutes animalia perfecta producat, ſive ut cauſa æquivoca, ſive ut univoca. Rationem adfert *Thomas* 1. *p. q.* 110. *ar.* 2. & *contra Gentes l.* 3. *q.* 103. & *quæſt. de Dæmon. art.* 9. quia corporale non poteſt fieri niſi ab agente corporali aut ab eo qui eminenter illud cõtinet. Quidquid enim fit, à ſibi ſimili fit. 4. Vt poſſit efficere carnẽ, ſanguinem, oſſa, nedum corda, cerebra, pectora, capita, jecora &c. & hujuſmodi partes integrales animalium. Ratio eadem eſt quæ ſupra. Et debent omnino à principio vivente vitâ vegetativâ & animali illa produci. 5. *Nec* poteſt corpus aliquod ſibi unire ſubſtantialiter in unam naturam

aut hypoſtaſin: Idem de materia, forma, & partibus integrantibus corporum dicendum eſt. 6. Nec in corpore accidentaliter aſſumpto, aut extra illud opera vere vitalia exercere, e.gr. loqui, comedere, audire &c. De quibus conſulantur *Scholaſtici ad* 1.*qu.* 111. &c. & ex recentioribus *Delrio*, *la Torre*, *Tannerus loc. cit.* & *Pererius*, *A lapide*, *VVilletus*, *in Exod.* 7. *Martyr locor. comm. claſſ.* 1.*c.*2. *Zanchius de operibus creationis l.*4. *Hyperius Meth. Theol. lib.*2. *Caſmannus Angelogr. lib.*2.7. *Nec* poteſt confirmare, acuere, actuare oculos & viſum hominis, ut ipſe objectum quamvis remotum per quævis corpora opaca, & denſa ſine ſpecie viſibili videat: aut ita confirmare & multiplicare ſpecies viſibiles, ut ſe ſpargant per quævis loca opaca, etiã remotiſſima: aut ut ſpecies ab objecto non eliciendo, ſe ſolo ubilibet eas poducat. Hæc enim, ſi abſolute fieri poſſint, ſoli Deo tribuenda. Vide quæ commentatores afferunt ad explicationem viſionis Stephani *Actor.* 7. & Moſis *Numer.*27.12.

Problema, An non poſſit apparere corpore ſeu ſpecie agni, aut columbę; aut etiam hominis abſque manifeſto aliquo defectu aut deformitate? *R.* Affirmantem opinionem ad γεφύδεις μύθους relegamus; quamvis à nonnullis aſſeratur.

15 Reſtat operationes diaboli poſitive conſideremus, primo in genere quid faciat, deinde in ſpecie quomodo ſingula efficiat. In genere ergo 1. Non pauca fingit & ipſe & Magi, quaſi geſta eſſent, in quæ ſi quis inquirat, deprehendet falſa. 11. Plurima & quidem maximè miranda facit non revera, ſed in ſpecie & externa apparentia, qua ludit & fallit ſenſus exteriores, de quibus præſtigiis poſtea. 111. Præter hæc multa internæ hominis ſive dormientis ſive vigilantis phantaſię injicit, tanquam quæ revera fiant; cum tamen non fiant. 1v. Multa etiam efficit, quę revera ſunt talia; eaque per motum localem imprimis & immediate, deinde etiam per alios motus mediatę: dum ſcil. applicat agentia naturalia ſuis paſſivis aut ab iis ſeparat, aut inſtrumenta artificialia adaptat operi fabricando. v. Omnia illa fingit, præſtigiatur, movet, mutat, aut per ſe aut per Magiam & Magos; Hâc tamen cum diſtinctione, quod ea quæ vires & artes humanas ſuperant, ipſe solus proprie & formaliter operetur: & homines ſe habeant aut tanquam ſubjecta pure paſſiva aut inſtrumenta moralia. v1. His operationibus ſuis ut nihil niſi malum intendit, ſic etiam efficit, quantum in ſe eſt. Animas, corpora & bona hominum, familias, ſcholas, Eccleſias, Reſpublicas infeſtat, concutit, & quantum in ſe eſt ſubvertit: Dei & mediatoris noſtri gloriam obfuſcat, ſe in Deum evehit & colendum proponit. Quod ſi non obtineat, ut fiat aperte, uti apud teterrimos Magos, & cœcos Calecuthanos? aut fiat aliquo Deorum

titulo

titulo & ſchemate ac forma ſeu imagine illa, qua ipſis apparere ſolet, uti apud antiquos Gentiles; ſaltem per conſequentiam, practicam & interpretativam dæmonolatriam inducit: dum in horrenda flagitia homines pertrahit & carni aç mundo ſervire docet. VII. Boni (in genere ſuo, objective & materialiter ſic dicti) ſiquid facit, illud ipſum eſt in malum. Sic ſanat ut lædat, veritatem dicit ut fallat, vitam pollicetur immo & aliquando præſervat ut perimat, θῶα quædam ἄθωα confert ut iis animam, ac corpus in æternum crucianda lucretur, ſcientias & artes docet ut timorem Dei dedoceat, actus aliquos religionis & virtutis ſuadet ut peremptoria deceptione hypocritas, ſuperbos, idololatras efficiat. De veris & bonis à diabolo peſſime exhibitis vide quæ notamus in *Deſper. cauſa Papatus lib. 3. ſect. 2.* Effecta pleraque diabolica breviter & eleganter enarrat Tertullianus Apologet. cap. 22. *Et quæ illi accuratior paſcua eſt, quam ut hominem è cogitatu veræ divinitatis avertat præſtigiis falſis? quas & ipſas quomodo operetur expediam. Omnis ſpiritus ales eſt. Hoc angeli & dæmones. Igitur momento ubique ſunt. Totus orbis illis locus unus eſt, quid ubi geratur tam facile ſciunt quam enuntiant. Velocitas, divinitas creditur; quia ſubſtantia ignoratur. Sic & auctores interdum videri volunt eorum, quæ annuntiant. Et ſunt plane malorum nonnunquam, bonorum tamen nunquam. Diſpoſitiones etiam Dei, & tunc Prophetis concionantibus excerpunt, & nunc lectionibus reſonantibus carpunt. Ita & hinc ſumentes quaſdam temporum ſortes æmulantur divinitatem, dum furantur divinationem. In oraculis autem quo ingenio ambiguitates temperent in eventus, ſciunt Cræſi, ſciunt Pyrrhi. Cæterum teſtudinem decoqui cum carnibus pecudis Pythius eo modo renuntiavit, quo ſupra diximus; momento apud Lydiam fuerat. Habent de incolatu aëris, & vicinia ſyderum, & de commercio nubium cœleſtes ſapere paraturas, ut & pluvias, quas jam ſentiunt, repromittant; benefici plane & circa curas valetudinum. Lædunt enim primo, de hinc remedia præcipiunt, ad miraculum nova, ſive contraria, poſt quæ deſinunt lædere, & curaſſe creduntur. Quid ergo de cæteris ingeniis, vel etiam viribus fallaciæ ſpiritalis edi ſſeram? Phantaſmata Caſtorum, & aquam cibro geſtatam, & navem cingulo promotam, & barbam tactu irrufatam; ut numina lapides crederentur, & Deus verus non quæreretur.*

Conſectar. Nullum ergo commercium hominis cum diabolo eſt licitum, ut aliqua in re diſcenda aut facienda ipſius conſilio & opera utatur directè aut indirectè, mediate aut immediate. Vide *Diſputat. noſtras de Magia & de Exorciſmo.*

In ſpecie operationes ejus ſunt vel circa cauſas intelligentes, vel circa 16
pure naturales. Illę ſunt Chriſtus mediator, angeli boni, animæ ſeparatæ, dæmones inter ſe, homines in terris. *Quod ad Chriſtum*, eum tentavit, de loco in locum tranſtulit, vexavit *Matth. 4. Luc. 22. 53. Iohan. 14. 30.* *Circa angelos*

angelos operationem ejus indicat ſcriptura *Iudæ v.*9.cum *Pſ.*15.11.& 34.8. unde colligimus contentionem , repugnantiam , & impeditionem tum gloriæ tum operis ipſorum, quantum in ſe eſt. *Circa animas ſeparatas* , in inferno ſcil.opus eſt,eas torquere.Huc pertinet motus localis animarum. *Mendoza in quæſtionibus p.*401.diſputat , an poſſit eas hinc inde trahere. *Circa ſe mutuo*, hoc eos operari volunt Scholaſtici & ſcriptores exorciſtici ut contendant ſcil.& hoſtiliter alii alios infeſtent,de poſſeſſione deturbent &c. Quod nos cum grano ſalis accipiendum putamus ex *Matth.* 12. 26. *Luc.* 11.16. Recte alibi *Scholaſtici ad* 1.*qu.*109.*art.*2.*ad* 2.cum diſtinctione reſpondent inter dæmones eſſe concordiam quandam , non quidem ex amicitia, ſed ex nequitia provenientem. *Circa hominem* effecta ejus diſtribuimus , in ea quæ tendunt. 1. In totum compoſitum ejuſque adjuncta.2. magis in corpus. 3.magis in animam. 1. *In totum compoſitum* : 1. Aſſiduo & occulte eos circumit , ſaluti æternæ & temporali inſidiatur,eos oppugnat , 1 *Petr.*5.*Epheſ.*6.12.13.2, terticulamentis & ſpectris in vita & morte infeſtat ; de quo *Diſp.de Spectris.* 5. Calumniis ſuis eos differt apud Deum , homines , & ſeipſos *Iob.*1.*Apocal.*12.10. 4. Bonis eorum multis modis nocet ſive immediate , ſive mediate per Magos,alioſque improbos à ſe concitatos.De hoc pluribus in *Diſp.de Magia Io.* 1.*v.*5.Vbi videat, cui vacat,commentar. *Ioh.Pinedæ.*Nonnunquã vitam adimit *Iob.*2.*v.*6.Exempla quamplurima a *Launæo* , *Simone Goulartio*, aliiſque miſcellæ hiſtoriæ & exemplorum ſcriptoribus adferuntur. Quibus adde funeſta illa Doctoris Fauſti , & Chriſtoph. Aurigarii, a viro pio & fide digno una cum vitis & geſtis ipſorum deſcripta. 6. Denique improborum animas , & deinde corpora , atque adeo ipſos totos in infernum præcipitat & tanquam tortor excruciat. 11. *In corpus* 1. *De loco* in locum illud transfert. Negant quidem illud *VVierus* , *Regin.Scotus* , *Agrippa* , *Fr.Samuel Minorita* , *Martinus de Arles* , *Ponzinibius*, *Baptiſta Porta*, *Alciatus* , *Duarenus* , *Ærodius* , *Michael* Montanus , *Philip.Camerarius* , *Vlricus* Molitor , *Godelmannus* , *Leonardus Vairus*, *Marcus Antonius Zimara in tract. de* Magia *cap.* 15. Quem de ſuo auxit *Cæſar Longinus* : qui ibidem pro ſua opinione citat *Luth.Melanthonem*, *Alciatum* , *Duarenum*, *Ærodium* , *Camerarium* , *Vairum lib.*2. *de faſc.c.* 3. qui ad illuſiones phantaſticas & diabolicas referunt omnem illam ſagarum aut aliorum hominum tranſlationem de loco in locum , idque per hircum aut arundinem &c. Sed nihil hic eſſe impoſſibile , & committere autores nominatos paralogiſmum a particulari , prolixe oſtenſum a *Delrio libr.*2.*quæſt.*16.*& Raph.la Torre tract.*2.*diſputat.*5. & ibidem *Tannero quæſt.*3.*pag.*59. & *Scholaſticis ad part.* 1. *quæſt.* 110. *art.* 3. *&* 3.*quæſt.* 41.*artic.*4. Et *Libavio in ſingul.part.*1.*tit. de* Strigiportio. 2.*Extrinſecus* illud pulſat , tundit , vulnerat, luxat. *Actor.* 19. *verſ.*16. Accedit multiplex

expe-

experientia; quam qui prætensâ phantasiæ corruptione eludit; næ is mentem corruptam gerit. 3. *Variis* morbis veneficis per se aut per Magos inflictis excruciat. De quo in *Disp. de Magia.* 4. *Localiter* intra corpus operatur illudque possidet. De quo *Disp. de Energumenis.* 5. *Proprias* corporis vires delassat ac tollit, dum suas vires ad inusitatos impetus (*Matth.* 8.) illis commodat: ut videre est in δαιμονοφορήτοις, qui paroxysmo arreptionis cessante, cum ad quietem se recipiunt, plerumque solo incidunt semianimes viribus debilitatis. Docet hoc præter textum *Matth.* 17. experientia. Confer *Disp. de Energumenis.* 6. *Sensibus* externis seu organis sensuum non uno modo illudit. *Auribus*, scil. fictis sonis, tactui qualitatibus tactilibus una cum substantia seu subjecto suo artificiosè fabricatis &c. Hic disputant *Scholastici* & post alios *Vasquez Disp.* 184. *cap.* 2. & 3. an corpora animalium, imprimis hominum ab angelo aut diabolo ex aëre & crassiori materia compacta discerni possint a veris animalium carnibus, aut hominum corporibus. Respondet *Cajetanus* 22. *q.* 25. *a.* 3. & *Vasquez loc.* si attente quis consideret non quidem per visum de colore & figura corporis, sed per tactum de vera duritie ossium, & mollitie carnium judicare posse ex *Luc.* 24. Idem dicunt de vocibus brutorum, de cantu & voce humana (quæ imitari solet.) Et signa diacritica hæc addunt, quod voces sint stridulæ &c. Vide *Thyræum de Dæmoniacis*, *R. la Torre tr.* 2. *disp.* 8. Nos illam discernendi ἀκρίβειαν & artem profiteri non possumus; itaque in medio & ipsis relinquimus, quippe qui per Dei gratiam ex frequēti cum dæmonibus conversatione & colloquio (qualia ipsi jactant) experientia cum ipsis certare neque velimus neque possimus. Porro quod de lotione pedum, & lucta Iacobi ad *Genes.* 18. & 19. & 32. movet *Augustin. in Enchiridio c.* 59. quomodo non deprehensa sint corpora illa alia esse quam humana, cum non potuerint habere eam intrinsecam duritiem, non est hujus loci decidere. Imprimis autem oculis illudit variis præstigiis, De quibus & hic & *Disp. de Magia* (ubi de præstigiatrice) multa quæri possent. Vt breves simus, dicimus præstigias & fallacias illas fieri vel ex parte objecti; vel ex parte medii, vel ex parte organi, vel ex parte omnium simul. *Ex parte objecti*: e.gr. circa visionem (ubi plurimæ deceptiones contingunt) decipit dupliciter *vel* corpus phantasticum de novo efformando illudque objiciendo, sive illud ipse assumat sive alteri rei circumponat, ut res aliter appareat, quam est: *vel* objectum sensibile alias efformatum varie movendo dum celeriter illud agitat, varié collocat, separat, latenter conglutinat &c. Quæ ex artificiosis præstigiis Circulatorum, ex admirandis tum speculationibus, tum operationibus Opticis illustrari possunt. *Ex parte medii*, aëris scil. *vel* cum impediuntur species visibiles ne ad oculum deferantur,

interjecto scil. aliquo specierum impeditivo, quo fit ut totum objectum aut pars occultetur: *Vel cum* moto aëre moventur species; *vel* cum medium aliqua qualitate afficitur e.gr. colore aliquo; quo species per medium transeuntes ita afficiuntur, ut objectum non repræsentet quale est: *Vel cum* medium circa ipsum objectum condensatur: *Vel cum* varie conformantur & multiplicantur species sensibiles ab objecto usque ad sensum emissæ. *Ex parte organi* dupliciter, (ut egregie *Thomas in Lombardi l.2. dist.8. qu. unica art. 5. ad 4.*) *vel cum* species ex thesauro imaginationis per motionem localem à dæmone cientur, ut ad organa sensuum fluant & illic uniantur, ac si extra res essent præsentes & actu sentirentur: quale quid in insomniis naturaliter fieri videmus; quamvis ibi species organa exteriora non attingant, quia per somnum sunt ligata. Est autem hæc præstigiatrix & diabolica illusio maxime mirabilis, ac propterea multis visa impossibilis. Sed subtiliter & docte defendit eam & Thomam, *Raph. la Torre tract.2. disp.6.* & ante eum explicuit *Molina ad 1. qu. 111. art.4.* Ex quo *Delrio lib.2. qu.2.* Exempla autem deceptionum & ludificationum diaboli circa sensus plurima invenies apud *Guliel. Parisiensem part. ult. de Universo c. 22.* & aliqua apud *Delrio loc. cit.* *Alter modus est*, cum ipsius organi situs mutatur, item cum humores agitantur & perturbantur, cum crassiori humore obstruitur via, ne spiritus optici ad organum perveniant, denique quando alia quacunque ratione vis videndi hebetatur. De scotomate Sodomitarum *Genes. 19.* & deceptione visus in discipulis *Luc.24.16.* & Mariæ Magdalenæ *Ioh.20.14.15.* Et quod capturi non noverint Christum *Iohann.18.* Et quod Bileam non viderit angelum quem asina videbat *Numer.22.* alibi inquirendum est.

17 Et hæ quidem operationes circa corpus. 111. Circa animam *in genere collective* scriptura illi attribuit, quod immittit in cor *Ioh. 13.2.* quod illud implet *Actor.5.3.* quod νοήματα excœcat 2 *Corinth.4. vers.4.* quod in hominem ingreditur *Luc.22.3. Iohann.13.27.* Quod tentat ad malum (de quo *Disp. de Tentatione*) unde Tentator *Matth.4.* Quod seducit ad quævis peccata 2 *Corinth.11.3. In specie & distributive*, docet experientia illum seducere ad Idololatriam, Magiam, Hæresin: non tantum interne illa suggerendo, sed etiam externa objecta, occasiones, media, emissarios & proxenetas suos ex hominibus assumptos adhibendo. De quibus *Disp. de Magia & de Hæresi.* Inter suggestiones & illusiones tanquam extraordinariæ eminent *Apparitiones* seu *visiones* diabolicæ, quæ sunt vel internæ vel externæ, Illæ sunt insomnia, ecstases, raptus, & enthusiasmi diabolici: de quibus agendum *Disp. de Prophetia.* Istę sunt, externa ὁράματα tanquam Christi, aut angeli, aut sancti à Deo missi, &c. Vtrisque quantopere grassatus sit Satan, docent exempla antiquorum & recentiorum hæreticorum

rum & Enthusiastarū inter quos excellunt Anabapt. Monasterienses aliiq; quorum furores cum iconibus & gestis eorum peculiari libro descripti habentur. Nec prætereundi sunt Monachi, Clerici, & sanctuli Papales, cū revelationibus & visionibus suis, tot ferreis legēdis & Vitis decantati. Si quis modo dęmonas specie divinarum visionū ipsis illudentes cognoscere velit, is nobis non habeat fidem, sed Iesuitæ *Delrio*, qui pudenda matris suæ Romanæ hic strenue detexit, *lib.4.quæst.3.* Ex diabolica phantasiæ læsione tot falsas apparitiones, ecstases, & revelationes notant *Augustin de cura pro-Mortuis c.12. Cajetanus in 22.qu.95.a.3. Victoria de Magia num.35. R.la Torre tract.2.disp.6.* Sed propius hic expedienda est difficultas illa, an & quousque diabolus agat in animam humanam: de quo anxie disputatur, à Scholasticis. Vix est tamen, ut non maneat aliquid caliginis & ἀλύτου. Nos istis conclusionibus tyrones pro modulo manuducemus; quarū *Prima concl.* Diabolus potest internè & immediate operari circa facultates animæ sensitivas & corporeas, sensum scil. communem; phantasiam & memoriam: & consequenter circa appetitum irascibilē & concupiscibilē. Ratio est, quia corporei sunt; & omne corpus obedit spiritui, quantum ad motum localem. *Secunda concl.* In sensum communem sensata tum ex exemplis, spectaculis & sermonibus objectis, tum ex præstigiis & illusionibus externis orta defert: & inde porro operatur. *Tertia concl.* Circa phantasiam ita agit ut intra eam & in eam agat directe ac immediate; (est enim facultas corporea) idque triplici ratione 1. ipsam facultatem roborando, aut infirmando, quod ad organa sua, idque *vel locali motu*, dum spiritus animales agitat & variis modis movet, aut ventriculos cerebri dilatat ac comprimit; *vel motu alterationis & augmentationis*, dum spiritus animales auget & minuit, aut humoribus *concitatis* & alteratis eos cum ventriculis varie afficit. Quomodo in phreneticis, & ex febri aut melancolia delirantibus naturaliter hoc fieri videmus. 2. species sensatas in memoriâ sensitiva repositas excitando & producendo, ut homo per eas imaginetur, easque varie componat & dividat. 3. Species insensatas & à sensu communi non suppeditatas de novo introducendo & nova phantasmata fabricando. Quod facit tum immediate & per motum localem, tum mediate & per alterationes aliasque actiones. *Illo modo*, cum conjungit & varie commiscet species quæ partim a sensibus externis per sensum communem suppeditantur, partim ex thesauro memoriæ sensitivæ ab illo concitatæ regurgitant, ex quarum commixtione novæ species & insolita phantasmata oriuntur. *Isto modo*, cum concitat humores & vapores (ut jam dictum) suo instituto accommodatos, aut circumcirca ventriculos phantasiæ affigit, aut intra cerebrum intromittit. Alterutro ergo aut utroque modo;

aut potius (ut de sensibus exterioribus supra dictum est) ex parte objecti, medii & organi sic illudit diabolus, ut hominibus sive dormientibus sive vigilantibus qualia vult, phantasmata immittat, & homines deceptorias illas imaginationes in phantasia sua obvolvant, eaque se putent videre aut audire, quæ re vera nec vident, nec unquam viderunt.

Consect. *de regnis mundi quæ diabolus ostendit Christo Matth.* 4. *Luc.* 4. *Statuendum censemus*, cum *Scholasticis ad* 3. *qu.* 41. *artic.* 4. eum in alto monte confuse cujusque regni plagam & situm ostendisse; atque insuper omnium regnorum imagines in aëre à se condensato per varias fulgoris Solis refractiones instar pictoris quasi pinxisse & repręsentasse, uti volunt ex commentatoribus *Theophylactus*, *Iansenius*, *A Lapide &c.* Sunt qui cum *Autore de Iejunio & tentat. Christi* (in operibus *Cypriani*), volunt diabolum egisse in Phantasiam Christi, ibique per phantasticam visionem (hoc est, illusionem) non vero sensibilem externam repræsentasse Christo omnia regna. Sed prior sententia tutior est. Alios modos visionis, qui hic fingi possent, dæmoni non esse possibiles, modo dictum.

18 *Quarta concl.* Hinc sequitur interius agere in intellectum, sed mediate: quia & quatenus agit in phantasiam, à qua licet non quod ad actum, saltem quod ad objectum intellectus dependet, juxta illud Philosophi: *Oportet intelligentem phantasmata speculari.* Sed hoc quæritur an non præter hunc operandi modum alius insuper immediatus sit statuendus: Scholastici plerique negant directe eum operari in intellectum. Nonnulli de modo ulteriori dubitant, & videntur subinde quid dicere, sed ita ut dicendo nihil dicant. Sit ergo *Quinta concl.* Diabolus aliqua ratione immediate & directe agit in mentem, non quod attingat intellectum patientem aut intellectionem eliciat, sed quod immediate intellectui agenti species intelligibiles tanquam principia intelligẽdi imprimat per modum objecti & sic lumen aliquod intellectuale cõmunicet, seu illuminet, hoc est manifestet nõ scibile, sive id verũ sit sive falsum, sive verbale sive reale, sive notionale. Videmur nobis affirmantem sententiam posse colligere 1. *partim* ex locis scripturæ modo cit. quæ de sola operatione, in phantasiam & mediante illa in intellectum exponere nimis coactum. 2. *partim* ex spiritualibus tentationibus, injectionibus, & suggestionibus earum propositionum, discursuum de Deo & rebus divinis, quorum minima fama aut notitia ad homines illos pios & idiotas, qui inviti colaphos illos Satanę patiuntur, nunquã ante illud tempus pervenit. 3. *partim*, ex cognitione multarum rerum particularium, quę alibi tunc geruntur, aut nuper in remotis orbis partibus gesta sunt, quę tamen Magi aut Enthusiastę aut Pythonici illi per naturam aut artem & industriam hominum scire non poterant, nec diabolus ex-

terne

terne ipſis proponit, nec phantaſiæ ipſorum ita imprimit, ut intellectus inde deſumat & intelligendo diſcat, eſt enim phantaſia per ſe & qua talis incapax continuatę orationis & prolixi colloquii, qualia ſæpe referunt. Relinquitur ergo illa immediate menti ipſorum imprimi & communicari. 4. *Partim* ex cognitione rerum philoſophicarum, aut Theologicarum, aut exoticarum linguarum; quas nunquam ante tenuerunt homines, nec tam brevi tempore multiplicatis exercitiis & actibus intellectus diſcere potuiſſent, formando ſcilicet ſpecies earum intelligibiles. Anguſtum enim illud tempus non eſt tam longo operi proportionatum; ut nec vires humani cerebri & ſpirituum. Præterquam quod phantaſia non illuſtret phantaſmata, nec producat ſpecies intelligibiles, nec per ſe faciat ut objectū repræſentetur in ſpecie intelligibili, quippe quæ non abſtrahat & præſcindat à conditionibus individuantibus, nec producat univerſalia, nedum ut ultimata abſtractione producat & ſpeculetur entia rationis. Iam vero univerſalia ſunt τὸ ὅλως ὄν objectum omnium ſcientiarum, & entia rationis Aſtronomiæ, Logicę &c. Atqui dictas ſcientias quas ipſe novit, communicat nonnunquam menti humanæ, non per modum paulatim proponentis conceptus objectivos, & ſic obſtreticantis externe tantum (quod Socrates aliique pręceptores faciunt) ſed per modum pręformantis & imprimentis interne ſpecies intelligibiles, & quidem tempore imperceptibili: Non etiam per modum agentis ſolitarii, ut homo nihil agat (quomodo abſconditarum rerum ſcientiam depromit ordinario in energumenis, qui habent ſe mere paſſive) ſed ut lumine ſpeciei intelligibilis per ipſum introducto homo pro perverſa voluntate ſua utatur, eoq; tanquam principio intelligendi ad conceptum formalem de ſcibili illo ante ignoto prompte facile formandam atque intellectionem eliciendam juvetur. Et ſic *Thomas* 22. *qu.* 16. non negat diabolum artes & ſcientias docere per locutionem & manifeſtationem ſui conceptus, quamvis *qu.* 16. *de Malo art.* 12. neget id fieri influendo ſpecies in ipſum intellectum. Sed nos non videmus, cur hoc neget. Exempla autem hujus luminis intellectualis (ita loqui liceat) à diabolo comunicati ſuppeditant fanatici quidam hæretici, qui abſque ullo ſtudio ſuo, cum antea eſſent literarum ignari & ἀναλφάβητοι, ſubito ſcripturam ſacram & res theologicas memoria pronuntiare cœperunt: Tale quid refert *R. de la Torre diſput.* 6. penes ipſum fides ſit, potuiſſet addere ex Ieſuitis *Ribadeneira in Vita Ignatii*, & *Delrio lib.* 4. *diſquiſ. Magic. c.* 1. Exemplum Ignatii Lojolæ, cui diabolus tantam copiam divinarum intelligentiarum in animam influebat. Nos referimus artem notoriam apud eundem *Delrio*, præterea illos impie φιλομαθεῖς & πανσοφίας affectatores, qui omniū rerum ſcientiā pollicentur & jactant nonnunquā aliqui multarum habuiſſe

probantur, mediis tamen neceſſariis natura, methodo & exercitatione ut & tempore deſtituti. De quo myſterio multis libris ſuper dicta Fraternitate Roſeæ crucis editis ante annos aliquod certatum eſt. Si vera ſint, quæ ipſi tenebriones dicunt in *fama & confeſſione* & in *ſubjecta epiſtola Medici cujuſdam*, utique luminis intellectualis à diabolo accepti aut exſpectandi non minimam nobis faciunt ſuſpicionem. Conſulant, quibus vacat, *relationem Georgii Moltheri Medici* de ignoto quodam fratre Roſeæ crucis Francofurti ad Mœnum ann. 1617. edita, una cum *Fama & confeſſione Fraternitatis*, Germanice in 8. De ſtudioſo illo Patavino qui 30000. vocabulorum ſemel audita ordine ſe repetiturum gloriabatur, & inſigni aliquo ſpecimine fidē faciebat (apud *Muretum in variis lection. l. 3. c. 1.*) idem eſto judicium. Veræ tamen ſive naturali ſive artificiali memoriæ, & divinis compendiis ad univerſalem aliquam aut multiplicem ſcientiam perveniendi nihil volumus præjudicatum. 5. *Partim*, ex ſermone angelorum cum angelis dæmonum cum dæmonibus, quem ex ſententia communi peragunt imprimendo immediate alterius menti ſpeciē intelligibilem quæ intuitive repreſentat propriam & internam ipſius cogitationem. De quo *Scholaſtici ad 1. qu. 107. art. 2.* Sic tamen ut nulli creaturæ tribuatur potentia immutandi mentem & voluntatem; quamvis immediate & directe in eam quid imprimat, eamque huc uſque moveat. Non video cur talis impreſſio & communicatio in mente hominis ſeparata immo & cum corpore conjuncta locum non habeat. Breviter dæmon agit in intellectum dæmonis, angelus in intellectum angeli, uterque in animas ſeparatas, & hæ in ſe invicem, intellectualiter loquendo & immediate communicando & afficiendo abſque media phantaſia aut phantaſmatis, in quæ ſola immediate & directe agere à vulgo ſcholaſticorum affirmari videtur. Quidni ergo dæmon in intellectum cum corpore conjunctum agere poſſit ſive mediate ſive immediate proponendo & imprimendo ſpecies intelligibiles? An etiam eas varie inter ſe miſcendo & conturbando, quomodo de phantaſmatis communiter affirmatur? De mixtione, conturbatione, & confuſione, quæ fiat intendente, immediate & proxime præcedente actuali intellectione & volitione hominis; videtur facilius affirmari poſſe. In talibus enim qui diabolo in ſervitutem ſe mancipant, impletur illud apoſtoli 2. *Corinth. 4. verſ. 4. excœtavit* &c. Sed de mixtione & confuſione ſpecierum, quę fieret abſque propria hominis intellectione & volitione amplius inquirendum; diſquiſitiones ac ſuffragia ſapientum audienda. Accedit & hęc ratio quod ex Thomiſtarum quorundam ſententia ſpeciem & lumen intelligibile ab eo produci ſtatuunt & ex theoremate illo, quod apud *Scholaſticos ad 1. qu. 111. art. 1.* de Angelorum illuminatione in confeſſo eſt

De

Dedæmonum illuminatione, qua ſuperior illuminat inferiorẽ affirmat *Vaſquez. diſp.* 217. *num.* 10. *Raphael la Torre* ait *tract.* 2. *diſp.* 6. *p.* 225. 226. etiam dęmonas attenta ſua naturali virtute, poſſe movere hominum intellectum, eum illuminando, quia in naturalibus æqualis ſunt poteſtatis, juxta omnes Theologos. Quod autem ibidem ſubjicit *Thomam de Veritate qu.* 11. *art.* 3. & in 2. *diſt.* 1. *qu. unica art.* 5. *ad* 6. *& qu.* 16. *de Malo*, *&* 1. 2. *qu.* 80. poſſe quidem dæmonas imprimere hominum intellectibus lumen intelligibile, non producendo ſcil. novum lumen aut novam formam, ſed lumen naturale jam productum & prehabitum fortificando per immiſſionem ſpecierum; nunquam tamen intellectum confortare lumine intelligibili propter odium & malitiam ſuam: quin immo contra intellectum tenebris obnubilare & in errorem inducere, id totum mihi logomachia videtur. Quocunque enim modo & in quem finem diabolus intelligibile manifeſtet, & intellectum ad intelligendum res antea incognitas promoveat per ſpecies intelligibiles, quas commiſcet concinnat & intellectui imprimit, habemus quod volumus hoc eſt diabolum non tantum phantaſię phantaſmata, ſed etiam menti immediate ſpecies imprimere. Tertullian. in apologetico c. 22. videtur ab hac ſententia noſtra non alienus eſſe, quamvis diſtincte & acroamatice non ita exprimat; *Itaque corporibus valetudines infligunt, & aliquos caſus acerbos, animæ vero repentinos & extraordinarios per vim exceſſus. Suppetit illis ad utramque ſubſtantiam hominis adeundam ſubtilitas, & tenuitas ſua: multum ſpiritualibus viribus licet, ut inviſibiles & inſenſibiles in effectu potius, quam in actu ſuo appareant &c. Eadem igitur obſcuritate contagionis aſpiratio dæmonum & angelorum mentis quoque corruptelas agit furoribus, & amentiis fœdis, & ſævis libidinibus, cum erroribus variis, quorum iſte potiſſimus, quod eos ipſos captis & circumſcriptis hominum mentibus commendat &c.* Et cap. 27. *Ille &c.* (dæmon. ſcil.) *de mentibus veſtris ad adverſus nos præliatur, occulta inſpiratione modulatis & ſubornatis ad omnem, quam in primordio exorſi ſumus, & judicandi perverſitatem & ſæviendi iniquitatem. Sexta concl.* Quæri poſſit an etiam immediate operetur in memoriam intellectivam, ſpecies inde auferendo atque ita oblivionem inducendo, aut in theſaurum ejus novas inducendo abſque intercedente & præcedente actuali intellectione. *Reſ.* De *Poſteriori* amplius inquiri malim, quam quidquam determinare. De *Priori Aff.* Sed an ablatio illa fiat immediatâ aliqua & intrinſeca operatione in facultatem intellectualem memorativam, an vero media a tantum, ſcilicet læſione organi & per eam infirmatione facultatis? *Reſp.* Si experientia doceat non promiſcue quaſvis ſpecies eximi & diffluere, ſed certarum rerum tantum, utique in affirm. prioris inclinari poſſet. *Septima concl.* Quæritur an ad mentes vigilantium non tantum, ſed etiam ad dormientium diabolica hæc operatio

peratio extendi possit? *Resp.* Non video, quid prohibeat. Vt enim vigilantibus raptus & ecstases; sic dormientibus somnia immittunt, per somnia futurorum, ignotorum notiones. Vide de dæmonibus & magis ὀνειροπόμποις *Tertullian. apologet. c. 23. Ireneum lib. 1. c. 12. 24. Iustinum apol. 2. Euseb. lib. 4. histor. eccles. c. 7.*

Consectar. 1. *Controversiæ hujus de Dæmonum potentia & modo operandi interno circa mentem hominis, maximus usus est, in Theologiæ practicæ capitibus de Tentationibus & desertionibus spiritualibus.* II. *Hoc saltem* ἐν παρόδῳ *inde hic delibamus: Hominem à diabolo solo tentari posse absque tentatione carnis præcurrente, aut concurrente* III. *His hypothesibus nititur consolatio, quam suggerunt practici adversus injectiones quasdam Satanæ, quæ à corrupta fidelium mente (quatenus adhuc talis est) non proficiscuntur, & ad quas illi actus intellectus & voluntatis suæ nullos conferunt, sed tantum & quidem inviti eas recipiunt ac patiuntur à Satana intellectui agenti instar fulgetri, aut semel aut repetitis vicibus injectas & impressas.* IV. *Esse tales Satanæ vexationes & quasi mera spectra spiritualia seu mentalia innuimus in* Disp. de Desertionibus, ad th. 9. *Quomodo autem & quibus signis à nostris peccatis distingui possint dicendum erit* Disp. de Tentatione. VI. *Vsus doctrinæ de deceptionibus diaboli circa sensus internos & externos illustris est* 1. *in Processu adversus Magos & Sagas: ut si qui sint innocentes & absque voluntate sua tales, hoc est decepti à diabolo non pœna sed commiseratione digni habeantur.* 2. *In probatione spirituum, visionum, & revelationem: ne ex somniis, deliriis, & deceptionibus phantasticorum & à diabolo ludificatorum extruantur dogmata ad fidem moresque vivendi. De superborum illorum contemplativorum deceptoriis imaginationibus monuerunt etiam ex Pontificiis Theologis celeberrimi: supra cit. non advertentes interim, se fundamenta præcipua superstitionum suarum subruere.*

Probl. An nulla sit mala cogitatio absque proximo & præsenti instinctu diaboli? *Neg.* cum *Gennadio de Ecclesiast. dogmat. c. 82.* & *Beda in Marcum l. 2. cap. 7. homil. 40.* Cum quibus faciunt *Scholastici ad 1. qu. 114. art. 3.* ubi citant *Chrysost. Basil. Nazianz. Gregor. M.* Sed de his aliisque quæstionibus in *Disp. de Tentatione.*

19 Circa naturas seu creaturas corporeas irrationales in specie quid possit diabolus, ut distinctè cognoscamus, percurrendæ sunt singulæ. De cœlestibus in mundo superiori jam diximus; & addimus quidquid ibi operationum præ se fert, aut Magi aliique imprudentiores eum posse jactitant, ad meras præstigias & ludificationes referendum: ita ut hominibus tantum appareant, revera autem non sint, quod esse videntur, e.gr. lunæ & stellarum de cœlo deductio, motuum & luminationum inhibitio, tardatio, acceleratio, confusio, anomalia, &c. Breviter nec ille naturæ in esse & operari à diabolo, nec viciſſim ipse ab iis directe dependet. Aliena

hic

hic est nihilominus vana & curiosa Scholasticorum quæstio: An intelligentiæ motores orbium (quod eorum officium illi sine ulla ratione præsupponunt) possint tardius orbes suos movere.

Restat ergo quæramus de naturis mundi inferioris, elementis scil. & iis quæ ex elementis composita, tum imperfecte, tum perfecte mixtis. 1. *Elementaria corpora* movere potest 1. motu locali secundum naturam quamque suam motu recto gravium & levium, ubi utitur ipsorum qualitatibus naturaliter insitis. Non quod moveat in instanti à termino ad terminum distantem, sed tempore brevissimo; & nobis imperceptibili, ita ut putetur esse instans. 2. Præter & contra naturam eorum particularem motu violento, vectione, tractione, gyratione, ubi ipse localiter præsens est causa continens, seu agens secundum substantiam conjunctam cum patiente. 3. Adhæc projectione, ubi ipse est causa disjuncta. Hic dubia moventur. *Primum*, An in distans agit virtute quadam à se emissa, quomodo ignis per calorem suum, sol per lumen, aut per occultas influentias, Magnes aliaque naturalia per antipathias & sympathias. *Resp. Neg.* nullum enim commercium est spiritibus completis cum corporibus per corporeas qualitates, sed tantum per motum localem: neque enim qualitates illas naturalium in se habent aut formaliter aut eminenter. *Secundum*, An producere possit in patiente mobili à se projecto *impetum* (quem vocant) seu ei imprimere qualitatem aliquam, qua mediante illud ab ipso localiter disjunctum porro moveatur ad terminum suum. *Resp.* Nihil absurdi est, si hoc dicatur: quandoquidem ab homine impetum talem imprimi lapidi a se projecto tanquam qualitatem motivam cito evanescentem, nunc apud acutissimos philosophos definitum sit. *Tertium*, an qualitates alias præter vim pulsivam in iis per se immediate, & solo motu locali producat. *Resp. Neg.* Sed non nisi mediante natura & agentibus naturalibus, Applicando scilicet ea ad patiens. 11. Ipsa elementa dupliciter considerantur vel ut sunt partes mundi, vel in ordine ad mixtionem. *Illo respectu*, secundum sui totum aut maximam aut magnam partem non potest ea mutare diabolus, quod ad substantiam, aut qualitates, aut locum. Sed minores partes potest 1. *localiter movere*, continuitatem ac terminos utriusque mutare, distrahendo, conjungendo, confundendo e.gr. ignem aut aerem, ex superioribus inferiora hæc deducere (quo referendum putamus *Apocal.* 13. 13. quamvis etiam dici possit, per generationem productum esse; de quo mox agemus) & rursum terram aut aquã aut exhalationes earum solis syderumque virtute educi cœptas in altum subvehere, in transversum impellere, in gyrum rotare. 2. *Consequenter rarefacere*, condensare; facere magnas & parvas, idque per rarefactionem, condensationem, aut per appositio-

positionem & detractionem partium. Sed quæritur *Primo* an possit eas reddere magis fluidas, aut solidas, duras aut molles &c. *Resp.* Potest sed mediate, utendo qualitatibus naturalibus, easque applicando passivis. Immediate quin possit per motum localem non quidem fluiditatem & mollitiem aëris & vaporum aut corporum ex iis compactorum in se mutare, sed ita sustinere & fulcire ut tactui humano resistant, atque adeo appareant duræ ac solidæ, non videtur negandum, cum *Vasquez*. *Secundo*, An circa quantitatem in se & absolute dictam quid possit: ut e. gr. ut corpus sit sine quantitate sua, aut sub alterius quantitate, aut ut dimensiones se mutuo penetrent & duo corpora sint in uno loco, aut unum corpus in pluribus locis. *Resp. Neg. Tertio*, An possit procurare substantialem elementorum generationem & corruptionem, e.gr. aëris in aquam, & vice versa. *Resp. Aff.* mediate scil. per applicationem agentium naturalium. Si enim per chymicas operationes separantur & extrahuntur elementa, (quæ illi vocant) si unum in alterum convertitur, si ignis sola attritione, coitione, vel antispasi, vel alia simili alteratione excitatur; quidni diabolus ignem generet ex lapidibus, speculo concavo &c. immo ex aëre: cum possit conterere, comprimere, unire &c. immo & per alterius elementi victoriam in illud convertere. 2. *Qualitates* tum primas symbolicas & non symboliças, tum secundas intendere & remittere per contrariorum approximationem aut admixtionem, immo & novas introducere. Sic ex. gr, aquam calefacit, aërem frigefacit, peregrinis coloribus inficit, venenatis qualitatibus replet, unde pestis aliique morbi maligni; de quo *in disp. de Peste*. III. Elementa in ordine ad mixtionem, atque adeo ipsam mixtionem si consideremus potest 1. varia elementa & proxime ex illis composita miscere ac temperare, sic tamen ut mixta sint ejusdem speciei cum naturalibus, in genere ita considerata; sed mixtio sit aut imperfecta, aut potius imitatio & similitudo tantum, si comparetur ad diabolum tanquam agens instrumentale & artificiale. 2. Hinc fit ut varias formas ac figuras corporum naturalium per multiplicem illam contemperationem ex elementis fabricet, quæ revera quidem sunt vere corpora illa, quæ imitantur & esse putantur e.gr. hominum, bestiarum &c. sed tantum externam figuram & formam referunt, interna essentiali destituta. De quibus puto idem dicendum, quod de meteoris, specie illa non differre ab elementis & corporibus unde facta sunt, & quia forma externa accidentali atque adeo artificiali tantum distincta sunt, mera entia per accidens. 3. Corporalia illa fabricata ab illis assumuntur, & deinde deposita, in sua elementa resolvuntur. 4. Dicit autem assumptio illa *primo*, quod sint locales eorum motores. *Secundo*, quod aliqua ratione in iis repræsentantur.

tur. 4 Non possunt ergo dici illa corpora organica, quamvis sint mixta. Quia cum inveniantur in corpore organico hæc tria, mixtio, complexio, organizatio: duo posteriora hic locum non habent: sed tantum primum.

Conject. 1. Negant *Scholastici* quidam & *Rusca l.* 5. *cap.* 7. in elemento ignis (quod an sit sub concavo lunæ, nos in medio relinquimus) & in aëris suprema regione non versari nec operari dæmonas. *Resp.* nos putamus curiosè & temere hoc definiri. 2. Alii *ad* 2. *dist.* 1. statuunt angelos ex parte aëris superiori & pura formare sibi corpora quæ assumant: diabolos ex parte aëris inferiori seu caliginosa. Nos utrumque assertionis membrum vanitate & curiositate sua non carere asseveramus.

Circa imperfecte mixta, hoc est meteora quid possit, satis ardua est dis- 20
quisitio: imprimis an tonitrua, fulmina, ventos, pluvias, terræ motus &c. producat, aut producta hac illac agitet. *Scholastici*, & non pauci ex nostris affirmant ex *Iob.* 1. cum *Eph.* 6. & multiplici experientia (exempla vide apud *Delrio lib.* 2. *c. quæst.* 11.) Alii plane negant, ut *Seneca libr. quæst. Natural. qu.* 4. & Theologi quidam, (quos taxat *Baranzanus diglad.* 19. *theor.* 5.) & *Godelman. VVierus, Regin. Scotus &c.* Alii distinguunt: ut *VVilletus in Exod.* 7. qui statuit Diabolus ea non excitare, sed excitatis uti. Et videntur huic sententiæ favere omnia illa dicta scripturæ, quæ Deo nostro hæc opera peculiari ratione vindicant, *Ps.* 18. *&* 29. & 68. & 147. *Iob.* 40. Nos, ut verum fateamur, non videmus cur prima sententia defendi non debeat: cum vis locomotiva dæmonum sufficere videatur, ad exhalationes primitus è terra & aqua extrahendas, aut saltem ad eas jam eductas & ascendentes secundum partem aliquam intercipiendas atque ita sursum, deorsum, vorsum, prorsum agitatas & accidentalibus formis meteorologicis indutas immittendas in quoscunque velint, Deo ipsis id permittente. Rationes quæ in contrarium afferri solent diluit *Delrio l.* 2. *q.* 11.

Circa perfecte mixta tum animata tum inanimata 1. Variis præstigiis pro- 21
ductionem eorum fingit. 2. Inanimata corpora, ut metalla, lapides aliaque mineralia producit; non minus quam per artem alchymisticam verum aurum fieri posse persuadent sibi præstantiores aliquot philosophi, nec sine ratione. 3. de Vegetabili; idem esto judicium in quibus non unâ ratione ludit ars & industria humana: ut videre est apud *VVeckerum in Secretis*, & *Portã in Magia naturali.* 4. Animalia imperfecta generat ex putri materia observato & mediãte tẽpestivo calore & influẽtiis cœlestibus. Sic communiter Scholastici. 5. Corpora quævis sẽsitiva, nõ inanimata movet, circumfert, quo vult, iis assistit ut motor suo mobili, in iis actiones non quidẽ animales aut vitales sed iis similes exercet & efformat. Sic pecudes, equus

Achillis, columbæ Dodones, canis Simonis Magi, immo & Cauſus flumen, carina navis Argus, ſtatuæ dicuntur locuta. Sed ſermo ille non fuit proprie & univoce humanus. Eadem eſt ratio aliorum actuum facultatis progreſſivæ animalium, ſive in ſtatuis aliiſque arte factis, ſive in corporibus naturalibus, animatis & inanimatis, quin & ipſis corporibus humanis, ſive in corporibus à ſe factis & aſſumptis diabolus eos imitatus ſit. *Quæritur* de comeſtione an ea vera ſit an vero per præſtigias ficta? *Reſp.* Tria ſunt in ea, maſticatio cibi, in ſtomachum injectio, & concoctio ſeu digeſtio. Tertium & præcipuum cum abſit, negamus eſſe veram comeſtionem, ſed tantum ejus aliquam fictionem: 6. Corpora ſive animata, ſive inanimata variis modis alterat, corrumpit: tum immediate per coarctationem, compreſſionem &c. alioſque violentos motus locales; tum mediate per applicationem cauſarum naturalium & inſtrumentorum artificialium. Ita vulneribus, morbis, doloribus afficit & excruciat, etiam occidit, partim extrinſece, partim intrinſece de quo *Diſputat. de Energumenis & de Spectris.*, & *de Magia.* 7. *Rurſum* tamen vulnera, luxationes, & morbos ſanat non quidem in inſtanti ſed brevi tempore. Quo refer opliatriam ſimileſque ſanandi modos de quibus *Diſp. de Magia.* 8. Ad mediatas ſuas operationes utitur omnis generis corporibus animatis, inanimatis & ſpeciali quadam ratione *venenatis* herbis, aut beſtiis de quibus *Pſ.* 58. *v.* 5. 6. frequētiſſime ſerpentibus. Quo refer Æſculapii & dæmonum cultum Gentilibus frequentatum ſub forma ſerpentis. De his vide quæ notat *A Lapide ad apocryphos, addit. Danielis*; imprimis quæ docte & operoſe collegit *Fernand. Cordua cap.* 1. *didaſcal. multiplic.*

Conſect. 1. *Baranz. digl.* 19. *th.* 7. negat Theologos demonſtrare, nō poſſe dæmonē producere formas materiales per ſe ſcil. & immediate. Sed frivolæ ſunt ejus rationes. *Quia* angelus rotat cœlum, & producit motum vel ſaltem impulſum mere materialem. *Quia* anima rationalis coagit cum potentiis materialibus materialiter agentibus. *Quia* Deus qui ſimpliciſſimus ſpiritus eſt, omnes res corporeas producit & conſervat: ad quas in ipſa *Diſputatione* reſpondebimus. 11. Perfectorum animalium ſpeciem ut mutare nequit, ſic nec ſexum individuorum in unaquaque ſpecie: contra *Delrio lib.* 2. *qu.* 22. 111. Hominem ſine cibo ad longum tempus per illum conſervari, videtur concedendum cum *Delrio lib.* 2. *qu.* 13. & *Baranzano th.* 16. ubi varios modos oſtendit quomodo id fieri poſſit. 1v. An colores & figuræ quibus apparet diabolus, ſint reales, an vero intentionales, qui certa in poſitione nobis tales videantur, revera tamen non ſint? *Reſp.* Reales eſſe negat *Vaſq. diſp.* 184. *c.* 2. & cum ac ex illo *Ludovicus à Cerda de Excell. cœleſt. Spirit.*

Spirit. cap. 47. sed tantum lucis mixtionem, ut in iride. Ratio est, quia materia assumptorum corporum nimis simplex & subtilis; ac propterea incapax secundarum qualitatum. Ergo vehementer dubitem an omnia corpora ab illo fabricata & assumpta tam subtilia sint. Quod pendet ex solutione sequentis dubii. v. An & quomodo cum corporibus assumptis penetret loca in concluſa. *Resp.* An quia aliquando tam subtilia, ut instar aeris facile penetrent per rimas alioſque poros? An vero corpora ex tempore in conclavi, ex aëre aliaque materia, si quę adsit, fabricet? An denique, siquidem crassiora & solidiora sunt, januas aut feneſtras latenter aperit & rursum claudit, aut partem & lapides sive tigna parietis aut lignei septi removet & reponit?

Ex his adjunctis seu attributis tum affectionibus tum effectis dę- 22
monum resultant duo attributa orta, quæ tanquam affectiones & effecta modo recensitorum considerari possunt: sunt ea, Mimica dæmonum, & impostura. Vtramque innuit apostolus 2. *Corinth.* 11. *v.* 3. 14. 15. *&* 1 *Timoth.* 4. 1. 2. & utraque ad illos textus explicari & tractari potest. *Mimica* dæmonum est fallax expressio & assimilatio Dei & operum ac servorum Dei à dæmone peculiari arte, & studio frequentata. Hic considerandа 1. Personæ quas; 2. Res & actiones in quibus. 3. Formę & modi sub quibus, seu quibus, aut per quos, imitatur. Ex horum combinatione variæ hujus mimeticæ genera, variæ partes, ac formæ resultant. 1. Personas divinas imitatur & mimicè sic repræsentat, cum videtur retinere antiquam veritatem, ut eam callidissimè intervertat & hominibus excutiat. Sic Palladem hoc est sapientiam è cerebro Iovis natam, dum fingit, mimicè pingit & pingendo veritatem tollit de actionibus Dei ad intra, generatione scilicet filii ex patre. Vide *anonymi libellum observationum ad Natalis Comitis mythologiam* in voce *Pallas*. Cõfer similia de Baccho, Hercule &c. à *Iustino* & *Tertulliano* mox infra citandis notata. Nomen Dei proprium *Iehova*, sibi attribuit, & sub nominibus deflexis aut defractis *Iovis*, *Iao* &c. apud Gentiles se coli fecit: De quo vide *Parkeri l.* 1. *de descensu ad inferos*. Dei proprietates fingit, & in se ita colorat, ut hominibus frequenter persuadeat. Quod in actionum divinarum imitatione mox elucebit. Actiones Dei externas & proprias, mundi creationem, conservationem, gubernationem mimicè sibi attribuit, sub titulis Iovis, Neptuni, Plutonis, geniorum, animæ mundi, Parcarum, Fortunæ &c. De operibus redemtionis idem dicendum, Vitam æternam & temporalium bonorum affluentiam promittit, idololatriam, superstitiones, multa alia flagitia operantibus. Probant id non tantum

vana & idololatrica, ſed & nefanda ac flagitioſa Gentilium, Iſraelitarum apoſtatantium, antiquorum hæreticorum (apud *Auguſtinum de hæreſibus*) ſacra. Quo refer impuri Mahumedi promiſſum paradiſum, revera lupanarium omnium lupanar; Aſſaſinorum, paricidarum, & eccleſiæ Chriſti perſecutorum paradiſum in Romana Eccleſia promiſſum. Vide & confer *commentatores* practicos *ad* tentationem dæmonis *Geneſ.* 3. & *Matth.* 4. 2. *Religionem* & cultum tum naturalem ſcil. fidem, ſpem, invocationem; tum inſtitutum (verbum ſcil. ejuſque prædicationem, & ſacramenta ac ſigna, inſuper vota, preces earumque formulas &c. ſuis conſecraneis præſcribit. Vti abunde hoc conſtat, ex horrendis Gentilium, & Magorum ſacris. Sed evidentiſſime hoc probatur ex *Matth.* 4. *v.* 8. Hinc *Zoroaſtri cantica*, quaſi panegyrica dæmonum, *hymni Orphei* & *Callimachi*. Adde & confeſſiones peccatorum. *Mapheus in epiſt. Indicis l.* 1. refert dæmonas dictos Quigoqui in Iaponia confeſſiones peccatorum extorquere. Quas ſi confitentes rite non peragant, eos de rupe præcipitant, & in fruſta comminuunt. Nec deſunt martyria & martyres, qui pro Atheiſmo ſeu Epicureiſmo, pro Turciſmo, Gentiliſmo, Iudaiſmo, ſanguinem fundunt, aut in honorem dæmonum, & ut cum illis glorioſe vivant, mortem ſibi inferunt. Vide morem Iaponenſium apud *Fr. Solier* Ieſuitam *tom.* 1. *hiſtor. eccleſiaſtic. Iaponicæ lib.* 1. *cap.* 14. Confer *diſp. de Ἀυτοφωνία & de Martyrio.* Huc refer media ſubordinata cultui inſtituto, Sabbatha, eccleſiam inſtitutam, ejuſque, conventus & cœtus, miniſteria & miniſtros ſacrorum &c. Sunt autem conventus & conventicula Magorum, Atheorum, Libertinorum, Gentilium, aliorumque à fide extraneorum, hæreticorum, profanorum & improborum, eorumq; Dogmatizationes, ſcripta &c. 3. *Quin & religionē* ac cultum novi fœderis per mediatorem mimetice fingit. Huc enim faciunt, Deorum & Deaſtrorum, herôum, ſemideorum apud Magnum Deum interceſſiones; Adhæc omnis generis anathemata, & devota capita, (qualia e.gr. Iphigenia, virgines Carthaginenſium, atque omnes hominum mactationes,) luſtrationes, expiationes, ſacrificia Gentilium propitiatoria, omniaque placamentorum genera, quibus & olim & hodie in Iaponia, Mexica, aliiſque novi orbis partibus Deum aut Deos (revera dæmonas) iratos placare ſolent. Eodem pertinere putat *Anonymus in obſervat. ad Natalis mythologiam*, fabulam de Pallade. Adde univerſum illud mimicæ ceremonialis choragium, per ſacerdotia, veſtes, coronas, ſuffitus, feſta, epulas, jejunia, templa, lucernas ſeu lampades, munditiem & immunditiem &c. Quę ex præſcripto Dei, evangelii ſeu fœdus gratiæ ejuſque promiſſiones typice conteſſerabant; ſed à dæmone corrupta & ad dæmonolatriam detorta ſunt. 5. *Denique* opera Dei extra-

extraordinaria ſervare & imitari ſe fingit, qualia ſunt miracula, vaticinia De variis miris diabolicis, & quomodo ea differant à miraculis Dei; vide *commentator. ad Exod.* 3. *Actor.* 8. 2. *Theſſal.* 2. & noſtram *diſp. de Miraculis.* De oraculis aliiſque divinationibus, ac vatibus diabolicis imprimis raptibus, ecſtaſibus, & enthuſiaſmis, eorumque ceremoniis & formalitatibus, vide *diſp. de Prophetia, de Magia, de Hæreticis.* 11. Angelos bonos mimicè mētitur in miſsionibus & mandatis divinis, apparitionibus, ſermonibus, revelationibus, actionibus tum defenſivis tum offenſivis. Vide *commen. tatores ad* 2 *Corinth.* 11. & *Delrio lib.* 4. *diſquiſ. Magic. cap.* 1. *quæſt.* 3. ubi exempla aliquot refert. 111. Pios & fideles Dei ſervos, in toto ſyſtemate veræ pietatis erga Deum, & caritatis ac juſtitiæ erga proximum mimice repræſentat: dum hęreſin fidei; fidem magicam ſeu diabolicam fidei divinæ: pręſumtionem & carnalem ſecuritatem certitudini, fiducię & ſpei Chriſtianæ; ſuperbiam ſpiritualem humilitati; cultum atque obedientiam ſui ipſius hoc eſt, θελοθρησκειάν cultui divino; caritati ἀνυποκρίτῳ ſpectrum aut larvam; juſtitiæ, clementiæ ſummā injuſtitiam & crudelitatem; ac zelo Dei furorē carnalem *Ioh.* 16. 3. ſupponit. Huc refer, omnē ſuperſtitioſam devotionem, in precibus, in peregrinationibus, in votis, caſtrationibus & abſtinentiis religioſis, aliiſque infinitis ſuperſtitionibus apud Magos, Gentiles, Mahumediſtas, Iudæos, Pontificios uſitatis. Et ſi quis percurrat totum decalogum inveniet nullam eſſe virtutis ſpeciem cujus mimicam non exerceat. Vti vere dictum eſt, Illum eſſe Dei ſimium; ita etiam dici poteſt illum eſſe ſimium ſanctorum. Eſt autem mimica illa vel magis immediata & propria: vel magis mediata & communis. *Illa* rurſum poſſet diſtingui in elicitam & imperatam: cum ſcilicet aut per ſe aut per Magos & prophetas ſuos veritatem dicit & nonnunquam publice prædicat, ut fallat; vitam ac ſanitatem pollicetur immo & nonnunquam curat, ut perimat; divitiis, honoribus, aliiſque hujus vitæ præſidiis auget, inque eum finem ad tempus miniſterio obnoxium ſe facit aut ſaltem ſimulat, ut anima ipſi in prædam cedat: cujus rei fidem faciunt ſpiritus Ioh. Fauſti, & Chriſtoph. Aurigarii, ſimileſque paredri. *Iſta* eſt cum in hypocritis & dealbatis parietibus, ſive civiliter honeſtis tantum inter extraneos à fide, ſive inſuper fidem & pietatem profeſſis in gremio eccleſiæ, oculos mentis excœcat, & corda eorum pervertit, aut docet & facit eos pervertere ac decipere, ita ut ſibi gratiæ & glorię divinę communionem ſpondeant: vel exteriori oſtentatione tantum & mendaci profeſſione eorum hominibus, vel etiā interiori ſenſu & fallaci perſuaſione imponit. De hac mimica vide *diſp. de Simplicitate & hypocriſi*: ubi præter *Perkinſum* practicorum Homerum, indico profundę & piæ eruditionis tractatus *Danielis Dijck* & *Roberti Bol-*

ton

toni. Vt autem dæmon communem atque ordinarium ſpiritum fidei, reſipiſcentię, & novæ obedientiæ & abnegationem ſui ipſius (ut in Mithræ ſacris apud *Nazianzen. Orat. 2. in Iulianum*) in ſuis falsâ quâdam boni ſpecie & imagine imitatur; immo & excellentem ejus gradum in heroico zelo, uſque ad confeſſionem, & martyrium, adeo ut non deſint diaboli zelotæ, confeſſores, martyres, etiam ἀντόφωνοι: ſic etiam extraordinarios & peculiares motus ac ſpiritus ſanctorum imitatur, ut Abrahami oblationem *Geneſ.* 22. à quo exemplo malè deductæ mactationes liberorum Cananæis & vicinis gentibus uſitatæ. *Pſalm.* 106.

Corollarium: Proxenetę & præcipui miniſtri mimicæ dæmonum fuere poëtæ Epici, Paranetici, Tragici, Comici, Lyrici, Hymnographi, &c. quibus tanquam theologis ſuis, myſtis, doctoribus & buccinatoribus cultus ſui uſus eſt; quos ideo *Tertullianus apolog. c.* 47. meritò *adulteros veritatis* appellat. Vide *Homerum, Heſiodum, Orpheum, Pindarum, Euripidem, Callimachum, Aratum, &c.* eorumque imitatores latinos. De horum Theologiâ mythologicâ junctim cum philoſophicâ ſic Tertullianus Apologet. cap. 47. *Omnia adverſus veritatem de ipſa veritate conſtructa ſunt operantibus æmulationem iſtam ſpiritibus erroris. Ab iis adulteria hujuſmodi ſalutaris diſciplinæ ſuborta, ab his quædam etiam Fabulæ immiſſæ, quæ de ſimilitudine fidem infirmarent veritatis, vel etiam, ſi poſſent, evincerent, ut quis ideo non putet Chriſtianis credendum quia nec poetis, & philoſophis, vel ideo magis poetis, & philoſophis exiſtimet credendum, quia non Chriſtianis. Itaque & ridemur Deum prædicantes judicaturum. Sic enim & poetæ, & philoſophi tribunal apud inferos ponunt. Si gehennam cõminemur, quæ eſt ignis arcani ſubterraneus ad pœnã theſaurus, proinde decachinnamur. Sic enim & Pyriphlegethon apud Mortuos amnis eſt, & ſi paradiſũ nõminemus locũ divinæ amœnitatis recipiendis ſanctorũ ſpiritibus deſtinatũ, materia quadã igneæ illius zonæ a notitia orbis communes ſegregatũ, elyſii campi fidem occuparunt.* De eodem Mimicæ artificio *Iuſtinus apol.* 2. Confer *Raynoldũ in lib. apocr. præl.* 228. De Orphei aliorumq; antiquorum poëtarũ, & Theologorum Platonicorũ & Pythagoricorum Magiâ alibi forte dicendum. Atque hæc quidẽ de mimica dæmonum. De connexâ illi *impoſturâ*, ſeu deceptione, ex ſcripturâ & experientiâ quamplurima notari quidem poſſunt, ſed multa ignorantur adhuc. Hoc tamen agendum, ut πὰ βάθη ipſius cognoſcamus *Apoc.* 2. 24. & ne cogitationes ejus nobis ignotę ſint 2 *Cor.* 2. 11. Quod imprimis neceſſarium in praxi quotidianâ, & explicatione theologię practicæ de deceptione cordis humani ſeu hypocriſi, & de Tentationibus. Et in explicatione ſtratagematum Satanæ, in ſeductionibus hæreſeωn, & in pellaciis ſuperſtitionis & idololatriæ. Modum deceptionis non ita explicabilem hîc tranſilimus: contenti certa ſcientia & An ſit & Quod ſit, ex 2 *Corinth.* 11. v. 3.

v. 3. & 1 *Reg.* 22. *Iohann.* 8. Iudicium nunc tantum facimus, quorundam capitum, ad quæ pleraque revocari possunt. Sunt autem 1. aperta & crassa mendacia: qualia nonulla occurrunt in tentatione *Genes.* 2. & *Matth.* 4. *Iob.* 1. Et in ore prophetarum ejus 1 *Reg.* 22. aliorumque mentientium *Actor.* 5. Huc refer mendacia & calumnia quibus olim, & hodie præjudicari solet vera religio. *Iam vero*, inquit Iustinus apolog. 1. sub finem: & *illud, ut à malis quibusdam hominibus fieret, pravi effecerunt genii. Nam ad sycophanticam adversus nos calumniam nonnullos necantes &c. ut per cruciatus horrendos & formidabiles eorum, quæ sermonibus vanis atque fabulosis feruntur, flagitiorum extorquerent confessionem* &c. 11. Mendacia palliata: qualia obtrudere solet 1. *per* cauponationes fabularum poëticarum tum ante tum post Christum: ut veritates de Christo, deque aliis fidei mysteriis suspectas redderet, aut loco moveret. De quo egregiè *Tertullianus cap.* 47. *supra cit.* Et *Iustinus apolog.* 2. non procul à principio, & ex omnibus compendiosè *Ioh. Langius in præfat. ad dictam apolog. Iustini.* Loca nimis prolixa sunt: itaque non describam, sed lectori ea inspicienda relinquam. 2. *Per* subornationes pseudo-Christorum ut Theudæ, Iudæ Galilęi, Mosis Cretensis: aut suscitationes æmulorum gloriæ & admirationis, quæ Christo obtigerat per miracula. Quales fuerunt insignes duo impostores, Simon Magus, & Apollonius Thyaneus. De quibus *Eusebius*, *Iustinus*, aliique & ex illis *Baronius in annal.* 3. Per æquivocationes, amphibolias, reservationes seu restrictiones, item fallacias compositionis & divisionis, aliaque sophismata. Argumento sunt ipsius oracula. *In oraculis autem quo ingenio ambiguitates temperent in eventus, sciunt Cæsi, sciunt Pyrrhi*: inquit *Tertull. apol. c.* 22. Videantur ea edita & collecta ab Obsopœo, cum *Oraculis Sibyllinis gr. lat.* Confer *disp. de prophetiâ.* Huc refer fraudes & deceptiones in ore hominum, nominatim Iesuitarum, qui artificia æquivocationum publicè profitentur. 111. Fallaciæ tantum aut magis internæ ac spirituales: quæ per sophismata, ἀνακόλουθα, pseudographemata, paralogismos peraguntur. Quæ notata vide in practicis variorum commentariis ad *Matth.* 4. in libris de Tentationibus; in sophismatis & impugnationibus apostatarum & hæreticorum. Adderem etiam *Acontii Stratagemata Satanæ*, siquidem medullam praxeos propius attigisset, nec stratagemata illa (prudenter an imprudenter, Deus judicabit) admiscuisset, quæ in *dispp. de Trinitate*, & *de Erroribus Fundamentalibus* notavimus. 1v. Fallacię & præstigię; ex parte externę & sensuales cum quid pro quo supponit, & mentitur, verbis aut factis, aut figura & specie externa. 1. *Cum* apud Gentiles Deum seu numen mentitus est, & vero Deo seipsum substituit Tertull. apolog. c. 22. *Et quæ illi accuratior pascua est, quam ut hominem è cogitatu veræ divinitatis avertat præstigiis falsis?* Et

post in fine capitis: *Vt numina lapides crederentur, & verus Deus non quæreretur.* Confer *cap.*23. ubi subtiliter mendacium illud redarguit. 2. *Cum* fallaci apparitione & revelatione Christum, aut angelum, aut animam sancti ex cœlo ostentat; & variis pseudo-vaticiniis homines decipit. Exempla vide apud *Delrio lib.* 4. Confer *Thyreum de apparitionibus*, & *disp.* nostram *Spectris*, & *de Prophetia.* 3. *Cum* hominis cujuscunque, aut de alterius creaturæ specie, ignis scil. luminis &c. se tegit, ut homines decipiat, ne familiaritatē ejus reformidarent. Confer *disp. de Spectris.* 4. *Cum* per præstigias sensus humanos decipit; aut reales operationes atque opera admiranda revera à se producta divinis miraculis supponit. Tertullian. cap. cit. *Lædunt enim primo, de hinc remedia præcipiunt ad miraculum nava sive contraria, post quæ desinunt lædere, & curasse creduntur. Quid ergo de cæteris ingeniis, vel etiam viribus fallaciæ ediſseram? Phantasmata Castorum, & aquam cribro haustam, & navem cingulo promotam, & barbam tactu irrusatam &c.* Confer *disp. de Miraculis.* v. Fallaciæ & simulationes in patiendo: cum scil. fingit se ab illis hominibus, à tali fide & cultu, talibus verbis, characteribus, figuris, rebus naturalibus aut artificialibus ligari, cogi, torqueri, fugari. Vide *dispp. de Magia, Spectris, Energumenis, Exocrismis.*

24 Cum dæmonibus conveniunt & in scriptura comparantur 1. animalia, quædam homini infesta, ut Leo 1. *Pet.* 5. Serpens & Draco 2 *Cor.* 11. 3. *Apocal.* 12. quam similitudinem explicat *Cyprian. tract.* 3. *de Simplic. Prælator. Basilius in aliquot scripturæ loca*, comparat Pardali, *Gregor. M. lib.* 33. *Moral. in c.* 14. jumento, draconi, avi. 11. Homines profligatè mali & noxii, & κατ' ἐξοχὴν hęretici, Magi, tyranni, Ecclesiarum & Rerumpubl. Alastores & eversores, qui filii, fratres, socii, consiliarii & emissarii diaboli. Ita Iudas dicitur diabolus *Ioh.* 6. 70. Iudæi filii diaboli *Ioh.* 8. 44. synagoga Satanæ, ubi thronum habet. *Apocal.* 2. 9. 13. Et universim peccatores filii diaboli, ex diabolo esse, ire post Satanam 1 *Ioh.* 3. 8. 10. 1 *Timoth.* 5. 15. Polycarpus Marcionem hæreticum vocabat primogenitum diaboli apud *Eusebium lib.* 4. *cap.* 13. In *Concil. Constantienſi sess.* 2. in articulis accusationis *artic.* 3. 21. 22. Papa Iohannes XXIII. titulo *diaboli incarnati* cohonestatur. Et certe non tantum putidus ille, sed & reliqui Antichristi formaliter ita cōsiderati primogeniti diaboli, & diaboli incarnati dicendi sunt; quia diabolus dedit utriq; bestiæ Romanę potestatē & thronum suum *Apoc.* 13. 2. 11. 12. III. Omnia peccata; imprimis mendacia *Ioh.* 8. invidia, superbia, blasphemia, idololatria &c. IV. specialiter autem dæmonolatria, seu cultus dæmonum sive magis crassus & apertus, qualis Calicuthanorum; sive magis subtilis aut palliatus qualis Magorum: unde tract. *Nicol. Remigii* non sine ratione titulum præfert de *dæmonolatria*, & *Filesaci* theologi Parisiensis, de

Idolo-

Idololatria Magica; & *Nicol. Iaquerii* Dominicani, Flagellum hæreticorum fascinariorum. Antiquorum Gentilium cultus ad dæmonolatriam reducitur 1 *Corinth.* 10.; quod Deos & cœlestes virtutes, aut heroas & animas illustrium hominum eos putarent. Hunc cultum à dæmonibus affectari constat ex *Matth.* 4. Eumque hominibus persuasum & imperatum, atque ab iis præstitum evidenter contra Gentiles evincunt *Augustinus lib.* 10. *de civit. Dei cap.* 9. & 10. ubi vide *commentar. Lud. Vivis. Theodoretus curat. serm.* 3. *qui est de angelis, Diis, & dæmonibus pag.* 47. 48. *Eusebius lib.* 4. *præparat. Evangel. c.* 11. & *l.* 5. *c.* 2. *Origenes l.* 8. *c. Celsum.*

Oppositа seu pugnantia diaboli sunt tum personæ, tum res & actiones. 24
Personæ sunt 1. Divinæ in unitate deitatis, & peculiari ratione Christus qua mediator *Genes.* 3. 16. 1 *Ioh.* 3. 8. *Iohann.* 12. 31. & 16. 11. 11. Angeli; quo referri posset illud *Apocal.* 12. 7. 111. Homines pii & fideles, qui omnes sunt jurati ejus Antagonistæ, *Iacob.* 4. 7. 1v. Inter eos orthodoxi & zelosi animarum pastores. v. Dono exorcistico à Deo prædити, qui peculiari quadam ratione diabolum oppugnant. De quibus *Disp. de Exorcismo.* Res & actiones diabolo repugnantes sunt vel *putatitiæ*, vel *revera tales.* Putatitias indicavimus *Disp. de Spectris*, *De Energumenis*, *de Exorcismo.* Res & actiones revera repugnantes diabolo pertinent, vel *malitiæ*, adversus eum, oppugnationem; vel ad *pœnas* à Deo impositas. Illæ sunt partim *extraordinariæ*, *Exorcismi & ejectiones* eorum qui charismate illo prædити; quæ qualem habeant efficaciam indicavimus *disp. de Exorcismo*: *partim ordinariæ*, armatura scil. spiritualis *Ephes.* 6. & resistentia per eam præstita *Iacob.* 4. 1 *Petr.* 5. denique victoria *Rom.* 16. De quibus *Disp. de Tentatione.* In *Pœnis* diabolo impositis consid. 1. gradus 11. partes. 111. Consequētia. 1v. Adjuncta seu circumstantiæ. Ac 1. de gradibus observandum, esse pœnam eorum usque ad diem judicii infernalem eandem specie cum ea, quam post judicium perpessuri sunt, gradu tamen ab ea distinctam, idque colligi ex *Matth.* 25. 41. *Apoc.* 20. *v.* 10. 1 *Cor.* 6. Itaq; rationē nō video cur *Vasq. disp.* 243. *n.* 15. cōtra *Cajetanū* neget pœnā dæmonum, qui in aëre māserunt (ego dicerem omnium) esse augendā post diem judicii. Certè crescere pœnā eorum ad diē judicii nō quidē essētialiter sed accidētaliter tradiderunt ātiqui *Scholastici*, inter quos *Richardus.* An autem mereantur novā pœnā (de quo *Vasq. disp.* 241. *n.* 19.) videtur esse logomachia: vocem enim meriti si restringas ad viam *Neg.* facta enim sunt opera eorum in termino. Sin late accipias. *Aff.* 11. Partes pœnæ (si ita loqui liceat) sunt pœna damni & sensus. *Illa* consistit in privatione beatitudinis, non quatenus illam sentientes tristantur (nam hic est sensus) sed quatenus reipsa damnificantur. Sic bene distinguunt Scholastici. *Ista* est omne malum, quod eatenus est disconveniens

veniens quatenus cognitum triſtitiam affert. Hic diſputant *Scholaſtici*, An igni corporali crucietur? Quomodo hoc fieri poſſit? Vbi variæ ſententiæ. Communior nunc videtur, eum cruciari per allegationem? Rurſum anxie diſputant. An & quomodo Dæmones in aëre relicti igni infernali crucientur? &c. Operoſas illas nugas vide ad *Thom. p. 1. q. 64. art. 4.* & apud *Ruſcam. lib. 5. c. 22. uſque 32.* & *Corn. a Lapide commentar. in Judæ v. 7.* Porro fabuloſis poëtarum figmentis ſimilia ſunt (ut candide *Corn. à Lapide in 2 Pet. 2. 4.*) quæ *Cyprianus* habet *de Laudibus Martyrii*, niſi metaphoricè exponātur. Vtinam non alibi ex ſimilibus patrum Metaphoris dogmaticam Theologiam procudiſſent Pontificii. 111. Conſequentia ſunt dolor, deſperatio, invidentia, odium, blaſphemia. De quibus *Scholaſtici ad Thom. quæſt. cit. art. 3.* 1v. De circumſtantia loci; eſſe infernum colligimus ex *2 Petr. 2. Scholaſt. ad loc. Thomæ* ait. & *Ruſca c. 6. 7. 8. 10.* de aere caliginoſo tanquam proprio receptaculo ſi non omnium ſaltem plurimorum dæmonum, uſque ad diem judicii, abſque neceſſitate ſe excruciant. Quid vetat ſimpliciter dici omnium receptaculum & locum deſtinatum eſſe infernum; quamvis inde in hunc aerem, in quo nos ambulamus, atque adeo in terram ſæpiſſime commeent. Quomodo angelorum domicilium & ſtatio in cœlo eſt, quamvis ſæpiſſime aſcendant aut deſcendant. De *duratione* pœnę dicendum, eſſe ęternum. *Matth. 25. 41. Apoc. 20. 10.* Rejicitur ergo ſententia *Origenis*, ſiquidem tam abſurda viro illi tribuenda ſit: de æterno Euangelio poſt judicium prædicando per quod dęmones & damnati ad reſipiſcentiam, gratiam, & ſalutem admitterentur. Eundem errorem admiſcuerant nonnulli ſcriptis *Gregorii Nyſseni*: quem apologetico purgat Germanus Patriarcha Conſtant. apud *Photium in Mirob. 233.* An autem *Origenes* tale quid ſcripſerit, an vero *libris* ejus poſt mortem ab hæreticis infarctum ſit, denique an verba ejus benigniorem interpretationem admittant; & olim & hodie certant eruditi, & adhuc ſub judice lis eſt. De quo videndus *Ruffinus*; & ex recentioribus *Merlinus* Theologus Pariſienſis *in prolegom. ad Opera Origenis* latinè. *Ruſca lib. 5. cap. 30. 31. 32. Elmenhorſtius ad Gennadium c. 19. Baronius* Annaliſta *Poſſevinus in appar.* &c. Et quæ ſupra notamus in *diſp. de Chriſto ἀνθρώπῳ.*

Probl. An dæmones lætitiam & voluptatem ex vexatione & victoria hominum atque adeo levamen cruciatus ſui percipiant. *R.* non eſſe veram lætitiam: ſed conatu & affectu magis quam effectu. Putat invenire requiem & quærit, ſed revera non invenit nec ſentit, cum malum ſuum complevit; haut aliter ac ſi homo prę dolore & deſperatione inſiliat in ignem, ut punctiones & ictus gladii effugiat.

25 Subjicimus Diviſiones *dæmonum*: non quod ſpecifice per eſſentiales differen-

ferentias (nullam enim rationem videmus, cur omnes non dicantur unius ſpeciei); Sed quod tum inter ſe, tum ſinguli à ſeipſis per adjuncta quædam diſtingui poſſint: uti illud indefinitè colligitur ex *Epheſ.6. v. 12.* Sed temerarium eſt varios illos ordines, & differentias definite explicare, quæ, quales, quod ſint; cum ſcriptura taceat. Nullum autem præter ipſam certum cognitionis principium hic fingi poteſt. Ex lumine & principiis naturæ nihil demonſtratur; & relationi ipſorum dæmonum (unde Magi, aliique ſuperſtitioſi pleraſque vanas ſuas ſpeculationes hauſerunt) credi non debet. Breviter tamen indicamus diſtributiones adferri ſolitas: quarum 1. eſt certa & ſcripturaria, in principem & legatos ſeu ſubditos, ex *Matth.25.45. Apocalypſ.12.9.* Princeps eſt qui inter omnes alios excellit, iiſque præeſt. Qui ſynechdochice & κατ' ἐξοχὴν vocatur ἀρχάγγελος *Matth.25.75. Apocal.12.9.* & Satanas *Apocal.12.9.* ὁ δράκων ὁ μέγας ὁ ὄφις ὁ ἀρχαῖος, *Ibid.* Et forte idem dicitur ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου *Iohann. 14. 20.* Quamvis communiter & promiſcue dæmones dicantur κοσμοκράτορες *Epheſ. 6.12.* Eidem etiam ſive κατ' ἐξοχὴν, ſive per appropriationem, ſive ut principali agenti omnis dæmonū actiones & paſſiones tribuuntur *Apoc.10. 2.Ioh.16.Luc.10.* De tentatione Chriſti an peracta ſit ſingulariter & tantum à principe dæmonum, vide diſquirentes *Scholaſt. ad 3.qu.41.* Dubium hic moveri poſſet, an demonſtratio theologica, quę vulgo exſtrui ſolet ex *Matth.12.v.24.26.* & 10.25. pro diſtinctione dæmonum in principem & ſubditos, & pro appellatione propria principis, ſcil. *Beelzebub*, ſit certa ac ſolida. *Reſp.* Nos malimus negare, aut ſaltem ἐπέχειν. Sunt enim verba Phariſæorum; quorum theologia non erat infallibilis. Et Chriſtus dum hanc hypotheſin eorum repetit ſolummodo, exſerte eam nec probat nec improbat, ſed tantum aſſertionem principalem impugnat, Quod Satanam per Satanam ejiceret. De voce Beelzebub lector philologię & antiquitatum ſacrarū curioſus indagator adeat longe eruditiſſ. *Seldenum ſyntag.2.de Diis Syris c.5.* Et *Druſiū* ac *Sculteū loc.* ſupra *cit.* Rabbini principē dæmonum vocant *Aſchmedai*, à radice שמד *perdidit, exterminavit. Seldenus loc.cit.* & *Buxdorfius in lexico Targumico* citant ex *Targum in eccleſiaſt.1.12.* אשמדאי מלכא id eſt, *Aſmedai Rex dæmonum* id eſt רשיעי. Sed verba hæc ibi non invenio in editione Baſilienſi in fol. In Bereſchit Rabba *ſect.* 36. vocatur אשמדון רבהון דרוחתא *aſchmedon princeps ſpiritum.* Principem hunc alias faciunt Samael, de cujus hiſtoria & magico cultu apud hodiernos Iudæos vide *Buxdorfium in ſynagoga cap. 21. ſub finem*, & *Seldenum loc. cit.* De principis dæmonum cultu apud antiquos Gentiles & Magos Grotius in notis ad Matth. 12.v. 24.p. 232. Verba hic exhibemus, quia omnibus forte non vacat librum emere aut legere:

Inter impuros spiritus unum esse qui præsideat & Iudæorum & Apostolorum scriptæ nos docent. Is est ἄρχων κόσμου, Ioh. XII. 31. XIV. 30. XVI. 11. ἄρχων τοῦ αἰῶνος τούτου 1 Corinth. II. 6. 8. ἄρχων ἐξουσίας τοῦ ἀέρος, Ephes. II. 2. *Hic cur Beelzebub à Iudæis diceretur supra attigimus. Solebant autem incantatores ubi omnia tentando nihil proficerent, postremo adversus dæmones uti vi ac potestate illius dæmonum principis, cujus etiam arcanum nomen enuntiaturos se minabantur. Apud* Lucanum Erichtho:

An ille,
Compellandus erit, quo nunquam terra vocato
Non excussa tremit, qui Gorgana cernit apertam,
Verberibusque suis trepidam castigat Erinnyn,
Indespecta tenet vobis qui Tartara, cujus
Vos estis superi, Stygias qui pejerat undas?

Tiresias apud Papinium:

Spernite ne, moneo, & nobis sævire potestas:
Scimus enim & quicquid dici noscique timetis,
Et turbare Hecaten, ni te Thymbræe vererer,
Et triplicis mundi summum quem scire nefastum est
Illum, sed taceo.

Porphyrius *hunc principem dæmonum* τὴν προεστῶσαν (*ut ipse loquitur*) τῶν κακοδαιμόνων δύναμιν, *vult dici Serapin, cujus hæc sunt verba:* τοὺς δὲ πονηροὺς δαίμονας οὐκ εἰκῇ ὑπὸ τὸν Σαράπιν ὑποπτεύομεν & alibi: μήποτε οὗτοι εἰσιν ὧν ἄρχει ὁ Σάραπις καὶ τούτων σύμβολον ὁ τρικάρηνος κύων· τοῦτ' ἐστιν ὁ ἐν τοῖς τρισὶ στοιχείοις ὕδατι, γῇ, ἀέρι πονηρὸς δαίμων: *qui locus Statiana illa de triplici mundo, ni fallor, illustrat. Idem Porphyrius alio loco quem citat* Theodoretus sermone de Angelis: Βούλονται γὰρ εἶναι Θεοὶ, καὶ ἡ προεστῶσα αὐτῶν δύναμις δοκεῖ Θεὸς εἶναι μέγιστος. *Ad eundem pertinent versus illi apud eum quem dixi* Porphyrium:

Δαῖμον ἀλιτρονόων ψυχῶν διάδημα λελογχὼς
Ἠερίων ὑπένερθε μυχῶν, χθονίων δ' ἐφύπερθεν.

& minarum formulæ apud Iamblichum libro VI, c. 5, & 7. *Hi sunt secretarum artium ritus, quibus affantur nescio quas potestates, ut ait* Arnobius. Curiosè disputant *Scholastici ad* 1. *qu.* 109. *art.* 2. & *ad Magistr.* 2 *dist.* 6. & *Gulielm. Parisiensis de Vniverso part.* 2. *c.* 14. 15. 16. *Antonius Rusca de inferno & statu dæmonum lib.* 5. *c.* 11. 12. 13. 14. An in ordines secundum hierarchias sint distributi, hoc est in tres classes tribus constantes ordinibus. An secundũ speciem alii aliis sint superiores, & prælatio sit fundata in eorum naturâ. An dæmonum Imperantium & obsequentium ordo sit partim à divina institutione, partim ab ipsorum natura, partim à propria voluntatis electione. An dæmonum delegatio ad homines oppugnandos fiat à Deo ordinante

nante, an verò ab aliquo præcipuè imperante. Quo ordine princeps Satanicus ſuis ſatellitibus officia detulerit. Quomodo inferiores ſuperioribus libenter pareant, cum ſint ſuperbiſſimi? An mutuam in malum conſenſionem, aliqua charitas conſequatur. Sunt & aliorum problematum diſcuſſiones & determinationes apud *Sententiarios ad 2. diſt.6.7.8.* Sed nos ex iis (cum partim falſis partim incertis hypotheſibus nitantur,) vix guttam ſanæ ac ſolidæ theologiæ elicere poſſumus, propterea eas illis relinquimus. Videant, an hæc nō aliquo modo conveniant cum Magicis & Ethnicis opinionibus antiquorum Ægyptiorum, qui humano corpore in triginta ſex partes diſtributo, cuique dæmonem quendam ætherium aſſignabant: alii plures dicebant, aliis alios attribuentes, eoſque ſua lingua nominabant *Chumen, Chnachumen, Cnat, Sicat, Biu, Eru, Erebiu, Romanor, Rejanoor* &c. Vti refert & refutat *Origenes c. Celſum lib.* 8. 11. Secunda diviſio eſt, ex malitiæ imparitate: quam innuere putamus ſcripturam *Luc.* 11.26. cum *Matth.*17.21. 111. Ex imparitate potentiæ naturalis an diviſio inſtitui poſſit, nobis certo non conſtat; quamvis Scholaſtici quidam de eo diſquirant. Et ſic quidem inter ſe alii ab aliis diſtinguuntur. 1v. Ex formis apparitionum variè diſtribuuntur: de quo *Diſput. de Spectris* Inter eos ſunt שעירים *piloſi, hirci*, id eſt dæmones hirſuti, & ſilveſtres, quod apparerent ſpecie ſeu forma hircorum. Et *Targum Levit.*17.7. *Ieſa.* 13.21. & 34.14. hanc vocem exponit per שירין. Alibi iſtius formæ dæmonas vocat עפריריין *Pſalm.* 121.6. *Cantic.* 4.6. quaſi dicat *ſpectra matutina.* Cum his proximè conveniunt ſemicapri *Fauni* (ſi non ſint iidem) & *Centauri*: de illis vide antiquitates Gentilium apud *Natalem Comitem lib.*5.*cap* 9. De iſtis, quorum meminit Interpres vulgatus ad *Ieſaiæ cap.* 34. vide comment. *A Lapide*; & confer *Plinium lib.*7.*cap.*3. & *Natalem l.*7.*cap.*4. imprimis *Fr. Fernandii de Cordua c.*8.*didaſcalicæ*, ubi poſt omnes recentiores, cornucopiā lectu digniſſimā exhibet. Quod autē diſputat olim fuiſſe & etiānum poſſe exiſtere in rerum naturâ hippocentauros & onocentauros, quæ ſint monſtra, ſed bruta, non minus quā ſatyros, quamvis externā forma ſeu figura ſit mixta & humana & belluina; facile admittimus, modo ne negētur iiſdem formis apparuiſſe, & etiānum apparere poſſe dæmonas. De ſatyris, Pane, Sileno, *Natalis lib.cit.c.*6.7.8. Confer de variis dæmonum formis ſeu apparitionibus *diſp. de Spectris.* Hoc tamen obſervandum nō poſſe hinc propriè conſtitui diviſiones dæmonum in ſe & inter ſe. Siquidē ſinguli dæmones omnibus illis formis apparent quotieſcunque ipſis viſum, & Deus permiſerit. v. Ejuſdem rationis eſt diſtinctio, ex locis & temporibus ſumpta: ut alii dicantur metallarii, aquatici, Sylvani, ruricolæ, noctурni, meridiani, ſubterranei ſeu Telchines, ut eos vocat *Cardanus lib.* 19.

de

de ſubtilit. circa principium, &c. Omnes enim quibuſvis locis temporibus apparere queunt; & nemo eorum ad certam figuram, formam, aut tempus, aut locum condemnatus atque aſtrictus eſt. VI. Denique ejuſdem generis diſtributio eſt in paredrum, & non paredrum. Ille eſt, qui certo homini ſe in ſervitutem & obſequium tanquam aſſecla & apparitor addixit, qui ſcilicet præſto ſit ad quævis officia præſtanda; & quidem in annulo, aut ſpeculo, aut vitro, aut aliâ quâcunque re, aut formâ naturali, artificiali à Dæmonibus factâ, cui per allegationem eos localiter & ἀχωρίστως inſidere aut præſentes eſſe ſibi perſuadent Magi. Talem paredrum à patre ſuo 30. annis habitum apertè profitetur *Cardanus de ſubtilit. lib. 19. p. 963.* Talem Ioh. Fauſtus 24. annis ſub forma Monachi, & Chriſt. Aurigarius ſeptem annis ſub forma ſimii circum ducebat. Hiſtorię utriuſque hujus magi peculiaribus libellis germanicè & belgicè (an etiam latinè, neſcio) ſeorſim deſcriptę exſtant. Apud antiquos Gentiles nihil frequentius. *Lucianus in Calumnia* vocat Θεὸν παίρεδρον τῇ ἀλεξίκακον. *Tertullian. apologet. cap 23. Dæmonum aſſiſtentem poteſtatem.* De iiſdem paredris occurrunt nonnulla apud *Tertullian. de Anima, Irenæum, Iuſtinum Martyrem, Euſebium, Epiphanium*: quæ huc tranſcribi non patitur ratio Theſium.

Rejicimus hic curioſas aut incertas diſputationes I. *Scholaſticorum ad* I. *qu.* 109. & *Ruſca mod. cit.* Quinam ſint ordines & claſſes dæmonum? Et an Hierarchia illa permanſura ſit poſt diem judicii? De quibus modo quid monuimus. II. Opinionem Iudæorum, de diſtinctione Dæmonum in ſexum maſculinum & fœmininum. De quo jam dictum. III. Diſtributionem Magicam in noxios & innoxios: (de quo ſupra) à quâ non videtur abhorrere recens Iudæorum ſcriptor *R. Menaſſe de creat. probl.* 22. ubi refert quoſdam damnum non inferre cum duobus hominibus apparent. IV. Diſtributionem in cœleſtes, & elementares, Spiritus ignis, aëris, aquæ: Item ſpiritus Saturni, Iovis, Martis &c. De illis more ſuo differens Pſellus pag. 82. 83. alios facit ἐμπυρεῖους igneos, alios ἀερίους πολυχειδῆ κεκτημένους τὴν φαντασίαν varia imaginatione præditos. *Subterranei, vero,* inquit, *& luciſugi è diverſo ſe habent. Inde fit, ut haud pluribus formis utantur, quippe qui nec pluribus phantaſmatum generibus præditi ſint, nec corpus agile verſatileve habeant. Aquei verò & terreſtres ante dictorum intermedii, ut plures ſubinde formas induere nequeant, in iis certè quibus gaudent, perenniter perſeverant. Quotquot enim humidis in locis vivunt, molliorêque victu utuntur, in aves illi & fœminas ſeſe tranſformant. Inde fit, ut eos Græci Naiadas, Nereidas, & Dryadas genere fœmineo appellant. Quotquot autem in locis aridis, ſeu teſquis inhoſpitis, verſantur, eis ſubarida quoque ſunt corpora: cujuſmodi Onoſceles, quaſi dicas aſininis cruribus dæmones eſſe feruntur, & in viros ſeſe transformant.* Ibidem pag. 84. *Itaque nihil eſt,*

quod

quod mireris dæmonium, quo vexantur puerperæ, forma muliebri apparere, cùm sit lascivum, & immundis humiditatibus gaudeat, quia formam induit, quæ grato, sibique arridenti vitæ instituto respondeat. De spiritibus Saturni, Iovis &c. more suo philosophantur *Trithemius* & *Cornelius Agrippa.* Dausqueus in notis ad aliquot orationes Basilii p. 117. ex præcipitio porcorum in λιμνὴν (*Matth.* 8.) sic colligit: *Existimo dæmonum hoc genus* paluſtre *fuisse. Nam ut dæmonum alii sunt ἄεροι, alii ἐπιχθόνιοι, sive καταχθόνιοι, ὑποχθόνιοι alii: ita nonnulli* ἔνυδροι. *Lactantius Firmianus libro* 1. *cap.* 7. Δαίμονες, οἱ φοιτῶσι κατὰ πόντον. *verto* Dæmones, & terras, & diffusum æquor oberrant. *Orpheus*: Δαίμονας ἠερίους, καὶ χερσίους, καὶ ἐνύδρους. *Nec aliud quam aquaticolæ dæmones*, Tritones, Leucothæ, Melicertæ, Matutæ: *similes exoletæ, superstitionis quisquiliæ. Forte Luc.* 11. *& Matt.* 12. *cap.* Spiritus nequam qui perambulabat loca stagnosa, *non habebat requiem: quia stagna, paludes, aquosa suetus habere.* Sed abstinendum potius à nimium curiosis ejusmodi conjecturis. v. Distinctionẽ secundum Provincias, homines, vitia, & negotia, quibus præfecti & destinati dicuntur. De quo *Scholastici ad Thom. loc. cit. & Lombard* 2. *dist.* 7. & *Rusca libr. cit. Corn. à Lapide in Ephes.* 6. Qui videri possunt: Enoto tantum hæc verba Themesvar lib. 2. *dæmones* sect. 2. §. 29. *Qualiter in dæmonibus assignantur diversi principatus eorum. Nota quod secundum* Guliermum dist. 9. *In dæmonibus diversi sunt principatus: ut dicit* Magister. *Vnde ad minus sunt septem principes generales, juxta septem peccata mortalia. Et omnium horum Principum Lucifer est imperator. Hæc ille. Itaque ut dicit* Magister, *Dæmones secundum modum scientiæ majoris vel minoris prælationes inter se habent alias majores alias minores: unde majores plures sciunt, quam minores. Et quidam, inquit, uni provinciæ, alii uni homini, aliqui vitio præsunt. Vnde dicitur spiritus superbiæ, spiritus luxuriæ, & hujusmodi. Quia de illo vitio maximè potest homines tentare, à quo nominatur, & decipere &c. Proinde secundum aliquos Lucifer dicitur princeps superbiæ, Mammon avaritiæ, Asmodeus Luxuriæ, Sathan iræ & discordiæ, Beelzebub gulæ, Leviathan invidiæ, Beelphegor accidiæ &c.* VI. Distributionem in astutos seu callidos, & in fatuos seu stolidos: Quam habent liber *Zohar*, & ex eo *R. Moyse Gerundensis*, & *R. Av.* VII. Distinctionem individuorum, & nomina dæmonum, qualia apud Thalmudicos *Hasmeday, Higueret, bat Mahalat, Nahama*; qui etiam diabolum illum seductorem Evæ vocant *Samael. Rambam* in *More Nebuchim lib.* 2. *c.* 31. Occurrunt apud paraphrasten *Ionathanem* 6. 4. inter angelos qui de cœlo ceciderunt *Schimchassai* & *Vsiel.* Confer de nominibus dæmonum Asmedai, Samael &c. apud Iudæos usitatis, *Lexica Buxdorfii* & *Schindleri*, & *Seldenum de Diis Syris syntagm.* 2. *c.* 5. & 6. Huc refer nomina illa Ægyptiaca apud *Origenem contra Celsum lib.* 8. Quinimmo & totam faunorum, satyrorum, dryadum, Najadum, Nereidum; Larium,

natum, lemurum progeniem; atque adeo totam Gentilium theogoniam, & theographiam: siquidem dii Gentium, docente apostolo 1. *Corinth.* 10., dæmonia fuerunt. Et dæmonas ab iis cultos fuisse ex ipsorum theologis & sapientibus convincunt *Origenes*, *Iustinus*, *Eusebius*, *Theodoretus*, *Tertullianus*, *Augustinus* &c. supra *cit.* Quamplurima etiam apud nefarios Magos, nominatim apud *Trithemium lib. de septem Intelligentiis* hic non memoranda occurrunt.

Imprimis *Agrippam lib.* 3. *de occulta philosophia* ubi à *cap.* 24. *usque* 32. ex Rabbinis, Cabalistis, Magis, congerit rationes investigandi dæmonum nomina, characteres, signacula. Quæ omnia tam inepta, stolida, & absurda sunt, quam superstitiosa. Atque hæc quidem breviter pro ratione instituti de dæmonibus. Si qui φιλομαθεῖς omnifariam eruditionem atque historiam, & varias sententias lustrare desiderent, ii adeant præter autores de angelis in genere, *præcedenti disput.* indicatos *Scholasticos ad* 2. *dist.* 6. 7. 8. & ex iis *Themes var. lib.* 2. *Rosarii in voce dæmon*, sed multæ ibi quæstiones ineptæ & curiosæ. Imprimis *Delrio lib.* 2. *disq. Magic.* ubi & complures alii citantur: *Ioh. Laurentii Ananiæ* & *Antonii Ruscæ* supra à nobis aliquoties *citati*, (sed infirmioris judicii) tract. peculiares de dæmonibus. Adde *Barthol. Sibyllam in speculo peregrinar. quæstion.*, Et *Alphonsum Mendosam in quæstionibus*, *Francisc. Georgii problemat. tom.* 6. *sect.* 5. Ex nostris locorum communium scriptoribus *Hyperium*, *Martyrem*, *Zanchium*. Ex Medicis, Philosophis, Philologis *Augustinum Niphum*, cujus *tractatus de Dæmonibus* tribus libris constans una cum sex libris *de Intellectu* impressus Venetiis in fol. anno 1554. apud Hieronymum Scotum. Vbi *lib.* 2. *cap.* 7. 8. 9. 10. contra Peripateticos existimantes dæmonas esse teretismata & figmenta sapientia &c. (ut ipse *cap.* 4. *lib.* 1. indicat), probat esse tales dæmonas ex artibus & effectibus Magicis. Hæc aliaque complura scitu digna ex ratione naturali ibidem probat. Tractatus ille non sine fructu legi aliquando poterit, ab illis, qui philosophiæ, & theologiæ naturalis omnimodam scientiam ambiunt. Adde *Andream Cæsalpinum in tract.* cui tit. *Investigatio dæmonum*. *Cardanum lib.* 19. *de subtilitate*, & *de veritate rerum*: sed qui inepta & absurda non pauca intermiscet. Conferantur scriptores de Magia, de Energumenis, de Spectris, in *disp. nostris* citati.

DISPV-

DE SPECTRIS.

Resp. ANDREA ESSENIO. *Ad diem* 28. *Octob. &* 4. *Novembris* 1637.

Ut juniorum judicia de spectris dextre informemus, & contra opiniones Sadducæorum ac Pontificiorum muniamus I. *præmissa spectri descriptione* II. *controversias principales ventilabimus,* An sit,& quid sit spectrum. III. *Problemata aliquot subjiciemus.*

VOX *Spectri* (ut & *speciei*, *spectus*, *spectionis*) deri vatur à verbo *specio*, id est, attente video, quod respondet gr. σκοπέω & Hebr, שקף & שעה. Synonyma ejus sunt, ὄψις, ὅραμα, φαντασια, latine *visum*, *visio*, sic exponit *Cicero libr.* 1. *Acad. quæst.* & *phantasma* apud *Plinium* nepotem *lib.* 7. *epistol.* 27. Vbi *Casaubonus* legendum putat *phasma*, sed absque necessitate. Græcis enim notione hac non tantum φάσμα (à φαίνω) sed etiam φάντασμα (à φαντάζω) usitatum est. Vt profanos autores præteream occurrit *Matt.* 14. 26 *Marc.* 6. 46. ubi vulg. retinet, phantasma, *Erasmus* & *Beza* exponunt *spectrum*, Isidor. Clarius *spectrum* & *terriculum* vel *terriculamentum nocturnum.* Gallica translatio *fantosme.* II. *Spiritus* gr. πνεῦμα *Luc.* 24. 37. 39. & *apparitio spiritus.* III. Εἴδωλον, quomodo apud *Euripidem in Hecuba*, Vmbra Polydori εἴδωλον & φάντασμα dicitur. *Philostratus in vita Apollonii Thyanæi lib.* 3. Gangis regis Indorum ab ipsis interfecti simulacrum quocunque euntes prosequens φάσμα appellat. IV. Terriculamentum, terriculum, μορμὼ, μορμολύκειον, larva. *Olympiodorus in Phædonem Platonis* vocat σκιώδη φαντάσματα. *Plutarchus* φρικώδη τερατεία. *Apulejus in apologia*, *formidamina*, *terriculamenta*, *occursacula* quod postremum convenit cum hebr. פגע *pegah.* v. Infestatio, κατ' ἐξοχὴν scil. Hinc *loca infesta.* Dicitur & *illusio.* VI. absolute etiam dicitur δαιμόνιον. Sic *Lucianus in Asino*: οὐδὲν δαιμόνια δέδοικας. VII. Porro speciales magis sunt appellationes, *manium*, *umbrarum* &c. passim apud *Virgilium*, & *lemurum* apud Persium sartyr, 5. *Tunc nigri lemures* &c. Elegãs locus est apud Apuleium in Apologia *At tibi &c.* aut *Deus iste &c. semper obvias species mortuorum*, ‖ *quidquid umbrarum est usquam*, *quidquid lemurum*, *quidquid manium*, *quidquid larvarum oculis tuis oggerat*: *omnia noctium occursacula*, *omnia bustorum formidamina*, *omnia sepulcrorum terriculamenta.* Idem de Deo Socratis, differentiam docet inter manes, lemures, laram, larvam. Vide eaſdem differentias explicatas à *Gutherio lib.* 2. *de Iure manium c.* 16. Et quæ polyistor *Salmasius* notat ad explicationem δαιμόνων καθεχθονίων apud *Pythagoram in aureis carmin.*, *præfat. ad Cebetis tabulam*

lam gr. Arabicè,& lat.editam VIII. Rabbinis dicitur מזיק *maſsik*,ideſt,nocens à rad chaldaica נזק *neſak*. id eſt, nocuit, læſit *Daniel.2.6.& 6.2.Ezra* 4.15.13.22. Hinc Targum *Pſ.*106.37.מזיקיא. Item פגע *pegang*, Id eſt, *occurſus* à פגע *occurrit*, *incurrit*. Vtuntur priori vocabulo *R.Sel Iarchi* in *commentar.ad Pſalm.*91.5.6.& Tranſlatio Hebraica *Matth.*14.*v.*26. Poſterius exſtat in *Targ.*ſecundo *Eſther.*1.2. Poſt primam hujus diſp. editionem prodiit præſtantiſſ.illud *lexicon Rabbinicum Buxdorfii*: quo factum ut ab oriētali hac philologia ſecundis curis uberius excolēda tuto ſuperſedere mihi liceat. Ad ipſum noſtros φιλομαθεις remitto *p.* 658.877.1139.1937. *Syrus paraphraſtes Matth.*14.& *Marci* 6. transfert חזוא דגלא *cheſvo daggolo*, id eſt,viſio fallax ſeu falſa.x.Arabs חיאל *chaiala* q. d. *phantaſma*,à verbo חיל id eſt, imaginatus eſt, phantaſiavit. XI. Belgice Spooch Spoockſel / Spoockerye: Atque hæc quidem de ſpectrorum onomatologia.Conferre poterit, cui vacat, *Delrio diſquiſ.Magic.lib.*2.*qu.*27.*ſect.*2.

2. Vt autem definitonem ſpectri rite inveſtigemus, diſtinguamus prius phaſma, apparitionem ſeu viſum quodvis in divinum, naturale, artificiale,diabolicum. *Divinum* eſt quod à Deo exhibetur immediate aut extraordinario: de quo in *Diſp.de Prophetia* & *revelatione* agendum. *Naturale* eſt,quod ex principiis naturalibus ortum ſuum habet, ſive ſit καθ' ἔμφασιν ſive καθ' ὑπόστασιν; de quibus phaſibus ſeu phaſmatis Optici, in cap.de Viſione reflexa & refracta, & Phyſici in Meteoreologia. *Artificiale* eſt, quod hominum induſtria,& expedito motu oſtenditur de quibus pręſtigiis, ut vocant, licitis, alibi in *diſp.de Magia*: aut etiam per Magiam naturalem applicando naturalia agentia ſuis paſſivis: aut per magiam Mechanicam. De utriuſque Magiæ artificiis conſulenda *Baptiſtæ Portæ Magia Naturalis*, & *VVeckeri ſecreta*, & *Cardanus de varietate rerum*; & libellus cui tit. *Delitiæ Mathematicis* gall.& belgicè editus.*Diabolicum* eſt quod à diabolo objicitur. Ad cujus intelligentiam notandum eſt diaboli exiſtentiam alicubi ſeu ubicationem reſpectu noſtri poſſe diſtingui in abſentiam aut præſentiam. Illa eſt, cum exiſtit in inferno, aut alio in loco à nobis remoto. Iſta eſt, cum circa nos exiſtit. Quæ præſentia rurſum duplex eſt, perceptibilis aut imperceptibilis. Hæc eſt cum nullis actionibus aut ſignis ſuam præſentiam prodit. Perceptibilis eſt vel interna vel externa.Illa eſt cum diabolus aut in corpore per obſeſſionē,aut in phātaſia ſive dormientium ſive vigilantium per turbationes & ingeſtiones variorum phātaſmatum, aut quacunque alia ratione homines infeſtat.Extern a eſt quævis circa hominem adſiſtentia aut præſentia, de qua proprie nobis hic agendum,& ratione perceptionis noſtræ ſpectrum dicitur.Quod

deſi-

definimus : *apparitionem diaboli externam, homines aut alias res propter homines infestantem.* In hac definitione dicimus esse *apparitionem diaboli* ut à præsentia aut assistentia Dei, angelorum, rerum naturalium, hominum distinguamus. *Apparitionē*; ut excludamus assistentiam seu præsentiam localem quamcunque diaboli, sed imperceptibilem, & nullis operationibus aut signis proditam. Apparitionis vocem laxa seu lata significatione hic accipimus, denominatione facta à principali specie. Neque enim ignoramus, varias esse præsentias & infestationes diabolicas sine externa visibili specie. *Externam*, ut ab interna infestatione sive intra corpus, sive circa animam distinguatur. *Infestantem homines* &c. Quia ab effectu hoc circa homines proprie spectrum, phantasma, apparitio spiritus, & infestatio dicitur.

Quamvis autem diabolo mille sint nocendi artes, mille apparitionum 3.
formæ, atque adeo omnes illæ enumerari non possint; divisiones tamen spectrorum aliquas duce experientia ad faciliorem cognitionem moliri haut absonum. Sit ergo 1. divisio ex perceptione nostra. Primaria sunt visibilia & audibilia, quæ auditu aut visu : Secundaria, odorabilia aut tactilia, quæ odoratu aut tactu percipiuntur. Sunt & mixta quæ variis sensibus objiciuntur, ut visui, auditui &c. *Visibilia* sunt, cum colores & figurę sive reales sive apparentes exhibentur. De quibus mox dicemus. *Audibilia* sunt, cum soni percipiuntur sive *naturales*, ex. gr. pulsus, strepitus, crepitus, qualis esse solet ventorum, aquarum, flammæ, corporum colliforum, aut fractorum : sive *animales*, ut hinnitus, rugitus, mugitus, &c. sive *humani*, ut risus, fletus, sermo, cantus vocalis, instrumentalis. *Odorabilia* sunt, cum tetri & insoliti fœtores excitantur. *Tactilia*, cum punctio, impulsus, vectio, tractio aut motus quicunque localis, item calefactio, frigefactio, similisve alteratio non naturalis percipitur. 11. Ratione materiæ, ita loqui liceat. Sic applicamus illis distinctionem illam quam *Aristoteles* phasmatis naturalibus, quod alia sint κατ' ἔμφασιν alia κατ' ὑποψιαν id est, apparentia aut vera. *Illa* sunt quæ nulla constant reali materia aut reali corpore, sed tantum coloribus & formis (ut vocant) intentionalibus; quæ non tam res sunt seu entia, quam imagines eorum, sicut imago in speculo, colores Iridis; ad hæc falsę apparitiones naturales, ex. gr. baculus fractus in aqua, turres quadratæ quæ videntur rotundæ &c. De quibus Physici & Optici cum tractant de Fallaciis visus. Quæ peculiari ratione & propriissime *illusiones*, *præstigiæ*, *simulacra*, *falsæ imagines*, dicuntur. Hinc appellationes illæ à potiori & frequentiori desumptæ, omnibus in universum spectris tribuuntur. *Ista* sunt, quæ constant aut corporibus ex aëre formatis, aut corporibus & cadaveribus hominum, a-

liorumve corporum ex inanimatorum aut animatorum genere tantisper assumptis. III. Ratione formæ & figuræ externæ. Et sunt vel candida, vel atra, vel rubra & ignea, vel alterius coloris. Rursum vel formæ insolitæ & terribilis, vel placidæ & familiaris. Quam distinctionem habent nefarii Magiæ Doctores, inter alios *Trithemius* Abbas Spanhemensis in sua *Steganographia lib.2.c.1.& lib.1.cap.8.* Adhæc apparent forma, quadrupedum, avium, serpentum, insectorum, hominum quocunque habitu &c. Item forma monstrosa. Hinc orta illa nomina; *Striges*, *Mormones*, *Lamiæ*, *Gorgones*, *Empusæ*, *Dicola sive Heracea sive brimones*, *Alcones*, *Alphitones*, *Lares*, *Lemures*, *Penates*, *Fauni*, *Satyri*, *Sileni*. *Onocentauri*, *Onosceli*, *Hippocentauri*, *Sphinges*, *Scillæ*, *Harpyiæ*, *Tritones*, *Najades*, *Nereides*, *Sirenes*, *Napeæ*, *Oreades*, *Dryades*, *Hamadruades*, *Panes*, *Plutones*, *Charontes*, *Cerberi*, *Erynnyes*, *Alastores*, *Gellones*, *Parcæ*, *Fatæ*; *Elvæ*, *Sibyllæ seu dominæ albæ seu dominæ nocturnæ cum* sua regina *Habundia*; *ad hæc Cobali*, *Koboldi*, *Pygmei* seu *virunculi*, quos Belgæ vocant Kabboutermannekens/*Herlekini* aliiq; armatorum ordines &c. Quę nomina vide à philologis, lexicographis explicata, imprimis *Delrio disq. Mag.l.2.qu.27.*, ubi distinctos modos, formas, & operationes apparitionum breviter describit. Confer proxime *præced. disp. de Dæmonibus part. 2. in fine.* Et *disp. de creatione part. 9.& 10.* ubi anthropologiam explicamus; & nonnulla putatitia hominum genera ad spectra relegamus, autoresque ibidem annotamus. IV. Ex efficiente seu origine. Sic alia sunt spontanea seu à solo dæmone objecta, alia sunt Magica à Magis evocata & hominibus immissa. Ex posteriori genere fuit spectrum Samuelis, & similia Necromantiæ effecta. V. Ex effectis, alia dicuntur nocentia & infausta, alia benefica & prospera: quamvis nulla benefaciant nisi ad malum. Rursum alia sunt placida, quieta, tantum apparentia, absque strepitu, voce, agitatione, insultu aut terriculamento; alia turbulenta quæ terrorem incutiunt apparente insultu seu incursu, comminatione, agitatione, verberibus, violenta translatione, incendio, &c. VI. Ex rebus quas fingunt. Ita dicuntur *lemures*, *manes*, *umbræ*, *lares*, *larvæ*, *ceriti*, quo mortuos repræsentant & animas defunctorum mentiuntur. *Præstites*, *Genii*, *Dii tutelares*, quæ Deos; quo refer totam catervam Deorum Gentilium, *Iovem*, *Neptunum*, *Dianam*, *Cererem* &c. quorum monstrosas formas depictas exhibet *Vincentii Cartari liber* aliquoties nobis *laudatus.* & spectra quæ in Papatu toties tum forma quadam externa tum verbis præ se tulerunt, se esse Christum, aut angelos, aut sanctos, nominatim Mariam. Quorum exempla ex experientia & historicis suis congessit testis hac in re nobis fide dignissimus Iesuita *Delrio.* VII. Ex locis. Alia sunt aëria, aquea, terrestria, subterranea, inter quæ eminent *Telchines*, seu spectra in metalli fodinis

dinis &c. Ad aquea ſpectra referendos putem Caſtorem & Pollucem gr. διοσκόρους, quorum fit mentio *Actor.* 28. *v.* 11. De quibus *Gyraldus ſyntagm. 7. de Diis Gentilium*, *Natalis l.* 8. *cap.* 9 *Corn. à Lapide in commentar. ad Actor.* 28. Aliquid etiam de eorum cultu delibat *Voſſius l.* 1. *de Idolol. c.* 38. Quamvis autem interpretes theologiæ mythologicæ rationes varie aſſignent, cur hi à navigantibus culti ſint: ego tamen non varie conjicere mihi videor, duas potiſſimum fuiſſe rationes, *tum* apparitiones naturales ignium lambentium & fatuorum (meteorologicis ſatis notorum;) tum apparitiones dæmonum in navibus aut ſupra aquis, qui errore populari circa meteora modo dicta uſi, dæmonolatriam ſuam hac occaſione ſtabilierunt. Huc facere videtur narratio illa de duabus ſtellis ſuper capitibus Caſtoris & Pollucis inter reliquos Argonautas apparentibus, ad quarum conſpectum tempeſtas ſedata fuit. Tale quid ſi factum ſit, ad nullum niſi ad dæmonem ſpectrorum autorem referendum eſt. Confer *diſp. de Dæmonibus.* Cœleſtia & ignea quæ apud *Orpheum*, *Apulejum*, *Pſellum*, *Trithemium* occurrunt, merito explodit *Delrio l.* 2. *qu.* 37. Ratione locorum poſſunt dividi in vaga, aut loco cuidam pro arbitrio dęmonis affixa. Ad poſterioris generis ſpectra referimus *Penates*, *Oreades*, *Najades*, *Sylvanum*, *Panem*, &c. Denique omnia quæ eodem numero loca ſive naturalia ſive artificialia, ut *domum*, *curiam*, *monaſterium*, *cœmiterium*, *Sepulcrum*, *templum*, &c. familiariter perambulant, infeſtant: unde loca illa dicuntur *infeſta.* De ſpectris diurnis & meridianis (inter quæ celebratus olim Gentilibus Pan, apud *Theocritum Idyll.* 1.) interpretantur Rabbini aliqui cum *paraphraſte Chaldæo*, illud *Pſ.* 91. 6. Sed ſine ratione. Notum enim quid ſit קטב ex *Hoſeæ* 14. VIII. Ex circumſtantia temporis. Hinc alia diurna. Rurſum, alia tranſeuntia, quę ſemel tantum apparent, alia ſtatis temporibus, aut frequentius recurrentia. IX. Spectra humana (ita loquar) ex ſexu & variis hominum formis diſtingui poſſunt. Sic alia ſpecie virorum & quidem magnorum, parvorum, mediocrium, integrorum, mutilatorum, monſtroſorum; alia ſpecie formoſarū mulierum & virginum apparent, quæ antiquis lamiæ, Empuſæ &c. dicebantur. De quibus vide *Delrio lib.* 2. *qu.* 27. *ſect.* 2. & philologos ad illud Horatii, *Et pranſæ lamiæ vivū puerū extrahat alvo.* Cum his conferenda quæ de incubis & ſuccubis diſquirimus in *diſp. de Dæmonibus.* Hodie lamię & ſtriges dicuntur non dæmones aut ſpectra, ſed mulieres veneficę ſeu ſagæ. Vnde *tract. Eraſti de Lamiis.*

Cauſæ ſpectrorum ſunt, *Efficiens* quidem, *prima*, Deus Opt. Max. per 4.
gubernationem, qui ad omnes motus reales dæmonum concurrit & cooperatur, quique malitiam ſeu ἀνομίαν eorum permittit, eandemque ordinat & in bonum convertit, bonum, inquam, & *gloriæ* ſuæ & caſtigationis,

nis, aut probationis, aut pœnæ hominum. *Secunda*, propria & particularis, eademque principalis & proxima est Satan. *Proegumena* est odium ipsius adversus genus Humanum. *Procatartica*, est hominum vitiositas, ingratitudo, in specie superstitio, idololatria, à vera Dei cognitione & vero cultu aversio. Hinc videas in Gentilismo & Papatu ubivis spectra grassari. Testes sint ipsorum *legendæ*, *vitæ sanctorum* & similis farinæ *historiæ*, recentiores scriptores de Spectris, dæmonibus, & Magia *Delrio Thyræus*, *Leloyerus* &c. aliique infra citandi. Distinctio tamen hic adhibenda, quod omnium spectrorum & infestationum particularis causa non sit enormе aliquod peccatum, aut universalis impietas eorum qui infestantur. Quomodo de cœco *Ioh.9.v.1.2.* Considera exempla *Iobi cap.* 1. & *Pauli.* 2 *Corinth.*12. *Finalis* causa *respectu diaboli* est ignominia divini nominis, & hominum perditio; *respectu* Magorum, si qui huic negotio se intermisceant, exsaturatio ambitionis, avaritiæ, vindictæ cupiditatis, voluptatis; *respectu Dei* permittentis & ordinantis, vel probatio & tentatio, quo applicari potest *Deuteron.* 13.1.2.3.4. vel justa reproborum punitio (confer *Thomam p.*1.*q.*14.*art.*1.)vel hominum ad servilem saltē metum numinis excitatio & præparatio, juxta Illud Silii Italici: *Primus in orbe Deos fecit timor.* Causa *materialis* omnium assignari non potest, nisi eorum, quę peraguntur per corpora ex aere, terrâ, aquâ, aut vaporibus condensata & compacta, aut corpora naturalia, aut cadavera mortuorum, aut corpora artificialia, quæ mutuatur ut pro tempore vehat & ostentet diabolus. Quomodo autem & quousque hoc possit dictum in *Disp. de Natura & operationibus Dæmonum.* *Forma* interna substantialis hic assignari nulla potest, quia spectrum non est ens unum per se, sed ens per accidens ex genere concretorum & συνδεδυασμένων. Constituitur n. ex *diabolo* tanquam materiali suo & specie & forma aut signo externo tanquam formali. Cum spectrum est visibile, forma ejus externa varia est: cujus aliquot species *thesi præced.* enumeravimus.

Ex *Adjunctis* seu propriis sive absolutis sive comparatis, sive positivis sive negativis, nunc ista tantum notamus. 1. Quod sæpe, non semper, antecedentia aut concomitantia aut consequentia sint, mortis luctuosi casus, publicę mutationis, bellicæ calamitatis aut cladis. Exempla habent *Lavat. l.* 1.*c.*17. *Munst. à Vortl. in tract. de Spectris*; & *Simon Goulartius in select Historiis.* & anonymus in hist. spectrorum 11. Quodq; ideo rationem habeant ostenti aut prodigii. Cujus tamē à priori nulla certitudo præsumenda; sed tantum à posteriori, observationi alicui locus relinquendus. Ratio est, quia hæc aut illa spectra tanquam σημεῖα, cum his aut illis eventibus non reciprocantur, nec infallibilem cum iis habent connexionem. Nusquam enim

aut

aut ex ſcriptura, aut ex ratione & univerſali experientia certæ regulę conſtitui poſſunt. Quamvis non diffiteamur ſpectra mortem prędecedere ſolita fere ſemper mortis prænuntia eſſe. III. Diſtinctio inter ſpectra, & divinas, angelicaſque apparitiones; negative quidem & à poſteriori, ſed non æque poſitive & à priori, communi judicio hactenus ſtatui potuit. Si quę forte apparitiones ſint, quæ nulla ſigna ſequātur, unde à poſteriori deprehendi poſſint (quod rariſſime puto contingere) non eſt quod multum de iis laboremus. Suffecerit, ſiquidem ad ſpectrorum claſſem nolimus eas redigere, ut ἀδιαφόρως nos præſtemus, & nunquam culpanda ἐποχὴ in medio relinquamus, ſi forte in poſterum melius dijudicandas ſe offerant. Quia circumſtantiæ nullæ nunc ſatis comparent, quas ad unicam regulam probationis ſpirituum exigamus, ſacram ſcil. ſcripturam: Et quia Deus extraordinariam ſpiritus revelationem nobis non ſuppeditat, nec ſuppeditaturum ſe promiſit, nec nos eam exſpectamus aut deſideramus; habentes quippe Moſen & prophetas, in quibus acquieſcimus. De quo in *Diſp. de Probationibus Spirituum.* IV. Nihil ergo à ſpectris diſcendum tanquam formaliter docentibus *nec cum iis familiaritas colenda, aut ſocietas ineunda.* Aliud autem eſt ſi dicantur materialiter & objective & cauſaliter ſeu occaſionatè, h.e. metonymice nos docere, ſicut omnes creaturæ *Pſ.* 19. *v.* 1. 2. &c. Et nos ab iis diſcere; ipſorum ſcil. malitiam, non imitandam, & Dei providentiam adorandam. *Probl. Quæritur an colloquia cum illis protrahenda, aut diſputationes habendæ. Reſp.* Nos arbitramur eſſe hoc opus otioſum; *Primo* quia margaritæ κατ' ἐξοχὴν porcis objiciuntur, contra *Matth.* 6. 7. Neque enim dæmones à nobis convincentur, & nos ab iis convinci, aut ſaltem diſputando ad ſolidorem eruditionem exerceri & informari nolumus. *Deinde*, diſputando & reſpondendo occaſionem plura dicendi, quantum in nobis eſt, ipſis ſuggerimus; cum potius exemplo Chriſti *Lucæ* 4. 41. & Pauli *Actor.* 16. 17. 18. hoc agendum, ut etiam vera dicentium ſermones abrumpantur, ſiquidem per nos id fieri poſſet. Nolim tamen negare, quin aliquando conducat calumnias & ſtrophas ipſius detegi & refutari, ſi videantur ex auditoribus aut ſpectatoribus aliqui iſtis commoveri, & in dubitationes pravaſque opiniones abduci. v. Loca quædam particularia, non propria aliqua conditione, aut naturali neceſſitate, ſed libero diaboli arbitrio, Denique juſtiſſima ac liberrima providentia, ſpectris præ aliis infeſta eſſe, docet experientia: à quibus, cum domus mutant dominos aut inhabitatores, aliquando liberantur, aliquando non. *Probl.* 1. *An domos infeſtas non emere aut conducere, aut etiam iis excedere, ſi commode fieri poſsit, intrinſece & per ſe ſit peccatum, Reſp.* non arbitror: quamvis forte migratione illa parum quis proficiat cum ſpectra locis

alligata non sint, & migrantem facile sequi possint, ac nonnunquam soleant. VI. Nulla ætas, nulla hominum conditio, nullum tempus vitæ à spectris quasi privilegio quodam immune est. Moribundos etiam iis subinde infestari docet experientia. Sed Quæritur, an etiam piis tunc appareant. *Resp.* Nullam video rationem cur hoc negetur. Est enim illud imprimis tempus militiæ super terra. Iam vero inter hostes, qui pios oppugnant, primus est diabolus. Exemplum illustre refert Senarclæus in præfatione ad Bucerum historiæ Iohannis Diasii à se editæ præmissa: *Cum istis summis theologis confer mihi, si videtur, agricolam quendam, qui nuper in oppido Turingiæ, Friburgo, longe alia magnitudine animi in Domino diem obiit. Decumbebat rusticus gravi morbo afflictus: cumque jam esset vicinus morti, qui cum eo erant in habitatione, virum quendam ingredientem cubiculum decumbentis viderunt vasto corpore, truculento aspectu, flammantibus oculis, ex quibus quasi scintillas ignis jaculari videretur. Is conversus ad ægrotum, dixit: Tibi est hodie moriendum, & ego jute meo tuam animam posco. Ægrotus autem præsenti animo respondit: Equidem sum paratus hinc emigrare, quandocunque ab Imperatore meo fuero vocatus, qui meam animam in hoc domicilio corporis tanquam in præsidio quodam collocavit: eique soli hanc quam tu inique postulas, animam tradam, qui eam à servitute mortis ac peccati suo sanguine liberavit. Tum ille: Tu es, inquit, multis sceleribus inquinatus, egoque in hoc adsum tantum, ut tua peccata omnia describam. Cumque hoc dixisset, subito extraxit de sinu chartam & atramentum, quasique ad scribendum paratus, assedit mensæ, quæ ibi tum forte erat apposita. Tum rusticus: Scio me esse multis peccatis contaminatum, sed tamen rursus scio ea omnia sublata esse in crucem Domini nostri Iesu Christi, propter quem mediatorem certo confido me habere patrem placatum. Si autem cupis mea peccata describere, nihil reformido: equidem libenter tibi dictabo. Scribe igitur: Omnes justitiæ nostræ immundæ sunt, tanquam pannus menstruatus, quæ non poterunt ulla ratione in judicio Dei subsistere. Scripsit ille sceleratus, ac rursus ut hunc in modum pergat dictari cohortatur. Tum ægrotus: Sed tu æterne & vive Deus promisisti: Propter me, propter me deleo iniquitates tuas. Promisisti item: Si fuerint peccata vestra sicut coccinum, tanquam nix dealbabuntur. Hæc verba prætermisit impostor, ac valde instat, ut in eo tantum argumento permaneat, de quo ab initio cœperat dictare. Tum ægrotus magna cum animi alacritate & constantia dixit: Apparuit filius Dei, ut destruat opera diaboli. Cum hoc dicto subito evanuit perversus ille quadruplator, ac brevi tempore post ad æternam illam beatorum societatem sancta illius agricolæ anima commigravit.*

Imprimis improbi ut terriculamētis phantasiæ & conscientiæ internis, sic & spectrorum externis, in die illo malo sæpissime excruciantur. Rejicimus tamen commentum Iudæorum, de ordinaria apparitione angeli mortis

tis ad cujus conſpectum omnes moribundi exanimentur: Vide de hac fabula *Buxdorfii ſynagog. Iudaicam* ex Rabbinis *cap.* 35. Meminit ejuſdem angeli *Targum in Pſalm.* 89. 49. *Habac.* 3. 4. *Ruth.* 4. 21. ubi מלאכא מוהא, VII. Poteſt diabolus facere, ut eadem ſpectra ab his præſentibus videantur, ab illis non; turbando ſcil. medium & ſpecies viſibiles, aut alio quocunque modo viſum impediendo.

Conſectar. *Anile & vulgare eſt commentum, de hominibus quibuſdam belgice dictis* Weelt-wit (*etymo mihi hactenus ignoto*), *quos facultate aut dono videndi ſpectra nocturna, ſpeciatim manium & funerum præditos creditum eſt.*

Circumſtantiæ loci, & temporis indeterminatæ ſunt; quia diabolus eſt 6.
ſpiritus intellectu & voluntate præditus, atque adeo cauſa voluntaria, non naturalis. *Loca* quædam à nonnullis aſſignantur ubi theſauri abſconditi, ubi injuſta cædes perpetrata, ubi quis ſibi manus intulit &c. Sed nec ſemper, nec tantum ibi ſpectra apparent. Sunt qui dæmonas in certas claſſes atque ordines diſtribuant, ut alii talibus locis, temporibus, & negotiis delectentur, aſtricti ac præfecti ſint, alii aliis. Sic *Trithemius in lib. de ſeptem Intelligentiis* & de *Steganographia*. Sed hæc vana ſunt & Magica. In montibus, ſylvis, locis deſertis *Luc.* 11. 24. cum 4. v. 1. 2. & tempore nocturno, ſi frequenter vagantur ſpectra, id fit propter ſolitudinem, ut tanto magis homines vexent, tentent, terreant. Sic tempore tempeſtatum, fulminum &c. aliquando comparent, & phyſicis cauſis ac effectibus ſe immiſcent, *tum* ut homines fallant, *tum* ut afflictis afflictionem & exteritis terrorem majorem addant. Idem judicari poteſt de Ephialte, Lycanthropia, melancolia, febri, aliiſque morbis naturalibus, quibus quin aliquando ſe immiſceant apparitiones & operationes diabolicæ, negari non poteſt.

Conſectar. 1. *Supra aërem in cœlo beatorum, aut etiam ſtellato, ſpectra comparêre, nec ſcripturâ nec ratione probari poteſt* (Eph. 2. 7 *cum* 6. 12. *&* Iudæ v. 6.) *Eſt itaque narratio illa* Iobi 1. 5. 7. *parabolica deſcriptio ſeu fictio, ut* Luc. 16. 23. 24. Hoſeæ 1. 2. 1 Reg. 22. 19. 20. 21. II. *Hinc ſequitur gratis obtrudi nobis ſpeculationes, de dæmonibus cœleſtibus in cœlo ſydereo* (*à* Pſello *aliiſque* ſupra cit.) *aut ſupra illud in vaſto illo inani, quod dæmonibus repletum eſſe* (*ne ſcilicet daretur vacuum*) *aſtronomus quis nuper aſſerut.* III. *Eſſe dæmonia ſeu ſpectra meridiana & quomodo illa ab aliis diſtinguantur ex* Pſ. 91. 5. 6. *probari non poteſt: quamvis tale quid habeant* paraphraſis chaldaica, Interpretes græci 70. Aquila, Symmachus, Interpres Syrus, Vulgatus latinus, *& nonnulli ex commentatoribus Rabbinis. Nam voces* קטב, רבר *planiſſimam & ſolitam ſuam admittunt ſignificationem, quod etiam evincunt circumſtantiæ textus. Ita ſimpliciter* τὸ קטב *exterminium, luem, pernitiem interpretantur, ex ipſis Pontificiis* Pratenſis, Pa-

gninus, Ar. Montanus, Vatablus, Simeon Muis: *quidquid pro vulgata versione & dæmonio ſuo meridiano, contendat* Delrio l. 2. q. 27. *Lorinus in commentariis ad locum cit:* quāvis hanc interpretationem conetur tueri; fatetur tamen ibidem, plures explicare de morbo peſtilente. Adducit ibidem ex comentar. ſub nomine Hieronymi hæc verba: *Licet multorum opinio ſit eſſe dæmones meridianos; videri tamen ſibi hanc eſſe frivolam: ſed eo tempore dæmonium habere poteſtatem in nos & ingredi in nos, quando peccamus, ſive mane ſive meridie, ſive veſperi.*

7. *Effecta*, I. Terrent homines. II. Turbant & impediunt eorum negotia atque actiones. III. Pulſant, trahunt, trudunt, violenter vehunt aut transferunt, de loco in locum, verberant & contundunt. Mirabile exemplum præbet ſpectrum illud in oppido quodam Sileſiæ, quod tamdiu omnes fere domos, incolas & advenas, infeſtabat, ut peregrinantes oppidum illud tanquam ſpectris infame evitarent. Hiſtoriam prolixe deſcribit *VVeirinchius* Medicus *in præfat. ad Strigem Pici Mirandulæ.* Plura exempla vide in libro Anonymi edito per Groſium bibliopolam Lipſienſem & in 4. excuſum Iſlebiæ anno 1597. tit. *Magia, ſeu mirabilium hiſtoriarum de ſpectris & apparitionibus ſpirituum &c.* IV. Incendia, ruinas ædium, morbos, peſtes procurant. De poſtremo effecto notavimus nonnulla in *Diſput de peſte.* V. Homines non tantum vulnerant, luxant &c. ſed & occidunt. Exempla habent *Lavaterus*, *P. Boiſtæus Launæus in ſelectis hiſtoriis.* VI. Ad ſuperſtitiones & idololatriam ſeducunt. Spectrorum apparitionibus & reſponſis maximam partem Gentilium & Papiſtarum errores ac idololatriæ originem ſuam debent. De Papiſtis ὡς ἐν παρόδῳ probavimus in *Deſper. cauſa Papatus lib. 2. ſect. 2. c. 10. p. 177. 17. 9.* De Gentilibus notum eſt ex oraculis & reſponſis idolorum, & apparitionibus putatitiorum Deorum, aut heroum. Idemque obſervarunt inter patres *Tertullianus*, *Iuſtinus &c.* citati in *diſp.* præcedenti *de dæmonibus.* Imprimis conſulendum puto à πολυμάθεσι: *Theodoretum in curat. gr. aff. ſerm. 3. de Angelis, Diis & dæmonibus, & ſerm. 12. de Oraculis.* VI. Nonnunquam etiam hominibus benefaciunt aut benefacere videntur. Hinc antehac ſub tenebris Papatus apud avos & proavos noſtros multus ſermo de Pygmæis (houtermänelens) operas domeſticas famulorum & ancillarum de nocte peragentibus: quorum incolatum ſeu converſationē in ſuis domibus etiam felicem populari errore putare ac prædicare ſolent. Huc facit exemplum ſpectri hominem educentis è carcere, quod relatum vide à *Petro Meſsia part. 2. variar. lection. cap. 22.*

8. Conveniunt aliquo modo cum ſpectris, ab iis tamen accurate, diſtinguenda, 1. phaſmata quædam naturalia ſive καθ' ἔμφασιν ſive καθ' ὑπόστασιν: de qui-

quibus authores Meteorologici. II. Apparitiones omnes insolentiores, ubi visibile radiat radio reflexo aut refracto, de quibus scriptores Optici & Catoptrici. III. Spectra per artem Magiæ Naturalis exhibita. De qua arte *Cardanus de Varietate rerum, & Porta in Magia,* Et *VVeckerus in secretis.* IV. Fallaciæ visus ortæ ex vitio oculi & visus imbecillitate; de quibus Medici; inter eos *tractatibus* peculiaribus *de visu aut oculo, Fabritius ab Aquapendente* & *Fortunatus Plempius.* V. Insomnia diabolica & phantasmata interna à diabolo immissa aut concitata. De quibus scriptores de divinationibus, in *disp. de Prophetia* & *Magia*, indicati. VI. Quibus adde sonorinâs imagines τῶν κροῦσαντιῶντων. De quibus autores à me notati in *disp. de creatione part.* 10. VII. Noctisurgium, noctambulorum. De quo Physici & Medici. Inter alios tract. peculiaris *Tobiæ Taudleri* Medici Witebergensis, cum aliis *opusculis* ipsius editis. Et *Keckermann. in disput. physicis c. de somno & insomniis.* VIII. Spectra quæ ex illusione nimii metus, aut melancoliæ, aut phrenesios aut alterius morbi vigilantibus observari videntur, cum revera non obversentur. De quibus vide *Gutherium de Iure manium loco* supra *cit.* Et scriptores de Melancholia alibi cit. Quibus adde historias Medicas mirabiles.

Opposita sunt vel ratione veritatis, vel ratione malitiæ. Ratione *veritatis* opponuntur 1. opiniones falsæ, de spectris in genere: de quibus infra, in parte Elenctica. 2. Apparitiones falsæ, seu spectra putatitia. Quæ sunt vel per fallaciam nostram, vel per fictiones aut fraudes aliorum. Per *fallaciam nostram* sunt, cum aut naturali visus fallacia, aut oculi visusque & auditus vitio & imbecillitate, aut melancoliæ alteriusve morbi delirio, aut nimio metu & phantasiæ perturbatione putant homines se videre aut audire ea, quę revera nec vident nec audiunt. Memorabile est exemplum Antiphontis, apud *Aristotelem lib. 2. de Anima* qui ambulans ad latus suum semper videbat suam imaginem. Plura vide apud *Delrio. lib. 2. qu. 27. sect. 1. Lavaterum lib. 1. c. 2. 3. 4. 5.* & *cap. 11.* ubi de rebus physicis, quæ pro spectris habentur. Sic imperitum vulgus olim ignes lambentes, ignes fatuos, dracones volantes, aliaque meteora pro spectris habuit: ut & inter artificialia aquilas & columbas volantes, Dædali statuas ambulantes &c. De his aliisque pluribus monemus in *disp. de Erroribus* &c. affecta, quam aliquando in gratiam studiosorum nostrorum, si Deus velit, edituri sumus. Per *fraudes* hominum putatitia spectra nimis quam multa fabricari solent. Morem illum ad gloriam Papatus scil. depingit *Erasmus in colloquio Exorcismus sive spectrum*, & in *epistolis*; quin & ipse *Delrio*, quamvis Erasmum propter indicium hoc factum cohonestet titulo Luciani Batavi, exempla quædam in medium profert, inter quæ Bonifacii VIII. per tubum suum loquentis & simplicem Celestinum ad Papatus resignationẽ

9.

cohortantis. Ex nostris videndi *Rivius, Godelmannus*, *Lavaterus lib.* 1. *c.* 6. 7.8.9.10. Per *fictiones* & pura mendacia plurima spectra passim per ora hominum volitant. Lege modo *legendas Papistarum* & vitas *monachorum ac clericorum*, quos illi sanctitate claruisse velint. *Ratione malitiæ*, opponuntur spectris 1. apparitiones divinæ atque angelicæ. 2. Antidota. *Apparitiones divinæ*, sunt vel *audibiles de cœlo*, ut *Matth.* 3. 16.17.& 17.3.5. *Iohan.* 12.28. *Act.* 2.2.& 9.3.4. *In terra* 2 *Reg.* 7.6.2 *Sam.* 5.24. Vel *visibiles*, ut nubis, columnæ ignis *Exod.* 13, 21. & nubis in templo 1 *Reg.* 8. Huc refer ὁράματα prophetis oblata, ex.gr. canistros ficuum, baculum &c. adhæc apparitiones angelorum, de quibus ut & modis omnibus revelationum divinarum alibi ex professo agendum: Vel mixtæ, *Actor.* 2. *Matth.* 3. & 17. *Antidota* spectrorum, falsa rejicienda; vera capessenda. *Falsa antidota* sunt partim *vana*, partim *superstitiosa*. Quo referimus. 1. arma, præcipue bellica tormenta, ignem, animalia homini fida; præcipue canes & equos, multitudinem hominum & fortium, quæ admodum commendat *Cardanus de Varietate rerum lib.* 16. *cap.* 93. Similia occurrunt apud *Psellum de dæmonibus pag.* 35. *in disput. de Dæmonibus* citatum. Cujus superstitiosas nugas ipsi Pontificii jure merito explodunt, Delrio & Ludov. Ballester Iesuitici ordinis Theologus in onomatographia, in voce dæmon p. 112. ubi sic scribit: *Et alibi alium Dæmonem manifeste ferreum vocavit: ut cum dixit*. Cum videris venientem Dæmona προστιδήρεον, sacrifica lapidem μνούζιριν inconstans. *Quibus in locis ipse Psellus pleraque videtur non à superstitione aliena afferre. Est vero apud Persas Mnuzirin lapis, ut idem Psellus significat, vim habens evocandi Macorem dæmona alterum.* Confer *disputat. de dæmonibus*, ubi ostensum dæmonas non affici rebus corporeis. Et *disp. de Energumenis*, ubi lapidibus, herbis, aliisque rebus naturalibus vim fugandi dæmonas falsò tribui docemus. 11. Adde hic faces accensas ad sepulcra mortuorum, quod crederent animas defunctorum circa sepulcrum suum aliquot annis oberrare. Morem lampadum sepulcralium ex variis autoribus Gentilibus probatum recte à Christianis, sed alio fine, servari & porro servandum contendit *Henr. Spondanus in t ract. de cœmeteriis sacris lib.* 1. *part.* 3. *cap.* 20. Vide quæso *canonem* 34. *Concil. Eliberitani.* 111. Musicam, quam diabolo exosam, eaque illum fugari *Bodinus in dæmonomaniâ lib.* 3. *c.* 6. perperam colligit ex 1. *Samuel* 16. Vide *Valesii sacr. philosophiam. cap.* 28. Et *commentar. Serrarii & Casp. Zanchez ad loc. cit.* Vbi tamen in ipsis non probo, quod velint etiam dæmonem per verba Psalmì decantati pulsum fuisse. *Mendoza in quæstionibus p.* 255. disquirit, An diabolus oderit Musicam. Sed frustra hæc quæruntur: cum nulla alia causa subsit: quam quod morbus melancolicus à dæmone concitatus, & cui

dæmon

dæmon se immiscet, naturaliter suavitate & oblectatione Musicæ leniri possit uti recte probatū ab *autorib.* modo *citatis.* Confer *disp. sequ. de Energumenis.* Vbi tamen cavēdum, ne nimium Musicę tribuantur. Ἀπίθανα sane mihi videntur, quæ habent *Plutarchus lib. de Musica* & *Mart. Capella lib. 9. præfat. in fine.* IV. Defossionem mortuorum, si cognati fuerint, sub foco: quam apud Pilappios à spectris assiduo infestatos, unicam panaceam esse testis est *Peucerus de Divinat. c. de Theomantia p.* 213. V. Sepultorum, quorum spectra oberrant effossionem, & à carnibus denudationem: quamdiu enim cadaverum illorum integra manet caro, tamdiu eorū animas sive spectra grassari finguntur. Hoc antidotum refert, nec improbare videtur *Weinrichius præfat ad Strigem Mirand. supra cit.* VI. Diras & execrationes. VII. Verba ludicra, jocosa, inania, obscœna, derisiones, sarcasmos &c. Vide *Mengi Flagell. dæm.* ubi docet formulam, ut *Cocus* inferni dicatur, quasi vilissimo loco & ministerio ibi dehonestatus sit: quem contemtum ait diabolum non posse ferre. *Maximil. ab Eynatten Manuali Exorcismorum*, habet formulas exprobationum. *Franciscus Assisius* docebat quē ex suis monachis diabolum fugare per ista verba: aperi os tuum, & in illud stercorizabo. Luthero simile fere quid objicit *Serrarius in cap. 8. Tobiæ q. 2.* nescius scil. manticæ quid esset in tergo. Sed probatio *Serrarii* ex sympotiacis Lutheri nulla est: quia non est liber Lutheri, nec unquam ab illo visus. Longè aliter illud referunt Colloquia Luth à Rebenstock edita p. 119. VIII. Magicas superstitiones, res consecratas, amuleta, Exorcismos Papatus, quæ habet *Delrio l. 6.* qui videndi; & nos recensuimus maximam partem in *Disp. de Magia, de Exorcismo*, & *Energumenis.* coll. cum *disp. de Benedictionibus & Sacramentalibus, de Agnis Dei, de Superstitione.* IX. Superstitiosas lustrationes à Gentilibus adhiberi solitas, aliaque remedia ipso malo pejora; inter quæ nefanda sacrificia, lustrales salivæ (de quibus *Persius satyr. 2. & ibid. Casaubon.*) Caput allii mane comestum (*Pers. satyr. 5.*) aliaque infinita depulsoria, euphemismi &c. de quibus *Lavaterus l. 3. de spectris c. 4. Delrio l. 6. p. 921. & c.* edit. in 4. Et *Thyræus de apparit. Spirit. part. 3. cap. 57.* Sed duo posteriores omnia pseudo-antidota non enumerant. *Plinius l. 21. 2. c. 3. 4. & auth. ibid.* à *Dalecampio* annot. & *Casaubonus in commentar. ad Persii loc. cit.* coll. ejusdem commentar. ad *Theophrasti characteres cap. de superstitione Gutherius de Iure manium loc. cit. Desider. Heraldus lib. 2. adversar. cap 9.* In *disp. de Benedictionibus & de sacrificiis* notamus quid de καθαρμοῖς & de lustrationib. antiquorum quibus diabolus mimetice exprimere dum videretur lustrationes typicas à Deo præscriptas, eas revera subvertebat. Imprimis abominandæ illæ lustrationes, quę sacrificiis humanis spectra & dæmonas averruncare putabantur. Quales à Timesa civitate Locrensium in Italia peractas refert

sert *Ælianus lib.*8. IX. superstitiosa antidota Iudæorum, quas lege in *Buxdorfii synagog.cap.2.p.76.77.* edit, prima. X. Superstitiones Mahumedicas, quales sunt lectio *Alcorani*, quæ amuletum dicitur contra dæmonas, *Suratt.*27. Sydera, quæ dæmonas expellere, iisque timorem incutere dicuntur *Suratt.*75. XI. *Probl.*1. Quæri posset quo loco habendæ exsufflationes dæmonum antiquis Christianis usitatæ, & desputationes etiam hodie populari consuetudine an errore non inusitatæ. De illis *Tertullian.lib.2.ad uxorem cap.5. Ireneus lib.1.cap.9. Sulpitius in vita Martini lib.3. Prudentius in agone Romani.* Et translatum hoc ad ritus baptismi, uti constat ex dicto *Areopagita in hierarch.eccleſiaſt.cap.2. R.* Siquidem tanquam amuleta adhibuerint; utique ad superstitiones releganda. Et forte ex Ethnicismi lustralibus salivis aut ad imitationem earum cacoëthes hoc retinuerant. Sin vero arbitrarium abominationis & contemtus signum ipsis fuerit: utique aliter judicandum esset. Sed præstat abstinere, ne videamur iis fugare velle dæmonas, & cum vanis aliorum observationibus colludere. *Probl.*11. Quid de signo crucis iisdem antiquis usitato. *Resp.* Si ut causam efficientem aut objectum adhibuerint, quasi scil. effectivè dæmonas pelleret, aut saltem quasi dæmon eam ferre nequiret: utique à superstitione excusari non possunt. Sed minime credit *Balduinus in Casibus lib.3.cap.7.casu* 8. illis tale quid in mentem venisse. Ego de posteriori, nempe objectiva depulsione non ausim cum *Balduino* credere. Sin vero ut externo fidei ex professionis Christianæ symbolo tantum liberè se muniverint contra diabolum, utique licitum putat ibid. *Balduinus.* Nos ab eo abstinendum censemus. Confer *disp.de Stanrolatria* & de *Idololatria indirecta.* Atque hæc quidem de pseudo-antidotis indicasse sufficerit. Cum quibus conveniunt ea quæ in *disp.de Energumenis*, & *de Magiâ*, præsertim disp. *de Exorcismo* notavimvs. Adjurationibus enim apud Pontificios triplici in casu uti solent, adversus spectra, adversus dæmonas ex obsessis, adversus fascinum & maleficia magica. Conferat, si quis velit, *Balduinum lib.3.Casuum c.* 7. ubi *cas.*6.7.8. Pontificiorum & Thyræi pseudo-antidota refutat. *Genuina antidota* pie & rectè proponantur ab eodem *Balduino*, *cas.*4. Qui videndus. Nos in prima hujus disp. editione digito mõstratis nihil addimus. *Vera antidota* sunt nulla alia, quam quæ suggeruntur *Epheſ.*6.12.13.14. Inter quæ cum excellat precatio, hoc est, cum omnia alia precationem ingrediantur, proculdubio & clypeus & gladius ille in hac militia arripiendus: Ita non immittet ea Deus, aut si immiserit, nos comfirmabit usque in finem. Et cum in silentio & patientia omuis fortitudo nostra adversus hujus vitæ mala: non erga Deum hic murmurandum (*Pſ.*39.*v.*9.) nec clamoribus & multiloquio nedum maledi-

ledictis cum dęmonibus contendendum, ad imitationem Archangeli Michaelis *Iudæ v.9.* & populi Iſraeliticis, quamvis alio in caſu *Ieſa.36.21.*

Reſtant controverſiæ. Quarum prior eſt *An ſint ſpectra.* Quæ nobis perſtringendæ, propter plurimos noſtri ſæculi novos Epicureos, Saducæos, Libertinos, David-Ioriſtas, Luciacinos irriſores, qui ut omnem fidem angelis malis, ita & omnem experientiam atque hiſtoriam de eorum apparitionibus tanquam aniles fabulas aut melancholica deliria explodunt. Quomodo olim inter Gentiles, teſte Plutarcho in vitâ Dionis, ratio hæc erat quorundam, τῶν ἀναιρούντων τὰ τοιαῦτα, qui hæc omnia tollebant ſeu negabant: *nemini cordato viſum dæmonium vel ſimulachrum obſervari; verum pueros, mulierculas, & deliros ex corporis imbecillitate, homines, quum aliquo tenentur mentis errore, vel intemperie corporis opiniones alienas atque abſonas admittere dum malum dæmonium ſuperſtitioſè credunt ſe invaſiſſe.* Non longe ab his recedit *Strabo lib.1.p.13.* ubi lamiam, Gorgonem, Incubum, larvam fabulas eſſe dicit terrendis pueris. Et *Polybius lib.6.* ſub finem, ubi totum hoc de Diis & inferis & quidem haut præter rationem apud Romanos excogitatum & tragicè deprædicatum dicit, ut metu incerto & hujuſmodi tragœdia Romanam plebem retinerent. Confer & *Halicarnaſſeum lib.2.* Opinio hæc magis vulgaris eſt, ubi maximè viget impietas, atheiſmus, Epicureiſmus, Scepticiſmus. Alexander lib.4.Genial.dierum c.19.vocat *popularem errorem*, in Italia ſcil. Verba ejus ſunt: *Multas quoque malorum dæmonum illuſiones perſæpe apud ſanctos viros fuiſſe legimus, quas noſtra non ſemel vidit ætas. Quibus ſalutaribus exemplis admonemur, ut præmuniti adverſus illorum inſidias ſimus, qui nobis inimici infeſtique ſunt, & tanquam in ſpecula in inſidiis ſtantes, néve deſides & ignavi concepta opinione populari, illorum iſta minimè credunt, in aliquod diſcrimen delabamur* Marinus *Merſennus in digreſſionibus contra Atheos*, quas *commentar.* ſuis in priora aliquot capita *Geneſios* inſeruit, ſpectrorum negationem atheis ſeu Deiſtis ibidem adſcribit. Idem, ut & *Raphael la Torre in tractat.de poteſtate Eccleſiæ* citato in *diſput. de Energumenis*, dæmonum apparitionibus & operationibus Atheos etiam convincendos cenſent. Nos ſtatuimus præter fictiones & mendacia hominum, præter fraudes & pręſtigias artificiales, præter fallacias ac deluſiones phantaſiæ & ſenſuum exteriorum, præter apparitiones divinas & angelicas, præter phaſmata purè naturalia, pręter phaſmata ope artis in naturalibus exhibita, dari ſpectra ſeu apparitiones ſpirituum, *Prob.1.* Ex ſcripturæ teſtimoniis *Matth.14.26. Marc.6.49. Luc.24 37.38.39*, cum *Iohan.6.19.20.1 Sam.28.* ubi hiſtoria ſpectri Samuelis. Vbi vide commentatores. Addit *Beza Matth.4.1.2.3. in not. ad Matth.14.* & circumſtantiæ tentationis illius ſatis innuunt fuiſſe externam diaboli apparitionem. Quod

&alii commentatores antiqui & recentiores ſtatuunt, II. Ex ratione eadem qua probavimus eſſe energumenos. Illa quæ audiuntur, aut videntur, aut alio ſenſu percipiuntur ſive ſint καθ' ἔμφασιν ſive καθ' ὑπόστασιν; aut ſunt ab hominibus, aut à cauſa naturali, aut à Deo, aut ab angelis. Valet conſequentia à plenâ enumeratione. Sed non ſunt ab hominibus neque à cauſa naturali; quia multa agunt & loquuntur ſpectra, quæ omnem humanam & naturalem potentiam excedunt; Nec ſunt à Deo aut angelis, quia plurima agunt, dicunt, docendo aut jubendo ad Dei contumeliam & hominum æternam perditionem. Sic e.gr. *Luc.* 24. 37. quod putabant ſe videre apoſtoli (nec Chriſtus in theſi talem opinionem redarguit, ſed potius concedit, tantum in hypotheſi probat applicationem ad ſe malè fieri), non poterat eſſe aut ab illis concipi angelus bonus: quia ille objectâ ſpecie corporis Chriſti, apoſtolos fallere iiſque illudere non poterat. III. A paribus; ſi dantur energumeni, & diaboli inſidentes; ergo dantur ſpectra, hoc eſt diaboli adſiſtentes; & apparentes. Antecedens probatum eſt *Diſp. de Energumenis.* IV. Si datur Magia, & operationes Magicæ, ergo dantur ſpectra. Antecedens invictis argumentis ex ſcriptura probavimus *Diſp. de Magia.* Conſequentia manifeſta eſt: quia pacta magica, familiaritas cum Dæmone, adjurationes & operationes nefariæ exerceri non ſolent ſine apparitionibus ſpirituum. V. Si ſunt dæmones, qui pervagantur aërem, terram &c. qui hic operantur in hominibus & circa homines juxta *Eph.* 2. & 6. & 1 *Pet.* 5. &c. utique nulla ratione negantur eorum ſenſibiles apparitiones, hoc eſt, ſpectra. VI. Ex Hiſtoria *Iobi cap.* 1. & 2. Quæcunque circa Iobi perſonam, liberos, bona à diabolo peracta ibi narrantur, abſque ſenſibili aliqua præſentia & apparitione ejuſdem vix intelligi queunt. Vide *commentar. ad loc. cit.* VII. In ipſo ſtatu innocentiæ ſi quædam fuit apparitio diaboli *Geneſ.* 3. 1. 2. cum 2 *Corinth.* 11. v. 3. quis negabit eſſe ſpectra poſt lapſum? VIII. Probat denique univerſalis experientia & teſtimonium plerorumque Chriſtianorum, Gentilium, Iudæorum, Mahumediſtarum, τῶ τυχόντων non tantum (quâvis vox populi vulgo dicatur vox Dei) ſed etiam *ſapientum*, Theologorum, Iuriſconſultorum, Medicorum, Philoſophorum, Hiſtoricorum, Poëtarum, Oratorum. Ex *Chriſtianis* nobis ſuffragantur omnes (quod ſciam) Theologi antiqui, & recentiores tam Reformati quam Pontificii. Ex antiquis videantur *Auguſtin. in lib. de cura pro mortuis*, *Ambroſ. ſerm.* 80. *Vita Chryſoſt.*, *Vita Greg. Taumaturgi* per *Nyſſenum* deſcripta, *Sozomenus hiſtor. Eccleſ. lib.* 6. *c.* 28. & *lib.* 7. *c.* 23. Et omnes qui commentantur ad loca ſcripturæ modo cit. aliique quamplurimi à *Delrio citati lib.* 2. *qu.* 28. ſed quorum dicta alio torquet. Ad recentiores accedo atque una *bibliothecam* inſtruo. Præter

ter ſcriptores de dæmonibus, Magia, Energumenis, Exorciſmo ſuos quoſque locis indicatos, ſunt *primo* autor anonymus, qui collegit hiſtorias ſpectrorū editas à bibliopola Lipſienſi Iſlebiæ anno 1594. in 40. *Deinde Theologi recētiores* ex *Proteſtātibus, Lutherus*, qui nō raro ea expertus eſt, vide ejus vitā. Plura tanquā ipſius Lutheri ex ſermonib. Mēſalibus ab Aurifabro collectis adferri ſolēt, & aliis ab anonymo collectis & an. 1571. à Rebēſtock Frācofurti editis tit. *Colloquia, meditationes, cōſolationes, conſilia, judicia, reſponſa facetiæ D. Martini Lutheri &c.* Sed hæc promiſcue Luthero tribui nō debēt & nōnulla cum grano ſalis accipiēda. *Melanthon. in libro de anima*, & in *Examine Theologico*, & ex eo *Manlius in collectan. loc. commun. tit. de Spectris*, & *Satisfactione*, *Martyr. in loc. communib. Claſſ. 1. cap. 9. Danæus Iſagog. part. 2. cap. 34. Simon Goulartius lib. cit. Honſdorfius & Lonicerus in theatro ad 2. præceptum p. 141. 165. & ad 3. præcep. 236. Aretius probl. part. 1. Balduin. in Caſibus lib. 3. c. 7. Lavaterus tract. peculiari.* Adde *commentatores ad loca ſcripturæ*, & *locor. communium ſcriptores. tit. de Anima ſeparata, Purgatorio, Dæmonibus.* Nec præter eūdus *Raynoldus in prælectionibus ad libros apocryphos.* Et Pōtificiis, peculiares tractatus ediderunt *Thyræus*, tit. *de apparitionibus ſpirituum. Nicol. Taillepied* tit, *Traité de l'apparition des Eſprits.* Pleraque etiam congeſſit *Delrio l. 2. diſq. Magic. q. 26. 27. 28.* qui unus inſtar multorū eſſe poſſit: Nonnulla etiam attingit *Mendoza in quæſtionibus p. 392. Barthol. Sibylla decadis 1. cap. 4. qu. 1. & 2.* Vt commentatores, locorum communium ſcriptores, Caſuiſtas, Exorciſticos nunc præteream. Præter Theologos omnium ordinum ſapientes huic veritati adſtipulātur. Ex *philologis & Hiſtoricis Zwingerus in Theatro exemplorū, Baptiſta Fulgoſus de dictis & factis memorabilib. l. 1. c. 8. Magius Miſcel. lib. 3. cap. 12. Polydor. Virgil. de Inventoribus l. 6. c. 20. Rhodiginus* l. 9. c. 9. *Gutherius l. 2. c. 16. Phil. Camerar. cent. 2. c. 14. 15. 16. Voſſius l. 1. de Idol. cap. 6. Ioh. Rivius tract. pecul. de ſpectris. Kornmannus in tract. de miraculis mort.* Ex *Philoſophis & Medicis, Tobias Tandlerus* Medicus Witebergenſis *tract. pecul. de Spectris. Mirandula in Strige, cum præf. VVeinrichii. Cardanus de rerum varietate l. 16. c. 93.* prolixe. *& lib. 19. de ſubtil. Marſilius Ficinus* cit. à *Delrio.* Ex *Iuriſconſ. & Politicis, Alexander ab Alexandro Genial. dier. l. 1. c. 10. & 2. c. 8. & 3. 14. Leloyer. Pontif.*, & *Ioh Munſterus à Vortlage* noſter *tract.* peculiaribus *de ſpectris*: quibus addatur *Godelmannus de Magia.* Adde etiam omnes qui commentantur *ad L. 31. ff. de V. S.* Et *Petr. Gregor. Tholoſan. de Republ. lib. 12. c. 20. & ſyntagm. Iuris lib. 34. c. 16. Althuſ. Dicaiolog. lib. 1. c. 101.* *Ex Gentilibus, Plato in Phædone*, & *epiſt. ad Dionyſium*; quem ſequuntur, *Olympiodorus, Porphyrius, Athenæus*, Iamblichus, *Pſellus, Macrobius lib. 1. in ſomnium Scipionis c. 1. Apulejus in Apolog.* aliiq; Platonici. *Plinius. l. 21. c. 2. 2. 4. & l. 7. c. 52.* imprimis nepos ejus *7. epiſt. 27. Valerius Maximus, Iulius Obſequens*

de Prodigiis, *Persius satyr.* 5. ubi spectra vocat *nigros lemures*. Porro *Homerum*, *Ovidium in Fastis*, ubi de Lemuralibus, *Plautum in* Mostellaria, *Virgilium*, similesque quamplurimos, cum antiquis scholiastis & recentioribus commentatoribus ut hic producam, non fert ratio thesium nec instituti nostri. Videat cui vacat, *Martinum Delrio in Senecæ Octaviam v.* 117. & *Oedipum v.* 172. 174. & *Herculem furentem v.* 123. & *Medeam v.* 355. 831. 960. 732. & *Servium* cum *Ludovic. à Cerda* & *Taubmanno in Virgilii Æneid.* 2. ad illa verba.

Infelix simulacrum, atque ipsius umbra Creusæ.

& *commentat. ad Lucani lib.* 1. Conferantur *Suetonius in Iulio Cæsare*, *Plutarchus in vitis Cimonis*, *Dionis*, *Bruti*, *Thesei*; *Dion Cassius lib.* 55. in initio; *Iulius Capitolinus de Pertinace*, *Flavius Vopiscus de Tacito*, *Ammian. Marcellinus l.* 21. *de morte Constantii* & *lib.* 125. *de Iuliano*; *Pausanias in Atticis*, *in Eliacis*, *in Bœoticis*; Breviter quidquid ex Gentilium Theol. & scriptis congesserunt, *de Diis Gyraldus in Syntagmate* & *Vincentius Cartarus* ex Italico in Gallicum traductus ab Ant. Verdiero, *de Sacrificiis Stuckius*, *de religione VVilh. Choul* gallicè, *de Mythologia Natalis Comes*, *de Idololatria Gerh. Ioh. Vossius*, id suo modo apparitiones ejusmodi Deorum hoc est spectrorum comprobat: Siquidem quidquid sacrificant Gentes, dæmoniis sacrificarunt 1 *Corinth.* 10. 20. Dæmoniis scil. quorum aliqui ipsis apparuerunt, unde primum idoli forma desumpta & fabricata. Vide quomodo Gentilium sapientum suffragiis propriaque experientia contra Gentiles nonnullos hoc negantes probet *Gerh. Ioh. Vossius lib.* 1. *de Idololatria cap.* 6. *Ex Iudæis*, spectra agnoscunt *R. Sel. Iarchi in Ps.* 91. aliique Rabbini quorum meminit *Munsterus in scholiis ad Matth. Hebr. cap.* 14. Hodierni Iudæi communiter credunt esse spectra; sed suo more ridicula hæc addunt, excitari ea per medullæ ex ossibus excussionem; efficaciam eorum tolli per gallorum alas complosas ut nemini amplius nocere possint; ea insidere manibus nondum lotis (*Buxdorf. Synagog. Iudaic. c.* 7. *p.* 209. & *c.* 4. *p.* 117. 232. Nequid dicam de infestationibus dæmonii Samael, aliorumq; *schedim*, tam in vita quam post mortem Iudæorum: de qua vide *Buxdorf. c.* 7. *p.* 219. *Mahumedistas* hanc veritatem admittere, probari potest ex ipsorum *Alcorano*, ubi in *Suratta Iosephi in initio*, Satan dicitur hostis manifestus humani generis. Ex qua manifesta hostilitate, externæ & sensibiles infestationes colliguntur, *Surat.* 29. Lectionem *Alcorani* amuletum facit contra dæmonas, Confer *Iul. Cæs. Scaliger. Exerc.* 355. *p.* 1090. ubi notat fidem & experientiam Maurorum hac in parte.

Altera controversia est, *Quid sint spectra*. Ad ejus determinationem faciet collatio loci seu quæstionis de Probationibus Spirituum: de qua suo

loco

loco in *disp. de Signis.* Nunc breviter istis conclusionibus sententiam nostram exponimus I. Non esse mera hominum figmenta. II. Nec impostorum aut ingeniosorum hominum prestigias: Quamvis sæpe tales spectris supponantur. Vide exempla istarum deceptionum apud *Erasmum* supra *notatum* Ex antiquitate nonnulla notat *Vossius lib. 1. de Idololatria c.* 8. Celebre est factum monachorum Aurelianensium apud *Sleidanum*, & Dominicanorum Bernensium apud *Lavaterum de Spectris*, & *Delrio in disquisitionibus.* III. Nec phases naturales, quales multæ meteorologicæ, item pisces, lapides, ligna nocte lucentia, & soni quidam naturales in corporibus humanis, in montibus, speluncis, sylvis, quales illi montis Ætnæ, quos damnatarum animarum ejulatus facit *Anton. Rusca libr. de Inferno & statu dæmonum.* IV. Nec εἴδωλα per artem Magię naturalis exhibita De quibus supra. V. Nec fallacias læsæ phantasiæ, aut illusiones sensuum. VI. Nec animas improborum propter scelera in diabolos transformatas, quæ sepulcra & corpora viventium oberrent, sive loco pœnæ à Deo inflictæ, sive ex odio in homines nonnullos, sive etiam ex amore erga alios, aut erga propria corpora, ut volebant Platonici: de quo *Olympiodorus in Phædonem Platonis.* Adde *Apulejum* supra *thesi* I. *cit.* Et *Plinium epistolis* 27. *lib.* 7. Confer autores notatos in *disp. de Energumenis.* Opinionem hanc refutat *Chrysostomus homil.* 29. *in Mattheum.* Ex recentioribus *Pareus in Exercitationibus Oratoriis pag.* 188. Conferendus *Raynoldus in prælect. ad libr. apocryphos*, aliique Antagonistæ Pontificiorum. V. Nec animas heroum eadem fere munera obeuntes, quæ in corpore solent. Animas Achillis & Patrocli, in insula Achillis (quę in de dicta *heroũ* insula) observatas fuisse, & navigãtibus in somno & vigilia apparuisse, atque ad hanc insulam prącedentibus succurrisse opinati sunt Gentiles, teste *Dionysio periegete*, & *Arriano in periplo ponti Euxini* fere sub finem. De Dioscuris in mali aut antennæ fastigio navigantibus apparere solitis, qui propterea dicti & culti tanquam ἀνθρώπων σωτῆρες (apud *Theocritum Idyll.* 27.) simili fuit opinio Vide de iis *Natalem Comitẽ.* Sed de heroum animabus in universum plene & planè ex sententia Platonicorum *Max. Tyrius differt.* 27. qui cum aliis legendus. Verba enim nimis multa, quam ut hic exhibeantur. Cui penitius noviss lubet discrimen heroum, ad Diis & dęmonibus is conferat *notas Heinsii ad locum cit. Tyrii* & *Salmasii præfat. ad Cebetis tabulam.* VIII. Nec animas quorumcunque defunctorum, quamdiu corpora insepulta manerent. Antea enim non putabant eas quiescere, sed plorantes circa sepulcrum obberrare. Vide quæ de plorante anima notat *Gevartius lib.* 3. *Electorum p.* 134. & *Gutherius l.* 2. *de Iure Manium cap.* 10. Hinc apud Gentiles, justam plenam sepultu-

ram defunctis parabant, aut si id fieri non posset, injectione pulveris & cenotaphiis vagantibus animabus succurrebant. De quibus vide quamplurima ex antiquitate notata à *Spondano l. de cœmeteriis part.* 1. *cap.* 11. Et *Gutherio l.* 2. *c.* 16. 17. aliosque scriptores de Funeribus. IX. Nec animas oberrantes eorum, qui volenta & iniqua morte perierant, quamdiu vindicta sumpta non esset, & cadavera sepulta, etiamsi justa ætas, quam naturaliter & sibi relicti vixissent, completa esset. De quo Servius Æneid. 4. *Dicebant physici biothanatorum animas non recipi in originem suam, nisi vagantes legitimi tempus fati cõpleviſſent*: Et Tertullianus c. 56. de Anima: *donec reliquatio compleretur ætatis, quâ cum pervixissent, si non intempestivè obiissent.* Ibidem paulo post ait absolutissimam illam fuisse sepulturam cum animæ *justâ ætate sopitæ, probâ morte disjunctæ, prompta humatione dispunctæ* fuissent. Videat, cui vacat, quæ ad *Tertullianum* notant *Nicol. Rigaltius, & Ioh. Lud. de la Cerda*, & hic idem in *Virgilii* 4. *Æneid.* Et quæ collegit *Henr. Spondanus lib.* 1 *de cœmeteriis part.* 1. *cap.* 11. Et *Gutherius de Iure manium l. cit. c.* 18. Quo referendum figmentum illud de sanguine ex corpore occisi ad præsentiam homicidæ ab anima occisi. De quo in *disp. de Sortis &c. abusibus.* X. Nec spiritus ex Adamo genitos centum & triginta illis annis cum abstinuit ab Eva, ut fabulantur Iudæi. Vide verba *R. Abraham Hispani à Munstero* descripta ad *Matth.* 14. XI. Nec *Lilith*, quam fingunt Iudæi primam fuisse Adami uxorem, quę sit mater dęmonum, quęque infestet imprimis puerperas & infantes recens natos juxta *Ben Sira* apud *Buxdorf. Synagog. cap.* 2. *p.* 7. 67. 77. XII. Nec animas impiorum in infernum quidē post mortem detrusas, sed quę tamen justo Dei judicio in has terras nonnunquam remittantur: Quæ est opinio *VVeinrichii in præfat.* aliquoties laudata. Quamvis autem nihil impii in se contineat, tamen cum nullo rationis momento fulciatur, tam facile rejici debet ac adfertur. Eandem opinionem amplectuntur Pontificii; uti colligimus ex variis historiis quarum duas tanquam veras refert *Delrio l.* 6. *c.* 2. *sect.* 3. *qu.* 3. *p.* 990, XIII. Nec apparitiones angelorum, aut divinas extraordinarias. De vulgaribus enim spectris, etiam mortis aut tristis alicujus casus prænuntiis hoc nullo solido argumento affirmari potest. Et si extraordinarium aliquando se offerat, (ut de sonis nonnullis ante mortem per angelos excitatis conjicere velit *Thyræus l.* 3. *c.* 9.) quod quidem externis indiciis non prodat quid δαιμονιώδες: dicendum est *primo*, illud regulam nullam facere. *Secundo*, neminem posse in hanc partem certo statuere, nisi Deus extraordinario illi revelet. Tantisper ergo sequenda est regula nec admittenda exceptio. Saltem, si contrarium quis sentire nequeat, in medio

dio res relinquenda. Nec esse feras, aut alias quascunque bestias, uti de lamiis opinari videtur *Dio in histor. Lib.* 2. verba descripta habes apud *Lud. Ballester in Onomatographia in voce Dæmon* (ipse enim autor mihi nunc ad manum non est); ubi addit, lamias etiam videri agnosci ab *Esaia cap.* 34 & *Ierem. in threnis cap.* 4. Sed nullum est argumentum, quod ex vulgatæ translationis opinione ducitur. Aliter transferunt hebraismi periti. De feris puto opinionem natam ex confusione seu abusu vocabulorum. Sicut enim metaphorice diabolus vocatur serpens, vere tamen non est, sic etiam spectra quædam Magis antiquis dicta sunt θῆρες χθονὸς id est *feræ terræ* & κύνες χθόνοι id est *canes terrestres* apud *Psellum*, quod scil: tali formâ appareant. Hinc patet quid judicandum sit de κηρώναις seu avibus illis quæ in insula Achillis templi ędituæ & custodes, de quibus *Arrianus in periplo Ponti Euxini.* XIV. Nec esse animas mortuorum per incantamenta ad corpus suum revocatas, uti opinabantur Ethnici. Vide *Lucanum lib.* 6. ubi de Erichto maga jussu Pompeii evocante animam militis, ut ex eo eventum belli cognosceret. Et *Plinium lib.* 28. *cap.* 2. *Homerum Odyss.* λ. *Horatium* 1. *satyr.* 8. *Papinium in Argonautic. Dionem in Caracalla. Max. Tyrium dissert.* 22. Hanc necyomantiam tangunt *Origenes c. Celsum lib.* 1. *Tertullianus in apolog. c.* 23. & *de Anima cap.* 7. *Iustinus apolog.* 2. *Augustin. lib.* 7. *de civit. Dei cap.* 35. Et vocabant spiritus illos evocatos teste *Tertull. De animâ c.* 28. catabolicos, paredros, Pythonicos. Conveniebat cum hâc magica superstitione Gentilium praxis Pythonissæ 1. *Samuel.* 28. Ad quem locum consule eruditum *commentar. P. Martyris*, seu ejusdem *class.* 1. *locor. commun. cap.* 4. ubi varia ex autoribus collegit. Confer *disp. de Magia.* XVI. Nec esse animas separatas justorum, ut in gratiam purgatorii, indulgentiarum, missarum aliorumque suffragiorum pro mortuis & totius culinæ Romanæ disputant *Delrio* & *Thyræus loc cit.* post *Bellarminum*, *Stapletonum*, *Perronum* reliquosque Desperatæ causæ patronos. Argumenta hęc illis opponimus. *Primum*, quia nusquam scriptura inculcat talem animarum reditum, oberrationem, ad instructionem viventium (ut volunt Pontificii) sed potius cõtrarium *Luc.* 16. 28. 31. cum *Ies.* 8. 19. 20. & *Eccles.* 7. 10. *Secundum*, quia oberratio illa tam misera tam luctuosa potius convenit statui viventium & viatorum, quam perfectionis, quietis, & beatitatis eorum, qui jam non amplius peregrinantur à domino, nec cognoscunt amplius ex parte 1 *Corinth.* 13. 9. 10. 2. *Cor.* 5. *v.* 7. *Apocal.* 14. 13. Confer *Disput. de Purgatorio.* *Tertium*, Quia minime convenit animabus justorum, ut homines non tantum impios, sed etiam pios & olim in hac vita maxime charos tam crudeliter infestent, & terreant. Nihil hic excipi potest, quam Dei voluntate tum ad sui tum ad aliorum pœnam aut probationem huc remitti & ad opus illud depu-

deputari. Regerimus de tali voluntate Dei nihil constare : Est itaque mera principii peritio. Atqui instant & disputant *Delrio*, aliique *modo cit.* cum iis *Mendoza in quæstionib. p.* 413. & 423. Samuelis animam fuisse reductam. *Resp.* Obscurum per multo magis obscurum probari. Nos cum *autore quæstion. & respons.* sub nomine *Iustini qu.* 52. (Cum quo tamen ipse *Iustinus in dialog. cum Thryphone* pugnare videtur, quamvis *Langius in commentar.* eum conciliare studeat, sed frustra meo judicio) *Tertulliano de anima c.* 57. *Augustlib.* 2. *ad Simplicianum qu.* 3. cum *Iure Canonico* 26. *qu.* 5. *c. nec mirum*, aliisque patribus à nostris in controvers. de de Purgatorio & *Raynoldo in censura tom.* 2. adductis, & cū Pontificiis nonnullis statuimus diabolum effinxisse animam Samuelis 1. quia Deus noluit respondere Sauli 1 *Sam.* 28. 6. quomodo jam responderet per mortuos & necromantiam. 2. quia diabolus & ars Magica non habet potestatem in animas justorum, nedum tanti prophetæ. 3. Aut nolens & compulsus Samuel rediit aut volens. Prius absurdum, quia alio quin subjectus fuisset Magiæ & diabolo. Posterius non minus absurdum, quia sequeretur tanti viri animam hoc facto suo stabiliviſse necromantiam. 4. Verus Samuel non adegisset Saulem ad desperationem, sed potius hortatus fuisset ad resipiscentiam. 5. Quia contraria adversariorum sententia non leviter stabilitur Goëtia & necromantia cujus principium hoc est : *Posse defunctorum spiritus reduci.* *Quartum* arg. ad hominem est. Si *Raph. de la Torre cit* in *Disp. de Energumenis* solide probat non esse animas hominum, sed diabolos à quibus homines obsidentur : adhæc si *Thyræus lib.* 1. *c.* 9. cum *Delrio lib.* 2. *qu.* 28. *sect.* 2. *p.* 302. & *qu.* 27. *sect.* 2. *p.* 295. & *Gulielmo Parisiensi ibidem cit.* recte demonstrant apparitiones Deorum apud Gentiles, & armatorum spectrorum nominatim *Hellequinorū* seu de *familia Hellequini*, non esse bonos spiritus, sed illusiones & spectra diaboli: Vtiq; concluſum est pari certitudine de prætensis justorum animabus, esse mera Satanæ ludibria. Quod etiam ex Pontificiis nonnulli agnoverunt, inter quos *Hieronymus Magius Miscellaneor. lib.* 4. *c.* 12. Et *Leloyerus de Spectris lib.* 4. Sed ne forte excipiant autores citatos non fuisse professione seu formatos Theologos, addo illis *Cardin. Turrecrematam*, & Barthol. Sibyllam Ord. prædicator. theologum clarissimum (Sic habet titulus libri) in speculo peregrinar. quæstion. decad. 1. cap. 4. quæst. 1. p. 247. Vbi sic loquitur : *Angeli mali propter deceptiones incantatorum, corporibus etiam assumtis exeunt receptacula sua, & apparent vivis, sicut Sauli petenti pythonyssam, ut divinaret, & Samuelem suscitaret, non apparuit Samuel quia à quiete sua non est excitatus, sed aliquod phantasma, & illusio imaginaria diaboli machinationibus facta, quam scriptura Samuelem appellavit. Sicut imagines nominibus rerum suarum aliquando appellantur, primi*

Regum

Regum vigesimo octavo. Hæc dominus Iohannes de Turre Cremata Cardinalis in cap. tempus. 13. qu. 2. *Quintum*, Quidquid disputent, manet tamen dogmata plurima Papatus, & quotidianam nundinationē ac dispensationem suffragiorum quæ ex indicio & revelationibus spectrorum pendent & applicantur, esse incerta; quia propria confessione *Thyræi*, *Malderi*, *Delrio* (quos citavimus *Desper. Caus. Papat. lib. 2. sect. 2. c. 10.*) omnis probatio spirituum apparentium incerta est, sintne scil. animæ damnatæ, an vero justorum, an angeli, an spectra diabolica. *Sextum*, ex testimoniis patrum à *Raynoldo*, *loc. cit.* & Antagonistis Pontificiorum de purgatorio adductis. Quæ hic nolo reponere, sed ad ipsos autores lectorem meum ablego. Vnicum tantum hic exhibeo, quia forte alicubi non semper citatum occurrit, & Athanasius gr. non omnibus ita ad manum est. Athanas. de virginit Οὐκ ἔστι γὰρ παρὰ τοῖς δικαίοις θάνατος, ἀλλὰ μετάθεσις, μετατίθενται γὰρ ἐκ τῶν κόσμου τούτου, εἰς τὸν αἰώνιον ἀν' ἄπαυσιν· καὶ ὥσπερ τις ὑπὸ φυλακῆς ἐξέλθοι, οὕτως οἱ ἅγιοι ἐξέρχονται ὑπὸ τοῦ μοχθηροῦ βίου τούτου εἰς τὰ ἡτοιμασμένα αὐτοῖς. *Non est mors quæ justis evenit, sed translatio: translati enim sunt ex hoc mundo in requiē æternā; & quasi quis ex carcere egrederetur, sic sancti exeunt ex hâc molesta seu laboriosâ vitâ ad bona ipsis præparata.* Hactenus rationes nostræ. Argumenta adversariorū à Delrio studiosè instructa responsionem non merentur. Sunt autem ista 1. à communi opinione Gentilium. *pag.* 226. 236. *Resp.* Hæc scil. demonstratio fidei Papisticæ, ex tali principio. Dignum patellâ operculum II. Ex ratione. Quia Deus potest, quidquid non implicat contradictionem. Sed apparitio animarum nō implicat, nec repugnat naturæ animæ &c. ergo. *p.* 227. *Resp.* Est ignoratio elenchi: non enim quęritur de potentia Dei absoluta, sed de voluntate & de facto. III. Quia decet & utile est Deum hoc aliquādo permittere, quia facit ad Dei gloriam & multorum utilitatem *p.* 232. *R.* Gratis hoc dicitur sine ulla probatione ex verbo Dei. De cultu instituto deque ejus ordinatis mediis & principiis, non nisi ex Dei voluntate judicādū est. IV. Ex authoritate humana *p.* 236. *R.* Non facit fidem divinam, cui non possit subesse falsum. Atqui talis virtus theologica hic requiritur. V. Ex scriptis quorundam astrologorum *Ptolomæi*, *Firmici*, *Albumazar* aliorumq; Arabum, qui quāvis censerent animarum apparitiones ab astrorum conjunctione & influxu dependere, eas tamen non negarūt, ut in eo hæretici hodierni judicētur ipsis deteriores. VI. Ex opinionibus Chaldæorum, Mahumetanorum, Cabbalistarū & Rabbinorū &c. *pag.* 237. VII. Ex legibus, tribunalibus, ICC. *Budæo*, *Alciato*, *Porcio*, *Ferrono*, *Covarruvia*, *Brissonio* &c. qui manes agnoscunt. *Resp.* ad arg. 5. & 6. 7. idem quod ad 1. &. 4. VIII. Ex perpetuo Ecclesię sensu, in V. T. 1 *Sam.* 28. in N. T. *Matth.* 17. 2. 3. *Luc.* 24. 37. *Actor.* 12. 25. & sic per omnia sæcula, ex quibus omnis generis scri-

ptorum farraginem adducit à *p.*240.*usque* 266. *Resp.* quod ad argumentum 4. Confer *disput. nostram de patribus* : Quamvis in specie multa adversus allegationes illas excipi possent. Sed haut opus. Ad locum *Matth.* 17. dicimus extraordinarium miraculum propter Christum tunc exhibitum non facere regulam, non magis quam apertos cœlos *Matth.* 3. vocem è cœlo missam *Ioh.* 12. Ad *Luc.*24. *R.* tantum probari spectra.

12 *Probl.* 1. An hominibus in fide radicatis spectra nulla appareant. *Neg.* Si enim diabolus eos vexare & colaphizare possit (*Iob.* 1. & 2 *Corinth.* 12.) quin ipsum Christum externa apparitione persequi *Matth.*4. & quoscunque fideles corporaliter possidere : eos ex obsessis (*Actor.* 16.) alloqui : in eorum præsentiâ homines rapere, tundere, vulnerare (*Actor.* 19.); Eosdem ex obsessis & per obsessos ridere, conspuere, collutulare, precibus eorum scurriliter & profane obstrepere atque obloqui, & eas quantum in se est impedire : denique tentationibus variis, præsertim blasphemiæ & horrendis injectionibus oppugnare : quidni spectrorum objectione? 11. *Probl.* An diabolus speciem fidelium ostentare, eorumque personam mentiri possit? *Aff.* & huic rei probandæ apud reformatos sufficit exemplum Samuelis. Et quod Satanas transformat se in angelum lucis 2 *Corinth.* 11. etiam ostentat ac mentitur externa apparitione apostolum Christi; nedum vulgarem quemque fidelem. Pontificiis insuper ad hominem ex propriis historiis objici possunt exempla apparitionum specie angelorum, sanctorum, immo ipsius Christi. 111. *Probl.* Quare apud antiquos Gentiles, & Gentes novi orbis (teste *Lud. Vive lib.* 1. *de Veritate fidei* & *Vossio l.* 1. *de Idololatria cap.* 16. & *Cardano l.* 16. *de rerum varietate cap.* 93. *p.* 126.) & apud populos Indiæ Orientalis ac Iaponiæ &c. (testibus *epistolis & relationibus Indicis*, *Mogoronicis*, *Iaponicis &c.* in Papatu editis), & apud Septentrionales, imprimis Islandos & Lappinos (teste *Olao Magno lib.* 2. *cap.* 3. & *Peucero loc. cit.*) ; & Papistas etiam clericos & monachos tam familiariter & potenter grassantur spectra, non vero ita in Anglia, Scotia, Belgio fœderato, &c. Et ubicumque obtinet reformatio : cum tamen potestas & præsentanea remedia adversus dæmonas in *disp. de Magia*, *de Exorcismo*, *de Energumenis*, *de Spectris* recensita apud illos præsto, apud nos non sint, ut quidem gloriantur. *Resp.* Nos luci Euangelii tanquam potentiæ Dei ad salutem illud tribuimus. Illique merito applicamus illud *Lucæ* 10. *v.* 17. 18. Vbi ad prædicationem Christi Satan tanquam fulgur de cœlo cecidisse dicitur. Huc confer, quæ de oraculorum defectu, de idolorum exstirpatione, de nefandorum sacrificiorum cessatione, deque aliis dæmonum ubiq; grassantium coercitionibus ad prædicationem euangelii per apostolos, veritatis Christianæ adversariis Gentilibus & Iudæis ab antiquis

quis *Tertulliano in apologet.* 1. *Iustino* &c.& à recentioribus opponuntur. Ad quæ omnia æq; excipiant Pontificii, ac adversus nostram in domino gloriationem excipere solent, dicendo, Hoc ideo fieri quia diabolus reformatos certo certius potestati suæ subjectos habet, Pontificios vero minime; ideo nobis dimissis aut præteritis Pontificios infestare. IV. *Probl.* An ex spectrorum apparitionibus & responsis quidquam certi concludi aut credi possit, de rerum nostrarum particularium statu, aut eventu felici, aut infelici; item de proximi nostri innocentia aut culpa in facto aliquo; speciatim de instante morte viventium. *R. Neg.* Est enim diabolus mendax. Fatemur quidem exemplis aliquibus doceri, & inde observatum, in obitu hominum spectra forma & specie morituri aut mortui apparuisse; aut strepitus, ac pulsus auditos (vide *Ioh. Munsterum à Vortlage*, & *Lavaterum*); aut specie parentum, amicorum, aliorumque jam mortuorum apparuisse mortem nuntiantia, aut minitantia: sed ex illa qualicunque observatione nihil certi concludi potest. Neque enim est Experientia perpetua & universalis, ut aliqua inductionis species inde exstrui possit: multo minus est revelatio divina. Naturalis autem rationis demonstratio διοτι hic locum non habet: quia diabolus est causa voluntaria, non naturalis. V. *Probl.* An ex iis dogmata fidei & regulę pietatis exstrui, aut confirmari possint. *Resp.* Minime: contra Pontificios, qui magnam partem suæ superstitionis & apostasiæ diaboli oraculis & responsis tum in energumenis tum in spectris hauserunt. De quo diximus in *Desper. causa Papatus lib.* 2. *sect.* 2. *cap.* 10. Vide modo & confer disp. eorum de transubstantiatione & missa, de purgatorio & suffragiis pro mortuis, de Mariolatria, de Rosariis, de cultu & canonizatione aliorum sanctorum, item cultu imaginum, reliquiarum, rerum consecratarum, de usu amuletorum sacrorum deque exorcismis, de monachis, & fraternitatibus &c. Quod ad diaboli responsa in energumenis, habemus reos haut obscurè confitentes. Confer *dispp.* nostras *de Magia*, *Energumenis*, *de Exorcismis*. Quod ad responsa in spectris & apparitionibus, satis probari potest illos per ordinariam revelationem nulla fide divina, nulla etiam ratione naturali certos esse An sint angeli, an diaboli, an animæ cœlestes, an animæ damnatæ, an animæ purgatorii. Idque patet ex *Martini Delrio dissertatione*, quam habet *l.* 2. *qu.* 12. Et ex miseris κριτηρίοις, quæ hactenus excogitarunt, ad discernendos spiritus malos à bonis Vide quæso *Thomam cum commentator.* suis *p.* 3. *qu.* 32. *artic.* 3. *& in Magistrum lib.* 4. *distinct.* 45. *artic.* 1. *qu.* 3. aliosque de quibus in *disp. de probationibus spirituum.* VI. *Probl.* An spectra seu dęmones possint apparere in formâ Christi, seu fingere se esse Christum? *Resp. Aff. Mendoza in quæstionib. p.* 393. *&* 440. Et *Delrio lib.* 2. *qu.* 28. *sect.* 3. ubi

variis exemplis & autoritatibus id nos probat. Nec rationem videmus cur omnia illa negemus, aut in dubiũ vocemus. Quodsi ipsi domino Christo apparere potuit, certe minus est si ψίλοις hominibus, præsertim immissionem efficaciæ erroris pro meritis, forma, & specie Christi, aut ficto & prætenso ejus nomine appareat. Sed velim Pontificii se expediant, quid futurum sit de variis apparitionibus Christi & adjunctis revelationibus & instructionibus, quas tanquam veras sanctis & sanctabus suis factas tradunt, iisque fidem seu superstitiones ecclesiæ Romanæ superstruunt. Vnde discernent tunc magis verum fuisse Christum, quam cum diabolus speciem Christi mentitus est? Dent certa discretionis signa, ex *Delrio*, *Thyræo*, *Maldero &c.* supra *citato*. Sed non dabunt. Ergo rursum convincuntur quod hauserint non pauca quæ ad præcepta & consilia ipsorum superstitiosa pertinent, ex talibus apparitionibus, de quibus nulla scientiæ aut fidei certitudine sciri possunt, sintne Dei an diaboli. VII. *probl.* An plures sint dæmones, an unus, cum plura numero spectra apparent specie plurium bestiarum, aut hominum, præsertim navium seu classium armatarum, copiarum militarum proficiscentium aut pugnantium, aut hominum convivantium, aut funera deducentium. Exemplum vide apud *Pausaniam in Atticis p.* 31. edit. gr. lat. in fol. & nota sunt istius generis compluria, ex libro anonymi cui tit. *mirabilium historiarum de spectris, apparitionibus &c.* edito Islebiæ in 4. 1597. per Henningum Grosium bibliopolam Lipsiensem. *R.* Possunt esse plures, sicuti in energumeno *Matth.* 8. erat legio, & in Maria Magdalena septem *Marc.* 16. 9. Potest etiam unus totam illam apparitionem per imaginum seu specierum objectarum præstigias exhibere. Vtrum autem de quaque apparitione de facto statuẽdum sit, nobis certum esse non potest, immo ne quidem probabile. VIII. *probl.* An omnes qui occiduntur à spectris sint damnati: seu, an pii & salvandi etiam à spectris occidi possint. Exempla occisorum vide in libro *mirabilium historiarum lib.* 1. *p.* 205. & apud *Lavaterum de spectris, Boistеum* ac *Simonem Goulartium in collectaneis historicis*, ubi inter alia referunt uno tempore 60. cives à spectro seu dæmone ibi grassante fuisse occisos & *Lutherum in colloquiis tom.* 1. *p.* 125. edit. Henr. Petri Rebenstock, ubi de opilione rapto & occiso à dæmone *R. Neg. pr. Aff. poster.* Rationes sunt. 1. *quia* probari non potest illos omnes peccasse in spir. s., aut desperasse, aut in finali impœnitentia mortuos. 2. *quia* probari non potest, Deum nunquam posse aut velle permittere, ut diaboli vexationibus electi & vere fideles ulterius expositi aut subjecti non sint, quam Iobus, cujus vitam tollere diabolus, Deo prohibente, non potuit. 3. *quia* exemplo opilionis apud *Lutherum loc. cit.* id videtur probari, qui à ministris ecclesiæ tantum instructus erat,

ut non

ut non dubitaret de animæ salute : quem nihilominus Satan juxta prædictionem ipsius octavo die post rapuit, & occidit. Vbi Lutherus mox subjicit hoc judicium : *Mihi videtur illos, qui sic pereunt, non pro damnatis habendos, Deus enim animas illorum servare potest, & certissimum est, quod ii, qui laqueo vel alio modo mortem sibi consciunt; quod mortui sunt, & diabolus acceperit laqueum, & illorum manibus & collo implicaverit, probans exemplis. Quidam cum sic tentaretur, ad desperationem usque equitans ruri, de equo pedibus humum tangens, loro se suspendit, Maschans nomine. Goldbergæ adolescens quidam studiosus Bischoffs VVerdensis, ita mortuus est, qui in suo solus cubiculo, de fuste satis fragili se suspendit, stans super terram.* Fateor quidem hæc & similia insolita, gravia, & terribilia judicia Dei, sæpius & ut plurimum evenire impiis, contemtoribus, hypocritis, humani generis Alastoribus : sed ideo cum amicis Iobi, & discipulis *Iohan. 9. v. 1.* concludendum non est nunquam hæc evenire posse fidelibus; quod non ordinario aut sæpe, sed raro aut si mavis rarissimè eveniant. Quis enim statuere ausit ex hoc tam tristi eventu de metalli fossoribus duodecim Annæbergæ in fodina dicta coronâ rosæ simul à spectro specie equi, aliisque alibi occisis, de quibus *Georgius Agricola in lib. de spiritibus subterraneis*, & citat, *Anonymus in hist. mirabilib. lib. 1. p. 250. IX. probl.* An cuilibet morienti dæmones semper appareant? *R. Aff. Barthol. Sybylla speculo peregrinar. qu. p. 573.* Sed nos putamus hoc temere dici. Aliud autem est disquirere, an ibi adsint dæmones hominem invisibiliter tentaturi, etiam fidelem; & aliud est an ibi appareant, sensibili aliquo spectro. Posse utrumque fieri, etiam fideli, & actu aliquando fieri, non Neg. & supra illustri exemplo probavimus. Sed semper fieri nondum vidimus probatum, quamvis à *Sibylla* & autoribus ibidem cit. asseratur. *x. probl.* An animæ infãtum ex limbo appareant? *R.* disputat de hac quæstione *Mendoza p. 439.* Sed nos dicimus esse disputationem de non ente : quia nullus est limbus. Populari errore olim creditum in Papatu, ignes errantes, seu fatuos (belgice stalkeersen) esse animas infantum non baptizatorum. Nec hactenus didicimus è sacerdotibus Pontificiis (qui ex meteorologia sua ignorare non debebant quid essent ignes fatui) huic errori admodum occursum fuisse.

Sequuntur nunc problemata quædam partim textualia, partim practica, partim historica. Textuale *1. probl.* An ex locis *Iesaiæ 13. v. 21. & 34. v. 14.* ubi occurrit vox שעיר, quæ alibi dæmonem illa forma apparentem significat, ut *Levitic. 17. 7. 2. Paralip. 11. 15.*, spectra solide probari possint? *R.* Quandoquidem vox illa ambigua est & plerisque in locis animal pilosum significat, & in specie hircum, ut *Genes. 37. Levitic. 4. & 17.* &c. videtur ex vi vocis, nec repugnantibus circumstantiis textus sed potius fa- 13

ventibus

ventibus, recte dici posse, animal aliquod potius notari, atque adeo demonstrationem solidam inde non posse exstrui, quamvis *Targum, Kimchi*, & nonnulli ex Christianis Doctoribus, & cum iis *Balduinus in casibus lib. & cap. cit. p.* 818. locum ita interpretentur. 11. *probl.* An ex *Psal.* 91. *v.* 5. 6. *R. Neg.* est enim Pseudo-graphema ex mala translatione & explicatione textus: de quo supra monuimus. 111. *probl.* An ex *Sapientiæ* 17. *v.* 4. *R. Aff.* Pontificii, apud *Abulensem* & *Pererium in Exod.* 7. *num.* 66. & *Lorinum in commentar. ad loc. cit.* Quibus tamen adversantur *Bonaventura, Holcot, Carthusianus* (ut ibidem fatetur *Lorinus*), qui tantum de phasmatis imaginationi objectis hæc accipiunt. Nos censemus ex libro apocrypho dogmata theologica minime demonstrari posse: præsertim cum nullam hujus historiæ mentionem faciat Moses, aut ullus scriptor canonicus. Problemata practica sint ista 1. *probl.* An interna melancolica deliria, hoc est mera terriculamenta seu spectra imaginaria, corruptæ phantasiæ & ratiocinationis nostræ idola & à meris principiis naturalibus producta, ab internis spectris, hoc est à speciebus dæmonum, mortuorū aliorumq; terribilium visorum seu phātasmatum phantasiæ seu imaginationi nostræ interne objectis semper promptè & de præsenti discerni possint: & rursum an utraque interna pariter discerni possint tum ab externis præstigiis, & meris ludibriis κατ' ἔμφασιν per magos aut dæmonas externe repræsentatis, tum à spectris κατ' ὑπόστασιν & propriissime dictis, quæ auribus, aut oculis, aut tactu, aut omnibus simul percipiuntur: denique an externa à se invicem discerni possint? *R.* 1. *Nos* non videmus, quibus certis κριτηρίοις ab iis, quibus ea apparent, & qui ipsi sensibus internis tantum aut etiam externis ea percipiunt, stante pede discerni possint. 2. Nec videmus, quomodo prompte illo eodem tempore quo apparent, ab aliis, qui adstant, nec ipsi ea tunc percipiunt, interna aut externa à se invicem distingui possint. Tutissimum ergo est, si judicium discretionis peremtorium tantisper differatur, donec ex consequentibus post factis, aut gestibus aut dictis amplius deprehendatur, an diabolus interne illudendo phantasiæ immo & intellectui (uti limitatè hoc concessimus in *disp. de dæmonibus*), aut externè sensibus externis per præstigias, aut infestando per realia spectra, se melancolicis aut phreneticis deliriis immiscat. 11. *probl.* An certo discerni possint, spectra personalia, quæ unum tantum hominem assiduo, aut sæpe, aut per recurrentia intervalla infestant, ab illis quæ domos, sepulcra, urbes, vicos, speluncas, montes, sylvas, metalli fodinas: Et quæ immediatè proprie & directe homines infestant, ab illis quæ bruta, arbores aliasque res. *R. Neg.* Neque enim quod semel atque iterum, hoc loco, hoc tempore, hoc modo, hac forma apparet, & in hoc aut illud subjectum

ctum sic operatur, regulam aliquam facit, aut certam differentiam ex πεκμηρίοις suis certo deprehendendam. Est enim diabolus agens liberum seu voluntarium, mille nocendi artifex, & in mille formas se vertens, nec possunt ejus cogitationes, & τὰ βαθέα à nobis penetrari. III. *probl.* An ergo intersit considerationis & conscientiæ Christianæ, ut data occasione & quantum fieri potest, ad hæc propius attendat, ut cum apostolo dicere possit se ἐκ ἀγνοεῖν τὰ νοήματα αὐτῆς, an vero susque deque omnia habenda. *R. Aff. pr. Neg. poster.* Eundum est quo possumus, ut hostium nostrorum vires, stratagemata, insidias, excursiones, oppugnationes exploratas habeamus: atque una ductum providentiæ divinæ in permissione & ordinatione malorum. Nisi cum Epicureis omnia, quæ naturam corpoream excedunt exsufflare, & cum Peripateticis, atque iis, qui fundamenta eorum secuti sunt (teste *Augustino Nipho lib.* 1. *de dæmonibus cap.* 4.) dicere velimus, *dæmonas esse teretismata & figmenta.* IV. *probl.* An aliqua cum certitudine & soliditate in causas spectrorum, & hæc aut illa objecta & loca infestationis eorum inquirere, & de illis determinare quidquam possimus, *R. Balduinus lib.* 3. *cap.* 7. *casu* 2. has colligit causas cur spectra tumultuentur & infesta sint. 1. Quia amant spectra loca superstitioni dedita. 2. loca solitaria & non habitata. 3. Quia liberi quidam sunt immorigeri, & in parentes injurii. 4. Quia homines quidam sunt tyranni & crudeles. 5. Quia in quibusdam locis multa patrantur scelera. 6. Quia quædam corpora inhumata relicta fuerunt. Sed hæc omnia sunt contingentia (quamvis nonnulla) ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ & tantum εἰκάζα, conjecturas, & probabilitates generare possunt: *tum* quia diabolus est agens liberum; *tum* quia simulator & impostor est, qui illud maxime fingit & præ se fert, quod minime aut non ita intendit; & vice versa. V. *probl.* An forma, actiones, dicta, effecta spectrorum, motiva & causas spectrorum accurate & cum cura ideo inquirere liceat, ut de rebus divinis aut de rebus humanis tum privatis tum publicis, ex eorum actionibus, effectis, dictis, monitis, prædictionibus tanto melius instrui possimus, & consequenter rebus & negotiis nostris tanto melius prospicere. *R. Neg.* Diabolus est mendax. Sive ergo verum dicat sive falsum, sive boni quid agat (materialiter intelligo, non formaliter; nam hoc modo semper male agit), sive quid mali: illud nobis in medio relinquendum, & nihil inde in hanc aut illam partem post deliberationem statuendum, ut quid faciamus, aut omittamus. Ἐχθρῶν ἀδώρων δῶρα. Tantum in genere infestationes & variæ ejus artes notandæ, & animus ad gratiam Christi, qui diabolum devicit, & ad Dei paternam providentiam elevandus. Et hoc quidem consilium, quod ad res humanas. De fide & rebus divinis supra diximus: & multo minus ad diabolicas apparitiones

ritiones: in iis quid ſtatuendum. Quandoquidem nunquam certi eſſe poſſumus in genere de apparitione ſpiritus, ſitne diabolica an divina. Et de apparitione ſpectrorum certum eſt, ea mendaciis ſuis (ipſis Pontificiis fatentibus) ſæpe hominibus perſuaſum velle, quod ſint Chriſtus, aut angeli boni, aut animæ juſtorum. Exempla requirenda indicamus ſupra *theſi* 12.; ubi etiam citamus ipſam confeſſionem Pontificiorum, de nulla certa ſpirituum diſcretione. Et optime illud norunt Exorciſtæ Papales. Vide ſcriptores artis Exorciſticæ. Hieronym. Magius l. 4. Miſcellan. cap. 12. p. 200. candidiſſime: *Impp. Theod. & Valent. in* libro legum novellarum Tit. 5. *dicunt, animas amare ſedem corporum relictorum, & neſcio qua ſorte rationis occultæ, ſepulchri honore lætari.* Lactantius Firmianus l. 2. Div. inſtit. cap. 2 *ſua quoque ætate vulgo creditum fuiſſe dicit, mortuorum animas circa tumulos, & corporum ſuorum reliquias errare. Verum non animæ defunctorum fuerunt, aut ſunt, ſpectra & phantaſmata, quæ circa ſepulchra aut cœmeteria ſe noctu conſpicienda præbebant, aut præbent, ſed Dæmones.* Iamblichus in l. De Ægyptiorum myſteriis, ſegmento. 3. c. 32. *ex Porphyrio refert ſubdolum quoddam genus Dæmonum ſimulare animas defunctorum, Deos, & Genios, quos ipſe Iamblichus Cacodæmones, non bonos Dæmones eſſe contendit.* Philoſtratus quoque lib. 3. De Vita Apollonii Tyanei commemorat, *Dæmonem quendam, qui in pueri corpus illapſus eſſet, aſſeruiſſe idolum ſe eſſe hominis in bello interfecti.* Chryſoſtomus Concione 2. de Lazaro, ad cap. 16. Lucæ, & Homil. 29. in cap. 8. Matthæi, *interfectorum animas Dæmones fieri, quoſdam ſua ætate exiſtimaſſe, ait, quod tamen ipſe verum eſſe negat. Dæmonem vero rem hanc perſuadere ſtuduiſſe, ut Martyrum, qui violenta morte deceſſerunt, gloriam confoderet, obrueretque, ac ut maleficos ad tenera multorum adoleſcentium corpora trucidanda impelleret, ea quidem ſpe ut in Dæmones illi evaderent, quibus tanquam famulis, & adminiſtris mox uterentur. Idē interfectorum animas vel etiam eorum, qui ſalute donantur, hic oberrare negat. Ego quoque Dæmoniacos non paucos vidi, in quibus immundi ſpiritus dum à ſacerdote adjurarentur, ſe interfectorum quorundā animas eſſe mentirentur, eorumque veras voces, & arcanas quaſdā res proferrent, ac ſibi juſta fieri orarent.* Plura habet *Sybilla dec. 3. c. 3. q. 6.* VI. *probl.* An non liceret ergo ex ſpectris adjuratis aut nō adjuratis quærere, quales & qui ſint, unde veniāt, quid velint &c. *R. Neg.* Cum diabolus ſit pater mendacii, cumque nihil veri aut boni ex illo & per illum diſcere velimus aut debeamus, & nobis nō ſit datum extraordinarium illud donum ſpiritus infallibiliter explorandi. Sed de hoc vide *diſp. de Exorciſmo, & de Magia.* VII. *probl.* An neceſſario omnia inſomnia aut viſa in ſomno ad ſpectra diabolica, aut illuſiones diabolicas, ſeu ſomnia diabolica ſint referenda, & nulla ad ſomnia θεοπεμπτα, & angelorum monita? *R.* Si ſint de rebus futuris, aut arcanis nobiſque plane ignotis,

gnotis, aut quæ ingenio, arte, & induſtria noſtra dicere & cognoſcere non potuimus, & ita eveniat ac prædictum eſt, nihilque mali (quod ſciat mus) admixtum aut adjunctum habeat, utique ſi quis nolit ea abjicere, tutiſſime, meo judicio in medio relinquere poteſt. Vide *Melanthonem*, *Peucerum*, *Manliũ*, alioſque Melãthonis diſcipulos, & Balduinũ qui ad angelos, angelicaq; præſidia hæc referre velint. Malim ego prius inveſtigari & ſtatui (ſi fieri poſſit) certa quædã πκμήεια. Quãdoquidem enim hæc raro contingentia, & moniti ſumus diabolũ ſe transformare in angelũ lucis, non video illum peccare in fidem & pietatem qui malit hic ἐπέχειν, quam certi quid ſtatuere. Si autem viſa illa nocturna nihil contineant, niſi quod ingenio, arte, & ordinaria induſtria ſua ſomnians aſſequi poſſit, utique ad naturalia & humana ſomnia referenda ſunt. Sed aliquid forte de ſomniis alibi dicendum. VIII. *probl.* Quid de terrore panico judicandum? *R.* Alibi de eo egimus in *diſp. de Signis.* IX. *probl.* Quid de confuſo terrore noctu aut in ſolitudine vigilantibus immiſſo, quem deſcribit *Iohannes Downamus*, inter Anglos diligentiſſimus Theologus pacticus *tom.* 1. *de Militia Chriſtiana lib.* 2. *c.* 1. qui quibuſdam hominibus occaſio eſt converſionis: cujus experientiã ipſe olim habui in viro quodã ad fidei, confeſsionis & religionis praxin ilico converſo? *R.* Conſtat ad ſpectra propriè dicta, hoc eſt, externa ſive κατ' ὑποστασιν, ſive κατ' ἐμφασιν, illum non referendum: nec ad illuſiones nocturnas in ſomno, ſeu ad inſomnia diabolica; quia aut vigilantibus obtingit, aut ab evigilantibus primum ſentitur. Deſpiciendum an non referẽdus ad motũ angelicum; aut ad θεῖον & extraordinarium; aut ad effectum melancolicum; aut ad præparatorios actualis reſepiſcentiæ & fidei motus, ſed à ſpiritu regenetante & ſpeciali Dei gratia profectos: quales fere *Actor.* 16. *v.* 29. 30. quãvis in eo differt, quod hunc præcederet præſentis miraculi conſpectus. Ego nihil certi adhuc ſtatuam, donec aliorũ judiciũ audivero. Downamus ad dæmonis tentationẽ refert x. *probl.* Idẽ quæri poſſet de viſis nocturnis, per quę quis monitus ad reſipiſcentia, & fidẽ ſe confert: cujus illuſtre exemplũ habet *Auguſtinus*, *de Cura pro mortuis c.* 12. *R. Auguſtinus ibid.* ad angelos refert. Et forte ſimile aliquo modo eſt apparitioni illi *Act.* 10. per quã Cornelius monitus de mediis ſalutis. Nos tãtiſper ἐπέχομεν: donec cogente argumento id evictum viderimus, nullo modo poſſe aut velle diabolum boni aut veri quid hominibus proponere, eoſq; ad illud nonnunquam hortari. In contrarium exempla adferri poſſẽt ex Gentilibus quod ad bona quędam, ad quæ Dii ipſorum h. e., dæmones exſtimulabant, & ex Pontificiis, à nobis cit. in *deſper Cauſa Papatus*: ſiquidem iis fides hac in parte habenda ſit. XI. *probl.* An jure quis deſerere poſſit domum infeſtam à ſe inſcio conductam; ſic ut liberetur à neceſſitate

solvendi pensionem. *Resp.* Supra *thesi* 5. quæsitum est an in foro conscientiæ liceat domum illam deserere. Hic autem quæritur, quid liceat in foro externo, & de pretio locationis. *Aff.* ex ICCis *Covarruvias lib. 4. variar. cap. 6. num. 7.* cum hac limitatione, dummodo locatori id insinuaverit, reddita clave. Idem *Aff. Charondas. 2. resp. 76. Diodor. Tuldenius ad C. l. 4. tit. 65. qu. 13.* Rationes adferuntur, *Quia* justo timore periculi migravit. Et, *Quia* ob pestem licet migrare. *Gaill. 2. observat. 23. n. 7.* Hæc opinio æquitati Christianæ mihi magis convenire videtur, quam *Renati Choppini*, qui *l. 2. sacr. politiæ c. 7.* absolute *Neg.* aitque ita placuisse Senatui Parisiensi. Quidquid sit de opinione ipsius, saltem rationes quas ibidem adfert, minime stringunt. *Prima*, Quia vanus est metus. *Resp.* Non est, ut ex hac *disp. nostra*, & experientia constat: & potest sane talis metus cadere in virum fortem. *Secunda*, Aut si quid tale contingat, sibi id imputare debent: est enim ex indignatione Dei sceleratos hic spectris agitantis. *Resp.* Minor laborat: convenit enim cum falsa hypothesi amicorum Iobi, & discipulorum *Iohann. 9.*, & repugnat directe *Ecclesiast. 9. v. 2. 3.* *Deinde* consequentia falsa: potest quis debite fugere, aut declinare famem, ferarum laniationes, pyraticam, latrocinia, bella, hostium insidias, calumniæ morsus, fraudes, &c. quamvis hæc aliaque omnia mala propter peccata hominibus immittantur. Applicentur huc analogice rationes, quæ pro fuga persecutionis à theologis adferri solent.

15 Problemata historico-theologica, ad scripturam, ad historiam antiquam & novam, hic addere statueram: sed quia operę typographicæ festinant, & tribus verbis omnia perstringi non possent; cogor mutare consilium, contentus unum proposuisse, alterum solum indicasse. 1. *probl.* Quid de consilio *Lutheri in colloquiis* sæpius *cit. tit. de spectris*, quo suadebat, ut puerum suppositititium (dęmonem scil. sub specie pueri) putatitiis parentibus & educatione admodum molestum, in aquam projicerent? *R.* In genere non improbandum, quod ad derelictionem aut abdicationem, aut fugam ejusmodi pueri. Quod in specie suadebat, ut in aquam projicerent, puto specialem illum derelictionis, aut abalienationis, seu separationis modum ipsius sententiâ non nisi adiaphorum & arbitrarium fuisse, & non tanquam amuletum, aut peculiaris efficaciæ antidotum contra infestationes & illusiones dæmonum. Quod ad me, censerem simpliciter sufficere, ut discedant à dæmone, aut eum sibi relinquant. Sed hoc addo nihil tale tentandum: nisi certis indiciis constet, esse dæmonem, & non hominem: ne qua ratione homicidium committatur. Fuisse autem nonnunquam ejusmodi suppositititios infantes (revera dæmones), quos Germani, & Belgæ **Wisschel-kinderen** vocant, docuisse experientiam, &

autores

autores nonnullos referre, diximus in *disp. de Creatione.* Et eventus infantis Halberstadensis (de quo ex Luthero *Honsdorfius in theatro p.* 142.) in aquam projecti, idem à posteriori demonstravit. Nec videtur ulla solida ratio hujus rei impossibilitatem evincere. Huc advocentur rationes pro dæmonibus, incubis & succubis. Sed exhibemus ipsam historiam descriptã ex Theatro Honsd. & Loniceri ad præc. 2. p. 142. *Fuit quoque monstrum tale Dessoviæ, quod Martinus Lutherus & vidit & contrectavit, cum jam duodecim esset annorum, omnibus lineamentis humanam prolem repræsentans. Unicus hujus labor erat cibo se differcire, & quidem tanto, quantum vel quatuor robusti triturateres non absumerent, cibos ingerendo & excernendo erat fœdum admodum & immundum. Si attrectaretur, turpiter plorabat, rursus siquid turbaretur in ædibus, risum & cachinnos tollebat. Qua de causa principem Anhaltinum tum temporis monebat Lutherus, ut diabolicum istum fœtum in præterfluentem amnem Moldaviam projiceret. Sed nec princeps Anhaltinus, nec Elector princeps Saxoniæ, qui tum Dessoviæ morabatur, Lutheri probabant consilium. Rursus ergo monuit Lutherus, ut in Christianorum Ecclesia assiduis precibus rogetur Deus, ut partum istum Satanicum auferre dignetur. Quod cum quotidie fieret, sequenti statim anno partus iste extinctus est.*

Anno millesimo quingentesimo, quadragesimo primo, hujus rei Lutherus Vvittenbergæ in cœna meminit, ubi cum ex eo quæreretur, curnam principi Anhaltino auctor fuisset, fœtum istum in aquas demergendi? Respondit se prorsus sibi persuasum habere fœtus hujuscemodi nihil aliud esse, quam massam carnis animæ expertem. Nam ex permissu Dei perfacile est Satanæ talem massam formare quemadmodum è contrario hominem ratione, imo corpore & anima præditum, eo modo perdit, dum corporaliter eum obsidet, ut omnibus orbatus sensibus, nec audiat, nec videat, nec tangat, mutusque sit surdus atque cæcus. In massis itaque istis carneis vices animæ sustinet ipse Satanas, cujus ingens est potentia, quippe qui & mentes nostras occupet, nedum corpora, Deo id ipsum ei permittente. Ne contemnamus Satanam, ut qui vel mille artium sit quam peritissimus. Ex relationibus Lutheri. 11. *probl.* Quid statuendum de spiritu illo Posonii in Vngaria à 24. Iulii an, 1641. usque ad 29. Iunii 1642. virgini cuidam ex purgatorio apparente &c. cujus admirabilis rei narratio autoritate & jussu Archiepiscopi Strigonienſis an. 1643. evulgata? *Resp.* De hoc, quia nunc festinamus, opportune seor. sim, aut *disp. de Probationibus spirituum* propediem, si Deus volet, disquiremus.

DE ENERGUMENIS.

Resp. IACOBO HOVIO Twiſcha-Batav. *Ad diem 14. & 21. Octobr. 1637.*

Aliqua mali hujus cognitio Philoſophis, Medicis, Iuriſconſultis utilis, Theologis neceſſaria. Philoſophi ſpeculationem ſuam de Spiritibus abſolvere nequeunt, niſi ad has aliaſque eorum operationes deſcendant. Medici inter morbos purè naturales, & inter veneficos, ut & παθη dæmoniaca non recte diſtinguent, nec curam ſuam ex arte inſtituent, ſi in hac cognitione plane ſint hoſpites: præeunt ipſis Lemnius de Occult. Natur. l. 2. c. 2. Valeſius de ſacr. phil. c. 15. 28. *ubi in hanc rem inquirunt: imprimis* Baptiſta Condrochus libro peculiari de Morbis Veneficis; *quibus adde*, Wierum de præſtigiis lib. 4. c. 16. 17. Cardanum lib. 14. de Varietate rerum c. 76. Fernelium de abditis rerum cauſis l. 2. c. 16. *Iuriſconſulti impoſtorum deceptiones & illuſiones, quæ multoties occurrunt, non deprehendent, nec ex juſtitia ſuum cuique tribuent, niſi de hac ſpeculatione quid deguſtarint: ne quid dicam de intelligentia* c. Exorciſtica diſt. 23. &c. omnidie de Conſecrat. diſt. 5. *ſiquidem illos tangit cura Iuris Canonici. Aurem etiã vellit eruditiorum aut ſaltem* φιλομαθῶν *ſedulitas* Cœli Rhodigini *qui* lib. 2. c. 13. & Alciati *qui* Parerg. lib. 8. c. 23. Hieron. Magii *qui* Miſcellaneor lib. 4. c. 12.; Ioh. Bodini, *qui* l. 3. dæmonomaniæ *c. 6. nonnulla de his annotarunt; &* Barthol. Faji *conſiliarii in Senatu Pariſienſi, qui peculiarem tractatum ſcripſit cui* tit. Energumenicus. *Theologis imprimis non proletaria cognitio hic affectanda; tum propter loca ſcripturæ* Matth. 4. & 8. &c. *aliaque infra cit. tum propter Conciliorum, patrum & Iuris Canonici lectionem & collationem, ubi frequenter iſtorum fit mentio: tum denique propter locos communes & cõtroverſias de Exorciſmis, miraculis, potentia dæmonum, Tentationibus diaboli, ejuſdem infeſtationibus & ſpectris, Magia & ſuperſtitione &c. Ex Pontificiis de hac materia tractant* Thyræus tract. peculiari; *cum quo conferri poſſunt*, Delrio lib. 3. diſquiſ. Raph. la Torre in tract. de poteſtate Eccleſiæ coercendi dæmones. Scriptores Exorſtici in diſp. de Exorciſmo *indicati. Quibus addendi, Scriptores de dæmonibus*, in diſp. de Dęmonibus *indicati. Ex noſtris non ita occurrint, quod ſciam, qui extra locos communes aut commentaria in ſcripturam, aut tract. de dæmonibus, aut de Exorciſmo ex profeſſo & abſolute hanc materiam explicarunt. Videndi ergo qui occaſione facti aut hiſtoriæ particularis, aut in controverſiis, aut practicis tale quid* ἐν παροδῷ, *aut etiam pluribus agunt. Quales* Ioh. Darrel. pecul. libello *Anglico, continen te* narrationẽ de ſeptẽ energumenis *in Lancaſtria*, & Wilhelmo Somers *Noitinganenſi ann.* 1600. Melanthon

lanthon in Consiliis infra cit. Lutherus in colloquiis Balduinus in Casibus l. 3. cap. 3. Nos ergo abs refacturi non sumus, si 1. in genere doctrinam de Energumenis & in specie de Lunaticis, ἐγγαστριμύθοις &c. ὡς ἐν τύπῳ proponamus. 11. Ad problemata & casus quosdam respondeamus.



Ἐνεργούμενος occurrit apud dictum *Dionys. Areopagitam de hierarch. Eccles. & significat à *dæmone vexatum*, seu *dæmonio correptum* ab ἐνεργεῖν *afficere*, *permovere*: unde diaboli hominem vexantes dicuntur ἐνεργοῦντες, *ibid.* apud Pseudo-*Areopagitam*; in scriptura πνεῦμα πονηρὸν & ἀκάθαρτον, à *Concil. Eliberino can. 29. spiritus erraticus. Et ἐνέργημα *vexatio dæmonum*. Eadem significatione apud *Aretham commentar. in *Apocal. 6. ἐνεργεμένη id est, *possessa à dæmone*. Apud latinos scriptores Ecclesiasticos, & Scholasticos permansit usus hujus vocis *Energumeni*, quamvis *Beza in notis ad Matth. 4. restringat ad illos possessos, qui jam in ordinem catechumenorum recepti erant. *Alciati etymologia* quam *lib. 8. parerg. c. 23. ex *Rhodigin. lib. 2. c. 13.* mutuatus est (ut opinor) quasi ἐνειργμένοι ἀπὸ τοῦ εἴργειν *detineri, claudi, unde & ergastula dicta*, aliena mihi videtur. Synonymum ejus est δαιμονιζόμενος & δαιμονιώδεις latine *dæmoniacus*, *Matth. 4. 24. & 8. 16. *Marc. 5. 18. & 8. 36.* δαιμονιζομένη quod occurrit *Matth. 15. 22. Et sic in dictis canonibus Apostolorum can. 79. & apud *Photium in Nomocanone tit. 1. c. 15. & 3. c. 13. & c. *Nicetæ* dicitur δαιμονιάζεσθαι in *Isacio Angelo lib. 1. Dicitur & *Arreptitius*, quia à Dæmone subito raptus est; quem Onomasticon latino-gr. ἀνάρπαστον Gloss. *Isidori* vriolum, *furiosum* exponit. Græcis Gentilibus etiam dicitur ita arreptus & agitatus δαιμονᾶν. Inter antiquos *Iustino Martyri apolog. 2. δαιμονιόληπτος. Et *concilio Ancyrano can. 17. χαμαιζομένους. Præterea *obsessus & possessus* gr. κατεχόμενος qui tenetur & possidetur à dæmone; cujus synonimum est δαιμόνιον ἔχειν *Matth. 8. 27. Syriace דיונא *daivono*, Arabs paraphrastes N. T. circumscribit: *In quo est diabolus*. Vt & Interpres Hebr. Matthei à *Munstero* editus. 1.

Ne autem laboremus ambiguo, ἐνέργημα, de quo apud sacros & Ecclesiasticos scriptores, primo distinguendum, deinde definiendum. Sumitur autem vel *in bonam partem* pro afflatu, motione, operatione, & efficacia ordinaria aut extraordinaria spiritus boni, quomodo *Philipp. 2. 13. *Coloss. 1. 29. 1. Thess. 2 13. Gal. 3. 5. *Matth. 14. 1. 1 Corinth. 12. 6. 13.* vel *in malam partem*, pro motione & operatione spiritus mali & sic est duplex vel *spirituale* vel *corporale*. *Illud est*, cum diabolus dicitur possidere & implere mentes & corda impiorum, in ea & ipsos venire, in iis ἐνεργεῖν *Act. 5. 3. *Luc. 22. 3. *Ioh.* 2.

13.2.2 *Thess.*2.9.*Eph.*2.v.2. *Corporale* est vel *mediatum* per puras res naturales applicando agentia passivis, aut per pacta & artificia Magica, vel *Immediatum*, quod à diabolo immediate infertur. Quod rursum est vel *ab extra*, & sic comprehendit omnes vexationes extrinsecus à diabolo homini illatas, vel ab intra, cujus generis ἐνέργημα est, de quo nobis nunc agendum. Definimus autem illud afflictionem seu *vexationem non naturalem homini illatam à diabolo immediatè & localiter intra corpus existente & operante, illudque ad tempus subigente.* Sunt ergo requisita hujus mali 1. Vt sit passio destructiva seu corruptiva (ut vocant) corpori & naturæ ejus adversa. 2. Vt sit in homine tanquam in proprio subjecto: haut aliter ac Eclipsis est passio lunæ. Nam de ingressu dæmonis in bruta, eorumque arreptione & agitatione (cujus exemplum *Matth.* 8.) hic proprie non agimus. 3. Vt sit à solo diabolo immediate operante. 4. Et quidem localiter intra corpus existente hoc est, ut non tantum sit in corpore, sed intra corpus, quod fit, cum operatur intra terminos quantitatis corporum. 5. Ibidemque tanquam in proprio suo quasi domicilio permanente, aut saltem illud exercente. Defectu primæ conditionis, motio quæcunque localis, qua corpus commode absque læsione aut dolore de loco in locum à diabolo transfertur, non facit dæmoniacum. Defectu secundæ conditionis, bruta aut vegetabilia aut etiam cadavera defunctorum per quæ & in quibus diabolus quid ἐνεργεῖ, non dicuntur energumena. Defectu tertiæ conditionis, non dicuntur energumeni qui maleficio aut venificio aliquo affecti sunt: est quidem hoc malum à diabolo, sed non à solo aut immediate. Defectu quartæ & quintæ conditionis, non sunt omnes illi energumeni, quorum corpora violenter rapit, ruit, pulsat, vulnerat diabolus, aut de loco in locum transfert. Sic ex.gr. Iob non erat dæmoniacus; multo minus Servator noster *Matth.*4.

3. *Esse autem tale malum dæmoniacum, & tales energumenos* probatur 1. ex scripturæ testimoniis *Matth.*4.24.& 8.16.28.& 9.32. & 12.22.& 15.22.*Actor.*8.7.& 19.12.13.*Luc.*4.32.11.11. Quia Christus, discipulis potestatem dedit dæmonas illos ἐνεργουντας ejiciendi & energumenos liberandi *Matth.*10.*Luc.*9.*Marc.*16. 111. Quia effectus nonnulli in energumenis ad dæmonem ibi existentem & agentem necessario reducendi sunt. Sunt autem illi, sermo linguæ antea plane ignotæ, revelatio rerum antea incognitarum, etiam absentium & occultarum, vectio & translatio magnorum ponderum & similes operationes: qui effectus cum naturæ aut humanæ industriæ atque arti adscribi non possint; relinquitur esse eos referendos ad causam altiorem & supra-naturalem ac supra humanam: atqui illa est aut Deus, aut angelus bonus, aut diabolus. Non priores duo,

duo, quia blasphemiæ in Deum & pietatem, mendacia in pios &c. ut plurimum illis admiscentur, quæ nullo modo sunt à Deo aut angelo. Ergo. IV. Experientia universalis tum antiqua tum recentior in omni genere, idem evincit. Adde consensum patrum, Conciliorum, & Theologorum nostrorum, Augustanæ confessionis & Pontificiorum, ut & Locor.commun. Casuistarum, & qui peculiares tractatus hac de re ediderunt. Inter alios, nunc indicamus, ex Pontificiis *Thyræum de Dæmoniacis*, & *Raph.la Torre de potestate Ecclesiæ*, *Delrio in Disquisit. Magicis*; Ex Augustanæ confessionis Theologis *Balduinum in Casibus l.3.c.3.* ex nostris *Casmannum in Angelographia*, *Martyrem loc.commun.part.4.c.9.* & si qui præter ipsum ex professo agunt dé Exorcismo, ut *Aretius problem.part.altera p. 637.* Adde *Fulgosum l.9.c.12.* adhęc *Magium*, *Rhodiginum*, *Alciatum*, *Valesium*, *Fernelium* aliosque modo cit., & varia concilia apud *Photium in Nomocanone tit.1.c.15.* & *tit.3.c.13.* & *c.* Et *Concilium Eliberinum can.* 29. & 35. Et historias atque autores infra *thesi 4.cit.* Agmen claudat in plerisq; παράδοξον *Theophr.Paracelsus in septē defensionibus*, *def.2.* Contra hanc veritatis lucem esse etiamnum hodie qui disputent, innuere videtur *R. de la Torre* quos credo esse Atheos, aut absurdos Philosophos, aut similes: à quibus haut procul absunt hodierni Libertini & Semi-Saducæi, qui fere omnes operationes diabolicas explodunt, quia sc.ipsi non capiunt aut experti non sunt. Confer *disp.de dæmonibus*, & *de Spectris.* Quid in Italia partim sentirent tempore Cardani, ipse innuere videtur, lib.14.de varietate rerum c.76.p.959.ubi post relatā historiam 70.puellarum in orphanothrophio Romano, sic loquitur: *Sed si quis obsirmato animo secum reputat talia omnia esse vana & dolis plena, facile subolebit fucus. At dæmone corripi seu insanire, quis vanum non esse dubitat? utinam esset. Si ergo hoc absque fuco contigit, futurorum temporum & Antistitum improbitatem declarat: nam sicut innoxia ætas in pessimum exemplum transiit, ita qui præesse debent religioni, in improbum sensum tradentur. Vnde non solum execrandi explodentur & irridebuntur, sed etiam damnabuntur.* Et sunt, qui naturalibus causis, & astrorum influentiis, aut hominum deceptionibus & delusionibus atque externis omnia illa attribuunt; etiam istis ratiunculis τὸ ἄτοπον καὶ ἀδύνατον hujus rei demonstratum eunt. *Primo* Quia diaboli non possunt intus adesse simulacris seu idolis Gētilium, ergo minus corporibus humanis. Antecedens probant ex *glossa ad Habac.2.v.20.* *Secundo*, cum anima rationalis sit tota in toto, & tota in qualibet parte; sequitur nullibi in corpore habitare dæmonas: *tum* quia in eodem loco non possunt esse cum anima, *tum* quia operationes eorum non possunt ibi consistere cum operationibus animæ, alioquin confunderentur. *Tertio*, quia ingredi corpora in illis esse, & inde ejici, nihil aliud

aliud notat in ſcriptura, quam ſic illic operari & accipere poteſtatem ſic operandi, & ab operatione ceſſare. Si enim ultra quid notetur, tum etiam angelis bonis dum nos cuſtodiunt, & diabolis, dum homines intus tentant aut exterius vexant, aut quocunque modo circa homines operantur, obſeſſio eſſet tribuenda. *Quarto*, quia dæmones non poſſunt illabi animabus hominum, nec intra eas eſſe (hoc enim eſt ſolius Dei) ergo nec poſſunt eſſe intra corpora aut in ea illabi. *Quinto*, animæ ſeparatæ defunctorum non poſſunt corpora viventium intrare & poſſidere ergo nec dæmones. Harum objectionum ſolutiones molitur *R. de la Torre loc. cit.*: nos eas, miſſis reſponſionibus ipſius, tribus verbis ſic retundimus: quia reſponſionem vix merentur. Ad 1. *R. Neg.* ridicula & ſtraminea conſequentia; cum ſtraminea probatione minoris. Ad 2. *Reſp.* primo *Neg.* conſequentia majoris. Cum enim nec dæmon nec anima, ſint corporea & quanta, nihil impedire, cur minus in eodem corpore localiter ſubſiſtant: quamvis diverſo modo, ille ut forma aſſiſtens, & externa, per modum adjuncti & accidentaliter; iſta ut actus ſeu forma informans, interna, & eſſentialis, per modum eſſentiæ incompletæ & eſſentialiter. Secundo Quod ad poſteriorem probationē, ab abſurdo conſequēti quia ſequeretur tum confundi operationes dæmonis & animæ; *R.* nihil tale metuendum. Facultas vegetativa, & ſenſitiva, & rationalis operantur localiter in uno cerebro: nec tamen operationes illæ confundūtur. Ad 3. *R.* Tam facile à nobis negatur, ac ab aliis aſſeritur. Addimus probationis ſubjectæ conſequentiam eſſe inconſequentem. Ad 4. *R.* Non valere conſequentiam, ab anima ad corpus. Tantundem eſt, ac ſi quis dicat dæmon non poteſt totaliter corrupere aut occidere animam hominis, ergo nec corpus. Ad 5. *R.* Poſſe negari minorem. Neque enim hoc implicaret contradictionem, ſi localiter corpus ingreſſa illud moveret, & intra illud ageret.

4. Quid autem & qualis ſit hæc obſeſſio liquidius fiet, ſi diſtincte conſideremus 1. ſubjectum. 2. Cauſas efficientes & finales. 3. Adjuncta & effecta. 4. Comparata. 5. Oppoſita. 6. Partes, gradus, & ſpecies. *Subjectum* totale ſeu adæquatum eſt homo, & quidem immediate in corpore, mediate & per ſympathiam in anima. Hominem cum dicimus, intelligimus cujuſcunque ſexus, ætatis, conditionis. Infantes, pueros, puellas ab hoc malo non eſſe immunes teſtis Hieronymus epiſt. ad Paulam de dormitione *Bleſillæ*: *Quæ cauſa*, inquit, *ut ſæpe bimuli, trimulive & ubera materna lactantes dæmonio corripiantur*? Memorabilem hiſtoriam habet Cardanus lib. 15. de Varietate rerum cap. 16. *Romæ in orphanotropheio omnes puellas (numero circiter 70) una nocte fuiſſe factas dæmoniacas, nec ullā per integrum biennium*

biennium curari potuisse. Et alteram *Bodinus lib.3.dæmonom.c.6.de* 30. pueris simul possessis Amsteldami anno 1556. Habet etiam insignem historiam unam atque alteram *Fernelius l.2.de abditis rerum causis cap.16.* Sed præter experientiam antiquorum & recentiorum, suffragatur historia sacra *Marc.9.21.*ubi quis παιδόθεν, id est, *ab infante* dicitur fuisse dæmoniacus. Qnod ad conditiones hominum, magni pariter & parvi, docti & indocti, justi & injusti, Iudei, Gentiles, Christiani huic malo obnoxii sunt. De Iudæis constat ex Evangelistis & *Actor.19.* & *Fl.Iosepho antiquit.l.7.c.25.*& ex patribus *disp.de Exorcismo* cit.qui initio nascentis Ecclesiæ à Christianis possessores illos frequenter ejectos gloriantur. Videatur *Ambrosii serm.90.& scripta apologetica Tertulliani, Iustini Martyris* in *disp. de dæmonib.& de Exorcism.cit.* Huc trahenda quæ de Pythonibus & arreptitiis apud profanos scriptores occurrunt. Apud Iaponios, aliasque nuper detectas Gentes frequens esse hoc malum testantur Historici, & ex iis *Zanchez comment.in Actor.19.13. De Christianis, & inter eos sanctissimis, non est quod dubitemus,* si modo textum *1.Petr.4.17.18.*& exempla Iobi, fœminæ istius *Luc.13.16.*& *Pauli 2. Corinth.12.7.* analogice huc applicemus. Subjectum partiale primarium sunt viscera principalia organa facultatum naturalium, & vitalium, & sensuum interiorum & exteriorum, cor sc. cerebrum, stomachus, pulmones, lingua cum palato, larynge aliisque instrumentis sermonis.

Causæ efficientes hujus mali, *prima & universalis* est Deus per efficacem & justam, providentiam, sine qua ut nullum malum homini obtingere potest, sic nec diabolica aliqua vexatio *Iob.1.Matth.8.31.32.* cum *10.v.* 30.31 Causa *particularis* & *propria* est diabolus qui δαιμόνιον & πνευμα ακάθαρτον & πονηρὸν in scriptura dicitur, cujuscunque ordinis aut conditionis ille sit: neque enim distinctionem aliquam nos docet scriptura. Statuimus ergo, posse vel unum vel plures obsidere hominem ex *Marc.4.6.*ubi legionis, hoc est, 6000.& *Luc.8.2.*ubi 7.fit mentio: & tunc plures illi possunt dici totum hominem possidere & ἐνεργεῖν omnia & singula mala tanquam causæ partiales unius & ejusdem motus, vel totales quæ stant pro una; vel possumus concipere singulos in propriis & distinctis corporis partibus residere ibique ἐνέργειαν suam exerere cruciando & torquendo, vel denique possunt dici omnes esse quidem in omnibus partibus hominis, sed quoslibet diversa operari mala aut diversis modis, ut hic scilicet viscera constringat, alius distendat ac discerpat, alius percutiat & contundat &c. Quocunque ex illis modis rem hanc concipiamus, non implicabitur contradictio. Doctores Pontificii hic difficultates multas non tam inveniunt, quam inferunt (Vide *R.la Torre disp.26.*) id-

que propter authoritatem *Thomæ p.1.qu.52.art.3.* ubi asserit, Plures angelos non posse esse in eodem loco. Quod porro inquirunt *Abulensis in Matth.12.qu.60.Thomas p.1.qu.109.art.1.& 2.* de ordine quem servant dæmones in procurandis hominum malis; & cujus ordinis sint dæmones obsidentes, & an soli gradus infimi hoc faciant, aliis superioris ordinis in infernum detrusis (*Thyræus de Dæmoniacis p.4.c.12. La Torre disp.27.*) id vanitate suâ non caret, & argumentis magnam partem ficulneis ab utrâque parte certatur, non pauca etiam revelatione & testimonio dæmonum subnixa sunt. Nobis sufficerit scire dæmones omnes in perniciem & vexationem hominum conspirare, & sedulo pro viribus eos persequi *Matth.12.25.26. Ephes.5.12. 1.Pet.5.8.* tentando, obsidendo, infestando. Quo ordine autem, quibus imperantibus hic aut alibi mala inferantur, scriptura non aperit; & per consequens nos illud doctè malumus ignorare, quam ex diabolo discere. Diabolum autem cum causam dicimus hujus energematis, intelligimus causam in actu, & quidem moventem ac operantē duplici causalitatis modo, quorum *unus* est motus alterationis, quo producit pravam complexionem & morbos ut ex.gr. lycanthropiam, epilepsiam, melancholiam, phrenesin &c. *Alter* est motus localis quo plurimum aut semper utitur in cruciatu ἐνεργεμένων, nimium scil. coarctando viscera, aut dilatando, aut humores ciendo & evocando ad cerebrum aliasve corporis partes, qui motus à nulla corporali dispositione pendet tanquam causa directa, aut tanquam antecedente necessario & causa sine qua non. Causæ impulsivæ hujus mali, externæ sunt 1. in genere peccatum hominum sive originale sive actuale, sive utrumque: absque peccato dæmon nullam haberet potestatem in homines. *In specie*, peccata & scelera ita assignari nō possunt, propter quæ Deus potissimum hoc malum immittat. Exempla & experientiæ, ex quibus regulas cōficiunt Pontificii *Thyræus part.2.c.29. Raph. la Torre disp.21.* sine judicio non nunquā ex scripturâ & hist. accumulantur. Concedimus aliquando, non vero semper, peculiaria obsessorum flagitia præcedere: ut maneat illud *Ioh.9.v.1.2.* Cum qua cautione recipimus dicta *Augustini* de culpa obsessorum *l.4.de civit. Dei c.32.& lib.10.c.22.* 11. *Hominum maledictio* atque imprecatio, quæ triplex esse potest, sanctorum, Magorum, Profanorum seu quacunque ratione hic peccantium. Sanctorum posse esse causam impulsivam analogice colligimus ex maledictione Eliæ & Elizæi 2.*Reg.1.& 2.* Petri *Actor.5.4.* Confer *disp. de Benedictionibus.* Quæ adferuntur de traditione Satanæ ex 1.*Corinth.5.& 1 Timoth.1.* aliam recipiunt interpretationem. *Magorum* scil. sive imperium sive postulatum hic intercedere nonnunquam, nolimus plane negare, suadet enim illud natura

artis

artis & maleficii magici, & exemplum Simonis Magi, siquidem vera de illo dicat *Anastasius Nicænus qu.* 23. Habet etiam exempla *Fernelius lib.* 2. *de abditis rerum causis cap.* 6. coll. cum ejusdem *lib.* 1. *c.* 11. Et *Bodinus lib.* 3. *dæmonom. cap.* 6. Refutare hoc conatur *Wierus lib.* 4. *cap.* 18. sed nulla solida ratione ductus. Videat contra, si cui vacat, & hoc tanti est, *Balduinum lib.* 2. *c.* 3. *casu* 2. Interim displicent nobis probationes *Thyræi c.* 6. ex dictis dæmonum deductæ. Quas *Balduinus loc. cit.* non videtur rejicere. Idem indicamus, de superioribus dæmonibus, qui inferiores immittunt; pro quo axiomate palmarium se reperisse putat ibid. *Thyræus. Hoc multorum* (sc. dæmonum) *confessione edocti sumus. Profanorum* autem hic exorbitantium diras atque imprecationes hoc malo punitas esse in ipsis, aut ipsorum liberis, docent exempla eorum qui à dæmone contusi, ablati, obtruncati, possessi, notantur in *Theatro Honsdorfii* & *Loniceri ad* 2. *præc.* Adde illis exemplum ex Bezæ concione 26. in passionem: *Scio quendam in Gallia fuisse patrem familias cognitione veritatis donatum & eandem amplexatum, qui quum per iracundiam unum ex filiis Diabolo devovisset, repente à Diabolo filium correptum, quo deinde licet ardentibus & assiduis Ecclesiæ ad Deũ precibus ejecto, tamen adolescentem illum vix sanitati redditum paulo post morte sublatum esse.* III. *Impellens interna est*, odium diaboli in genus humanum, affectatio imperii aut saltem umbræ imperii in hominem, affectatio honoris divini, quod quidem apud Gentiles & olim & etiamnum hodie obtinuit, qui ab illo vexati sacrificiis & divinis honoribus eum placare solent. *Quæstio hic movetur*; An lætitiam, & aliquod pœnarum levamen ex ingressu hominum percipiant & quomodo intelligendum sit illud *Math.* 8. 29. *Marc.* 5. 7. 10. 12. *Luc.* 8. 31. 22. *Resp.* cum distinctione: 1. ut ἐπιχαιρεκακία in genere dæmonibus recte tribuitur, sic etiam speciale hoc gaudium, quod tamen leve & evanidum est: quia a malo est, invidia sc. & odio, & in majus ipsorum malum cessurum. 2. Non tamen sublevatur pœna & cruciatus eorum, nam ubicunq sunt in inferno, in aere, in corporibus hominum aut pecudum, infernum suum semper circumferunt. Hinc videmus cur cupiverint dæmones manere in illâ regione, & non ablegari in infernum, quia fruuntur hic non quidem quidem majori bono in se aut majori pœnæ suæ levamine, sed vexatione hominum. In hanc fere sententiam it *Thomas* 1. *qu.* 64. *art.* 3. & *R. de la Torre disp.* 24. ubi etiam objectiones solvit. Difficultatem quam ipse & *Scholastici ibid. cit.* movent de igni infernali, quomodo ille in aëre, aut in corporibus hominis pœnâ sensus afficiat dæmonas æquè ac in inferno, ad nugas & inanias otiosorum hominum relegamus. IV. Impulsiva, seu occasio, quam nonnunquam observat diabolus, est melancholica aut quævis

mala complexio, quæ mediatis quibusdam vexationibus & maleficiis magis idonea videtur. Causæ instrumentales nullæ sunt ex necessitate agentis diaboli; nisi cum subinde diabolo ut agenti voluntario placuerit cruciatus, & documenta homini inferre per sensilia quædam, ut ignem, aquam, (*Marc* 9.22.) venenata aut noxia mineralia, plantas, animalia &c. Causas Finales respectu diaboli vexantis non est quod recenseam us, cum ex impulsivis modo descriptis colligi queant. Respectu Dei immittentis communes sunt, ut impœnitentes puniendo, pœnitentes castigando, aut probando, gloriam justitiæ, misericordiæ, potentiæ, & sapientiæ suæ exerat. Speciales magis, ut hinc spirituum istorum potentiam, indefessam invidiam, iram, vexandi libidinem & conatum cognoscamus, à peccatis & eorum consortio abhorreamus; ad Dei præsidium confugiamus; discamus quantas misericordiarum patri debeamus gratias, si nos & nostros à malo hoc hactenus immunes præstiterit; Postremo cogitemus optimam misericordiæ & beneficentiæ erga afflictos illos, & contentionis in precibus pro illis, occasionem hic nobis divinitus paratam. Consideretur exemplum illud *Marci* 9.17.18.22.23.24.

Problem. 1. An dici possit cum *R. la Torre disp.* 21. in hunc finem esse energumenos, ut patescerent veritates de spiritualibus substantiis, & animarum immortalitate, nec esse tam absurdas, ac quidem cum Saducæis Epicurei & Libertini Athei opinantur. R. Ego quidem piè sic censeri posse atbitror. Confer infra *part.* 2. *thesi* 5. *probl.* 8.

11. Veris hujus mali causis expositis, errores quidam capitales circa has detegendi. Sunt ergo qui hujus mali causam adscribunt. 1. naturali dispositioni corporis, quasi totum illud ἐνέργημα melancolia sit aut furor, aut inde promanans: ita sæpe maniaci, furiosi & dæmoniaci pro synonymis usurpantur, sed perperam *Aristoteles* omnia effecta energumenica ex naturalibus causis explicat *Problem. sect.* 11. *prob.* 27. Videtur enim nulla portenta, nullos dæmonas agnovisse. Confer quæ hic notata in *disp. de dæmonibus* & *de Spectris*. Nescio quid sibi voluerit dubitatio Cardani, cum loc. cit. ait. *causam ex habitu loci provenire potuisse, aut ex aqua; aqua enim pilos & humores mutat.* lib. 16. cap. 93. p. 3098. *homo per malas cogitationes & sordidas, quæ vel à malis proveniunt operibus aut atra bile, fit cacodæmonum sedes ac domus.* Simile quid habet opinio *Læv. Lemnii de occult. nat. mirac. lib.* 2. *c.* 2. ubi contendit, humores atroces & violentos melancolicis, maniacis, phreneticis peregrinas linguas extorquere. Disputationi suæ substernit hæc *Mentem hominis immbutam esse artibus ante illarum usum* &c. *& nostrum scire nihil aliud esse, quam reminisci.* Invenio nunc antiquitus medicos quosdam causam hujus mali adscripsisse: naturalibus

causis.

causis. Photius in epitome Philostorgii lib. 8. cap. 10. laudat medicum Posidonium sub Valente: sed quem eo nomine reprehendit, quod dicere solet: ἐχθαιμῶν ἐπιθέσει ἄνθρωπος ἐκβακχεύεσθαι hoc est, *Homines non dæmonũ vi furore debacchari, sed humorum quorundam cacochymiam hunc affectum operari, nullam quippe dæmonum vim esse, quæ naturam hominum damno afficiat.* *Serrarius*, *Delrio*, *Burgensis in* 1. *Sam.* 16. volunt ingressum & egressum dæmonis ἐνεργείας pendere à dispositionibus corporalibus. Quam eorum opinionem infra *part.* 2. *in problematis* attingimus. Fatemut quidem nonnunquam corpora melancolica ingredi, & occasionem illam ciendi humores & turbandi sensus observare, sic tamen ut tali dispositioni non sit astricta ipsius ἐνεργεία: tum quod sit agens liberum mente & voluntate præditum; tum etiam quod agere possit & agat ibi plerumque per motum localem, & non per motum alterationis. Quâ cautione adhibitâ, & non aliter, admittimus, quæ *Valesius c.* 15. & 28. & *Conrad. Vvimpina de Superstit. l.* 2. *c.* 10. 11. 12. Et *Vvierus de præstig. l.* 4. de melancoliâ & obsessione philosophantur. 11. Alii astrorum influentiæ tribuunt, ut illi quos notat *Hieron. in Matth.* 4. Et *Pomponatius de animâ*, ubi illum sermonem infantis 24. horarum (quem refert vulgo dictus *Commentator in Probl. Aristot. sect.* 11. *probl.* 27.) ad astrorum influxum, per quem varia in phantasiam simulacra imprimantur, reducit. *Idem l. de Incantationib. p.* 124 125. statuit de omnibus ἐνεργουμένων effectibus, etiam de prædictione futurorum. 11. *Andreas Cattanius in tract. de Causis Mirabil. effectuum* (citante *Magio Miscellan. lib.* 4. *c.* 12.) has tres statuit causas intellectum agentem, intelligentias cælestes quæ homini jungantur, & succum corporis cælesti dispositioni ac stellis quibusdam respondentem. 1v. Sunt qui dicant animas defunctorum intrare & possidere corpora. Et rationes pro hâc opinione adferri solent. *Prima*, quia ipsi sæpe hoc dicunt. *Secunda* quia animæ separatæ habent hanc potestatem mediante virtute motivâ, quâ & se & corpora de loco in locum movere possunt. Frustra autem esset illa potentia, si non duceretur in actum. *Tertia*, quia faciunt operationes artificiales, quas defuncti facere solebant, & non alii. *Quarta*, quia revelant multa secreta quæ soli homines, quorum animas se profitentur, nosse poterant. *Quinta*, Multa utilia, & sancta monent esse facienda, suffragia petunt vt ab his aut illis malis liberentur, restitutionem ablatorum suadent; at illa non sunt à diabolo, ergo ab animabus separatis. Ad rationes has candide & satis respondet *la Torre disp.* 28. immemor interim se eadem operâ & consequentiâ profligare spirituum appariciones mentientium se animas defunctorum à quibus tam multa didicisse Papatum notavimus *Desper causa Papat. l.* 2. *sect.* 2. *c.* 10. Porro quan-

tum hoc mendacio profecerint dæmones, & quam *varios errores disseminarint* (ut loquitur la Torre) *& quam multos in flagitiosa opera adegerint*, constat ex longe lateque grassante opinione, qua diaboli animabus supponuntur, aut cum illis confunduntur. *Rhodigin. lib. 2. c.* 13. vocat vulgarem opinionem, ab animis flagitiosorum corpora obsideri. Non tantum Iudæi hac opinione afflati fuerunt, (*Iosephus lib. 7. de Bello Iudaico c.* 33.) sed & Christiani, *Athenagoras*, statuit gigantum (de quibus *Genes.* 6. 1.) defunctorum animas in dæmonas esse transformatas, Iustinus Martyr. apol. 11. οἱ γὰρ ψυχαῖς ἀποθανόντων λαμβανόμενοι καὶ ῥιπτούμενοι ἄνθρωποι, οὓς δαιμονιολήπτους καὶ μαινομένους καλοῦσι. Apud Gentiles vulgata erat opinio animas hominum, qui male vixerant, huc illuc vagari & in dæmonia transformari. Vide *Chrysostom. ad c.* 16. *Lucæ & c.* 8. *Matthei. Isidor. l.* 8. *Origin. in voce, Larva. Apulejum apolog. part.* 1. *& de Deo Socratis. Philostrat. lib.* 3. *de Vita Apollonii cap.* 2. *Plato in Phædone*, ad qnem sic commentatur Olympiodorus: ἐπὶ τῶν φιλοσωμάτων ψυχῶν χωρίζεται μὲν τὸ σῶμα τῆς ψυχῆς, οὐ μὴν ἡ ψυχὴ τοῦ σώματος ἀλλὰ σχετικῶς ἔτι σύνηπται αὐτῷ κατὰ τὴν ἡμίσχετον σχεσιν. ἐξ ὧν καὶ τὰ σκιώδη φαντάσματα περὶ τοὺς τάφους ἐνέλειται. ὡς καὶ ὁ ποιητὴς λέγει περὶ τῆς Πατρόκλου ψυχῆς. Ον πότμον γόωσα, λιπουσ' ἀνδρότητα καὶ ἥβην. Ex mente Platonis sic Macrobius lib. 1. in somn. Scipionis c. 9. ubi de anima improborum: *Sed nec post mortem facile corpus relinquit, quia non facile corporeæ excedunt pestes: sed aut suum oberrat cadaver, aut novi corporis ambit habitaculum, non humani tantummodo, sed ferini quoque &c.* Confer *disp. de spectris & de dæmonibus.* Omnes autem opiniones nunc recensitæ refutantur argumentis iisdem, quibus supra probavimus esse dæmoniacos. Specialia argumenta contra postremam opinionem hæc addimus 1. *Quia* dicunt & faciunt illa ad quæ animæ separatæ non sufficiunt. Dicunt enim occulta, quæ nullus hominum novit; nec etiam defunctus, cujus se animam mentiuntur. Faciunt tam difficilia & admiranda, quæ anima humana unita nunquam potuit, nedum ut separata possit: quæ minus valet quam unita. 2. Deinde *Quia* ἐνεργοῦντες spiritus localiter corpora intrant eaque violenter movent quo volunt, invitis animabus, quę ea vivificant & informant: Atqui animæ sunt essentia & specie æquales; & æquale non ita agit cum plena victoria in ęquale. Si autem dicantur potentia inæquales esse, tum fortior esset anima unita quæ est in suo esse naturali & à modo illo essendi vigorem suum accipit. Contra separata esset imbecillior, quia est extra suum esse naturale, & habet se tantum ut motor & forma assistens. 3. *Denique*, Animæ illę intrantes corpora, essent justorum, aut injustorum. Non illę, quia sunt in cœlo in statu quietis ac glorię: repugnat autem illi statui labor iste oberrandi, & vexandi, (*Hebr.* 4. *Apocal.* 14.); item cupiditas cruciandi sæpe piissimos, & olim in hac vita sibi charissimos. Non istę, quia in hac vita tanquam

Alasto-

Alastores proximum suum, & inter eos vere fideles satis persecuti sunt: militia illa morte terminata est, ut pariter mali vexare & boni ab illis vexari desinant. *Eccles.* 7.9. *Iobi* 3.

Adjuncta hujus mali concipi queunt ad modum proprii, seu requisiti, aut ad modum effectorum & symptomatum, aut ad modum signorum. *Propria* seu requisita sunt 1. Quod diaboli affligant & potestatem usurpent in corpus & non in animam, vi hujus possessionis scilicet. Nam quod mediate & per sympathiam etiam afficiatur anima malo tristi aut malo turpi aliquo, & quod multi energumeni una subjiciantur potestati spirituali diaboli juxta *Eph.* 2:2. & 2. *Corinth.* 4.4. hoc est per accidens. II. Quod intra corpus existant & intra terminos quantitatis ejus operentur, non intra animam, aut terminos essentiæ ejus: quia solus Deus in eam illabi, & intra eam operari potest. III. Quod potestas diaboli possidentis quam usurpat in corpus humanum, dicat aliquid permanens & plus quam actionem transeuntem: ut constat ex *Marc.* 5. 2. 8. *Matth.* 7. 22. *Luc.* 8. 2. & 13. 11. 16. & 11. 24. ubi notandæ phrases exeundi, ejiciendi, ingrediendi, domicilii, habendi, vinciendi. Quid autem illud sit an qualitas, an relatio, an verò extrinseca denominatio, quæri posset. Nos putamus potestatem illam, quam peculiariter in hoc aut illud corpus sibi vindicat & usurpat diabolus, concipi debere ut relationem, haut aliter ac Pythonico-enthusiasmos, aut si fas hoc simili uti, ut prophetiam & dona miraculorum. Nam ut diabolus tot annis continuo in corpore aliquo secundum substantiam suam permaneat (*Luc.* 13. 16. *Mar.* 9. 22.) & localiter ubicetur, aut saltem raro inde recedat quod volunt *Thyræus*, *part.* 1. *cap.* 8. & *la Torre*, mihi non fit verisimile. IV. Quod quamdiu continuatur possessio diabolica, non pariter continuetur actualis ejus arreptio & agitatio: sed malum instar febris habeat suos *paroxysmos*, & intermissiones, vel quia non semper agit; vel quia non semper intra corpus aut circa illud est diabolus, & consequenter ibi non operatur motu locali: est enim extra sphæram activitatis ejus. Non negamus tamen posse dici diabolum etiam absentem corpus energumeni agere & torquere, non immediate sed mediatè, mediante effectu aut symptomate aliquo quod impressit & ibi reliquit. Intermissionem autem & remissionem colligere licet ex *Luc.* 9. 39. Et ecce spiritus λαμβάνει αὐτὸν &c. καὶ μόγις ἀποχωρεῖ &c. Conferri potest 1. *Samuel.* 16. *v. ult.* V. Quod hoc ipso non sint formæ informantes corporum, sed tantum motores extrinseci seu ab extra, (neque enim sunt de ratione aut essentiâ compositi) & formæ (ut vocant) assistentes. VI. Quod propterea actiones, quas in corpore edunt, non sunt naturales, aut animales, aut humanæ univocè ita dictæ, sed æqui-

voce

voce tantum Neque enim motus ille est à diabolo tanquam principio interno per se: ut constat ex definitione Naturæ apud *Aristotelem*. Diabolus invitum hominem ingreditur, & violento motu agitat, ac membris ipsius utitur. VII. Actiones in energumenis quædam sunt propriæ diaboli, quædam hominis, quædam utriusque. Diaboli sunt operationes transeuntes; quæ duum generum. *Primi generis*, vulneratio, membrorum distractio aut compressio, organorum sensitivorum corruptio, virium debilitatio &c. *Alterius generis*, velocissimus cursus, ascensio, catenarum ruptio, onerum supra humanas vires portatio &c. In omnibus illis homo habet se passivè, & membra ejus tantum passivè ad eas concurrunt. Hominis sunt actiones immanētes ut intellectio, volitio, ut & sensatio tā interna, quam externa, imaginari sc. videre &c. priores diabolo tribui non possunt juxta 1. *Corinth.* 2. 11 nec posteriores, quia necessario proveniunt ab organo corporeo, quo dæmones carent. Sermo ut & ululatus, & rugitus, risus &c. aliquando potest provenire à dæmone *Matth* 8. 29. 31. *Marc.* 5. 7. 9. 10. & 9. 25. 26. aliquando ab homine. Quod autem quidam dubitant, an dæmones possint formare voces articulatas quia forte modum ignorant, quomodo hoc fiat: illi certè experientiæ & authoritati scripturę reclamant. Vide *Genes.* 3. *v.* 1. 2. & ibidem commentatores. Triplici autem modo (ut observat Abulensis in *Matth.* 8. *qu.* 114.) sermonem edit diabolus aut assumendo & adhibendo corpora, quæ omnino carent organis sermonis; aut utendo animatis instrumentis brutorum, ut linguâ & ore bovis, aut asini, aut psittaci; aut utendo organis humanis. Sunt autem homines illi vivi, aut jam pridem, aut recens mortui. Per illorum corpora posse loqui, jam dictum est; per istorum nullo modo posse, quod organorum temperies tota dissipata sit; per horum imperfecte & impedite posse loqui affirmat *la Torre Disp.* 19. Nos tamen hoc minime credimus. Si enim in corporibus aëriis assumptis, si in quercu Dodonæa &c. efformat sermonem, quid ni in corpore mortuo. Sed quæstio est an & quomodo sermo hominis à sermone diaboli possit discerni. *Resp. Abulensis loc. cit.* quinque potissimum hæc signa attendi vult. 1. si loquantur dæmoniaci quæ nesciunt, & nunquam didicerunt, ut ex. gr. Hebraica. 2. si de rebus altissimis, quæ captum eorum excedunt. 3. Si postquam cessant vexari, nesciunt respondere de his, quæ locuti sunt. 4. Si de rebus secretis loquantur. 5. Si in eorum potestate non est, ut taceant; quamvis ad hoc inducantur aut compellantur. In vulgaribus sermonibus, quibus nihil mirabile inest, certum discrimen statui nequit, nec etiam opus est. Sufficit energumenos conditionaliter moneri, si verba quædam blasphema, aut πανῳ aut otiosa ipsi

ſa ipſi emiſerint, ut ſerio de iis reſipiſcant; ſin minus, ut patienter hanc injuriam Deo & ſibi à Satana illatã ferant: actiones ipſius minimè ipſis imputatum iri. Standũ hic erit ſolo energumeni teſtimonio. VIII. Nõ eſt ne ceſſe ut corporea forma, aut ſpecie homines poſſideãt & affligant. Cum enim ſpiritualibus poteſtatibus res corporeæ immediate ſubjiciãtur, ut ab iis localiter moveri poſſint, nihil hic juvaret corpus, aut ſpecies corporis: Quamvis non negemus diabolum pro libero arbitrio ſuo ſub corporea aliqua ſpecie nonnunquam poſſe apparere, puta aranei aut muſcæ &c. ſub aut ſuper lingua, aut in alia aliqua corporis parte. Incertæ & vanæ conjecturæ ſunt, quas adfert Thyræus part. 1. c. 3. Diabolos invitos & a Deo coactos vili iſta forma illis adſiſtere ut confundantur &c. *cujus argumentum non leve* (certe leviſſimum) *dixerim quod propemodum*, inquit, *in ſolis exorciſmis, hiſce ſuam præſentiam prodant &c.* & *cap.* 16. latere eos in aliqua corporis parte *in corde ſcil. aut non procul* à corde, aut etiam in *quatuor humoribus* &c. Cui rei firmandæ vaniſſimum Exorciſmum ex Rituali advocat, quo præcipitur diabolis ne ſe *occultent in quatuor humoribus, in carne, oſſibus, nervis, medullis &c.* IX. *Antecedentia* hujus mali nonnunquam ſunt 1. verba & colaphizationes, agitationes, quibus eos rapit, ruit, contundit, poſternit &c. 2. apparitiones terribiles ſub forma defuncti, aut draconis, aliorumque brutorum horribilium, aut nigri felis, aut hirci &c. quibus vexantur obſidendi: cujus etiam meminit *Sacerdotale Romanum c.* 1. *in Exorciſmis.* 3. ventorum ſonus, ſtrepitus vectium colliſorum, aut per terram tractorum. 4. terribilia ſomnia. X. Nonnunquam cum malo hoc, & alia conjuncta ſunt, deſertiones ſc. & tentationes ſpirituales; item morbi, ſpeciatim melancolia, mania &c. ut *Matth.* 8. (quæ inter effecta mox numerabimus); inſuper externæ vexationes, apparitiones, & terriculamenta diabolica. XI. Quod miſera ſit conditio τῶν ἐνεργουμένων, immo comparate ad alia quæcunque corporis mala, ſit miſerrima. Directe corpori multa mala (de quibus paulo poſt); indirecte & conſequenter animæ non pauca inferuntur. Præter animi dolorem, peccatum ipſis hac occaſione eſt magis ἐυπερίστατον, impediuntur in multis actibus & exercitiis virtutum. Sic tamen omnia à clementiſſimo & ſapientiſſimo patre gubernantur, ut cedãt in bonum iis qui diligunt ipſum *Rom.* 8. 28. XII. Quod Deus poteſtati huic Satanę in hominem modum & menſuram ponat; nec ſinat illum furere pro libitu *Luc.* 4. 35. Sequuntur nunc adjuncta ad modum effectorum conſiderata. *Effecta & ſymptomata* in genere ad hæc quinque genera reduci poſſunt, Virium infirmationem, membrorum diſtractionem aut coarctationem, corporis impulſum ſeu propulſionem, organorum corruptionem, fantaſiæ faſcinationem. Speciatim vero

melioris doctrinæ causa sic enumeramus 1. Quod agitent & distendant membra corporis *Marc.*9.20.26.in solitudines & sepulchra propellant *Marc.*5.3.*Math.*8.26.*Luc.*8.27.in aquam & ignem conjiciant *Marc.*2.22. occultis & exquisitis cruciatibus homines torqueant *Math.* 15.23. II. Quod usu sensuum & locomotivæ eos priuent *Luc.*11.14, hinc rigor & stupor membrorum. III. Quod formam, figuram, situm ac gestum corporis immutent ac deforment, *Luc.* 13.16.*Marc.*9 20.huc refer inflationes & tumores. IV. Quod humores conturbando & varia phantasmata ingerendo aut objiciendo imaginationem corrumpant & homines in rabiem ac furorem agant *Math.*8. V. Quod ad mortem sibi inferendam homines impellant, aut ipsi eos in mortis pericula conjiciant, nonnunquam etiam crudeliter exstinguant. Prioris exemplum est *Marc.*9.22. Posterioris adfert *Isidorus & Sigebertus in Chronico*, de Gunderico Vandalorum rege, qui à dæmone possessore trucidatus est. VI. Quod noceant aliis hominibus sive domesticis, sive spectatoribus, sive aliis quibuscunque quos ipsi petunt, aut in quos, data occasione, incurrunt; iis plagas, vulnera quin & mortem inferant. *Math.*8.28. *& Marci* 5.3.4.6. *Actor.*19.16. Idem de bestiis; quas ingrediuntur, intelligendum est, ex *Math.*8.31.32. Non quod primo & directe hoc intendant & talia domicilia appetant, sed ut hominibus hac ratione incommodent. VIII. Quod horrendos clamores rugitus, ululatus, despumationes, dentium stridorem, aliosque inconditos & enormes gestus cieant. *Signa* assignantur duplicia *ingressus* seu possessionis, & *egressus* seu liberationis. *Ingressus* signa à signis inhabitationis seu possessionis distinguit *Thyræus* & post fluctuationes ac conjecturas suas tandem hæc adfert ex *Rituali Romano c.*1.*de Exorcismis*: 1.formam externam qua terret hominem possidendum 2.ventum & tumultum. 3.afflictionem & molestiam,qua prius eum afficit.4. mirabiles rerum species quas ante somnianti ingerit.Eadē habet *Balduinus lib.& cap.cit.casu* 1. Sed incertum est an hæc ut plurimum ingressum & possessionem præcedant. Balduinus sibi non constat cum loc.cit.p.618.sic loquitur: *Etsi autem non adeo facile est vere obsessum agnoscere: certa tamen ejus rei signa dari possunt. Primum compertum fuit, diabolum ipsum certis signis interdum ostendere suum in corpus hominis ingressum, quod quidem non de necessitate est, ideo nec semper fit, nec certa & definita signa dari possunt: facit tamen hoc quando, quotiesque vult: qua in re, ut in multis aliis, Dei fit simia: nam & is adventum suum interdum certis prodromis annunciat, ut inter cætera historia* Eliæ *testatur* 1.Reg 19.v.11. Adferamus ergo & seligamus ex scriptura & experientia (testantibus Pontificiis hactenus cit.& *Balduino & Ioh.Darrel*) *signa possessionis* quæ majorem certitudinem

dinem facere videntur, quæ *Balduinus* vocat, consequentia possessionem. Sunt autem illa 1. Occultorum præteritorum, præsentium, futurorum revelatio; & quidem absque ulla honesta causa, plerumque ad Dei contumeliam & proximi injuriam *Actor.* 16. 16.17. 2. Peregrinarum linguarum, adhæc canendi, scribendi legendi, rerum, & disciplinarum nullo studio comparata scientia. Vide exempla à *Balduino* notata. 3. *Onerum* quæ humanum omne robur superant, gestatio, velox & valida corporum agitatio aut dimotio. *Marci* 1. 24. & 5. *v.*5.15. *Luc.*4.24.& 9.39.42. sic tamen plerumque, ut crura, aliaque ossa, aut systema corporis non frangatur *Luc.* 4. 35. 4. *Corporis* energumenici admirabile pondus, ejusdemque rigor, & inflexibilitas. 5. *Voces* boum, porcorum, ursorum. 6. *Gravis vexatio* intus in visceribus & partibus corporis *Math.*17.15. & 15.22. 7. *Quod affligantur* immediate ante dispossessionem, seu egressum dæmonis *Luc.*9.42.8. *Marc.* 5. 7. 8. *Quod* non raro sed sæpe affligantur à diabolo. *Luc.*9. 9. *Cessatio* sensuum tam internorum quam externorum & locomotivæ *Luc.*8.27.35. *Marc.*1.24.Sic quidam muti, surdi, cœci &c. in terram cadunt &c. 10. *Quod* projiciantur in aquam & ignem, & ipsi se studeant, aut potius diabolus ipsos studeat interficere; nonnunquam interficiat; 11. *Quod* accedunt aliquando teribiles apparitiones. 12. *subita* ventris, aut aliarum partium intumescentia. 13. *Deformatio*, seu defiguratio vultus. 14. *Loquela*, quæ fiat aperto ore absque organis sermonis. *Thyræus de obsessis part.*2.*cap.*25. ait sex genera esse corporalium signorum, quæ magnas suspiciones generant, sed tamen certa & indubitata non sint. *Cap.*22. Duodecim alia signa rejicit, tanquam incerta. *Cap.*26. recenset res sacras, quas obsessi jubentur proferre, aut quæ ipsis silentibus adhibentur, quales sunt invocatio divini nominis, prolatio nominis Iesu (quod etiam *casu cit.*§.7.ponit *Balduinus*) psalmi aut alicujus piæ orationis recitatio: Aut cum convitiantur, terrentur, impotentes fiunt, blasphemant, quoties sanctorum imagines, agni Dei, cruces, aqua lustralis, corpus Christi ipsis adhibitum: aut cum non ferunt in aurem insusurrari peregrina, quam norunt, lingua, *Deum qui te genuit, dereliquisti*; & *Oblitus es domini creatoris tui*: Denique, si exorcismos intentatos, vel non ferant, vel impatienter. Sed hæc signa aut incerta sunt, aut vana ac superstitiosa. Quod ad duodecim signa supra posita, & scripturę textibus munita, illa τεκμήρια non sunt fatente ipso Thyræo cap.22. §.27. *Addo, quod nec ipsa signa, quæ in Obsessis iis reperiuntur, quorum Evangelica historia meminit; certa & sustinentia sint obsessorum hominum argumenta. Fuerunt quidam illorum cæci, alii surdi, alii muti: quidam in se, quidam in*

alios fuerunt crudeles, Obsessorum illa videbantur opera, at obsessorum non erant signa, nisi forte omnes cæcos, mutos, & surdos: omnes item barbaros, & crudeles homines ad Obsessorum classem revocare velimus. Et Balduino.casu cit.in fine p.612. *Hæc sunt præcipua signa vere obsessorum: sed cum nonnulla etiam in epilepticis, lethargicis, phreneticis & similibus reperiri possint, ideo præstat, cum de obsessis faciendum est judicium, ne ex singulis, sed aliquot conjunctis judicetur, nam omnia & singula, ut semper concurrant, necesse non est.* Sed nec omnia *Balduini* signa simul sumta, nec *Thyræi*, quæ respondent primo, secundo & tertio à nobis recensito, certitudinem obsessionis evincunt: sed bene aliquem dæmoniacum, sive dæmonis assistentis aut apparentis, sive obsidentis. Sunt ergo propria illa quę dæmoni obsidenti convenire possunt & solent, sed non soli; siquidem obsessionem stricte suaptam & supra definitam intelligas. Ergo hinc τεκμήρια obsessionis peti non debent. Quod enim *Iohann. Darrel pag. 2. libelli anglici modo cit.* sibi sumit, & præsupponit, Non posse dæmonem extrinsecus assistentem aut infestantem ita torquere corpus humanum, illudque ita membratim & interne regere, ac movere; illud puto esse nimis μέγα ἄϊτημα, quod solide prius probandum. Reliqua signa minus evincunt, si tria ista in dubium trahi possint. *Signa* discessus & liberationis, *author* idem *Iohann. Darrel* hæc enumerat. 1. Quod discerpat. 2. Quod clamans exeat. 3. Quod energumenus post egressum jaceat instar mortui. 4. Quod sentiant aliquid de se egredi. 5. Vomitus. Sed hæc non sunt reciproca, itaque nec certa signa.

8. *Comparata* hujus mali, ab illo tamen specificè distincta, & cum illo minime confundenda, sunt tum *affectiones* quædam corporis aut sensuum interiorum & exteriorum, tum aliæ *operationes* diabolicæ. Illę sunt lycanthropia, Apoplexia sive sideratio, paralysis, carus, syncope, catalepsis seu κατοχὴ, lethargus, hysterica passio seu suffocatio uterina, delirium melancholicum, cum mania, phrenitide, & paraphrenitide, hydrophobia, Coribantiasmus, tarantulæ morsus seu chorea (ut vocāt) S. Viti. Imprimis & proxime codveniunt *noctisurgium*, *Ephialtes*, & *epilepsia* seu morbus comitialis, quę propterea ab imprudentibus cum energemate dæmoniaco sæpe confunduntur. Quinam autem specificè & quales sint naturales illi morbi, ex *Fernel. l. 5 pathol. c. 2. 3. 12. & l. 6. c. 6. & ex Sennerto*, aliisve Medicis discendum est: ut tanto accuratius ab obsessione distinguantur. De corybantiasmo in *Sennerto*, aliisque vulgaribus medicis, qui quidē mihi ad manum sunt, non invenio. In *disp. de Creatione* indicavi polyistoras *Scaligerum* & *Salmasium*. Quibus nunc addo *Alciatum l. 4 parerg. con. c. 19.* De noctisurgio, Horstius &c. ibid indicati. Operationes diabolicę sunt vel circa hominem, vel circa res alias. *Circa hominem* sunt mediatæ aut immediatæ. *Illæ*, quæ

quæ per Magos aut applicationes causarum naturalium fiunt, vocantur facina, maleficia, veneficia & morbi venefici, inter quæ morbi tabifici, cruciatus ἄδηλοι, impotentia ad generandum &c. vulnera, membrorum fractura, luxatio &c. *Istæ* sunt quæ immediate à diabolo non intus corporaliter possidente, sed extrinsecus adsistente & infestante aut interius, aut exterius homini inferuntur. *Interius*, tentationes, Suggestiones & injectiones diabolicæ, de quibus agendum *Disp. de Tentatione*. Adhæc Enthusiasmi, seductiones ad errores, peccata &c. 2 *Cor.* 4. 3. 4. & 11. 3. *Act.* 5. 3. *Luc.* 22. 3. Desertiones spirituales quomodo differant à possessione dæmoniaca diximus *Disp. de Desertionibus*. *Exterius* inferuntur, alloquia, locales motiones, translat ones, arreptiones, verbera, vulnera, contusiones &c. apparitiones, terriculamenta, & quævis corporales ac sensibiles infestationes diabolicæ. De quibus: in *Disp. de Spectris*, Ad exteriores has operationes referimus cadaverum circumgestationes, & in iis motus ac operationes: Quarum memorabilia exempla suppetunt in virgine psaltria Bononiensi (de qua *Peucerus de Divinat. p.* 14.) & in studioso illo convictore Cornelii Agrippæ à Dæmone enecto (in *memorabilibus Petri Boistæi Launæi*, & *Delrio l.* 2. *qu.* 29. *sect.* 1.) Huc etiam pertinent *Spiritus* paredri seu familiares, qui vitro aut annulo inclusi (ut quidem præ se ferunt) aut alio quovis modo ac forma hominem affectantur, aut evocati præsto sunt, quorum opera homines discunt & agunt, quæ inferiorem naturam & humanam artem superant. De quibus in *Disputat. de Potentia & operationibus Dæmonum*. Diabolicæ *operationes circa res alias*, quæ aliquam cum obsessione habeant cognationem, sunt vel *circa res artificiales*, inter quas eminent Magorum & Idololatrarum statuæ ambulantes, loquentes, capita ænea loquentia, queis insidebant aut assistebant dæmones, de quibus annotamus quid in *Desper. caus. Papatus l.* 1. *sect.* 4. Videndus *Seldenus de DIS Syris*, *Syntagm.* 1. *caput.* 2. Ejusdem genii fuerunt oracula imaginum in Papatu, nominatim lignei illius crucifixi, cujus hęc feruntur verba ad Thomam Aquinatem: *Rectè de me scripsisti Thoma*. Vel circa *res naturales*, è regno minerali & vegetabili, ut e. g. quercus Dodonæa, & arbores illæ (si bene memini) ex quibus apud Gentes novi orbis Diabolus dicitur responsa dare: è *regno animali*, cum bruta possidet, aut iis insidet, aut assistit diabolus, inque iis agit, loquitur &c. *Genes.* 3. 1. 2. 3. Nota sunt de cane Simonis Magi, de simio Christoph. Aurigarii &c. Ex ostentorum libris similia exempla adferri possunt, Suffecerit nunc indicasse illud Virgilii Georgic. 1. in fine. *Pecudesque locutæ*; & historiam (quam habet *la Torre p.* 145.) de psittaco cujusdam Cardinalis Romæ, ex quo cum quæreret Pontifex, quid cogitas? respondit: *Cogitavi dies antiquos & annos*

& annos æternos in mente habui. (verba sunt Ps. 77. vers. 5.) Quo cum consternati essent, Cardinalis suum illum psittacum, quem in deliciis tantopere habuerat, postea curavit occidi. Et alteram, quam indicat *Ioh. Ludov. de la Cerda de Excellentiâ cœlest. spirit. cap. 46. p. 489.* de corvo, qui dæmone plenus mirabilia faciebat & loquebatur.

9. Opponuntur sanæ doctrinæ de obsessis I. falsæ opiniones, perversa judicia & deceptiones. II. Falsa methodus curandi aut levandi hoc malum. III. Opponuntur ipsi malo, antidota vera & salutaria. *Falsæ opiniones* sunt, cum negatur esse obsessos, aut omne illud aliis causis, quâ diabolo, adscribitur: de quibus supra. Adhæc, cum putatur, omnia illa per expurgationem atræ bilis similiaque medicamenta tolli posse, *Conciliator* & cum illo *Pomponatius de Incantamentis p. 141.* ubi exemplis hoc probare conatur. *Præterea*, somnium illud quorundam, de Diabolo compescendo per res corporeas; inter eas est flagellatio, quam etiam phreneticis adhiberi testatur *Bodinus in Theatro naturæ p. 612.* Sed de his aliisq; actum est *in disp. de Exorcismo. Denique* delirium ejusdem *Pomponatii*, de ἰδιοσυγκρασίᾳ quorundam hominum *& dono cœli* (ut loquitur) per quod illi magnetica quadam ratione malum hoc curant. De *Incantation p. 242.* Confer *Delrio lib. I. p. 14. Perversa* judicia tum medicorum tum Theologorum. *Illi* sæpe hic falluntur, dum naturalem morbum judicant & tanquâ talē curant, sed frustra, teste experientiâ, & medicis *Wierο. ib. 4. de præstig. c. 17.* & *Cornelio de abditis rerum causis lib. 2. c. 16. Isti*, vulgares scil. Theologi in Papatu infinitarum fallaciarum causæ sunt, dum quidvis fere insolens & ἀπαιδευσίαν ac ἀπειρίαν suæ inauditum malum inter energumenica aut veneficia numerant. *Deceptiones* hic nimis quam frequentes, cum multi simulant se obsessos cum non sint. Hinc est quod olim in *Concilio. VI. Generali, Constantinop.* decretum contra tales statutum sit *can. 60.* Exempla habet *Wierus lib. 4. c. 26, 27.* Fallaciis illis imprimis infesta est Papalis synagoga juxta textum *2. Thess. 2. 10.* 11. Fallunt Clerici juxta ac laici eorum & falluntur: & fallacia alia aliam ibi trudit, superstitionum sc. idolarriæ, Magiæ &c. De Tragico-Comœdia Marthæ Brosseriæ apud Gallos agitatâ diximus in *Disp. de Exorcismo.* Exstat & est in manibus viri docti libellus antehac (sed quo autore nescio) editus, de falsò possessis, & falsis jejuniis. Sed eum videre non contigit. Indico tamen, ut eum inquirant, qui harum rerum curiosi investigatores sunt. Huc referri debent, absurdæ & ineptę narrationes, de quibusdam obsessis, quæ subinde in Papatu edi solent, qualis e.g. de Tribus energumenis Parisiis; de moniali Ioh Fery obsessâ & postea liberatâ Montibus Hannoniæ ao. 1584 quæ jussu Archiepisc. Cameracensis Duaci edita apud Ioh. Bogart, Gallicè in 8. Apud nostros rarissimè tales impostores comparent, quia nullum

lum facturi essent operæ pretium, præter virgidemias, & stigmata; quod experta est fœmina illa, quæ ante annos aliquot Amstelredami lucrosæ stipis causa satis diu & artificiosè finxerat dæmoniacam: cujus historiam cum miraculis *S. Raspini de Ergasterio* patriâ linguâ evulgavit Anonymus. 11. Perversam methodum curandi hoc malum, magicam, Iudaicam; Ethnicam, Papisticam perstrinximus *Disp. de Exorcismo.* Addimus nunc, peregrinationem ad S. Dympnam, & obsessorum adjunctionem ad ejus delubrum ubi colitur in vico Gestl in agro Sylvęducensi Brabantiæ, quod illa credatur energumenorum, immo & maniacorum ac similium mente motorum peculiaris patrona. Ejus etiam meminit *Augustinus VVichmans in Brabantiâ Marianâ, lib. 2. cap. 6.* dicit eam non tantum per Brabantiam sed per ecclesiam universam coli & audire *Dæmono-mastigem*, & diaboli flagellum: idque merito custoditę virginitatis suę. Confer de eâdem *Surium in vitis sanctorum ad 15. Maji* Et *Molanum in Natalibus sanctorum Belgii. VVichmans loco cit.* similem virtutem tribuit S. Agneti: imprimis etiam B. Mariæ ad quam hoc nomine populi concursus in nosocomio energumenorum in vico *Herenit.* Addit p. 275. *Atque ideo mater Ecclesia in Exorcismis energumenorum, primum & potissimum, opem sanctissimæ Dei-paræ implorat, præmissis ordinariè ejus sacris Litaniis Laureti dici solitis, & recensitis totius ejus vitæ mysteriis. Quam specialem prærogativam, puto etiam B. Virgini Mariæ collatam, intuitu eximiæ illius virginitatis, quam Deo prima omnium voto consecravit, dicta* Virgo Virginum, *& quæ in virginitate*

Nec primam similem, visa est, nec habere sequentem:

ut nimirum in diabolum, qui spiritus est immundissimus, virginitatis omnis & puritatis juratus hostis & ad libidinem jugis instigator, quam plurimum valeat. Unde & plerique Sanctorum, qui singulari à Deo ejiciendorum immundorum spirituum privilegio sunt donati, peculiariter in castitate & virginitate resplenduerunt: deniq; nolim præterire pseudo-medicam methodum Paracelsi, quam ipse jactat in tract. cui tit. Septem defensiones, defens. 2. pag. 25. *Dicite mihi quæso, num solum in herbis, radicibus, lignis, lapidibus, gemmisque medicina consistit? num planè nihil verbis tribuendum? & posthac quoque, de verbo meam sententiam dicã. Quod enim est, quod verbũ efficere nequeat? Qualis est morbus, talis & medicina: si herbis cõmittitur, tunc herbis curatur: si gemmis destinatus est, tunc gemmis quoque sanatur: si adjejunium morbus ordinatus, tunc per jejunium tollatur necesse est. Dæmonio malo obsessum aliquẽ esse, extremum malum est & deterrimus morbus. Si autẽ Christus contra talem morbum remedium, & medicinam promittit exhibetque, cur istam medicinam non perscrutarer, ut quid in morbo sit, quidque in receptis contineatur scirem? Cœlum homini morbos adfert, illos medicus depellit: si cœlum ipsum medico cedere cogitur? ergo & Sathan, ergo & dæmones mali cedent, si rec-*

te ac

cte ac juſto modo medicina ordinetur. *Melanthon in conſiliis tom.2.p.*115.117. 18. ubi agit de energumenis. Sed videtur etiamnum hodiè ordinariis miniſtris concedere imperium ſeu poteſtatem in dæmonas poſſidentes, & conſequenter probare uſum Exorciſmi. Sed de hoc in *diſp. de Exorciſmo.* III. Vera ergo antidota, ut adverſus omnia hujus vitæ mala, ſic adverſus illas dæmonum arreptiones, ſunt praxis ſpiritualis reſipiſcentiæ, fidei, precum &c. *Epheſ.*6.12.13.14.1.*Petr.*5.8.9. Naturalia nulla adhiberi poſſunt, quia nihil valent contra dæmonas; niſi indirectè adverſus morbos, ſymptomata, vulnera, plagas, aliaque effecta à diabolo poſſidente relicta. Sic licet ex.gr. cum melancolia præceſſit obſeſſionem, aut ex eâ conſequitur, quod plerumque fieri obſervat *VVierus loc.cit.* medicè eam expugnare; licet vulnera inflicta curare, crus luxatum reſtituere, dolores ex coarctatione aut dilatatione atq; extenſione membrorum ortos (ſimili fere modo ac dolores parientis aut ejus qui in rotâ aut equuleo torquetur) lenitivis ſedare. Quod ex I. *Samuelis* 16.*v.ult.* rectè inferri arbitramur. Sed de hac *quæſt.* in *diſp. de Exorciſmo.* Quæ reſtant de diviſione & ſpeciebus hujus mali, una cum problematibus alteri *Diſput.* parti reſervamus.

DE ENERGUMENIS.

PARS ALTERA,

Reſp. ANDREA DEMETRIO Dord. *Ad diem* 26. *Octobr.*1637.

I. ENergumeni variè diſtribui poſſunt. I. ex ſubjecto tum totali, tum partiali. Et ſunt infantes aut adulti; fideles, aut infideles, pii, aut impii; ſani, aut morbidi, ex.gr. melancolici, maniaci, epileptici &c. viri, aut fœminæ; Magi, de compacto ſcil. accerſentes ſibi poſſeſſionem, idque ad mira prædicenda; quibus opponuntur illi qui innoxii, aut ſaltem inviti patiuntur poſſeſſionem, &c. II. Ex causâ efficiente principali, alii ſunt, poſſeſſi ab uno dæmone, alii à pluribus; qui rurſum dividuntur à diverſâ plurium operatione (de qua actum priori parte); alii à pejori diabolo, alii à minus malo aut ſaltem minus malefico obſeſſi, ex *Math.*17.*v.*21. *Luc.*11.*v.*26. Huc refer diviſiones ex cauſâ impulſiva, aut inſtrumentali, aut occaſione. Sic alii ſunt maledicti per legitimam, aut illegitimam maledictionem: alii faſcinati, ſeu male ficiati &c. Diviſiones alias ſecundum cauſas impulſivas, & inſtrumentales pete ex ſuperioribus. III. Ex fine ſeu intentione Dei, alii ſunt poſſeſſi ad pœnam & vindictam, alii ad caſtigationem paternam, utrique ut gloria Dei in illis manifeſtetur.

tur. IV. Ex adjunctis & effectis divisiones non persequemur, cum facile ex jam dictis desumi queant. Tantum notamus hic tres species, de quibus paucis agendum, lycanthropos sc. Pythones seu ἐγγαστριμύθους, lunaticos. V. Ex circumstantiis *temporis*; 1. alii longo tempore immo ab infantia, alii breviori tempore. 2. alii paroxysmo arreptionis sæpius aut rarius recurrente, eodemq; diutius aut brevius durante possessi sunt. 3. alii semel tantum aut bis arrepti sunt: *Loci*; alii solitarii & magis ἄγριοι sunt, in desertis, sylvis, speluncis commorantes (qualis ille *Matth.* 8.), alii in societate hominum permanentes.

Vt omnes energumeni non sunt lycanthropi, sic nec omnes lycanthropi sunt energumeni. Alii enim mero naturali melancholiæ delirio laborant; de quibus Medici; Alii insuper turbationem phantasmatum, à diabolo extrinsecus operante patiuntur, ut imaginentur, se lupina quædam imitari, quæ interim Magi per diabolum, aut diabolus perpetrat. Alii eadem deliria & phantasmatum turbationes ac correptionem patiuntur à diabolo intrinsecus operante ac possidente, & extrinsecus corpus eorum agitante, atque abutente ad actiones quasdam λυκοκτονίας, morsum scil. & perditionem hominum, aut jumentorum. Atque hi triplices lycanthropi sunt innoxii. Sunt & alii ab illis distincti, noxii scil., qui pacto inito cum Magis, aut immediatè cum diabolo per præstigias formâ lupinam assumere videntur, inque eâ lupinam sævitiem erga homines aut jumenta exercent. De quibus egimus *Disput. de Dæmonibus.* Sola tertia species huc pertinet, quæ est adjunctum & effectum peculiare quorundam ἐνεργεμένων. Valesius cap. 28. censet, & recte meo judicio, ex eorum numero fuisse dæmoniacum *Luc.* 8. *& Matt.* 8. verba ejus sunt: *Ex hac narratione facile constabit cuivis, qui vel summis labiis degustaverit medicinam, hunc hominem laborasse ea mania specie, quæ vocatur à Medicis Lycanthropia, seu lupina insania. His enim præcipuè accidentibus definitur is morbus, quod ita affecti domi contineri non possunt, sed circa sepulchra frequenter vagantur.* 2.

Sunt & ἐνεργούμενοι ex adjuncto, alii fatidici, alii non fatidici. Priores tales dicuntur, non quod diabolus possidens in illis solis divinet (nam de rebus absentibus, aut præteritis occultis, aut futuris si non plerumq; saltem subinde garrire solet in quibusvis energumenis); sed quia in illis magis, quam in aliis, ex professo, ex instituto, & certa ac compositâ quasi formâ ac specie divinandi hoc agat, atque adeo officinam divinationum ibi constituat. Atque hi dici solent pythones, & fœminę pythonissæ (*Actor.* 16. *v.* circumscribitur, pythonissa: ἔχουσα πνεῦμα Πύθωνος.) cujus synonymum est ἐγγαστρίμυθοι *ventriloqui Deut.* 18. 11. &c, synechdoche speciei, quod hebr. אוֹב (q.d. *uter*) transfertur *loc. cit.* & *Levit.* 19. 31. & 20. 6. 27. 1. 3.

27. 1. *Sam.* 28. *&c.* Est & alterum synonymam, περιαμβόλεις de quibus vide *Peucerum lib. de divinatione pag.* 258. *ult. edit.* Potest autem vox πυθῶν hebr. אוב latè sumi per synechdochen generis, vel pro omni diabolicâ seu magica divinandi arte. 2. *vel* pro ipso spiritu hoc est pro πυθίδος aut possidente dæmone, per quem divinant. Vtramvis significationem applicare potes 1. *Sam.* 28. *v.* 8. 3. *vel*, pro ipso homine per quem diabolus, seu qui per diabolum divinat. *Stricte* sumi potest 1. *pro eo* qui πύθωνος seu familiarem spiritum divinantem habet; qui consulenti respondeat. 2. *pro*, eo qui extrinsecus subinde assistentem, & accedentem habet; cujus accessu, & afflatu divinet. 3. *Pro* eo, qui interno spiritus raptu, & diabolico enthusiasmo affectus divinat. De raptu diabolico, & divino, eorumque à se invicem distinctione, vide in *disp. de prophetiâ.* 4. *Pro* eo, qui volens & per provocationem pacti ac carminis magici corporaliter à diabolo divinante possidetur, atque arripitur ad divinandum. 5. *Pro* eo, qui invitus possessionem, arreptionem, & cum eâ conjunctos diabolicos enthusiasmos, & divinationes patitur. Duę postremę species huc pertinēt, quia continēt in se energema propriè dictum. Ejusmodi energumenos Phythonicos, putamus fuisse memoratos veteribus Corybantes, Bacchantes, Mænades, Sibyllas, Colophonios, Trophonios, Soractines, Gentiles sacerdotes apud Indos: aut si fabulæ aliquę hic misceantur, illas ex diabolicis ejusmodi raptibus, possessionibus, agitationibus, & vaticiniis occasionem habuisse: quamvis difficulter dici queat, quæ species Pythonismi in singulis locum habuerit. Sed de Enthusiasmis, Pythonibus, Sibyllis &c. alibi. Interim videant, qui hæc desiderant *Macrobium lib.* 4. *Saturnal. c.* 2. *Peucerum de Divinationibus. p.* 259. & qui post illum de iisdem sublegerunt; *Hieron. Magium in Miscellan*; *Oracula Sybillina cum prolegom. & notis Obsopœi*; *Delrio Disquis. Magicar. lib.* 4. *Raynoldum prælect. in libros apocryphos*; *Seldenum de DIs Syris syntagm.* 1. *c.* 2. *Baptist. Condrochum de Morbis Veneficis lib* 3. *c.* 8. *Vlricum Molitorem*, qui *dialogos* scripsit *de Pythonicis* sed quem hactenus videre non potui; aliosque in *disp. de prophetiâ* notatos.

4. Lunatici *Matth.* 4. σεληνιαζόμενοι. *Hebr.* ירחנאין in evangelio hebr. edit. *Munsteri*, *Hutterus* transfert בני ירח 1 *filios lunæ*. *Syrus*, רבר אגרא, quod *Tremellius* vertit *filium agrorum*; Fullerus, *qui extra tecta degunt*: contra quē disputat Ludov. de Dieu in Matth. 4. & transferri vult *filium tecti*, quasi dicas, amantem tecta, tectis addictum: *hoc enim*, inquit, *lunaticorum seu noctambulonum proprium est, dum dormiunt, surgere, & instar felium tecta advium conscendere.* Sed sicuti ille putat hallucinari *Fullerum*, quod lunaticum *Matth.* 4. & 17. confundat cum dæmoniaco-maniaco: sic ego puto non

non rectè ab ipso confundi noctambulonem, cum lunatico epileptico. Legantur modo Medici de utroque affectu. Nunquam puto auditum ab epilepticis æque ac Noctambulonibus tecta conscendi. Quidquid sit de interpretatione Syrâ, saltem constat lunaticos *Matth.* 4. exsertè à dæmoniacis distingui. Hinc dubium moveri posset, an malum innuatur compositum ex supernaturali & naturali; an vero simplex sive dæmoniacum, sive naturale, morbus scil. comitialis. Posteriorem sententiam amplectitur *Cl. Heinsius in exercitat. ad Matth.* 8. & putat intelligendum de morbo illo quem *Trallianus* aliique medici *comitialem*, vocant, eundemque morbum esse cum sacro; Cui amuletum dictum σελήνις (apud *Hesychium*) puerorum collo appendere solent: Ejusdem fere opinionis videtur esse Euthymius, qui causam ejus naturalem simpliciter ad lunam refert. Sed præstat de malo dæmoniaco & composito cum omnibus aliis saltem plerisque interpretibus hic exponere. Præsertim, si conferamus δαιμονιζόμενον *Matth.* 17. v. 15. de quo exserte σεληνιάζεται. Et *Marci* 9. *vers.* 25. πνεῦμα ἄλαλον καὶ κωφόν & ibid. πνεῦμα ἀκάθαρτον. Sunt ergo lunatici *energumeni, qui una epilepsia aut mania laborant.* Potest autem vox *lunatici*, notare 1. Eum qui crescente lunâ, naturali morbo aut morbi exasperatione affligitur: quomodo lunatici dicuntur quivis epileptici. Quorum morbus etiam vocatur comitialis, caducus, sacer, Herculeus, magnus, Affectus puerilis. Serenus Sammonicus cap. 57. quod est de morbo comitiali aliam rationem lunaticæ denominationis adferre videtur. *Ipse Deus memorat dubia per tempora lunæ, Conceptum, talis quem sæpe ruina profudit.* Et sic *Iul. Firmicus lib.* 4. *Matthes. Si luna malè fuerit collocata, aut spasticos aut caducos facit.* 2. eum qui cum diabolico energemate, seu arreptione conjunctum habet malum maniacum aut epilepticum: Quod rursum dupliciter contingere potest; vel ut diabolus possessor illud symptoma producat, humores scil. corporis concitando, turbando, miscendo, & sic vitiando; vel ut morbum talem inveniens in corpore, occasionem paroxysmi ejus observet, eique & ἐνέργειαν suam jungat atque admisceat. Quod eum tanquam causam libere operantem ita agere non est insolens: ita ut hinc minime sequatur, Diabolum rebus naturalibus affici, ligari, aut subjici, aut ab iis trahi, dependere, determinari. Totum enim hoc est arbitrarium ita, ut diabolus agat cum luna in corpus non autem luna immediatè agat in diabolum, & sic mediatè in corpus, Confer. *Disp. de Dæmonibus.* Porro lunationes, seu lunam per lumen suum crescens & decrescens, aut etiam per occultas influentias agere in hæc inferiora; nominatim in corpora hominum; & sic morbos, aut morbi causas aut symptomata producere, aut exasperare per humorum intem-

periem, apud physicos & Medicos tam notum est, ut hic à nobis explicari haut sit necesse. Vide *Plinium lib.2.c.41.& lib.9.c.2.& Aristot. de Generat. Animal lib.2.c.2.& de part. Animal. lib.4.c.5.* Quod autem peculiariter maniam & epilepsiam hic statuo (cum tamen alii morbi à diabolo observari, aut ab illo induci queant, ut ratio & experientia docent, & *Condrochus lib. 3. de Morbis Veneficis cap. 5.*) ratio hæc est; quod descriptio lunatici illius *Matth.17.15.*cum *Marci 9.20. 26* conveniat epilepsiæ. *Constat*, ait Valesius cap.28.pag.224., *fuisse epilepticum*: ita enim dicitur, Et attulerunt eum,& cum vidisset eum statim spiritus conturbavit illum, & elisus in terram volutabatur spumans. *Constat vero elidi in terram, ac volutari, & cieri spumam circa os, certissimas notas esse epilepsiæ. Deinde*, quod epilepticis & maniacis crescat malum cum ipsa luna: Maniacis quidem & epilepticis ex atrâ bile aut succo bilioso exusto,crescente luna; epilepticis vero ex pituita & crudis succis, decrescente luna. Illius ratio est, quod lumine lunæ aucto, & calor ac calefactio ejus augeatur & sic mediante illo calore cieantur ac fundantur magis exusti humores melancolici. Hujus vero ratio est; quod humores pituitosi & vitrei, imminuto illo lumine ac calore lunæ, hoc est, majori moderato frigore magnopere augeantur: uti demonstrat *Valesius sacr.philosoph. c.* 71. Interpres Arabs (quisquis ille sit ab Erpenio editus in 40.& Romæ *quatuor Evãgelistæ* in fol.Arab lat.in typogr.Mediceâan.1619.)*Matt.*5.& *Matth.*17. sentit epileptico dæmoniacos, tũ simpliciter agitari seu ruere;tum valde vexari simulac luna incipit crescere. Sic enim de eo, qui proculdubio epilepticus erat, *Matth.17.* פאנה יערב חרא פי רווס אלאחלה, id est, *quia ipse vexatur valde in principiis lunationum.* Conjici forte posset, ab antiquis Gentilibus tales dæmoniaco-epilepticos aut maniacos fuisse dictos lunaticos: quod Magicam nocendi vim lunæ inesse crederent, quippe magicis carminibus de cœlo detractæ, & eo adactæ, ut despumaret in herbas, viresque iis infunderet, quo Magi efficacius iis uti possent ad homines vexãdos.De quo videdi *Virgil.ecl.8. Horatius Epod.Ode* 5. *Ovidius metamorphos.8.& 14. Seneca in Medea act.4. Lucanus l.6. Martialis l.12.epigr.* 57. Imprimis & *Plinius lib.2.c.* 9. & 12. cum suis quique commentatoribus. Hinc etiam factum ut lunæ laboranti succurerent, clamoribus & aeris crepitu, ne nomina Magica audiret. De quo vide notas *Dalecãpii ad Plinii loc.cit. Alexander Aphrodiseus* (citante ibid. *Dalecampio*) putat crepitu illo abigi pravos dæmones, tum feroces & insultantes, cum vim suam in terras deficiens sydus non potest homini salutarem mittere.

§. Sequuntur problemata:quæ dispescimus 1.in dogmatica.2.practica.3. textualia. 4.historica. Dogmatica sint ista. 1. An unius hominis corpus

pus multi dæmones intrare & possidere queant; & an non sequatur hinc dæmonem esse in dęmone, hoc est unum intra terminos essentiæ alterius. *Resp. Affir. pr.* ex *Matth.* 8. *Neg. post.* Quia essentia cujusque est intrinsece seu ab intus finita & definita. II. An determinari possit aut debeat, qua via, quave parte, corpus humanum diabolus ingrediatur? *Resp. Neg.* Et miramur otiosas disputationes Pontificiorum; nominatim *la Torre, disp.* 25. cum tamen agnoscunt dæmones esse immateriales. Quæ ergo ratio erit cur dicatur per substantiam pectoris, aut ventris, minus ingredi, quam per os? Vnde collige quam vana & superstitiosa oscitantium, signantium os suum cruce ne scil. diabolus intret. De quo vide *disp. de superstitione.* III. An lunatismi epileptici aut energumenici causa sit, lunæ maligna quædam facultas sive frigida sive humida; aut lunæ mala & infausta quædam collocatio, tempore nativitatis humanæ, ut posterius hoc volunt Genethliaci? *Resp. Neutrum.* Genuina causa jam fuit indicata. Et genethliacorum vanitas horum aliorumque omnium eventuum causas ex horoscopo deducēs, alibi ex professo refutatur. IV. An etiam piis & fere fidelibus immitti possit hoc malum; quorum corpora sunt templa spiritus s.? *Resp. Affir.* & analogice illud colligitur, ex vexatione Iobi, tentatione Christi, percussione seu tentatione Pauli 2. *Corinth.* 12, morbo malefico fœminæ illius *Luc.* 13. possessione lunatici ab infantia *Marc.* 9. Conferat, cui vacat, *Balduinum in casibus p.* 613. 633. *la Torre p* 144. V. An diabolus ita possideat, seu potius arripiat energumenum, ut nullus rationis usus supersit? *Resp.* Aliquando, immo & plerumque hoc fieri minime dubitandum per organorum, humorum, spirituum dislocationem impeditionem &c. ipsi arreptii ab illo dimissi declarant, se omnium quæ dicta & gesta sunt, esse ignaros. VI. An ergo in omni arreptione, aut possessione; semper se habent mere passive & omni culpa carent? *Resp.* Non videtur affirmandum de arreptione: imprimis cum prava phantasmata & suggestiones obtrudit, quibus cum non resistunt, sed cedunt & utuntur, immo & sermone aut opere aliquo executioni mādant. Nec etiam de ingressu, obsessione, possessione, & permanentia. Homines enim volentes aut allicientes sive ante sive post ingressum, immo & cum illo nefariè contrahentes aliquando possidet & ἐνεργεῖ: uti docent exempla plerorumque pythonicorum. De aliis, quamvis non-pythonicis, idem affirmatur: e.gr. de *Iohannâ Fery* moniali Montensi in Hannonia: siquidem vera sint horrenda illa, quæ refert *historia* jussu Archiepiscopi Cameracensis anno 1586. Duaci edita gallice in 8. VII. An lunatismus sit malum mixtum seu compositum ex naturali & supernaturali; seu an sit alterutrum; & utrum sit formaliter? *R.* formaliter esse malum supernaturale seu dæmoniacum,

ἐνέργημα scil. seu possessio. Epilepsiam v. aut similem morbum lunaticum, aut præsuppositive tanquã occasionem, aut consecutive tanquam adjunctum seu concomitans symptoma ad illud pertinere. Confer supra *thes.* 4. VIII. An Athei, Deistæ ex energematis illis, ut & Saducæi, Libertini & theoretice convinci, & practice moveri possint ac debeant. *Resp. Affi.* ut jam indicavimus ex *Raph. de la Torre disp.* hujus parte priori: & merito *Mersennus in commentar. in Genesin*, inter classes argumentorum contra Atheos retulit hanc de dæmonibus, eorumque operationibus, e.g. spectris, ἐνεργείαις &c. IX. An ex possessione infantum (quam docet textus *Marc.* 9. & experientia) antiqui & recentiores Pelagiani possint convinci, de peccati originalis reatu, & statu iræ, quem negant? *Resp. Affi.* & non video quomodo hic Deum vindicaturi sint ab injustitia: quum de obsessione dicere nequeant, quod de morte & morbis solẽt: *naturam esse homini non pœnã.* X. An omnis fatidici seu Pythonici dæmonis possessio sit mere involuntaria, & violenta? *Resp. Neg.* potest enim esse ex intercedente voluntario pacto & operatione, seu provocatione Magica & diabolica: idque ad quæstum, aut vanam gloriam, quæ ex divinatione captatur; confer, quæ modo diximus ad *probl.* 6. Sæpe tamen involuntariam esse non negamus. XI. Vnde dignosci queat voluntaria ab involuntaria? An ex adjuncto seu concomitante enthusiasmo, & afflatu diabolico, quem sequuntur, & secundum quem ipsi divinant, cum contra in aliis ipse diabolus abusus ad id organis ipsorum, aut aliquin voce in corpore ipsorum ipsis invitis, sæpe etiam insciis efformata, immediate divinet? An etiam ex cruciatuum diversitate, quia illic aut fere nulli, aut saltem non tanti, nec tam multiplices & molesti sint. *Resp.* Videtur affirmandum, saltem prius. XII. An solus raptus, seu enthusiasmus diabolicus absque energemate, hoc est per se, & qua talis sit cum dolore & cruciatu conjunctus. *Resp. Neg.* XIII. An omnes, arreptitii, ipso arreptionis paroxysmo omni sensuum tã internor umquã externorum usu privẽtur? *R.* Plerumq; quidẽ ita fieri certum est; non tamẽ semper. Probatur id exemplo juvenis nobilis ex familiâ equitum Michaelis in Galliâ, cujus meminit *Fernelius loc. cit. p.* 372. *Caput*, inquit, *inconcussum jacebat, lingua & locutio libera, mens sana, omnesque sensus integri vel in convulsionis ferociá &c. Vera epilepsia judicari poterat, si mentis, sensuumque læsio accessisset.* XIV. An actiones quæ in ipsa arreptione eduntur, sint animales & humanæ? *Neg.* & jam ante hoc determinavimus. XV. An dari possint certa & præsentia signa totalis discessus seu ejectionis dæmonii possidentis? *Resp.* Si statis aut consuetis tẽporibus ad θαζανίσμους suos non revertatur Satan; & quies satis diuturna ac continua energumeno concedatur, utique admodum probabile est, malum hoc jam cessare.

XVI. An

XVI. An dæmonum obsidentium accessus, aut recessus pendeat ex aliquarum rerum naturalium corporali dispositione : & consequenter an positâ illâ dispositione corporali cogatur accedere, & ablatâ discedere & sic directè aut saltem indirectè cogantur & fugentur per res corporeas? *R. Neg.* contra Lullum, Burgensem, Delrio, Serrarium, Grillandum, Fayum, Corn. Agrippam, Mengum, aliosque. De quo ex professo agitur in *disp. de exorcismo.* Confer *& disp. de Dæmonibus, & de Spectris.* XVII. An melancolia homini causa esse possit aut divinationis & revelationis occultorum ; aut sermonis peregrini, & quidem de rebus atque artibus antea plane ignotis *R.* Ita quidem *Lemnius l.2.de occultis mirac. cap.1. coll.cum lib.2.de complex cap.6.* qui cum aliis nonnullis corruptę imaginationi, seu malignæ spirituum qualitati adscribit. Cum eodem facit *Forestus l.10.observation.observ.19.* Wiero eandem Sententiam impingit Fayus, eumque acriter perstingit. Sed non videtur Wierus diabolum phantasmata & humores melancholicos cientem ac turbantem excludere, Conf. *l.2.de præstig.cap.24.25.27. Anton.Gujanerius* celeberrimus. Medicus practicus *tract.15 cap.4.* adscribit impressioni planetæ, qui nativitati præsidebat, per quem in memoriam revocătur notitiæ illæ, quas anima habuit ante unionem cum corpore, & obliterata est, postquam corpori immersa fuit. *Iohannes Huartus lib.de Examine Ingeniorum cap.* linguæ latinæ cum animâ rationali consonantię hoc tribuit. Sed merito omnes illæ opiniones rejiciuntur à *Ionstono in Thaumatographia, sect. 10.c.7.artic.1.* & à sanioribus Medicis ac philosophis a Condrocho, Valesio, Fernelio, locis jam aliquoties cit., & Tobia Tandlero iu dissertationibus physico-medicis, ubi ex professo eas, præsertim Guianerii, refutat. Et rectè *R. la Torre disp.27.p.161.* vocat deliria Lemnii, atque unicâ ratione refutat non posse melancolicum, artes & linguas proferre. quas nunquam scivit aut didicit : *Qnomodo erit in ore, quod non fuit in mente? & quomodo in mente, quod nõ prius in sensu?* Addo ego, videri Lemnium sibi contradicere *c.cit.* cũ concedit dęmones se humoribus immiscere, morbos sæviores efficere &c. Cur ergo in dæmonem hos effectus non refert *Conf. Del.l.4.c.2.qu.6.* Sunt & alia problemata dogmatica, quæ in priori parte determinata sunt : An Dæmon habitet in corpore secundum essentiă; An animæ defunctorum intrent & possideant corpora, An dęmon potestatĕ usurpet in animam, an vero tantum in corpus, An in animam illabatur ; An intra eam operetur ; An lætitiam & pœnarum levamen percipiat ex possessione ; An sint diversi ordinis dæmones possidentes; An inter ipsos possessos sit diversitas ordinis, idque certo ex *Math.19.* concludi possit. De his aliisque vide *disp. cit. coll.* cum *Disp.de Dæmonibus*, & de *Magia.*

Sequun-

7. Sequuntur problemata practica; quæ sunt 1. Moralia. 2. Ascetica. 3. Ecclesiastica. 4. Politica. 5. Medica. Moralia sunt ista. I. An omnes sermones & actiones arreptitii, ipsi tanquam peccata formaliter ab illo pręstita, imputanda. *Resp.* siquidem sint diaboli abutentis organis & membris corporis, ipso inscio aut invito, *Neg.* Sin vero ipse quid egerit, aut malis quibusdam actionibus diaboli consenserit. *Aff.* Conferat, cui vacat, *Thyræum part.* 1, *p.* 41. *num.* 261. Et *Raph. la Torre qu.* 95. *artic.* 3. II. Quid si accedant interni raptus & enthusiasmi diabolici? *Resp.* si per eos intelligas puras putas injectiones & suggestiones ad αὐτοφωνίαν, blasphemiam &c. quas constanter detestatur, nec ullo modo iis cedit. *Neg.* habet enim se pure passive; sicuti cum diabolus extrinsece per visum aliquod horrendum sensibus nostris objicit; aut cum Christo ostendit regna mundi, eum tentavit, eum detulit ad pinnas templi, in montem &c. Sin vero operatio aliqua intellectus patientis, seu cogitatio aliqua ipsius energumeni (sive formata sive informis) intercedat, jã non est sine peccato. III. Quę remedia spiritualia huic malo sint adhibenda, & non? *Resp.* Vide *disp. de Exorcismo.* & supra *part.* 1. *thesi ult.* IV. An recte oscitantes, juxta veterem consuetudinem, voces, ô *domine*, ô *domine*, in ore habent & cum oscitationis actu protrudunt ac proclamant (& quidem sine attentione aut devotione); item os suum cruce muniunt. *Resp.* Fit hoc ex falsa persuasione; diabolum per os aut aperta corporis intrare; & signo crucis abigi; & prolato nomine Domini, aut Iesu. Est ergo superstitio. Defendit morem illum *la Torre p.* 152. *disp.* 25. Confer *disp. nostram de superstitione.* IV. *An* methodus illa universalis exorcistarum in Papatu sit probanda, qua primo omnium adjurantes diabolum ex eo quærunt quod fuerit speciale peccatum, propter quod ingressus sit hominem? *Resp. N.* Nam ut totum illud superstitionum choragium nunc non examinem, nititur falso illo axiomate *Ioh.* 9. *v.* 1. 2. coll. cum perversa disputatione amicorum Iobi, & cum opinione Melitensium *Actor.* 28. 4. V. An ex diabolo quærendum, aut discendum, Quis sit, & quod ejus nomen: item per cujus sancti merita sit ejiciendus: uti habet pastorale Romanum, libri Exorcistici, & praxis Romana historiis de possessis (nominatim de moniali Montensi in Hannonia) descripta. *R. Neg.* quia prius est inutile, vanum, curiosum. Posterius idololatricum. Vtrumque absurdum, idololatricum, & diabolicum. Nam os diaboli consulitur, qui est pater mendacii, hostis generis humani, & consequenter non audiendus, cum sponte quid dicit exemplo Christi *Luc.* 4. nedum consulendus, aut sollicitandus. VI. An à diabolo obsidente signa discessus petenda: quod facere solent Exorcistæ, in Papatu: & specialiter quæ signa potissimum petenda,

tenda, an ſcil. ut lumen candelæ accenſę exſtinguant, aut vas vitreum ſeu teneſtellam diſrumpant; ut vult *R.la Torre diſp.*57.§. 30.*Reſp. Neg.* propter rationes eaſdem modo allatas. Adde, totum hoc magicum choragium vanum eſſe & nugatorium. *Si quæras*, inquit, la Torre *quæ erunt ſigna infallibilia diſceſſus, & omnimodæ liberationis obſeſſorum. Vix invenio.* Paulo ante ibidē negat, clamores ſcil. inſolitos, vomitum ingentem rerum putidarum, fœtorem gravem, alliſionem in terram, membrorum diſcerptionem, parietum & domus dirutionem, quæ ſæpe accidere ſolent, eſſe *ſigna infallibilia*: *quia non raro ea edunt dæmones, ipſis adhuc permanentibus in obſeſſo, neque ſemper ſigna dant ſui diſceſſus. Aliquando egrediuntur nullis datis ſignis.* Adeo ut curioſa cognitio diſceſſus ex ſignis, quam ibidem exorciſtis injungit *la Torre* aliunde probari non poſſit, quam ex ſuperſtitionibus Magicis. Prout eam *Fajus in ſuo energumenico* diſerte probat *p.*145, ubi citat hæc verba Fl. Ioſephi lib. 8. antiquit. Iud. cap. 2. p. 206. *Volens dein Eleazarus his qui aderant oſtendere ſuæ artis efficaciam, non lōge inde ponebat poculū aut polubrum aqua plenum, imperabatq; dæmonio hominem exeunti, ut his ſubverſis ſignum daret ſpectantibus quod reliquiſſet hominem, quo facto nemini dubium erat quanta fuiſſet Solomonis ſcientia & ſapientia.* VI. An arreptitii virgis ſint cædendi, fumo torquendi; aut ſaltem comminationes iſtorum adhibendæ? *Reſp. Neg.* omnia enim hæc ex anili & vulgari opinione orta; nec in ſcriptura aut ulla naturali ratione fundamentum habent. Diabolus enim directe & phyſice non afficitur rebus corporeis: ut diximus *Diſp. de Dæmonibus.* Sed de hoc problemate pluribus in *diſp. de Exorciſmo.* VII. An liceat aliis accedere ad arreptitios, ſpectandi causa? *Reſp.* Ex curioſitate aut mera rerum novarum cupiditate non licet. Et quid opus ſe otiosè exponere alicui periculo. Sed ad contemplanda Dei judicia, & juſtiſſimam providentiam, ad hæc iram & perſecutionem Satanæ; inſuper ad conſolationem, ac levamen afflictis afferendum, & licet & expedit: quod analogice colligitur ex *Eccleſ.*7. 3. *Matth.* 25. 36. VIII. An liceat interrogare diabolum obſidentem ut ab illo ea reſciſcas & diſcas, quæ faciunt ad ædificationem proximi (uti habet *Paſorale Romanum*): ſive per modum deprecationis, ſive per modum imperii, ſive per modum familiaris colloquii. *Reſp. Neg.* Nullum enim nobis commercium cum diabolo. Vide *Diſp. de Exorciſmo.* IX. An ad omnia ejus dicta reſpondendum ſit, an vero ſimpliciter tacendum? *Reſp. Diſt.* Non eſt reſpondendum aut approbando, ſi quid boni & veri dicat (nolumus enim veritatem ex illo audire, aut ejus teſtimonio confirmari) aut refutando, ſiquid falſi & mali: Margaritæ non ſunt objiciendæ porcis *Matth.*7. nunquam enim illum paſſive convinces, aut meliorem red-

des. Prestat ergo exemplo Hiskiæ omnibus astantibus præscribere, ne quid respondeant: nisi forte infidelium aut infirmorum, qui adsunt, quique sermonibus aut factis ejus seduci possent, necessitas & ædificatio suadeat mendacia & blasphemias ejus verbo retundere. Vide exemplum Christi *Lucæ* 4.35.41. & Pauli *Actor.* 16.17.18. x. An actiones energumenon, ut ex.gr. in homines insilire, eos vulnerare *Actor.* 19. coll. cum *Matth.* 8. item veritatem religionis profiteri, Christum colere aut orare *Matth.* 8. cum *Luc.* 4. sint actiones humanæ, & consequenter moraliter bonæ aut malæ? *R. Neg.* Neque enim profiscuntur à principio actionum humanarum, mente scil. & voluntate, sed à puro puto arbitrio diaboli, hominis inscii aut inviti corpore ad executionem earum abutente. Vide & confer *la Torre disput.* 20. *Thyræum cap.* 23. & 27. *Balduinum in Casibus pag.* 627.

7 Problemata practica ascetica sunt. 1. An liceat à Deo petere hoc malum? *R. Neg.* nullum enim mandatum ejus in scriptura. 11. Quo dolore energumenus deplorabit male dicta aut facta in arreptione. *Resp.* Sua si quæ fuerint sive directe sive indirecte & per participationem, deplorabit *dolore resipiscentiæ*; aliena hoc est, quæ sunt solius diaboli *dolore detestationis* & justę indignationis, eo quod adversus gloriam Dei; & dolore *commiserationis seu condolentiæ*, siquidem in damnum & vexationem proximi patrata. Quod ad damnum & vexationem sibi illatam, possidebit animam in patientia immo & Deo gratias aget hac in parte, uti analogice colligitur ex *Iacobi* 1.2.3. & 5.10.11. coll. cum *Iobi* 1.21. & 2.10.11.111. Quid faciendum ab amicis, aliisque astantibus ante & post arreptionem? *Resp.* Consolationibus ex verbo Dei depromptis animum ejus erigant & confirment: præterea precibus suis Deo illum commendent. 1v. An expedit statim cessante arreptione energumenis referre omnia absurda, ridicula, blasphema, terribilia, noxia & tristia, quæ durante arreptionis paroxysmo in corpore, aut per membra ejus diabolus designavit? *Resp. Neg.* quia miseris illis corporis vires ita prostratæ, membra quasi confracta & contusa, humores imprimis melancolici & per illos phantasia ita turbata est, ut tristium & terribilium relatione afflictis afflictio non sit addenda. Sed lætis, ac suavibus consolationibus animus reficiendus, corpus etiam curandum. Potest tamen ac debet alias dilucido aliquo intervallo relatio istorum fieri; *tum* ut tanto magis humilientur sub potenti manu Dei; *tum*, ut vera fide & resipiscentia tanto ardentius Deum quęrant, & precibus apud illum contendāt. Imprimis omnis illa tragœdia ipsis exponenda, postquam à malo totaliter liberati fuerint; ut tanto majores Deo gratias agant, & tanto magis in posterum à peccatis sibi caveant. v. An durante arreptione con-

conveniat verbum Dei legere; ut quidam ſolent magna vocis contentione, quaſi diabolum conſternaturi? *Reſp. Neg.* Verbum Dei nullum uſum habet niſi inſtitutionis ſeu informationis, tanquam morale inſtrumentum 2 *Timoth.* 3. 15. 16. At ille locum non habet inarreptitio, qui nec audit, nec intelligit: nec in adſtantibus, qui illa rerum turbatione, illis corporis jactationibus, horrendis boatibus, & clamoribus, non poſſunt adferre attentionē lectioni ſacræ debitā. VI. An precibus ſit contendendum, dum diabolus ſævitiem in miſeros illos exercet? *Reſp.* De mentalibus & tacitis, nemo dubitat. Sed ut quis ſive miniſter, ſive alius clara voce ibi præeat, vix cum ædificatione fieri poteſt: niſi aut in alium locum ſecedant amici ſive aſtantes, aut arreptio ſit abſque clamoribus, & vehementi ſtrepitu. Breviter quidquid lectionis, conſolationis, orationis adhibetur: hoc ſedulo cavendum, ne faciamus ex iis opus operatum, aut exorciſmum; ſed totum dirigatur ad inſtructionem arreptitii, aut aſtantium, aut utrorumque. VII. An in crepationes, diræ, exprobationes, comminationes dæmoni ſævienti ſint ingerendæ. *Reſp. Neg.* Vide *Diſp. de Exorciſmo.*

Problemata Eccleſiaſtica ſunt. I. An energumeni in templa ſint de- 8
ferendi? *Reſp.* De vacuis aut lateritiis ædificiis ſeu templis negamus: Nulla enim iis ineſt vis, nulla efficacia. Vide *Diſp. de Benedictionibus*: & *de Templis.* De cœtibus eccleſiaſticis. *Diſt.* Siquidem ipſi ab arreptione nunc liberi, velint & poſsint commode cœtibus ac precibus publicis ibidem pro liberatione ſuâ conceptis intereſſe, fiat. Sed ut arrepti eo deducti aut delati exercitia perturbent, minime convenit τῷ ἐυσχημόνως τῇ ἐυτάκτως 1 *Corinth.* 14. Quod in agendis eccleſiaſticis requiritur. Quod olim in eccleſiis pernoctare ſolent, ut dæmonum terrore & metu liberarentur, ut ex *can.* 93. *Concil. Carthag. notat Albaſpinus ad can.* 27. *Concil. Eliber.* id ſane nimis fuit ἀρχαῖον II. An ad cœnam ſint admittendi? *Reſp.* in ipſo paroxyſmo. *Neg. tum* quia turbaretur, & infidelium ſcandalo aut ludibrio proſtitueretur tota actio publica; *tum*, quia ipſi eam animi præparationem, eam meditationis ſpiritualis attentionem ac devotionem, quæ in legitima cœnæ perceptione requiritur, adferre nequeunt. Quando vero ad tempus intermittit vexatio diabolica, *Aff.* Nihil enim excludit à cœnâ domini, niſi infidelitas & impœnitentia. Quod olim ad perceptionem, immo ne quidem ad contemplationem ſeu ſpectaculum euchariſtiæ (de quo infra) admitterent energumenos, catechumenos, pœnitentes; ſed eos ante conſecrationem exire jubebant, id inter ſtipulas referendum eſt. Videntur aliquam quaſi ceremonialem immunditiem,

rebus sacris & spiritualibus non convenientem, sibi imaginati esse. Quod docent infrunita illa Conciliorum statuta, de Menstruatis à baptismo aut cœnâ abstinendis, (*Photii Nomoc.tit.* 3 18.*& tit.*4.16.) de leprosis à cœtu fidelium precantium separandis *Conc.Ancyr.c.*17.& de *Energumenis Can. Apost.*78. Et ne energumenorum nomina ad altare cum oblatione recitentur. *Conc.Eliber.can.*29. Vbi vide *comment.Gab.Albaspini.* Quid velit Balduinus l.3.c.3.casu 5.non satis capio: *Non sunt*, inquit, *admittendi obsessi, qui à primâ quasi infantia sine cessatione à diabolo vexantur.* Siquidem intelligit perpetuo symptomate maniæ laborantes, utique extra controversiam est. Sin vero perpetuo possessos; non video cur arcendi sint, siquidem seipsos explorent. Nam ut per omnem vitam continuos paroxysmos arreptionum, atque adeo rationis turbationem patiantur, non puto ex experientia constare. Habet quidem Albaspinus in commēt. ad can. 37.Conc. Eliber.hanc distinctionem: *Eorū qui ab immundis spiritibus infestarentur duo erant genera quidam perpetuo agitabantur, alii lucidis intervallis gaudebant.* Sed ἐπέχω. 111. An adultus ante paroxysmum præparatus & offerens se ad baptismum, in ipso paroxysmo sit baptizandus, siquidem mors instare videatur? *Resp.* Nullam video necessitatem. Notat *Photius Nomocan. tit.*4.*cap.*15.aliquo canone definitum fuisse, quomodo δαιμονιζόμενοι & mente capti, essent baptizandi. Sed qualis sit ille canon, & quomodo determinaverit, mihi inde non liquet, nec vacat nunc amplius inquirere. Simile quid habet *can.*37.*Conc.Eliber.* IV. An ad sacros ordines, seu ministeria ecclesiastica sint promovendi? *R.Neg.* cum Canone apost.quem notat *Photius tit.*1.*c.*15.*& cū Iure Canonico dist.*33.*ubi* Gregorii I. Pii, Nicolai, Gelasii statuta exhibentur *Conc. Arausc.c.*16 addit, non tantum non assumendos, sed etiam *jam ordinatos ab imposito officio esse repellendos*, & rationes sunt manifestæ: quia patiuntur ea quæ ab imperitis sæpe ipsis adscribuntur aut de quibus peritiores dubitant, an à solo dæmone, an vero etiam ab illis proficiscantur. Quod sane ministerium ab indecoro, scandalo, contemptu minime vindicat. Accedit quod vexationes illę, ad ecclesiastica obeunda, eos ineptos reddunt, saltem sæpe impediunt. Quod autem *Concil.Eliber.c.*37.vetat lucernas ab iis accendi, nullius momenti est: & fatetur Albaspinus *se conjectura ulla aut divinatione assequi non posse, cur id energumenis potius, quam aliis prohibeatur.* Ipse enim lucernas intelligit, in festis Gentilium accendi solitas Sed quid vetat accipere de lucernis, quas κωμοζηλία quādam in tēplis Christianorum sive in festo luminum, sive aliâ occasione tunc temporis accendere solent. Quod *jus Canon.d.dist.c.maritum*, &c. Clericis, & cum eo *Toletus lib.*1, *Instr.c.*64.determinat non esse promovendos, aut ad majores

jores aut ad minores ordines, etiamsi vel semel vexati fuerint, id nimis durum mihi videtur. Vt & alterum; *si hujusmodi vexati erant promoti in minoribus, quando arrepti sunt, etiam sani & liberi ad majores nunquam ascendunt*; juxta *can. Clerici dist.* 33. v. An baptismus aut cœna domini sit conferenda energumenis: ut sacramenti ipsius virtute vel muniantur ab incursu dæmonum, vel purgentur, ut vult *Concilium Araus.* 1. *c.* 1. *apud Bochellum in Decret. Eccles. Gallicanæ. Resp. Neg.* si ex opere operato, directè & immediate sacramentum talem effectum producere intelligatur. VI. An Ecclesiæ, aut ministrorum sit curare hoc malum, & quidem aliâ ac peculiari magis ratione, quam morbos veneficos, aut quævis mala corporalia. *R. Neg.* vide *Disp. de Exorcismo.*

Problemata politica sunt. I. An fictiones hujus mali ad palliandam illicitam mendicitatem, aut alium aliquem in finem, aliquando contingant, & an illæ à Magistratu detegendæ ac coercendæ sint? *R. Aff.* Quod ad prius membrum: & docet id experientia Vide *VVier. l.* 4. *c.* 26, 27. 28. *Aff.* itidem, quod ad posterius membrum. II. An simulatoribus seu deceptoribus illis imponendi sint in pœnam tales, tantique cruciatus quales ac quantus vere possessis imponuntur ut à diabolo liberentur. *Resp.* Ita quidem habet *Concil.* II. *Constantin.* (quod est VI. generale) *can.* 60. Sed eo nihil absurdius. Qualis enim pœna canonica, seu ecclesiastica quæ per verbera & virgas (arma verè carnalia, contra 2 *Corinth.* 10.) infertur? Adde crudelitatem esse cum Magica superstitione conjunctam, verberibus & flagris corpori energumenon illatis dæmonem velle expellere. Pœna politica ad synodi διαταγὴν non pertinet. Nos autem quærimus hic an pœna à Magistratu sit irroganda, & qualis. De priori nemo dubitat cum sit delictum, & quidem grave. Posterius judicis arbitrio relinquendum; qui pœnas aggravat in talibus, aut mitigat, pro ratione circumstantiarum. III. *An* Exorcistæ (sive ordinis ecclesiastici, sive utriusque prætextu artem illam venditent) in Republica sint tolerandi. *Resp. Neg. ex tit.* de *Maleficis* & *Mathematicis*. collato cum *Deuter.* 18. *Exod.* 22 *Levitic.* 20. Iam vero Exorcistas quoslibet, etiam Papales Clericos, reos esse Magiæ, & familiaritatis ac societatis cum dæmonibus, probavimus in *Desperata causa Papatus lib.* I. *& disp. de Magia*, *& de Exorcismo.* Sed contra vulgaris *Instantia* est: Atqui tamen sæpe, saltem nonnunquã ab illis ejicitur diabolus. *Resp.* Fingit, & decipit diabolus, & sic sponte cedit, non vero coactus ab Exorcista. Addimus, dæmonas fingere ligationem, coactionem & subjectionem suam, ad quasvis de murmurationes & ceremonias magicas. Sic etiam ex homine possesso discedunnt ad ceremonias & imperium Magorum, quos sortilegos appellant; ut te-

ſtis eſt *Sprengerus in Malleo Maleficarum.* Adde morem illum olim in Germania receptum; de quo mox ex *Bodino. Fl. Ioſephus lib. 8. antiquit. c. 2.* refert vidiſſe ſe ab Eleazaro Iudeo dęmonem ex naribus poſſeſſi præſente Veſpaſiano cum filiis Tito & Domitiano extractum, idque per admotum annulum, cujus ſignaculo radix à Salomone reperta erat ſubdita: eundemque dæmonem certa conjuratione proſcriptum. Quid ergo? Ex ſucceſſu concludes illas artes non eſſe vetitas? Longe aliter cenſet *Ioh. Salisburienſis Policratic. lib. 2. c. 27.* quam egregiam diſſertationē tranſcripſerūt *Wierus de Præſtig. lib. 3. 5. c. 23. & Balduinus lib. cit. c. 3. caſu 9.* Miror tamen Eleazarum illum, & Flavium Ioſephum tam ſeriò & tanta cum contentione contra Wierum defendi à *Fayo in energumenico. p. 98. 99.* IV. *An* ergo ordinarii Exorciſtæ Papales à Magiſtratu ſint coërcendi, & puniendi: non obſtante quod ex perſuaſione religionis ſuæ, & ad ejus bonum ac propagationem hoc agere ſe proteſtentur? *Reſp. Aff.* 1. Quia mundus non regitur opinionibus. Pravas ſuas & præjudicatas opiniones divinaculi, agyrtæ, & impoſtores ad unum omnes prætexent. An ideo *tit. de maleficis* &c. ex *Codice Iuſtiniani*, & *tit. 13. cap. 20.* ex *Codice Canonum Photii* eruendus eſſet? 2. Quia hac ratione, homines emungunt argento; & factioni ſuę Romano-Hiſpanicæ (qualis eſt Clericorum apud nos) tanto arctius devinciunt. 3. Quia praxis eorum exorciſtica involvit, & promovet abominandas ſuperſtitiones, Idololatricas, & magicas. 4. Quia lata porta aperitur omnis generis fraudibus & fictionibus Exorciſticis: quas hic frequenter intercurrere norunt, illi qui in Papatu verſati ſunt, aut qui in *hiſtoriis Sleidani & Thuani & epiſtolis Cardinalis D'oſſat*, quin apud ipſum Ieſuitam *Delrio in Diſquiſ. Magicis* legerunt de ſpectro Aurelianenſi, de Martina Broſſeria, de Dominicanis Bernenſibus, de Elizabetha puella Anglica tempore Henrici VIII. (quam ſacram virginē Cantiam appellabant) de Magdalena de la Cruz. 5. Quia occaſio ipſis relinquitur, homines ſimpliciores dementandi; alios jam fucum eorum ſubolfacientes, & ad ſaniorem in religione ſenſum aſpirantes, vinculis, flagris, aliiſque cruciatibus cogendi & retinendi: cujus fraudulentæ tyrannidis exemplum nuper dederunt Lugduni Batavorū. 6. Denique quia Medicis publica autoritate conſtitutis magnam partem praxeos, & miſeris hominibus ſanitatem intervertunt, dum pleroſque morbos, & ſymptomata fingunt eſſe venefica, energumenica, ut ſcil. quæſtum ſuum promoveant. Vide inter Medicos Pontificios *Condrochum & Valeſium. ſupra cit.* v. An liceat permittere, ut quis ſagam ſibi ſuſpectam verberibus cogat, energumeno aut maleficiato benedicere? *R. Neg.* tales enim dum Magiam perſequi videntur, revera magiam exercen-

cent, quia à diaboli & diabolo cliẽtibus auxilium quęrunt. *Bodinus Dæmonom. lib. 3. c. 6.* refert per judices in Germania, immo per ipſam Imperii cameram ſolere imponi ſagis, ut coram homine affecto verba illa pronuntiarent; *Benedico tibi in nomine patris, & filii, & Spiritus ſ., in tuis bonis, ſanguine, & armento.* Quo facto illico eos ſanatos fuiſſe. VI. An uxore facta dęmoniaca, conjugii diſſolutio marito concedenda ſit. *Reſp. Neg.* ordinario ſaltem, non magis, quam propter lepram, epilepſiam, maniam, aliumve morbum incurabilem. Refert *Photius in cod. canon. tit. 13. c. 30.* & ibidem *Balſamo in ſcholiis*; In *Digeſtis* propter diuturnum furorem abſque ſpe reſtitutionis, certo in caſu concedi: ſed illud abrogari *novella 117.*, ubi inter cauſas repudii, furoris nulla fiat mentio. Rurſum tamen in *conſtitutionibus Leonis 111. & 112.* poſt exactum triennium viro, poſt quinquennium mulieri concedi. VII. An energumeni poſſint fungi muneribus publicis? *Reſp.* ſiquidem ea ſint hæreditaria, autlegitimâ ſucceſſione ad ipſos devoluta, & vicario aut optione in iis uti poſſint, ipſique dilucida habeant intervalla, non videtur negandum. Reliqua munera non convenit iis imponi, aut impoſita iis relinqui quamdiu ab hoc malo liberati non ſunt. VIII. An conducat energumenos ad ſolitudinem & certa quædam loca redigi, iiſque includi; an vero promiſcua & publica frequentatio locorum ac hominum iis permittenda. *Reſp.* Medium hic tenendum eſt: ut & publico multorum, & ipſorum bono proſpiciatur. IX. An poſſint teſtes eſſe, teſtamenta condere, contractus inire, tutela ſuſcipere &c. *Reſp.* Horum ſolutio pendet, ex determinatione de furioſis per dilucida intervalla. Quidquid enim iſtis, etiam illis concedi poteſt. Niſi quod energumeni furioſis ſint præferendi, quia pauci eorum continua mania aut furore laborant.

Problemata Medica ſunt 1. Quinam de Energumenis & morbis male- 10
ficis debeant judicare & malum hoc curare. *Reſp.* Medici: aliquo modo etiam Theologi, & Philoſophi ex ſuis Metaphyſicis ac Pneumatologicis. Medici quidem, quia de morborum cauſis, ex arte ſua cognoſcunt. Ergo hic determinant an cauſæ propinquæ, & proximæ ſint pure naturales, nec ne. Si judicent non eſſe; tum de cauſa ſupernaturali cogitandum: & hic ſuas partes habent Theologi & Philoſophi, qui ex ſcriptura & ratione de ea commentantur. De morbis & ſymptomatis, quę diaboli ἐνέργεια aut invenit aut auget, aut de novo excitat, Medicus judicat, eaque ſolus curat. Nihil hic facit Theologus, quod immediatè & directè per ſpecificum aliquod remedium reſtituat ſanitatem. Nam preces apud Deum, & conſolationes ex verbo Dei non aliam in hoc malo habent rationem, quam in quovis alio corporis morbo. Vltra illud, quidquid

ab

ab apoſtolis utrobique factum legimus, erat ex peculiari privilegio & chariſmate. Quod in morbis maleficis non magis imitari nunc debent Theologi, quam claudis dicere: *Surge & ambula.* Hic ergo capitalis vulgi error: Quod homines maleficio affectos à Theologis ſeu viris Eccleſiaſticis aut in totum aut ex parte curandos putant. De epilepſiâ tamen, vulneribus, fracturis, luxationibus ab ipſo dæmone illatis longè aliter judicant: chirurgum enim tunc advocant, non Theologum. Sententiam hanc de judicio Medicis deferendo habet *Balduinus l. 3. cap. 3. caſ. 1.* Ex Pontificiis *Condrochus Medicus, l. 3. de Morb. venef. c. 13.* cujus verba exibemus in *diſp. de Creatione.* Confer *eundem de methodo teſtificãdi cap. 1.* Valeſius c. 28. ſacræ Philoſophiæ poſtquam graviter diſſeruit dæmonas non affici rebus corporeis, ſic tandem per diſtinctionem concludit *p. 231. Hæc cum ita ſe habeãt conſtat ex his omnibus quæ dicta ſunt, veriſimile eſſe, plurimos eorum, qui Dæmonis opinione ad exorciſtas deferuntur, Dæmonem non habere; ſed morbis aliquibus eorum qui dicti ſunt, teneri & præ inopia conſilii, cum tentatæ ſint aliæ curationes antea, neque ſufficiant, deferri ad illos, id quod meritò ab* Hippocrate libro de morbo ſacro *reprehenditur: eſſe tamen etiam aliquos, quibus talium morborum cauſa eſt Dæmon, illiſque curationem naturalem non eſſe ſatis, conferre tamen, non ob ipſos Dæmones per ſe, ſed ob morbos ipſos, aut eorum ſymptomata, aut internas cauſas, quas Dæmon ciet. Exemplo eſt Saul, qui cum à Dæmone torqueretur, ſuavitate Davidicæ citharæ delinitus mitius ferebat; nimirum, ut melancholico occupatus morbo. Neque enim eſt quod quiſquam ſibi perſuadeat, Dæmonem eſſe qui muſicæ ſuavitate captus miteſceret, atque adeo illum torquere ſineret. Hoc enim refutatum jam antea eſt, diſputatumque de ea re adverſus quoſdam Platonicos* capite 15. *hujus operis in explicatione* cap. 2. Levitici *quod bis jam citavi. Solum fortaſſe ſupereſt, quod hoc loco quiſpiam dubitet, qua ratione fiat, ſi Dæmones nihil habent commune cum ullo corpore, ut melancholicos homines magna ex parte invadant, aut melancholicos ipſi morbos inferant. Mihi quidem videtur ad eorum nequitiam referendum, non ad naturam: nimirum melancholicus ſuccus, maximè omnium paratus eſt in inſaniam & deſperationem adigere, quæ illi nequam maxime exoptant.* Vbi Medicorum artem & curam prudenter limitat, ne quis cum Paracelſo putet per medici (& quidem ſignate Paracelſici) pietatem, preces; jejunia, tanquam ſpecificum & peculiare remedium nullis aliis conceſſũ aut quacunque artem myſticam malum energumenicum curandum eſſe. Ingenue itidem Fernelius lib. 2. de abdit rerum cauſis cap. 16. fatetur Medicos ſæpiſſime in judicio & curâ ſuâ hic errare, & ſibi cum aliis hoc eveniſſe, circa juvenem ex equeſtri familiâ, quem decies ad minimum quotidie corporis concuſſione & quaſi convulſione agitatum adhibitis omnibus

mnibus remediis malum illud tanquam convulsioni finitimum expugnare satagebant. Sed frustra: *quoniam* inquit *omnes longe aberamus à cognitione veri. Nam mense tertio primum deprehensus dæmon quidam totius mali author voce insuetisque verbis ac sententiis tum Latinis, tum Græcis (quanquam ignarus linguæ Græcæ laborans esset) se prodens. Is multa assidentium maximèque medicorum secreta detegebat, ridens quod eos magno periculo circumvenisset, quodque irritis pharmacis corpus hoc penè jugulassent.* 11. An morbi venefici sint naturaliter incurabiles, aut symptomata energumenica. *R.* Vulgaris multorum error sic censet: Hinc est, quod Medicos non advocant; sed aut Theologos, aut agyrtas, aut mirabiliarios empiricos, aut deliras anus, aliquando etiam Magos & hariolos: in quibus putatur θεῖον seu δαιμονιῶδες quid latere. Quod perstringit *autor Libri de morbo sacro*, qui exstat sub nomine Hippocratis. Verba ejus exhibet *Valesius cap.* 28. Incurabilis est hic omnis morbus, qui alioqui extra ἐνεργείαν aut veneficium incurabilis, apud Medicos habetur, ut ex. gr. absolutus hydrops, perfecta lepra, confirmata podagra. 2. Difficulter aut vix curabilis est omnis morbus, qui extra hunc casum est talis; ex. gr. inveterata melancolia, epilepsia &c. 3. Absolute incurabilis est omnis vel minimus morbus, cujus causa synectica & proxima est aut motus localis diaboli, aut causa quædam physica per motum localem diaboli & sic per applicationem agentis naturalis ad suum patiens producta & continuata. Quamdiu enim causa morbi non cessat, morbus curari nequit. Iam vero contra dæmonem intra corpus continuo operantem, frustra naturalibus suis antidotis extrinsecus operatur medicus. Ex. gr. dum ille coarctat aut distendit viscera, dum humores aut spiritus ciet, agitat, transfert, confundit, Perturbat, quomodo Medicus restituet? Vide apud *Fernelium lib. 2. de abditis rerum causis cap. 16. & Wierum lib 4. de præstig. cap.* 17. quam frustra laborarint Medici in istiusmodi cura. 4. Symptomata quædam ipsius arreptionis, ut clamores, risus, vultus contortus, ventris intumescentia, rugitus, & quæ similia incurabilia sunt: & tantum speculativè circa ea se habet Medicus juxta cum aliis astantibus. 5. Corporis & artuum jactationi, si quod remedium adhibere possit aut debeat; id non ex officina Hippocraticâ, sed à vinculis, catenis (*Marc.* 5. 3. 4.) & Herculeis hominum manibus petendum est. 6. Mala corporis complexio, aut malum quodcunque morbificum, cessante arreptionis paroxysmo, alibi curabile & hic curari potest: sive illud ante possessionem fuerit in corpore eoque diabolus usus fuerit, sive ex possessione ortum, aut inde incrementum sumserit. Ratio est; quia affectio spiritualis seu possessio non aufert planè naturam, seu balsamum naturale, quo morbi sanantur, & cujus minister est medicus.

Accedit experientia; quam inter alios allegat *Condr. l. 3. c. 15. & l. 4. c. 2.* ubi tamen fatetur propter rationes ibidem allegatas, curationem sæpe esse mancam & imperfectam. Confer & *Valesc. c. 28.* III. An morbi energumenici & venefici differant specie à sui similibus absque intercedente energemate, aut maleficio corpus infestantibus: e.gr. epilepsia ab epilepsia, tabes à tabe, vulnus à vulnere, mania à mania &c. *Resp. Neg.* Originis, modi; & graduum differentiam agnoscimus, sed illa non infert differentiam formæ & speciei. Quod dixi de differentia originis, & inde modi ac graduum, discimus ex harum rerum expertissimo *Condrocho lib. 2. c. 13.* ubi observat, naturales morbos sensim ut plurimum vires acquirere, donec ad statum perveniant, veneficos vero frequenter statim ab initio nullis peccantibus humoribus in causa existentibus, cum gravissimis symptomatibus ac doloribus se prodere, adhæc inconstantes esse, & raro periodos servare, quamvis periodicam naturam referant. Addit *lib. 4. c. 2.* dæmonas uti tenuiori ac subtiliori quadam substantia ex rebus naturalibus elicita ad infligendos morbos: & quia hujusmodi particularia venena nos lateant, latere etiam particularia seu specifica eorum alexipharmaca (quod idem de veneno pestis, ex Medicis retulimus Disput. *De Peste*); itaque ex generalibus & probatis antidotis iis utendum esse quæ magis spiritibus conveniunt, cum iis permisceri, & sic eos penetrare, atque alterare possunt. IV. An Morbi & languores energumenici specie differant, ab aliis dæmoniacis, item à veneficis? ex.gr. tabes à tabe, contusio à contusione &c. *Resp. Neg.* Diabolus enim tanquam causa directè & physicè agens omnes infert, quamvis illos intra corpus agens illudque possidens; istos corpori assistens; hos item assistens sed intercedecente pacto, operatione, & postulato Magorum. V. An soli naturali corporis dispositioni, energemata & mala veneficia sint adscribenda; & consequenter noxii humoris expurgatione, & complexionis correctione sanitas obtineri possit. *Resp. Neg.* Et videntur Medici non pauci (ut notat *Condrochus lib. 3. c. 13.*) errore hoc teneri: quos tamen frustra se fatigasse, & malum auxisse testatur ibid. Confer eundem *lib. 2. c. 1. Wierus l. 5. c. 30.* & *Levinus Lemnius lib. 2. c. 1.* & 2. videntur huic errori quodammodo favere, forte secuti judicium Hippocratis aut Aëtii, aut Avicennæ: quos citatos vide apud *Valesium cap. 28.* nisi forte nimium & aniles superstitiones, ac vulgares errores voluerint perstringere. Quomodo Hippocratem accipi posse non abnuit Valesius. Similem fere conjecturam de Posidonio celebri Medico sub Valente, quem taxat Philostorgius, habet *Iacobus Gotthofredus in notis ad l. 8. Philostorgi c. 10.* An forte hoc tantum dixerit, *Incubum non esse dæmonem*, uti Possidonio hoc tribuit

Aëtius

Aetius tetrabibl.2.serm.2.cap.12. Et an non hanc ipsius opinionem minime malam, huc traxerit Philostorgius. Siquidem diabolus hujus mali autor sit, (qui est causa libere agens, nec corporeis rebus obnoxia) utique sequitur, omnibus peccantibus humoribus expurgatis, ipsum tamen simul non expulsum, nisi velit: aut nisi aliis & convenientibus remediis expellatur. Vide Valesium & Condrochum *loc cit.* Qui tamen in eo non sequendi quod errore suę religionis exorcismos ecclesiasticos admittunt. *Barthol Fayus in suo energumenico* nimium superstitioni Pontificię velificatur, dum Wieri modo cit. opinionē perstringit *p.*100.101. VI. Quænam sint symptomata, qui morbi, quos præ aliis plerumque immittunt diaboli. *Resp.* Puto hoc vix deter minari posse: cum illi sint mille nocendi artes. Enumerat tamen eos *Condrochus loco cit.* Et passim particulares historiæ obsessorum. Sed de his alibi potius agendum, ubi de Magia, seu veneficiis. VII. An eâdem methodo omnes illi morbi curandi; quod faciunt Agyrtæ, & delirę anus *R.Neg.* Repugnat hoc Medicinæ & facile omnes percipiunt, quibus cerebrum non est in calcaneo. Nunc sufficerit verbo monuisse, ex principiis philosophicis: quamvis causa communis omnium sit una & eadem (diabolus scil.) causas tamen particulares & proximas. quibus utitur, non esse easdem: & consequēter non esse adhibenda una eademque antidota, & unam curandi methodum particularem. VIII. Quæ ergo sint præstantissima antidota, speciatim cathartica, anodyna, confortantia. *Resp.* Hoc Medicorum est determinare; qui communia passim tradunt: & quidquid hic particulare observandum, videtur indicasse *Condrochus*: nisi quod contra artem suam, eam sc.cum nobili ingenio captivans exorcisticis aliisque superstitionibus Papatus, admittat suffimigia obsessis prodesse; rutam à veneficiis defendere, fœniculum, sclaream oculos præcipuè ab ingressu diaboli, quia efflat ex his cum odore halituosa quædam substantia &c. *l.4.c.2.* Quæ confer cum *Mengi Flagello*, & *Fuste Dæmonum*, & similibus Doctoribus Exorcisticis. Longe sanior eo hac in parte *Valesius loc.cit.* Omnibus Medicis Pōtificiis impotentior *Fayus in energumenico*, ubi *p.*98.99. defēdit *Fl.Iosephum* (relatum sc.ab Hieronimo in catalogum scriptorum ecclesiasticorum) *lib.8.cap.2.antiquit.Iudaicar.* cabalistico magicas superstitiones spirantem. Confer *disp.de Exorcismo.*

Problemata textualia breviter tantum indicamus potius quam explicamus, quia Typographus monet abrumpendum. Loca scripturæ quæ huc potissimum faciunt & ad quæ multa philologicè, historicè, philosophicè, theologicè quæri possent, sunt *Daniel* 4.33.34. *Matth.*17. *coll. cum Marci* 5.2.3.4.5.6. *Luc.*13.11. *eActor.*16.16. & 19.14.15.16.1. De

Nebucadnezaris Mania quid statuendum. *Resp.* Egimus de eâ in *Disp. de Dæmonibus.* Hoc nunc addimus, videri admixtum fuisse energema: ita ut à diabolo & seipso primum extrusus rb hominibus, & sic ab ipsis hominibus, volentibus nolentibus desertus fuisse videatur: haud aliter ac διαμονιζόμενος *Matth.* 8. *luc* 8. confer utramque historiam. Nam verisimile non est, ob puram maniam, aut melancolica deliria, à ministris & subditis suis sive extrusum, sive aufugientem in sylvis ac desertis relictum II. Quid de spiritu malo Saulis, & Musica Davidis? *Resp.* Iam determinatum *Disp. de Dæmonibus.* Conferat præter autores ibidem cit. cui vacat *Magii Miscellanea in Thesauro Critico à Grutero edita p.* 1429. *Brodei Miscellan. lib.* 4. *c.* 31. *Valesium cap.* 28. III. Quid de lunatico *Matth.* 17. *cum Marci* 5 R. Supra *thesi* 4. breviter explicuimus. Conferantur per occasionem ab iis, quibus vacat, pręter Commentatores, *Cameronis prælect. tom.* 2. *aut Myrothecium ad loc. cit. Schulteti Exerc. lib.* 2. *c.* 48. *Lemnius de Occultis Naturæ mirac. p.* 136. 137. *Delrio lib.* 3. *Disq. Mag. sect.* 5. *Valesius c.* 71. *Heinsius in exercitat. sacris* ad *Matth.* 4. *Vosius lib.* 2. *de Idololatr. c.* 19. *Ludov. de Dieu in notis ad Matth.* 4. *Fullerus l.* 2. *miscellaneor. cap.* 17. IV. Quid de spiritu infirmitatis, quo diabolus ligaverat fæminam *Luc.* 13. *R.* Morbus fuit à diabolo immissus, tanquam causa non obsidente, sed assistente uti *Iobi* 2. 7. An à continuo adstiterit, an vero semel assistens morbum incurabilem inflixerit, aut morbum post se reliquerit, qui progressu temporis incurabilis factus sit, disqu. posset. Nos malumus dicere diabolum continuo saltem tunc non adstitisse cum Christus eam sanaret: quia alioquin illum increpasset, aut ei discessum & cessationem à maleficio imperasset. Porro morbos à diabolis infligi, alibi docendum est. De quo commentatores ad loc. cit. Et *Pineda in Iobum*, *Delrio in disquis. Magic*, *Condrochus loc. cit. Valesius cap.* 28. *Fernelius lib.* 1. *de abdit. rerum causis c. ult. & lib.* 2. *c.* 16. V. An ex *Psal.* 78. 49. certo probetur morbos à dæmonibus immitti? ut vulgo ad hoc citari solet *Resp. Neg.* siquidem textus hebraicus proprius inspiciatur. Quod agnovit Simeon Muis in comment. ad locum: *Ezra*, inquit, *& Kimhi volunt* malachæ, *id est* angelorum *syntacticum esse pro absoluto: id quod alias interdum contingit. Ego mihi videor posse hoc nomen in regimine, quod vocant, accipere ac vertere,* immissionem (legationem) nuntiorum malorum, *hoc est, rerum malarum, & per nuntios rerum malarum posse intelligere Mosen & Aronem, per quos tot mala Ægyptiis fuissent prænunciata, atque etiam inflicta.* VI. An Syracides *cap.* 27. 13. alludat ad lunaticos; ut vult *Valesius c* 28. Videtur nimis longe petitum præsertim cum obvia sit analogia ipsius lunæ, & stulti, quam docte & prolixe explicat *A Lapide in comm. ibid.* Conferri possunt commentator. ad *Apocalyps.* 12. 1.

Restant

Restant Problemata historica: quæ distinguimus in ea quæ antiquitates, & in ea quæ novitates ecclesiasticas concernunt. Proris generis paucula ista nunc indicamus. I. An & cur fuerint in Iudæâ plures δαιμονιζόμενοι tempore Christi & plures inter gentes tempore primæ propagationis Euangelii per apostolos eorumq; discipulos, & successores, quam aut ante, aut post. *Resp.* Fuisse plures colligimus ex historia ecclesiastica. Causa primaria fuit, ut Christus & Euangelium ejus ejectionibus dæmonum glorificaretur. II. An antiqua ecclesia semper & ubiq; energumenos à communione eucharistiæ, & precum ecclesiasticarum excluserit. *Resp.* Ita quidē videretur statuendum ex *canone Apost.* 78. *Pseudo-Areopagitâ in Hierarch. Ecclesiast.* Et *Concil., Eliberino c.* 29.; *& sic statuunt Micrologus observ. ecclesiast. c.* 5. 1. 51. *Maximus, Cabasila, & Germanus in Liturgicis suis. Durantes in Ration. l.* 4 *fol. & l.* 6. *f.* 129. *Albertus Magn. de Offic. Missæ tract.* 3. *c.* 23. *Alcuin. de div. Offic. Thomas* 3. *qu.* 80: *art.* 4. Sed contra adferimus *Concil. Arausicanum* 1. *can.* 1. *Et Eliberin. Concil. can.* 37. qui quomodo non contra dicat *canoni.* 29. ego nondum video; nec expedire se potest *Albaspinus Epis. Aurelianensis, in Commentar. ad dictum Concil.* Vt vel hinc videas, quam tuto à scriptura, ad patres, & antiquam ecclesiam confugiant nonnulli. Quidquid sit, non fuit hoc statutum de Energumenis, (ut ut antiquum) catholicum. Et tamen huic similia sexcenta ab antiquitatis ostentatoribus obtrudi solent. Si quis conjecturis locus ego putem errorem hunc ortum ex eo, quod energumenos arreptos à baptismo, eucharistia, precibus & exercitiis publicis excludi voluerint, etiam energumenos Gentiles, sed liberationem petentes & exspectantes in ecclesia Christiana à fidelibus charismate illo pæditis. Sed conjectura est: fere tamen tam certa, ac maxima pars conjecturalis Theologiæ, quæ ex consensu & praxi antiqua universalis Ecclesiætam speciosè venditatur. III. An dictæ Sybillę fuerint energumenæ? *Resp.* Siquidem tales fuerint, qualem unam describit *Virgilius Æneid.* 6. *Bacchatur vates* &c. utique fuerunt Pythonissę energumenæ. Sed de illis alibi, in *disp. de Prophetia.* IV. An epilepsiæ, & maniacis deliriis aut enthusiasmis diabolicis Muhammedi adfuerit energema? *R.* Non video cur hoc negandum sit, si vitam & actiones ejus intueamur, Et exsertè de illo probat *Iohannes Andreas Maurus in Confusione secte Mahometicæ. cap.* 1. eum à Meccanis civibus pro fatuo & obsesso, & à Propriâ uxore pro Phrenetico & à Satanę tentationibus deluso fuisse habitum. *Idem ibid.* & *Philippus Guadagnolo in apologiâ contra Achmedum Alabadin c.* 10. *sect.* 1. ex libris Saracenicis *Agar* & *Assifa* probant eum ex vita eremitica, & nimio jejunio factum fuisse insomnem & furiosum, & in spelunca commorantem audiisse voces & sermones lo-

quentem autem neminem vidisse. Ita cum furiosis & dæmoniacis Enthusiastis, ac phrophetis Monasteri ensibus quos patrum nostrorum ætas vidit, in eo comparari possit.

Ex novitatibus Ecclesiasticis historica problemata sint ista 1. An Francisco Assisio,& Prophetis Anabaptisticis Monasterii,& in Hollandia(quorum vitæ & icones peculiari libello edita) enthusiasmus diabolicus, energema, æque tribui non possit, ac Muhammedo? *Resp.* non videtur improbabile. De Anabaptistis homicidia intonantibus, & patrantibus, vix dubitem. Franciscum ridiculè μωρολογῆσαι ad minimum maniacis & deliris accensendum putem. II. An plures sint hodie energumeni, & maleficiati inter Gentiles in Iaponia &c. quam inter Christianos; & rursum inter Pontificios quam inter Reformatos. *Resp. Aff.* utrumque. III. An Enthusiasmus quis, & energema *Iohannæ* Lotharingicæ (vulgo dictę, Virgini Aurelianensi) sit attribuendum. *Resp,* Diabolicum & Magicum] quid interveniisse judicabant Theologi & judices ecclesiastici, qui illam vivicomburio devoverunt. Sed causam ejus defendunt ex altera parte viri docti nec pauci nec ignobiles; inter quos ex recentioribus *Delrio in Disq. Magic.* ubi vide plures antores citatos. Nuper ICus Lotharingus peculiari libro Iahannam à crĩminibus intentatis purgare conatus. Ego ut divinum prophetiæ & miraculorum donum ipsi adscribam, nondum adduci possum. De Magia nolim tamen affirmare. Verum, quia non tantum animo imperterrito, sed corporis robore in præliis supra vulgares milites quid prętstitisse creditur: quid vetat suspicari energema; & quidem innoxium, siquidem fidem ac pietatem ejus contra adversarios evincant. Aut, dicatur vehemens ac singularis impetus, & fortitudo in ipsa fuisse, cui aliquid tamen dementiæ, aut melancolię admixtum fuerit: quo factum ut minimè metuerit. Sed in hanc historiă prolixius & accuratius inquirimus *in disp. de Miraculis.* III. Quid de Lutheri tentato exorcismo quem tam infeliciter ipsi cessisse clamant Pontificii? *Resp.* Merum esse mendacium: quod doctrina & praxis Lutheri validè contundit. Historiam genuinam energumenæ ad Lutherum adductę vide apud *Balduinum in Casibus p.* 646. 647. & autores ibid. citatos. IV. Quid censendum de historia induciarum, quas omnibus energumenis dabant dæmones Lovanii, eo die, quo ad funus Lutheri profecti erant; quam ex Bredenbachio nobis objiciunt *la Torre p.* 152. *& Thyræus p.* 15. *Resp.* Analysin hujus fidei Papisticæ esse in veracitatem diaboli. Ex loco illo inventionis non raro argumentantur Pontificii, Diabolus dixit;ergo. *Thyræus cap.* 6. dicit se edoctos esse: nempe ex testimonio, seu confessione dæmonum possidentium. Mirum est non inferi ab i-

ab ipsis hunc locum Dialecticæ Fonsecæ, aut Hunnæi. Non est ergo, quod amplius tam ægre feramus Calvini stigmata probari, ex testimonio unius Bolseci: neque enim magis intestabilis est, quam diabolus. COROL. Disquisitione dignum est, quid sibi velit & *quomodo cum doctrina & praxi artis Exorcisticæ in papatu, & ordinibus sacris, qui Exorcistis juxta formulam Pontificalis Romani conferuntur, conveniat novella & particularis illa constitutio Philippi Rovenii, prætensi archiepiscopi Philippensis & Vicarii apostolici per unitas Belgii Provincias facta die 12. Decembris anno 1638. & excusa Lovanii apud Bernardinum Masium, sub viridi cruce anno 1638. pag. 12*

„*Nullus omnino sine licentia nostra, vel subdelegatorum Nostrorum Energumenos*
„*exorcizare præsumat, neque utatur exorcismis aliis quam ab Ecclesia approbatis,*
„*aut in Rituali Romano contentis. Mulieri energumenæ exorcismum adhibiturus, id*
„*præstet duabus saltem personis probatæ vitæ præsentibus. Neque ad eas exorcizan-*
„*das faciles sint Sacerdotes, sed omnia diligenter examinent, ne detur locus malis*
„*suspicionibus vel scandalis.*

DE PECCATI USIBUS PER ACCIDENS.

Resp. IOHANNE LE FEBRE *Mediob-Zeland.* 18. *Novemb.* 1643.

Amplificationes practicorum, & disputationes dogmaticorum ad loc. communes de Providentia Dei in malo, & permissione peccati, & de prædestinatione, sæpissime occasionem suggerunt disquirendi de usu seu abusu peccati. Nos ad postulatum quorundam symbolam nostram ad explicationem hujus controversiæ collaturi 1. Præmissis præcognitis & hypothesibus, 11. Quæstionem determinabimus. 111. Problemata nonnulla subjiciemus.

TErmini de quibus in hac controversia præcognoscendum, sunt *malum, peccatum, usus, per accidens.* 1. Mali natura nulla est, sed amissio boni mali nomen accepit, *Augustin. lib. 11. de civitate Dei cap. 9.* Nullum malum quà tale est ens positivum, metaphysice & proprie acceptum. 2. Malum est in bono & ad bonum. 3. Non habet proprie causam efficientem sed deficientem, 4. Non datur malum per essentiam, aut malum summum. 6. Nec ullum malum est eligibile. 6. Nec appetibile sub ratione mali. 7. Malum culpæ majus & magis est tale, quam malum pœnæ. 8. Malum culpæ & pœnæ,

næ, quamvis ſpecifice & rationibus formalibus diſtinguantur, nec unum poſſit eſſe alterum, nec unum prædicari de altero: poſſunt tamen in uno ſubjecto ſeu ſubſtrato concurrere ſeu ſubjectari; ita ut unus idemque actus concretè ſumtus poſſit dici & culpa & pœna, quippe ut riuſque formã (ita loquar) ſuſtinens. De his aliiſq; axiomatis, videndi *Auguſtinus cõtra Manichæos, Thomas in ſumma utraq; & in q. diſp. de Malo*, necnon vulgares Scholaſtici ac Metaphyſici. Cõfer infra, & *diſp. de propag. pec. original.* 1. Peccatum ſumitur aliquando abſtractè, aliquãdo concretè: illo modo notat ἀνομίαν ſeu deformitatem à lege Dei formaliter & ut ſic: iſto modo notat totum quoddam complexum conſtans ex actu ſubſtrato, & ἀνομία ſeu vitio & peccaminoſitate, & ex ordinabilitate aut actuali ordinatione ad bonum. 2. Subſtratum, ſeu materiale & ſubjectum peccati, id eſt, actio naturalis, in qua eſt ἀνομία, ut in genere naturæ præcisè & abſtracte conſideratur, metaphyſice & naturaliter bona eſt; ut vero in genere moris conſideratur, neutra & adiaphora eſt. 3. Divina permiſſio peccati quæ opponitur impeditioni divinæ, quâ Deus impedit ut creatura non poſſit aut non velit producere actum peccati; ut & tota Dei providentia circa totum complexum peccati concrete ſcil. cum ſubjecto ſubſtrato & eventu ac omnibus conſequentibus ſumptum, ab ipſo peccato quà tali, ſeu ipſa ἀνομία in ſe, per ſe, & præciſe accepta accurate diſtingui debet. Idem dicimus de decreto permittendi, & de decreto exequendi totam actualem atque efficacem peccati complexe ſumpti gubernationem, 4. Pariter & actus ſubſtratus ut formaliter procedit à creatura tanquam cauſa propria & particulari; a Deo agente, ejuſque providentia, concurſu, præcurſu, tanquam cauſa prima diſtinguendus eſt. 5. Ordinabilitas & ordinatio peccati ſive concretè ſive abſtracte accepti diſtingui poteſt in activam & paſſivam: ſeu diſtingui poteſt ejus attingentia activa & paſſiva: ſeu ordinatio diſtinguitur in ordinantem & ordinatam. 6. Ordinabilitas paſſivè accepta, notat potentiam obedientialem (ita loqui liceat,) ſeu non repugnantiam, in ordine ad potentiam Dei, qui omne malum poteſt convertere in bonum, ſeu ex malo bonum elicere: ita ut *ex* notet antecedens, præſuppoſitum, & occaſionem (per accidens ſcil.) ad quam Deus producit aliquod bonum. 7. Ordinatio paſsive accepta, dicit terminum & quaſi ſubjectum operationis divinæ: ſimili fere modo ac nihil, ex quo Deus cœlum cum elementis produxit; & tenebræ, ex quibus lucem; & terra, ex qua hominem & animalia terreſtria. 8. Ordinatio active accepta, ſeu ut attenditur à parte Dei, eſt ipſe Deus cum relatione rationis ad ea ordinanda ſeu ordinabilia conſideratus. 9. Conſequentia & eventa peccati quędam ſunt & dicuntur effecta ejus perſe, quædam per accidens

dens seu potius nullo modo effecta, si ipsum peccatum qua tale, & intẽtionem atq; operationem per causas consideres. III. Vsus rei identificatur cum ipsius fine tum principali tum minus principali, tum per se, tum per accidens. 2. Vt ergo omnis finis est bonus, & boni; sic etiam omnis usus: respicit enim usus propiè τὸ bonum utile & ab illo denominatur. Dicit enim duplicem respectum, ad bonum aliquod tanquam medium, quo quis utitur aut uti potest; & simul ad bonum aliquod tanquam finem, ad quod quis medio illo utitur. 3. Vsui opponitur abusus, cum scil. quis utitur re præter & contra naturam & finem ejus. IV. Per accidens opponitur τῷ per se, in se, ex se, de se. Quomodo autem, & quot modis dicatur per accidens à vulgaribus formalistis & lexicographis Philosophis explicatur: unde juniores ea discant, aut repetant. Sufficerit nobis hic præsupponere: 1. Quidvis de quovis ferè posse prædicari per accidens; modo combinatio & connexio sit adjuncti concomitantis, antecedentis, consequentis, cum subjecto aut principio, aut objecto aliquo. 2. Propter hanc heterogeneorum concretionem & connexionem varias esse prædicationes Logicè improprias, Rhetoricè metonymicas, immo & catachresticas; quæ propriè acceptæ falsæ sunt, impropriè acceptæ, veræ sunt? Quia non verificantur, nisi solo extrinseco respectu, in alio sc., per aliud, & propter aliud; atque in ordine ad aliud, non vero ut de ipso subjecto in se ac per se accipiuntur ac prædicantur.

His præcognitis, quæritur an aliquis sit usus peccati, seu an peccatum 2.
aliqua ratione & aliquo respectu dici possit conducere alicui & ad aliquid, aut utile esse, aut bonum esse, aut melius esse. Aut an saltem autores, si qui tale quid dixerint, excusari, & ab errore, hæresi, impietate, vindicari possint, contra temerarios calumniatores. Sunt autem ex nostris 1. *Dogmatici* (vide *Synopsin Theologiæ Leidensem cap. de peccato originis. Elenctici* in *libro* nostro vernaculo *contra Danielem Tilenum*, & in *disp. de calumnia, Quod Deus autor peccati &c.* indicati 3. *Practici* ut, *Plesseus* aliiq; in *libro* nostro *contra Tilenum* notati. Et nos *ibidem* passim, ut *p.* 90 106. Et *p.* 83. 84. 86. sed cum distinctione. Addimus nunc *Paulum Baines* inter practicos Anglos eximium, *concione in Apocal.* 2. Et inter Belgas præstantiss. *VVill. Teellinck* in *tract.* vernaculo cui tit. *Exercitium pietatis p.* 36. 44. Nec omittenda insignis *explicatio catechetica q.* 115. ubi de nostra imperfectione. Nos istis conclusionibus determinamus. I. *Concl.* Concomitantia & Consequentia omnia peccati (exceptis iis, quæ sunt peccata formaliter sic dicta) in se & per se sunt bona ac utilia: & ratio est, quia à Deo producuntur, vel immediatè, vel mediatè in & cum creaturis tanquã causis secũdis operante & cooperãte. II. *Concl.* Ipsum peccatũ abstracte & præcise pro ἀνομίᾳ acceptum seu

peccatum quà tale, in se, ac per se, & de suâ naturâ atque intrinsecâ ratione formali tantum est malum, & ad malum; consequenter est inutile, noxium, damnosum, nullum habet usum, nec ad aliquid conducit. Ratio est, quia malum nec finis est, nec ad finem est, seu non habet finem; idque quia non habet causam efficientem proprie dictam. IV. *Concl.* Peccatum improprie aut catachrestice dicitur utile, ejusque aliquis esse usus aut evētus seu effectus bonus, sed per accidens sc. *tum* actus subsstrati; *tum* permissionis divinæ, quæ permittit ipsam ἀνομίαν; *tum* ordinationis divinę, & intentionis, qua & secundum quam ordinat ἀνομίαν seu actum peccaminosum eumque convertit in bonum. Ita ut utilitas & bonitas illa. 1. Inhæreat per se *primo* operationi, permissioni, ordinationi, & intentioni divinæ, seu omnibus actibus providentiæ Dei circa peccatum; *deinde*, effectibus providentiæ divinæ, nempe subjecto peccatis subsstrato, & effecto seu eventui cuilibet bono ex peccato, seu potius occasione peccati, seu ad & post existentiam peccati educto & producto. 2. consequenter de illis per se & Proprie prædicetur: contra vitiositati formaliter ita dictæ, seu actui vitioso qua vitioso, nulla ratione insit, nec de illo prædicetur; nisi per accidens rei aut actionis bonæ cum ipso ἀχωρίστως connexæ; seu per aliud & propter aliud illi malo adjunctum, hoc est, propter bona τῇ ἀνομίᾳ συνέχοντα: ita ut malo tanquam occasioni passivę boni productio attribuatur, sed prædicatione impropria. Ad hanc conclusionem firmandam faciunt illa quę subtiliter & distincte determinat *Bonaventura, cum suo comentatore Petro Capullo ad 1. dist. 46. quæst. 6 puncto 1.* & 2. Malum scil. culpæ, prout ex ipso elicitur bonū esse pulcrum in ordine. Et conferre ad pulcritudinem universi occasionaliter scil. & per accidens non quatenus est malum, nec ratione deformitatis, sed triplici ratione; 1. prout ex eo elicitur bonum. 2. in quantum ipsi malo culpæ debetur pœna. 3. quatenus bonum oppositum apparet magis bonum ex comparatione mali. Thomas in secundo scripto ad Magistrum 1. dist. 46. artic. 3. ubi ad quæstionem an mala fieri sit bonum, sic respondet: *Dicendum quod dupliciter de malo loqui possumus. Vno modo secundum se. Alio modo secundum ordinem ad aliud, & hoc dupliciter. Vno modo secundum ordinem per se. Alio modo secundum ordinem per accidens. Bonitas ergo de malo secundum se considerato dici non potest, nec de malo secundum ordinem quo per se ad aliquid ordinatur. Sed in ordine quo malum per accidens ordinatur ad aliquid, potest aliqua ratio bonitatis inveniri, inquantum mala sunt occasiones bonorum: Et ideo omnes in hoc concordant quod malū non est bonum, quia per hoc removetur bonitas à malo absolute Similiter & in hoc, quod facere mala non est bonum, quia per hoc designatur ordo mali per se ad suam causam. Sed in hoc quod dicitur mala fieri vel esse importatur*

ordo

ordo malorum ad alia communiter : ad per se & per accidens, quia cum dicimus mala fieri vel esse nihil aliud significamus quam mala inveniri inter res. Si ergo videtur dicendum quod mala fieri, per se loquendo est malum, sed per accidens est bonum, inquantum ex malo aliquod bonum occasionatur : & quia quod est per se, verius dicitur quam quod est per accidens, ideo verior est opinio quæ posuit quod mala fieri est malum, quam quæ posuit quod mala fieri est bonum. V. *Concl.* Hinc etiam usus illi per accidens sic dicti ratione Dei ejusque providentiæ per se sunt & proprie dici possunt abusus peccati : quia Deus, ut extrinseco respectu & ad se ac modo & fine bono bene utitur peccato, ita intrinseco respectu & in ordine ad ipsam naturam peccati atque intentionem peccatoris, eo abutitur, atque illud detorquet ac divertit (velint nolint diabolus & peccatores) ad bonum. Quomodo proditione, perfidia, ambitione, avaritia, aut quocunque alterius peccato, homo aliquando recte uti, & simul abuti potest, diverso scil. respectu. Quomodo etiam mala aliqua in Republica (quæ vocantur & revera sunt necessaria), usum suum habent non in se, perse, aut propriè; sed per accidens, & impropriè, ratione scil. debitæ tolerantiæ, quando illa in se & per se bona ac laudabilis est: virtute & prudētiâ Magistratus versāte & exerēte se immediate ac directe circa tolerantiam mali, non vero circa ipsum malum. Ita ut per se & proprie laudabilis usus, & utilitas sit tolerantię; non vero abusus : contra vero ipsius mali in se non tam usus quam abusus : quia vtitur eo præter & contra naturam ipsius, & præter ac contra intentionem eorum, qui illud malum fovent. De quo infra *in problematis.* VI. *Concl.* Hinc tamen non sequitur peccatum esse bonum, aut aliqua ratione eligibile, aut laudabile, aut excusabile, aut de eo non esse serio resipiscendum, aut esse minus studiosè evitandum. Nam boni, quod sequitur ad peceatum seu quod Deus occasione peccati producit, solus autor est Deus, ideoque laus omnis in solidum ipsi tribuenda est : mali vero omnis culpa remanet soli creaturæ peccatrici. Tantum enim abest ut Deus ulla specie mali particeps esse possit, ut potius ostendat se esse tam infinite perfectissimè bonum, ut etiam malum convertat in bonum. Ita Spiritus S, ipse distinguit *Iesa.* 10. 5. 6. 7. *Luc.* 22. 23. *Actor.* 2. 23. *Rom.* 3. 3. 4. 5. *& 6. vers.* 1. 2. Quæ loca si expendantur, satis superque retundent Remonstrantium, aliorumque atroces calumnias, quibus manus Atheorum & Epicureorum contra sanctissimam providentiam Dei, & autoritatem scripturæ non parum cōfirmant, prudentes an imprudentes, ego non dicam. Vide scriptum vernaculum *Tileni, de praxi doctrinæ synodi Dordracenæ*, & nuperum *Grotii votum pro pace Ecclesiæ*, Ejusdemque *vindicias notarum suarum ad 2. Thessal.* 2., & scedulam anonymi verna-

culo sermone ante annos aliquot in Hollandia sparsã, cui tit. *Recapitulatio concionis Festi Hommii* tunc Past. Leyd. aliosq; complures cit. in *disp. de calumnia, Quod Deus autor peccati &c.* Est ergo & dicitur utile seu bonũ respectu peccati ut scil. bonus sit actus substratus peccati, *tum* in se & per se, bonitate scil. naturali seu in genere naturę, seu metaphysicè consideratus ut est ens; quia bonum & ens convertuntur: *tum* consideratus ut ordinabilis est & ordinatur ad bonum, id est ad consecutionem alicujus finis. Est enim bonum utile quod ad finem bonum ducit, vel est via ad bonum: ut habet definitio dicti *Areopag. c. 4. de div. nominib.* Quia autem tribus modis aliquid potest ducere in finẽ bonum (ut rectè observat *Bonav. ad 1. dist. 46.*) aut tãquã causa illius, aut tanquã casus, aut tanquã occasio; occasio autẽ duplex est tanquam activa, & tanquam passiva: dicimus cum eodem *Bonav.* substratum seu materiale peccati esse Deo occasionem activam ad eliciendũ bonum; formale autem ejus seu ἀτομίαν esse tantum occasionem passivam. (de quo supra) VI. *Concl.* Hoc sẽsu, & his restrictionibus à nobis indicatis, passim scriptores ecclesiastici tum veteres tum novi, cujuscunque Professionis in Christian. non verentur rei aut actioni alicui aliquid attribuere, nominatim peccatis utilitatem & usum, qui tamẽ illi tantum per accidẽs, nõ in se, aut per se & proprie convenit, sed rei aut bono alteri peccatis illis conjuncto. Sic loquitur. 1. scriptura *Primo* in materia peccati *Rom. 11. v. 11. 12. 15. 31. 32.* Quod accipiendum est per accidens, & per ac propter aliud peccato illi conjunctum, & consequenter secundũ quid, solo extrinseco respectu quodam, adeoq; improprie & catachrestice. Quod tamen alibi negat, addita distinctione atq; explicatione, *Rom. 3. v. 7. 8.* & *6. v. 1. 2. 15.* coll. cum *c. 5. v. 20. 21. Ies. 10. 7. Gen. 50. 20.* Sunt qui huc citant loca *Rom. 8 v. 28. Ps. 83. 17.* Sed an illa de peccato accipienda sint, infra disquiretur. *Secundo* in materia de malo tristi cui bonitatem, utilitatem & appetibilitatem attribuit, *Phil. 1. 11. 23. Rom. 5. 3. 2. Cor. 12. 9. 10. 2 Pet. 3. 12.* Quod totũ esse intelligendum per accidens, & per ac propter aliud cõstat ex egregia distinctione qua hanc rem explicat apostolus *2. Cor. 5. v. 4. Tertio* in materia de rebus in se ac per se bonis & tantum bonis e. g. Christo, euangelio, lege Prophetis Dei *Luc. 2. 34. 1. Petr. 2. 7. Ies. 6. 9. 10.* coll. cum *Ioh. 12. Ioh. 9. 39. Rom. 7. 5.* Quibus malum causaliter tribuitur. Sed illud per accidens intelligendũ docet distinctio & cautela apostoli *Rom. 7 10. 11. 13. Quarto* in aliis paradoxis scripturariis & Theologicis, quorum syllabus alibi exhibendus, qualia e. g. Mors est vita, maledictio est benedict. vide & *2 Cor. 6. v. 10 11.* & *12. v. 10. 11.* Specialiter in hâc materia sic loquuntur Patres, Aug. l. 14. de civ. Dei c. 13. *Audeo dicere superbis esse utile, cadere in aliquod apertũ manifestumq; peccatum unde sibi displiceant, qui jam sibi placendo ceciderant. Salubrius enim Petrus sibi displicuit quando flevit, quam sibi placuit quando præsumsit.* Simile quid habet tom. 7. l. de corr. & gratia c 9. *Talibus* (prędestinatis sc.) *Deus diligentibus eum omnia cooperatur in bonũ usq; adeo prorsus omnia, ut etiam siqui eorũ*

deviant & exorbitant, etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum, quia humiliores redeunt atq; doctiores. Discunt enim in ipsa via justa cum tremore se exultare debere, non sibi arrogando tanquam de sua virtute fiduciam permanendi, nec dicendo in abundantia sua, non movebor in aeternum. Et ib. c. 1. p. 1325. *Quod autem ad subversionem quorundā apud vos molitus est inimicus, Deo miserante, & ejus insidias in suorum servorum provectum mirabili bonitate vertente, ad hoc potius valuit, ut nulli vestrū distruerentur in pejus, sed nōnulli instruerentur in melius.* Idē tom. 1. confess. l. 5. c. 7. p. 104. *Ita ille Faustus, qui multis laqueus mortis extitit, meum quo captus eram relaxare jam caeperat, nec volens, nec sciens. Manus etiā tuae Deus meus in abdito providentiae tuae non deserebant animā meam.* Et l. 9. c. 8. p. 154. ubi de vitio bibacitatis quod matri in pueritia obrepserat: *Vndecurasti? Vnde sanasti? Nōne protulisti durum & acutum ex altera anima convitium tanquam medicinale ferrum ex occultis provisionibus tuis, & uno ictu putredinē illam praecidisti? Ancilla enim cū qua solebat accedere ad cuppā, litigās cū domina minore, ut fit, sola cū sola, objecit hoc crimē amarissima insultatione, vocans meribibulam. Quo illa stimulo percussa respexit foeditatē suam, confestimq; damnavit atq; exuit. Sicuti amici adulantes pervertunt, sic inimici litigantes plerumq; corrigunt. Nec tu quod per eos agis, sed quod ipsi voluerunt retributis eis. Illa enim irata exagitare appetivit minorem dominam, non sanare, & ideo clanculo: aut quia ita eas invenerat locus tempus litis: aut ne forte & ipsa periclitaretur quod tā sero prodidisset. An tu divine rector caelitum & terreno rū, ad usus tuos cōtorquens profunda torrentis, fluxum seculorum ordinans turbulentum, etiā de alterius animae insania sanasti alteram, ne quisquā cum hoc advertit, potentia sua tribuat, si verbo ejus alius corrigatur quē vult corrigi.* Nazianzenus orat. 1. in Iulianum prolatis; verbis psalm. 119. *Ita*, inquit, *humilitatem mediam inter delictum & resipiscentiam statuit, utpote ab illo quidem ortum, hujus autem procreatricem. Peccatum enim humiliationis (N.B.) parens est, resipiscentiae autem humilitas. Theodoretus de curat. gr. aff. l. 6. p. 97.* edit. gr. lat. Commelini laudat Plotini doctrinam, qua statuit etiam malitiam non nihil utilitatis ad universum adferre &c. Quamvis autem *Plotinus* maxime videatur agere de malis tristibus, verba tamen extendi possent ad mala turpia, si quis accuratius attendat. Gregorius Magnus l. 33. in Iobum c. 16. *Ecce qui de virtute se extollit, per vitium ad humilitatem redit.* Et cap. 18. *Secreto ergo dispensationis ordine, unde saevire permittitur iniquitas diaboli, inde pie perficitur benignitas Dei.* Notum est vulgatum illud Gregorii, quo felicem vocat *culpam* Adami, *quae tantum meruit habere redemptorem.* Hic accedat ex posterioribus scriptoribus Anselmus ad Rom. 8. v. 28. p. 61. qui extendit *omnia* ad lapsus fidelium; quod inde humiliores & prudentiores fiant. *Et dilectoribus Dei omnia cooperantur, id est, simul fiunt cuncta in bonum: quia in bonum vertuntur illis omnia quacunque ipsis accidunt, non solum illa qua appetuntur ut molesta. Vsque adeo prorsus omnia, ut etiam si qui eorum deviant & exorbitant etiam hoc ipsum eis proficiat in bonum, quia humiliores redeunt atque doctiores, & robustius atque cautius post insistunt bonis actibus.* 111. Ex Pontific. Lyranus ad Rom. 8. 28. *Istis*

enim & peccata in bonum perveniunt, quia fortiores & cautiores resurgunt. Et etiam in gloriâ ad bonum eorum facit memoria peccatorum, sicut cicatrices ad gloriam militis, qui finaliter in bello triumphavit. Thomas in Roman. 8. lectione 6. *Sed nunquid etiam eis peccata cooperantur in bonum? Quidam dicunt quod peccata continentur non subhoc quod dicit omnia quia secundum Augustinum peccatum nihil est & nihil fiunt homines cum peccant. Sed contra hoc est quod in gloss. sequitur. Usque adeo talibus Deus omnia cooperatur in bonum ut si qui horum deviant & exorbitant etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum. Unde & in Psalmis dicitur. Cum ceciderit justus non collidetur quia dominus supponit manum suam. Sed secundum hoc videtur quod semper tales in majori caritate resurgant quod bonum hominis in caritate consistit quam si non habeat apostolus se nihil esse recognoscit* 1. Cor 13. *Sed dicendum est quod bonum hominis non solum consistit in quantitate caritatis sed præcipue in ipsius perseverantia usque ad mortem secundum illud* Math. 24. *Qui perseveraverit usque in finem hic salvus erit. Ex hoc autem quod justus cadit resurgit cautior & humilior. Unde in glossa subditur postquam dixerat quod hoc ipsum faciat eis in bonum proficere quod sibi humiliores redeunt atque doctiores. Discunt enim cum tremore se exultare debere, non quasi arrogando sibi tanquam de sua virtute fiduciam permanendi.* Bonaventura ad 1. dist. 46 artic. unico ad quæstionem motam à Magistro, an bonum sit peccata fieri, sic quæst. 3 §. 20. *Ad prædictorum intelligentiam notandum quod in operibus illud est dicere bonum vel utile sive conferens quod in finem bonum ducit sive est via ad bonum. Ducere autem ad bonum tripliciter dicitur aliquid scilicet per modum causæ, vel per modum casus, vel per modum occasionis, & differūt hæc tria. Nam causa per se ducit circa illud circa quod ponitur quod est producens & intendens. Sed casus privat intentionem sed non operationem sicut patet in fodiente qui invenit thesaurum præter intentionem. Occasio autem privat utrumque non enim dicit principium producens, sed magis dicit aliquid quod principium afficit ut efficiat, sicut aliquis ex verbo audito percutit alium, verbum auditum fuit occasio non efficines percussionem, nec cooperans efficienti, sed quodammodo afficiens. Et hæc occasio duobus modis est: Quædam enim est quæquodammodo habet rationem activi quæ quodammodo excitat efficientem sicut malum exemplum ad peccatum. Vel quod habet rationem passivi. ut ex quo aliquis assumit rationem. sicut aliquis ex malo alterius excitat se ad faciendum bonum per hoc intelligendum. quod malum duo dicit scilicet privationem. & naturam ordinabilem. & ratione maliciæ comparatur ad bonum quod elicitur sicut occasio passiva, ratione boni quod substernitur sicut occasio aliquo modo activa propter quod malum dicitur occasio boni. Cum ergo aliquod ducat in bonum his tribus modis. habet sic differentiam in ducendo, Aliquod etiam potest ducere aliquod ad alterum, aut ex se aut per aliquod sui & tunc tenet rationem causæ per se. Aut potest ducere per alterum ad quod tamen non ordina-*

tur

tur, sed illud ordinat ad tercium sumpta occasione ex illo. & sic tenet rationem occasionis. Aut ducit cum alio ad quod tum non ordinatur, nec illud ad tercium, sed ambo simul & sic tenet rationem casus qui ex concursu est causarum. Ex hoc ergo patet quod illud quod ducit per modum causæ habet intra se rationem ordinationis in finem. & ideo in ipso est bonitas, & ideo recte denominatur bonum. Quod vero ducit per modum occasionis; nullam habeat intra se rationem ordinationis in finem, nec bonitatem & propter hoc non potest denominari bonum per se nisi cum additione illius per quod ordinatur, in quo scilicet consistit ratio ordinationis & bonitatis & circa quod ponitur bonitas. Cum ergo malum non ducat ad bonum ex se, sed per illud quod elicitur ex ipso à sapiente Deo, absolute loquendo malum fieri non est bonum, immo omnes consimiles sunt negandæ, quia bonitas notatur poni circa ipsum malum. Si autem addatur bonum quod elicitur vel ipse eliciens, sic concedendæ sunt hujusmodi locutiones. malum fieri est bonum ei qui novit ordinare in bonum, similiter malum fieri est bonum ut electi probentur. Petrus Capullus in commentariis ad Bonaventuram dist.cit.qu.3. p.777. *Sanctus Bonaventura in dub. 3. lit. subtilissimè, ac doctissime hoc examinat, distinguendo quod cooperari in bonum alicui potest esse tribus modis, uno modo adiuvando, quemadmodum gratia cooperatur libero arbitrio, & è converso, secundo excitando, ut paupertas, & miseria quæ excitant ad amorem Dei, tertio obsistendo sicut aqua calida fortius congelatur, quia dum resistit, vigoratur actio contrarii, & sic malum dicitur cooperari, vel quia facit hominem ad bonum magis excitari, vel magis, quia dum obsistit, & homo prævalet, Vigoratur virtus gratiæ, & ferveſcit.*

Vel sub aliis verbis, & redit in idem, ampliando tamen, & declarando aliquid cooperatur alteri in bonum tribus modis.

Primo ut directius, quia per se est ordinatum in bonum, sicut virtus gratia, & hujusmodi per se ordinantur in bonum.

Secundo aliquid cooperatur alteri in bonum, ut velocius, vel facilius sicut paupertas, vel infirmitas faciunt moveri in bonum.

Tertio modo ut ferventius, & sic peccatum, nam sicut frigus quanto vehementius recedit, tanto relinquitur calor ferventius, sic peccatum recedens inducit vehementiam doloris, & majorem ardorem ad melius operandum, unde Apostolus ad Rom.8. *diligentibus Deum cooperantur in bonum illi, qui ab eo recedit.*

Si sunt angeli mali, tunc etiam cooperantur in bonum quia malus angelus tentando promovet, & exercet, & fabricat coronas æternas, ut testatur S. Gregorius utile est sanctis tentari, probari, & examinari, ut cum probati fuerint coronam accipiant. Iacobi 1. *beatus vir, qui suffert tentationem; aut est bonum proprium sicut anima nostra & hæc etiam cooperatur in bonum, ibi enim invenit homo illuminantia & inflammantia, cum se videt ad imaginem Dei, si autem est malum, cooperatur in bonum quia pœna purgat à culpa, & culpa ad portandum juvat, unde bene uti-*

utitur malis, quæ facit, qui exinde fit humilior in conscientia, ferventior in patientia, solicitior in cautela, hoc clarissime testatur Sanctus Augustinus in l. de correctione & gratia *sic dicens, talibus scilicet diligentibus usque adeo Deus omnia cooperatur, in bonum, ut si qui horum deviant, & exorbitant, etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum, quia humiliores redeunt, atque doctiores ut Petrus, illa etiam mala, quæ ab iniquis fideles pie perferunt, ut ait* Augustinus in lib. de Trin. *ipsis utique prosunt, vel ad delenda peccata, vel ad exercendam, probandamque justitiam, vel ad demonstrandam hujus vitæ miseriam, ideoque & Iob Dei manum & Apostolus Satanæ stimulum sensit, & uterque bene profecit, quia malum bene portavit.* Dionys. Richel Carthusianus in Rom. 8. 28. *Omnia tam bona quam mala &c. Bona enim, id est, opera virtuosa cooperantur in eis bonum directè, mala vero indirectè. Nam & abundavit iniquitas, abundavit & gratia* Rom. 5. *Ideo scriptum est de vero justo, omnia quæcunque faciet prosperabuntur. Sæpe enim contingit, ut quo se gravius peccasse perpendunt, eo humiliores & ferventiores reddantur.* Titelmannus in elucidatione in epistolas, Rom. 8. 28. *Scimus vero, quoniam iis quæ diligunt Deum, ejusdem spiritus beneficio, omnia sive prospera sive adversa sive læta sive tristia, cedunt in bonum, & ad fructum crescunt meritorum: Ita ut nulla via possint (N. B.) ab ea ad quam prædestinati sunt gloria, impediri: his (inquit) qui secundum propositum divinæ prædestinationis vocati sunt ad fidem Christi in sanctitatem.* Cajetanus in Rom. 8. 28. *Et dicendo omnia, nihil excludit spectantium quomodolibet ad sanctos & c. ad cujus bonum non est dubium Deum omnia ordinare, etiam infernum.* Corn. à Lapide in commentar. ad Rom. 8. expositionem Augustini, Anselmi, Thomæ probat, & subjicit explicationis gratia: Sic è cõtrario *S. Aug. serm. 78. de temp. & Soliloq. c. 28.* Improbis, *ait*, & reprobis omnia cooperantur in malum, & ipsa oratio eorum vertitur eis in peccatum. *Quod intellige non proprie & per se, sed per accidens, quia scilicet omnis gratia, omniaque dona Dei, ac consequenter ipsa etiam oratio cedit reprobis in culpam, & graviorem damnationem, hoc ipso, quo hisce Dei donis abutuntur, dum iis uti & per illa se convertere, suamque salutem procurare nolunt.* Pererius in Genesin lib. 1. ad cap. 1. v. 31. p. 209. edit. in 8. *Mala culpæ, vere ac simpliciter mala sunt, nec in se quicquam habent boni, hæc sunt peccata: tanta est tamen Dei bonitas sapientia & potentia, ut ea quoque ad bonum aliquod ordinentur & perficiantur. Deus enim tam bonus est ut velit, tam potens ut possit, tam sapiens ut sciat ejusmodi omnia mala convertere in bonum: ut etiam quæ nec facit ipse, nec vult fieri, ad id tamen quod facturus est, mirabiliter applicet & adaptet. Aut enim peccata condonat, quo eximiam clementiam & misericordiam suam ostendit; aut vindicat & supplicius æternis castigat, & in eo rectitudinem & rigorem justitiæ suæ demonstrat; facitque ut electis suis etiam peccata proficiant in bonum: scilicet ut ex lapsu surgant humiliores*

liores & cautiores, & ad bona opera alacriores atque ferventiores. Illustre hujus rei argumentum simul & exemplum, Adami peccatum nobis exhibet, quod quam grave fuerit, quam longe lateque virus & exitium diffuderit, quam severe vindicatum fuerit, in confesso est apud omnes: hoc tamen tantum malum, quæ Dei est bonitas & potentia, ad maximum bonum & præclarissimum Dei operum mirabiliter conversum est, ad incarnationem videlicet, passionem, & mortem Filii Dei. Vt non inconsulte aut temere quodam loco exclamet Gregorius, *O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem.* Lorinus in commentar. ad Ps. 83. approbat sententiam *Augustini lib. 14. de civit. Dei cap. 13.* & Nazianzeni orat. 1. in Iulian, quas modo citavimus; & addit: *Itaque ignominia & confusio aut est culpæ, in quam labi finit Deus, aut oritur ex turpitudine peccati considerata, aut extrinsecus ex aliqua alia causa infamiæ, aut damni. Omnibus istis modis ignominia confert (N.B.) ad quærendum nomen domini.* Thomas à Kempis lib. 3. de Imit. c. 8. *Facti sunt inopes & viles relicti, qui in cælũ posuerunt in dum suum: ut humiliati & depauperati discant non in alis suis volare, sed sub pẽnis meis sperare.* Petrus Montanus Minorita in expositione in passionem domini, ita notat ad lapsum Petri: *Sic nota & vide, quam verum sit quod dixit Paulus, iis qui diligunt Deum omnia cooperari in bonum. Ludovicus Bloysius cap. 8. Instit. Spiritualis* consolatur pios adversus vitia & defectus, quos vincere non possunt, quod sint tanquam fimus, quo ager animæ stercoratus, tanto plures fructus profert. Eandem utilitatem peccati explicat Capullus in commentar. ad Bonaventuram ad 1. dist. 1. art. 1. qu. 2. puncto 3. p. 55.

Num opera vitiosa sint utibilia.

Tangitur hæc dubitatio à S. Doctore in tertio, & quarto argumento, cui sic est satisfaciendum, opera vitiosa possunt considerari tribus modis, uno modo secundum se, alio modo in quantum sunt elicita à peccante, tertio modo prout voluntas potest circa ea habere aliquem actum, puta displicentiæ, & detestationis, primo modo non sunt utibilia, quia non sunt referribilia in Deum, secundo modo similiter non sunt utibilia, quia sic deviant omnino ab ultimo fine, tertio modo possunt dici utibilia nam ut ait Apostolus Rom. 8. *scimus quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum; quo constat, quod mala culpæ cooperantur electis in bonum, sicque per ea juvantur in bonum.*

Quod, ut clarè intelligatur, advertendũ quod malũ culpæ non habet ex sua natura, ut dirigat nos ad Deum vel cooperetur in bonũ, sed accidentaliter & occasionaliter tantum in quantũ aspirante, & præveniente gratia Dei ex consideratione propriorum excessuũ magis compungimur, & humiliores, cautiores, servẽtioresq; reddimur, ita ut ubi abundavit iniquitas, abundet & gratia, sicque martyres bene usi sunt crudelitatibus tyrannorum.

Observat S. Doctor, quod ratio ordinationis in bonis est ex parte ordinantis, & ordinati, quia bona de sua natura sunt utilia & ordinabilia, in malis vero est ratio ordinationis non ex parte ordinatorum, sed potius ex parte ordinantis.

Pro cujus dicti dilucidatione notandum, quod duplex est ordo rei, unus est ipsius rei particularis, in quem secundum suam particularem naturam ordinatur, alius est ordo universalis divinæ providentiæ, qui nunquam deficit, sed est infallibilis, v.gr. homo ordine suæ particularis naturæ ordinatur in Deum per gratiam, quam habet, & per habilitatem, & capacitatem suæ naturæ, hic ordo per peccatum perditur, quia perditur gratia; sed tamen ordine universalis providentiæ Dei est ordinatus homo peccator ad pœnam, & ad manifestationem divinæ justitiæ.

Rursus advertēdum secundum S. Doctorem in 1. dist. 46. q. 5. *quod licet malum non sit ordinabile per se, nec in se, quia non habet in se bonitatem, nec ordinabilitatem, nihilominus ratione boni materialis, in quo sustentatur, dicitur per accidens ordinari.* Idem ad *dist.* 1. *artic. puncto* 1. *part.* 55. verba modo exhibuimus. IV. Ex aliis, partim adversariis doctrinæ de gratia Dei, & providentia, partim religionis nostræ accusatoribus, partim ejusmodi autoribus quos adversarii probant. *Erasmus in paraphrasi ad Rom.* 11. de Iudæorum lapsu & apostasia affirmat, quod feliciter conduxerit &c. Lutherus commentar. in Genes. 52. p. 249. 250. edit. lat. in fol. eleganter exponit illa verba: *Vos cogitastis malum* &c. & adducit *Rom.* 8. 28. solvit etiam malam consequentiam, quam nonnulli hinc educunt. Verba ejus sunt: *Ita Deus ex tanto malo summum bonū effecit. Facile igitur vobis ignosco, cum videam Deum vestro pessimo consilio mihi & infinitis aliis plurimum profuisse.*

Atque hoc est quod Paulus ait Rom. 8. *Scimus quod diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti. Et* Augustinus *alicubi inquit: Tam bonus est Deus, ut non permittat malum fieri, nisi ingens bonum inde possit elicere.*

Sed inde non sequitur hoc, quod colligunt homines profani, & à Paulo refutatur Rom. 3. *Si enim veritas Dei in meo mendacio abundavit in gloriam ipsius, quid adhuc & ego tanquā peccator judicor, & non sicut blasphemamur, & sicut ajunt quidā nos dicere: Faciamus mala, ut veniant bona? Addit enim Paulus: Quorum damnatio justa est.* Vide & Brentiū in Exod. 4. p. 60. 61. edit in 80. *Et hac indurationeutar non in vestrā pernitiem, sed in vestram salutem, & in gloriam nominis mei &c. Cum igitur Deus in hoc verbo: Indurabo cor Pharaonis, maxime omnium ad cōsolationē Israelitarū respiciat, non debet intelligi, Deum esse autorem peccati in Pharaone, sed potius intelligi debet, quod Deus significet se tam industrium esse, ut mala Pharaonis induratione, bene ad illustrandam gloriam nominis sui utatur.* & Chemnitium in Examine sess. 6. cap. 6. *Sæpe etiam malitia illa, quæ ab ipsa homi-*

hominum voluntate oritur, & à diabolo inflammatur, Deus utitur ad irrogandas meritas pœnas illis, quos juſto ſuo judicio vult viſitare. Imprimus & Arminium diſputat de Iuſtitia & efficacia providentiæ Dei in malo theſi 15. *Quum vero actus, quanquam potentiæ & voluntati creaturæ permiſſus, poteſtati ejuſdem ademptus ſit per legiſlationem, & propterea ſæpenumero futurum ſit, ut creatura non omnino in malo obdurata, actum quia peccato junctus ſit patrare nolit, niſi argumentis quibuſdam & occaſionibus, quæ velut incitamenta ſunt ad illum patrandum, objectis; iſtius quoque objectionis adminiſtratio penes Dei providentiam eſt, qui irritamenta iſta objicit, tum ut exploret an creatura à peccando abſiſtere velit, etiam irritamentis incitata, quandoquidem exigua laus abſtinentiæ ubi illa abſunt, tum ut, ſi creatura velit iſtis incitamentis cedere, ille ſuum opus per actum creaturæ efficiat, non neceſſitate impulſus, quaſi opus ſuum citra actus creaturæ interventum producere nequeat, ſed voluntate multiformis ſuæ ſapientiæ illuſtrandæ permotus.* v. Ex ſcriptoribus Chriſtianis communiter cujuſcunque ſint profeſſionis, 1. *Omnes* illi qui ſcribunt pro veritate religionis Chriſtianæ contra Atheos, Gentiles, Epicureos, Manicheos &c. cum defendunt & explicant quomodo bonum ſit, eſſe malum. Vide *Euſebium lib. 3. præpar. euangel. cap. ult. Auguſtinum lib. 1. de civit. Dei c. 8. & ſeqq. & lib. 11. c. 18. Thomam contra Gentes l. 3. c. 9.* Eundem in *quæſtionib. diſput. de Malo* Et ſententiarios ad 1 *diſt. 46.* cum determinant iſtas quæſtiones: Vtrum mala fieri ſit bonum: Vtrum malum ſit ordinabile à Dei voluntate: Vtrum malum ſit de decore & complemento univerſi: An poſſit dici pulcrum: An conferat ad pulcritudinem univerſi. *Pleſſeum de veritate religionis c. 12. Eundem in meditationibus gallicis, part. 2. ad textum prov. 16. 4.* 2. *Omnes* locorum communium & controverſiarum ſcriptores, ubi agunt de permiſſione peccati, de providentiâ Dei in malo, de peccato pœna peccati, de lapſu Adami, de peccato originali, de lapſu diabolorum & derelictione eorundem in peccato. 3. *Omnes* practici de tentatione, de conſolatione & excitatione piorum adverſus imperfectionem in hac vita, diſtractiones, inſenſibilem devotionem &c. VI. Denique ex philoſophorum, oratorum, aliorumque ſapientum axiomatis, & gnomis vulgo uſitatis, quæ per τὸ per accidens explicanda ſunt; qualia ex. gr. generatio unius eſt corruptio alterius. Ex malis moribus bonæ leges, Privatio eſt principium rerum naturalium.

VIII. *Concl.* ſpecialia conſequentia peccati & uſus per accidens ſic diſtribuimus, quod alii conſiderentur propriè ſeu magis in ordine ad Deum, alii in ordine ad homines, eoſque tum ſalvandos, tum non ſalvandos. Vſus per accidēs in ordine ad Deum in univerſum ſunt, illuſtratio gloriæ, ſapientiæ, potentiæ, miſericordiæ, juſtitię. Quod probatur & ex pro- 3.

fesso explicant autores, cum agunt de providentia, de prædestinatione & de permissione peccati, & permissione lapsus Adami. *Peccatum* (inquit Vrsinus in vol. tractat. theologicar. disp. de providētia p. 187.) *itaque per se sive sua natura, cum ex incredulitate & ex contemtu Dei perpetretur, intentione peccantium: Deum afficit contumelia & merito suo mortem æternam affert peccantibus: gloriæ autem Dei & electorum dejectioni coram Deo & imprecationi misericordiæ & justitiæ Dei servit per accidens, hoc est, ex Dei miserentis vel punientis misericordia & justitia.* Sunt ergo hic distincte & per partes notandę, 1. *Illustratio* glorię misericordię in iisdem illis salvandis qui peccarunt *Rom.* 11. *v.* 31. 32. *Galat.* 3. 22. Et huc facit exemplum lapsus Adami, qui occasio fuit exserendæ infinitæ illius dilectionis & misericordiæ divinæ qua datus est in sponsorem filius unigenitus, eique imposita nostra peccata, præstita reconciliatio & satisfactio, eaque nobis applicata in remissionem peccatorum *Roman.* 8. *Iohan.* 3. 16. 2. *Corinth.* 5. 18. 19. *Ephes.* 1. *v.* 6. 7. Quod à practicis & concionatoribus tum antiquis tum recentioribus amplificatur ad textus cit. & ad historiam nativitatis, ac passionis Christi. Et hinc illud per vulgatum hyperbolicum & catachresticum Gregorii Magni: *O felix culpa, quæ talem meruit habere redemtorem* 2. *Illustratio* gloriæ misericordiæ in prima conversione peccatoris à morte ad vitam, ejusdemque receptionis in gratiam. Et huc faciunt exempla latronis in cruce, peccatricis fœminæ *Luc.* 7., persecutoris Pauli *Act.* 9. coll. cum 1. *Thimoth.* 16. Commentarienses *Actor.* 16. *v.* 27. Quorum profundi lapsus, & illustria ac splendida peccata, quibus supra alios peccatores ante eminebant & quæ sæpe proximè ante conversionem excellenter peccantia erant, illustrarunt gloriam immmensæ ac immeritæ misericordiæ divinæ *Rom.* 5. *v.* 20. *Luc.* 7. *v.* 47. Ita contraria juxta se posita magis eluceſcunt 3. *Illustratio* glorię misericordiæ & longanimitatis in restitutione fidelium à gravi lapsu, atque hac occasione in ingenerandis, augendis, & excitandis novæ creaturæ actibus ac virtutibus Christianis; profundo sc. dolore ac pudore ac humiliatione super peccatis *Zachar.* 12. 2. *Corinth.* 7. lætitia & consolatione in renovato gratiæ divinæ sensu, prudentia & solicitudine adversus peccata in futurum, zelo & abundantia in bonis operibus, prolixa caritate tolerantia, ἐπιεικείᾳ, & commiseratione erga proximum in peccatis etiamnum viventem, aut in ea lapsum ac relapsum. Consideretur exemplum Petri, *Matth.* 26. coll. cum *Luc.* 22. *Ioh.* 21. & *Actor.* 2. Et Ecclesiæ Corinthiacę 1. *Corinth.* 4. coll. cum 2 *Corinth.* 7. Vbi videndi commentat. & concionatores: præter dicta autorum *præced. thesi citata*; & *commentatores ad Rom.* 8. 28. & *Psalm.* 83. *v.* 17. Vbi inter alios *Lorinus* citat. ac probat dictum *Augustini* ex *lib.* 14. *de civit. c.* 13. & *Nazianzeni*

zeni orat. 1. contra Iulianum: Culpa est mater humilitatis, *Augustinus in confessionibus* suis *lib.* 5. *cap.* 7. & *lib.* 9. *cap.* 8. omnes usus quod ad ipsos peccatores, & quod ad alios egregie in suo exemplo demonstrat. Aurea ejus verba supra exhibuimus. 4. *Illustratio* gloriæ misericordiæ adversus alios, quos occasione alienorum peccatorum & lapsuum, mirabili modo à lapsu præservat, aut labentes sustentat & erigit, aut lapsos ad salutarem resipiscentiam, & per eam ad se reducit. De omnibus illis viis domini, modo recensitis merito exclamet quis cum apostolo *Roman.* 11. *v.* 33. ὦ βάθος &c. Hinc *Misericordia ejus abyssus justitiæ, & justitia ejus abyssus misericordiæ.* Huc pertinet illud vulgatum, *Periissem nisi perissem.* Et duo similia, quorum unum desumitur ex theriaca, quæ ex venenis conficitur ad venena superanda, alterum à lethargo, ad quem superandum Medici in laborante febrim, siquidem ea adsit, relinquere dicuntur, aut eandem, si non adsit, excitare. 5. *Illustratio* gloriæ sapientiæ, potentiæ, & justitię divinæ. Sapientiam suam πολυποίκιλον ostendit Deus occasione peccati, cum illud mirabiliter permittit, tolerat, gubernat, in principio, in progressu, in egressu seu eventu. De quo videndi autores de providētia Dei in malo, imprimis etiā *Arminius in disputationibus*, tit. peculiari. Potentiam & justitiam ostendit, cum omnipotēti facilitate frangit ac vincit peccatum misericorditer condonando; aut vincit ac contundit peccatorem sive juste & severe puniendo ac vindicando, sive paterne castigando ac corrigendo; aut terret alios peccatores. Huc pertinet exemplum Pharaonis *Rom.* 9 & Sodomitarum, & primi mundi. *In ordine ad homines* usus ex jam dictis facile desumi & applicari possunt. *Convertendi* hac occasione convertuntur, & in abyssum, lutum profundum prolapsi inde eruuntur; qui procul sunt appropinquant per viam salutaris pudoris & desperationis ad desiderium, quęsitionem, atque apprehensionem gratiæ Dei in Christo enitendo. *Actor.* 2. *v.* 37. & 16. *v.* 30. lapsi & recidivam passi, tanto promptius & alacrius resurgunt, & renovata quasi aquilæ juventute ad perfectionem contendunt, *Iesa* 40. Quæ per singulas sanctitatis, seu novę obedientiæ conditiones, partes, actus, gradus deduci & amplificari possunt. Sed de his in Ascetica, titulo Praxis resipiscentiæ. 2. *Pii* etiam fortissimi in fide, hinc habent materiam patientiæ, fortitudinis, humilitatis, vigiliæ, contentionis in precibus, fiduciæ & spei in Deum, dependentiæ à sola ejus gratia &c. Huc fac exemplum Pauli 2 *Corinth.* 12. Et dictum *Bloysii supra cit.* quo ex experientia affirmat Deum relinquere aliquando in Gymnastis spiritualibus molestos quosdam defectus, quibus tanquam fimo ager animæ ipsorum stercoretur &c. 3. *Non convertendi*, confunduntur magis, & in se ipsis con-

vincuntur, & ἑαυτοντιμωρούμενοι turpitudinem, maculam, vilitatem, reatum pœnasque omnes peccatorum in se sentiunt ac sustinent. Quod egregiè docet apostolus *Rom.* 1.24.26.27.28. 4. *Alii peccatores* tum convertendi, tum nō convertendi, aut salutariter aut πρὸς ἀναπολογησιαν confunduntur. Hos aliosq; usus & effectus per accidēs, ipsi adversarii cognoscere coguntur, quidquid alias contra prævaricentur, quoties in innoxiam nostram doctrinam de providentia & prædestinatione incurrunt. Videatur *Arminius adversus Perkinsum sect.* 7.8.9. Idem in *disp. de providentia Dei in malo thesi.* 5.16.23. Et in *disp. de primo primi hominis peccato thesi* 10. Inde enim necessario sequitur peccatum posse dici conducibile seu ordinabile in bonum, immo & actu conducere & ordinari in bonum, cum fit scil. materia seu occasio exercendæ divinæ misericordiæ, justitiæ, potentiæ: quod bonum homo peccator non intendit, nec sequitur ex ipso peccato naturaliter & per se; sed Deus libere illud intendit ac vult, & consequenter occasionem illam arripit, eaque non minus, recte utitur respectu intentionis suæ, quam abutitur respectu intentionis peccatorū, & respectu naturę ipsius peccati. Et hinc peccatū, quod fit libere permittēte Deo, existit necessario necessitate sc. consequentiæ: quod ex ipsis *Arminii* verbis p. 157. solide educitur. Vide & *p.* 167.161.162. De quo pluribus in *disp. de Methodo respondendi calumniis, de Deo autore peccati.* Sed omnibus calumniatoribus atque adversariis, qui quidem scripturæ autoritatem adhuc agnoscunt, propono quæstiones illas, ad quas si categorice respondeant, videbunt etiam calumnias suas absterſas. 1. An Deus permittat peccatum. 2. An ab æterno decreverit permittere? 3. An utrumque faciat frustra; an vero certo aliquo fine? 4. An etiam ordinet seu convertat peccatum in bonum, hoc est, an occasione peccati operetur aliquod bonum. 5. An peccatum arripiendo & faciendo materiam ac occasionem boni à se inde producti, ipse fiat autor peccati illius; aut peccatum illud desinat esse peccatum. 6. An permissio peccati, ejusque ordinatio & conversio in bonum, sit bona, & utilis, quippe per se medium illustrandæ glorię divinæ? 7. An hoc respectu ipsum peccatum aliquo modo, improprie sc. & catachrestice possit dici utile, & tanquam medium: quod per accidens tale sit, seu tale fiat, per accidens scil. admirandæ sapientiæ & gubernationis divinæ: cum alioquin in se & per se mere malum sit, consequenter nec utile, nec medium, nec finis, nec ad finem. 8. An & quomodo Deus dici possit hunc usum peccati per accidens voluisse & intendisse, sive directe sive indirecte. 9. An saltem non possit usus & utilitas aliquo respectu tribui peccato concrete & complexim cum omnibus circumstantiis sumto. Vbi nos docuerint quid hic respondendum sit, non

puto

puto ullam reſtituram controverſiam, ſed meram ac caſcam calumniam, quæ ab ipſis revocanda eſt, ſi conſcientiæ ſtudeant : aut ſaltem meram nugationem & otioſam temporis fallaciam; qualem committit *Arminius contra Perkinſum p.* 124. 125. Neque enim Perkinſus, aut ullus noſtrorum tam craſſe philoſophatus eſt, ut peccatum quà tale diceret bonum, aut in eo quà tali bonum aliquod inveniret; aut etiam peccatum per ſe bonum eſſe, aut ad bonum ordinari contenderet.

Subjicimus paucula problemata. 1. *probl.* An *Roman.* 8. *v.* 28. proprie agatur de omnibus malis, non tantum triſtibus, ſed etiam turpibus, *Reſp. Neg.* cum noſtris interpretibus, & quibuſdam Pontificiis. Neque enim putamus circumſtantias textus permittere ut ad mala turpia extendatur: quāvis cum *Auguſtino c.* 9. *de corrept. & grat.* huc extendant *Lyranus, Anſelmus, Thomas* aliiq; Pontificii ſupra *theſi* 2. *cit.* Siquis per accommodationem aut alluſionem verba illa huic negotio applicare velit, non repugnamus. 11. *probl.* An *Pſ.* 83. 27. directe & proprie intelligēdum ſit peccatum, hocq; evincat interpretatio *Auguſtini R. N.* ut pātet locum inſpiciēti. 111. *probl.* An dici poſſit Deum propter aliud, bonum ſc. univerſi (uti loquuntur) & propter gloriam ſuam velle peccatum? *R.* Sunt qui affirmant Deum velle fieri peccatum, ſeu decreviſſe, ut ſit aut ut fiat peccatum: non quidem, ut ipſe faceret, ſed ut permitteret. Pro qua ſententia ſubtiliter diſputat *Twiſſus in vindiciis gratiæ.* Alii malunt dici, Deum velle aut decernere permiſſionem peccati, ſeu ut exiſtat peccatum, non vero ipſam peccati exiſtentiam, ſeu ut ſit peccatum. Alii putant dicendum, Dei volitionem non verſari immediate circa peccatum, ſed circa permiſſionem peccati. Sic *Arminius cōtra Perkinſ.* Idem tamē ibid. p. 162. *volebat Deus Iſraelem punire, & Achabum menſuram ſcelerum ſuorum implere.* Nos, quamvis putemus ſententias illas ad ſanum ſenſum inflecti, & conciliari poſſe, malimus tamen cum limitatione ſemper rem ita efferri: Deus vult ſeu decernit permittere peccatum: Et Deus vult peccatum non quà peccatum ſed quà ordinabile, aut quatenus ordinatur & convertitur in bonum univerſi & gloriam nominis ſui. Sic enim exempli gr. vult Deus pœnas peccati, quæ ut loquitur Arminius contra Perkinſ. p. 127. *non permittuntur à Deo, ſed à juſto judice infliguntur, habent ipſum Deum autorem.* Iam vero peccatum eſt pœna peccati. *Rom.* 1. *v.* 23. 24. 25. 26. IV. *probl.* An Deus cum autor eſt pœnæ, autor etiam ſit peccati illius, quo aliud peccatum punitur. *Reſp. Neg.* Deus enim producens actum peccato ſubſtratum, atque inſuper actum peccaminoſum ſeu peccatum concretè acceptum convertens & ordinans in & ad bonum juſtitiæ, autor eſt boni tum præſuppoſiti & τῇ ἀνομίᾳ ſubſtrati, tum conſequentis ſeu concomitantis 4.

tis ex peccato jam posito seu commisso per ipsius sapientiam, justitiam, & potentiam educti, hoc est, occasione peccati divinitus producti: quod propriè vocatur bonum justitiæ. Vnus ergo idemque actus adjunctam seu adhærentem habet & ἀνομίαν & pœnalitatem, ideoque simul est & vitiosus & pœnalis. Sed ideo non est utriusque & pœnæ & culpæ eadem ratio formalis; nec unum est aliud: quamvis utrumque sit in uno & circa unum. Quomodo quantitas non est qualitas, quamvis unum idemque corpus sit quantum & quale; nec albedo est dulcedo, quamvis unum idemque lac aut saccarum sit album & dulce. Ita ut ridiculum sit argumentum illud *Arminii c. Perkinsum*: Malum culpæ & pœnæ totis essentiis distinguuntur; Ergo peccatum non est pœna, nec debent opposita attributa distincte enuntiari de peccato quà culpa, & quà pœna. Vide *Twissum*, & passim Scholasticos. Etiam ipsum *Arminium in disp. de providentia Dei in malo*, & *de primo peccato Adami*, & *de peccato originali*. v. *probl.* An omne peccatum habeat rationem pœnæ. *R. Aff.* de omni originali, & de omni actuali: excepto primo peccato protoplasti. vi. *probl.* An peccatum sit medium reprobationis, aut illustrationis gloriæ divinæ? *Resp.* Propriè aut per se *Neg.* sed permissio peccati. vii. *probl.* An reatus, aliaque consequentia seu effecta peccati per se, habeant rationem culpæ an pœnæ. *Resp. Aff.* posterius. viii. *probl.* An dictum Gregorii Magni: *O felix culpa* &c. excusari ac defendi possit. *Resp. Aff.* saltem non minus quam Grotii ἀκυρολογιά, qui in scripto dogmatico elenctico *de satisfactione* ait peccatum esse causam impulsivam satisfactionis Christi. Quidquid enim quiritetur *Arminius contra Perkinsum*, nihil aliud hac hyperbole ac catachresi indicare voluit *Gregorius* quam felicem & utilem nobis fuisse eventum istius peccati per missionem Christi; in quo plus lucrifecimus, quam in Adamo perdidimus. Martyr in Roman. 5. de hoc eodem dicto sic censet: *Quæ verba ego non facile dixerim; siquidem in illa causa nihil video, quod non sit miserum & flebile. Quod enim tanta salus consecuta sit, id divinæ bonitati acceptum ferendum est, non culpæ Adami. Nam ab eâ tantum bonum non nisi per accidens derivatum est.* Sed pace tanti viri dictum sit, suspicari non licet Gregorium tam stupidum fuisse, ut aliud quid aut aliter intelligeret. ix. *probl.* An dici possit Deum permittere peccatum, quà peccatum? *Resp.* Si intelligatur de malitia formaliter dictâ, & τὸ quà notet propter se, *Neg.* Vide *Bonaventuram ad* 1. *dist.* 49. supra citatum. Et locor. communium scriptores ac scholasticos tit. de permissione peccati. Et hoc sensu putamus *Rollocum à Twisso* notatum negasse talem permissionem. Quidquid enim contra disputare videatur, sic tamen se explicat cap. 24. de Vocatione, p. 144.

Sed

Sed jam illud malum, quà malum, Dei permittentis & deserentis respectu per accidens fit, non per se; cum Deus in deserendo malum quà malum est, non proposuerit, sed contra qua boni rationem habet, & medium est gloriæ suæ, præsertim per misericordiam, consequendæ. Nam omnia media, sive ea faciat ipse Deus, sive ea permittat à malis instrumentis fieri, primo loco & destinantur à Deo, & diriguntur ad gloriam misericordiæ, quæ est ex salute creaturæ: Conclusit Deus omnes in contumacia, ut omnium misereretur. Secundo autem loco propter duritiem hominis, & cor quod resipiscere nescit, peccata & mala quæ fiunt à malo instrumento, inserviunt gloriæ quam sibi ex justitia sua & justis pœnis acquirit. Sin vero tantum notet ipsam malitiam, seu peccatum in se consideratum *Aff.* Quia Deus impedimentum non ponit aut voluntati aut potentiæ peccantis, seu ipsi peccato qua tali: & *hoc est permittere.* X. *probl.* Addimus propter materię affinitatem aliquam, quamvis propriè pertineat ad partem theologiæ moralem: An & quo modo homo exemplo Dei uti possit aliorum hominum peccatis, in bonum suum, aut proximi, præsertim Reipublicæ, aut ecclesiæ? *R* 1. *Potest* uti peccato seu mavis actu aliquo hominis adiaphoro, immo & bono atque utili, sed qui cum peccato conjunctus sit: hâc cum distinctione, ut directe versetur circa actum, rē, eventum seu effectum bonum aut adiaphorum; vel sic, ut circa efficientiam moralē, actus adiaphori, aut boni, directe occupetur, ejusq; usum atq; applicationem ad scopum & opus suum honestum directè intendat & pro viribus exequatur; Sed per accidens, indirecte, & necessitate consequentię, versetur circa vitium illi eventui & effectui, per culpam alterius, non suam, conjunctum. Breviter, utitur actu bono aut adiaphoro alterius non obstante, quod cum peccato conjunctus sit: qua actus est per se utilis aut necessarius, non qua vitio seu defectu aut adhęrente, aut conjuncto contaminatus; seu ut in se spectatus, non ut in ac cum peccato conjunctus, quod totum est per accidens. 2. *Quomodo* autem sine peccati participatione uti possit peccato alterius, breviter sic determino: si scil. circa initium actus vitiosi nihil ipse agat aut physicè aut moraliter; sed tantum licite permittat aut toleret; & in bonum ordinet ac convertat. Quando autem & quousque liceat aut non liceat omittere actus seu cessare ab actibus quibus impediatur peccatum, idque ad bonum publicum aut privatum, spirituale & temporale, absolutum aut comparatum seu majus bonum, & ad evitationem mali, absoluti aut comparati seu majoris mali, in genere determinandum est in parte morali seu Casuisticâ; ibique specialiter applicandum ad casus, de mutuo à fœneratoribus sumendo, de utendo proditore aut proditione, item rebellione, seditione aliorum, insuper ebrietate, juramento per falsos Deos, Et-

tiam tyrannorum, pyratarum, aut Papæ, aut monachi, aut Episcopi, Papalis Imperii defensione, jurisdictione, & judicio politico &c. Adscribimus hic determinationē Durandi ad 1. dist. 2. qu. 4 S. *De malis autem culpæ alia ratio est: deordinantur enim a Deo: propter quod non videntur referri in Deum: sed quia scriptum est* Rom. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum: & glosa hoc verbum extendit ad mala: dicens ut si aliqui deviant: & exorbitant hoc ipsum faciat eis proficere in bonum: quia redeunt humiliores: & doctiores. Ideo aliter dicendum est, scilicet quod illud quo utimur dicitur multipliciter. quo ut potentia utente & hæc est voluntas: ut patet ex præcedenti quæstione. quo ut habitu & hæc est caritas qua omne quod diligitur in Deum refertur: refertur quo ut actu formali & hoc est ipsum uti. Et neutro istorum modorum utimur peccato quia peccatum non est potentia nec habitus. Est autem actus: sed deordinatus a fine: propter quod non est usus proprie loquendo: sed abusus. Et hoc modo procedit instantia. Alio modo utimur aliquo ut objecto tamen: & sic querimus nunc: & hoc modo possumus uti peccato: non quidem peccando: quia peccatum non solum esset objectum sed actus: sed referendo peccatum ab alio vel à nobis commissum ad utilitatem nostram: non quidem per causam, sed per occasionem: & hoc sufficit ad usum: Nam & Deus hoc modo utitur malo: ut dicit* Augustinus in Ench. *quod cum Deus sit summe bonus nullo modo sineret mala fieri nisi sciret ex malis bona elicere. Sic ergo homo potest malo culpæ uti objective inquantum ex peccato à se vel ab alio commisso, cognita propria fragilitate efficitur cautior: & humilior.*

DE PROPAGATIONE PECCATI ORIGINALIS.

Resp. Samuele Lydio Dordraceno *Ad diem 2. Julii* 1636.

Peccatum originale Gentiles ignorant, Judæi & Hæretici negant, & consequenter necessitatem gratiæ Christi vel in totum, vel maxima ex parte tollunt. Ex Judæis R. Lipman *author verulenti libri* Nizzahon *acerbè perstringit Christianos, quod dicant Deum propter rem exiguam, morsum scilicet unius pomi, Adamum, qui hoc ex errore fecit, cum omnibus posteris suis perdidisse, in hoc & in futuro sæculo, vide verba ejus cit. apud* Munsterum in notis ad Matth. hebraic. c. 1. *quamvis* Aben Esra in commentar. ad Genes. 3. *gravius faciat hoc peccatum: &* author Fasciculi Myrrhæ *fateatur, omnes natos ex Adamo, fieri impios & durâ fronte, propter peccatum Adami: aliique etiam Rabbini subinde meminerint* יצר רע ietzer rang *figmenti mali, sic enim vocant peccatum inhabitans. Hodierni tamen Judæi haut obscurè tollunt. Sic enim* R. Iuda de Modena *archisynagogus Venetus in tract. Italico* de doctrina & ritibus

tibus Iudæorum cap. 50. *peccatum Adami non damnare animas, sed tantum nocere animæ, quatenus infert corpus Adami: hinc est quod bene facere sit difficilius posteris ex Adamo genitis. Non requiri itaque aliam justificationem à peccato originali, quam quod Messias sublaturus sit illius difficultates & impedimenta corporea, reddendo corruptam nostram naturam minus imperfectam & aptiorem ad colendum Deum. Ex Hæreticis negarunt Peccatum Originis Pelagiani*, Aug. de hæres. c. 88. Ioh. de Laet, & Vossius in tract. de Pelagianis: *quos hodie sequuntur Anabaptistæ, Cornhertus, Socinus.* Vide & *Remonstr. in* Apol. p. 84. 87. & Resp. ad D. D. Profess. Leid. p. 97. 98. *Contra omnes illos cognitionem hujus veritatis, & rectam fidem in Ecclesiis nostris retineri necesse est, ut miseriam nostram agnoscamus, de nobis desperemus, in nobis humiliemur, ad omnimodam Christi gratiam suspiremus, eam firmiter apprehendamus, eique soli innitamur, ei salutem nostram adscribamus, & pro eâ Deo nostro misericordiæ patri gratias dignè agamus. Quod ut fiat, nos pro modulo symbolam aliquam collaturi perpetuum & palmarium illud dubium de modo propagationis pressius his thesibus explicare tentabimus, si forte ad accuratiorem hujus rei investigationem & evidentiorem cognitionem, aut saltem ad doctiorem ignorantiam aliqui φιλομαθεῖς adduci possint.*

AN, Quid, Quale, sit peccatum originale ex professo non explicabimus, ne actum agamus, aut obvios cuique locorum communium & synopseon authores, studiosis è manibus excutiamus. Tantum assertiones aliquot præmittimus, & tanquam hypotheses determinationi quæstionis nostræ substruimus. Hypotheses de peccato sint nobis istæ. *Prima*, dari malum, & malum esse aliquid. *Secunda*, mali nullam esse naturam, sed amissionem boni accepisse nomen mali, ut loquitur *Augustin. de Civit. Dei lib.* 11. *c.* 9. id est, malum quà tale non esse ens positivum, sed privativum. Distinctè autem cum *Gul. Altissiodorensi in summa aurea l.* 2. *tract.* 26. *qu.* 2. *fol.* 85. accipimus hic privationem non ut dicit absentiam alicujus rei, sed ut dicit id quod privat & corrumpit aliquam rem. Augustinus de malo sic philosophatur Enchrid. c. 11. *Quid est aliud, Quod malum dicitur, quam privatio boni? nam sicut corporibus animalium nihil est aliud morbis & vulneribus affici, quam sanitate privari*, &c. Vide *ibidem cap.* 13. 14. & *de Civit. Dei lib.* 11. *c.* 18. & *lib.* 14. *c.* 13. Et consensum aliorum patrum, quos citat *Zwarez Metaphys. p.* 1. *disp.* 11. Adde *Thomam in* 1. *p. qu.* 48. 49. & *qu.* 71. *art.* 6. cum *Cajetano, Valentia, Bannes, Sylvio*, reliquisque commentatoribus. Et *lib.* 3. *contra Gentes c.* 10. *cum comment. Ferrar.* & *in quæst. disputatis de* 1.

Malo. Et 1.2.*qu.*61.*artic.*6.*Guliermum* alioſque ſententiarios *ad* 2.*diſt.*46. ubi docent peccatum eſſe nihil ſeu non ens. *Bonaventuram ad* 2.*diſt.*37. ubi Magiſtrum cum Auguſtino dicentem peccatum eſſe nihil, explicat, quod peccatum aliter ſit nihil, ac illud quod nullo modo eſt. Imprimis ex recentioribus *Zuarez Metaphyſ.part.*1.*diſp.*11 *Rhada in controv.inter Thomam & Scotum part.*2.*controv.*16. Confer noſtros, ut *Pleſſeum de Veritate Relig.Chriſtianæ,cap.*12. Et ex eo *Eilhard.Lubinum in Phoſphoro; Martyrem in loc.comm.de Peccato. Rolloeum de vocatione efficaci cap.*24.*Melanthonem in loc.commun.* Et ex eo ac cum eo *Victor.Strigelium part.*1.*locor.comm. p.* 28. *Pezelium part.*3.*argum. & reſponſio n. p* 397.409. ubi accurate & perſpicuè hæc tractantur. *Zanchius lib.*1.*de ſtatu peccati & legali cap.*2. ubi breviter & philoſophice hæc determinat. Ita ut iſta prædicata eſſentialia ſic ſubordinentur, 1.labes originalis.2. peccatum ſeu malum culpæ. 3.malum. 4.privatio, ſeu ens aut non ens privativum. Et vice verſa ſic illa dividantur & deſcendant. Privatio, ſeu malum eſt vel culpæ, vel pœnæ. Malum culpæ eſt peccatum. Peccatum eſt vel originale vel actuale. Peccatum originale eſt peccatum. Secundę huic hypotheſi apud omnes patres, ſcholaſticos, hodiernos philoſophos ac theologos receptæ opponit ſe præter *Danæum* infra citandum *Marcus Frider. VVendelinus lib.*1.*philoſophiæ moralis c.*3.*qu.*7. quia ſcil. peccatum omiſſionis ſit pura privatio, ſed commiſſionis e. gr. furtum ſit poſitiva actio cui deformitas accedit. Itaque, inquit, plurimum differunt, eſſe puram privationem, & aliquid, quod per rationem ſuam formalem ſit privativum: Sed uno verbo hæc difficultas tolli poteſt, quod quæſtio hic ſit de peccato in abſtracto, ſeu de ἀνομία & vitioſitate formaliter dicta, non vero de peccato in concreto quatenus una cum materiali & ſubſtrato ſuo conſideratur. Eſt enim diviſio illa peccati per materiales differentias, quæ attenditur ſecundum naturalem ſpeciem actuum: ut rectè *Viguerius in Inſtitut cap.* 18.*v.*2. *Tertia*, peccatum non habere cauſam poſitivam, quà talem, directè & per ſe efficientem, & proprie dictam, ſed potius deficientem, ſeu per accidens efficientem. Vide *Thomam* cum ſuis 1.*qu.*75.*art.*2.*&* 3. *contra Gentes cap.*12.*& qu.*1.*de Malo artic* 3. *Durandum ad* 2.*diſt.*25.*qu.*3. *Martyrē in loco de Peccato, Pleſſeum & Lubinū modo cit.* qui omnes ſequuntur *Auguſtin.lib.*12.*de civit.Dei c.*7. Opponit ſe iterum *VVendelinus loc.cit. qu* 4. Sed diſtinctione illa quam *Keckermannus* ab ipſo oppugnatus, *lib.*1. *logicæ cap.*15.& in *ſyſtem.theolog.lib.*2.*cap.*4. imprimis etiam *Zvvarez loc.cit.* ex ſcholaſticis adhibet facile hæc controverſia componitur. *Quarta*, rem malam propter ſui diminutionem atque imperfectionem difficilius à nobis intelligi, atque adeò concipere nos illam, & loqui de eâ non raro tanquam

quam de ente positivo: Sic tamen ut ἀπεξία, ineptitudo, & vitium rei positivæ, quod est quasi formale peccati, seu formaliter ipsum peccatum, ab ipsa re, seu actione, sive qualiiate, accurate debeat distingui tanquam à suo materiali & subjecto, quod bonum est cui inhæret aut adhæret (ita loquamur) τὸ malum: ne malum cum ipsa actione, aut qualitate naturali (quæ bona Dei creatura, seu mavis, concreatura est) imperite cõfundamus; cõtra novos errones, qui dicunt: Malitiã esse ipsis rebus essẽtialem & negantin peccato actum substratum seu motum naturalem aut vitalem, à vitio actus semper distinguendum esse. Vide autores modo cit. & omnes omnium Scholasticorum ac recentiorum Philosophorum disputationes, & Theologorum locos communes, & libellos Metaphysicos. *Quinta*, malum rectè distribui in culpæ & pœnæ, quorum illud dicitur malum turpe, malum morale seu in genere moris, & appropriato nomine *peccatum*, quod definitur 1. *Ioh.* 3. ἀνομία, & à *Thoma* 1.2. *qu.* 61. *a.* 6. *aberratio à regula & scopo*. *Sexta*, unum idemque diverso respectu posse esse malum culpæ & malum pœnæ, sic tamen ut non coincidant malum culpæ & pœnæ, contra imperitos coccysmos, & ineptas principii petitiones quorundam, qui magistraliter de his judicare audent, & quidem in publico orbis theatro, antequam terminos artis didicerint. Vide meum *Therſit. Heautontimor. sect.* 1. *cap.* 4. & *disp. de Vsibus peccati per accidens*: cum omnibus systematicis & Polemicis nostris, ubi agunt de peccato, de providentia Dei, de peccato primo Adami, & de originali. Confer & *Sententiarios ad* 2. *dist.* 36. *& scholasticos ad* 1.2. *qu.* 87. *artic.* 2. Quamvis in eo dissentiat, An ipse defectus peccati ut justè à Deo permissus, quatenus formaliter est privatio boni convenientis naturæ (boni scil. honesti) sit pœna tum peccati præcedentis, tum sui ipsius. Sed affirmantem, tanquam magis probabilem cum multis aliis statuit, & defendit *Valentia in* 1.2. *disp.* 6. *qu.* 17. *punct.* 3. Ita ut secundum ipsos defectu peccati ut est damnum quoddam animæ, vindicetur peccatum formaliter, quatenus est defectus voluntarius perfectionis debitę. Et sic damnum hoc referatur ad Deum tanquam causam non tam efficientem quam juste deserentem, *Becani Theol. Schol. p.* 2. 1. *tr.* 2. *c.* 4. *q.* 4. *Septima*, peccatum recte distribui in originale & actuale. *Octava*, Originale illud esse & dici non imitatione sed propagatione, illudque propriè esse peccatum, cum universo Christianismo, contra Pelagianos. Vide *Thesaur. Catholicum Coccii*, *tom.* 2. *lib* 2. *art.* 2. *Ioh. Latii*, *& Ger. Ioh. Vossii historiam Pelagianam*, *cum Harmonia Confessionum*, & publicis privatisque catechezibus, adhæc commentatoribus omnibus *in Rom.* 5. & locor communium scriptoribus; denique Antagonistis Cornherti, Socinianorum,

Remonſtrantium, Fr. Puccii, Samuelis Huberi, Alberti Pighii, Ambroſii Catharini. Diſtinguuntur quidem opiniones eorum in quibuſdam partibus, aut formalitatibus: ſed quod ad ſummam rei, conveniunt. Quinam erroris iſtius, autores oppugnarint, indicamus in *Bibliothecâ noſtrâ*. Hic ſolum addo, Pighium & Catharinum, à noſtris non tantum, *Calvino* (cil. *in opuſculis*, & *Whittakero in tract. de peccato Originali*, ſed & à Pontificiis, *Gregor. de Valentia ad* 1. 2. *diſp.* 6. *qu.* 12. *punct.* 1. *p.* 761. Et *Bellarmino lib.* 5. *de amiſſ. grat. cap.* 16. refutari. Peculiarem opinionem Dominici à Soto, quam obtulit Concil. Tridentino (de quo vide *hiſtor. Concil. Tridentini lib.* 2. *p.* 199.) refert *Zanchius lib.* 1. *de ſtatu peccati & legali c.* 4. *Nona*, Peccatum hoc eſſe geminum, ſeu mavis bimembre (ſi ita loqui liceat) imputatum ſeu primum, & inhærens ſeu à primo ortum: quorum illud in uno ſuppoſito perdidit univerſum genus humanum ordinariâ lege generationis ex illo uno propagandum, tanquam *culpa originalis totam in ſua radice corrumpens inficiensque naturam, atque æternæ promerens felicitatis carentiam, tam primo parenti, quam ejus poſteritati*, ut loquitur Carthuſ. in refut. Alcoran. lib. 1. cap. 13. hoc vero in & per communem communis naturæ participationem, inficit ac perdit unumquodque ſuppoſitum; quia ſecundum liberrimam & juſtiſſimam Dei voluntatem, data fuerat juſtitia orginalis Adamo, non tantum ut ſingulari ſuppoſito, ſed etiam tanquam *generativo* (addo, & fœderali) *humani generis principio*, ut ib. *Carthuſianus. Decima*, Peccatum primum ſeu imputatum eſſe cauſâ meritoriam peccati inhærentis, & conſequenter hoc illius eſſe juſtam pœnam: quod inter & poſt multos alios dextrè explicabat & tuebatur *Tilenus in M. S. collatione cum Ioh. Corvino*, antequam in Remonſtrantiſmum prolaberetur. Imputationem autem hanc primi peccati Adami communi Chriſtianiſmi antiqui & hodierni conſenſu teneri, per inductionem probavit peculiari libello *Andr. Rivetus tit. Decretum ſynodi Nationalis &c. habitæ Charentoni* 26. *Decembr.* 1644. *&c.* Qui videndus. Nec tamen diſſimulandum, manente illa theſi principali, quæſtionem nihilominus poſſe moveri, etiam à nonnullis de facto moveri, inter quos *Ioh. Maccovius in diſp. de Modo quo peccatū originale ab Adamo, ad omnes ejus poſteros derivatur anno.* 1643. *Reſp. Nicol. Arnoldo Polono*, An ideo imputetur, quia ſinguli in Adamo peccatum illud cum ipſo peccarunt; an verò tantum ex mero Dei beneplacito; ita ut intelligantur ſinguli peccaſſe in Adamo non ſubjective, ſed tantum cauſaliter, quia ſcil. per illud peccatum Adami reatus ejuſdem ſubjective in nobis eſt & conſequenter peccatum originale inhęrens: cui quæſtioni, cohęret ſeu ſubordinatur hypothetica ſeu textualis quæſtio, An *Roman.* 5. 12. ἐφ' ᾧ ſit exponendum

in

in quo. De quibus nos forte aliquando acturi *in dispp. problematicis. Decima*, peccatum originale inhærens esse simul, sed diverso respectu, & justam pœnam propter primum Adami peccatum inflictam; & injustam culpam; quia debet quisque habere rectitudinem & conformitatem cum lege dispositivam & habitualem, seu inhærentem inclinationem & modificationem, omnium facultatum & virium suarum ad Deo in omnibus semper, prompte, serviendum. Vnde non male à Theologis dicitur in singulis decalogi præceptis, imprimis in decimo, vetari peccatum naturæ seu originale inhærens & contra mandari oppositum ejus, imaginem Dei, seu habitualem rectitudinem, promtitudinem, ac dispositionem ad omne bonum debitum per cogitata, dicta, facta. Quod si dicas, non teneri hominem ad carentiam ejus, quod naturali necessitate illi ab ortu inest, & non potest non inesse: nec teneri ad ejus possessionem seu habitionem, quod jam antequam nasceretur, in Adamo perditum fuit: *R.* debuisse imaginem ab ipso conservari in Adamo, capite & radice fœderali fœderis operum. *Vndecima*, Peccatum illud inhærens esse radicem, semen, fontem, principium & originem omnium peccatorum actualium: quo respectu verè pièque à Catechesi nostra dictum, nos esse propensos ad omne malum. De quo diximus in dissertatione adversus novatores in *Therside Heautontim. sect.* 1. *cap.* 5. *Duodecima*, prius natura esse pœnam divinam, quam culpam humanam. Illud enim præcedit: hoc sequitur in signo rationis, seu ordine consequentiæ. Quia enim Deus ita punit (sive juste negando imaginem suam, sive subtrahendo, aut positiva actione infligendo, de quo infra) e.gr. Titium, hinc est quod tenebris & morbo illi originali obnoxus sit necessariò, necessitate consequentiæ: sicuti non præsente aut collato lumine, aerem occupant tenebræ, & operiunt terram; non data sanitate, adest & inest morbus. *Decimatertia*, partes ejus (ita loqui liceat) seu momenta in eo considerandæ esse hæc duo, aversionem à bono, & conversionem ad malum, vel (ut alii loqui malunt,) carentiam justitiæ & pravitatem naturæ, quam etiam morbum, dispositionem malam, dispositionem ad malum, propensionem, proclivitatem appellant; ubi enim principia actionum humanarum non habent lucem imaginis divinæ nec rectitudinem justitiæ originalis, ibi necesse est succedere tenebras & irrectitudinem. Et sic *Scholastici ad* 1.2. *qu.* 82. *art.* 1. dicunt, non esse puram privationem, sed inordinationem partium animæ. *Decimaquarta*, Peccatum originale non esse hominis substantiam, nec qualitates, seu primas potentias naturales à forma subjecti emanentes, nec potentias secundas, nec habitus acquisitos aut infusos; sed affectionem malam seu malignam naturę dispositionem,

nem, ac moralem corruptionem, seu permanentem deordinationem, quæ per accidens supervenit, & nunc inheret ac insidet potentiis atque earum activitatem impedit ac pervertit, quotiescunque in actum exituræ sunt : haud aliter ac infirmitas & languor corporis ; & sicuti infans claudo pede in lucem editus ad claudicationem propensus est, & claudicat simulac actu pedẽ moverit. Primò autẽ mediatè ac per se subjectatur in potentiis intelligendi & volendi, non quidem primis nec absolutè & in se consideratis, sed in ordine ad objecta tum naturalia tum supernaturalia. In ordine ad ista plane mortuæ sunt; & sic recte *Lutherus* dixit liberum arbitrium esse purum putum nihil: in ordine ad illa languent, quia nec debito modo & fine, nec plene in ea ferri possunt. *Decimaquinta*, Quod autem multi ex nostris determinant, peccatum originale non esse puram privationem seu defectum & carentiam justitiæ originalis ; sed etiam inclinationem & naturæ pravitatem, justitiæ illi contrariam, & in locum ejus succedentem, atque adeo positivam qualitatem; & quod hoc nomine *Danæus* Augustinum reprehendit *in commentar. ad libr. de Doctr. Christ. c.* 11.: id sic accipiendum est 1. illos oppositè ad quosdam Doctores Pontificios aut alios Neo-Pelagianos ita loqui, qui puram justitię absentiam absque ullo reatu aut ratione peccati, hominemque tanquam medium subjecti in puris naturalibus, atque adeo peccatum originis tanquam purum non ens negativum hic somniant : de quo errore vide *Whittaker. de pecc. origin. lib.* 1. *c.* 1. *&* 9. *Chamierum panstrat. tom.* 3. *lib.* 1. *cap.* 2. *sect.* 9. 10. *Timoth. Bucatium l.* 2. *de imagine Dei c.* 1. 11. *Aut* dici potest eos hoc velle, non esse hanc privationem otiosam, qualis est quies, cœlibatus, virginitas, sed esse talem quæ afficiat subjectum mala dispositione ut tyrannis, anarchia, *morbus*: quo postremo simili plerique utuntur, cum positivum urgent (*Danæus loc. cit. Keckermann. in system. Theologiæ*): jam vero morbus est ens privativum non positivum, si proprie loquamur, & attendamus ad definitionem morbi ; *Morbus est læsa actio* ; seu ut plenius Sennertus ; *Est partium viventium humani corporis ad actiones naturales exercendas impotentia* seu ineptitudo *ab earundem constitutione præter naturam ortum habens.* Instit. Medecin. lib. 2. part. 1. c. 1. Est enim morbus ponendus in impotentia ad agendum, ut est apud *Galenum* 1. *de differ. Morbor. c.* 2. Sic etiam peccati ratio formalis & essentialis est, privatio rectitudinis debitæ in esse actui aut principio activo, in ordine ad legem, seu privatio conformitatis ad legem. *Sane Keckermannus l.* 2. *system. theologici cap.* 4. pari ratione dicit peccatum in genere non esse nudam & simplicem privationem (qualis est quies) quæ nullam inferat malam impressionem & dispositionem; sed esse privationem male afficientem & disponentem subjectum sicuti morbus.

Et

Et *cap.*5. ubi vult peccatum originale esse qualitatem positivam, advocat huc & laudat dictum Thomæ qu.3.de Malo art.1.*Non est simplex Privatio, ut cœcitas, sed retinet aliquid de eo, quod privatur, ut morbus. Matth. Martinius in methodo Theolog.p.*388.eodem fere modo τὸ privativum peccati in genere explicat. 111. Quid si dicamus, illos loqui non de ἀταξίᾳ seu peccato quà tali, formaliter, abstractè & præcisè, sed potius concrete de peccato, cum & in subjecto suo actione sc. vel qualitate, vel cum objecto, occasione & quasi materia ex qua. 1v. Quod si de peccato quà tali loquuntur, dicendum est illos per positivam qualitatē seu τὸ positivum intelligere aliquid revera & subjective inhærens ad modum habitus, seu quasi habitum(ut *Zanchius* aliique cum Scholasticis loquuntur)non autem sola cogitatione, aut etiam per solam imputationem: quo modo Pighius & Catharinus explicant totam rationem peccati originalis. Qualem significationem *positivi* notat *Goclenius in lexico.* Aut τὸ positivum ab illis non accipi Physice (nam sic est à Deo) sed Logice ut sit idem quod qualitas affirmata inhærens subjecto, & sic opponitur τῷ negativo, ut late notet quodcunque adjunctum & attributum rei,logico: ut dicamus, non tantum non est justitia originali præditus, seu non tantum est destitutus illa justitia & rectitudine, (quomodo lapis aut canis eadem caret) sed etiam est plane distortus, corruptus &c. Sic de Tiresia dicimus non tantum non videt, sed est cœcus. Quomodo de præfecto seditioso dicitur,non tantum non servat ordinem quem debet,sed insuper omnia turbat:Et de homine guloso, Non tantum non servat debitam diætam, sed quotidie ebrius est: & de homine afflictæ valetudinis, Non tantum non fruitur illa valetudine & robore, quo solet, sed etiam multis morbis obnoxius est: Notum est apud Rhetores κατ' ἄρσιν & κατ' θέσιν. Sic in peccato distinguunt Scholastici aversionem à Deo, & conversionem ad commutabile bonum: illā vocant inordinationem privativam,hanc positivam(*Scotus in* 2.*dist.*35. *Cajetanus in* 1.2.*qu.*71.*& qu.*72. ubi τὸ positivum eadem notione usurpatur. Et subtilissime ostendit *Rhada in* 2. *controversiæ* 16. ad rationem formalem peccati non posse pertinere positivum & privationem simul; & si quæ mali moralis entitas positiva attenditur,eam non esse peccatum, quia in se sit bona & à Deo naturæ authore. Sic etiam vulgo *Scholastici cum Thoma suo* 1.2.*qu.*82.*art.*1.& cum iis *Bellarminus lib.*5. *de amiss. grat. & statu peccati cap.*5.concedunt quidem esse habitum corruptum qui non solum continet privationem justitiæ,sed & perversionem omnium potentiarum: vel esse languorem & depravationem totius naturæ per modum habitus se habentem. Sed nullo modo volunt esse ens positivum propriè sic dictum. Vt videre est apud eundem *Bellarmin.lib.cit. cap.*2. fere

ſub finem. Confer noſtros mox citandos. v. Dici etiam poſſet eos quidquid hic poſitivi aut poſitivæ qualitatis admittunt, nihil aliud intelligere voluiſſe aut potuiſſe, quam quod Ethici, cum dicunt vitia tanquam qualitates inhærentes virtutibus ſpecialibus non privative ſed contrariè opponi. Quod quomodo fiat explicat Thomas 3. c. Gentes c 9. *Malum non repugnat bono poſitive, niſi ratione alicujus bonitatis.* Confer eundem *qu. 2. de malo artic. 1. 2. 3. 4. & qu. 3. de potentia artic. 6. 11.* Et ex recentioribus *Zwarezium part. 1. Metaph. diſp. 11. ſect. 1. §. 17. 22.* Vbi doctè oſtendit malum ratione actus, quem includit, contrarie opponi actui ſeu bono virtutis & proportionaliter habitui. Ita ut hæc nihil vetent, quin peccatum qua tale ſeu ἀνομία formaliter accepta & ab ente ſeu bono ſubſtrato diſtincta, ſit formaliter & propriè dicta privatio; & non ſit ens poſitivum proprie & ſtrictè dictum, ſed cõtra ab illo toto genere diſtinctum. vi. Deniq; dici poteſt comparative hic atq; adeo improprie, non verò propriè & ſtricte accipi τὸ poſitivum: quomodo una privatio cõparate ad aliã habet ſe ad modum habitus aut entis poſitivi. Sic virginitas formaliter eſt privatio, & tamen in ordine ad oppoſitam defloration em ſeu devirginationem omnemque fornicationem, eſt habitus; & rurſum defloratio & fornicatio reſpectu virginitatis non tantum pura & inefficax privatio eſt, ſed etiam actuoſa, actus ſcil. & quaſi poſitivum quid idque ratione ſui ſubſtrati. Sic tyrannis reſpectu ἀναρχίας ipſi ſuccedentis habet ſe ad modum habitus poſitivi: & tamen eſt hic privatio privationis. Eodem modo ſe habet polygamia, reſpectu divortii, aut repudii, per quod omnes illæ uxores dimittuntur. Et lethargus aut morbus pectoris, qui impeditur & ex parte curatur per febrẽ, & gangræna per membri ablationẽ aut mutilationem: hic privatio per aliam privationem tollitur, morbus per morbum (quod quomodo fiat, & qua diſtinctione hoc dicendum ſit, Medicis explicandum relinquo), & privatio privata habet ſe ad modum habitus; nec tamen deſinit eſſe privatio in ſe & abſolute ſpectata. Sed aliud ſimile adferam theologis familiariſſime notum. Peccatum commiſſionis formaliter eſt & manet privatio, juxta definitionem mali & peccati, & tamen à locor. commun. ſcriptoribus ac ſcholaſticis, dicitur conſiſtere in actu (qui poſitivum quid), & non in pura privatione; oppoſitè ſcil. & comparate ad peccatum omiſſionis: idque totum intelligendum eſt ratione actus ſubſtrati. Vide Scholaſticos de peccato omiſſionis ſubtiliter inquirentes. Sit ergo & dicatur habitus, ſeu realis ac poſitiva qualitas metaphorice & improprie, quia ad modum habitus eſt quid inhærens & permanens, & tanquam principium *quo* ſeu elicitivum actus omnes vitioſos ex ſe producit: nihilominus in ſe, formaliter & abſtracte conſideratum eſt privatio, cujus Deus non eſt cauſa. Diſtinctionem hanc privationis

vationis non male explicat Bonaventura ad 2. dist. 22. de secundo principali q 2. §. 33. *Dicendū quod dupliciter est loqui de ipsa concupiscentia. Aut secundū quod est pœna, aut secundū id quod est concupiscentia. Si loquamur de ipsa secundū quod est pœna sic dicit ordinē ad culpam, & hoc modo habet causam promerentē & causā ordinantem. Meretur enim homo habere talē rebellionē ex sua culpa & inobedientia. Deus vero hoc malum ad aliud præexistens ordinat ex sua justitia. Alio modo est loqui de concupiscentia secundum id quod est, & sic concupiscentia duo dicit. Dicendo enim appetitum, dicit nihilominus in actu appetitus excessum. Appetitus inquam ille substratus bonus est & a Deo est, excessus autem ille in appetendo etsi videatur esse positio, plus tamen est privatio, nec habet causam efficientem sed deficientem, & ideo quia Deus nullius est causa deficiens. hoc modo non ponitur esse à Deo, sed est potius a libero arbitrio per culpā deficientem, & a Diabolo instigante. Quod autem concupiscentia ratione excessus privationem dicat, quamvis videatur dicere positionem, hoc planum est. Hoc enim est concupiscentia respectu virtutis appetitivæ, quod est paralisis respectu motivæ. Et quemadmodum membrum paraliticum tremulat & movetur velocissime, & hoc non venit ex virtutis augmento, sed potius ex virtutis detrimento, nec ex virtutis fortificatione, sed potius ex dissolutione, sic & in concupiscentia intelligendum est, quod appetitus in amore rei temporalis exardescit, nec potest seipsum continere, immo in continuo motu & concupiscentiæ iteratione consistit. Hoc inquam intelligendum est provenire ex defectu retinaculi, sicut moventur feræ ruptis vinculis, & naves destructis gubernaculis. Concedendæ sunt igitur rationes ostendentes, quod concupiscentia non sit a Deo, prout concludunt de concupiscentia secundū id quod est.* Hac aut simili ratione mens theologorum nostrorum explicari potest, imo & debet. Rationes sunt istæ 1. *Rat.* quia alioqui discederent à thesibus & hypothesibus Patrum, Scholasticorum, Philosophorum, immo & â propriis principiis atque axiomatis de natura mali & peccati. Vide authores supra cit. *thesi* 1 *hypothesi.* 2. & adde *Augustini scripta contra Manichæos*, & *Rhada loc. cit. & Becani Theol. Scholast. p. 2. tom. 1. sect. 1. cap. 5. qu. 1.* Et *Plessium de Verit. religionis cap.* 12. Et *Phosphorum Eilhardi Lubini de Malo.* Imprimis & *Pezelium*; *Zanchium*, *&c.* Denique Logicos & Metaphysicos omnes reformatos & Lutheranos in cap. de Malo & de privatione. 11. *Rat.* Quia odiosæ consequentiæ, quibus supra *thesi* 1. & mox infra *rat.* 7. cit. *Bellarminus lib. 5. de amiss. gratiæ &c. c.* 1. nostros gravat alioqui solide refutari & præscindi non possunt, nec suspicio aut calumnia de affinitate cum Manicheismo, & de Deo autore peccati perspicue removeri. Sic enim Bellarminus l. 5. de grat. & statu peccati cap. 2. p. 448. edit. in 8. *At revera utrique videntur Manichæi & Illyricus, & adversarii ejus Lutherani, sed ipse magis. Illi quidem dum realem & positivam qualitatem peccatum originis esse definiunt, coguntur omnino dicere, vel Deum non esse causam illius qualitatis malæ, ac per hoc*

non esse causam omnium rerum, quæ revera existunt, qui est unus ex erroribus Manichæorum: vel certe causam esse peccati, qui est error gravior, quam fuerit Manichæorum. Velim quis tentet hujus consequentiæ solutionem. III. *Rat.* Nec etiam consequentia Illyrici, qua orthodoxos urget, accurate & expedite refutari posset. Est autem ista: Qui ponunt in homine substantiam bonam, & qualitatem malam, illi sunt Manichęi: Sed hoc faciunt orthodoxi; Ergo. Accedit, quod nimium concederetur Illyrico, immo & Manicheis, si peccatum aliquod statueretur realis & positiva qualitas. Quia illa necessario deberet esse à Deo: Deus enim omnis entitatis causa prima. IV. *Rat.* quia alioquin non posset retineri & defendi vulgata definitio peccati originalis ex Anselmo, quod sit carentia justitiæ originalis debitę inesse. Quam tamen retinet & defendit *apologia Augustanæ Confessionis &c. colloquium Wormatiense, Melanthon*, & cum *Pezelio lib. cit. p.* 438. 439. 440. & *Martyr. locor. cl.* 2. *c.* 1. §. 19. v. *Rat.* Nec posset defendi definitio peccati 1. *Ioh.* 3. quod sit ἀνομία. Alpha enim στερητικὸν ex usu linguæ græcæ, manifeste indicat privationem. Et nostri defendunt illam definitionem, tanquam veram & legitimam essentiæ explicationem. Ergo non est de essentia ejus realis & positiva qualitas. VI. *Rat.* Quia committerentur alioquin hæc absurdorum absurdissima: *primo*, ut quidquid ineat generi tam proximo, tum propinquo, non tamen inesset speciei, & quidquid est de essentia generis, non esset de essentia speciei. Malum ejusque subjecta species, peccatum scil. essentialiter essent privatio, seu ens privativum; & tamen species illa peccati ac mali, quam vocamus peccatum originale non esset essentialiter privativum quid, sed positivum. Et ad quæstionem, quid est peccatum originale, respondendum esset, esse qualitatem positivam & ens positivum proprie dictum, prout privatio opponitur. Quod ἄτοπον. *secundo*, Quia sequeretur oppositum genus prædicari de altera specie disparata, ens positivum scil. de peccato originali, quod tamen continetur sub ente privativo, quasi quis sensitivum aut animal prędicaret de lapide. Quod absurdum. VII. *Rat.* Quia sequeretur *apologiam Augustanæ Confessionis*, & *Melanthonem*, aliosque theologos nostros cū passim recentiores Pontificios de puris naturalibus contra labis originalis corruptionem pro libero arbitrio Pelagianizantes ex *Bonaventura, Thoma* & *scholasticis ad* 1. 2. *qu.* 82. refutant, eorumque veritatem huic quæstioni determinandæ idoneam approbant, ipsis quid affingere. Certum est *Thomam* cum scholasticis intelligere nullum aliud positivum, nisi cum cauda. & comparate sic dictum (uti modo explicuimus); non vero positivum ens proprie & absolute sic dictum, quod privativo proprie dicto opponitur. Nullum enim peccatum *Thomas* sic appel-

appellare solet, ut constat ex 1. *qu.* 48. 49. & 3. *contra Gentes cap.* 10. Et *quæst. disp. de Malo.* Si quid aliud *Thomæ* tribuerent, utique manifestè eum torquerent, & mentem ejus perveterent. Nihil minus ille per suum *positivum*, & ad *modum habitus* intellexit quam realem & positivam qualitatem. Hanc enim aperte repudiant, ut videre est apud *Bellarminum, & Valentiam loc. cit.* Confer *Synopsin Leidensem disput.* 15. VIII. *Rat.* Quia de omni peccato, & speciatim de actuali peccato cõmissionis dicunt theologi quod sit qualitas aut actio, & quod sit positivum quid. Vide *Zanchiũ loc. cit.* & Rollocum de vocatione efficaci, c. 24 p. 142. ubi sic definit: *peccatum est qualitas seu actio creaturæ rationalis* ἀνομία, *seu pugnans cum lege Dei.* Confer *eundem c.* 27. *p.* 161. Quod de peccato concrete, ut constat substrato & ἀνομία intelligendum nemo non videt. Nisi eos sibi turpiter contradicere velit. Peccatum commissionis formaliter est privatio: & tamen oppositè ac peccatum omissionis dicitur positivum quid. IX. *Rat.* Accedat præstantissimorum theologorum consensus, qui aut apertè & contra distincte determinant esse privationem aut saltem positivum illius sic explicant, ut privativo proprie dicto non opponatur, sed cum eo coincidat, aut ad illud reducatur. Melanthon in consiliis part. 1. p. 533. Rectè propriè & verè dicitur peccatum originis esse privationem justitiæ, quam Deus indidit homini in creatione. Στέρησις hic significat, quod usitate Dialecticis significare solet, *ut cum dicimus: Tenebras esse privationem lucis, aut confusionem privationem ordinis.* Et postea, *Cum igitur dicimus esse privationem, seu amissionem, seu spoliationem, planè & proprie loquimur, & intelligimus* στέρησιν *esse formæ, quæ potest adesse* Et pag. 534. *Illam cavillationem sic dilue*: Nihil non puniendum est. Peccatum nihil est. Ergo non puniendum est: *Aliud est nhil negativè, aliud nihil privativè. Nam nihil privativè est in subjecto existente; corruptio & confusio: ut ruina domus est confusio illius ordinati ædificii. Deinde verum est, post privationem lucis & justitiæ, sequi multos errantes motus & erroris, ut aversa voluntas à Deo ardet amore sui, & voluptarum malarum sine Deo. Mens cæca, ignara Dei ludit opinionibus de Deo, alius aliud fingit, ut ostendunt* εἰδωλομανίαν *omnium gentium. Ita post privationem sequuntur positiva, ut vulgo loquuntur, & tamen deformitas vel* ἀταξία *in illo ipso positivo etiam est* στέρησις.

Quantum ego videre possum, hæc perspicue & dextre dicuntur, & nihil habent absurditatis, & sunt germana sententia doctrinæ Propheticæ & Apostolicæ. Fortassis naturæ cavillatrices multa inveniunt: quæ argute objicere possunt: Sed explicari a peritis cavillationes ille facile possunt. Nam vera sunt firma, ut Demosthenes *ait.* ἰσχυρὸν τὸ ἀληθὲς Pezelius ad Examen Melanthonis part. 1. p. 442. dicit esse accidens privativum non positivum. Et p. 432. laudat has definitio-

finitiones Bonaventurę: *Cum quæritur, quid sit originale peccatum, recte respondetur, quod sit Concupiscentia immoderata: Recte etiam respondetur quod sit debitæ justitiæ carentia, & in una istarum responsionum includitur altera.* Hemmingius in syntagm.instit.tit. de peccato thesi 19.20. *Iam cum certum est originalem justitiam (cujus carentia est peccatum originis) duo complecti, nempe integritatem omnium virium in Adam, & approbationem, qua Deo acceptus erat Adam: sequitur, quod peccatum originis, sit defectus, corruptio, & reatus. Qualis autem sit defectus, & qualis corruptio peccatum originis, rectius sciri non potest, quam ex integritatis partitione. Nam cum integritas humanæ naturæ, fuit imago Dei, obedientia & ἐυταξία omnium virium, mentis, cordis & corporis erga Deum: sequitur quod iste defectus & corruptio, sit inductio imaginis Dei, & ἀταξία omnium virium, mentis, cordis & corporis.* Zanchius lib. cit. cap. 4. thesi. 2. §. 5. *Hic complector primo, totius justitiæ originalis privationem dicendo, injustos omnes esse factos, id est, privatos omni justitia & rectitudine, quæ in ipsos fuisset propagata, si Adamus non peccasset. Secundo loco complector etiam totam naturæ corruptionem nomine corrupti. Neque enim aliter fieri potuit, quam ut ablata justitia originali, qua integer erat & rectus Adamus, sequeretur corruptio totius naturæ. Hac de causa adjeci etiam voces illas,* toti quanti sunt, anima & corpore, *ut ostendam totum hominem fuisse & spoliatum justitia originali omniq; rectitudine, & per consequens, totum fuisse corruptum.* Et post in fine paragraphi: *Ab* Augustino *præter alia etiam* ἀταξία *vocatur, affecta qualitas, & morbus: Significare cumprimis voluit naturæ corruptionem ac pravitatem. Cœpimus deinde explicare effecta hujus peccati.* Aretius in Examine theolog. loc. 3. qui est de peccato originali p. 105.

Quid est peccatum originale?

Est totius naturæ humanæ depravatio, ac corruptio. Veteres definierunt, quod sit carētia justitiæ originalis, quæ inesse debuit. Polanus l. 6 syntag. c. 3. p. 337. Positivum *hic intelligimus non rem subsistentem à Deo conditam, sed quod non est simpliciter nihil, nec simplex privatio sicut mors est privatio vitæ aut tenebræ sunt privatio lucis; sed quod simul est defectus & destructio rei positivæ à Deo creatæ, & habitus vitiosus excitans & gignens motus internos & externos à lege Dei aberrantes Deoque displicentes. Nihilominus recte concupiscentia illa dicitur privatio, quia est aberratio à Lege Dei.* Rivetus in synopsi theol. Profess. Leid. disp. 15. thesi 26. *Scriptura certe quoties peccatū originale nobis insinuat, non meram privationem, sed aliquid quodammodo positivum, id est, affirmativum, solet inculcare: nimirum tale vitium quo* caro concupiscit adversus spiritum, *id est, per quod homo ad malum pronus, & divinæ legi contrarius sit; ut* Rom. 6. 12. Amesius lib. 1. medullæ cap. 13. thesi 5. *Peccatum hoc dicitur exorbitatio vel deviatio hominis, quia est in homine habitualis privatio conformitatis debitæ ad legem homi-*

homini impositam a Deo, in qua debuit ambulare tanquam in via sua. Maccovius in disp.locor.commun.part. 2.disp.14.p.257. *Theologi primam partem vocant qualitatem privativam, secundam positivam.*

Positiva non Ethice nec Physice, nam cum qualitas Ethice positiva sit virtus, Physice qualitas naturalis à creatore vel natura existens; per se utriusque qualitas non est, nisi à recta ratione & à Deo.

Logice ergo: logice vero qualitas positiva est qualitas affirmata inhærens subjecto bona vel mala. Rollocus cap.25.de vocatione efficaci, ubi positivam qualitatem fecit partem peccati originalis, sic se explicat: pag. 153. *Atque hæc hactenus de peccati originalis materia triplici. Hæ partes materiæ peccati originalis, cum totidem entia sint, & ab authore Deo sint, insitam sibi qualitatem bonitatis habent singulæ: Nam apostasia sive defectio in se ac per se bona est; item carentia originalis justitiæ; cum entis cujusdam rationem habeat, & res quædam sit facta motu illo defectionis; carentia, inquam, à Deo est, & in se bona est; denique qualitas illa positiva, quæ succedit in locum sanctitatis & imaginis Dei, à Deo est tanquam principali efficiente, & per se bona est. Prout igitur triplex est entitas, ita triplex est bonitas.* Vbi manifeste ostendit se positivum facere peccatum originale materialiter acceptum: quomodo omne peccatum actuale dici possit positivum ens, reale, immo & bonum; ratione scilicet materiæ & actus substrati. Quod amplius explicat p.154. *Quemadmodum autem peccati originalis materia triplex est: ita triplex est ἀνομία: Vnaquæque enim materiæ pars suam habet ἀνομίαν & adventitiam formam, in qua posita est peccati ratio: Apostasia suam habet ἀνομίαν, carentia suam, positiva denique qualitas suam. Hæc triplex ἀνομία non est à Deo efficiente, verum a malis instrumentis, Diabolo primum, Adamo deinde, eo denique homine, quisquis is est, qui ex Adamo nascitur: Nam & nos quoq;, qui laboramus hoc morbo hæreditario ipsi causæ sumus morbi nostri.* Et manifestissimè p.158.ubi pro defensione sententiæ Lombardi c.Bellarminum de positiva qualitate male sic distinguit: *Ad assumptionem respondemus. In positiva illa qualitate mala, duo sunt; primum, qualitas ipsa, quod ens est; secundũ, malitia sive ἀνομία, quæ privatio est. Qualitatis ipsius & entis Deus est author & efficiẽs principalis: Malitiæ vero & ἀνομίας non Deus, sed malum instrumentum, efficiens est.* Confer autores infra cit. thesi penultimâ. x.*Rat.* Si cui hęc ad conciliandas explicationes orthodoxorum theologorum à me allata non satis faciant, peto ab illo ut absque contentione aut infectatione uberiora ac meliora candide communicet: Et quidem primum doceat, an & quomodo ℈ privativum hujus peccati propriè & logice acceptum, & positivum pravitas sc.seu corruptio seu morbus naturæ, seu dispositio aut inclinatio habitualis ad malum, realiter inter se ita distinguantur; ut posterius nullò modo concipi & dici debeat privatio seu ens privativum proprie secundum logicos & Metaphysi-

taphyſic.) acceptum. Meminerit autē me quærere nō de pravitate naturę ſeu prava diſpoſitione concrete, ut in ſe continet ſubjectum ſubſtratum (quod eſt realis & poſitiva qualitas), ſed abſtracte, formaliter, præciſe, ut ſic. & qua tali, ut exſerte à ſubjecta qualitate toto genere diſtinguitur. Hæc cum ſecundis curis ita explicuiſſem, viſum eſt abundantem cautelam adverſum imperitorum calumnias conferre recentiores noſtros theologos Belgicos eorumque conſenſum explorare. Et ecce obtulerunt ſe mihi *Altingius in problematis* nuper editis, ubi hanc quęſtionem, accuratè determinat, dicendo peccatum abſtractive ſumtum eſſe qualitatem poſitivam non ethicam aut phyſicam, ſed logicam, hoc eſt, qualitatem affirmatam, ſed malam, inhęrentem ſubjecto, qualis eſt lepra, curvitas: & cauſam ejus poſitivam facit hominis arbitrium libere ſe avertens à Deo. *Rom.*5.12 1.*Timoth.*2.14. Rationes quibus τὸ poſitivum probat ſatis oſtendunt mihi cum ipſius conceptibus quod ad ſummam rei optimè convenire. Sed lector ipſum autorem conſulat. Nicolaus Vedelius in diſputatione. 2. de peccato originali habita Franequeræ anno 1641. Reſp. Ioh. Roldano qu,5. Vbi ad objectionem. *Corvini contra Molineum cap.*8 *p.*120. *& Bellarmini lib.*5 *.de amiſſ.grat.c* 15. ſic τὸ poſitivum defendit: *Ludunt*, inquit, *anbiguitate phraſeos qualitatis poſitivæ: quam nos non ſumimus ſtricte ſeu phyſice, vel etiam proprie logice, ſed improprie & late, in quantum ſcil. actuoſa & operoſa eſt; quomodo morbus præter privationem*, quę ęqualitas temperamenti ſublata eſt, etiam poſitivi aliquid habet, nimirum ipſos humores inordinate diſpoſitos, ut Thomas loquitur, *& corpus turbant & vexant. Ex hac diſtinctione ambiguæ vocis cætera etiam argumenta Bellarmini facile ſolvuntur.* Cloppenburgius in diſp. de ſtatu hominis ſub lapſu Franekeræ habitis an. 1646. diſp. 5. quę eſt 2. de peccato originis planiſſime hanc quęſtionem determinat, exſertè impropriam ac duriuſculam nonnullorum phraſin de τῷ poſitivo corrigit: Et hoc argumento recte eos urget th. 8. *Enimvero qui, citra illam hæreſin Manichæiſmi interpolati, ita loquuntur, invitâ* ἀκριβείᾳ & ακριβολαχίᾳ *quaſi cenſeant* Peccatum Originale eſſe aliquid poſitivum, *ſive habitum, ſive aliam qualitatem: non aliter tueri poſſunt ſententiam ſuam, quam ut horum alterutrum ſtatuant: vel* Animas eſſe ex Traduce, *& in earum generatione, ſimul ingenerari poſitivo actu peccatum: vel* Creari quidem illas à Deo puras, ſed infici à Semine vel Carne impura. Et theſi 14. *Propter has & ſimiles quæſtiones intercurrentes, omnino tutius creditur, Peccatum originis formaliter eſſe Privationem juſtitiæ originalis, quam eſſe aliquid Poſitivũ: Cum eo ipſo, non minus quam ex iſta hypotheſi, credatur* eſſe veri nominis Peccatum, *& habitualis averſio naturæ à Deo.* Maccovius in opuſculis poſthumis nuperrime editis, in Anti-Socino pag.83. *Nempe in peccato inhærente*

nali inhærente dicitur esse : Qualitatem positivam *&* negativam. *Hanc vocant carentiam justitiæ originalis, sive non posse bonum; illam vocant pravitatem naturæ sive posse tantummodo malum : De hoc vero ultimo quæritur.* Qua ratione dicatur positivum, cum omne positivum ens est, & omne ens est bonum? Resp. *Positivum multipliciter Philosophis dici. In præsentiarum hæc significata tantum adferemus, dici nempe positivum* physice, *ut qualitas corporis, & ita physice positivum bonum est. Positivum* ethice, *ut virtutes, ita etiam hæ bonæ sunt. Positivum* logice, *& hoc est affirmatio, Hoc pacto dicitur hæc qualitas positiva ad discrimen prioris partis peccati, quæ negative effertur, cum affirmative efferatur. Vide hac de re* Zwinglium. *Decimaquarta.* Quia Mathias Flaccius Illyricus, non satis provide hic versatus fuit circa distinctionem privativi & positivi, factum est ut *an.* 1561. in collatione Vinariensi cum Victorino Strigelio, positivam rem seu essentiam fecerit peccatum originale, humanæ naturæ essentialem seu de ejus essentia, immo & substantialem, seu substantiam ejus. Quem absurdum & crassum ejus errorem refutatum vide *à VVigando, Heshusio, Morlino, Chemnitio & Schlusselburgio in catalogo hæreticorum; Pezelio ad Examen Melanthonis, & part. 3. object. & responsionum.* Sed ex recentioribus Lutheranis instar omnium sit *Meisnerus Anthropolog. dec. 1. disp. 6. qu. 1.* ubi breviter, & tamen satis plene totam hanc controversiam exponit. Adjungi potest, ex Pontificiis egregius scholasticus *Greg. de Valentia ad 1. 2. disp. 6. qu. 12. puncto 1.* Et *Bellarminus lib. 5. de amissione gratiæ & statu peccati cap. 1. 2. 3.* Historiam autem hujus certaminis habes apud *Schlusselburgium in catalogo hæreseon.*

Addimus hypotheses philosophico-Theol. de homine subjecto peccati originalis; quas *edit. primâ hujus disp. an.* 1636. postea pleraque ex professo tanquam theses explicuimus & probavimus *in disp. de Creatione anno* 1638. *ejusdemq; appendicibus an.* 1643. *Prima hypoth.* post primam hominis ex terrâ creationem, Deum hanc naturę legem fixisse, ut homo generaret hominem *Genes.* 1. contra eos qui statuunt ex putri materiâ posse generari, Vide *Scalig. exercit.* 103. *sect.* 1. *& disp. nostram de Creatione, Secunda.* Partes hominis essentiales esse animam & corpus; contra novam opinionē seu dubitationem, de qua vide *Apol. Remonst. c.* 19. *p.* 129. *Tertia,* Animam hominis esse unam; contra Heracleonitas, qui hominem triplici essentiâ cōstare, & Manichæos cum Gnosticis, qui animā humanā duplicis essentiæ & diversæ naturę esse affirmabant, quarum una esset à Deo altera non, ut & contra recentiorem Philosophum Zabarellam. *Quarta,* Non esse mentē quandam omnium hominum communē, sed multiplicari eas pro multiplicatione suppositorum, contra Averroem. *Quinta,* Ani- 2.

mam non esse partem divinæ essentiæ ; contra antiquos quosdam Philosophos, & hæreticos Gnosticos, Manichæos, Priscillianistas. *Sexta*, Animam esse essentiam spiritualem, incorpoream, formam immaterialem, contra Tertullianum & Luciferianos qui corpoream, & contra Nazareos cum Manichęis qui eam ejusdem naturę cum animabus brutorum, & contra hæreticos dictos *Arabicos*, (apud *Augustin. de hæres. cap.* 83.) & recentiores Atheos, qui mortalem statuunt. *Septima*, Animam hominis non esse creatam ab Angelis contra Seleucianos, Hermianos, Proclianos. *Octava*, Animam ex animâ non nasci contra Apollinaristas. *Nona*, Animas non migrare de corporibus in corpora contra μετεμψύχωσιν, quã tribuunt Ægyptiis *Herodotus in Vterpe*, Pythagoræ *Diogen. Laertius*, *August. de Gen. ad literam c.* 9. & 11. Platoni *Epiphanius Panar. lib.* 1. *p.* 7. *Lactantius libr. de divino præmio*, antiquis Iudæis *Matth.* 14. *vers.* 2. *cum Iosepho l* 2. *de bello Iud. c.* 7. sequentibus Rabbinis *Elia in Thisbi voce gilgut.* (Confer *disp. de creatione*, & *de Iudaismo*) Tertulliis hæreticis, qui improborum animas in bruta & in Diabolos converti somniabant, *Augustin. de hæres. cap.* 78. *Decima*, animas non esse ex traduce, de quâ quæstione tam multa recentiores Philosophi & Theologi. Videri possunt ex Pontificiis *Scholastici in* 1. *Thomæ qu.* 118. *artic.* 2. & *Conimbricenses*, *Ruvius*, *Toletus &c. in Physicis*, ex nostris *Zanchius*, *Tilenus*, *Danæus*, *&c.* & *Rudolph. Lavaterus*, *Pembellus in pecul. tract.* Et *Baronius in Philosophia Theologiæ ancillante exercit.* 2. Vide etiam variorum sententias uno libro editas *à Rud. Goclenio.* Quamvis Non desint enim Philosophi & Theologi qui contrariam sententiam teneant, aut saltem dubitent, propter ἄλυτον illud (ut ipsis videtur) de propagatione peccati originalis. Vt hodierni Lutherani theologi & Philosophi omnes quod sciam; & ex nostris *Georg. Sbonius*, *Combach.*, *Phil. Marnix.* Ἐποχὴν suadet *Musc. in loc. com. th.* 101. suum cuiq; judicium relinquit *Pisc. in disp. de peccato th.* 101. cui adstipulatur *Herm. Ravensperger in disp. cui tit. Adamus miser*, *Martyr* negat ex sacris literis opinionem de traduce expugnari posse. In antiquitate habuit hęc sententia suffragatores. Tertull., Apollinarẽ, alioq; Orientales teste *Hieron. epist.* 45. *ad Marcellin.* & *Anapsychiam.* Nec abhorruit multum ab ea *Augustin. epist.* 157. ad *Optatum* & *epist.* 28. ad *Hieronymum*, & *lib.* 1. *retract. c.* 1. & *lib.* 10. *in Genes. ad liter. cap.* 23. Vt nec Ruffinus, si fides *Hieronymo* hoc nomine ipsum perstringenti *lib.* 2. *apolog.* fere circa initium. Quin ex recentioribus Lutheranis sententiam de traduce, quamvis sibi contradicentes moderationem aut ἐποχὴν profiteri videantur, necessariam faciunt. Sic enim tom. 2. disput. Giessensium disp. 12. thesi 65. *p.* 423. *ab eâ tamen sententia*, *quæ peccati propagationem tuetur*, & *omissis hominum argutiorum vanis & spinosis quæstionibus*, *simplicitatem sectatur*, *desce-*

discedere religio nobis est. Et hujusmodi ex omnibus aliis ea sola est, quæ traducem propugnat, sententia. Et thesi 49. p. 417. *Omnes etiam, qui traducem negant, & originem peccati in anima naturali ejus cum corpore conjunctioni acceptam ferunt, quid consequenter aliud faciunt, quam Deum peccati originalis authorem & parentem constituunt?* Et sic fere *Meisnerus Anthropol. decad. 1. disp. 5. qu. 3. §. 4.* Et *Eckhardus in fasciculo cap. 10. appendice de traduce argum. 2 p. 259. Undecima*, sed animas à Deo creari & creando corporibus uniri uno eodemque instanti; ita ut momenta quidem rationis seu naturæ hic distincte observari debeant, nulla verò instantia temporis per prius aut posterius concipi: ita ut Deus 1. creet animam. 2. Vniat eam corpori. 3. Anima informet & actuet illud corpus. 4. Atque ita inde resultet & existat ipsum compositum seu generatio & productio compositi. Contra opinionem Platonis, Origenis, Cabalistarum qui statuunt animas ante corpora seu compositum productas esse & tempore aliquo exstitisse, quod ulcus tetigimus in *dissertatione* nostrâ *de termino vitæ*. Nunc videmus opinionis ejusdem defensionem ex scriptura venditari à recenti Iudæorum scriptore *Menasse ben Israel in problematib. de Creatione*. Confer *disp. de creatione. & Scholasticos ad 1. qu. 118. art. 3. Duodecima*, Subjectum absolutum peccati in genere, ut & peccati originalis non esse animam aut partem inferiorem animæ tantum, aut corpus, sed totum hominem, totum compositum; subjectum vero quo, secundum quid, seu limitatum & quidem primo & formaliter esse intellectum & voluntatem; *secundo & participative* esse inferiores animæ facultates seu sensualitatem, tanquam potentiam executricem. Nam corruptio naturæ quam contraximus, per peccatum primi parentis, ex communi sententiâ nostrorum & Pontificiorum (fatente *Becano in Theol. Scholastic. part. 2. tom. 1. tract. 2. qu. 3.*) complectitur quatuor illa naturæ vulnera, quæ enumerat *Thom. 1. 2. qu. 85. art. 3.* nempe ignorantiam in intellectu, malitiam seu aversionem in voluntate, infirmitatem in appetitu irascibili, & concupiscentiam in appetitu concupiscibili. Consectarium: Minus accurate, aut proprie dici videtur *à Thoma 1. 2. qu. 83. art. 2. peccatum originale esse primario in essentiâ animæ, secundario in voluntate.*

His præmissis accedimus ad ipsam quęstionis nostrę enodationem. Prę- 3.
monemus autẽ, ne fallacia πολυζητήσεως cõmittatur (quod ante hac non raro confusionem & obscuritatẽ hic peperit) bimembrẽ esse hanc quæst., seu duas esse quæst. admodum distinctas, quarum prior: *Quomodo in posteros Adami propagetur, & ad omnes homines transeat morbus ille Originalis* seu *quæ & qualis sit ejus origo, & quænam ad illam concurrant.* Quæ rursus bimembris est: 1. *An sit per imitationem, & per crebros actus ac consuetudinem contractum*

(ut volunt antiqui & novi Pelagiani) : *an vero per generationem propagatum* ? 2. *An generationis modus sit per animæ traducem, atque hac ratione, & non alia fiat peccati propagatio* (ut volunt hodierni Lutherani) : *an vero per animæ immediatam creationem & infusionem.* Posterior est: *Posito, generationis modum esse per animæ creationem & infusionem, Quænam tunc peccati hujus, seu existentiæ hujus peccati causa propria & proxima directe efficiens* (deficiens scil.) *vel quodnam sit principium & quod & quo, per quod existat primum, & inhæreat peccatum originale* Titio aut Mævio, ita ut ejus sit peccatum singulare, ejus solius culpa & ipse inde justissime reatum singularem sibi contrahat. Quomodo in Physicis longe differt quæstio de generatione & quænam ad illam concurrant, à quæstione, quænam propria & proxima causa geniti. Causa enim propria geniti unica tantum est, sed ad generationem multa concurrunt, materia, forma, privatio, dispositiones præparatoriæ, generans, virtus plastica &c. Ad priorem quæstionem unde sit peccatum originale in Titio, quomodo ibi primo ingressum sit, quomodo ab Adamo usque ad Titium propagatum & traductum? *Respondemus* cum omnibus orthodoxis, Anti-Pelagianis, antiquis & hodiernis, reformatis & Lutheranis in loc. comm. & in controversiis, esse per generationem propagatum, non per imitationem contractum aut acquisitum : hoc est, esse ex primo peccato seu propter culpam primi parentis per generationem & cum generatione naturali atq; ortu Titii in Titio ortam. *Gen.* 5. 3. *Iobi* 14. 5. *Ps.* 51. 7. *Ioh.* 3. 6. *Eph.* 2. 3. *Rom.* 5. *v.* 12. 19. Addimus, cum Reformatis traducē neganti bus, oriri & existere in Titio per ejus defectibilitatem, Deo justissime judice per providentiam suam secundum consilium voluntatis suæ, non donante Titio imaginem suam, sed justissime subtrahente. Concurrunt ergo ad hanc propagationem sed longe diversa ratione 1. Adamus. 2. singuli homines. 3. parentes. 4. Deus. I. *Adamus* concurrit peccato suo tanquam caput & radix ut generis humani, sic etiam peccati & demeriti, quod ex *Rom.* 5. abunde demonstratur, *à vers.* 12. *usque* 20. II. *Homo quisque* concurrit, *tum* ut *subjectum*, *tum* ut *causa efficiens*; *procatractica* quidem hanc plagam mortiferam promerita in lumbis Adami; ad hæc ut *causa efficiens* (proprie deficiens) *directa, propria, proxima, emanativa* scil. hujus venenatæ qualitatis. Aut ut melius me exprimam, (quamvis vereor, ut satis adequatè & accurate hæc à me exprimi possint), concipi potest defectibilis ejus intellectus & voluntas destituta imaginis divinæ perfectione tanquam causa synectica hujus morbi, defectus, imperfectionis & inhærentis irrectitudinis. Homo enim cogitari potest, & tanquam subjectum recipiens, & tanquā causa interna emanativa hujus ἀλαξίας seu deordinationis, in quo,

ex

ex quo,& à quo illa reſultat & emanat una cum potentiis ſeu facultatibus primis & ſecundis , ut ad operationem ordinatæ ſunt, tanquam earum qualificatio & affectio inſeparabilis , & naturalis in hoc ſtatu lapſus.Nam facultates illæ ad operationem neceſſario diſpoſitæ & modificatæ ſunt aut benè aut malè;bene ſi adſit lux imaginis divinę,male ſi abſit.Sicut hominis viſus male diſpoſitus eſt ad legendum ſi abſit lumẽ, (quod tantundem eſt ac ſi dicas , ſi adſint tenebræ) ; bene , ſi adſit lumen. III. *Parentes* concurrunt per generationem naturalem,& ſic per virtutem plaſticam,conjunctionem conjugalem , ſemen &c. Quæ omnia ſunt cauſa ſine qua non , ſeu antecedens , non vero cauſa per ſe ; ſubſtituunt enim tantum & applicant ſubjectum in quo peccatum Adami producat ſuum effectum , id eſt , peccatum originale. Hoc enim & nihil aliud vult *Martyr* , aliique reformati Theologi , quos ſibi & nobis contradicere , & velint nolint,traduci animæ favere velint ex Lutheranis Eckhardus cap. cit. p.262.cum dicunt : *Semen eſt inſtrumentum, quo hoc peccatum à parentibus traducitur in filios.* Et , *Via , qua homines peccati Adæ poſſunt eſſe participes, non poteſt inveniri ulla alia , quam ſemen & generatio.* IV. *Deus* concurrit juſta & efficaci ſua providentia, idque *Primo*,efficienter procurando propagationem hominum tanquam cauſa prima , quod ad productionem compoſiti; & tanquam cauſa ſola quod ad immediatam productionem atque infuſionem animæ : ſine qua propagatione nulla eſſet propagatio peccati: *Secundo*,efficienter procurando & producendo tum tanquam cauſa prima , tum tanquam cauſa ſola , ſubſtratum hujus peccati cui inhęret & adhæret , facultates ſcil.& vires naturales humanas : Omne enim malum fundatur in bono. *Tertio* , permittendo ut omne peccatum , ſic & originale : *Quarto*, non ſuppeditando (quod fecit in prima creatione) donum imaginis ſuæ , ſine quo tamen non poteſt evitari peccatum originale. Alii vocant hoc ſubſtractionem & privationem imaginis; quę tamen intelligenda eſt, ut dicemus *theſi* 4.Neque enim actio realis & poſitiva hic intercedit,ſed tantum nõ actio,ſeu ceſſatio ab actu.Poſtremus autẽ hic actus Dei ſeu potius ceſſatio ab actu , eſt opus juſtitiæ punientis propter reatum primi peccati omnibus communem. Et reſpectu hujus providentiæ divinæ momenti peccatum originale per extrinſecam denominationem vocatur pœna , quamvis intrinſece , & ſua natura ſit peccatum ; haut aliter ac peccata nonnulla actualia dicuntur pœnæ aliorum peccatorum , & Deus dicitur indurare , in mentem reprobam tradere, pervertere, ſeducere , efficaciam erroris immittere. Diſtinguitur enim privatio Dei privans , induratio indurans , excœcatio excœcans , &c. hoc eſt Dei providentia propter peccatum hominum , *peccatum permittens, gratiam non*

ſuppeditans, media & auxilia quædam ſubtrahens, Satanæ & improbis frena laxans, adhæc peccatum illud poſitive ordinans, dirigens, ac convertens in bonum, h.e. *malo illo tanquam occaſione & quaſi materia bonum aliquod ſive juſtitiæ ſive miſericordiæ educens & producens*, ab ipſa cœcitate, duritie hominis ſeu indurationе indurata, &c. Illud enim eſt pulcherrima providentia & juſta pœna à Deo autore, hoc vero eſt turpiſſima macula & injuſta culpa ſolius hominis, tanquã ſubjecti & tanquã cauſę. Deus enim ejus nullo modo eſt author, ſed tantum antecedentium illorum, quę modo diximus, ad quæ ſequitur peccatum neceſſitate conſequentiæ. Pluribus hæc perſequi anguſtia Theſium non patitur. Interim videri poſſunt de peccato, pœna peccati, Scholaſtici *ad* 1.2.*qu.*27.*art.*3. & ex iis *Becanus part.*2.*theol.ſcholaſtic.tom.*1. *tr.*2.*c.*8.*qu.*4. Ex noſtris *Rivetus in Hoſeam p.*149. *Twiſſus contra Arminium*, *Makkovius in Colleg. Diſputat. anno* 1625. Ipſe *Arminius* pleraque noſtra propoſuit, *in Diſput.de Provident. Dei in malo.* Et *Vorſtius in Apolog.contra Ieſuitas Monaſterienſes.* Conf. *Diſp.de Vſibus peccati per accidens.* Si quis porro variantes de propagatione opiniones, earumque examen videre deſiderat, is adeat ſententiarios in 2.*diſt.* 31. *& Thomam in* 1.2. *qu.* 81. cum commentator. Eundem *in quæſt.diſp.de peccato originali qu.*4.*art.*3. *Viguer.in Inſtit c.*18. *Bellarmin.lib.*4.*de amiſſ.grat.c.*11. 12. cum Antagoniſtis imprimis *Ameſius in Bellarmino Enervato*, & *Chamier. Becan. Theolog. Scholaſt.p.*2.*tom.*1.*tr.*2. *Meiſner.Philoſoph.Sobr. Molinæi diſput.de peccat. Originali, & anat.Armin.c.*10. alioſque authores paſſim his Theſibus citatos. Conſect.1. *Hinc conſtat abſurdè diſputari de propagatione peccati per corpus, aut per animam. Cum per neutrum propagetur: neque enim vel ad momentum exſtitit unquam hominis generandi anima aut corpus complete organicum ſeorſim ante & extra compoſitum.* Conſect.2. *Nec ſatis feliciter diſtingui triplicia tempora, ſeu momenta, quibus corruptio hujus peccati hominem inficit; ſcil conceptionis, formationis, nativitatis. Cum non inficiat nec inhæreat aut inexiſtat ante illud naturæ & temporis momentum, quo generatio peragitur, & homo dicitur genitus.* Conſectar.3. *Rejicimus nugamentum illud Thalmudicum, de concupiſcentia ſubrepente in nativitate & non in plaſmatione; quia alioquin infans ſtreperet.* Refert *Paulus Ricius* converſus Iudæus *in epitome doctrinæ Thamudicæ p.*264. ex edit. Piſtorii cum illis ſcriptoribus Cabaliſticis, in fol.

4. Et hæc ad quæſtionem priorem: ad poſteriorē reſpondemus iſtis concluſionibus. *I.Concl.* Deum aut per creationē & infuſionem immediatam animæ, aut per concurſum cum generatione hominis, qua homo generat hominem, non eſſe cauſam per ſe aut proprie dictam peccati originalis qua talis, aut principalem, aut meritoriam, aut inſtrumentalem: Vel ſic, Deum nec ut creatorem per primam hominis creationem, nec ut guber-

gubernatorem per providentiã aut circa primum peccati Adami, aut circa generationẽ e.g. Titii, esse ullâ ratione originalis peccati, qua peccati causã per se aut propriè dictam: quamvis ut gubernator & justus judex sit causa pœnę istius seu pœnalis & justę substractionis, qua subtrahit, id est non cõfert & cõproducit imaginẽ suam cum confert & producit animã humanã (quod alioquin fecit in generatione Christi hominis) sit etiã causa omniũ aliorum antecedentium peccati originalis conjugii sc. productionis animę humanę & totius cõpositi, ad quæ necessario sequitur & existit in homine quovis peccatum originale. Subtractio, de qua loquimur, consistit non in actu positivo sed formaliter in defectu seu deficientia negativa, & propriè in non datione imaginis seu doni dirigentis, perficientis & modificantis mentem & voluntatem; quod donum alioquin absoluté dare posset, quodq; ex lege & instituto primæ creationis semper dedisset: Non enim in supposito suo antea Titius, aut anima Titii habuit innocentiam & imaginem Dei, quam Deus per corpus & unionem cum corpore postea auferret; sed ablatio tantum dicitur respectu ejus doni imaginis quod habuit in Adamo ratione communis naturæ, tanquam in communi radice naturali & fœderali in quâ naturaliter & moraliter seu fœderaliter exstitisse & reputatus esse intelligitur & quod habuisset ad exemplum Adami in se ipso seu in *supposito* suo in & cum primo generationis suæ momento, æque ac habet naturam & essentialia hominis, simulac genitum est compositum humanum (uti habuerunt illud Adamus, Eva, Christus) nisi peccatum primum protoplastωn intercessisset, & reatum Titio imposuisset, propter quem justè hoc eximio dabili & alioquin dando dono deprivatus est. *II. Concl.* Conjugium & conjunctionem conjugalem, aut generationem hominis, aut parentes generantes, aut semen, aut corpus, non esse causam per se aut proprie dictam sive principalem, sive instrumentalem: sed esse causam per accidens, hoc est propriè antecedens, ad quod necessario necessitate consequentiæ sequitur peccatum originale, seu esse medium aut causam sine qua non traduceretur ad Titium, aut in illo existeret. Quia enim per illa producitur subjectum peccati, Titius scil. (sine quo non est peccatum Titii) vulgo (sed improprie) generatio qui simulac est, sine morbo illo (posito nunc lapsu Adami) non erit: hinc generatio ordinaria ex semine humano dicitur causa, medium, instrumentum propagationis & productionis peccati; quod de causa sine qua non seu per accidens propriè intelligendum est. Porro ut ex omnibus antecedentibus necessariis desumuntur signa necessaria & τεκμήρια quę necessarium sunt argumentum, & ratio consequentiæ & cognoscendi; nec tamen pura antecedentia sunt causa existentiæ seu essendi

ſendi per ſe: ſic etiam ex ordinaria generatione humana, & ortu hominis per illam infallibiliter concludimus, hominem illum eſſe labe originali infectum, juxta illud Ioh. 3. *Quod genitum eſt ex carne caro eſt.* Nec tamen dicendum generationem, aut materiam, aut inſtrumenta, aut cauſas generationis eſſe cauſas directe & per ſe peccatum inprimentes. Nam alioquin ſequeretur Manichaicum illud delirium, Conjugium, & actum conjugalē eſſe malum, & conſequenter generationē hominis. Quod enim per ſe & ex ſe eſt cauſa & medium peccati, illud ipſum eſt malū & illicitū, & conſequenter vitandum: Sed conjugium & actus conjugalis eſt tale; ergo. Et hinc ſequeretur Deum naturæ & conjugii autorem, & cauſam primam generationis, in cauſas generationis ſecundas, & in effectum juxta communem legem concurſus influentem, eſſe authorem mali: juxta vulgatam regulam, quod eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati. Atqui hęc omnia abſurda. Atque hanc cautelam in explicatione propagationis (quam accuratè ſemper adhiberi velim) invenio nunc vidiſſe longe eruditiſſ. Theol. *Martyr. in loc. comm. p. 137. & Calvin. cum Danæo loc.* infra *cit.*, ubi exſertè negant generationem eſſe cauſam per ſe. Quod ab aliis pleriſque theologis ita notatum non memini: quamvis notari hoc neceſſe ſit, ne incauti in ſemi-manichaicos conceptus incidant. 1. Conſect. *Nimis craſſe loquitur* Lombardus lib. 2. diſt. 31. *& poſt eum* Gregorius Henricus, Driedo; *dum ſtatuunt corpus Adami poſt lapſum contraxiſſe contagium, quod non ſolum fuerit in carne ejus, ſed & in ſemine, atque hinc fieri, ut omnes poſteri contrahant eandem qualitatem in carne, ex quâ ſimilis qualitas derivatur in animam, idque in puncto conceptionis.* Quam opinionem meritò refutant *recentiores ad* 1. 2. *qu.* 82. *artic.* 1. Et inter eos Greg. de valent. loc. cit. & Bec. Theol. Schol. part. 2. tom. 1. tr. 2. c. 9. qu. 4. 11. Conſectar. *Falluntur etiam qui quacunque ratione corpori aut corporeis partibus ac qualitatibus traductionem, & impreſſionem peccati adſcribunt. Inter quos ſunt illi, qui opinantur animam puram & innocentem in corpus impurum, ab impuris parentibus derivatum infundi & detrudi, atque ab eo infici, haut aliter ac vinum purum â vaſe impuro. Refert hunc modum* Auguſtin. lib. 5. c. Iulian. c. 3. *& probat eum* Lothar. Diacon. *poſtea* Papa Innocentius III. lib. 1. de contemptu Mundi c. 3. Gerſ. in compendio th. de vitiis natur. *Ex noſtris* Wittak. l. 1. de pecc. orig. c. 8. Polanus lib. 6. ſyntag. cap. 3. *quamvis poſtea explicet de ſemine ut inſtrumento traductionis. Vt &* Altingius *mox infra citandus. Ante illos* Beza in epiſt. *& cum eo* Gryneus diſp. theol. part. 2. p. 437. qui ib. p. 445. Bezæ epiſtol. *inſeruit.* Et Mart. in loc. com. p. 136. Sed Ref. 1. *quia* abſurdum eſt & inexplicabile & omni ſanæ philoſophiæ repugnans, ſi dicatur ſpiritus (qualis eſt anima rationalis) affici, infici, & corrumpi à rebus corporei. Videtur *hæc opinio accedere ad commentum illud Pontificiorum de* [illegible] *paſſione*

passione animæ per ignem corporeum,& de passione dæmonũ per res corporeas. Quod tangimus in disp. de Dæmonibus, de Spectris,de Exorcismis: *ubi vid* 2. quia,*præsupponit animã aliquo tempore aut saltẽ aliquo momento præexistere puram antequam labe originali infecta sit. Quod absurdum & Platonico ac Cabalistico delirio(supra notato,adfine.* 3.quia, *præsupponit animã humanã aliquo tempore, aut saltem momento præexistere ante unionẽ cum corpore,& ante compositum. Quod absurdũ,& philosophiæ repugnans.Vide* Icholasticos,& disp.nostram de Creat.*Videbathoc judicioſustheologus* Zachar.Vrsinus,*qui eũ* in disp.de peccato (*quæ habetur in* volum.tract.theologicar.) p.204.*ad objectionẽ ex sententia hac respondisset,corpus ex parentibus ortum peccati reum eoq; infectum animã etiam corrumpere;aliã responsionem mox subjicit priori dissidens, immo eam satis refutans.Verba ejus* thesi ultima *exhibemus: ubi vide.Conferantur rationes eorum,qui commentum Platonico-Cabalisticũ Origenis,quod animas demittit in corpora tanquã in loca supplicii, confutant:quales ex veteribus* Cyrill.Alexandr.1.in Ioh. cap. 9. Epiph. epist. ad Ioh.Hierosolymit.August.epist.28.*ex recentioribus* Bellarmin.lib. 4.de grat.& statu peccati c.11. 4.quia, *ex præstãtioribus theologis aliqui accuratius hac re perpensa exserte modũ hunc refutant & rejiciunt:inter quos* Danæus p.43.Isagog. c.18.& 19.Vrsinus modo cit. Andr.Rivetus in disp.15.thesi 15.in synopsi Theol.D.profess.Leidens.5.quia *autores hujus opinionis non satis distincte se & opinionem suam explicant,An semen sit subjectum inhærens peccati originalis istius individui e.g.Titii cũ esset in corpore patris & matris,an vero cum esset decisum & quidem ad conceptionem,an v.cum inde embryo formari cœptus esset.Rursum,An corpus Titii jam formatum instanti ante animationẽ sit subjectum ejusdem generis cum semine unde corpus ipsis formatum;An & quomodo semen illud sit aut fiat subjectũ individui istius peccati originalis e.g.Titii,& simul instrumentum,seu causa per se & directe producens? Et sit instrumentum an ante decisionem an post decisionem ad conceptum; an post inchoatam embryonis formationem, an post absolutam; an post animationem fœtus corpus sit demum fiat instrumentum traductionis in animam. Quod si per omnia illa momenta, & omnes illos (ita loquar) stationes,sit non tantum subjectum inhæsionis,sed & causa instrumentalis traductionis, atque adeo peccatum in se contineat & formaliter & virtualiter; explicandum esset an ejusdem modi & generis continentia a primo ad ultimum hic statuenda sit, nec ne? Necesse est in terminis his sibi constent: alioquin difficultates non evolvit. Video enim eos, ut & opinionis tertiæ (quam mox* consectar. 4.*notabimus) sectatores in processu defensionis variare, & modo absolute subjectum, modo subjectum quasi remotum & materiam transeuntem peccati, modo causam potius sive materialem sive efficientem appellare.* 111. consectar. *Nec accurate satis loquuntur, qui temperamento corporis* atque adeo sensualitati tanquã causæ trahenti animum deorsum & propter absentiam justitiæ originalis *necessario*

hoc agenti, seu tanquam allicio & sollicitationi peccati originalis ortum aut incrementum adscribunt. Hoc enim est obscurum per multo magis obscurum, & partim incertum, partim falsum, explicare. Hunc modum habent Alensis, Bonaventura, *& nonnulli ex nostris. Quod animi mores falso, aut perculosè, aut saltem indistincte dicantur sequi temperamentum corporis notavimus in* disp. de creatione. *Velim etiam ab istius sententiæ fautoribus explicari, quomodo temperamentum corporis dispositum sit & animam disponat, inclinet, ac pertrahat ad spiritualia & subtiliter magis peccata e.gr. mendacium, perjurium, hæresin, magiam, superbiam, invidiam, atheismum &c.* IV consect. *Non tollit difficultatem modus ille, quem tanquam communem defendit* Baronius *professor Aberdonensis in Scotia,* in Philosoph. ancillante exerc. 2. a. 6. *& ante ipsum tanquam peculiarem quendam & quasi novè excogitatum aut interpolatum indicarat* Keckermannus lib. 2. syst. theolog. c. 17. *Eundem modum defendit* Altingius in problematis theologic. *Statuit inde à primordio conceptionis inhærere in semine & embrione, sed inchoative, dispositivum materialiter. Nec dissentit* Kelletus lib. 1. miscel. theologic. (*Anglice scriptorum*) cap. 6. *Quasi infectio spiritualis esset in semine, quæ non sit actu seu formaliter peccatum, sed virtualiter: quomodo infectio in semine leprosi non est lepra vel morbus formaliter, sed solum virtualiter. Cum hoc convenit fere explicatio* Zegedini in loc. commun. p. 236. Thomæ in qu. disp. de originali qu. 4. art. 4. & in 1. 2. qu. 83. & 3. art. 1. *ejusque commentatorum,* Cajetani, Valentia, loc. cit. *Verba Alagona in compendio Thomæ 1. 2. qu. 83. hæc sunt:* peccatum originale, ut in prima causa est in Adam; ut in causa instrumentali est in semine corporali, non in carne; ut in subjecto, quia caro non est capax culpæ, nisi ratione pœnæ, est in anima. *Addit* Valētia loc. cit. *corpus semē & rem semi-natam non inficit subjective qualitate prava, sed tantum dicit inquinari causaliter (dispositive ait* Stapletonus) *quatenus sunt instrumenta quædam quibus culpa Adæ ad posteros ordinario modo generatos derivatur. Modum hunc authores explicare non valent, nisi aut præsupponant animam creatam existere puram & sanctam,* (*quod falsum, vid.* Fr. Iun. in Genes. 2.): *aut saltem Physicam actionem corpori in animam tribuant, idque vi occulto Dei judicio,* ut Pareus contr. Bellarm. l. 4. de amiss. grat. c. 12. *vel per naturalem concomitantiam & communicationem quæ est inter materiam & formam,* ut Estius in 2. dist. 31. a. 1. *vel per Dei ordinationē, quæ statuit ut tales illa à capite Adamo in omnes flueret & derivaretur, idque per semen tanquam vehiculum.* Zanch. de statu peccati & legali lib. 1. cap. thes. 3. ad arg. 4. *ibi distinctionibus & cautelis adhibitis studet hanc sententiam contra exceptiones & rationes tueri. Et citat ibidem pro se* Calvinum lib. 2. Instit. cap. 1 §. 7. Idem de operib. creat. part. 3. l. 2. c. 5. *Sed refutatur hæc opinio* 1. Quia *actionem physicam corporis in animam, saltem nostri theologi, concedere non possunt, nisi*

nisi una desinant oppugnare opiniones Pontificias de actione rerum corporalium, & ignis in dæmonas atque animas damnatas, deque directa actione aquæ baptismalis in animam baptizatorum. 2. Quia, *præsupponitur semen esse subjectū infectionis seu peccati virtualiter. Atqui velim probari & explicari peccatum virtuale, ab actuali distinctum; & semen, aut corpus esse subjectum peccati, & non solum hominem.* Zanchius loco cit. *ad difficultates huic suæ opinioni objectas sic respondere conatur. Quod contagium & peccatum hoc primum sit in carne tanquam in radice, eoque per inchoationem seu inchoative &c. sed quando accessit anima, in ea illud perficitur atque magis accenditur, tanquam in materia seu subjecto accommodato. Quod simulibus quibusdam ibi explicat.* Ref. *Explicatio quidem perspicua & ingeniosa, sed probatio nulla. Nam semper petitur principium, & hypotheses illæ, de semine humano, & de embryone, subjecto peccati: de contagio corporali corporaliter per corpus propagando: de infectione animæ per corpus; quasi scil. peccatum esset substantia Flacci Illyrici (haut aliter ac vapor fœtidus aut venenatus in rebus corporeis); aut saltem realis & positiva qualitas patibilis, in tertia specie qualitatis. Quæ omnia nimis cruda sunt, quam ut à philosophico stomacho concoqui possint. Et posset hæc opinio iisdem fere rationibus impugnari, quibus* Wittakerus lib. 1. de pecc. origin. cap. 8. *impugnat opinionem* Thomæ 1. 2. q. 3. a. 1. *Sed pluribus hunc modum infra oppugnamus* thesi 3. v. consectar. *Nec explicant modum, aut ad posteriorem quæstionem* thesi 3. *distincte propositam quidquam respondent, qui dicunt modum propagationis esse generationem ex semine corruptibili terminatam ad suppositum humanum. Hic tantum ad quæstionem priorem* thesi 3. *propositam respondetur, & quidem non nisi ad ejus membrum prius: ita ut posterius membrum inexplicatum & indecisum maneat, & ne quidem generationis modus per animæ traductionem ex parentibus excludatur. Ita ut si comparetur hæc explicatio cum iis quæ indecisa relinquuntur, sit mera explicatio τῆς ὕλης, nulla vero ὅλη aut causalis: q. d. propagatur per generationem, cum homo generat hominem.* VI. consectar. *Difficultatibus plerisque jam tactis subjecta manet opinio Vedelii in opusc. theologic. novis, ubi in quæst. controversiis de Deo & creatione pag. 226. sic loquitur:* quoad posteriorem partem (*scilicet positivam corruptionem totius naturæ*) parentes mediante seu cooperante anima sua, quæ vim generandi habet producunt corpus infantis & per illud inficiunt animam illius. Et sic ab anima parentū inficitur, ut à causa principali, à corpore ut causa instrumētali animæ parentum. VII. consect. *Nec satisfacit distinctio* Alagona in compendio summæ Thomæ 1. 2. q. 83. art. 1. *Animæ infusio, ut dicit ordinem ad Deum, non est causa peccati, sicut nec Deus; sed in ordine ad carnem, cum infunditur, sic. Item melius est ut sit corpore corrupto, quam non esse: maxime cum possit per gratiam mundari.* Ref. *hæc opinio iisdem argumen-*

tis, quibus præcedentes. quia, *præsupponit carnem per se, & seorsim, absque anima, esse subjectum corruptionis peccaminosæ: Inde derivari in animam, & per prius infici essentiam animæ, ac deinde potentias à corrupta carne.* Addimus *distinctionem ipsam infusionis animæ in ordine ad Deum, & in ordine ad carnem, obscuritate & ἀκυρολογίᾳ (ne quid gravius dicã) laborare. Si enim recte dici potest, Deum infusione sua in ordine ad carnem, in quam animam infundit, esse causam peccati: quomodo pari ratione dici non possit Deum infusione & impressione gratiæ primæ & secundæ in hominem peccatorem aut imperfectum, esse causam peccati, non quidem in ordine ad Deum, sed in ordine ad hominem, e.gr. Petrum, cui gratia imprimitur. Quod si nostri, in controversia de operum nostrorum & sanctificationis nostræ imperfectione in hac vita (de qua vide* Bezæ *eximium* tract. *& post eum* Davenantii de Iustificatione) *dixissent, Impressionem divinæ gratiæ seu spiritus s. esse causam peccati & defectus culpabilis, ut dicit ordinem ad hominem corruptum aut imperfectum, totaliter aut ex parte carnalem, cui gratia infunditur aut imprimitur non esse causam peccati, ut dicit ordinem ad Deum: an non clamarent Deum statui autorem peccati.*

III. *Concl.* Animam patris producendo animam Titii, aut quacunque alia traduce, vel ex semine quodam spirituali & incorporeo, sic (*Brightus in Physic. Scribonii*) non esse causam hujus peccati, ut voluerunt Luciferiani, & plerique Doctorũ Occidentalium, teste *Hieronym. ad Marcellin. & Anapsychiam*: quorum opinionem impugnat *epist. ad Pammach. contra Ioh. Hierosolmit. & apolog. 2. in Ruffinum*, quamvis *Augustinus* fluctuet, ut constat ex *l. 2. retract. c. 56. & lib. 10. de Genes. ad literam*, & *lib. de origine Animæ*. Totum hoc inventum, quod ab hodiernis Lutheranis adoptari videtur nititur falsis illis hypothesibus. Generationem positam esse in productione formarum. Quod vide refutatum à Scholasticis, & recentioribus qui ex illis philosophantur, Animam esse adęquatum subjectum peccati. Quod quamvis *VVittakerus lib. 1. c. 8.* contra Pontificios urgeat, recte tamen corrigitur à *Pareo in Rom. 5. v. 12. p. 492.* Et peccatum esse positivam qualitatem, aut corporeum quoddam contagium, quod prius sit in anima, inde in corpus transeat, & illi communicetur. Non produci, aut non posse produci animam humanam per immediatam Dei creationem. Quæ omnia cum gratis præsupponantur, eadem facilitate negamus. Præterquam quod nullam certam traducem explicare possint adversarii creationis animarum, quamvis in quinque sectas divisi, quinque modos excogitarint, quos omnes refutatos vide apud *Baron. loc. cit.* IV. *Concl.* Relinquitur ergo nullam aliam esse particularem, propriam & proximam causam efficientem (deficientem) peccati originalis, quam quemque hominem, in quo est peccatum originale, idque per peccatum suum in

Adamo

Adamo tanquam causam meritoriam; & per defectibilitatem suam, quæ, quia obex à Deo ex justitia propter primum peccatum nullus ponitur, necessario & consequenter in defectum & pravam dispositionem definit atque erumpit, simulac homo est homo. Destitutus enim destituit se, funditque ex se & in se ac manat (ita loqui liceat) una cum facultatibus & activis suis principiis hanc irrectitudinem, sicut sole lumen suum non ministrante, actu sunt tenebræ. Est ergo quisque sui individui peccati originalis & proximum principium & subjectum simul & author & possessor, sicuti homo suarum facultatum naturalium, & suorum habituum acquisitorum; Et ipse Adamus hujus morbi originalis in propria sua persona. Si quis ulteriorem causam quærat, ea dari non magis debet aut potest, quam defectus seu lapsus Adami, cum mutabilitas ejus allegata est. Si quis ergo quærentibus, quæ sit intrinseca, proxima, physica & directa causa efficiens (seu potius deficiens), per quam labilitas Adami ad actualē lapsū promota sit, & per quā mutabilitas ejusdē de justitia in injustitiā devenerit, primumq; actualem motum peccaminosum seu primam actualem ἀνομίαν produxerit, aut producere facta sit; accuratè & in terminis respondere queat, sic ut sibi & aliis satisfaciat: ille etiam pari ratione scisitantibus de causa proxima, physica, directa, per quam primò ingeneretur & in quoque homine actu resultet & existat peccatum originale inhærens, respondebit & satisfaciet. Sin supra illud quale nos jam attulimus in explicanda origine peccati inhærentis, ascendere se posse negabit in explicanda origine & causa prima intrinseca, physica, directa primi peccati τῶν protoplastῶn, & consequenter doctam ignorantiam fateri malet, quam absurdis ἀδιλολόγιαις & ἀλογοις λόγοις suum, lectorumque ingenium implicare: utiq; nos absurdis quæstionibus ultra obtundere, & minus certa ac solida elicere desinat. Quicunq; enim hic ulterius quærunt, illi absurdè videntur, fingere & imaginari. 1. Esse realem & positivam causam per se, quæ reali actione causalitate peccatum hoc producat. 2. Et consequenter causalitatem, propagationem, & communicationem hic esse positivam & Physicam; non privativam & moralem. 3. Peccatum transfusum esse quasi liquorem, aut qualitatem patibilem, atque adeo traduci sicut calor ab igni in lignum, aut odor ex flore aut aromate in manum aut vestes &c. traducitur. Cum potius concipi debeat ad eum fere modum, quo circa participationem jurium & dominiorum (quam proles acciperet in primo conceptionis seu nativitatis instanti (ex vi contractus paterni, qui ante multos annos initus esset) ex opposito concipitur privatio aliqua privilegiorum, item paupertas, ignominia familię propter crimen genitoris imposita. Explica, quæso, quomodo illa propagetur,

traducatur, & explicueris analogice propagationem peccati: de quâ quidquid hic nobis maneat ἀνεξίλητον, cum Auguſtino concludimus lib. 2. de Nupt. & concupiſc. cap. 22. cum Iulianus Pelagianus quæreret, *per quam latentem rimam intraſſet: Quid quæris*, inquit, *latentem rimam, cum habeas apertam januam? Per unum hominem, ait Apoſtolus, peccatum intravit in mundum.* Et lib. 5. de moribus Eccleſ. c. 21. ubi fatetur, *nihil eſſe notius quam peccatum originale traduci, nihil obſcurius quam quomodo traducatur.* Et cum Wittakero lib. 1. de peccato originali c. 8. *& quemadmodum ab Adamo ad poſteros propagatum fuerit, magis credi debet, quam quæri, & quæri facilius quam intelligi poteſt, & melius intelligitur quam explicatur.* Dixi quod potui in quæſtione tam obſcurâ & tam vexata, ut objectioni adverſariorum perſpicue & ſolide ſatisfieri poſſit, quæ hæc eſt: Si peccatum ex parentibus in poſteros propagatur, aut per animam propagatur, aut per corpus. Non per animam: quia tum ex corrupta anima parentum, aut ex ſemine corrupto per traducem eam propagari neceſſe eſſet; aut anima peccato infecta à Deo crearetur, & corpori uniretur: atqui utrumque abſurdum. Non per corpus: quia tum corpus aut ſemen peccati ſubjectum eſſet & corpus infectum inficeret animam, antea puram, ſimulac ei uniretur. Quæ omnia ſunt abſurda & inexplicabilia. Et fuit hoc olim præcipuum Pelagii & ſectatorum argumentū, ut etiam Pighii, & hodiernorum Pelagianorum. *Et revera*, inquit Zanchius loc. cit. ad 9. arg. *non eſt de nihilo.* *Si* quis plura & meliora aut magis expedita ad rei hujus illuſtrationem nobis adferat, utique gratias illi agemus. Ne tamen, ut cavillatorum hodie magnus proventus, ſuſpicione gravemur, quaſi novas & vanas curioſitates immo & heterodoxias ſectari voluerimus, circumſpexi more meo poſt primam hujus diſp. editionem, quoſnam theologos hac in parte ſuffragatores laudare poſſem, ut hac nube teſtium ſecundam editionem exornarem. Et ecce obtulerunt ſe, Vrſinus in tract. theologic. p. 204. *Sed etiamſi obtinere totam Minorem poſſent, tamen alia eſt reſponſio ad Majorem ſufficiens, ut neque de traduce, neque de modo propagationis peccati originalis anxiè diſputare ſit neceſſe. Etſi enim animas ſingulorum hominum cum vivere incipiunt, à Deo creari concedamus: tamen non eſt fingendum, eſſe aliquandiu animas, antequam corporibus inſerantur. Simul enim & creantur, & uniuntur corpori; ſicut dicitur*, Inſpiravit in faciem ejus ſpiritum vitæ. *Sicut autem corporum etiam ſubſtantia, quamvis ex parentum ſubſtantia ſumitur, tamen à Deo creari, hoc eſt, formari recte dicitur, & hominum pariter ac Diabolorum peccantium ſubſtantiæ a Deo conſervantur, neque tamen propterea Deus peccati aut malitiæ ipſorum autor vel conſervator exiſtit: ita & animarum ſubſtantiam & naturales facultates, Deus ſimul & creat, & privat donis ſuis, quæ*

Adamo

Adamo ea conditione dederat, ut etiam posteris ipsius daret, si ipse illa retineret, non autem daret, si ipse sua ingratitudine illa abjiceret: anima vero spiritu & luce divina destituta, etsi ad appetitiones & operationes inclinata est, tamen cœca est, & non ad tales appetitiones & actiones, quales lex Dei requirit inclinata: Atque hac ratione inclinationes rectitudine sua spoliatæ, sua sponte existunt malæ, & cum lege divina pugnant. Defectus autem illi in mente & voluntate, & corde primorum parentum, quatenus à Deo infliguntur ipsis & ipsorum posteris justæ sunt peccati à parentibus & a sobole in parentibus admissi, pœnæ: inclinationes autem his defectibus vitiatæ, & ipsi defectus, quia faciunt ut homo divinæ legi neque sit conformis, neque possit esse, quatenus ab hominibus, & sibi & soboli, peccando attrahuntur, & ab ipsis, & à sobole recipiuntur, & in utrisque existunt, peccata sunt. Summa igitur est, quod à Deo creantur, & tanquam pars sobolis parentum peccatum, privatione justitiæ puniuntur animæ: atque simul dum ista fiunt, primorum parentum culpa corrumpantur, & peccato contaminantur, qui hanc privationem sibi & posteris peccato suo attraxerant, juxta dictum: Vnius transgressione multi sunt mortui. *Item*: Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi. *Hoc membrum divisionis cum in majore omissum sit, nulla est argumenti consecutio.* Danæus 3. parte Isagog. c. 18. & 19. de quo imprimis gaudeo, quod exserte neget generationem esse causam, etiam quæstiones duas accurate distinguendas moneat. Sic ergo ille c. 19. p. 151. *Alii denique aliud comminiscuntur, ut modum hunc explicent. Verum hoc ex parte jam à nobis explicatum est: Modus enim istius propagationis est ab illius causa prorsus separandus. Est enim alia quæstio, quæ sit causa istius propagationis: alia quis sit ejus modus. Causa febris est abundantia bilis flavæ: Modus concipiendæ fuit vel potus nimius, vigiliæ nimiæ. De causa, eam esse justam Dei de peccato primi hominis ordinationem ac legem. Modus igitur restat exponendus, etsi jam ex parte, ecquis sit, superiore capite diximus. Est autem propagatio hominis ex homine quæ fit ex ea lege naturæ, qua unumquodque procreat sibi simile. Sic ex equo equus: ex bove bos proseminatur: ex serpente serpens: ex vipera vipera nascitur, idque naturali lege, ex nobili nobilia, ex ignobili ignobilia, Ergo ex homine, & eo quidem corrupto homo & ipse corruptus quoque procreetur necesse est, uti ex venenato serpente serpens venenatus, ex Elephantiaco, seu leproso patre filius leprosus. Quæ ratio propagationis nihil habet obscurum, aut difficile. Quamobrem lege nascendi ex parentibus peccatoribus, liberi peccatores fiunt. Atque hic est modus propagandi Originalis peccati, sed, uti dixi, non causa, quoniam homo sit, necesse est, qui hoc peccato inficitur: ergo ex homine nascatur oportet. Quare modus propagandi istius peccati est procreatio hominis ex homine: Causa vero, quia sub lege, ac pœna à Deo imposita Adami peccato nascitur. Verum quæritur, quum anima humana à Deo creetur,*

ac

ac proinde pura, ex Anima vero patris anima filii non traducatur, quomodo peccatum in ea inhærere, & ineſſe poſſit, quæ pura eſt, neque ex traduce animæ jam pollutæ procreatur. Reſpondeo vero id fieri ex juſta Dei ordinatione punientis peccatũ Adami non in ipſo ſolũ Adamo: ſed etiam in omnibus, & ſingulis ejus poſteris. Sic quum quiſpiam propter crimen læſæ Majeſtatis à ſe commiſſum, ex nobili fit ignobilis, omnes ejus poſteri eandem ignobilitatem velut paterni criminis pœnam ferunt, fiuntque ac naſcuntur & ipſi ignobiles. Ergo polluta eſt filiorum anima, & in ea peccatum ineſt eodem temporis momento, quo creatur à Deo, non poſtea: Neque tamen illa, quatenus eſt res, & eſſentia a Deo de novo creata, polluta eſt: Sed quatenus eſt in humana pecie Individuum, juſta lege Dei & ordinatione huic pœnæ obnoxium naſcens. Et cap. 18. pag. 150. *Cæterum hujus peccati, uti cæterarum rerum, ſunt quatuor principales cauſæ, nimirum hæ, efficiens. Eſt autem ex parte hominis, illa primi hominis infidelitas, & rebellio libera. Item materia ſeu ſubjectum. Eſt autem hominis anima, ſeu facultates. Anima enim proprie eſt peccati Originalis ſedes. Forma peccati originalis eſt depravatio totius humanæ naturæ, nempe tenebræ in mente: & ἀπειθία rebellioque in voluntate hominis. Vnde reatus ſequitur in nobis ipſis coram Deo: & fomes perennis, ſive fons peccandi: & peccata ipſa actualia, quæ tria ſunt iſtius peccati juſtiſſima effecta,* Ibid. paulo poſt: *Denique peccati originalis efficiens cauſa ex parte Dei eſt juſta ipſius ordinatio, non ipſa naturalis vis gignendi, quæ eſt in nobis à Deo & illius Dei benedictionis,* Creſcite &c. *effectum. Sic quoque Auguſt. Modus propagandi illud ad poſteros, eſt generatio quidem & procreatio, per quam homines ex hominibus naſcuntur lege naturæ, ſed eadem generatio non eſt propagationis iſtius cauſa. Calvinus in commentar. in Geneſ. cap. 3. verſ. 6.* exſerte negat peccatum hoc naturaliter propagari. Quod non de modo naturali ſed de cauſa naturali accipiendum, quomodo ſe explicat lib. 2. Inſtitut. cap. 1. ſect. 7. *Nihil ergo abſurdi, ſi ſpoliato eo, natura nuda inopſque deſtituitur: ſi illo per peccatum inquinato, in naturam contagio ſerpit.* Et paulo poſt *Neque enim in ſubſtantia carnis aut animæ cauſam habet contagio: ſed quia è Deo ita fuit ordinatum, ut quæ primo homini dona contulerat, ille tam ſibi quam ſuis haberet ſimul ac perderet.* Et ſic Calvinum explicat Altingius in Exegeſi confeſſ. Auguſtanæ art. 2. p. 18. *Primo igitur ex diviſionis fallacia calumniam ſtruunt adverſarii: inde quoque ex ambiguitate vocabuli* naturaliter. *Quod ipſi de modo naturali accipiunt; Calvinus vero de cauſa interpretatur in hunc ſenſum: peccatum Adæ omnibus ejus poſteris imputatur, & corruptio naturæ exinde contracta in omnes generando propagatur; id non fit naturaliter, h. e. ejus prima ac propria cauſa non eſt natura, ſive animæ corporiſque ſubſtantia, ſed id omne ex Dei ordinatione pendet: qui ſicuti totam humani generis naturam in uno homine ornaverat præſtantiſſimis dotibus: ita in eodem ipſam iis nudavit ac orbavit.*

vit. Rollocus loco supra cit. *thesi* 1. Vbi verba ejus vide. Et adde p. 156. ubi modum propagationis per contagium corporis tanquam probabilem sic explicat *Deus eodem momento, quo animam creat & infundit, justo suo judicio eam deserit, permittitque corpori corrumpendam : Ergo eodem momento & temporis puncto anima creatur, infunditur, deseritur à Deo, corrumpitur à corpore.* Et mox proposito alio modo, qui est per culpam Adami *per quam tanquam per portam transmisit in omnes posteros suos quidquid fuit in ipso mali*, subjicit, *Quæres, unde sit ista efficacia primi illius peccati, ad propagandum peccatum in omnes & singulos Adami posteros.* Resp. *Efficaciam illius peccati ex verbo & fœdere quodam Dei esse, quod in prima creatione pepigit cum Adamo, his quasi conceptis verbis : Quod si steterit homo in ea innocentia, in qua creatus est, stabit sibique suis : sin minus steterit, sed lapsus fuerit, labetur sibi & suis : & quodcunque malum in ipso est, id omne transmittet in posteros suos. Atque hic modus postremus propagationis peccati originalis, cum nitatur authoritate & verbis Apostoli, nobis magis arridet, & moderatis ingeniis omnibus debet satisfacere* : Tilenus in syntagm. part. 1. c. 56. thesi 25. 27. 28. 29. 31. *Hanc corporis in spiritum actionem, cum natura respuere videatur, recte in Dei potentissimam justitiam & justissimam potentiam referimus, hoc malo pœnæ ulciscentis malum illud culpæ, quo primus parens noster, spiritum carni subigendum ultro prostituit, & hoc pacto in necessitatem peccandi, & se, & posteros suos omnes conjecit. Est ergo anima pura quidem, qua a Deo conditur : sed tamen jam tum rea debiti illius in primo parente contracti, & ab hæredibus ejus dissolvendi : At qua carni hypostatice unitur, hominemque constituit ; non modo reatum, sed etiam culpam habet : quippe non integram Dei, quam debebat, sed corruptam Adami imaginem & similitudinem gerens,* Gen. 5. 3. Vide disput. nostram de origine animæ. *Extra hunc Adami lapsum, aliam portam, rimamve quærere, per quam irruperit hoc malum in genus humanum ; hominum est in clarissima Scripturæ luce cæcutientium,* Rom. 5. 15. *Libidinis fervor in usu conjugii, etsi δυσχώλειον perperam tamen à quibusdam pro alveo, tubulove statuitur, per quem hæc pestis à parentibus in liberos derivatur ; cum neque ἐξιώδης sit hic pruritus τῇ τεκνογονίᾳ, neque caritura sit naturæ illa lue proles sine libidine genita : quippe in Adamo lapsa, & rea. Igitur ipsa generatio, & σωεκπαλισμὸς, modus est, quo in homines promanat hoc malum ; qui & ano hoc modo ab Adamo pendent. Hermannus Ravenspergerus in disp.* cui tit. *Adamus miser. thesi.* 34 sententiam Tileni, prolatis ipsius verbis, approbat. Rivetus in disp. de peccato habita Leidæ 1621. May. 25. Resp. Iac. Fontano thesi 16. *Modus autem quo propagatur peccatum originis ; nec est per imitationem, ut volebant Pela-*

giani, nec per animam tantum, nec per corpus tantum, nec per semen, ut alii, sed primo momento Conjunctionis animæ cum Corpore, ut sit homo, sit filius hominis; ac proinde peccato & pœnæ obnoxius, cum propter Adami peccatum à Deo deseratur justè, & sine originali justitia nascatur, Secundum illud, quo die comederis morte morieris. Molinæus in anatome cap. 10. post refutatam propagationem per semen & corpus, aut per animam de anima satam tãquam lumen de lumine, tandem §. 17. p. 52. concludit : *His positis dico Deum creare animas hominũ bonas, sed destitutas donis cœlestibus & luce supernaturali, idque merito, quia dona quæ Adam sibi & posteris acceperat, sibi & posteris amisit. Non dare autem lucem supernaturalem menti, non est indere peccatum voluntati, etsi cæcitatem mentis aversio voluntatis postea consequatur. Nam voluntas destituta hac luce & cognitione bonorum supernaturalium non potest se movere ad ignota, sed tãtum ad præsentia & nota, qualia sunt voluptates corporis, opes &c. Quæ quidem cum naturaliter bona sint, avertunt tamen voluntatem à studio rerum supernaturalium. Tum amor nostri, qui naturaliter bonus est & necessarius, incipit esse moraliter malus, quia locum, qui debebatur amori Dei, invadit. Hinc propensio illa ad malum, quæ existit ex inordinato amore sui ipsius, quem lux supernaturalis non dirigit. Quam lucem Deus non dans animæ, idcirco ei indit peccatũ. Amesius lib. 1. medullæ cap. 17. thesi* 6. 7. 8. Verba non exscribimus, quia autor in omnium manibus est. *Scharpius in cursu theologico tom. 1.* in loco *de peccato p.* 245. plane nobiscũ sentit. Verba nimis multa sunt, quam ut hic describantur, & liber satis obvius. Maccovius *in disp. de locor. comm. part. 2. disp.* 14. Et in disp. post editos loc. comm. habita, de modo propagat. peccati originalis R. Nicol. Arnoldo Polono an. 1643. Vbi sic thesi 22. *Atque hinc jam manifestum evadit quomodo originale inhærens peccatum transit in posteros Adæ ex illo naturaliter propagatos, nam postquam Deus imputat, quia peccato huic inter alia debebatur mors spiritualis, quod est hoc peccatũ, ut diximus, plectit Deus morte hâc posteros istos. Hinc non male respondet Catechetes dum quærit : An peccatum originale transeat in posteros per corpus an per animam? datur inquit tertium, nim. per Adæ culpam.* Imprimis in scriptis posthumis, in AntiSocino p. 77. 1. *Deus efficit subtrahẽdo gratiam ab ipsa natura, subtracta autem gratia res in nihilum abit, & hoc factum est in privatione imaginis divinæ. 2. Efficit subtrahendo vim suam conservantem, non à natura, sed à qualitatibus naturæ. Verbi gratiâ, istis quæ ad bonum ferri debebant, subtrahit gratiã, non ut qualitates non sint, sed in eo ne bene sint. Nam ne pravitas quidem naturæ nostræ, quæ videtur positivum esse aliquid, est aliquid positivum, defectus enim est. Ita ergo in peccato originali inhærente non egit nisi subtrahendo; subtraxit autem juste, quia merito subtraxit propter peccatum Adæ imputatũ. Sed nondũ difficultas videtur expedita. Nã ista videtur adhuc posse objici.*

Alste-

Alstedius in quæstionibus theologic.c.18.qu.25.p.128.Quomodo peccatum originis propagetur? *Iusta Dei imputatione,& ordinaria lege generationis. Cum primum enim anima rationalis infunditur corpori à parentibus tracto , existit persona rea in Adamo , cui Deus negat gratiam suam atque ita ob primævam apostasiam existit in homine corruptio.* Matthias Martinius in Methodo Theologiæ, in notis ad lib.3.cap.19.p.412. *Peccatum autem originis propagari scio à parentibus justo Dei judicio , qui ut Adami & Evæ animas , quæ in puritate creatæ erant,destituit sapientia & justitia salutari post lapsum:ita etiam destituit eorum naturales posteros. Hæc est pœna , quam meriti sumus , quæ peccatum est , quatenus nos meriti sumus istam cæcitatem & ἀδυναμίαν ad bonum, & quatenus ea adhuc delectamur , & sapientes ac justi videri volumus , quasi re bene gesta.*

Cætera spinosiora in castra curiositatis ablego,vide eruditissimum Iohannis Spinæi tractatum *de curiositate,inter eos,quos* de animi trãquillitate *scripsit.* Perkinsus in serie causar.salutis &c. cap.12.p.27.*Propagatur peccatum à parentibus in filios , vel quod anima corporis contagione, ut unguentum impuro vase afficitur ; vel quia Deus animam , eodem momento , quo est creata & infusa , deserit. Nam* Adamus , *imaginem Dei ut sibi & aliis accepit , ita sibi & aliis amisit.* Parkerus lib. 3. de descensu ad Inferos §. 65. pag. 121. *Non igitur illa* Vrbani(Metaphras.pl.51.) *placent : Anima à Deo infusa corpori labefactato , taliter maculatur : sicut in vase non sincero vinum infusum , licet optimum inficitur , & acescit. Et in illa infusione, ipsa anima damnationis sententiam in se justam accipiens , culpam contrahit & reatum , & pœnæ perpetuæ obligatur. Nec vero , vera illa* Fausti Rhegiensis *sunt. Sola caro in Adamo peccavit , anima polluitur propter consensum corporis , cui infunditur. Ita enim se res habet. Vt fons loco cœnoso erumpens,vitium habet,non ab aqua sola,nec terra sola, sed ab utraque : sic homo nec ab anima sola, nec à corpore solo, sed ab utroq; peccatũ propagatum recipit. Sic* Magister sententiarum.*Ipsius carnalis concupiscentiæ causa , nec est in anima sola , nec in carne sola , ex utraque enim fit. Quomodo etenim potest , corpus ut Adæ solum posteros inficiat , cum non corpus sed anima ipsum Adamum primitus infecerit ? Ad hoc illustrandum citat* Augustinum. *Non fuit corruptio corporis , quæ aggravat animam , causa prima peccati , sed pœna: nec corruptibilis caro animam peccatricem fecit,sed peccatrix anima,carnem corruptibilem fecit. At si peccatum propagatur per animam dices , tum non creatur à peccato pura:ita sequetur,Deum peccati authorem esse. Facilis huic & expedita responsio est. Deus non solum ut creator considerandus a nobis est, sed etiam ut judex. Creator est animæ quoad substantiam, cujus respectu,cum creatur , pura est. Iudex est præterea Deus, dum animam creat, quo ad hanc circumstantiam scilicet , quod non anima simpliciter ei sit creanda , sed unius ex Adæ filiis ani-*

ma. Hoc respectu justum ei est, animam deserere. quoad suam imaginem in Adamo amissam: ex qua desertione sequitur carentia justitiæ originalis, ex qua carentia peccatum ipsum originale propagatur. Paulus Ferrius in scholastico orthodoxo cap.20.p.195. *Dico igitur non dari aliquam causam realē quæ actione reali producat originale peccatum in parvulis. Ratio est, quia in formali cōceptu peccatum illud non connotat entitatem aliquam realem, sed privationem, ut dictum est.* Et postea: *Ergo etiam impossibile talē privationē introduci per naturalem & physicam expulsionem: & ideo realem esse causam ejus traductionis. Moralis tamen datur, quæ est vel generale peccatum, quo omnes in Adamo peccavimus, vel naturalis propagatio* Et paulo post: *Unde quoque patet ipsum actuale peccatum, quo omnes peccavimus in eo, directe causare istud originale: generationem autem sive propagationem tantum applicative, substituendo nimirum subjectum, in quo peccatum illud commune producat suum effectum: quamvis vero jam multis annorum millibus transierit, non impedit quin producat effectum, moralis enim causa, non realis: moralem autem, dum producit effectum suum, existere non est necesse.* Et p.197. *At nec in corpore aliquod vitium inesse negamus: concupiscentiam enim ipsi sentimus in carne seu inferiori parte, quæ sensualitas dicitur: de quo etiam tam multa D. Paulus, & præcipue* Rom.7. *ubi loquitur de malo inhabitante in carne, & repugnante legi mentis. At illud vitium non esse positivam qualitatem diximus, sed est ipsa sensualitas quatenus nata est, & prona ad non obediendum rationi, sed concupiscendum contra rectam rationem: non ex aliqua insita qualitate eam indicante, sed ex carentia justitiæ originalis, quæ eam perfectæ rationi subjiciebat.* Cloppenburgius in gangrenâ theolog. Anabaptist. disp.4. thesi 12. Remonstrantes *Dimanationem seu propagationem mali explicant, (hactenus quidem non male) illa naturæ conditione quam ex Adamo peccatores trahunt, quæ privata bono gratiæ & gloriæ, non aliter quam posteros eodem bono privatos proseminare potest*, pag.57. *versa.* Ex Pontificiis, Lorinus fere idem inculcat, nisi quod errorem de peccato originali ablato admiscet, commentar. in Ecclesiast.12.7.p.489. *Sufficit attingi ab homine generante animæ conjunctionem cum corpore, quod fecit & præparavit, in ejusmodi vero genitum hominem cum natura ipsa subit statim originale peccatum toti naturæ commune, tali generatione propagatæ, posita vetere illa* DEI *lege, & pacto cum primo parente tanquam cum Actore, & Capite totius hominum deinceps generandorum universitatis, licet anima generantis careat peccato originali, à quo jam sit justificata.* Et sic fere *Bellarminus lib.4. de amissione gratiæ*, & ante eum Durandus ad 2.dist.31.qu.2. ubi rejiciunt modum propagationis per carnē & infectionem animæ ex carne; & tandē quod ad summam rei nobiscū concludunt. Verba Durandi qui forte omnibus ad manum non est, hic exhibeo: *Nec aliter traducitur, nisi quia natura defectuosa traducitur ab eo, qui se & nos hujusmodi*

jusmodi

jusmodi defectibus ex sua culpa subjecit. Et post ad dist. 32. qu. 2. *Talis reatus, qui peccatum dici potest provenit in nobis a primo parente: ipsa tamen pœna, quam incurrimus, est nobis a Deo.* Et paulo post: *Peccatum originale, prout nominat reatum, non contrahitur ex hoc quod anima carni unitur absolute &c. sed cõtrahitur per hoc quod totum compositum ex anima & corpore traducitur modo, quo supra dictum est, ab eo qui peccavit.* Idem fere statuit *Scotus ad* 2. *dist.* 32. Partem verborum ejus exscripsit *Scharpius loc. cit.*

Addimus problemata quædam huic controversię affinia. 1. *probl.* An 5
si ita explicetur, utraque quęstio à Pontificiis uti nos nunc explicuimus & in genere utrimque statuatur pravitas seu corruptio naturæ, quæ sit formaliter privatio; aliqua remaneat realis controversia internos & ipsos. *R. Aff.* quia ipsi (saltem plerique) privationem illam constituunt in defectu doni per se supernaturalis (puta originalis justitię), quo absente homo tamen habeat liberum arbitrium ad bonum & ad malum. Vide *Bellarmin. loc. cit.* & *Gregor. de Valentia ad* 1. 2. *disp.* 6. *quæst.* 15. *puncto* 1. alioqui; à duobus illis citatos. Et confer ex nostris *Vvittakerum toto lib.* 2. Prętera positivam inclinationem seu propensionem ad malum, dicunt esse appetitus inferioris seu sensualitatis, &c. non voluntatis: quod nos *Neg.* Vide *Vvittakerum lib.* 1. *à cap.* 1. *usque ad finem.* Insuper defectum justititiæ originalis & destitutum appetitum sensitivum secundum se consideratos volunt habere rationem pœnę tantum & non culpæ; sed quod secundum extrinsecam denominationē quodammodo habeat rationē culpę, quatenus hic defectus refertur ad primum peccatum Adami, à quo per vitiatam originem producitur. Sic *Thomas* 1. 4. *qu.* 82. *art.* 4. *Viguerius in Instit. cap.* 18. §. 5. *vers.* 1. *fol.* 244. Quod nos non concedimus. Denique finitum dicunt esse adiaphorum quid & occasione peccati: sed proprie & formaliter non esse peccatum. 11. *Probl.* Quid de sententia *Arminii* statuendum in *disp.* 31. *thesi* 10. *R.* Quod si nihil aliud voluerit, quam quod nos supra diximus, & distinctionem illam admiserit circa τὸ privativum & positivum, quam theologi nostri supra citati inculcant; utique cum illo non contendimus. Sin latuerit anguis ille Pelagianorum & Pontificiorum sub herba illa, & ad extenuandam peccati & corruptionis efficaciam, & liberi arbitrii vires ad bonum asserendas τὸ positivum hic impugnat, uti *Corvinus contra Molinæum cap.* 8. *p.* 119. 120. assertio hæc nobis suspecta est. 111. *Probl.* An & quomodo Christus fuerit & non fuerit in Adamo, ita ut à peccato originali imputato & inherente immunis fuerit? *R.* Christum in Adamo fuisse physice secundum originem carnis suæ *Actor.* 17. coll. cum *Luc.* 3. *v.* 23. 38. statuimus contra Anabaptistas, & Weigelianos. Erat enim Adamus commune prin-

cipium & radix humani generis, ex cujus lumbis omnes homines longa serie successive orti sunt: & inter eos David, ex quo per interjectos majores Christus *Matth.* 1. *v.* 1. *Actor.* 2. 30. cujus generatio fuit univoca, quâvis modus fuerit supernaturalis. *Negamus* tamen eum fuisse in Adamo moraliter & fœderaliter secundum fœderationem cum Adamo tanquam principio, radice, capite repræsentativo communi istius fœderis à Deo initam. *Negamus* consequenter eum consortem, participem & confœderatum fuisse Adami sic considerati, & pacti fœderaliter cum eodem & participantibus ipsius (ita loquar) initi; Quod à posteriori, ex ipso evêtu & facto ἀναμαρτησίας *Hebr.* 7. 26. nobis innotescit, & ex antithetica comparatione Adami primi & secundi, ac confœderatorum membrorum utriusque ut & fœderis operum seu antiqui, & gratiæ seu novi, *Rom.* 5. & 1. *Corinth.* 15. *Negamus* denique Christo imputari debuisse, aut etiam potuisse reatum peccati Adami & consequenter pravitatem naturæ in illum pœnaliter traduci potuisse; quia non fuit in Adamo, nec quidquam illi cum eodem fuit commune, tanquam confœderato, membro & participi fœderis Adamici, nec consideratus aut reputatus fuit in illo tanquam capite & radice fœderali. Quis enim locus secundo Adamo & alteri capiti ac oppositę radici fœderali, mediatori novi fœderis, in fœdere antiquo aut in capite antiqui fœderis. Atque hanc puto esse superiorem causam, ad quam ascendendum sit, cum quæritur, quare Christus non fuerit obnoxius peccato, æque ac alii homines? *Responde*, Quia ex justitia Dei non incurrit pœnam illam, quam nos omnes incurrimus. Si quæratur cur non incurrit? *R.* quia nec peccavit in Adamo, nec fuit in Adamo reputatus & consideratus quà capite & radice primi fœderis, & consequenter non pervasit ad illum κρίμα & reatus primi peccati. Si quæratur quare non fuit in Adamo sic considerato? *R.* 1. *Quia* beneplacitum Dei (quod unicum fundamentum nostræ inclusionis & reputationis in Adamo tanquam communi principio & capite fœderali) fuit, ut non esset in eo. 2. Et *Quia* secundi Adami ac mediatoris nulla consideratio aut reputatio, nulla ejus necessitas in veteri fœdere, & nulla ipsi illic pars. 3. *Addo etiam*, *Quia* absolute non poterat esse & considerari in illo fœdere, hac conditione, ut stante principio & radice staret cum illo, cadente caderet. Implicaret enim contradictionem si de humanâ naturâ à Deo hypostatice assumtâ aut assumenda, atque adeo de persona divina diceretur, potest peccare, potest non peccare, consequenter potest propter Adamici fœderis transgressionem pœnaliter subjecta esse peccato originali, tum imputato tum inhærenti, & sic peccatis actualibus inde orituris. De quo alibi egimus in *disp. de Potentia Dei.* Scio à theologis non

paucis

paucis assignari hanc rationem immunitatis à peccato originali, quia ex virgine per optationem spiritus sancti genitus sit, & non secundum ordinariam legem carnalis generationis. Sed hæc ratio non videtur adæquata, nec ad primam radicem hujus immunitatis, jus ipsum scil. assurgere: sed tantum ipsum effectum seu eventum aut ad summum, aliquod sive medium sive conditionem subordinatam explicare. Nam si quis nobiscum non negaret exserte Christum fuisse in Adamo, & primi ac communis fœderis, ejusque transgressionis participem fuisse, quomodo poterit tueri ejus immunitatem à reatu & peccato, eamque cum justitia & veritate divina conciliare. Rursum pone Deum alium aliquem hominem extra communem & ordinariam generationis legem producere (quod fieri posse non implicat) qua ratione eum immunem præstabis à pœna peccati originalis, nisi probare possis eum non fuisse in Adamo fœderaliter, atque adeo immunem ab illo fœdere ejusque transgressione. Confer *Molinæum in anatome Arminianismi cap.* 10. §. 16. *axiom.* 1. Ex hâc nostra explicatione puto jam liquere quid sit respondendum ad objectionem Corvini, qua urget *Molinæum*, qui in *Anatome Arminianismi cap.* 7. §. 6. concesserat (& rectè) *Christum fuisse in Adamo, quippe unum de ejus posteris.* Breviter qui in Adamo fuerunt tantum originaliter, naturaliter, seminaliter, radicaliter, (uti Christus,) & non etiam moraliter, & fœderaliter (uti in eo fuerunt omnes alii homines, præter Christum) illi non participant reatum, & pœnam mortis ac corruptionis spiritualis. Quod alii ad istam objectionem respondent per distinctionem principii passivi seu materialis tantum, & non effectivi seu activi; ita ut utrumque fuerit Adamus respectu omnium aliorum hominum; prius tantum & non posterius respectu Christi: id mihi difficultatem alia difficultate (forte difficiliori) tollere videtur: uti aliquando in *disp. problematicis* Θεῷ ostendemus. Quod si nobis & aliis satisfacere non possimus, acquiescendum potius erit in consilio *Melanthonis*, quod vide *part.* 2. *consilior p.* 127. IV. *probl.* Quomodo animæ humanę quæ in Adamo non fuerunt, nec ex eo per traducem propagatæ sunt, possunt esse subjectæ peccato originali & imputato & inhærenti? *R.* Quamvis hanc animæ substantiam non trahat ex Adamo sed ex immediata Dei creatione, nec in Adamo fuerit anima ipsius quod ad originem essentiæ; fuit tamen totus homo seu compositum humanum constans anima & corpore in Adamo & moraliter seu reputative tanquam in principio capite & radice fœderali, & naturaliter tanquam in radice & principio originis per generationem; fuit etiam ipsius anima in Adamo quod ad originem subsistentiæ: homo enim ille totum hominem genuit, & ille rursus alium; & quamvis non produxerit

duxerit eum ſecundum ſubſtantiam animæ, attigit tamen unionem corporis cum anima à Deo ſecundum ordinariam generationis legem producta: in quo propriè & formaliter conſiſtit generatio. Et in hac ſententia quod ad ſummam rei video convenire *Zanchium lib.* jam *cit. p.*63. edit. in quarto & *Franc. Iunium in diſp. de peccato originali, theſi.* 14. 15. *Pareum in ediſt. ad Rom. cap.* 5. *v.* 12. *Rivetum in ſynopſi theol. Leidēſi loc. ſupra cit.* Et *Altingium in problem. theolog. part.* 1. *probl.* 27. Et Parkerum lib. de deſcenſu ad Inferos §. 65. p. 120. cujus verba digniſſima quæ hic exhibeantur: *Corpus & anima perinde ab Adamo fluunt, modo tamen propagandi diſpari: illud quidem ex traduce eſt, hæc vero ex infuſione, quæ hoc reſpectu à parente eſt: quod non animam creat Deus qua animam ſimpliciter, ſed qua unius de Adami filiis anima eſt, unde & creando infunditur, & infundendo creatur, & non extra corpus ſubſiſtentiam ullam habet: ſed unione ad corpus, & creatur & infunditur. Doctè* Athenagoras *Chriſtianorum legatus. Non anima animam gignit, ſed homo hominem: id eſt: anima ex traduce minime eſt, à parente tamen, ea nempe quam jā diximus ratione. Hoc a* Cyrillo Alexandrino *explicatur fuſius ita. Terreſtrium hominum mātres, naturæ ad generandum famulantes, in utero quidem carnem habent paulatim coagulatam. Deus autem fœtui ſpiritum, modo quem novit, immittit. Eſt autem alia carnis, alia animæ ratio. Verum tamen licet corporum tantum quæ ex terra ſunt, matres fiant: attamen totum hominem, qui ex anima & corpore conſtat, non partem illius parere dicuntur. Neque enim quiſquam Elizabeth* ſarkotokon, *& nō* pſuchotokon *dixerit. Accommodat iſta ad ipſum Chriſtum* Pacianus Barcilonenſis. *Noviſſimis temporibus,* animā *utique cum carne, accepit Chriſtus,* ex Maria; *hanc venit ſalvam facere, hanc apud inferos nō relinquit, hanc ſpiritui ſuo conjunxit, & ſuam fecit. Atq; ut anima ab Adamo ipſo propagatur: ita & peccatū æque atq; corpus, ab Adamo propagat. Adam etenim genuiſſe filios dicitur in imagine ſua* Gē. 5. 3. *imago autem in anima eſt, nō corpore ſolo. Quod gignitur à carne, caro eſt* Ioh. 3. 6. *caro hic & ipſam naturalis hominis animam comprehendit.* vi. *probl.* An ſatis accurate à *Polano cap. cit. p.* 337. peccatum originale quod proprie & formaliter peccatum eſt, dicatur prius ordine generationis & temporis (ut loquitur *Thomas in qu. diſp. de peccato origin. qu.* 4. *artic.* 3.) exiſtere in ſemine. Et an ab alio theologo rectè dicatur prius exiſtere in corpore jam animato & deinde in anima; idque propter hanc rationem, quia corpus ex ſemine immundo concipitur & corpus ante unionem infectum eſt principio & diſpoſitione quadam peccati; anima vero pura à Deo creatur, & ſic in pœnam primæ tranſgreſſionis tum puritate ſua privatur tum corporis contagione infecta corrumpitur. *R. Neg.* Quia varias hypotheſes falſas aſſumere debeant, quas ſupra rejicimus, & ſibi ipſis ac noſtris orthodoxis theologis contradicere, ſiquidem ad finem hanc theſin

ſuam

ſuam tueri velint. Ego contra ſtatuendum puto. *Primo*, adæquatum & primum ſubjectum peccati eſſe hominem, ſeu totum compoſitum; non vero ſanguinem, aut ſemen, aut embryonem; quę ne quidem animalia, aut viventia ſunt, nedum ut ſint rationalia, & libero arbitrio prædita, conſequenter bonitatis aut malitiæ moralis, pœnæ & pręmii capacia. *Secundo*, Ipſum corpus organicum & animæ unitum proprie non eſt ſubjectum peccati: immo ne quidem, utraque pars eſſentialis ſimul ſumta, non unita in naturam & ſuppoſitum humanum. Eſt enim perſona humana ſubjectum peccati proprie dictum. Nam quod ſcriptura aliquando corpori tribuit peccatum & partibus integralibus corporis, illud incomplete, ſynechdochice, & impropriè, mediate & per aliud intelligendum eſt: quatenus ſcilicet partes ſunt in toto, & totum conſtituunt, in quo immediatè & per ſe eſt peccatum. *Tertio*, Quod ſi dicendum ſit peccatum hoc per prius ineſſe alterutri parti, potius cum omnibus fere theologis animæ hoc tribuendum quam corpori: idque ex lege contrariorum, imago enim Dei, omniſque virtus theologica aut moralis ſive in actu ſive in habitu aut principio elicitivo conſiderata, per prius eſt in anima, & non in corpore: ergo idem dicendum eſt de ejus oppoſito, peccato ſcil. ſive originali ſive actuali. *Quarto*, nullum datur morale malum, ſeu peccatum, quod tantum inchoative ſit tale, ac tantum fomes peccati, non vero formaliter ſit malum aut peccatum. Sed quidquid eſt præter bonum morale, aut malum morale, eſt purum putum adiaphorum & neutrum, quod de ratione ſua formali nullam moralem impuritatem, turpitudinem, infectionem, depravationem aut pravitatem dicere poteſt. Et certe non video, quomodo hunc fomitem ſuum, explicare & tueri poſſint eſſe moralem corruptionem, pravitatem, & malam diſpoſitionem (quæ tamen formaliter non ſit peccatum, nec pœnam mereri poſſit), tanquam tertium quoddam à peccato & oppoſita virtute diſtinctum, & tamen ſolidè refutare Pontificiorum, Socinianorum, Remonſtrantium (*apolog. p.* 84. & 86.) fomitem cui formalem rationē peccati & reatus tribui nolunt. *Quinta*, quod ad tēperamentum, à quo tanquam principio directo, & per ſe ſeu cauſa proprie dicta & per ſe ſuſpendunt infectionem & inexiſtentiam peccati originalis per prius in corpore jam informato, & deinde in anima, atque adeo toto compoſito, & in quo totum fere hujusmodi traducendi peccati præſidium ponunt; dico illud in ſe & per ſe eſſe morale adiaphorum & neutrum, non malum aut vitioſum, non magis quam humores, omneſque partes, omnia membra corporis. *Quia*, qualecunque illud ſit in quovis homine, eſt directe & per ſe à Deo productum, tanquam à cauſa pri-

ma & est Dei creatura Et *quia*, est subjectum substratum, seu bonum illud, in quo est pravitas moralis : ergo non est ipsa pravitas aut dispositio peccaminosa. *Quia* etiã est occasio, & fomes (si ita loqui liceat), oppositi boni seu virtutis ; sed per accidens. Per accidens enim & per interventum spiritus regenerantis temperamenta ex. gr. melancolica, cholerica, sanguinea fiunt instrumenta, quibus ut & membris corporis, uti potest & utitur, aut ad profundam humiliationem super peccatis & gravitatem ac constantiam in viis domini, aut ad zelum fervorem, & animositatem in opere domini, aut ad lætitiam spiritualem & αὐτάρκειαν in gratia Dei &c. Sicut eadem temperamenta sunt occasiones & (per accidens sc. animę corruptę seu non sanctificatę) instrumenta fiunt hęresion, rixarum, αὐτοφωνίας &c. Sunt enim apta nata fieri instrumenta justitiæ & injustitiæ ; quamvis ex statu lapsus ad justitiam non habeant potentiam receptivam seu passivam, nisi remotam & obedientialem ; quia spiritum mundus non potest recipere *Iohann.* 14. *Præterea quia* concupiscentia naturalis & tota sensualitas nec materia nec forma est ullius peccati, nec aliquid in se vitiosum habet (ut recte *Polanus lib. syntagm.* 6. *cap.* 3.); ergo pariter nec temperamentum corporis, immo multo minus. *Denique quia* cum isti philosophemati de temperamento tantum hic tribuunt, videndum ipsis ne quid concedatur docilitati Remonstranticæ seu bonę indoli in primo conversionis momento, quam in temperamentum & educationem referunt, *Apol. c.* 10. *fol.* 118. 119. &c. Confer supre *app.* 2. *ad disp. de Creatione p.* 849.

METHODUS RESPONDENdendi excerptis & calumniis de Deo autore peccati. &c.

Resp. PETRO KALNAI Hungaro *Ad diem* 24. *Aprilis.* 1647.

Quamvis crambe cavillationum & calumniarum non tantum δὶς καὶ τρὶς, *sed millies (ita loquar) recocta, tandem nauseam, quibus opponitur, parere deberet: tamen cum ab una parte Epicurei & Sociniani contra Dei providentiam, ab altera parte omnes hodierni Pelagiani & Semi-Pelagiani contra eandem, ut & contra gratiam Dei, partim palam partim clam tumultuari & rudiores turbare non desinunt, haut abs re facturus videar, præsertim nunc à nonnullis, quibus id negare non possum, consultus, si compendiosam, expeditam & certam methodum calumniosis ejusmodi excerptis & consequentiis occurrendi ante hac in cursu lectionum sæpius propositam, studiosis nostris aliisque veritatis amatoribus brevi hoc scripto exhibeam, & publicæ disputationi*

tioni subjiciam. Quod ut methodice fiat, agam 1. de Excerptis & consequentiis. 11. ostendam quomodo iis occurrendum sit.

DE excerptis hæc præcognoscenda. 1. Vnde ea exhibeant. 2. Quinam ea exhibeant. 3. Qualia. 4. Quâ forma, ac modo. 5. In quem finem. 1. *Primo*, subinde, sed rarius, exhibent ea ex ipsis confessionibus, aut catechesibus, aut declarationibus, apologiis, collationibus, actis & libris communibus, publicis ex. gr. ex *Confessione Belgica*, aut *canonibus Synodi Dordracenæ*. Huc referri possunt *considrationes Remonstrantium in confessionem & catechesin Belgicam*, quas vide in scriptis eorum Antisynodalibus. Imprimis nostros obtundere solent cavillationibus suis ad *quæst.* 5. 60. 114. Quæ nos ex professo & operose refutavimus in *Thersite Heautontimorumeno*. Sed plerumque aut fere semper excerpta sua exhibent ex scriptis *Lutheri, Zwinglii, Buceri, Calvini, Bezæ, Marlorati, Martyris, Zanchii, Zegedini, Vrsini, Pezelii, Piscatoris, Perkinsi, Huberti Sturmii, Parei, Polani, Gomari*, aliorumque, quos vide in *scriptis & actis Remonstrantium ad Synodum Dordracenam scriptor dogmatic. ad* 1. *artic. p.* 25. 47. & *artic.* 3. *p.* 203, 218. & in tabellis excerptorum, aliisque libris polemicis hac *disp. citandis*. 11. *Secundo*. 1. *excerpta* ejusmodi calumniosè passim exhibentur in vulgaribus libellis Pontificiorum latine aut vernaculè editis, qui plerumque ea ex *Bellarmino de amiss. grat. & statu peccati lib.* 2. *cap.* 2. 3. 4. aliisque majorum Gentium scriptoribus polemicis describere solent, ipsis autoribus nostris non consultis, immo sæpe non visis. Confer *Feuardentii Theomachiam Calvinistic. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 12. *Prateoli elenchum hæres. lib.* 2. *in voce* Calviniſtæ. *Vilhelmum Reginaldum & Giffordum lib.* 1. *Calvino-Turcismi cap.* 7. Omne maledicentiæ & calumnię punctum hic tulisse videntur Iesuitæ Monasterienses in libello, cui tit. *Credo Calviniſequarum*. Sed professores Theologiæ scholasticæ, in ipsorum Academiis hic ipsos docere possent, non videri ab ipsis quid manticæ sit in tergo. Saltem non sine magna imprudentia & rerum suarum ac nostrarum pudenda imperitia, hoc agere ipsos persuadent retorsiones nostræ & excerpta ex scriptoribus Pontificiis; de quibus infra. 2. *Adjunxerunt* se Pōtificiis Neo-Lutherani, inter quos excelluere *Conradus Schlusselburgius l.* 1. *theol. Calvin. art.* 8. *Philippus Nicolai, Mentzerus*, aliique *Theologi* ipsorum *Marpurgenses & Giessenses in disp. theologicis*. Quibus jungendi Wittenbergenses, Ienenses, Tubingenses, aliique qui scriptis Irenicis & syncretisticis Heidelbergensis Academiæ, Lampadii, Parei &c, se opposuerunt, quales *Nicolaus Hunnius*, *Iohannes Himmelius*, *Iohan-* 1

Iohannes VVeberus. Sed compendium si quis facere velit legat *Eckardi fasciculum controversc.* 10. *qu.* 2. & 3. & *c.* 15. *qu.* 3. 4. Sed quam prudenter, & perite saxum hoc volvant, ipsi aliquando ut spero videbunt, ubi ex veterno illo contentionum evigilantes recordati fuerint scripti *Lutheri de servo arbitrio* & antiquorum Lutheranorum, qui cum illo hic senserunt, nec non quorundam à suis dictorum & scriptorum, quorum excerpta in *problematis* nostris, *in tabellis tit. de providentia subjectis*, exhibemus: denique doctrinę orthodoxæ de servo arbitrio & certitudine salutis, quam contra Pontificios & synergistas etiamnum tuentur. 3. *Cornhertistæ*, Anabaptistæ, & similes obscuri atque idiotici disputatores, qui subinde quid sibilant, nullo numero nobis sunt. 4. *Sociniani* cum antiquos & recētiores Pelagianos, Anti-trinitarios, immo & Epicureos complectantur, non tam excerpta & durius aut incommodius dicta in auctoribus quibusdam reformatis consectantur, quam ipsas veritates fidei & confessiones reformatorum, immo & totius Christianismi; quas aperte & directe oppugnant, & quantum in se est, funditus subvertunt. 5. *Remonstrantes*, omnes omnium adversariorum & calumniatorum tā antiquorum quam recentiorum conatus superare voluerunt. Nec mirum, cum unicum hoc & extremum causæ suæ prędidium post omnia frustra tentata, sibi relictum videant. Hinc est quod Methodum nostram hac vice ad illos propriè accommodabimus, certi illorum absurdis calumniis profligatis, reliquis adversariis nihil superfore, quod aliqua cum specie reponere possint. III. *Tertio*, Videndum nunc qualia exhibeant. Sunt ęa partim κύριαι dogmata, & ipsę theses principales quinquarticulanę, inter nos & ipsos controversæ: partim & ut plurimum hypotheses quædam, quæ in thesium istarum probationibus, & objectionum atque exceptionum solutionibus apud autores nostros occurrunt. Atque hic imprimis occasionem quærunt phrases aut voculas quasdam durius, aut incommodius (sive ipsorum judicio, sive revera) in fervore disputationis prolatas venandi, & excerpendi. Loci communes, circa quos ferram hanc reciprocant, sunt, imprimis de decretis & providentia Dei, deque prædestinatione, gratia, & libero arbitrio, fide & perseverantia. IV. *Forma & modus* hæc excerpta exhibendi varius est. 1. *Quando* nuda excerpta ex autoribus, quasi in tabella exhibentur, absque additis particularibus conclusionibus aut consequentiis, aut glossis. Talis tabella inter alias vernaculo sermone hic Vltrajecti in fol. patēte à Remonstrantibus edita anno 1618. Et M. SS. quam plures etiamnum quotidie simplicioribus obtruduntur. Nonnunquam Remonstrantici ministri fidem citationum in talibus tabellis publice orali collatione defendēdam suscipere voluerunt

luerunt, tanto audaciores quanto indoctiores. Cujus temerarii & infelicis ausus duo exempla mihi nunc succurrunt: in oppido Goederrede, cujusdam neophyti Adriani Romani, minime ad hoc negotium idonei, uti apparuit in synodo Provinciali Delfensi 1618. cujus acta de hoc infelici promacho & Pyrgopolinice videri possunt. Tentatum idem in vico Bleyswyck prope Rotterdamum ab homine nullius studii, nullarum literarum, nullius etiam probitatis, Henr. Slatio tunc indigno ministro in Bleyswyck, & indigne atque ἀθέκτως ad ecclesiasticum ministerium promoto, postea per intentatum celsiss. Principi Mauritio paricidium, aliasque horrendas in patriam ac supremo Magistratus conjurationes ac proditiones celebritatem nominis, & infame supplicium adepto 2. *Quando* excerpta illa nude & quasi in tabella conferuntur cum excerptis Mahumedicis, Manichaicis, Stoicis &c. & doctrina reformata cum Turcica, Manichaica &c. Exemplum hujus in Belgio nostro dedit tabella ab anonymo edita, & Arnhemi à suprema curia ducatus Geldriæ rogo adjudicata an. 1617. Tabellam hanc Remonstrantes scripto vernaculo tit. Zedich Ondersoeck &c. reposuerunt, eamque defendere, & factum curiæ Geldricæ condemnare tentarunt: quibus orthodoxus quis sub nomine Eusebii Philalethii abunde respondit eodem an. 1617. tit. Antwoort op seecker lasterschrift geintituleert / Zedich Ondersoeck &c. 3. *Quando* excerptis adjunguntur operosi consequentiarum nexus, aut dissertationes, quibus falsitas, absurditas, immo & blasphemia atque ἀθεότης sententiarum in se, & convenientia earundem cum Turcicis, Iudaicis, Manichaicis, Borboriticis, Enthusiastico-Libertinicis, Stoicis &c. lectori cuivis persuaderi possit. Vernaculorum librorum tam ante quam post synodum Dordracenam editorum innumerum numerum nunc non indicabo. Inter alios unus, qui sit instar omnium, non prætereundus, *Iohann. VVtenbogardi Defensio decreti ordinum Hollandiæ*, cui plene & erudite respondit Cl. *Triglandius*, tit. *Defensio doctrinæ & honoris reformatarum ecclesiarum* &c. Latinis scriptis hoc egerunt Remonstrantes imprimis actis & *scriptis Dordracenis Antisynodalibus*, & in famosa ipsorum *Apologia*, quæ communi nomine edita sunt. Quibus adjungi possunt *Dan. Tileni notæ ad canones Synodi Dordracenæ*, & *Bertii* (postea apostatæ & Papistæ) *disp. de Theologia occulta & revelata, ejusdemque scriptum contra Piscatorem* Et *Grotii* Papizantis *appendix de Antichristo, subjecta notis in Euangelistas pag. 64. 65.* ubi absque citatione autorum (suâ scilicet affirmantis autoritate) hanc cramben recoquit. 4. *Quando*, positionibus seu thesibus quibusdam sensum excerptorum, & per Remonstranticam consequentiam, omnium ecclesiarum reformata-

rum, exhibere se putant. Hoc factum anno 1617. in ducatu Geldriæ ubi famosæ factæ decem positiones, earumque revocatio. De quibus videnda *historia VVilhelmi Baudartii*, Belgico sermone conscripta; & *narratio* præmissa *actis synodi Dordracenæ*. 5. *Quando*, nudis quæstionibus sententiam, aut dictum autoris reformati vellicant & torquent. Quod ab anonymo quæsitore nuper factum in libello vernaculo *contra corollarium aliquod disputationi* Rever. collegę nostri *D. Caroli de Maets* subjectum, tit. 12. *Stupidæ quæstiones*. Cui concinnè eodem idiomate respondit. D. *Cralingius* minister, cum viveret, Woerdanus. Ipse etiam collega noster in *disp.* 8. *part.* 3. *de Christo Mediatore*, hominis illius crassam ignorantiam breviter perstrinxit. Quem lector consulat. v. *Finis* calumniosorum excerptorum est partim particularis & proximus, partim universalior & remotior. *Ille est*, ut Deus reformatorum statuatur autor peccati; præterea, injustus, tyrannus, simulator; adeoque omne discrimen inter honestum & inhonestum tolli, omne studium pietatis, omnis consolatio funditus subrui dicatur; denique loco Dei idolum quoddam, immo Deus malus Manicheorum, & diabolus erigi, & impietas, Epicureismus, atheismus inter homines promoveri. *Iste* est, ut doctrina reformatorum apud rudiores imprimis & imprudentiores quovis quęsito colore odiosa reddatur, hominesq; à cõmunione ecclesiarum nostrarum abducantur, & in conventiculis Remonst: retineantur, aut de novo quidam eò pertrahantur. Quibus addi possent fines alii particulares tum operis tum operantium, ut vindictæ cupiditati satisfaciant, ut ambitioni suæ velificentur, ne frustra videantur errasse & ecclesiam turbasse &c. Sed hæc magis ad historiam factorum, quam ad elencticam theologiam pertinent. Itaque nolumus ea hic persequi.

2 Morbo nunc detecto, indicanda remedia & media, quibus illi occurrendum. Duplici ratione cum calumniæ omnes, nominatim etiam adversus religionem & ecclesiam abstergi soleant, vivâ voce, aut scripto seu editis libellis: priorem semper præferendam duxi, siquidem haberi possit collatio coram auditoribus utriusque partis, aut potius coram cœtibus Remonstranticis, ubi ipsi autores citati inspici, legi, & sensus eorũ explicari, atq; omnibus cognitoribus & auditoribus ad oculum demonstrari possent; ut ita ἐπαυτοφώρῳ deprehẽdatur malæ causæ miseria, quę in unico hoc cavillationũ & calumniarũ morbo omne præsidium quęrit. Nõ male hoc cessit an. 1617. in agro Roterodamẽsi, in vico Bleyswyck; cum ad provocationẽ Henr. Slaetsii postea paricidæ, ibi postulatus ab orthodoxis compareret Rever. D. Ioh. Cloppenburch quondam in ministerio ecclesiastico conjunctissimus mihi collega, nunc Professor

fessor Theolog. in Acad. Franequerana, & calumniosam publicè quæ affixam excerptorum tabellam expugnaret, atque infelicem ejus autorem publicè confunderet. Quod si prior hæc navigatio obtineri nequeat, utendum est secunda, hoc est, scriptione aut etiam editione purgationis seu apologiæ; ut causa Dei & ecclesiarum reformatarum à rancidis illis calumniis Pelagianis apud eos, quorum interest, liberetur. Factum hoc hactenus à quam pluribus, sermone tum vernaculo (quos alios nunc non indicabo, præter pauculos superiori thesi nominatos) *tum* latino; inter quos nunc occurrunt directè Remonstrantibus oppositi autores *secundæ Contra-Remonstrantiæ qua demonstratur Remonstrantes novam doctrinam introducere*, traditę Ordd. Hollandiæ. anno. 1617. *p.* 80. *novit.* 1. 2. 5. *Censura Professor. Leidens. in confessionem Remonstranticam*, cum *antapologia Isaaci Iunii cap.* 6. 8. 9. Quibus addi possunt, quamvis directè Remonstrantibus non responderint, sed Pontificiis aut Neutralibus aut phanaticis derisoribus, *Calvinus in responso ad calumnias nebulonis de occultâ Dei providentia*; *Rivetus in Catholico orthodoxo contra Baylium*; *Gomari conciliatio doctrinæ orthodoxæ de providentia*; *Georgius Abotus* theologus Angelus *in prælectionibus aliquot* in Germania editis, inter quas *una de Deo autore peccati*; *Hericus Salcobrigiensis in Becano baculo*; *Conr. Vorstius in apologia oppositа Credo Cavini sequarum Iesuitar. Monaster*; *Petrus Molinæus in libello de Providentia Dei*, *Amesius in Bellarmo enervato tom.* 4. *disp.* 5. 6. 7. qui subtiliter & accurate calumniosa excerpta retundit. Et inter eos qui Socinianis responderunt, *Ioh. Iunius in refut. prælectionum Socini.* Inter eos, qui Lutheranis se opposuerunt, Resonsum Germanicum Theologor. Heidelbergens. tit. Aufführlicher bericht &c.; *Parei Eirenicon*; & *Ioh. Polyandri à Kerckhoven miscellaneæ tract. theologi cæ*, ubi agit cõtra *Theses antisynodales Balthas. Mentzeri. Ludovicus Lucius* Professor Philosophiæ Basilensis *in tract. c. Andream Libavium de prædestinatione. Mathias Martinus c. Philippum Nicolai*; *Henr. Altingius in exegesi confess. Augustanæ artic.* 19. Addi possunt *epistolicæ dissertationes de termino vitæ*, editæ à Ioh. Beverovicio; Etiam ex Pontificiis post *Thomam* & *Cajetanum*, *Didacus Alvarez*, *Sumel*, *Bannes*, *Sylvius*, aliique à nostris *Riveto*, *Amesio*, *Twisso*, *Ferrio*, & in *dissertationibus de termino vitæ* passim *citatis*; qui imprimis facient ad distinctionum & terminorum pressam & accuratam acceptionem & applicationem, nec non ad retorsionem contra Pontificios. Nos, ne plane actum agamus, nec tamen fratrum quorundam desideriis plane non satisfaciamus, non tam operose rem ipsam seu methodum (ita loquar) utentem, quam compendiose modum agendi & methodum docentem delineabimus. Ejus autem membra aut genera statuimus

tuimus tria : quorum primum eſt, *rejectio*; *ſecundum retorſio*; *tertium*, *directa reſponſio*. Cujuſque autem arbitrio & prudentiæ relinquimus, an tria illa ordine, an vero omiſſis duobus prioribus, ſolummodo tertium ad temporis, ſermonis, & ſcriptionis compendium faciendum, adhibere velit : imprimis, ſi qua ſpecie videretur ſuis, aut mediis & neutralibus tergiverſari & circuitione aliqua uti. Veritas non quærit latebras, & ſemper *geſtit occurrere adverſario*, ut loquitur *Tertullianus*. Hoc etiam arbitratui cujuſque relinquendum, ut videat quo ordine membra hujus Methodi diſponenda, à quo incipiendum, & in quo deſinendum. Quod ſi ſcriptis cauſa hæc agitetur, ego (ſalvo meliori judicio) conſultius putarem, ut nullum eorum omittatur, & à tertio initium fiat : quo lectorum oculis quam primum ſubjiciatur, quod maxime urget, & cujus explicatio ſcrupulum animis eorum proprie, directe, immediate, & proxime eximit. Tertio abſoluto ad ſecundum aut ad primum accedatur; prout cuique pro ratione auditorum aut lectorum, aut pro importunitate adverſariorum, hoc maxime conducere videbitur.

3. *Rejectio* ergo erit negatio concertationis aut apologiæ ſuper aut pro iis excerptis. Eſtque duplex, vel excerptorum omnium quæ ex privatis ſcriptis doctorum exhibentur; vel quorundam excerptorum. *Prior* omni modo juſta & legitima eſt, ob iſtas rationes. I. *Quia* nemo reformatorum ſive miniſtrorum in receptione ad miniſterium, *ſive* membrorum in profeſſione fidei, *ſive* Remonſtrantium in palinodia, aut in reconciliatione cum noſtris eccleſiis obligatur, ad excerpta illa in iis autoribus cognoſcenda, aut ſi cognoſcat amplectenda, nedum ad ea pręſtanda, aut eodẽ ſimilive modo de rebus illis loquendum, quotieſcunq; neceſſitas illud poſtulaverit. Neq; enim phraſes aut dicta Lutheri, Bezæ, Calvini, Zanchii &c. hac in parte ſunt τὸ ὁμοούσιον ſynodi Nicenæ, aut τὸ ἀναιωδῶς, ἀτρέπτως &c. ſynodi Epheſinæ. II. *Quia* non pertinet ad communẽ objectivam fidem eccleſiarum noſtrarum ſeu ad veritates fidei, excerptorum illorum genuina explicatio & dijudicatio; an ſcil. ſenſus falſus & abſurdus iis contineatur, nec ne. Sed tantum pertinet hæc diſquiſitio ad facta & ad hiſtoriam, an ſcil. hic aut ille autor hoc dixerit, & quo ſenſu hoc dixerit. III. *Quia* non pertinet ad fidem cujuſque internam ſeu qua credit, certo ſtatuere quod autor ille ſic & non aliter ſit explicandus, quodque hunc & non alium ſenſum verbis illis intendere potuerit aut voluerit; nedum ut ad fidem cujuſquam pertineat, (qui ſcil. nondum perſuaderi poſſit, quin ſenſus falſus & abſurdus iis excerptis contineatur) eidem ſenſui aſſentiri, eumque in conſcientia probare & adverſus contradicentes defendere : Sed tantum pertinet, ad theologicam & multam

tam lectionem variamque eruditionem ; insuper ad caritatem fraternam & gratitudinem erga labores tantorum virorum , ut in benigniorem partem , siquidem fieri possit, potius eorum verba accipiamus,quam secus : & eos pro virili dextre explicemus. Cogitandum enim quid nobis fieri velimus , & quid præscribat apostolus 1. *Corinth.* 13. Vulgo notum est dictum illud Hieronymi: *sceleratum esse in verbis alicujus velle hæresim quærere , cum noris sensum illius esse sanum.* IV. *Quia*, non tantum vera fides & fundamentum salutis (in quo omnes unius ecclesiæ cives convenire debent , & quæ ad esse ecclesiæ requiritur) ab particularibus aliquot Doctoribus , nedum à pauculis aliquot eorum dictis dependet ; sed ne quidem declaratio externi consensus & explicitę communionis , per expressas formulas symbolorum,confessionum , catecheseôn , qui ad bene esse ecclesiarum requiritur , à dictis excerptis dependet. Quin contra ecclesiæ nostræ à consensu & communione suâ rejiciunt omnia illa, quæcunque falsa aut periculosa , aut male sonantia , aliqui forte minus benigne de sensu autorum illorum judicantes, putarent eorum verbis contineri , & per consequentiam inde educi. Vide quæso Synodi Dordracenæ conclusionem judicio quinquarticulano subjectam , *Actor. Dordracen.part.1.pag.275.* edit.in fol. V. *Quia* , excerptis illis ventilandis & exagitandis veritatem non tam quærere , quam fugere videntur , & compendia temporis , studii, & brevium ac perspicuarum determinationum dilapidare , suisque & aliorum ingeniis , judiciis, memoriis turbandis , distrahendis , onerandis , obruendis & confundendis potius, quam juvandis & expediendis incumbere. De quo à nostris data occasione satis actum fuit. VI. *Quia* , Remonstrantes hac methodo uti solent, quotiescunque ipsis visum fuit , compendiosissime se expedire , aut tutissime odiosas causas & consequentias declinare. Quam autem libertatem ipsi sibi sumunt , aliis negare non debent. Sic declinabant passim quidquid heterodoxiarum ex Adolpho Venatore , Petro Bertio , Conr. Vorstio ipsis objiceretur. Grevinckhovius contra Amesium pag.15. *An Vorstius meo patrocinio se commisit.* In *Responso Remonstrantium ad tabellam Amstеldamensem p.29.* Se non teneri ad apologiam eorum quæ à Vorstio , Venatore, Arminio ,Nicolao Grevinckhovio , Bertio , Borrio dicta sunt. *Iohannes VVttenbogaert* in libello Belgico cui tit. **Oprecht ende Noot Wendich bericht** &c. Quid hoc inquit , ad Remonstrantes ? An in remonstrantia quidquam de eo habetur.

Retorsionis Methodo adhibita occurritur adversariis, 1. *Cum* nuda 4. excerpta primario in eadem hac materia , & secundario atque epimetri loco in aliis materiis ex autoribus propriis (ex.gr.Pontificiis ex Pontifi-

ciis, Remonſtrantibus ex Remonſtranticis, &c) excerptis eorum opponunt ur; quorum obſcuritatem aut duritiem (ita loquar) aut ambiguitatem ac lubricitate m eâdem, ſi non, majori ſpecie per eandem conſequentiam exagitare deberent, ac poſſent, iiſdemq; abſurdis ipſos gravare. Quod cum nec faciant, nec facere velint; conſtat eos peccare in caritatem, & mera proſopolepſia, invidia, vindictæ cupiditate, contentionis ſtudio, aut alio quo animi morbo, non judicio, non veritatis ſtudio, excerpta illa cum odioſis conſequentiis in noſtros intorquere. Excerptorum ejuſmodi, ſpecimina ex Pontificiis, Remonſtrantibus, Socinianis, Anabaptiſtis, Lutheranis ſuppeditamus in *Prima parte ſyllabi prob lematum theologicor.* ubi poſt locum de providentia triplex tabella exſtat. Et in *catechizati one catechiſmi Remonſtràntici*, vernaculo ſermone, ubi excerpta illa auximus: Quæ hic non repetimus. Videat ibi, cui vacat, tabellam ſecundam & tertiam. II. *Cum* conſequentiis calumnioſis, quibus noſtros gravant, ſimiles conſequentias per parodiam fabricatas opponimus, & vel domeſticos ipſorum autores, vel communem ipſorum doctrinam, quam adhuc cum orthodoxis tenent, iiſdem urgemus, atque ipſorum reſponſum & apologiam flagitamus. Quid quid hic reſponderint, id parodicè analogice dictis noſtrorũ applicabimus, & reſpõſi loco ipſorũ male cõſutis conſequentiis & criminationibus reponemus. Quod ſi pura ἀποδιωξει, ſeu rejectione hic agere velint; utique nobis majorem occaſionem dabunt primæ noſtræ methodo inhærendi. Neque enim probant nobis magis autenticos eſſe noſtros autores, quã ipſis. Sin etiam propriam doctrinam, quam communiter adhuc tenere ſe profitentur, deſerãnt; utiq; haſtam abjiciunt, & oſtendunt ſe eſſe ἀυλοκολακρτας, & ſcepticos magis ac vertiginoſos quæſitores, quam theologos docentes & reſpondẽtes. Hunc retorſionis modum ſecuti ſunt, cõtra *Pontificios* quidẽ *Ameſius* & *Rivetus*; cui addi poteſt *Chamierus tom. 3. panſtratiæ lib. 2. 3. 7. 8.* Contra *Remonſtrantes* idem *Ameſius in reſcriptione c. Grevinckhovium*, & in *refutatione Anti-ſynodalium*; Et nos paſſim in *ſcripto Belgico cõtra Tileñ.* Cõtra *Lutheranos*, *Pareus in Eirenico cap. 28. art. 1. 11.* Et *Kimedoncius in præfat. ad librum Lutheri de ſervo arbitrio.* III. *Cum* quæſtiones quæſtionibus opponuntur, & ſic per anti-quæſtiones tacite abſurditas & ineptia propoſitarum quæſtionum arguitur. Aut enim ſilentio ſuo hoc fatebuntur adverſarii, cum ad anti quæſtiones non reſpondent; aut reſponſione ſua qualicunque viam & modum oſtendent ad ſuas quæſtiones reſpondendi. Optime hæc methodus anti-quæſtionum adhibita fuit à *Iacobo Cralingio duobus libellis Belgicis adverſus ſtupidum quæſitorem.* IVe *Cum* imprimis talia excerpta ex communi doctrina, aut ex propriis autoribus

toribus in primâ acie ipsis opponuntur, quæ nõ specie aliqua per contortas consequentias, sed revera & evidenter, aut absurda, falsa, aut saltem male sonantia, periculosa, scandalosa, uti isti nostrorum dictis falso & immerito hęc imponunt. Qualia sunt partim communes aut saltem publicè currentes opiniones, partim dicta particularia ex tabellis nostris modo cit. hic solummodo indicata. *Ex communibus opinionibus, aut currentibus disputationibus* sunt istæ. 1. *Pontificiorum* de inclinatione sensualitatis ad malum ante lapsum. *Bellarmin. lib. 6. de Statu peccati cap. 5. 6. 7.* De mortalitate hominis, quæ non sit pœna peccati. *Ibid. 8. 9.* Vnde inferri posset Deum esse autorem mali. De fato plusquam fatuo & Stoico, cui Deum subjiciunt & implicant, per novum commentum scientiæ conditionatæ omni libertate & supremâ potestate illi ademtâ. De quo vide *disp. nostram de scientia Dei*, & *dissertationem de termino vitæ.* Quod Deus æternis & infernalibus cruciatibus homines plane innocentes affligere possit: de quo monuimus in *disp. de Iure & Iustitia Dei.* De æterna dãnatione omnium infantium in cõmunione fœderis ex fidelibus parentibus natorum & in infantia sine baptismo morientium *Bellarmin. lib. cit. cap. 2.* Et hanc sententiam communiter nunc tenent Lovanienses & Duaceni; ut videre est in libello anno 1641. Lovanii vulgato tit. *Querimonia Iacobi Zegers Typographi p. 64 65.* Hac scil. doctrina Deum magis misericordem faciunt, quam reformati & mitiorem scil. sententiam habent de salute parvulorum, quam Reformati. Silicet. Quod Christus assumere & personaliter sibi unire potuisset naturam humanam peccatricem, hoc est, quod vera potuisset esse hæc propositio: Deus est peccator; & consequenter, Deus est damnatus. Item, quod Deus præcipere possit mendacium, odium sui &c. Hęc scil. theologia magis quam reformata, vindicabit sapientiam, sanctitatem, veracitatem Dei. Confer. *disp. nostras de Iure & Iustitia Dei & de potentia Dei. 2. Remonstrantium*: De scientia Dei conditionata: unde ipsis æque ac Iesuitis fatum Stoicum impingi potest. De inclinatione illa appetitus inferioris ad repugnandum rectę rationi, deque mortalitate, non defectioni, sed hominis naturæ & consequenter Deo naturæ autori adscribenda: Vnde ipsis idem, quod Pontificiis & antiquis Pelagianis, impingitur. Dubitatio an Christus potuisset non facere voluntatem patris. Præterea, quod certum non sit peccatorem in fine vitæ pœnitentem & desiderantem gratiam à Deo suscipiendum. Sic scilicet cum Socinianis Dei misericordiam exaltant, & magis universalem atque extensam faciunt. Quod impossibile sit, ut quis sciens esse vitam æternam, & credens Iesum esse à Deo constitutum &c. omni diligentia viam hanc non ingrede-

retur. Sic illi in ſua *catecheſi quæſt.46.* Et hoc ſcilicet eſt aſſerere libertatem voluntatis humanę. Quod Chriſtus ſponſor paſſione, & juſtitia ſua nobis aut ulli hominum proprie non acquiſiverit remiſſionem peccatorum & ſalutem æternam; ſed Deo acquiſiverit, ut potuerit ſalva juſtitia aliud fœdus denuo cum homine lapſo inire: adeo ut omnes potuiſſent eſſe damnati, interveniente omnium incredulitate. Hoc ſcil. eſt decătare univerſaliorem & extenſiorem gratiam Dei & meriti Chriſti plenitudinem ac ſufficientiam. Quin potius eſt negare omnem vim & ſufficientiam meriti Chriſti. Vide quęſo conſequentiam intortam ab *Ameſio in reſcriptione c. Grevinchovium, & in refut. ſcriptor. Antiſynodal. Ex dictis particularibus* ſunt iſta. 1. *Pontificiorum*; Quod Deus voluntatibus malis *præſidet, eaſque regit, gubernat, torquet & flectit*; ut *licet vitio proprio malæ ſint, tamen à divina providentia ad unum potius malum, quam ad aliud ordinentur.* Sic Bellarm. lib. 2. de amiſſ. gratiæ cap. 13. ſect. 8. p. 222. edit. Ingolſtad. in 80. Et quod voluntates malas poſitive inclinet in unum, & avertat ab alio. Sic *Thomas in cõment. ad Rom. 9.* Quod *ſicut non eſt malum Deum cooperari actionibus peccatorum, quantum ad bonitatem naturæ: ita malum non ſit illas præcipere.* Sic *Cajetanus in Ientaculis N. T. Ientac. 6. quæſt. 2.* Vbi ad verba domini dicta Iudæ proditori. *Quod facis, fac citus*, notat in negotio proditionis triplex bonum inveniri: *primum*, ſecundum effectum, qui eſt paſſio Chriſti. *Secundum*, bonum naturæ ipſarum actionum Iudæ. *Tertium*, ordo mali culpæ, hoc eſt, peccati ipſius Iudę. De ſecundo bono ſic loquitur in terminis: *Omnis enim actio quantumcunque mala moraliter, quum ſit res aliqua, bona eſt bonitate naturæ: & ut ſic eſt à Deo. Et quantum ad hoc, verba hæc domini ſunt præceptiva, & ſignificant ordinem divinæ providentiæ ad accelerandum actiones Iudæ, ut tempore ſtatuto à divina prædeſtinatione adimpleretur paſſio Chriſti.* 2. *Remonſtrantium*, Quod cum creatura in malo omnino non obdurata, actum quia peccato junctus ſit patrare nolit *niſi argumentis quibuſdam & occaſionibus, quæ velut incitamenta ſunt* &c. *Deus irramenta iſta objicit.* Sic *Armin. in diſp. de providentia Dei in malo.* Cur hic non clamant, Deum conſtitui cauſam moralem peccati? Inſuper, Quod Deus hominem ſtultum, hypocritam, amatorem vanitatis, dementat. Sic Remonſtrans anonym. in libello, cui tit. *accuratum Examen &c. p. 59.* 3. *Lutheranorum*, Quod Deus immeritos damnat. Sic *Lutherus de ſervo arbitr. p. 262.* edit. lat. in 80. Et quod mala per malos faciat *p. 218.* Et quod agit in Satana & impio totaliter, quales illi ſunt, & invenit. *Ibid.* Vide & *p. 220. 221.* Hæc excerpta aut aperte falſa ſunt, & conſequenter rejicienda; aut ſaltem male ſonantia, & periculosè dicta, & con-

& consequenter corrigenda; aut impedite, obscurè, & improprie dicta, & consequenter accuratius, distinctius, & commodius enuntianda; aut in speciem dura, quamvis alioquin in se verissima quæ ab indoctis & ἀσυνέτοις in malam partem accipi possent, & consequenter explicanda & defendenda.

Directa responsio est, quæ fit per excerptorum genuinam explicationem 5.
calumniosarum consequentiarum relectionem & refutationem, & autoris accusati defensionem, excusationem. Hujus methodi duę sunt partes: quarum. 1. *Prior* detegit & redarguit crimen falsi, siquod ab autoribus librorum, tabellarum, & excerptorum committitur, cum ea adscribunt autoribus quæ 1. *aut* nullo modo in iis habentur 2. *aut* non sic habentur, ut ab iis citantur. Quod posterius quatuor potissimum modis fieri consuevit. *Primo* Quando verba quædam proxime antecedentia, aut proxime consequentia, aut in medio sententię posita omittuntur. *Secundo*, quando verbum aliquod aut verba aliqua in aliud aut in alia mutantur, & calumniatoris verba aut verbum autoris citatis verbis aut verbo substituuntur. *Tertio*, Quando conjuncta dividuntur & divisa conjunguntur. *Quarto*, quando verba à toto corpore contextus aut disputationis avulsa, præter & contra scopum ac filium orationis & autoris in contrarium plane sensum detorquentur: ita ut aliquando objectio pro responsione, aut aliena sententia, quam refert autor, pro ipsius sententia, aut argumentum ad hominem, aut ratiocinatio ex hypothesi, aut absurdum consequens, quo adversarium premit, pro ipsius peremtoria ac propria determinatione accipiantur. Alios speciales modos falsi referre hic possem: sed ad hæc summa capita omnes revocari posse arbitror. Conferat, cui vacat ICtos, de crimine falsi, & Casuistas de testimonio falso, & de calumnia. Et commentatores ad Matth. 26. 61. Pontificii in hac ipsa materia frequenter criminis falsi à nostris convicti sunt. Videantur inter autores nostros supra citatos, *Conr. Vorstius in apologia pro ecclesiis Orthodoxis &c. contra Credo-Calvinisequarum Monasterienſem.* Et *Ioh. Brantius in Examine apostasiæ Cudsemii part. 4. c. 11.* Et ex Antagonistis Bellarmini, *Pareus*, Et *Henr. Salcolbrigiensis in Becano-baculo p. 32. 46.* Sed falsitatibus istorum detegendis aut indicandis nunc non immorabor. Accedo ad Remonstrantes, qui à crimine falsi in hujus causæ disceptatione excusari non possunt. Specimen dederat infamis memoriæ *Henr. Slatio* in famosa sua *tabella* in citandis verbis Parei, & in translatione vocabuli *reus* per belgicum **verdoemt**: ut coram in collatione illi tunc ostensum est. Charta non patitur, ut ex quisquiliis libellorum Belgicorum loca omnia exhibeam, ubi additione aut detruncatione,

catione, aut mutatione, & subſtitutione aut infida tranſlatione (e. gr. transfertur *neceſſitas* per **noodwanck**, *permitto* per **ick ſtaetoe**; quod poſterius notavit *D. Triglandius in præfat. libri ſupra cit.*), aut totius theſeos transformatione, in calumnia præſidium ſuum poſuerunt. Duo tantum ſpecimina lectori partium ſtudiis non occœcato exhibebo, *tum* quia nos proprius hic tangunt, *tum* quia nuper in MSS. excerptorum tabella in agro Delfenſi ſparſa, & ante octiduum ad nos per amicum tranſmiſſa, comparent. Sit ergo *primum ſpecimen* in citatione verborum *Calvini ex Reſp. ad ad calum Nebulonis artic.* 13.14. Quod occurrit in tabella in ducatu Geldriæ Arnhemi per ſententiam ſupremę curiæ exuſta, de qua ſupra *theſi* 1.; & in tabella Vltrajecti anno 1618. edita; & in MS. tabella Hollandica anno 1647. modo dicta. Verba Calvini plerumque ſic citantur ex tractatuum theologicor. part. 2. claſſe 6. Reſp. ad calumnias nebulonis de occulta Dei providentia p. 748. col. b. (edit. Genevenſis apud Ioh. Vignon anno 1617.) *Negas Deo licere niſi propter facinus damnare quenquam mortalium. Tolluntur è vita innumeri adhuc infantes. Exere nunc tuam virulentam contra Deum, qui innoxios fœtus à matrum uberibus avulſos in æternam mortem præcipitat.* Aliquando etiam priora verba detruncant, & ſola poſteriora exhibent, incipiendo inde: *Exere nunc tuam* &c. uti factum in tabella MS. in Hollandia circumambulante. Ex his verbis populo perſuaſum volunt, homines innoxios, etiam infantes à Deo damnari, ex ſententia Calvini. Sed quomodo contrarium ibidem ſtatuatur à Calvino, & quomodo hæreſin adverſarii ſui negantis peccatum originale, ejuſque reatum, hoc abſurdo conſequenti urgeat, quod ipſe tanquam blaſphemiam aperte deteſtatur, cognoſcat lector ex verbis Calvini, quæ integra hic exhibemus *Quod etiam objicis, neminem niſi propter facinus & poſt facinus juſte damnari, de priore tibi mecum lis non eſt: quando ubique doceo, neminem niſi juſto Dei judicio perire. Quanquam diſſimulare non licet ſubeſſe in tuis verbis occultum venenum: quia ſi admittitur ſimilitudo quam proponis, injuſtus erit Deus, qui reatu originalis peccati involuit totum genus Abrahæ. Negas Deo licere niſi propter facinus damnare quemquam mortalium. Tolluntur è vita innumeri adhuc infantes, Exere nunc tuam virulentiam contra Deum, qui innoxios fœtus à matrum uberibus avulſos in æternam mortem præcipitat. Hanc blaſphemiam, ubi palam detecta eſt, quiſquis non deteſtabitur, mihi pro ſua libidine maledicat. Neque enim poſtulandum eſt ut ab eorum convitiis, qui Deo non parcunt, immunis ſim ac liber. Secundum ſpecimen* eſt in citatione corollarii ex diſp. Rever. collegę noſtri D. Caroli de Maets: quod factum ab anonymo quæſitore; in libello in 8. cui tit. **Twaelf plompe vragen**; nec non ab autore

tore quisquis est tabellæ Hollandicæ MS. hoc anno in Hollandia in agro Delfensi sparsæ. Crimen falsi à priore manifeste commissum notavit *Iac. Cralingius in præfat. libelli*, quem quæfitori illi tunc opponebat. Et postea data occasione Rev. collega utrumque corollarium suum sic explicuit & defendit *disp.8.de Christo servatore part:3.3. thesi 25.* ut non videam quomodo aliquo cum colore contra hiscere possint, nisi prius cum Epicuro providentiam Dei & cum Socino præscientiam ejus negent. Nos etiam de utroque quid diximus in *dissert. de termino vitæ.* In hac ergo disputatione defendemus crimen falsi post *rescriptionem D.Cralingii*, & *apologiam* collegæ nostri *modo cit.* ab autore M. S. tabellæ denuo committi, cum sic verba collegæ proponit: Quod *Deus decrevit & determinavit, ut omnes res fierent eo tempore, eo modo, eo loco, & ordine, quo nunc in tempore fiunt: & quod juxta hoc decretum & divinam determinationem, homo non plus boni aut mali facere potest, quam facit aut omittit.* Primum corollarium transeat, quia quod ad rem non male transtulit. Secundum, quod illi immediate subjicitur, plane omisit, quod sic sonat: *Prædeterminatio hæc rerum contingentiam non tollit.* *Quartum* sic sonat: *Respectu hujus prædeterminationis divinæ nemo plus boni aut mali facere aut omittere potest, quam facit aut omittit. Licet in sensu diviso possit.* Hic primum quidem fidem & candorem in ipso desidero, cum verba hæc cum primo corollario immediate conjunxit, quasi una esset continua oratio, nullis aliis verbis interjectis; imprimis quod secundum corollarium, quo primum limitabatur, & explicationi quarti via muniebatur, plane omisit, & quidem nullo ejus omissionis facto indicio. *Deinde* aperte criminis falsi eum arguo, quod detruncaverit verba illa: *licet in sensu diviso possit.* Quantum ea momentum huc adferant, non ignorant illi, qui has controversias inter Thomistas & Iesuitas, & inter nostros ac Remonstrantes alioque adversarios agitatas vel à limine salutarunt. Possem adjicere & tertium specimen falsitatis hic Vltrajecti ante annum unum atque alterum in collatione cum concionatore Remonstrantico detectum à tribus theologiæ tunc studiosis, nunc ecclesiarum pastoribus. Sed quia relationem iteratæ seu secundæ collationis coram Amplis. DD. Cons. & delectis quibusdam Senatoribus habitam & publica autoritate munitam, & forte totum illud antecedens privatum colloquium ipsi DD. collatores aliquando edituri sunt; hac vice supersedeo, & ad alteram methodi hujus partem me confero. 11. *Posterior* historice & candide *primo explicat* citatos autores; *ostendit* deinde eorum verba in alienum plane sensum torqueri. Explicatio verborum, accurate, compendiose, distincte, evidenter fieri potest, præcognitis & præmissis distinctionibus terminorum

rum qui partim loco prædicati, aut circa modificationem prædicati, *neceſsitatis*, *poſsibilis*, *impoſsibilis*, *voluntatis divinæ*, *prædeterminationis*, ſeu *prædefinitionis*, *libertatis*, *contingentiæ*, *inevitabilitatis*: partim loco ſubjecti, (*peccatum*, *malum*, *induratio*,) adhiberi ſolent. Terminorum diſtinctiones circa prædicatum Rever. collega *theſi citata* in lucem poſuit. Et nos in diſſertatione de *Termino Vitæ*, ubi exſertis ſcripturæ teſtimoniis, variiſq; argumentis, & ipſo quorumcunque adverſariorum (ſolis Socinianis exceptis) conſenſu evicimus omnium actionum & eventuum neceſſitatem ſcil. ſecundum quid, nempe conſequentiæ ſeu ex hypotheſi. Suntque hæc obvia in *Ameſio*, *Maccovio*, & inter Pontificios *Bannes*, *Alvarez*, *Sylvio*: aliiſque Thomiſtis; immo & vulgaribus Metaphyſicis. Inter eos, qui loco ſubjecti adhibentur, frequentiſſimus eſt terminus *peccati*: cujus diſtinctionem hic breviter repetimus. Sumi ergo poteſt *vel* abſtracte pro peccato qua tali, ſeu ἀνομία, & vitio actus humani ſtricte ac preciſe ſic dicto, ut contra actum ſubſtratum ſeu ipſam actionem & motionem, in genere entis phyſicè ſeu metaphyſicè ſpectatam contradiſtinguitur. *Vel* concrete, pro toto complexo, quod conſtat iſtis tribus. 1. *actu ſubſtrato*, cui ἀνομία inhæret; 2. *ipſa ἀνομία ſeu vitio morali*, quod actui illi inhæret. 3. *ordinabilitate* & ordinatione illius actus peccaminoſi in aliquod bonum: ſive illud ſit bonum juſtitiæ vindicativæ, ſive caſtigationis & medecinæ paternæ, ſive admonitionis & præmunitionis fidelis, ſive quodcunque aliud. De quo videnda *diſp.* noſtra, *de peccati uſibus per accidens* Quod ſi in prima ſignificatione accipiatur peccatum, jam dicimus nullum poſitivum decretum ſeu nullam voluntatem efficiendi, ſed tantum permittendi; nullam item poſitivam realis providentiæ executionem, determinationem, & cauſalitatem, ſed tantum puram putam permiſſionem Deo circa peccatum poſſe tribui. Sin vero in ſecunda ſignificatione; jam cum autoribus noſtris contendimus, non nudam permiſſionem Deo ſolummodo tribuendam, ſed inſuper realem ſecundum poſitivum & efficax voluntatis decretum operationē, ejuſque adjunctum ſeu affectionem neceſſitatem; non quidem abſolutè ſed limitatè, quod ad actum ſubſtratum, & ordinabilitatem atque ordinationem in bonum: hæc enim à Deo ſummo bono & prima cauſa effici nemo, niſi Epicureus, negat. *Oſtenſio ſeu* demonſtratio, quod verba autorum in alienum ſenſum detorquentur hac ratione peragitur. Si dicamus. 1. *Scripturam* partim expreſſis verbis ſic loqui, ut noſtri autores, de hominibus malis & pravis eorum voluntatibus, & peccatis; partim implicitè & indirecte ſeu per conſequentiam ſic loqui de iſdem peccatis, cum loquitur de rebus & eventibus in hoc mundo, quæ ſine

inter-

interventu peccati dæmonum & hominum non fiunt & existunt, immo nec fieri, nec existere possunt: qualia ex.gr. crucifixio innocentis Christi, persecutiones ecclesiæ &c. Pronuntiat autem scriptura hæc quatuor de iis: *Primo*, quod Deus ea prædefiniverit, destinarit, voluerit, & quod ea facta non sint nec exstiterint sine consilio, decreto, & voluntate Dei *Luc.*22.22. *Actor.*2.23.24. & 4.27.28. *Secundo*, quod Deus in tempore ea non tantum nude permiserit, *Genes.*20.*vers.*6.& 31.7.*Actor.* 14.16.2.*Paralipom.*32.*v.*31. sed & executus fuerit, secundum prædestinationem & consilium suum, eaque produxerit, fecerit, & similibus phrasibus, quæ Dei actionem, motionem, providentiam physicam notare solent. *Iesa* 63.17. *Amos.*3.6.*Psalm.*105.*v.*25.*Iesai.*10.5.6.15.& 2.*Samuel.*12.11.12.1.*Reg* 12.15.2.*Thessal.*2.12. Adde textus de induratione. *Exod.*4.21.*Rom.*1.24.& 9.18.*Ioh.*10.40 *Tertio*, Quod Deus ea mandaverit, seu dixerit, aliisq; similibus phrasibus (quę alibi proprie efficientiam, actionem & providentiam moralem notare solent) 2.*Samuel.*16.10.& 17. 24.*Threnor.*3.37.8.1.*Reg.*22.22.23.*Iesaiæ.*10.6.& *Quarto*, Quod consequenter, respectu providentiæ & decreti Dei necessitas & impossibilitas eventibus & actionibus illis hominum tribuitur *Mat.*18.7.*Luc.*17.1. & 24.26.*Ioh.*12.37.38.39.40 *Act.*1.16.1.*Corinth.*11.19.2 *Thessal.* 2. 3. *Quinto*, Quod quamvis circa idem objectum, ad eundem actum, ad productionem ejusdem rei & eventus simul agant & concurrant Deus & homo, non tamen hominis culpam participat Deus, nec Dei virtutem seu puritatem homo; ut ille culpæ affinis, hic ab ea immunis sit *Luc.*22.*v.*22. *Matth.*26.24.18.7.*Actor.*2.23.*cum vers.*28.*Iesai.*20.*vers.*1.2.*cum vers.*4. *Iohan.*12.*vers.*29.*vers.*35.36.& *cap.*9.*cum* & 15.*Exod.*4.21.*cum vers.* 23. & *cap.*51. Ita ut Deus ideo juste, sincere, & absque simulatione homini præscribere non possit debitum officium, & homo non teneretur illud præstare, & Deus non possit illum, siquidem non præstet, juste punire. Cujus ratio assignatur, latissimum discrimen, quod est inter agentem Deum (qui est primus & ultimus, absolute independens, & nemini quidquam debet *Rom.*11.35.) & inter causam secundam, creaturam sc. rationalem: ut & in modo agendi, ac fine *Iesai.* 10.6.7. His ita indicatis postulantur Remonstrantes, Pontificii, Lutherani, ut has enuntiationes scripturæ, quas cum antiquis logicis *exponibiles* vocare possumus, commode explicent: quod si aut non velint, aut non possint, jam causam religionis Christianæ Atheis, Epicureis, infidelibus, libertinis tradunt. Sin tentent & serio hoc agant, jam necesse est distinguant, inter hæc tria: actum scilicet quemvis peccato subsstratum, quem Deus ut causa prima producit *Actor.*17.28. *Ephes.*1.11.; & ἀνομίαν seu

vitium actus ; & ordinabilitatem seu ordinationem actus illius vitiosi in bonum aut ad bonum. Hanc distinctionem observat *Arminius in disp. de providentia Dei in malo*, & *Zuarez. in relect. de libertate voluntatis divinæ disp.* 1. 2. *n.* 14. aliique recentiores, imprimis hodierni *Thomistæ ad* 1. *qu.* 18. *artic.* 4. Nunc applicamus. *Cum* Dei effectiva voluntas seu positivum decretum, & providentia ac motio ejus actualis tum physica tum moralis circa rem & eventum cum peccato conjunctum versari dicitur, id limitate & cum distinctione accipiendum, respectu scilicet istorum trium, *tum* actus substrati ; *tum* ordinationis ; *tum* bonitatis moralis, quę cunque in toto illo collectivo seu complexo actionum intercurrit : quę tria absque dubio bona sunt & à Deo : non vero respectu peccati qua talis, seu malitię formaliter sumtæ. De primo quin à Deo sit nemo negat aut negare potest, nisi Epicureus aut Socinianus. Vide *Zwarez. loc. cit. & Melch. Canum locor. theol. l. 2. c. 4. & Scholasticos ad* 1. *qu.* 18. *artic.* 4. *Et Sylvium* Theologum Duacenum in tract. de *Motione primi Motoris*. De secundo vulgatum est omnibus illud *Genes.* 50. 20. Et illud Augustini: *Deus non est autor malarum voluntatum, sed ordinator.* De tertio concluſum est contra Pelagianos cum Augustino, Omne *bonum nostrum* esse *aut Deum ipsum, aut à Deo.* *Cum* simplex & nuda permissio, & voluntas permittendi, seu decretum permissivum (quod negativum subinde vocatur) Deo circa tales eventus tribuitur, id etiam limitate & cum distinctione accipiendum, respectu scilicet ἀνομίας in se, seu peccati quà peccati, ut sic, seu præcise, abstractè & formaliter sumti ; non vero respectu actus substrati & ordinationis in bonum, nec respectu peccati concrete, & pro toto complexo sumti. *Cum* vero Deus homines malos, voluntates pravas, peccata hominum, res & eventus cum peccato conjunctos, seu quibus peccatum aliquod necessario implicatur, pręscire, regere, ordinare circa ea versari, hoc est, quid curare, disponere, operari dicitur, id indistincte accipiendum. 2. *Patres*, scholasticos, ac recentiores Pontificios, immo & Arminium, Lutherum alioſque sic vulgo explicari à suis, & vindicari à calumniosis consequentiis. 3. *Nostros* autores eodem modo posse & debere explicari: quod evinco istis rationibus. *Primo*, Quia aliter aut durius locuti non sunt, quam ipsa scriptura (uti ex inductione & comparatione locorum ostendi poterit) ; immo scripturæ illa dicta ut plurimum expresse inseruerunt, & illius verbis, non suis, loqui voluerunt. Quod locis ex *Calvino*, *Martyre &c.* vulgo citari solitis probari potest. Vide hac apologia egregie defunctum *Calvinum tract. de prædestinatione* supra *cit. p.* 716. Nec durius, quam ipsi patres, ut e. gr. *Augustinus epistol.* 48. *& de gratia & liber arbitr, cap.* 20. *&* 23. Nec

durius

durius quam scholastici, & recentiores Pontificii, Lutherani, aliique in tabellis nostris supra citatis indicati, quorum dicta aliquot supra repetimus. Adde *Zwarez loco modo cit.* Atqui scripturę, patres, scholastici, alii autores sic loquentes commode explicantur: Ergo & nostri sic explicari debent. Confer *disp.* nostram de *patribus*, ubi indicamus quomodo patres etiam minus commode loquentes à nostris & Pontificiis explicari soleant. *Secundo*, Quia ipsi iisdem illis locis, quæ ad calumniam citari solent per verba antecedentia, & consequentia, & totum filum disputationis ac scopum contextus, se satis explicant, & à consequentiis illis se purgant. Aut saltem alibi evidenter & accurate distinguunt, & sententiam suam aperiunt. Vide imprimis *Calvinum contra Libertinos cap.* 14. & *commentar. in Iacobi* 1. *v.* 15. *Vrsinum in tract. theologic. disp. de peccato*, & *de providentia. Pezelium part.* 2. *object. & responsion.* collato ibidem ad finem subjecto judicio *Zanchii*, *p.* 409. Ipsum *Zanchium lib.* 1. *de statu peccati & legali cap.* 2. *&c.* Sed conferendi autores nostri supra cit. qui sigillatim loca *Calvini*, *Zwinglii*, *Martyris* &c, à Pontificiorum, Remonstrantium, & Lutheranorum calumniis vindicarunt. In quæstione, seu potius calumnia, de sublato naturali libero arbitrio, habemus ex rigidissimi adversarii pectore atque ore veritatis vim erumpentem, Zwarez in opusculis de concursu Dei lib. 1. cap. 2. num. 5. & 6. Vbi sic ait: *Deus autem cum sit voluntatis autor & dominus potest quomodo voluerit ipsam movere, impellere, aut impedire.* Et adducto ibid. Proverb. 21. 1. sic pergit: *Non solum in actibus ipsis habet verum, sed & in modo operandi.* Et postea subjecit: *Vnde idem est sensus Sanctorum omnium cum ad liberum usum voluntatis hanc conditionem ex parte Dei requirunt: videlicet, ut eam moveri sinat modo sibi proprio, supponentes posse Deum, pro suæ potentiæ efficacitate, eum operandi modum impedire si velit, tamē pro suavi suæ providentiæ dispositione, id non facere: vel si interdum faciat, inter miracula, quæ communē providentiæ rationem exsuperant, esse annumerandum.* Et tandem num. 7. concludit: *Vnde hujus temporis hæretici non negant quidem, operari eos ex perfecto judicio, & advertentia rationis: experiuntur enim se ab ipsis objectis non cogi, neque necessitatem pati: negant tamen nos libere operari: quod Deus sua omnipotenti voluntate nobis necessitatem imponat. In quo à Catholicis non reprehenduntur, eo quod aliquid asserant, quod vel in reipsa contradictionem aut repugnantiam involvat, aut Dei omnipotentiam superet: sed redarguuntur eo quod ex divinis Scripturis, aliisque fidei principiis constet, Deum ordinario non uti nobiscum ea efficacia & omnipotententia sua, neque id esse suæ sapientissimæ ac suavissimæ providentiæ consentaneum. Ibid. num.* 11. exserte disputat, voluntatem creatam à Deo posse necessitari. Ergo tam absurde & blaspheme locuti

cuti non sunt nostri theologi, cum phrasibus scripturę dicunt peccatorẽ impulsum aut motum à Deo. Quod qua cum distinctione accipiendum alibi & pro scriptura & pro se satis explicant. *Tertio*, Quia probari non poterit ullum ex nostris autoribus, sub distinctionibus à nobis jam allatis locutum non fuisse, aut saltem noluisse distinctiones illas adhiberi. Breviter nominentur illi, qui præter nudam permissionem, Deo decretum effectivum seu positivum, & actualem efficientiam sive physicam sive moralem tribuerunt, circa peccatum quà peccatum sive circa ἀνομίαν formaliter, ut sic, præcise, & abstracte sumtam, atque actui substrato ut & ordinationi in bonum contra distinctam. Aut, ut clarius dicam, qui ita differentes de efficaci permissione, ordinatione, gubernatione, & operatione Dei in malo & circa malum, noluerunt ipsi distinguere aut ab aliis distingui, inter peccatum concrete sumtum pro toto complexo & conflato ex omnibus illis supra positis, & inter peccatum abstracte, pręcise, & formaliter sumtum, hoc est, ἀνομίαν quà talem. Hoc ubi fecerint, ego talium autorum dicta non excusanda aut defendenda, sed corrigenda immo & aperte rejicienda ac damnanda dicam. *Quarto*, Quia nullo modo verisimile est viros illos in scripturis, & partibus nominatim *Augustino*, nec non *Lombardo & Thoma Aquinate* eorumque sectatoribus, insuper in linguis, artibus & Philosophia satis versatos, tam crassa, stupida, absurda, contradictionem implicantia, horrida, blasphema, & scandalosa, contra omnem theologiam, & universalem Christianismi consensum, contra omne dictamen luminis naturalis, & rectę rationis, contra propria placita, proposuisse aut defendisse. Cogitetur quales & quanti fuerint *Lutherus*, *Zwinglius*, *Bucerus*, *Calvinus*, *Beza*, *Martyr*, *Zanchius*, *Danaus*, *Perkinsus*, *Gomarus*, &c. Certe Calvinus, qui immerito omnium calumniarum incus & scopus esse solet, tam aperte & toties seipsum hic explicuit, ut nihil desiderari possit. Vnum ejus locum nunc citabo, ex parte. 2. tract. theolog. classe 6. in brevi resp. ad calum. p. 732. *Nec vero aliud consilium occultat, quo iniquitatem, quam apud homines damnat, apud se vel amet, vel absolvere velit: sed mirabiliter judicia sua exercet, ut pro sua inæstimabili sapientia & æquitate in bonum finem dirigat atque ordinet quæ mala sunt. Neque enim malum per se, hoc est, quatenus malum est, Deum velle Calvinus concedet: sed in hominum sceleribus refulgere Dei judicia, sicut per incestos concubitus Absolom, Davidis adulterium punivit.* Tandem ergo (quod tertio loco nobis agendum) concludamus autores nostros ab imputationibus & calumniosis illis consequentiis jure meritoque liberandos atque absolvendos: saltem, quidquid incommodius aut etiam falso dictum in aliquo eorum occurreret, inde communi causæ religionis & ecclesiæ reformatæ præjudi-

judicium nullum adferri posse. Quod si adversarii contra lucem factorum, contra apologiæ evidentiam non desinant σπιλιζειν & ζυγοφωλεῖν, cogitabimus simile quid evenisse Christo servatori, & in hac eadem materia apostolo Paulo (vide *Rom.* 3. & 5. & 9.) & *Augustino*, cui ut invidiam conflarent Pelagiani, sexdecim articulos imponebant. Eandem sortem hodie subeunt Lovanienses, aliique Augustini & Thomæ sectatores; quorum causam Iesuitæ sparsis excerptis apud proceres & populum odiosam reddere conantur. De quo vide libellum tit. *Querimonia Zegers typographi &c. in fine.* Voluissem etiam ex abundanti ad quæstiones & dubia, quæ moveri solent circa particulares quasque theses, aut phrases, & modos loquendi, respondere; sed quia plus æquo prolixus fui, & in *dissertatione de termino vitæ* pleraque illa satis expediviſse mihi videor, hâc vice supersedebo.

Paralipomena quædam, quæ tunc cum prælum curreret in mentem non veniebant; aut in variis & confusis scedulis notata, præterita fuerunt; aut ex libris postea forte inspectis, aut etiam demum editis observata sunt.



Ag. 9. *lin. penult.* Addenda hic imprimis, quę tam magnificè prædicant Iesuitæ in *Imagine primi sæculi lib.* 3. *cap.* 3 *pag.* 340. 341. de forma syllogistica & de didactico-scholastica methodo à suis adhibita in scholis & in disputationibus contra hæreticos. Videat locum, cui vacat.

Pag. 37. *lin.* 26. Conferantur etiam consensus autorum, qui masoreticam autoritatem deprimunt, quales *Augustinus Steuchus in notis ad Genes.* 3. 17. *Genebrardus in præfat. ad commentar. in psalmos.* Et *in ipsis commentar. ad Ps.* 2. 6. & 4. 4. & 26. 6. & 24. 4. & 27. 8. imprimis *ad Ps.* 78. 47. *Marinus Mersennus in commentar. ad Genes. cap.* 3. *v.* 15. *Corn. à Lapide in* 2. *Thes.* 2. *vers. Marcus Marinus in arca Noah.* in voce שכב *ad locũ Deuter.* 28. 30. *Philippus Guadagnolus in apologia cõtra Acmedem Mahumedistã tract.* 1. *cap.* 6. Atque hi quidem Ponficii, qui non tantum Masoretarum autoritatem elevant, sed insuper ipsum קרי״ב h.e. hebraicum textum, ut nunc scriptus est, ab iis corruptum volunt. Ex nostris *Scaliger lib.* 5. *de emendat. temporum p.* 204. Sed qui menda in ipsum textum hæbraicum, ut nunc est, Iudaicorum librariorum culpa irrepsisse contendit, ut videre est in ipsius *Elencho chronologico. Gomarus in disp. de nomine Iehova.* Autor *arcani punctationis* (qui est *Ludov. Capellus*) *lib.* 1. *cap.* 17, *Ludovicus de Dieu præfat. grammaticæ Hebr. Chald. Syr.*

Pag. 38. *lin.* 7, adde hic. VI. Probl. *An interpretes scripturæ, præterito*

כהיב *tuto & prudenter transferant* קרי R. *Nos præsuppositis iis, quæ jam dicta sunt*, Neg.

*Pag.*40.*lin.*8.qui docte hanc rem explicuit: Post *Parkerum* nuperrime idem præstiterunt anonymi aliquot Londinenses in tract. Anglico, cui tit. *Defensio juris divini* &c. in 40.Londini 1647.

*Pag.*50.*lin.*22.Idem *Scaliger* non tantum *in quæstionibus & numeris chronologicis*, ad hoc criticæ sacræ asylum confugit locis supra in *disp. de Auctoritate scripturæ citatis*, sed etiam in aliis quibuscunque ubi id ipsi ita usu venerit.

Pag 59.*lin.*9. Adde autoribus cit. *Rivetum* & *Chamierum* locis supra (*pag.*54.)citatis, Et *Parei Calvinum Orthodoxum.*

*Pag.*63.post. *lin.*22.Post hæc septem insolubilium specimina ex Pontificiis Antagonistis excerpta, mihi tria alia oblata sunt à discipulis nostris, & tunc temporis, ac postea in collegio quæstionum ad historiam sacrā V.& N.T.pro modulo determinata.Quorū primum ex 2 *Chronic.*5. 10.coll.cum.*Heb.*9.4.alicujus, secundum & tertiummaximi momenti esse videbatur.Quod ad primum dico duplicem posse adferri conciliationem,unam, ex grammatica, alteram ex historia.*Illa*,rursum duplex est. *Una*, ut dicatur ἐν ᾗ *Hebr.*9. referri non ad proxime antecedens κιβωτον, sed ad propinquum, scil. σκήνῃ,in qua omnia illa memorata fuisse indubium est ex *Exod.*16.& *Numer.*17.Exempla similis interpretationis vide in notis & commentariis ad *Gen.*10.12.2.*Sam.*21.14 *Ps.*99.7.*Marc.*2.3. 2.*Thessal.*2.9. Huic interpretationi, inter omnes alias à suis prolatas,favet. *Ribera in tract.de Templo lib.*2.*cap.*2. eamque rationibus non contemnendis confirmat. Quas videat, cui vacat. *Altera*, ut dicatur particulam hic significare *cū*, sicuti *Ephes.*6.2.*Rom.*15.32.*Luc.*4.32.*Math.*6. 26.& 16.27. *Ista* conciliatio sc.ex historia,talis est;ut dicatur,cum staret tabernaculum, omnia illa fuisse in arca; sed cum edificaretur templum repositas in arcam, urnam vero & virgam Aaronis in alia aliqua parte templi fuisse servatam. Sunt qui velint nec stante tabernaculo nec tempore Salomonis fuisse in arca, sed demum ibi reposita fuisse tempore captæ urbis à Babiloniis, & una cum arca in terram defossa, ac deinde cum eadem post reditum ex captivitate refossa, & asservata usque ad ultimam eversionem templi per Titum,quo tempore prædata fuerint. Vide *Adrichomi Theatrum terræ sanctæ in descriptione Hierosolymæ p.*159.*a.*ubi *col.b.*addit omnia illa Romæ etiamnum asservari in ecclesia S.Ioh.Lateranensis. Sed historia hæc sive conjectura mihi nondum sit verisimilis. Episagma autem ejus in fabulis Romanis numeramus.Quod ad secundum attigimus illud *pag.*59. Sed quia illud sæpius postea repositum à studio-

sis

sis nostris,omnibus expensis putabam dicēdum: Duplex est initium regni Ahasiæ, primo cum patre, cum esset annorum 22,& deinde defuncto patre, cum esset annorum 42. ut anni illi 20. intermedii aliquando patri, qui non planè erat dispositus, aliquando filio adscribantur: prout etiam infra Iotham cum & pro patre Vzzia quippe leproso regnavit 2. *Reg.* 15. 5. *&* 2.*Paral.*27.21.Hoc posito,solvitur jam prius dubium,regnasse nimirum Ioramum solum & immediatè tantum 8.annis, cujus vitę & regno si addas 20 illos annos,quibus ipso vivente cum & pro ac nomine ejus regnavit Ahasia filius, nulla difficultas remanet, tunc enim erit sexagenarius, & dicetur 20 annis morbi sui regnasse, quippe non plane despositus;& non regnasse,quippe ab hostibus protritus,turpi & immedicabili morbo afflictus & impotens factus Proceribus & populo exosus & quasi in angulum detrusus. *Tertium* est 2.*Reg.* 3.1.coll.cum 1. *Reg.* 16. 29.&2.*Paralip* 6.13.& 1.*Reg.*22.41.& 52.& *c.*8. Hic quatuor dubia oriuntur.*Primum dubium* est,quomodo Iorā rex Israel dicatur cœpisse regnare anno 18.Iosophati,& anno 2.filii ejus Ioram.*R.*Dicendū regnasse Ioramum regē Iudeæ aliquot annis cum patre Iosaphato adhuc regnante tanquā imperii consortē aut vicarium.*Secundum dubium* est, quomodo Iorā filius Achabi dicatur suscepisse regnum ann. 18. Iosaphati (2.*Reg.*3. 1.); cum pater ejus Achab eodē tēpore cum Iosaphato regnavit annos plenos 19.uti colligitur ex 1.*Reg.*16.29. coll.cum 2.*Paralip.*16.13. *R.* Duo regnandi initia tribui Ioramo regi Israelitæ, alterum anno 18. Iosaphati, quando cum patre Achabo & fratre Achazia regnavit, alterum quando pro fratre Achazia mutuo regnavit *anno secundo Ioram* regis Iudaici, qui annus incidebat in annum 22. Iosaphati. *Tertium dubium* est, Qua ratione dicatur Ioramus rex Iuda anno quinto Iorami regis Israel regnasse; cum è contrario Ioramus Israelites mortuo Achaziæ fratri suo, anno secundo Ioram regis Iudæ successisse notetur 2.*Reg.*1.17.*R.*cum Henrico Philippo Theologo Iesuita in accurato Examine chronologiæ V. T. in notis & quęst.chronolog. ad Iosuę, Iudicum &c.p.142. *Secundo quæsito facile ex dictis responderi potest: Ioramus enim sæpius regnare dictus est. 1. anno quinto Iosaphat, quando annos natus 32. rex designatus est. 2. confirmatus aut in regni administrationem admissus est circa annum 21.Iosaphat, anno vero sequenti alter Ioramus in Israelitide mortuo fratri successit, Iosaphato ad huc superstite. Anno denique quinto Iorami Israelitæ, mortuo Iosaphat Ioramus Iudeus tertium regnare dictus est, hoc est sine parentis consortio regni habenas moderari. Hanc doctrinam rejicere non potest Torniellus, qui ann. m.* 3427. *ex Scriptura colligit triplex initium regnandi, huic Ioramo tribuendum esse. Quartum dubium* est, Quomodo Ioramus rex Iuda dicatur regnasse anno 5. Iosaphati, cum iste

iſte annus non inciderit in annum quintum Iorami Iſraelitæ. *R.* non eodem Henrico Philippo pag. cit. De hoc *quid ſentiam facilis eſt conjectura. Nimirum Ioram Iudæus cum patre ſuo regnare cœpit anno* 5. *Ioſaphat: poſtea regnum pro patre demortuo adminiſtravit anno* 5. *Iorami Iſraelitæ. Cum igitur diverſa fuerint regnandi initia, mirum non eſt, quod annus* 5. *Ioſaphat, cum anno* 5. *Iorami Iſraelitæ non concurrit.* Triginta *igitur* duorum annorum erat oram *Iudæus* cum *anno* 5. *regni parentis ſui* regnare cœpiſſet & *cum eo* 20. *circiter annos regnavit: parente autem defuncto*, octo annis regnavit in Ieruſalem: *proinde ad annum vitæ ſexageſimum facile pervenit, quandoquidem filium Ochoziam annos* 42. *natum regni hæredem moriens reliquit. Dices id fieri non potuiſſe: ſiquidem* Ioſaphat erat 35. annorum cum regnaſſe cœpiſſet & 25. annis regnavit 2 Regum 22. verſ. 42. & 2. Paralip. 20. verſ. 31. *Ergo anno* 5. *regni ſui, agebat quadrageſimum ætatis ſuæ: quo tempore non videtur filium* 32. *annos natum habere potuiſſe. Reſpon. Ioſaphat fuit* 35. *annorum, non quando parenti ſucceſſit: ſed quando Aſa circa annum regni ſui* 31. *ipſum Ioſaphatum in regni collegam adſcivit: atque ita Ioſaphat cum parente* 10. *annos eo mortuo* 25. *regnaverit; univerſe* 35. *totidemque ante regni inſignia peregerat, quo fit ut totius vitæ illius ſpatium ad annos* 70. *dilatatum fuerit, & filius ejus Ioramus regnare cœperit, Ioſaphato jam quinquagenario.* Atque hæc non ex noſtris interpretibus aut chronologis ſacris, ſed ex Pontificiis, & quidem ex illo, qui poſt omnes aliorum ſententias expenſas proxime ſcopum attigiſſe & ſcripulos omnes ſuſtuliſſe videtur, adferre volui, ut videant Pontifici, non eſſe hæc verè ἄλυτα, ut quidem alias præ ſe ferre volunt; nec propterea ad vivum Papalis vocis oraculum, aut ad Platonico-Idealis eccleſiæ in ſede Romana magiſterium, confugiendum.

Pag. 119. *lin.* 20. Adde *Topſello* & *Kelleto Georgiũ Carletonum* poſtea Epiſcopum Aſaphenſem, qui anno 1618, 1619. celebri ſynodo nationali Dordracenæ interfuit, in *tract.* Anglico *de decimis* anno 1606. edito; in cujus titulo hęc verba comparent: *Quo contentioſi & prophani Atheiſtæ, & ſimulatores hypocritæ hujus temporis diſcant honorare miniſtros, & non defraudare eos, deprædari eccleſiam.*

Pag. 120. *lin.* 6. *Illyricus in diſputatione de libero arbitrio & peccato originali*, in Acad. Ienenſi propoſita & edita anno 1562. cum *actis colloquii Vuarienſis inter Illyricum & Strigelium* habiti anno 1560. pag. 313. à nobis citata, uſque pag. 317. quam plurimis rationibus & vehementer quidem impugnat principia illa innata de Deo, & theologiam congenitam ſeu innatam quod idem facit in ipſo *colloquio cum Strigelio p.* 72. 73. Sed tamen *pag.* 317. *modo cit.* ita concludit illam diſputationem atque ita in ipſo curſu ſe explicat, ut quamvis ſubinde verba ipſius in fervore contentionis videantur

tur hoc prę se ferre, quod Pontificii ipsi impingunt, tamen sensum ejus ab hac sententia alienum fuisse æquis arbitris satis constare possit. Sic enim loquitur pag. cit. *Aliqui tamen boni ac docti viri putant, esse omnino adhuc aliqua principia in homine de Deo. Non dicunt quidem illi de uno Deo, multo minus de vero Deo: sed tantum quod sit aliqua divinitas, & aliqua potentia supra hominem. A quibus quidem mea sententia non multum discrepat. Respiciunt enim illi, ut opinor, ad illud quod Paulus affirmat, inter opera carnis esse idololatriam: quod etsi ad pravas ratiocinationes & profanam audaciam, quidvis in religione temere fingentem, ut modo ab uno veroque Deo discedat, referri posset, ad quem fontem & Paulus reducit idololatrias hominum,* Rom. 1. *tamen per me licet cuivis sentire, esse adhuc in homine quoddam perversum ac distortum lumen (ut in quodam libello de hac re supra prolixius disseruimus) quod verum quidem Deum, ejusque religionem ut extremam stulticiam damnet, falsos vero Deos ac cultus pro veris monstret: ut sicut olim imago Dei tantum verum Deum monstravit aut representavit, ita nunc contra hæc præsens Satanæ imago idola ac falsas religiones ipsosque diabolos monstret, ac colendos esse præscribat ac præcipiat. Tale quoddam fallax, impostorium aut deceptorium lumen esse jam in homine facile concesserim, & supra in prædicto libello abundè ostendi.* Et in ipsa disput. Vinariensi p. 74. *Paulus bis in Actis urget, Ethnicos ex beneficiis Dei collegisse esse Deum* Actor. 14. & 17. *Non dicit eos prius scisse Deum, & ex innata Dei noticia collegisse de ejus operibus.* Vnde manifeste, ut & ex toto disputationis filo colligere mihi videor. 1. Illyricum distinxisse quæstiones, *An* & *quid* sit Deus, à quęstione *quis* sit verus Deus. De ista absolute negasse; de illa non ita. 2. distinxisse circa quęstionem, *Quod sit*, & *Quid est* inter notitiam distinctam, & confusam; inter debitam seu necessario ad salutem requisitam, & inter talem qualem; inter notitiam naturalem in se & abstracte consideratam, & inter eandem ut est in singulis hominibus corruptis, seu subjective consideratam. 3. Distinxisse inter innatam seu congenitam potentialem, & tanquam radicem, semen, ac principium consideratam; & inter actualem ipso actu percipientem, assentientem, concludentem, ratiocinantem. De posteriori negat, & rectè conformiter iis quæ nos *p.* 141. determinamus; de priori non itidem.

Pag. 115. *lin.* 31. 32. Adde testimonium Arnobii lib. 3. contra Gentes: *quantum libet nos impios, irreligiosos vocetis aut Atheos.*

Pag. 116. *lin.* 2. à fine. Et *Iac. Billium* abbatem Prunæum *lib. anthol. sacræ epigramm.* 106. *p.* 255. 258. Et *Besoldum in synopsi politicâ, in præcognitis* §. 59.

Pag. 140. *lin.* 10. Videntur idem fere sentire *Vorstius in apologet. Exegesi p.* 5. *Timplerus* philosophus ipsius collega *lib.* 4. *Metaphys. c.* 2. *qu.* 3. Et *phy-*

*ſicæ Empſychologicæ lib.3.cap.3 probl.*8.Et *Exercitat.philoſophic.ſect.*1.*qu.*11. *&ſect.*5.*q.*50.51.54.An ſimplici errore & inadvertentia hoc dixerint;an vero Ariſtotelem ſecuti cum & ſub diſtinctione illa quam *p.* 141. adhibemus mentem ſuam explicari patiantur; an denique certo ſtudio & ſcopo hoc egerint, hic non eſt diſquirendum. De *Iulio Cæſare Scaligero Exercit.*207.*ſect.*18. nihil aliud ſuſpicari poſſumus, quam illum pure philoſophice hic diſquirentem præceptoris ſui Ariſtotelis veſtigiis inhæſiſſe.

Pag. 144.*lin.*30. Et *Martinus Fotherby in Atheomaſtige lib.*1.*cap.*3.*Ibid.lin.*35.Adde commentatoribus locor. commun.ſcriptores, *Danæum part.*1.*lib.*1.*cap.*1.*Muſculum loco* 1.*p.*2.edit.*in* 8.

*Pag.*153.*lin.*5.Huic ſimile eſt exemplum Coſmi Itali hominis literati, ſed Magi, quæ in Armorica an.1615.obiit.De quo *ſupplementum Thuani* & Compendium hiſt. Vniverſalis p.716.Iohannis Læti: *Prorſus*,inquit, *Atheus ex hac vita migravit.Moriturus nec* Parochum,*nec* Capuchinos *ferre voluit.monitus extremum reformidaret judicium, affatim riſit*, ſtulti *inquit* abite, nulli ſunt Diaboli, niſi hoſtes noſtri, qui nos in hoc Mundo vexant, neque alius Deus eſt, præterquam reges & Principes, qui ſoli nos poſſunt juvare & nobis benefacere.

*Pag.*168.*lin.*6.à fine. Adde *Zegedini ſpeculum Pontificum.* Et exemplum Pauli III.de quo in *MSS.locis comm.*(*tit. Epicureiſmus fol.* 284.) pereruditus & piſſimus Theologus Wernerus Helmichus Vltrajectinus,refert ex ore celeberrimi quondam Medici Delfenſis Foreſti, qui hiſtoriam hanc in Italia (cum illic verſaretur) omnibus notam creditamque fuiſſe affirmabat; Quod ſcil. cum Papam hunc morti vicinum Franciſcanus theologus conſolaretur, & hortaretur ut de futura vita, in quam mox ingreſſurus eſſet, cogitaret; ipſe reſponderit, *Eſtne aliqua?* Cui cum modeſte reponeret Franciſcanus, *Vos ſapete ben. Vos bene noſtis*; cumque loqui pergeret; Pontifex cum indignatione & cum averſatione reſponderit: *Non mi rompa la teſta: Io vedro adeſſo.Ne caput mihi tumpas* (*obtundas*): *Mox videbo.*

*Pag.*170.*lin.*5.adde, *Gregor. Nyſſenum de providentia cap.*1. *Ibid. lin.* 20. Adde *Laurentii Pollot Dialogues contre la pluralite des religions, & l'Atheiſme.*

*Pag.*173.*lin.*16. Adde theologis cit. imprimis *Mart. Fotherby in Atheomaſtige lib.*1.*cap.*4.Et confer autores *infra notatos p.*173.

*Pag.*180.*lin.*2.Mitiſſimi ingenii theologus Melanthon. part. 1. conſilior.p.300.ſic cenſet: *Morale & naturale mandatum eſt prohibere & punire idololatriam ac blaſphemias, quia prohibentur in primo & ſecundo præcepto, quæ ſunt moralia, ſicut omnes gentes puniverunt perjuria. Et haud dubie Magiſtratus debent*

debent punire profanos seu ἀθέους, qui delectantur Epicuræis sermonibus de Deo & providentia. Daniel. 3. *extat illustre exemplum Regis Ethnici Nabuchdonosor, qui edictum proponit: ne quis dicat blasphemiam contra Deum Israel: Pertinet igitur ad secundum præceptum lex de blasphemis interficiendis.* Levit. 24. Idem part. 2. consil. p. 364. *Magistratus est custos legis videlicet utriusque tabulæ Decalogi in externa disciplina: id est, Magistratus debet curare, ut populus recte doceatur de Deo, & prohibeantur & puniantur Epicurei sermones, blasphemiæ, & perjuria, ut scriptum est* Levit. 24. Qui dixerit blasphemiam contra nomen Domini, morte moriatur. Et p. 266. *Gradus etiam in talibus delictis considerentur. Non sit lentus Magistratus in atrocibus blasphemiis, sed ardeat justo Zelo, sicut scriptum est*: Iniquos odio habui, *sed præcedant legitima judicia. Minor autem sit, si delicta minus sunt atrocia: sed tamen contagia errorum prohibeantur.* Historice refero hic tantum, quid Melanthon censuerit. Alibi sententiam meam aperui, pluribus data occasione hoc acturus. Theologi Angli (inter quos *Robertus Hull in commentar. ad 2. Petr. 3. p. 314. 315.*) omnes, ni fallor, jam inde à prima reformatione hanc sententiam Melanthonis expresserunt.

Pag. 184. lin. 13. Sed consulendi hic Iurisconsulti Criminalistæ, Lutheranæ & reformatæ religonis. Etiam scriptores politici ejusdem professionis; inter quos *Althusius Politicæ cap. 28. §. 52. 55. 57. 71.*

Pag. 187. lin. 5. post, *refutent*: adde, Probatur hoc imprimis exemplis omnium theologorum, qui unquam ex professo & præscriptis titulis, aut aliud agentes, Atheismos & Atheos sive in genere sive nominatim, publicis libris oppugnarunt.

Pag. 190. lin. ult. Concertatio Ecclesiæ Anglicanæ part. 3. quæ continet apologias Martyrum, *p. 294. & 386. b.* per opinionem de primatu Regio in Anglia *Atheismo, Epicureismo, Turcismo, Paganismo* aditum longe facillimum in regnum quodcunque patere. *Gulielmus Raynoldus contra VVittakerum cap. 4.* probare conatur ipsissimam viam esse ad atheismum & infidelitatem, vulgata editione bibliorum repudiata ad hebraicam græcamque editionem, cæteraque varias translationes, quas Protestantes ediderunt.

Pag. 192. lin. 3. Vide & confer *disp.* nostram infra, de *Methodo respondendi calumniis de Deo autore &c. Ibid. lin. 5.* Quod de *Dorscheo* dico error est: in quem me induxit bibliopola, qui *Dorschei* Theologi Argentoratensis *tract. de nomine Iehova in 4.* cum hoc tractatu, de Theologia morali Iesuitarum &c. junctum simul vendebat, tanquam ejusdem autoris & typographi, quum nomen neutrius ibi prænotetur, tantum numerus anni 1645. Charta autem & characteres utriusque libelli similitudine etiam

ſuadere videntur ibidem excuſum aut recuſum eſſe. Cujuſcunque conſilio, & apud quemcunque typographum ſive ibi, ſive alibi in Germania recuſus ſit; colligo nunc cum totum perlego, imprimis appendicem Quatern. C. & D, eum ſcriptum eſſe à Pontificiis, & quidem Sorboniſtis Pariſienſibus Ieſuitarum juratis & perpetuis adverſariis. Nolo tamen hic celare Ieſuitæ *Stephani Bauny* Moſonenſis *theologiam moralem*, (quæ ibi & in *tract. gallico Sorbonæ contra Ieſuitas* ann. 1643. frequenter citatur) Romæ an. 1640 Octobris 26. juxta cum aliis quibuſdam aliorum libris prohibitam eſſe à SS. congreg. Indicis librorum prohibitorum. Quorum decretum poſtea Coloniæ in fol. patenti editum aut recuſum fuit.

Pag. 198. *lin.* 29. Nuperrime (menſe ſcil. Septembri 1647.) dum quędam lego in Franciſci Albertini corollariis & quæſtionibus theologicis, quæ deducuntur ex principiis philoſophicis, incidi in hæc ejus verba quæ tom. 1. corollar. 1. ex primo principio philoſoph. quæſt. 24. pag. 87. *Eſt igitur prima opinio* Pomponatii in l. 2. *quem edidit de animæ immoralite contra Sueſſionenſem, quamvis expreſſis verbis non dicat animæ immortalitatem eſſe contra lumen naturale; rationibus tamen conatur oſtendere, immortalitatem animæ eſſe contra lumen naturale: interrogatus tamen oppoſitum dixit, ut patet ex* epiſtola, *quæ impreſſa eſt nomine ipſius* Pomponatii in Iavellum, *in qua petit per preces emendari & corrigi, ſi quid involuntariè lapſum ab ore fuerit, & approbat Reſponſiones ipſius Iavelli ad ſua argumenta.*

Pag. 206. *lin.* 30. Idem de eodem Politiano ſic refert Gabriel Putherbeus, in Theotimo. ſeu de tollend. & expungendis libris malis l. 1. pag. 81. *Politianum*, inquit, *tota ſacra lectio offendebat: interim religioſè quærebat, ac quiritabatur etiã, dicendumne ſit, Carthaginenſis an Carthaginieſis: ſcribendum Primus an preimus, Intelligo an intellego, Virgilius an Vergilius: & de hiſce nugis inſtruebat centurias, quibus ordinandis defeſſus, transferebat ſe ad componendum feſtivum aliquod epigrammation de maſcula venere, Græcum, ut haberet plus veneris, & Latini non intelligerent. O hominum curas, propter quas merito pietatem vel contemnerent vel negligerent.* Idem ibid. p. 79. 80. 81. 82. 83. graviter & merito perſtringit improbos & Ethnicizantes literatos Italorum, Epiſcopum ſcil. Sipontinum, Beroaldum, Bocacium, Domitium Calderinum, Petrum Calabrum (qui ſe nominabat Pomponium Lætum), Poggium. Et p. 83. 84. 85. 86. & p. 22. 24. inter Gallos, impuros poetas, & impurorum librorum Italicorum interpretes etiam Epiſcopos; quales libros dicit publicis ibi honorari privilegiis à cenum virali Senatu, à præfectis prætorio, à Principe.

Pag. 207. *lin.* 4. à fine. Adde teſtimonium Putherbei Pontifici tract. cit. lib. 2. p. 180. 181. quod ipſo adhuc vivente publice editum anno

1549.

1549. *Vtinam*, inquit, *vel apud illos sit Rabelesus cum suo Pantagrueliſmo, ut ſcurrilis hominis ſcurrili voce abutar, ſi quidem inter homines ille adhuc agit. Nam Cardinalium turbam ineunte nuper hoc regno Romam dimiſſam & ablegatam ſecutus fuerat. Certe ſi quid callet bonæ artis, cogatur in ea tandem ſeſe exercere: alioqui tam impius homo, quam publice ſuis nefariis libellis peſtilens. Etſi enim Genevæ palam impie vivatur, impiè etiam ſcribatur, tamen non uſque eo depuduerunt Genevæi, ut impietati velint pro palam ſcortationem, vagam libidinem, cæteraque vitia miſcere videri. Enimvero huic noſtro Rabeleſo quid ad abſolutam improbitatem deeſſe poteſt, cui neque Dei metus ineſt, neque hominum reverentia? qui omnia, divina, humanaque proculcat, & ludibrio habet? Quis Diagoras magis de Deo præpoſtere ſenſit? Quis Timon de rebus humanis pejus meruit? γλωτταποιὸς ſit, ſit γλωσσογάσωρ, ſit & ἐωμολόχος quoque. Tolerabile utcunque fuerit. At quod ἀποφορὰς ſimul eſt, quod præterquam quod totos dies nihil aliud quam perpotat, helluatur, græcatur, nidores culinarum perſequitur, ac cercopiſſat, ut eſt in proverbio, miſeras etiam chartas nefandis ſcriptionibus polluit, venenum vomit, quod per omneis longe lateque regiones diſpergat: maledicentias & convitia in omneis paſſim ordines jactat: bonos viros ac pietatis ſtudia, honeſtatis item jura proſcindit, homo impie impotenterque dicax, & improbitatis invictiſſimæ quis tandem æquo animo ferat? Adeo ut vehementer mirum ſit, ab Antiſtite noſtræ religionis viro primario, eodemque doctiſſimo, tantam bonorum morum publicæque honeſtatis labem, & porro hoſtem pertinaciſſimum, ad hæc impurum fœdumque hominem cui loquentiæ permultum, ſapientiæ quam minimum ſit, ſoveri, ali, convivio quoque ac colloquio familiaribus adhiberi.*

Pag. 208. *lin.* 14. De Poſtello poſtquam ſcriptis inclareſcere cœpit, varie judicatum eſt. Pontificii, in quorum communione vixit, alicujus, immo & magni illum feciſſe videtur propter linguas & peregrinationes Orientales, ut opinor. An etiam propter vertiginoſam theologiam, dubito. Noſtri eum tanquam hominem fanaticum & profanum perſtringunt; ut *Beza in notis ad Iohann.* 21. 22. ubi dicit illum poſt tot blaſphemias Lutetiæ à Sorboniſtis adhuc toleratum fuiſſe. Author Turco-Papiſmi (Math. Sutlivius) lib. 1. p. 187. vocat illum hominem *impuriſſimum & plane atheum.* Ioſephus Scaliger in epiſtol. epiſt. 362. p. 706. refert eum in carcerem alicubi, cum contubernio ipſius uti cœpiſſet, conjectum (Lutetiæ, uti conjicio.) Et ibidem ſubjicit, *hominem fuiſſe, quem inſania ab omnis malitiæ ſuſpicione vindicare poterat. Et qui aliter de eo judicant, longe decipiuntur.* Certe fanaticum & vertiginoſum fuiſſe ſatis arguunt ſtolidi tituli librorum ipſius, quorum catalogum nuper quis dedit cum opuſculo cui tit. *Abſconditorum à conſtitutione mundi Clavis &c. Gulielmo Poſtello ex divinis decretis exſcriptore* &c. Amſteldami 1646. Præ-

terea quod jactaret se Adami animam esse ; & quod impostorem illum, qui se dicebat Iohannem Euangelistam, postea Tholosæ crematum, fratrem suum appellaret ; referente *Beza ad Iohan. 21. loc. cit.*

Pag. 216. lin. 29. De multitudine atheorum in Europa & Papali celebre est testimonium Corn. à Lapide in Zachar. 13. v. 8. *Sola pæne Europa est Christiana. Iam in Europa dimidia fere pars est hæreticorum, politicorum, Atheorum.* Quo etiam referri possunt verba Caramuel Lobkowits in philosophia rationali & reali præfat. ad lectorem : *Notato*, inquit, *duabus hodie Atheistarum pestibus Europam laborare videlicet physica & morali. Athea physica negat causarum causam : Ethica finium finem.* Confer etiam *proloquiũ Martini Delrio ad disq. Magicas* in fine, ubi de crescente atheismo.

Pag. 218. lin. 5. Præter conversationem Italicam (quæ alibi notata est causa hujus mali) & Italos emissarios, quales Vaninus, Cosmus, item Nannes, Grossius, Orefius Florentini, apud *autorem de abdicatione Henricii III. pag. 191.* Et præter curiam Romanam quę peculiari quodam genio suo communis impietatis mater est, occurrit nunc tertia causa hujus traducis ex Italia in Galliam, scriptio scil. malorum librorum Italica, eorundemque in gallicum sermonem traductio. Quam impietatis traductæ & Gallis affrictæ causam gravissime explicat Gabr. Putherbejus in Theotimo, de malis libris &c. lib. 1. Et magnam partem Episcopis ac Clericis in Gallia hoc imputat & tandem p. 79. concludit : *Atque nobis consultum esset bene, si suas merces odores, unguenta, si suos libellos in se continuisset, sibique tantum habuisset Italia.* Ibidem etiam p. 77. 78 graviter conqueritur de Ethnicismo scriptorum, imprimis poetarum quibus Italia, atque adeo ipsa Roma atque inde Gallia repleta erat. *Ibid. lin. 23.* Adde *Francisci Garassi* Iesuitæ *doctrinam curiosam*, qua reddunturridiculi libertini & Athei. Ejusdem *summam theologicam* contra Atheos Ejusdem *apologiam* summæ. Adhæc tractat. gallicos *Serres*, & *Ioh. Arnoux* Iesuitæ *de Immortalitate animorum. Polleti dialogos gallicos*, & *Alex. Capelli tract. gall. c. Atheos* jam citavimus.

Pag. 219. lin. penult. à fine. Iosephus Scaliger qui in Gallia natus & educatus, tam multis annis vixerat, de ea sic testatur, in epist. ad Ioh. Douzã, quæ est prima in volum. epist. p. 45. *Sed in Atheos, quorũ illud sæculum feracissimũ erat* &c. De iisdẽ Galliæ Atheis Corn. à Lapide in comment. ad 2. Petr. 2. v. 18. p. 284. *Hinc Epicureismus ita invaluit, & indies magis invalescit (N.B.), ut Calvinus ipse admiretur in sola Gallia tot esse examina Doctorum, qui illi seminando sedulo operam navant, ac discipulorum infinitam multitudinem.*

Pag. 221. lin. 13. Quidquid autem autores hactenus citati de atheismis & atheis in Gallia conqueruntur, ne credamus illos tam futiles esse, ut hoc

hoc intelligi velint, de atheis directis, & aperte negantibus ac defendentibus, non esse Deum. Minime. Tales enim pauciſſimi ſunt, & forte præter unum atque alterum e.gr. Vaninum, Coſmum &c. nulli tales noti ſunt. Si enim eſſent, utique Gallia vivicomburio (uti docuit exemplum Vanini & Godofridi à Valle) jam dudum à monſtris illis liberata fuiſſet. Vnde rurſum liquet à Theologis Antagoniſtis Atheorum aut tantum, aut ſaltem ut plurimum intelligi atheiſmum indirectum, aut participatum, aut practicum. *Ibid. lin.* 23. Adde *Poſſevinum in Atheiſmis hæreticorum cap.* 11. ubi affirmat, atheiſmum maxime vigere inter omnes penè hæreticos, & in Anglia potiſſimum regnare. *Ibid. lin.* 30. *Tractatibus Anglicis p.* 173. indicatis, adde hic imprimis commentar. *Roberti Hull in* 2. *Petr.* 3. hoc titulo anno 1611. editum: *Saint Peters propheſie of theſe laſt daies, diſcouvering the iniquitie of the time, and Atheiſme of the age &c.* Et inſtar multorum poſſit eſſe ſcriptio & editio Atheomaſtigis lingua vulgari per Martinum Fotherby Epiſcopum Sariſburienſem an. 1622. quem tamen vir eruditiſſimus morbo & morte præventus abſolvere non potuit. Videatur præfatio ad lectorem. B. 2. B. 3. B. 4. ubi inter alia monet p. B. 3. *Atheiſmum hujus temporis fundatum eſſe non tam ſuper ignorantia quam ſuper opinione ſcientiæ.* Ibid. lin. 2. concludit: *Nomen Chriſtiani non poſſe hominem immunem præſtare ab Atheiſmo nec recitationem articulorum fidei poſſe facere verè fidelem.* Confer teſtimonia *Perkinſi, Topſelli, Kellett, Carletoni* ſupra *p.* 118. 119. *cit.*

Pag. 222. *lin.* 3. à fine. Quod ad atheiſmum Machiavellicum, eo candorem Germanicum nunc paſſim infici, ex hiſtoriis rerum geſtarum facile colligi poteſt, & ex ſcriptis politicis jam inde ab initio belli Bohemici & Germanici uſque in hunc diem editis. Huc arbitror facere apopthegma uſitatum celeberrimo philologo I. Grutero bibliothecario Heidelbergenſi: *Quiſque carpit Machiavellum, & quiſque eum praxi ſua exprimit* (germ. practicatur): referente *Iulio VVilhelmo Zinkgreſen, apopth. Germanicis part.* 1. *p.* 262. Quod ad Atheos practicos; avaritiæ ſcil. aut ventris mancipia, Epicuri de grege porcos, quin tales multi ſint in Germania & alibi, præſertim etiam in Belgio noſtro, minime dubitandum eſt: ut in illos quadret illud Hieronymi: *In mea patria Deus venter eſt & ſanctior ille, qui ditior.*

Pag. 223. *lin.* 5. Idem *Iunius* graſſantes atheiſmos innuit, titulo, præfatione, & refutatione argumentorum, contra hiſtoriam creationis; quam ſubjecit *analyſi* 3. *cap. Geneſios. Ibid. lin.* 28. Remonſtrantes in libello, cui tit. De Rechte Remonſtrantſche theologant / conqueruntur de atheorum frequentia in Belgio. Autor anonymus *accurati Examinis c. primam*

mam meam disputationem Vltrajecti habitam, ait homines passim prolabi in atheismum. Quo sensu & scopo querelas illas istic effuderint, jam non inquirimus. Interpres Belgicus (quisquis est) Mercurii Trismegisti editi anno 1643. in postmonitis ad lectorem p. 145. ait se translationem illam elaborasse, ut convinceret homines illos (in Belgio scil.) qui negare audent angelos, diabolos, animas immortales, immo ipsum Deum.

Pag. 226 *lin.* 17. post illa verba: *Scripta Sorbonistarum.* Adde, *Steph. Paschasius in Recherches lib. 3. cap. 42. 43. 44.* Non mirum ergo in regno Papali tam longe lateque vagari atheismum, cum clerici & theologi, præsertim Iesuitæ antecessores se præbeant. De Papis, Episcopis, Cardinalibus, aliisque clericis gubernantibus supra dictum: & sufficit huic rei probandæ sola historiæ temporum inspectio. Summam habes in *Mysterio iniquitatis Plessei* & in *Sleidani historia* sub Carolo V. deinde in *historia Thuani, cum supplemento.* De concionatoribus, & theologię lectoribus aliisque clericis minoribus multa exhibet *Henr. Stephani tract. præparat. ad apologiam Herodoti.* De concionatoribus, qui viva voce & scriptis tantopere in Machiavellum declamare solent, vere dictum à Steph. Paschasio, in Recherches de France lib. 6. c. 38. *Mais je suis contraint de le corner à son de trompe en cette calamité où nous sommes veuz plongez. Parce que si vous oyez les Predicateurs du jourd'huy dedans leurs chaires ils n'ont autres declarations dans leurs bouches que celles qu'ils font encontre Machiavel: & neantmoins il n'y a celuy d'eux qui ne soit vrayement Machiavelliste, si nous appellons Machiavelliser quand un Predicateur est aux gages d'un grand Seigneur pour induire le peuple à le suivre.* Breviter si quis Machiavelli, aut subtiliorem quam pseudo politiam à Papali Clero in praxin deductam videre velit, is legat modo *Historiam Concil. Tridentini*, latine aliisque vulgaribus linguis editam. Cujus lectio efficiet, ut facilius carere queant lectione Taciti, similiumque scriptorum, si quibus ea propter alias occupationes obtingere non potest. De Perrono qui postea ad Episcopatum & Cardinalatum promotus fuit, retuli in *Desper. causa Papatus*, quomodo se obtulerit in aula Henrici III. ad probandum, Non esse Deum; & propterea ex aula pulsus sit. De Iulii II. Leonis X., Bembi, aliorumque Pontificum, Cardinalium & prælatorum atheis apopthegmatis, de Episcopi Iovii quasi-Ethnicismo &c. ab aliis & à nobis alibi ex parte quid indicatum fuit. Consulendi autores, qui vitas Pontificum scripserunt; quos in bibliotheca nostra enumeramus.

Ibid. lin. 20 *Sit hæc Appendix ad disp. de atheismo cõscripta mense Sept.* 1647. Ad Atheorum & atheismorum voces, eorumque synonymas audas hodie

die nonnullas iniqua aut imperita indignatione commoveri, adeo ut vix per ipsos liceret homines rudiores aut imprudentiores contra periculosa & fanaticas ejusmodi vertigines, ad Dei gloriam & animarum salutem monere. Visum est ergo hanc appendicem ad abundantem cautelam, & uberiorem disputationis nostræ (præsertim *p.* 133-136. *& p.* 154. *& pag.* 168. *& p.* 181. *& p.* 183. *& p.* 189-208. *& p.* 216-226.) apologiam subjicere. Sunt autem eorum, qui scævis illis atheismorum vocibus aliquem mortalium, saltem confitentem aliquod numen, urgeri non ferunt distincti gradus. Alii enim per ignorantiam idioticam, aut errorem popularem hic impingunt. Alii sunt semi-docti, sed in scriptis & Theologiæ naturalis & supernaturalis planè hospites, immo ne terminorum & distinctionum philosophicarum & theologiarum leviss. cognitione imbuti. Alii docti quidem, sed prejudicio aut animi morbo hic contradicunt, quia scil. ita volunt, aut ipsis aliqua particulari in causa ita usu venit. Alii forte, quia putant se tangi & suam causam agi (ipsi enim optime seipsos nôrunt), omnem istarum vocum usum molestissime ferunt. Alii minime mali, quia vident nimis temere atheismos sæpe impingi iis, quorum genuina fides & pietas plane contrarium suadet, aut de quibus saltem ex regula caritatis meliora sperare possent, hinc fit ut quasvis harum vocum usurpationes fastidiant. Nos omnibus illis unius theseos propositione sic occurrimus. Thesis hæc est: *Non est illicitum (nedum ut crimen sit politicè & graviter puniendum) homines deitatem seu numen non negantes, immo aperte Deum profitentes, insuper formam aliquam religionis publicæ in Ethnicismo, aut Mahumedismo, aut Iudaismo, aut etiam in Christianismo exercentes, nominatim in Papatu, ostensis periculis & consequentiis atheismi, disputado urgere, atq; adeo falsæ doctrinæ eorũ atheismos (indirectos &c. & participatos) impingere; ut illi de falsitate doctrinæ suæ tanto melius convinci possint, aut saltẽ alii rudiores & incautiores præmoneri.* I. *Quia*, scriptura hoc agit quę omnes Gentiles vocat impios, Atheos &c *Ephes.* 2. *v.* 12. coll. cum 1 *Thessal.* 4. 5. Eadẽ aliquos in medio Christianismo consequentiis atheismi premit. 1. *Corinth.* 15. 32. 33 34. *Philipp.* 3. 19. 2 *Pet.* 3. 17. coll. cum *Psalm.* 14. 1. *&* 94. 7. 8. Qui tamẽ Deum aliquem norant, & cultum aliquẽ numinis etiã Christianum exercebant. II. *Quia*, probat hoc exemplũ & cõsensus patrum, qui non tantũ Gentiles passim atheos, Epicureos, impios appellabant, uti dictum est *p.* 179. & nominatim imperatorẽ suum Julianum *Ibid.*; Sed & Christianum nomen profitentes hæreticos, ut Gnosticos, apud *Irenæum l.* 2. *cap.* 58. Et Marcionitas, Valentinianos, Basilidianos, Saturnianos aliosque hæreticos apud Iustinum Martyrem in dialogo cum Thryphone *p.* 45. edit. Parisiensis anno 1551. & fol. 37. 6.

edit.lat.Parif.an.1565.in 8.& p.77.tom.2.edit.lat. Langii in folio ; ubi ait eos nomine Christianorũ nominatos docere ἄθεα καὶ βλάφημα & dicere & facere ; eosque ibidem exsertis verbis propterea appellat & à Christianis credi dicit ἀθέους καὶ ἀσεβεῖς, καὶ ἀδίκους καὶ ἀνόμους.i. *atheos, irreligiosos, injustos iniquosque*. Ecce hic communem antiqui Christianismi fidem & professionem, de hominibus Christianis, sed heterodoxis seu hæreticis, propter absurdas, peregrinas, & blasphemas assertiones seu opiniones. Ἀντὶ τοῦ τὸν Ἰησοῦν σέβειν, ὀνόματι μόνον ὁμολογεῖν Χριστιανοῦς ἑαυτοὺς λέγουσιν, ὃν τρόπον οἱ ἐν τοῖς ἔθνεσι τὸ ὄνομα τοῦ θεοῦ ἐπιγράφουσι τοῖς Χειρηποιήτοις, καὶ ἀνόμοις καὶ ἀθέοις πελεταῖς κοινωνοῦσι *Eo quod nomine tantum confiteantur Iesum, re autem nequaquam colant, quantumvis Christianos se appellitent: quemadmodum Gentiles Dei nomen adscribunt manufactis statuis, quod mox profanant impiis & illicitis mysteriis.* III. *Quia*, pręit hic exemplum reformatorum theologorum aliorumque eruditorum qui passim gravant 1. *Pontificios* pręsertim Papas, curiam Romanam, consistorium, Episcopos, Iesuitas &c. quod ipsorum hæreses, modus disputandi, barbara persecutio veritatis & pietatis, impia facta &c. aut atheismum, Lucianismum, Scepticismum, Libertinismum, blasphemiam sapiant, aut ad ea ducant. Vide quæ passim per totam hanc disputationem enotavimus, præsertim *p.*192.193.133. Quibus adde imprimis autorem *Turco-Papismi lib.*2. ubi passim reponit Pontificiis quod nobis objiciunt. Et *Ios. Scaligerum*, qui in *refutatione fabulæ Burdonum* Gasp. Schioppium aliosque obtrectatores suos aliquoties atheismi consequentia percutit. 11. *Socinianos*, eorumque asseclas aut affines de quibus *p.*194.189. Adde Bezam in epistolis, epist. 16. p. 111. Vbi dicit, *neminem in ecclesia sensisse, aliud esse Arrianismum, quam Atheismum.* Socinianis adjungo Vorstium, de quo *pag.* 120. Quem imprimis Atheismi accusabat eximius philosophus & Medicus *Eglisemmius in Crisi Vorstiani responsi p.*4.6.15.& *in Hypocrisi p.*15.41. 111. *Libertinos*, Enthusiastas, Scepticos. De quibus supra *p.*118.222. Hic adde *Bezæ tract. de hæreticis puniendis*, ubi adversarios suos titulo *novorum Academicorum* insignit. Et *Ioh. Iacobi Grynæi dispp. theolog. part.* 1. ubi certitudinem doctrinæ probat contra Academicos & Pyrrhonios. Et Lucę Osiandri tract. c. Franc. Puccium anno 1593. Tubingę cum approbatione facultatis theologicæ ibidem & consistorii ecclesiastici Stutgardiani editum : in cujus titulo dicitur, *Puccium scripto suo Satanico omnium religionum confusionem, & ex ea consequentem Epicureismum introducere conatum.* Et p. 196. hortatur pios Magistratus, ut *Puccii libellum blasphemum, hoc est, Alcorani Turcici compendium, & Epicureismi fundamentum, conquirant, supprimant, aboleant.* IV. *Neutrales*, & malos Syncretistas. De quibus liber *VVigandi de Neutralibus.* Et exstat de iis

testi-

testimonium Melanthonis in commentar. ad Roman 24. pag. 411. edit. Argentorati anno. 1540. in 8. *Exoritur autem quoddam novum genus sapientum, qui cum sint ἄθεοι, nulla prorsus volunt moveri de religione certamina, laudant pacem, & concordiam, execrantur omnes, qui quocunque modo serunt discordias, hos tanquam κοπρήματα, & pestes generis humani tollendos esse censent. Hæc est una philosophia, Pontificum, Cardinalium, Regum, Canonicorum & plurimorum, qui perhiberi volunt viri politici, qui scilicet ocium suum interturbari nolunt.* v. *Antinomos*, alioque fanaticos hodie in Anglia emergentes impietatis, & atheismi arguunt scripta aliquot idiomate gentis edita. Ex quibus Honorius Reggius Kemnatensis sua excerpsit, & latino sermone edidit. Verba ejus p. 50. 51. hæc solū exscribo: Paget in Epistola dedicatoria Hęresiographiæ; *Ecce*, inquit, *amota Hierarchia, subito ingens hæreticorum numerus, ut locustæ, Ecclesias Anglicanas obruerunt, Familistæ, Anabaptistæ, Donatistæ, Antinomi, Independentes, Arminiani, Sabbatarii, Anti-Sabbatarii, Traskitæ, Millenarii, Hetheringtonii, Sociniani, Ariani, Atheistæ.* De Atheistis sic inquit: *Magnus eorum numerus est. Quidam coram judice Provinciali incarnationem I. C. irridebat. Pater ejus Tolosæ in Gallia combustus fuit, sed apud nos filius impunitus evasit. Concionantur, excudunt & exercent hæreticas opiniones suas palam.* Ante illos Melanthon idem ipsos asperserat. part. 2. Consilior. p. 357. 358. ubi Antinomis & quidem professione publicis theologis adscribit, *furores*, *sycophantiam*, *scurrilitatem sophisticam*, *præstigias*; & conciones eorum dicit esse *Cynicorum* potius quam *Christianorum*, tandem pag. 361. sic concludit: *Manifesta igitur insania est, & Cyclopum, & Cynicorum furor, dicere, obedientiam, quam leges divinæ præcipiunt, non esse necessariam. Ac magistratuum severitate coercendi erant, qui tales opiniones defendunt contumeliosas contra Deum & pernicioſas moribus. Quid interest inter pecudes & homines remota Dei, & legum notitia?* VI. *Pelagianizantes* quos in disput. contra prædestinationem & gratiam Dei, impios & *Scepticos* appellat *Calvinus in tractat. theolog. p. 292. a. & 724. a.* VII. *Philosophos*, Medicos, philologos &c. De quibus vide *p. 123. 131. 200.* Adde *Sennertū in tract. de Chymicorum & Galenicorum consensu & dissens.* Et *Libavium in refutatione confessionis & famæ Fraternitatis Roseæ crucis* & in suis *singularibus part. 1.* ubi philosophos & Medicos Hermeticos seu Paracelsicos *impietatis*, stultitiæ, factionis arguit. Nec prætereundus *Mericus Causaubonus*, qui in *Pietate* Gasp. Schioppio tribuit ἀθεΐαν eumque vocat Atheum. Conferri etiā possint consequentię, quibus aliqui ex reformatis utuntur in examine novæ *methodi probandi Existentiam Dei*; quam primus, uti putat, mundo exhibuit *Renatus des Cartes* quod ad religionis professionem Pontificius, & quidem Iesuitarum discipulus

pulus atque æstimator: uti ipse gloriatur. Autores mox *rat.* 5. citabo. IX. *Pseudo-politicos*, seu malos Politicos; de quibus vide *p.* 117. Addi possent veri cætera Politici & legitimi Principes ac Magistratus, qui ex professo religionem & ecclesiam reformatam ferro & flamma persequi non desinunt: siquidem argumentari velimus saltem ad hominem ex illo axiomate quod habet Didacus Celada in commentar. in Iudith. cap. 7. v. 18. ubi §. 24. titulus sic habet: *Qui pios & justos persequitur, sacrilegus fere est, & suspectus atheismi.* Sed nolimus has machinas adhibere: cum exemplum Pauli ecclesiam persequentis consideramus. X. Homines vitiosos, quamvis professione Christianos, quales sunt avaritiæ, ambitionis, luxuriæ mancipia. De quibus *pag.* 119. 124. XI. *Mahumedistas*, Iudæos, Paganos, à fide alienos. p. 122. Sic autor *Turco-papismi l.* 1. *cap.* 8. Mahumedum plane impium & ἄθεον vocat. XII. *Quinimmo* orthodoxi theologi aliquando se mutuo gravant, propter dissidia circa politiam ecclesiasticam & externos ritus. Quod historice solum hic refero, nec judicium depromo: quia non est hujus loci. Vide *pag.* 195. Et adde titulum libelli cujusdam theologi Angli, *Profanus Puritanus* &c. quem in *disp. de superstitione* refutamus. Vicissim Anti-hierarchici in Anglia Episcopali hierarchiæ occasionem & originē atheismi imputant. De quo vide scriptum nuper editum tit. Honori Reggii Kemnatēsis, in prolegom. p. penult. *Multorum animos tum subjit recordatio illius quod venerabilis Beza non sine prophetiæ spiritu olim rescripsit Cnoxo, ecclesiæ Scoticæ reformatori*, Sicut Episcopi papatum peperunt: ita oculis pene ipsis jam cernitur Pseudo-episcopos, Papatus reliquias, Epicureismum terris inveturos. *Cujus certum vaticinii eventum parum abfuit quin Ecclesiæ Scoticæ pene expertæ essent, nisi Deus* &c. Ibid. p. ult. *Atq; hæc præmittere visum ut eo manifestius esset Britanniam diutius Episcopos non potuisse ferre, nisi in Papismum & Atheismum labi vellet. Eant nunc illi, & glorientur de antiquitate sua & necessitate!* Plura collegit Iesuita *Fitz Simon in Ministro-machia Britannica.* Lutherani satis frequenter reformatis atheismos imponunt propter dogmatica nonnulla, in quibus ab ipsis dissident. Quod nobis operose probandum non est: Collegit illos Flosculos ex Lutheranorum libris *Andreas Iurgiewicius* canonicus Vilnensis *in Bello quinti Evangelii p.* 110 *&c.* Quid? quod *Conradus Schusselburgius lib.* 1. *Theolog. Calvinistarum, art.* 29. & 30. propter eucharistiam ad ægrotos aut moribundos, non deferri solitam apud Reformatos, & propter non usitatam adorationem Christi in cœna, Calvinistas vocat ἀθέους. Ex quibus saltem constat, nullum alium Atheismum, Scepticismum, Libertinismum &c. nisi indirectum, aut participatum, aut saltem alterutrius pericula & occasiones intel-

ntellectas ipsis fuisse. Et proculdubio illi seipsos sic interpretarentur. Nec memini unquam criminis politici & gravissime vindicandi à reformatis, ubi rerum potiuntur, accusatos aut condemnatos Lutheranos, antecessorum suorum consequentiis & affirmatione adductos, ut hæc de Calvinistis crederent, ac publice profiterentur. IV. *Quia*, ipsi Pontificiis ordinario hoc sale perfricat adversarios suos: jure an injuria, hic non disputabo. Sufficit historica relatio ad homines Papalis professionis sive clericos sive laicos commonefaciendos, ne tam ægre ferant, siquidem à reformatis simili stylo, seu mavis argumentis & consequentiis ad absurdum deducentibus excipiantur; & ut ipsi videant, quid & quibus subdistinctionibus respondendum sit consuetis querelis, de blasphemiis & atheismis per reformatos sibi impositis: quas querelas renovarunt & serio ab horrendis illis se purgare voluerunt in nupero *colloquio Thorunienſi an.* 1645. *seſſ.* 11. *Septembr.* 13. Vtuntur autem his armis Pōtificii 1. *Cōtra reformatos* & Lutheranos. Vide *p.* 190. 191. 122. 123. Adde Barthol. Fayi in senatu parisiēsi cōsiliarii, in suo Energumenico p. 128. *Multis*, inquit, *in fide nutantibus &c.* Et *Giffordum ac Reginaldum in Calvino-Turcismo lib.* 1. & *in præfat. & cap.* 1. & 2. ubi nominatim Hollandis, aliisq; Belgis fœderatis maledicit, quasi blasphemiam illam *de tribus Impostoribus* probarent. *Spondanus in tract. de Cœmeteriis p.* 7. idem satis confidēter agit. Renatus des Cartes quāvis theologus nō sit, sed mathematicus aut philophus, hic inter testes Pontificios & Iesuitarum discipulos atq; æstimatores locum forte mereretur, quod mihi atheismum haut obscure impingat in libello sub forma epistolę ad me, edito: sed quia causa doctrinę Papisticę immo & suę philosophicę perfunctoriè perstricta ad personales infamationes dilabitur, & hoc nomine ipsius famosi libelli in hac urbe nostra proscripti sunt, nolo hanc camarinā hic movere. II. *Cōtra* Libertinos, Socinianos, Anabaptistas, Neutralistas, alioſque extra cōmunionem ecclesiæ Romanæ constitutos. Sed haut opus pluribus hoc probari, cum omnes libri contra istos adversarios scripti, titulis illis passim respersi sint. *Possevinus in apparatu sacro*, *in voce* Iustus Lipsius, scriptorem Dialogistam (Theod. Cornhertum), qui in caput aliquod Politiæ Lipsianæ inscripserat, vocat *Atheum.* III. *Contra*, subditos propriæ suæ ecclesiæ, qui in causa aliqua politica ad nutum sacerdotum omnia non agunt & loquuntur: aut qui tolerantiam externam seu politicam religionis reformatæ concedunt: aut qui reformatos ad libitum & nutum sedis Romanæ non persequuntur: aut qui aliquam rationem unionis inter reformatæ, & Romanæ ecclesiæ subditos concedunt; aut qui revera athei sunt, & tales vita se declarant, quidquid externe simu-

lent. Hos communiter nomine politicorum, atheismi & libertinismi incessunt, imprimis Principes & Magistratus. Et palmam aliis omnibus Clericis & theologis in Papatu, hic præripiunt Iesuitæ. Vide quæ notamus *p.* 115. 116. & *p.* 216. & in *paralipom.* ad illam paginam. Quod si suæ religionis & ecclesiæ cõsortes ita excipiunt, certe minus stomachari debent patres illi aut eorum discipuli, si quis reformatus atheismi & scepticismi pericula & consequentias noxiis aut periculosis alicujus commentis opponat. Quia (ut de talione nihil dicam) justæ hic causæ sunt *tum* communes ex parte totius Papatus, quas notamus *p.* 192. 193. *tum* speciales ex parte Iesuitarum, quas indicamus *p.* 116. 226. 192. & pluribus aliquando deducemus. Quod si accedant causæ speciales, periculosorum quorundam theologematum, aut philosophematum; quæ ipsi Iesuitæ & totus papatus communiter condemnaret, saltem pro suis non agnosceret, utique non importune consequentiæ illæ urgentur, de occasione Scepticismi, Libertinismi, atheismi suppeditata, deque manuductione ad eam (quidquid sit de intentione autoris) per labyrintheas, periculosas disputationes, per novas & absurdas hypotheses, quibus scripturæ autoritas labefactatur, firmamenta pro veritate religionis adferri solita infirmantur, hominibus imperitis, incautis, aut in bevio positis dubii, perplexi vertiginosi absurdi conceptus circa Deum (de quo etiam vera dicere periculosum est) & res divinas suggeruntur, atque ita nonnulli à simplicitate receptę & communis fidei avertuntur.

IV. *Contra* philosophos, Iureconsultos, scriptores politicos, Theologos. Vide *p.* 117. Si quis legat nuperas *disp. Parisiensium contra Meditationes primæ philosophiæ Renati des Cartes*: imprimis scriptum peculiare *Gassendi* in 4. mirabitur forte cur illis cõsequẽtiis, quibus utuntur, & cur tacite monere illum voluerint, in posterũ accuratius & aliter Scepticismo ostium, immo & rimam occludendam. *Iulium Cæsarem Scaligerum* qui ut erat Atheismo & Atheis infestissimus (teste digniss imo tanti patris filio *epist.* 1. quæ est ad *Ioh. Douzam*) sic satis acriter subinde urget Cardanum. Cui *Cardanus* vicissim ob periculosa & absurda argumenta, (ipso judice) Impietatem impingit. *p.* 1129. apologiæ, quæ postremę editioni operis Subtilitatum in 8. Basileæ, addita est. v. *Contra* Reges, Principes, Proceres. Vide *pag.* 116. & 117. Adde *autorem* libri *de justa abdicatione Henrici* III. ubi refert Regem cum de rigore vitæ differeretur, mirabundum & dubitanti similem dixisse: *An vero fieri potest, ut sit unus Deus. Et Petrum Matheum* qui in *historia ad ann.* 1602. inquirit in Atheismum Maresc halli Bironi, eumque publice victuris chartis pandit. Ejusdem Bironi atheisticum apopthegma, refert Cambdenus (sed historicus reformatus) in Annalibus

Anglic.

Anglic. sub Elizabetha part. 4. p. 805. *Licet*, inquit, *hanc pietatem* (comitis Essexii in morte) *ut ministello quam viro bellicoso digniorem Bironus & alii prophani subsannarent, quasi formido inferni non sit Christiani fortitudo.* Quid alii historici, Politici, theologi, aliique scriptores Pontificii, de Imperatore Friderico, De Henrico VIII. rege Angliæ, de regina Elizabetha, de Regibus Galliæ, Hispaniæ, Sueciæ, Bohemiæ, de Senatu Veneto, de Principe Transylvaniæ Gabriele Bethlemo, de principe Auriaco Wilhelmo, de Ill. Belgii fœderati Ordd. scripserint supra ex parte & passim notavimus. Et ne Iesuitæ, aut qui ex ipsorum disciplina prodierunt, hic se extra quærant, suggerimus harum rerum curioso lectori, perlustret modo *Bibliothecam Philippi Alegambe*, & inter alia inquirat in illa quæ politico-theologica aut liberis tractatibus, aut astricte ad & contra Machiavellum à Iesuitis edita. Imprimis in tractatus politico-pragmaticos, seu politico speciales, quos quamplurimos & plerumque suppressis suis, non raro etiam fictis alienis nominibus evulgarunt. Vide catalogum & clavem eorum apud *Alegambe p.* 447-453. VI. *Quia* alii quicunque Antagonistæ reformatorum, Sociniani scil., Anabaptistę, Remonstrantes, aliique subinde aut exsertis verbis aut per consequentiam atheismum, impietatem, blasphemiam impingunt innoxiæ nostræ doctrinæ. De Socinianis, Anabaptistis, aliisque jam non probabo. Tantum indico Remonstrantes, quorum calumnias p. 195. notamus, non tantum reformatis propter doctrinam de providentia, & prædestinatione divina & perseverantia, sed & universo Christianismo propter hæreses Socinianas & forte illis deteriores anathematizatas earumque publicas professiones non toleratas, imponunt, quod *patentissimam atque amplissimam portam crasso atheismo* aperiant. Et hinc fieri, *quod atheorum aut hypocritarum, aut stupidissimorum innumerus pene numerus sit omnibus in locis ubi vis dominatur, & libertas conscientiarum* (exercitii & conventuum intelligunt) oppressa jacet. Sic illi in Vindiciis *seu Vedelio Rapsodo cap.* 10. *p.* 187. ubi vide: & confer imprimis *pag.* 92. 93. Vide & *refutationem* nostram *libelli Danielis Tileni*, quam vernaculo sermone conscripsimus. Ergo Sociniani, Remonstrantes eorumque fautores, item hybridæ, πολυποίκιλοι, Sceptici, Lucianici, Neutrales in religione, cum mystis Machiavellicis & Epicureis, qui ubique volunt unguis esse in ulcere, secum habitent, nec tantopere paratragœdientur, si forte à reformatis *atheismum* aut *Scepticismum*, nominari contingat, dum ad absurdum adversarios absurdissimos redigere student, ut ad veritatē convertantur, aut alii saltem ab ea non avertantur. v. *Quia*, Academię, & scholę, ecclesię reformatæ in Belgio exemplo suo docere voluerunt posse quibusdam in casibus

debito

debito modo & fine, duros ejuſmodi cuneos adhibere. Quamvis enim exſerte voces *atheiſmi*, Scepticiſmi, Epicureiſmi &c. ſemper non uſurpent, tamen cum rationes tales adhibent, & tales voces ſynonymas uſurpant, ex quibus lectores Atheiſmi Scepticiſmi, Libertiniſmi pericula aut conſectaria elicere poſſent. Hiſtorice tantum nonnulla referam, quæ mihi nunc memoria ſuggerit: non quod eo ipſo ſingula ſingulorum dicta & ſcripta uſque ad minimos apices mea faciam aut tanquam mea approbare & præſtare tenear: Intercurrunt enim nonnulla, quæ quod ad materiam ſeu conſequentiam particula rem exſerte improbo. *Primum exemplum* ſit in cauſa Puccii. Vide tr. *Fr. Iunii contra Puccium.* *Secundum* & celebre exemplum in cauſa Conradi Vorſtii. Vide p. 120. & ipſius Antagoniſtas *Sibrandum Lubbertum*, *Mathæum ladum*, Leovardienſes *Smoutium*, *Donteclokium* & eximium philoſophum *Egliſemmium*. *Tertium* exemplum datum in cauſa Remonſtrantium, ut illa nunc eſt poſt editam apologiam. Hic videnda imprimis *Vedelii arcana Arminianiſmi*, quorum prima pars à facultate theologica Leidéſi approbata fuit. *Quartũ* exemplũ datum in controverſia inter Barlæum profeſſorẽ in Gymnaſio Amſteldamenſi & inter Vedelium Theologum Daventrienſem, poſt Franekeranũ. Vide *Vedelii Deũſynagogæ* & anonymi (*Martini Schoock* tunc profeſſoris Vltrajectini, poſt Daventrienſis, nunc Groningani) *Vorſtium redivivum* pro Vedelio ſcriptum, ſed quem Vedelius probavit atque edi curavit. *Quintum* exemplum nuper datum in Examine novæ Methodi probandi Deum. Hic videnda *Maccovii diſputatio* Franekerę habita: *Revii Zwarezius repurgatus diſp.* 29. & 30. cujus ſententiam quod ad impugnationem argumenti de idea probat *Mareſius* Theologus Groninganus *in diſp.* 7. *ad confeſſionem Belgicam, theſi.* 1 *Stuarti* philoſophi primarii, in Academ. Lugd.-Batava, *diſputatio* eidem *novæ methodo oppoſita*: *D. Triglandii corollarium diſp. de certitudine fidei* ſubjectum, quod *blaſphemiam* methodo illi imponit: Si qui porro libros & diſputationes, *Fr. Iunii*, *Gomari*, *Riveti*, *Polyandri*, *Maccovii*, *Altingii*, *Vedelii*, aliorumq; profeſſorum Belgicorum percurrat, videbit eos non abſtinere in totum à terminis blaſphemiæ, impietatis, ſcepticiſmi, atheiſmi, Libertiniſmi, Epicureiſmi &c., cum Pontificios, alioſque adverſarios ſive theologos ſive philoſophos oppugnãt; nec tamen à quoquam reformato theologo, nedum à judicio eccleſiaſtico, aut politico, aut Academico infami injuriarum & calumniæ crimine condemnatos fuiſſe, & conſequenter alicui ex adverſariis eorum ſive Ieſuitici ſive alterius ordinis aut gradus Papiſtæ, aut Remonſtrantico, ſive theologo ſive philoſopho, ſive nobili ſive ignobili hactenus cauſam præadjudicatam, modo ſcil. rei illi

in

in quæstione ſtatus inficialis de facto convicti eſſent. Imprimis nihil tale factū in Academia & eccleſia Groningana, cum profeſſores ejus ſupra alios Belgicos zelum contra nonnullos adverſarios ſuos tum heterodoxos tum orthodoxos ſeu ejuſdem confeſſionis ſocios objectis *impietatis, atheiſmi, ſcepticiſmi, blaſphemiæ* præcipitiis oſtendere voluerunt. Vt jam nihil dicam de ſcriptis *Vbbonis Emmii* ſcholæ Groninganę Rectoris, poſt hiſtoriarum in Acad. Profeſſoris *contra Davidem Georgii*, & *Kircherum Medicum* Emdanum, quibus etiam primarii aliquot ex nobilibus & viris Politicis in Belgio haut leviter tanguntur; vel unus *Altingius in ſuis problematicis* huic rei probandæ ſufficeret. Ibi enim probl. 2. pag. 17. Metaphyſicam omnem, ejuſque uſum eliminaturus, hoc argumento (quod eſt ordine tertium) inter alia pugnat: *In utramque partem diſputat omnia, & vix quidquam certi habet.* Hinc Sceptica theologia *nata, quæ tandem exit in Atheiſmum.* Quo telo non tantum Pontificii, ſed & omnes theologi, philoſophi, ac profeſſores Academici Lutherani pariter & reformati petuntur, quotquot ſcil. Metaphyſicæ ſtudioſi, cultores, ſcriptores, doctores audiunt; non obſtante, quod omnes illi quam maxime ſcepticiſmum & atheiſmum, etiam & vel imprimis cum metaphyſicantur, ſe oppugnare profiteantur. Zelum præſtantiſſimi theologi pro cauſa veritatis (ſecundum ſcientiam ipſius) hic ſuo loco relinquo: quid tamē de judicio illo, & conſequentię firmitate judicandum ſit, candide & libere indico in *diſp. noſtra problematicæ de theologia.* Proxime ſuccedat *Freitagius* medecinæ *ibidē* profeſſor, qui in *Refutatione novæ ſectæ Sēnerto-Paracelſicæ* publicis diſp. in Acad. Groningana inſtituta *diſp. 9. p. 398. & in apologia diſpp. præmiſſa p. 9. 10. 11. 14.* Sennerti & Sperlingeri profeſſorum Wittenbergenſium opinionibus, quas ſcripturę repugnare contendit, *blaſphemiā, impietatē, dānatas hæreſes impingit*, & omnes Theologos cōtra ipſos advocat. Simile quid egit *Martinus Schoock* philoſophię profeſſor ibidē nō tantum in opuſculis antehac editis, ſed & in diſputationibus quibuſdam philoſophicis iſtic habitis, inter quas excellunt, tres *diſpp. de Scepticiſmo. Mareſius* theol. ibid. profeſſor, adverſarios ſuos conſequentiis *atheiſmi* aut *Libertiniſmi*, aut *impietatis* data occaſione oppugnat: ut cōſtat ex libris ab illo editis, contra Pontificios, Grotium Papizantem, Nuperum anonymum autorem libelli cui tit. *Ad legem & teſtimonium* &c. *Sic* e.gr. in libello gallico c. Leodienſes cui tit. *La Chandelle* &c. *in præfat.* Pontificiis objicit formalem notam ſeu characterem atheiſmi. Eoſdem Pontificios ſic inceſſit, in Collegio Theolog. Groningę habito, ibidemq; edito anno 1645. loc. 1. theſi 14. *Perperā ergo diſtinguunt inter concluſiones theologicas, & fidei, quarum illas* deductas *vocant, has*, expreſ-

sas; *nõ alio fine quã ut suorũ rixas perpetuas in gravissimis theologiæ caiptibus elevent, & quendam Sceptici/mum invehant inter Christianos.* Hæc in viros eruditos & publicos theologos absque injuriâ severe in foro politico vindicandâ si ita dici poterant, utique dicere possent theologi Belgii supra indicati, viri mathematici & atheologi novam Methodum probandi Deum, pari, si non majori jure, à se sic oppugnatam fuisse. Idem una cum Altingio constituens tunc facultatem theologicam anno 1644. 15. Kal. Septembr. sex quæstiones earumq; assertiones philosophicas disputationibus Ant. Deusingii tunc philosophiæ profess. Harderoviceni, nunc Medec. professoris Groningani à Theologo tunc Harderoviceno nunc Franekerano Ioh. Cloppenburgio facultati oblatas condemnavit: non tantum tanquam *periculosas ex fabulis Iudæorum ac Platonis, Origenis aliorumque deliriis derivatas, quæ sanam philosophiam, maxime naturalem, corrumpunt, sed etiam falsas, profanas,* (N.B.) *directe incurrentes in creationem & providentiã Dei* &c. Apud *Cloppenburgium in Re judicata &c. p.* 11. Idem in disp. philosophicis in Gymnasio Sylvæ-ducensi, ubi tunc professorem agebat, disp. de Mundo Resp. H. Ruschio anno 1639. thesi 11. *Et qui Christiani illam Aristotelis sententiam aliquâ ratione tuentur, statuentes non repugnare, Mundum fuisse ab æterno, Atheismo clam militare videntur.* Plura forte ex scriptis hujus theologi excerpi possent: Sed hęc sufficerint: ad ostendendum morem theologorum Belgicorum. Quo magis mirandum eximio mathematico, sed in metaphysica ac theologia tum scholastica tum scripturaria minus exercitato Ren. des Cartes, qui ex Galliis & Iesuitarum disciplina in Belgium nostrum advenit, ibiq; complures annos transegit, tam insolens visum fuisse, quod nuperrime Theologus Leidensis novis ipsius philosophematis de Deo blasphemiam objecerit: adeo ut ab amplis. DD. curatoribus inclytæ Acad. Leidensis petere ausus fuerit, ut ille theologus Cl. ad palinodiam aut aliam quamcunque satisfactionis rationem adigeretur. Sed longe fallit virum illum quamvis eximium mathematicum, calculus juridicus, non minus quam theologicus. Si historias nosset, & prudenter similia cum similibus, præterita cum præsentibus componeret utique manibus palparet, parum à Cl. Triglandio præstitum esse, præ iis quę ab ipso, & socienno ipsius Mersenno, & facultate theologica Parisiensi, & præceptoribus ipsius Iesuitis contra reformatos theologos non tantum sed & contra philosophantes & novam rationem ac methodum philosophandi affectantes Pontificiæ, Reformatæ, Lutheranę religionis præstita sunt. Multa non congeram, nec longe abibo. *Mersennus* theologus Parisiensis, ex ordine mnimorum de S. Paula, in *commentariis in Genesin, in problematis Fr. Georgii Veneti*, in

libro

libro Gallico c. Atheos seu Deistas, & in libro Gallico cui tit. *Quæstiones theologicæ, physicæ* &c. non tantum reformatis theologis & philosophis, sed & Pontificiis, Franc. Charrono, *in libro c. Deistas*, Gaffarello, Archangelo Burgo, Gulielmo Postello, Georgio Veneto, omnibusque Cabalæ sectatoribus (quales in Papatu quam plurimi) in *commentar. in Genesin c.* 3.21. atheismum, Magiam &c. tum exsertis verbis tum quod ad sensum & per consequentiam objicit & in eos tanquam atheos, brachium sęculare advocat. Eadem fidelia ibidem denigrat Robertum Flud philosophum Anglum. Cui ἀπομαξόμεθα Gaffarellus in abditis divinæ Cabalæ mysteriis p. 72. reponit: *Etenim Respublica in ipsum merito deberet animadvertere, cum non cabalam, cujus inscius est, sed ipsam diabolicam magiam palam scriptis doceat.* Confer quę *ibidem* persequitur *p.* 73. 74. 75. 76. Atque hic Mersennus, quamvis novam hanc philosophiam Renati des Cartes antea strenue improbaverit, immo etiam refutationem ejus serio à se susceptam aut suscipiendam mihi per literas indicaverit, postea tamen nescio quo vento subito afflatus eam tanquam πεόπνοιαν suspicere voluit, aut saltem ita præ se tulit. Addo Sorbonam seu facultatem laudante & evulgante eodem *Mersenno* in *q. theologicis physicis* &c. *q.* 28. *Amphitheatrum Henrici Kunrath* philosophi & Medici Germani religionis Lutheranæ solemni decreto 1. Martii 1625. condemnasse; *quod repletum*, uti loquuntur, *impietatibus, erroribus*, & quod *perpetuâ ac sacrilega profanatione textuum scripturæ abutatur pluribus religionis catholicæ mysteriis, & lectores ducat ad artes prohibitas atque abominabiles.* Quod si Iesuitis Renati venerandis præceptoribus, Mersenno theologo ex ordine minimorum, Theologis Sorbonæ Parisiensis liceat non tantum suæ religionis homines (Georgium Venetum, Gaffarellum &c.) & iis in regnis aut locis commorantes, ubi ipsorum autoritas agnoscitur, sed & nostræ religionis theologos, philosophos, Medicos in Germania aut Anglia libere (uti prætendunt) & hactenus absque censura ecclesiarum & theologorum suorum philosophantes, publicis libris & solemnibus decretis condemnare: utique tantopere indignari non debet, si theologus reformatus in Batavia pro jure cathedrę theologicę noxias dubitationes Papistarũ, & inter eas peculiarẽ illam dubitandi methodum Renati des Cartes oppugnet & certitudinem scripturę, fidei Christianæ, & reformatę vindicet, ne incautiores à recto religionis tramite abducãtur, aut periculosis ac labyrintheis conceptibus implicentur, præsertim cum libri ejusdem manibus studiosorum, & aliorum reformatæ religionis consortium, passim terantur, ipseque autor cum sequacibus in Batavia habitet atque Academiæ illi immineat. Ante hac jure suo sed non ita simili plane in casu Acad. nostra Vltrajecti-

na decretum condidit, ab Ampliſſ. hujus urbis Senatu approbatũ, & non ſine autoritate ejus evulgatum, quod judicium depromit de libello & nova philoſophia Profeſſoris cujuſdam Vltrajectini, ad neceſſariam juventutis Academicæ præmonitionem, & publicam Academiæ à novorum paradoxorum infamia liberationem. Quod ſi quis Germanus aut Belga reformatæ religionis, in Gallia habitans libello famoſo (qualis eſt *epiſtola Renati des Cartes ad Dinetum* Provincialem Ieſuitarum) tit. epiſtolæ ad theologum Reformatũ in Germania & Belgio, decreta Academiæ Pariſienſis in *Ieſuitarum theologia moralẽ*, aut in *Gaffarelli curioſitates inauditas*, aut in monachorum Hybernorũ opiniones, aut in *Henr. Kunrath Amphitheatrum* aut in quemcunq; Academiæ Pariſienſis profeſſorem aut civem, publice ita exciperet, & nominatim Rectorẽ Academię cõquiſitis mẽdaciis & calumniis obrueret; quo loco putaret res reformati illius Germani aut Belgæ in Gallia futuras? Quid ſi inſuper Henr. Kunrath aut Robertus Flud, aut alius quis in Gallia habitans à Rege aut ſuprema curia cõtentioſè petat & quidẽ per epiſtolam, ut Merſennus & Sorbona ad palinodiam adigantur, aut ad compenſationem injuriæ infami calumnia condẽnetur; Quid putat futurum? Sed cogitet corollarium illud contra plus quam papiſticam ἐποχὴν in Academia Batava propoſitum vix folium eſſe novæ ipſius metaphyſicæ & theologię naturali injectum: arbores potuiſſe in eam cadere, & forte poſt caſuras, ſiquidem tota facultas theologica, immo omnes facultates in Belgio exemplo Pariſienſis, eam ex profeſſo examinent, & contra eam judicia ac decreta ſua emittant, ſi forte ibi invenirent propoſitiones *erroneas*, *malè ſonantes*, *ſcandaloſas*, *piarum aurium offenſivas*, (ut loqui ſolent Pariſienſes alięque facultates in Papatu) *hæreticas*, *profanas*, *aut blaſphemiam*, *ſcepticiſmum* &c. redolentes. Quod ſi tale judicium de ipſius, aut cujuſcunque alterius periculoſa philoſophia aut theologia aliquando ferretur, an non credit poſſe per theologos & collegia eccleſiaſtica à ſupremis Belgii poteſtatibus verę religionis & pietatis defenſoribus impetrari ut libri tales proſcribantur, & autores, ſi contra ordinem conſtitutum tumultuari pergant, debitè coerceantur? Sed dicet forte hanc poteſtatem, hunc morem non eſſe reformatis Academiis: Et ſi eſſet, non debere ipſos male judicando abuti iſta poteſtate: Saltem non debere perſonalibus injuriis & calumniis judicia ſua commaculare: etiam ferendum quidem eſſe ut philoſophia refutetur, explodatur; modo odioſis conſequentiis & criminibus blaſphemiæ, Libertiniſmi, Scepticiſmi &c. ipſi autores ejus non graventur. Reſpondemus ad 1. De poteſtate & more reformatarum eccleſiarum & Academiarum, nominatim in Belgio, ipſius non eſt ſtatuere, ſed alio-

rum

rum ad quos hoc pertinet. Ad 2. An justo titulo & potestate sua abutantur Academiæ, aut facultates theologicæ, aut collegia ecclesiastica, judicabunt illi, ad quos hoc pertinet. Ad 3. respondebit theologus, cujus corollarium novam philosophiam pupugit, nihil tale à se factum. Idem responderent facultates theologicę, siquidem talia in ipsius scriptis inventa, qualia sibi objici aliquando non ignorat, condemnarent. An per metamorphosin eandē hic sperat realia sc. argumēta philosophica aut theologica desumta ab absurdis consequētibus, blasphemię, scepticismi, Libertinismi, atheismi ad libitum ipsius ilico mutanda in puras putas calumnias personales magis, quam decreta Sorbonæ cōtra Henr. Kunrath, aut Gaffarellū; quia forte in Parnasso suo somniat alibi apud bonos Belgas hoc illi semel ita successisse. Ad 4. non patientur theologi aut theologicæ facultates, sibi à novorum philosophematum seminatoribus præscribi, quibus potissimum argumentis ad absurdum deducentibus ea confossuri sint. Præterea veritatem historicè cur non exponerent, siquidem theologica aut philosophica aliqua Scepticismo, Libertinismo, Manichaismo, Epicureismo, Stoicismo, Socinismo, Mahumetismo, aut deliriis Platonicis aut Marcioniticis, Valentinianis, Gnosticis, &c. affinia contineant, aut ad præcipitia illa ducant. Sexcentis exemplis patrum, Pontificiorum, nostrorum hoc probari posset. Componerē etiā cum Renati querelis de Theologis Leidēsibus & de Vltrajectnis decretis, decreta cōgreg. Cardinalium, & Inquisitorum, quibus Romæ Galilęo, Foscarino aliisque istius sectæ philosophantibus, silentium imposuerunt. Sed quia ut Sorbonæ decreta Sequanam vix transire dicuntur, sic Cardinalium decisiones Alpes forte non transvolant, saltem Belgium nostrum, quod nunc incolit non ingrediuntur, supersedebo, eumque & lectorem meum ad *Froymundi* theologi Leovanienſis *Anti-Aristarchum* & *Vestam* amandabo. Atq; hęc quidē occasione corollarii in Acad. vicina propositi, & quęrelæ Cartesianę de injuria & calumnia inde enatæ, hic visum fuit monere: Non quod eo ipso corollarium illud tanquam à me propositum confiteri velim (apage tā insulsas novorum sine Codice Iurisconsultorum consequentias), aut ea defensione Academiam vicinā indigere putē; sed quod non possim ferre calumnias aliquorum contra theologos & philosophos illos, qui pro veritate & pace scholarum, ecclesiarum, Rerum publicarū invigilant. Vide porro & confer de fanaticis & periculosis philosophem atis *disp. de Creatione part. 6. & 7.* Concludo dicto Sexti Empirici contra Doctores Dubitantios & Scepticos, quod habet l. 1. contra Mathematicos cap. 1. *In contradicendo iis qui profitentur disciplinas, idem videtur esse animus Epicureorum & Pyrrhoniorum: nonest autem eadem affectio.*

Ad *disp. de scientia Dei p.* 251. *lin.* 14. Formalia verba Boethii lib. 5. de consolatione philosophiæ sunt: *Magna vobis est, si dissimulare non vultis, necessitas indicta probitatis, cum ante oculos agitis judicis cuncta cernentis.* Addi potest dictum Ignatii in epistola ad Ephesios fere sub finem: Οὐδὲν λανθάνει τὸν κύριον, ἀλλὰ καὶ τὰ κρυπτὰ ἡμῶν ἐγγὺς αὐτοῦ ἐστι. Πάντα οὖν ποιῶμεν, ὡς αὐτοῦ ἐν ὑμῖν οἰκοῦντος, ἵνα ὦμεν αὐτοῦ ναοὶ, καὶ ἀτὸς ἐν ἡμῖν θεός. i. *Nihil enim latet dominum: sed etiam occulta nostra coram ipso sunt. Omnia ergo faciamus tanquam ipso in nobis habitante: ut simus ejus templa & ipse habitet in nobis.* Et Basilii in Asceticis seu in quæstionibus compendio explicatis, quæst. 29. πόιῳ τρόπῳ δυνηθῇ τὶς μὴ ὀργίζεσθαι; ἐὰν θεὸν ἐπόπτην, καὶ τὸν κύριον παρόντα ἐνοπτρίζεσθαι ἡγεῖται αἰεὶ. τὶς γὰρ ὑπήκοος ἐν ὀφθαλμοῖς ἄρχοντος ποτὲ κατολμᾷ τινὸς τῶν μὴ ἀρεσκόντων αὐτῷ. i. *Quomodo quis poterit non irasci?* Resp. *Si Deum inspectorem, & dominum præsentem semper inspicere putat. Quis enim subditus aliquando audet ob oculos principis aliquid quod illi displicet?* Similia in casu actus conjugalis habet Hieronymus in commentar. ad *Tit.* 2., quæ hic studio non describo. Videat, cui vacat. Non prætereunda est aurea sententia Epicteti apud Arrianum lib. 1. cap. 14. ὅταν κλείσητε τὰς θύρας καὶ σκότος ἔνδον ποιήσητε, μέμνησθε μηδέποτε λέγειν, ὅτι μόνοι ἐστέ. οὐ γὰρ ἐστὲ ἀλλ' ὁ θεὸς ἔνδον ἐστὶ καὶ ὁ ὑμέτερος δαίμων ἐστί. Καὶ τίς τούτοις χρεῖα φωτὸς, εἰς τὸ βλέπειν τι ποιεῖτε. *Cum januis adductis tenebras in conclavi feceritis, cavete ne unquam dicatis, vos esse solos: non enim estis soli: sed Deus vobiscum est intus, etiam genius vester adest;* (Ethnicè loquitur) *quibus quid tandem opus esse putatis illato lumine, ad videndum ea, quæ agatis?*

Ad *disp. de Iure & Iustitia Dei pag.* 371. *lin.* 24. Quin & ipse Calvinus mentem suam satis explicat, & sententiam nostram confirmat in tract. theologic., de æternâ Dei prædestinatione p. 728. *Memoria quidē repetendum est quod ante dixi: nihil nisi optima ratione facere Deum: sed quia certissima justitiæ regula est ejus voluntas: nobis præcipua, ut ita loquar, rationum omnium ratio esse debet. Nam fidei humilitas, quum ex divinæ justitiæ reverentia nascatur, minime stupida fingenda est. Quis enim, nisi persuasionem hanc penitus animo infixam habeat, justum esse Deum, & recta ejus opera: in solo ejus placito acquiescet? Itaq; Sorbonicū illud dogma, in quo sibi plaudunt Papales Theologastri, detestor, quod potentiam absolutam Deo affingit. Solis enim lucem à calore avellere, imo suum ab igne calore, facilius erit, quam Dei potentiam separare à justitia. Facessāt ergo procul à piis mentibus monstrosæ illæ speculationes: plus aliquid Deum posse quàm conveniat: vel eum sine modo & ratione quicquam agere. Nec verò commentum illud recipio, Deum, quia lege solutus sit, quicquid agit, reprehensione vacare: Deum enim ex legem qui facit, maxima eum gloriæ suæ parte spoliat, quia rectitudinem ejus ac justitiam sepelit. Non quod legi subjectus sit*

Deus,

Deus, nisi quatenus ipse sibi lex est. Talis enim est inter potentiã ejus ac justitiam symmetria & consensus, ut nihil ab ipso, nisi moderatum, legitimum, & regulare prodeat.

Ad *disp. de potentia Dei p.* 410. *lin.* 8. Addantur Origenes lib. 3. c. Celsum : Δύναται δὲ καθ' ἡμᾶς πάντα ὁ θεὸς, ἅπερ δυνάμενα ϑ θεὸς εἶναι, κ ϑ ἀγαθὸς εἶναι, κ ϑ Σοφὸς εἶναι σὺν ἐξέστατται. i. *potest sane Deus juxta nostram opinionem omnia, per quorum potentiam à deitate, bonitate, & sapientia sua non excidit.* Et Chrysostomus homil. 10. in Iohannem : Εἰ δ λέγοιεν, ὅτι θεὸς πάντα δύναται, ὥστε κ εἰς σάρκα μεταπεσεῖν ἐδύνατο ἐκεῖνο πρὸς αὐτοὺς ἐροῦμεν, ὅτι πάντα δύναται ἕως ἂν μὴ θεὸς ᾖ &c. i. Quod si dicant, Deum omnia posse ita ut etiam in carnem mutari potuerit. Hoc illis respondemus, Deum omnia posse quousque Deus manet. Si vero mutationem suscepisset, & quidem in pejus, quomodo esset Deus? Nam mutatio procul abest à simplici Dei essentia.

Pag. 427. *lin.* 5. à fine: Adde ibid. apolog. 187. 118. imprimis etiam Responsum Eorundem ad excerpta &c. pag. 11. *Non defuerunt inter scholasticos, nec desunt hodie qui asseruerunt, asseruntque sine ullo periculo Christum non tantum potuisse non obedire sed etiam potuisse peccare. Ibid. p.* 428. *lin.* 11. Adde *Bellarminum l.* 5. *de Iustificatione c.* 11. qui recte defendit, Christo etiam in humana natura fuisse intrinsecum & naturale, non peecare propter unionẽ hypostaticam ipsius cum deitate, quæ humanitatem regebat : ideoque Christum absolutè & simpliciter non potuisse peccare. Olim opinio hæc de Christi peccabilitate in Ario tanquam *impia, stulta, blasphema*, condemnata fuit à Concilio Niceno : teste ipsius epistola ad ecclesiam Alexandrinam &c. apud *Socratem lib.* 3. *cap.* 6. Propter eandem synodus Alexandrina Arianis anathema dixit, apud *Theodoretum lib.* 4. *cap.* 3. Confer porro de hac damnata opinione *Socratem lib.* 1. *cap.* 3. & 6. *Theodoretum lib.* 1. *c.* 4. & 8. & *l.* 2. *cap.* 8. *Sozomenum lib.* 1. *cap.* 14.

Ibid. p. 431. *lin.* 12. verba *Hieronymi* exstant in *epistola ad Eustachium de custod. virginit.* Mirum quid sibi voluerit *Accursius in gloss. un. C. de rupt. virgin.* Cum à sententia Hieronymi (quam per lapsum memoriæ Augustino tribuit) dissentiens statuit : *à Deo posse restitui non ab homine.* Studet quidem illum excusare Conr. Rittershusius lib. 4. sacr. lection. cap. 7. pag. 268. *Respexit credo, ad reatum sive effectum peccati, quæ est obligatio ad pœnam transgressoris. Hunc enim effectũ tollere posse Deum, & pro infinita sua bonitate tollere in lapsis pœnitentibus* &c. Sed hæc excusatio non convenit. Neq; enim credendum, tam absurdum aut imperitum fuisse Accursium ut putaverit Hieronymum, & compilatores Iuris canonici, negasse Deo possibilem esse remissionem peccati à virgine commissi; de qua blaphema assertione ne quidẽ per somniũ cogitarunt. Et ipse Rittershusius

paulo

paulo post eadem p. 268. satis innuit huic excusationi standum non esse *Veruntamen hæc delictorum venia atque abolitio eam vim non habet, ut ob eam desinat vera esse illa enuntiatio : David occidi curavit Uriam ut ejus conjuge &c.*

Eadem pag. 431. *lin.* 25. Aliquos ex illis autoribus indicamus *in disp. de Creatione part.* 10. *sub finem.*

Ad disp. de Christo ἀνυπόστατον Pag. 350. *lin.* 1. Adde: observat *Casaubonus ad characteres Theophrasti cap. de adulatione, voces,* ἐκεῖνος & αὐτός & servorum & discipulorum fuisse, quas honoris causa propriorum nominum loco usurpabant, cum de dominis aut præceptoribus suis loquerentur. Idque ex scriptoribus græcis & latinis eorumque scholiastis ibidem probat.

Pag. 459. *lin.* 14. Adde etiam & Pontificiis repone dictum Occami in centiloquio, concl 62. *Christus*, inquit, *secundum existentiam divinam non est filius Dei.* Ipsi secum habitent, & Occamum suum explicent.

Pag. 460. *lin.* 31. Adde eundem *Whittakerum in Defensione c. Guliem: Raynoldum, ad præfat.* §. 14. 15.

Ad *disp. de neces. & util. dogm. de Trinitate pag.* 485. *lin.* 29. Adde precationem *Nathanis Chytræi ad spir. s. in Viatico itineris extremi pag.* 242. Et precationem ad patrem, filium & spir. s. Steph. Knyghts martyrio in Anglia coronati anno 1555. quam exhibet ibidem *Chytræus pag.* 426. *ex Foxi commentar. rerum in ecclesia gestarum lib.* 4. *p.* 427. edit. Basil.

Ad *disp. de adoratione Christi mediatoris p.* 552. *lin.* 9. 10. Supplementum hoc invenies in *dispp.* nostrarum *volum.* 2.

Pag. 557. *lin.* 19. Eandem fere sententiam tenet *Scheiblerus* theologus Lutheranus *lib.* 2. *Metaphys. cap.* 3. *art.* 3.

Pag. 569. *lin.* 2. Adde *Conimbricenses ad* 8. *physic. cap.* 2. *qu.* 6.

Pag. 587. *lin.* 10. Adde ex recētioribus *Claramontiū l.* 16. *de Universo c.* 12

Pag. 601. *lin. penult.* Et *Majolum colloqu.* 14.

Pag. 601. *Lorinus in comment, ad sapientiæ c.* 16. *p.* 555. de salmandra in eundem fere modum autorum, (quos quamplurimos ibidem citat:) sententias conciliat. Idem fere & luculenter agit *Lælius Bisciola in horis subcesivis cap.* 1. Qui uterque videri potest.

Pag. 628. *lin.* 19. Adde *Fr. Paduani tract. de Ventis, & terræ motu*, in fol. *Ibid. lin.* 20. Habet etiam nonnulla *Ioh. Manelphius in disp. Urbanis ad* 1. *sect problem. Aristot.* Et plura *David Christiani lib.* 2. *Geograph. in appendice.*

Pag. 644. *lin.* 21. *Ioach. Vadianus in epistola ad Rud. Agricolam Rhætum*, quæ subjecta est *ipsius commentariis in Melam.*

Pag. 645. *lin.* 9. Inter Geographicos illos *Ioach. Vadianum epistol. id præced. probl. citata.*

Pag.

*Pag.*646.*lin.*2.à fine.*Salmuthum ad Novè reperta Pancirollæ tit.*1.*per totum.*

*Pag.*650.*lin* 4.à fine. Inquirit etiam in incrementa Nili *Magius lib. miſcellan.cap.*10. Et *Geographus Arabs Nubienſis p.*98.edit.lat. Et complures alii. Sed omnibus exhauſtis & collectis omnes alios hic ſuperarunt *Ioh.Bapt.Scorcia* & *Frid.VVendelinus modo indicati.Ibid.lin.*10.Et, *Iulii Cæſaris Recerpiti nuncius de Veſuviano incendio.* Et *Voſſius lib.*2. *cap.*68. *Ibid.lin.*21. Imprimis etiam *Majolus colloq.*10.11.12.13.

*Pag.*651.*lin.*19. Tantum adde *Henricum Heers* Medicum Eburonem qui nuper ſcripſit *de Acidulis Spadanis. Ibid.lin.*27. Quibus adde *Petr.Meſſiam part.*2.*variar.lection.c.*24.25.

*Pag.*662.*lin.*9.à fine. Balſami cognitio ad faciliorem locorum quorundam ſcripturæ explicationem faciet. De *vite* & *vino* idem dicendum. Exſtant tract.*Grataroli de vino & omni potabili*; & *Canonhieri de admirandis vini virtutibus*; & *Theologia de Vite viniſera.* Ex antiquis conferri poteſt *Athenæus lib.*1.*&* 2.

*Pag.*665.*lin.*22. Huc pertinet contemplatio Euripi, ſeu ponti Euxini. Sed contra illa quæ de ſeno fluxu & refluxu ejus vulgo apud autores occurrunt, dubium merito moveri poſſet, an non ad fabulas phyſicas referri debeant. Certe *Gyllius in Boſphoro Thracio lib.*1.*cap.*4. teſtatur ſe diligenter in hanc narrationem inquiſiviſſe, & didiciſſe ex molitoribus, qui frequentes in ejus littore, nonniſi bis de die (naturali ſcil. 24.horarum) affluere & bis refluere: ſed ſubinde certum hunc curſum non ſervare. Addunt alii impetuoſum eſſe ejus fluxum. Sic Thomaſo Porcacchi in deſcriptione celebrium Inſularum. Livius dubium hoc tollere videtur: *Non ſepties die (ſicut fama fert) temporibus certis reciprocat, ſed temere in modum venti, nunc huc nunc illuc verſo mari velut monte præcipiti devolutus torrens raptur.* Sed Gyllius loc.cit. intercedit: *Equidem*, inquit, *in Chalcidem cum veniſſem, Livii ſententiam probare non poteram, cum nullo flante vento certis temporibus contemplarer modo ferri ab ortu ſolis, modo ab occaſu, tanto impetu, ut ventos contrarios & plena navigia contra navigantia ſecum aſportaret, molaſque multas ab eo verſari vidi aliquot horas ab ortu ad occaſum ſolis, aliquot ab occaſu ad orientem.* Videtur ex motus irregularitate, quæ ſubinde contingit, Et perpetua impetuoſitate enata eſſe vulgata opinio de ſeptuplici ejus fluxu. Certe ex recentioribus Anton. Maginus in Geograph. Ptolomæi, ultra incertam famam nihil agnoſcit: *Velocis ac varii fluxus eſt mare ibi quater in die, aut ſepties (ut alii dicunt) reciprocantur æſtus.* Boterus in relationibus multo apertius, quater affluere & refluere, *quāvis communiter dicatur ſepties* &c. Et ex antiquis *Strabo*

nihil certitudinis ostentat, cum ait ὡς φασι. *Pausanias in* luculenta sua *Græciæ descriptione* ejus non meminit, nec *Thucydides in sua historia*, ubi tamen frequens Eubœæ mentio occurrit.

Ibid. lin. 29. *David Christiani*; qui *lib.* 2. *syst. Geographici cap.* 12. 13. 14. quindecim opiniones recenset; & omnibus aliis rejectis tanquam falsis, quod illis positis æstus non semper actu ponatur, nec sublatis tollatur; ultimam tanquam magis communem & probabilem admittit: quod scil. luna per incrementum & decrementum luminis sui, aut per motum localem supra horizontem, aut per naturalem sympathiam aquas marinas alterat, & sic æstum concitat. Rationes ibidem adfert, & suffragia autorum; insuper objectiones solvit, & ad problemata quædam, quæ hypothesin aut consectarium hic faciunt, respondet.

Pag. 670. *lin.* 3. Confer *Ionstoni Thaumatograph. classi.* 2. *cap.* 1. *art.* 5.

Pag. 671. *lin.* 4. De lucernis ejusmodi in sepulcris testatur etiam *Lazius l.* 3. *de Republ. Romana cap.* 18. Et *Ulysses Aldovrandus ornithol. l.* 2.

Pag. 696. *lin. ult.* Vide eundem *Benjaminum p.* 214. edit. hebr. lat. l'Empereur in 8.

Pag. 703. *lin.* 19. Ex *Medicis Valerius Martinius* Medicus Venetus *libr. duobus de colore, luce, lumine &c.* Adde *Thomam Bartholinum de luce Animalium.* Attingunt hæc etiam suo modo scriptores de Visu, &c. de oculo, quales *Fortun. Plempius*, *Fabritius ab Aqua pendente.*

Pag. 718. *lin.* 2. Adde *Pareum in Ex-ercitat. p.* 70.

Pag. 719. *lin.* 4. à fine. Adde *Mouseti theatrum insectorum*, Londini ann. 1634. Sed imprimis physica de locustis Theologo cognoscenda, ad explicationem locorum scripturæ *Matth.* 3. *Joel.* 1. & 2. *Levitic.* 11. 21. 22. Vbi post *Bezam ad Matth.* 3. supra omnes alios (quos ego vidi) manuductionem & indicium autorum præstant *commentar. Cornelii à Lapide, ad loc. cit.* Et *Vossius lib.* 4. *c.* 78.

Pag. 723. *lin.* 11. à fine. De pellicano vide etiam *Vossium l.* 3. *c.* 80. 83. 84.

Pag. 724. *lin.* 7. Vide etiam fabulam phœnicis refutatam à *Vossio lib.* 3. *cap.* 99. & *Franzio.* Ego inter rationes ab illis, & *Nierenbergio* ac *Cordua loc. modo cit.* aliisque allatas, ex theologiæ armamentario duas illas imprimis urgerem. Quarum una, quod hac ratione resurrectio mortuorum, seu regressus à privatione totali ad habitum statuatur naturalis; & quod consequenter propria fides ac spes Christianorum hac fabula non leviter oppugnetur; tantum abest ut per eam stabiliatur. *Altera* ratio est, quod hæc successio Phœnicis, per traducem cinerum aut carnis putrefactæ repugnet benedictioni *Genes.* 1. 22. peculiariter avibus factæ. Nec excipi potest, cineres illos, aut putrefactam phœnicis mortui carnem,

nem, esse putrem materiam unde vi solis aut influentiarum cœlestium novus phœnix generetur: quia hoc in insectis secundum legem naturæ locum habere posset, sed non in animalibus perfectis, immo perfectissimis, qualis phœnix esse dicitur. Atque hinc colligimus ignorantiam & multiplicem ἀβλεψίαν plerorumque patrum in rebus non tantum pure scripturariis & theologicis, sed imprimis etiam philosophicis & historicis. Sed omnes omnium fabulas & nugas superavit Pseudo-Clemens lib. 5. Constitut. apostolicar. cap. 7. ubi ait, eum *quingentesimo quoque anno in Ægyptum ad aram solis &c. volare, exstantem ad orientem, ut ajunt, solem precari, & sponte incendi atque in cinerem redigi.* Quamvis autem epistola ad Corinthios sub Clementis nomine nuper in Anglia edita, tam late fabulam non extendat, non potest tamen ab ignorantia & absurdo atheologico excusari, nedum ut in canonicis aut quasi canonicis scriptis numerari debeat. Phœnicem enim pro verissimo resurrectionis argumento haut obscurè adhibere videtur: uti hoc olim in ipso reprehensum, apud *Photium in Myrobiblo, lib. seu tract. 126.* Vossius loc. cit. Clementem excusaturus observat, illo tempore fuisse hanc communem de phœnice opinionem. Præterea non esse necesse credere, Clementem scripti ecclesiastici autorem *omnia naturæ arcana sciviſſe: cum ne quidem de apostolis id credere opus sit.* Nam illud Iohann. 16. 13. *restringendum esse ad veritatem earum rerum, quæ ad salutis negotium pertineant* &c. Sed nos priori consideratione nunc præterita, ad posteriorem respondemus: Pertinere ad autoritatem scripturæ, ut credamus scriptores θεοπνεύστους religionē viva voce aut scriptis infallibiliter docentes, nunquam argumenta ad probandum, aut similitudines ad illustrandum à rebus naturalibus duxisse, ut in ἰσοτίαν physicam, aut rei veritatem impingerent. Vide & confer *disp.* nostram *de Autoritate scripturæ.*

Pag. 725. *lin.* 26. Et forte jam inde à majoribus Gentilibus primo illud promanavit: qui sacrum quid in ciconiis statuebant, ut notat *Dalecamp. ad Plinii lib.* 10. *cap.* 23.

Pag. 728. *lin.* 2. à fine. De pegoso vide *Vossium lib.* 3. *c.* 99. *Ibid. lin.* 23. Et *Vossium lib.* 4. *cap.* 66.

Pag. 732. *lin.* 13. Ex theologis nostris *Ioh. Iacobus Grynæus disp. theologicis* inseruit epistolam de unicornu. Videtur etiam vulgo dictus monoceros defendi à *Scaligero Exercit.* 205. Sed historiæ & experientiæ ibi fere nullæ comparent, præter testimonium unius Lud. Vartomanni, qui duos vidisse se dicit.

Pag. 733. *lin.* 8. à fine. Adde *Scaligeri Exercit.* 186. Sed rectius id negabat Cardanus; quem defendit *Vossius lib.* 4. *c.* 59. Quem vide.

*Pag.*734.*lin.*5. *Idem lib.*4.*c.*56.*Ibidem lin.*10. Idem *Vossius lib.*4.*cap.* 63.*Ibid.*à fine. Et de Elephantis notas *Davidis Hoeschelii ad Origenem c.Celsum pag.*488.

*Pag.*736.*lin.*6. à fine. Vide etiam de bombycibus *Franc. Fernand. da Cordua in didascal.multipl.c.*7. De muscarum reviviscentia alterutrum similiter statuendum. Item de hirundinum hyeme in fundo arundineti delitescentium. Si de echino, quod refertur, à *Plinio lib.*11.*c.*36.fabulosum non sit, dici posset animam divisibilem esse, & partes dissectas etiamnum animatas uniri. Sed malim credere, esse fabulam.

*Pag.*688.*lin.*9. Adde *Bellonii observationes rerum memorabilium in Græcia, Asia &c.*

*Pag.*740.*lin.*1. Et *Iosephus à Costa in descriptione novi orbis lib.*7.*cap.*3. Et ex eo *Iohannes de Laet in notis ad dissertationem Grotii de Origine Gentium Americanarum p.*82.coll.cum *p.*202.ubi refert etiã hodie in variis partibus Americæ reperiri homines, qui nostri orbis homines proceritate multum superant. Et anno 1586. Mexicę in sepulcro gigantis repertum dentem molarem, qui superabat pugnum humanum. Idem *A Costa lib.*1.*c.*7. refert in Peruvia multam memoriam esse gigantum quorum adhuc ossa deformis magnitudinis reperiantur juxta Mantam & Porto Vieyo, qui triplo proceriores fuerunt, quam hodierni Indi.

*Pag.*742.*lin.*5.à fine. *Vossius lib.*3.*c.*99. conjicit gentis Arimasporum in Schytia fabulam inde ortam, quod Schytæ optimi cum essent sagittarii, in collimando uno uterentur oculo, altero clauso.

*Pag.*746.*lin.*7. Et *Scaliger in commentar.ad Aristotelem de animalibus*, ubi de fœminis marinis. Et *Vincentius Cartarus de Deorum Imaginibus.* Et *Fortunius Licetus de monstris cap.* 86. ubi etiam alii autores ab illo citantur.

*Pag.*746.*lin.*9. *Annales & historiæ Belgarum* scriptæ *à Iohanne à Leidis, Reinero Snoio, Ioh.Reigersbergio, Iacobo Mejero, Vincentio Sifrido.*

*Pag.*747.*lin.*18. Adde *P. Zacchiam in quæst medico-legal. lib.*1. *tit.* 3.

*Pag.*748.*lin.*11. Inter Iureconsultos imprimis operosè de abortivis agit *Alphonsus de Caranza* I.C.Hispanus *tract. cit.* Cum quo jungẽdus *Zacchias lib.*1.*quæstion.Medico-legalium tit.*2.*quæst.*10.

*Pag.*751.*lin.* 22. De abortuum & monstrorum resurrectione agit *Augustinus in Enchiridio cap.*85. 86. 87. Quem vide, cum *commentar. Danæi.*

*Pag.*753.*lin.*5. De Strigibus & Harpyis Vide *Vossium lib.*3.*c.*99.

Pag. 754. *lin.*28.De mediis animalibus inter homines & bruta, quod

scri-

scribit *Albertus Magnus* citãte *Vadiano in epistola ad Agricolã, cum comment. ipsius ad Melã* edita Ff. 3. ad fabulas naturales referendũ judicamus. Verba Alberti apud Vadianum (ipsum enim Alberti librum non vacat inquire & inspicere) sunt ista: *Pygmæi ergo, ut ad institutum revertamur, quos Augustin. c. octavo, lib. 16. Civit. Dei. Græcis à cubito, quemadmodum Eustathius, nomen obtinuisse ait, Spithamæi, id est palmares, ob miram eorum brevitatem, tres dodrantes non excedunt. Græcis certe πυγών cubitus dicitur. Horum illustres scriptores persæpe meminerunt quadam tamen situs diversitate. Nam cum eos inter Indiæ gentes Plinius censeat, Pomponius l. 3. in ea ponit Arabiæ parte, quæ ultra sinum Arabicum in Æthiopiam vergit. Strabo lib. decimo septimo in iisdem locis fuisse creditos quidem, sed confictos existimat: hinc occasione fictionis ducta, quod in interiori Æthiopia, qua extima ejus terræ inhabitari videbantur, omnia ferè animalia exigua provenire compertum sit. Contra vero Philostratus, qui lib. 3. ait, Pygmæos sub terra degentes, supra Gangen posita loca incolere, & vivere non vanum esse. Cui cum Aristot. in eo quod specus habitari ab eis ait, convenit. Albertus lib. de animalibus 21. esse & vivere eos quidem, humanæ tamen rationi exactum usum habere negat: Eamque ob rem c. 3. l. 1. eos homines sylvestres nominat, aliquid nostræ naturæ habentes in quadam, ut ait, deliberatione, & cap. 4. 2. tract. 1. l. Simiam & Pygmæum hominis similitudinem habere inquit, Plin. cap. 11. 4. & Solin. in Thraciæ descriptione ad Geraniam urbem juxta Hæmum, & Strymonem Pygmæos creditos fuisse, Catizos barbaris dictos, & gravis pulsos ait. Nostri quam eleganter de ipsis Iuven. & Gel. scribant.*

Pag. 739. lin. 33. Imprimis *Rainoldum prælect. 234. in libr. apocr.*

Pag. 742. lin. 26. Quos *Geographus Arabs*, & *Olaus Magnus loc. cit.* in inferiori recessu Iagog & Magog seu Cathaię homines esse dicunt: eos *Athanasius Kirckherus in Copto prodromo c. 4. p. 95.* suspicatur esse cobalos & munculos seu virunculos (quos vocant) montanos: de quibus *Agricola lib. ult. de Animalibus subterraneis.* Sed alia forte conjectura fabulæ Pygmæorum adferri posset. Ex libro Iovii de legatione Moscovitarum, cum dicit: *Ultra Laponas in regione inter Corum & Aquilonẽ perpetua oppressa caligine Pygmæos reperiri, aliqui eximæ fidei testes retulerunt, qui postquam ad summam adoleverint, nostratis pueri denũm annorum mensuram vix excedant* &c: Laponos seu Lappinos seu Pilappios plerosque esse brevis staturę si verum sit, uti refertur, forte nimium amplificata hæc brevitas occasionẽ dedit historiæ Pygmæorum. Cõcludo verbis Raynoldi in 254. prælect. ad libros apocryphos p. 1507. cum de Pygmæis & prodigiosis gigantibus egisset: *Verum istiusmodi portentosæ fabulæ miro artificio Satanæ excogitatæ sunt ad varios errores seminandos. In quo parum sibi caviisse videntur scripto-*

res Christiani, qui nimia credulitate fabulosa istiusmodi pro veris memoriæ commendarunt, quæ tamen possent ex circumstantiis historiæ, idque manifestissimis vestigiis redargui. & p.1510. *Verum istiusmodi nugis patefecit viam Philostratus, idque ad artificium Satanæ promovendum de quo dixi, ut veteres illi putarentur dii atque heroës, ac pro numinibus ab hominibus colerentur.*

*Pag.*755.*lin.*24. De variis homnibus sylvestribus & incultis proxime ad bestias accedentibus, quamvis ratione prędditis; deque hominibus, qui alterius formæ externæ esse dicuntur, omnia fere collegisse mihi videtur *Majolus in diebus Canicular.colloq.*2. qui videndus.

*Pag.*760.*lin.*25. Sed longe Condrochum præcipuas aliquot quæstiones perstringentem superat *Paulus Zacchias* Medicus Romanus, qui operose hoc egit in *libris quatuor quæstionum Medico-legalium*: quem nuper demum nactus sum. Recusus est liber Lipsiæ in 8.ann.1630.

*Pag.*762.*lin.*15. De Iudæorum, imprimis Saducæorum, & Mahumedistarum sententiis nonnulla lectu digna observat *Theodorus Hacspan in notis ad Nizzachon R.Lipman p.*243-248

*Pag.*777.*lin.*8.Notandum hic Tres esse distinctas quæstiones,quarum *Prima*, An immortalitas animæ sit contra lumen naturale h.e.an ex lumine naturali necessario deducatur, Animam esse mortalem. *Secunda*, An possit lumine naturali demonstrari. Prioris quæstionis affirmativam tenuisse dicitur Pomponatius, aliique philosophi in Italia; quorum opinio hęreseos damnata fuit sub Leone x.in postremo *Concil. Lateran.*, Ad alteram quæstionem negative respondet *Scotus*, *Iandunus*, *Cajetanus &c.* Vtramque opinionem examinat *Albertinus in corollar.theologic.tom.* 1.*p.*87.88.89. Qui videndus,& autores ibidem citati, *Tertia* est, quæ fuerit mens & philosophia Aristotelis. De qua quæstione ibidem *Albertinus p.*89.90.91.92. ubi varias autorum sententias refert; quorum alii *aff.* Aristotelem pro immortalitate stetisse, & quamplurima loca, ex eo adducant. Alii *Negant.* Alii distinguunt, quod ad essentiam animæ in se immortalem ab ipso statui: sed quod ad existentiam, mortalem. Videant ipsum, quibus vacat: Et quæ nos mox eadem hac pag. notabimus. Priores duas quęstiones serio examinandi necessitatem nobis imponunt ex inferis emergętes denuo philosophorum Italorũ superiori & prędecedenti sæculo sepultæ disceptationes. Alibi ergo & alias ex professo & operosius hæc ventilanda, *disp.*scil.peculiari.

*Pag.*790.*lin.*17. Et *Zacchiam lib.* 1. *tit.* 2. *Ibid.lin.*26. Adde inter Medicos *Schenckium in observationibus*, & post illum *Zacchiam in qu. Medico-legalibus lib.*1.*tit.*2.*qu.*8.*p.*195.qui historiam hanc admittit tanquam veram, *Constat*, inquit, &c.

Pag.

*Pag.*791.*lin.*28. *Schenckius loc.cit.*ex Aventino refert uno partu 1514. editos esse. Sed *Zacchias loc.modo cit.* fidem non adhibet; & merito. *Ibid. Picus Mirandulæ* princeps *lib.*1.*Examinis doctrinæ Gentium cap.*16. refert Dorotheam quandam uno partu novem & altero undecim edidisse.

*Pag.*795.*lin.*28. Adde *Salmuthum ad Pancirollæ reperta tit.*10. Post hæc ita excusa autoresque indicatos, nactus sum *tract. Alphonsi à Caranza* IC. Hispani *de partu naturali & legitimo*; ubi etiam multa occurrunt de abortu, de partu numeroso, de monstris, de superfœtatione, de conceptu &c. Et *Pauli Zacchia* medici Romani *quæstiones Medico-legales*: ubi non tantum quæsita de generatione, conceptione, & partu hominis aliisque affinibus, sed & omnia alia physico-medica Anthropologiã spectantia, ad illustrationem tum juris civilis, tum scripturæ & theologiæ pertractantur. Quem post, & supra Condrochum sæpe laudatum studiosis theologiæ commendo, tum propter quæstionum multitudinem; tum propter respectum ad scripturę textus & quæstiones theologicas; tum propter indicium complurium autorum Medicorum, philosophorum, & Iurisconsultorum. Liber apocryphus *sapientiæ c.*7. *v.*2. decem menses gestationi tribuit; ubi vide omnis generis autores quamplurimos de tempore partus à *Lorino in commentariis* citatos. Et pertinere etiam ad se putant non tantum Iureconsulti, sed & theologi disquisitionem physico-Medicam de tempore partus, tum propter alios casus, tum imprimis propter gestationem & nativitatem Christi. De quo vide *Scholasticos ad* 3.*qu.*33. imprimis *Zwarez in* 3. *tom.*2.*disp.*20.*sect. ult.* Et confer *disp.* nostram *de Tempore nativitatis Christi.*

*Pag.*802.*lin.*7. à fine. Adde imprimis *Majoli dies canic. coll.* 2. 3. 4. *& ult.*

*Pag.*803.*lin.*22. Adde, *p.*795.*& paralipom. ad illam pag.* *Ibid. lin. ult.* Adde tract. *Valerii Martinii de qualitatibus totius substantiæ* mox citandum. Et quæ *Vossius l.*3.*c.*68.*& lib.*4.*c.*61. sublegit de remediis adversus venena. Vbi etiam inquirit, in causas antipathiæ Psyllorum & Marsorum. Vide sis.

*Pag.*804.*lin.*26. Adde *Ios. Aramatariis de tract. de Rabie contagiosa* Venet. 1625. in 4. Non pauca etiam de veneno hydrophobico habet *Valerius Martinius* Medicus Venetus in *tract. de proprietatibus totius substantiæ lib.* 2. *c.*3.4.5. De eodem carptim egregia quędam notat *Vossius l.*4.*c.*37. *& l.*3.*c.*72.

*Pag.*806.*lin.*14. Et de Monstris, etiam supra indicata.

*Pag.*808.*lin.*6. Adde *Majolum colloq.*23.*seu ult.* ubi fuse agit de admirandis

randis operibus hominum. *Ibid. lin.* 24. Accedat ejusdem *Cormanni tract. de Miraculis vivorum*: quem video citati à *Paulo Zacchia* Medico; sed nondum librum illum videre contigit.

Pag. 978. *lin.* 8. à fine. *Hieronymus tom.* 2. *ad epist. Avitū* ex Origenis libris περὶ ἀρχῶν illi opinionem de duplici euangelio imponit: quorum alterum sit æternum post hanc vitam in cœlis ad salutem dæmonum prædicandam. De salute dæmonum somniavit etiam Mahumedus: quem eo, nomine perstringit *Cantacuzenus orat.* 3. ex recentioribus *Philipp. Guadagnolo c. Achmedum Persam tract.* 2. *c.* 8.

Pag. 1001. *lin.* 21. Adde *Binsfelsium* officialem Trevirensem in tract. de *confessionibus Maleficarum, prælud.* 12. *& dub.* 1. *&* 2.

Pag. 1018. *lin.* 13. Sed omnes, qui post omnes Medicos modo cit. de hac materia scripsit, superat *Zacchias* Medicus Romanus *in quæst. Medico-legalibus lib.* 2. *tit.* 1. *qu.* 18. quem voluissem ante relectas & recusas Theses meas mihi visum fuisse.

Pag. 1034. *lin. ult.* Historiam Nicolę in oppido Vrevino in Veromanduis in Gallia, oppugnatam libello anonymi (religionis reformatæ addicti), ex professo defendendam sumit *Barthol. Fayus* Regius in Senatu Parisiensi consiliarius, in tract. quem hac occasione scripsit; cui tit. *Energumenicus.*

INDEX

INDEX RERUM

MAXIME OBSERVANDARUM

In primà parte disputationum Theologicarum.

A

Abortus procuratio an sit homicidium, 748.

Abortivi fœtus an sint homines, & noviſſimo die reſurrecturi, 747.

an ab accidente ſine implicatione abeſſe poſſit inhærentia in ſubjecto, 420, 421.

Actio injuriarum an inſtitui poſſit adverſus reformatum theologum aut philoſophum qui abſurdam alicujus philoſophiam aut theologiam atheiſmi conſequentiis gravat, ut incautos tanto melius præmoneat, 181.

an in judicio publico injuriarum comdemnari debeat, ſiquis puro mentis errore aberraret in novis & periculoſis philoſophematis; præſertim circa Theologiam naturalem per abſurdas ſcepticiſmi, atheiſmi conſequentias revincendis; ita ut illæ conſequentiæ aut omnes, aut partem aliquam ſive revera & in ſe, ſive judicio particulari unius atque alterius præjudicio laborantis aut theologi non ſatis ſolide, ſaltem non ſatis evidenter concluderent, 182.

an in caſu intentati per conſequentiam atheiſmi æque permittenda non eſſet heterodoxis pariter & orthodoxis, ac in caſu intentati furti, adulterii, perjurii &c. 183.

an reformatis theologis enormiter diffamatis competat in libertinum aut pontificium libelli famoſi authorem, & tribunalia reformata hanc cauſam ad ſe delatam ex æquo & bono terminare debeant, non obſtante quod pontificius conqueratur ſuam doctrinam vicißim ab illo diffamatam, 185.

Actionem injuriarum an poßit fundari privata ſuſpicio & metus de alicujus inclinatione ad Atheiſmum quem quis amico privatim ad neceſſariam cautelam aut mali præventionem aperit, 186.

Actiones Dei ſunt 1 *ad intra & ad extra &c.* 239, 403. 2 *perſonales & communes*, 403. 3 *immanentes & emanantes*, ibid.

Actiones humanæ in externis quibuſdam ad vitam hominis animalē & civilem converſationem pertinentes ſecundum legem moralē ſunt menſurandæ, 395.

Adamus non fuit obligatus ad impoßibile ante lapſum, 393.

Adami corpus quomodo creatum fuit, & ex qua terra, 780. *anima à Deo immediate fuit infuſa*, 780. *ſomnus qualis fuerit, ordinarius, an extraordinarius*, 781. *coſta ablata, fuit reſtituta cum carne*, 781. *anima non fuit tempore prior compoſito*, 782. *coſta quomodo eximi potuit ſine ſenſu doloris*, 782.

Adeps an anima informetur, 771.

Adiaphorum an omne illud poßit dici quod

quod & quin non sit semper & absolute observatu necessarium, ita oppositum ejus aliquando à Deo mandari, & homine sine peccato fieri possit, 396, 397.

Adorabilitas distinguenda ab adoratione, 522.

Affligere creaturam innocentem an pos. sit Deus sine demerito, 384. *an infernalibus cruciatibus*. 392.

Ἄγνοια Dei actualis est triplex 1 *negativa* 2 *privativa quæ duplex* 3 *contraria, quæ rursum exterior vel interior*, 151.

Agur filii Jake dicta an & quomodo fuerunt authentica, 42.

Amphibia an 5 *die creata*, 720.

Angelus malus vide Dæmon.

Angelum Custodem singulis hominibus, aut saltem fidelibus datum refutatur quinque argumentis, 900. & seq. *objectiones indicantur* 904. *porismata educuntur*, 904.

Angeli an specie differant, 882. *an officiis & gradibus distinguantur*, ibid. *quomodo officiis distinguantur nullo modo sciri potest aut investigari debet* 882, 883 *Tutelares à Pontificiis distinguntur in universales, & particulares*, 897.

Angelorum protectionem, & custodiam non negat Calvinus, 900. *ordines & chori secundum Pontificios explicantur*, 883, 884, 885. *refutantur*, 885, 886, 887. *objectiones adversariorum indicantur*, 893, 897. *de Angelorum choris vanæ & curiosæ disputationes, ac determinationes pontificiorum*, 888 889, 890, 891, 892.

de Angelis qui scriptores consulendi, 882 *Custodibus quæ tanquam indubitata docent Pontificii*, 897, 898.

Anima recte dicitur Spiritus, 762. *non est accidens, crasis, corpus &c.* ibid. *non pars Dei*, ibid. *est vera & substantialis hominis forma*, 762. *sua cuique est singulis hominibus*, 763, 781. *una tantum est in singulis hominibus*, 764, 765. *est tota in toto & tota in qualibet parte*, 767. *an sit in spiritibus, sanguine, semine, lacte, capillis &c.* 769. & seq. *per lapsum hominis non est mutata essentialiter*, 776. *est immortalis ex propria sua natura*, ibid. *an ejus immortalitas ex lumine & ratione naturali demonstrari possit*, ibid. v. 777, 778. *est substantia purè spiritualis*, 778, *est simplex*, 779. *non est divisibilis, non defatigatur nec senescit, nec dormit*, 779. *anima & Spiritus non differunt in homines realiter*, 813, 814. *anima & mens differunt*, 815. *an sit homo*, 847. *an pars Deitatis*, ibid. *an corporea aut materialis*, 848. *an & quomodo simplex*, 848, *an sequatur temperamentum corporis, an vero hoc animam*, 849. *an mundo aut saltem cœlo insit*, 851. *&c. hominis est una*, 1093. *multiplicatur pro multiplicatione suppositorum*, ib. *non est pars divinæ essentiæ*, 1094. *non migrat de corporibus in corpora*, ibid. *non est ex traduce*, ibid. *à Deo creatur & creando corpori unitur*, 1095. *una non tribus animabus successive informatur Embrio*, 766.

Animæ facultates sunt in singulis partibus corporis, 768.

De Anima quinam scripserunt, 761 762.

Animæ omnes sunt æqualis perfectionis substantialis, 775. *non exstiterunt ante corpora sua nec creatæ in principio*, 796, 827. *sunt per immediatam Dei operationem, seu creationem ex nihilo, non vero per traductionē*, 797, 798, 799, 800 & 818. *usq; ad* 825. *rationales non sunt divisibiles*, 816. *non producuntur à Deo ministerio Angelorum*, 817. *sed immedia-*

mediate à Deo, 817. *non fiunt ex substantia Dei*, 817. *non ex alieno corpore humano, aut belluino transmigrant*, 825. *non fuerunt ab æterno creatæ*, 826. *quo tempore infunduntur corpori*, 827, 828, 829, 830. *cum earum immortalitate nullo modo consistere potest status quidam non existendi propria existentia, saltem ad tempus aliquod quod terminetur à morte & resurrectione hominis*, 831. *post separationem à corpore usque ad resurrectionem non dormiunt, sed aut afflictiones, aut gaudia percipiunt*; 832, 833, 834. *facultates duæ*, 835. *defunctorum corpora non intrant nec possident*, 1025, 1026.

An animal aliquod vivat aut generetur in elementò ignis, 728.

Animalium terrestrium species, 726. *an omnes productæ sexto die* ibid. *an producta animalia, quæ generantur ex putri materia*. 727.

De Animalibus Scriptores, 719.

Anna mater Samuelis an fuerit Ἐγγαστρίμυθος, *ejusque canticum, quod habetur* 1. *Sam.* 2, 42.

Anthropologiæ universæ accurata delineatio, 802. *usque ad* 808.

Antichristus an sit futurus atheus, 168.

Antidota generalia adversus Socinianos 434.

Antipodes an sint, 645.

Apostoli exotica Poetarum &c. applicarunt ex immediata & infallibili revellatione & directione Spiritus S. 44. *non fuerunt infallibiles ante accepta dona Spir. S.* 47.

in Apostolis singulis an post pentecosten cognitio actualis æqualiter se extenderit, 43.

Aqua an sit calida, an frigida, an neutra, 652

Aquæ supra expansum sunt nubes, 625, 626. *an sint aliæ quam meteorologicæ*, 628.

Aquarum congregatio in unum locum an & quomodo facta fuerit, 632, 633, 934, 635.

Aquatilia plura an & majora quam terrestria, 722.

P. Aretinus magnus atheismi doctor, 206.

Articulus fundamentalis vide dogma necessarium, 468.

Atheus vel catachrestice aut æquivoce sic dicitur tantum, 115. *vel est revera talis, qui describitur*, 116. *varie appellatur, ubi indicantur synonima hujus vocis*, 116, 117. *dici potest indirecte practicus & speculativus*, 142. *directe externè disputans, contradicens, negans, interne, ignorans, dubitans, opinans, certitudinem affectans*, 142, 143.

An sint Athei hoc est homines qui non credunt esse Deum, 142, 143. *Speculative nulli sunt athei, qui certo persuasi sunt non esse Deum*, 143, 144. *&c. an dici possint omnes homines athei propter naturæ suæ corruptionem, quamdiu non convertuntur*, 167. *speculativi atheismum profitentes & spargentes in remp. an admittendi & in ea tolerandi*, 179. *an possint & debeant à magistratu coerceri & quomodo*, 179. *politici reliquos atheos numero vincunt*, 189. *an athei fuerint Diagoras Milesius, Melius Protagoras, Theodorus &c. qui inter omnes atheos antiquos celeberrimi habiti sunt*, 197. *Julianus Apostata*, 197. *Pomponatius*, 197. *Bonaventura de Periers, Cardanus* 198. *Nicolaus Taurellus*, 200. 199. *Julius Cæsar Vaninus*. 202. *Paulus Jovius*, 204. *Joh. Casa*, 204. *Petrus Aretinus*, 205, 206. *Cremoninus Philosophus* 206. *Politianus, Hermolaus Barbarus, Muretus, Lipsius*, 206, 207. *Erasmus*, 207. *Fran. Rablesius*, 207. *Epicu-*

picurus,207.
Atheorum infelix & ignominiosa mors, 135.
contra Atheos bibliotheca, 210. *convincendi methodus*, 212,213.
Atheismus dividitur Primo *in participatum*,118.*& proprium qui vel directus, vel, indirectus, estque vel practicus*, 118. *vel theoreticus. qui iterum primarius*, 119. *secundarius*, 120. Secundo *ex causis*, 120. Tertio *ex subjecto*, 121. Quarto *ex adjunctis, statibus & vocationibus hominum*, 121. Quinto *ex quantitate.* ibid. *Dividi etiam potest in crassum*, 121. *subtilem ac palliatum & subtilissimum.qui indirectus aut participatus: ille est internus & secretus in cogitationibus hominum*, 122. *vel externus seu oralis, qui vel magis theoreticus, consideraturq; collective vel sigillatim*, 123. *vel magis practicus, in genere omnium formalistarum, & crassorum hypocritarum*, 123. *in specie machiavellicorum & pseudopoliticorum*, ibid. *avarorum, fœneratorum, voluptuariorum*, 124.
Atheismus an semper coercitus & punitus fuit, 188. *quomodo exstirpandus & profligandus: hic adhibenda prophylactica & antidota tum publica, tum privata*,209.*&c. distribuitur* primo *in eum qui fuit,ante natũ Christum estq; ante Diluvium,post diluvium*,215.*post natum Christum primis seculis, intermedia ætate & sequioribus seculis*,216. deinde *secundum factiones religionũ*, 216. tertio *secundũ nationes, estq; vel in Italia*,219.*Hisp.*218,*Gall.* 219,220. *Polonia*, 221. *Anglia*, 221.*Germania*, 222.*Dania*,222. *Belgio*, 223,224,226. *an atheismus expeditissime detegi ac profligari possit, si viri cætera honorati & in dignitate constituti, veramque religionem profitentes, hominibus atheismi sive indirecti sive directi & participati vulgo suspectis familiariter utantur,eosque in cœlum evehant,quin & causam eorum contra veritatis & pietatis zelotas pertinaciter defendendam suscipiant*, 181. *an non sit crimen capitale, æquiparandum gravissimis sceleribus, immo omnia delicta publica rebellionis,proditionis &c. longe excedens & politicam infamiam, ac supplicium capitale attrahens*, 184. *atheismus an aliquo colore nostræ religioni adscribatur*, 189,195.*an Socinianis & similibus antitrinitariis*, 189,194.*an Papatui*,192.*an Libertinis, Enthusiastis, præsertim Henrici Nicolaitis & David-Georgianis*, 194.
Atheismi & Atheorum meminit S. Scriptura, & Theologi passim 114, 115. *distinctio in speculativam & practicam an sit legitima*, 166. *gradus aliquis, an possit cadere in electos nondũ actualiter vocatos*,167 *causæ principales*,125. *impellentes & adjuvantes quæ vel internæ tum communiores*, 125. *tum speciales in intellectu*, 126, 127. *voluntate*, 127. *actionibus*, 128. *vel externæ instrumentales*,130,135. *& impulsivæ, improprie dictæ, quæ tales per accidens*, 129. *proprie dictæ, & quæ per se sunt tales*, 130. *ad causas adjuvantes referendi sunt prætextus speciosi quibus atheismi mysterium peragitur.*, 131, 132, 133, 134.*adjuncta concomitantia, & consequentia*,135, 138. *Signa*, 138, 139: *cognata*, 139. *pugnantia*, 140. *antecessores in papatu sunt clerici & theologi,præsertim Jesuitæ*, 1148.
Atheismi consequentiis disputando urgere homines Deitatem non negantes, immo aperte Deum profitentes, insuper formam aliquam religionis publicæ in Ethnicismo, aut Mahumedismo, aut Judaismo, aut etiam in Cari-

Christianismo, nominatim in Papatu exercentes non est illicitum, 1149, *usque ad* 1158.
Atheismum fugere & detestari debemus totis viribus, media in dicantur, 208. *indirectum aut tantum, aut ut plurimum, intelligunt Theologi antagonistæ Atheorum*, 1147.
ab Atheismo an quis converti possit, 167.
quinam Atheismorum vocibus aliquem mortalium, saltem confitentem aliquod numen, urgeri non ferunt 1149.
Ἀθεότης *an sit minus malum, quam* δεισιδαμονία, 198.
Ατοποφανῆ & ἄλυτα *in scriptura quinam jactent*, 48. *antidota varia contra illa*, 49, 50. *inter quæ tutissimum & optimum si genuinis interpretationibus adhibitis aut quæsitis locorum istorum authoritatem & integritatem vindicemus*, 50, 51.
Attributa Dei dividuntur in primi generis & secundi generis 226, 246. *sunt ipse Deus, nec realiter inter se differunt*, 233, 234. *quomodo inter se distinguantur*, 233.
Avari sunt athei, 124.
Aves ex qua materia productæ, 720.
Αὐτὸς *vox varias habet significationes*, 449.
Αὐτοθεὸς *vox apud Patres exstat. à scholæ Platonicæ consuetudine profluxit*, 442. *ejus usus & sensus*, 443, 450. *Dei filius est* αὐτοθεὸς *quod contra Origenem, Arrianos &c. statuerunt Orthodoxi Patres*, 444. *idem probatur*, 446, 454. *&c. fontes solutionum*, 461.
Axiomata practica, quæ lumine naturali innotescunt, non sunt juris divini naturalis, 346.

B

Basiliscus an sit, 732, 733.
Batsabe matris Salomonis dicta an authentica, 43.
ברא *quas habeat significationes, & an semper ex vi suâ & per se denotet productionem rei ex nihilo*, 553, 554.
Blasphemia est palliata vel aperta, 135.
Blasphemiæ pœna, 179.
de Bombycum reviviscentia quid statuendum, 736.
Bona ecclesiastica usurpantes athei insigniuntur, 119.
Bonaventura de Periers an Atheus, 199.
Bruta an ratione prædita, 718. *quomodo perfecta, imprimis reptilia, terrestria &c. in novum orbem ante & post diluvium pervenerant* ib. *an utantur sermone*, ibid. *an ex* 4 *elementis producta*, ib. *an quævis generatione producantur*, 719. *omnis generis an intra sex dies sint creata*, 719. *an sint in cibum data à primâ rerum creatione*, 719.

C

Calor an proprium internum ignis, 709. *an possit ab igne separari*, 709.
de Calore quæ habeat scriptura, 708.
Calumniæ omnes, nominatim adversus religionem qua ratione abstergi solent, 1122.
Campanella an Atheus, 201.
Canonici homines voluptuarii, 124.
Capilli an sint animati, 769. *an sint pars corporis*, 772. *& seq.*
Cardanus an naturalium Atheorum numero eximendus, 198.
Joh. Casa an atheus & quid de eo judicandum. 204, 205.
Centauri, sylvani, fauni &c an fuerint homines, 752.
Chameleon an solo aëre pascatur, & quoscunque colores induat, 736.
Chaos seu confusa omnium naturarum materia non fuit creata primo die, 600.
Christus sub quo formali adorandus, an qua mediator? hujus problematis

1. occasio 520, 540. &c. 2 explicatio, & terminorum præcognitio, 521, 522. 3. controversum, 525. 4 determinatio, 529, &c. consensus authorum pro parte negante, 537. 5 momentum & pondus, 544, 521. 6 fontes & occasiones hallucinationum tum in explicatione hujus problematis, tum in defensione partis affirmantis, 548. an & quomodo Christus fuerit & non fuerit in Adamo ita ut à peccato originali imputato & inhærēte immunis fuerit, 1113, 1114

an Christus potuerit assumere humanam naturam peccatricem, 427, 428. an formatio corporis Christi & unio ejus cum anima facta fuit uno instanti, 428.

Christi generationi ex virgine univoce & propie convenit definitio generationis physicæ, 795, 796. carnis originem malè negant Anabaptistæ hoc argumento quod mulieres non habent semen, 801. anima ejus an statim post decisionem seminis à B. virgine formata sit, 830. pro veritate de Christo θεανθρώπῳ antidota generalia adversus Socinianos, 434, 435.

Chymicorum cimiſonum, Hermeticorum recentium, Paracelsistarum, & dictorum fratrum roseæ crucis Superbia & Vanitas, 678, 679, 680, 681, 682, 683.

Ciconias in cibum parare an nefas, 725.

Clementis epistola ad Corinthios nuper evulgata, & quid de eâ tenendum, 103.

Cœlum Empyreum primo die creatum, 598. visibile primo die creatum, 602. constat materia & forma ibid. non est animatum, 602. movetur à propria forma. 604. aqueum sive crystallinum refutatur, 626, 627.

Cognitio Dei naturalis congenita datur, 140. exceptiones atheorum adversus nostra argumenta, 163. &c. explicatur, 141, 142. plane & omnino amitti, aboleri & abjici non potest, quod probatur contra Remonstrantes, 145, 148. fontes solutionum, 148, 153. objectiones Remonstranticæ exhibentur & notis illustrantur, 153. est vel actualis, quæ sæpe abest & aliquo in casu sine peccato, vel habitualis, quæ nunquam abesse debet, nec totaliter abest, 149. an omnis Cognitio eorum, quæ ad vitam humanam, moresque vivendi pertinent possit dici naturalis, 394.

de Cometis qui scripserunt, 826.

Communicatio essentiæ divinæ ad extra est quintuplex, 243.

Compositio Virtualis ex natura Dei non datur in Deo, 237. neque actualis per operationem intellectus nostri, ibid. quomodo definienda, 238.

Compositionis species omnes à Deo removentur, 229. requisita non inveniuntur in Deo, 238.

Consequentiæ atheismi si non satis solide, saltem non satis evidenter concluderent. an propterea in judicio publico injuriarum condemnari debeat, qui illas formavit 182, 185.

Consequentiæ de Deo authore peccati. vide de Deo authore peccati excerpta.

Consequentias à disputationibus nobiscum habendis absurdissime removent Pontificii, 6. consilium adversus imbellis hujus methodi insultus, 11.

qui Consequentiis atheismi periculosam alicujus theologiam ut philosophiam, urgent an tantundem faciunt ac si honestos cives seditionis, rebellionis &c. publice insimulent, 184. quorum philosophemata durioribus consequentiis urgentur, an illico illi philosophi hæreseos aut atheismi in forma accusantur, 188.

Consequentiis in theologia elenctica utendum esse probatur adversus Pontificos

cios IX *claſsibus argumentorum*, 7, 8, 9, 10. *ſcepticiſmi, atheiſmi & libertiniſmi premi poſſunt philoſophemata quibus tuta & trita via demonſtrandi Deitatem ſubmovetur*, 174, 175. *atheiſmi ſi quis abſurdam & periculoſam alicujus philoſophiam aut theologiam urgeat an contra eum actio injuriarum inſtitui poſsit*, 181.

Contradictionis primum principium ipſe Deus, 412. *non tamen ſola Dei voluntas*, ibid.

quænam Contradictionem implicant explicatur IX *concluſionibus* 413, 414, 415. *ſigna indicantur unde quis deprehendat implicari contradictionem*, 415, 416. *An contradictionem implicat ſi adjuncta propria de ſubjecto ſuo negentur*, 416, 417, 418. *item ſi accidens non ſit in ſubjecto*, 420, 421, *ſi proprium unius ſubjecti communicatur alteri ſubjecto realiter diſtincto*, 424. *Contradictionem implicantia in particulari enumerantur ſecundum ordinem diſciplinarum; ac primo in Theologia*, 425. *&c. ſecundo in Metaphyſica & Phyſica*, 430.

An contradictorium prædicatum poſsit ſubjecto conciliari per aliquam diſtinctionem, 424.

an Corpus humanum ſit pars eſſentialis hominis, 757 *an in ſe, aut per ſe malum, noxium, animæ carcer, &c.* 758. *an præſtet reliquis corporibus partium varietate, mutua coordinatione, ſpirituum nobilitate &c.* 758. *an arte medica reduci poſsit ad eam temperiem, ut vita quaſi perpetuetur &c.* 758. *an ſit in homine duplex* 759. *cur magis ſubjectum morbis & defectibus quam aliorum animalium*, 759.

Creatio diſtinguitur in primam & ſecundam, 554. *in completam & incompletam*, 554. *in activam & paſsivam*. ib. *à concreatione*. ibid. *active ſumpta explicatur*, 565. *non eſt formaliter volitio divina*, 565. *eſt actio unica & ſimpliciſsima*, ibid. *eſt actio ad extra & emanativa*, 566. *non ſucceſsiva ſed inſtantanea*, 565. *temporalis*, 568.

Creationi s præſuppoſitum & antecedens 555. *Efficiens*, 555. *Deus ſolus*, 555, 556, 557, 558. *impellens interna*, 558. *ordinatrix*, 556. *executrix*, 558. *exemplaris*, ibid. *finis*, 559. *Terminus à quo* 560. *ad quem*, 563. *Modus qui* X. *adjunctis explicatur* 565. *&c. conſequentia & connexa*, 569. *comparata*, 570. *uſus practici*, 570. *opera primæ diei*, 598, 599, 610, 614, 620, 624. *ſecundæ diei*, 625. *tertiæ diei*, 633. *quartæ*, 689. *quintæ*, 718. *ſextæ*, 726.

Creationem ex præjacente materia factam, qui putarunt. 561.

de Creatione quinam ſcripſerunt ex theologis, 552.

Creatura tripliciter poteſt conſiderari, 571. *quid ſit*, 572. *ſynonima hujus vocis*, 571.

Inter ens creatum & increatum quæ fingantur neutra ſeu media 577, 578.

Creaturæ ſeu entis creati principium internum, 572. *externum*, 573. *affectiones quæ pertinent vel ad exiſtentiam, vel ad operationem, vel ad eſſentiam, ſuntque poſitivæ*, 574. *negativæ*, 576. *comparativæ*, 577. *pugnantia*, 577. *diviſiones*, 580.

Cremoninus Philoſophus qualis, 206.

Crimen falſi quot modis ab authoribus excerptorum committitur, 1129, 1130. 1131.

de Cygnorum cantu emortuali quid ſtatuendum, 725.

Dæmon

D

DÆmon quæ nomina habet in V. & N T. 906. quæ apud profanos scriptores, 907. ficta & falsa nomina indicantur, 908. quod sit probatur sex argumentorum classibus, 909. rejiciuntur qui dæmonas nullos agnoscunt, 909, 910. quid sit explicatur, 911. rejiciuntur hic errores Platonis, Porphyrii, Thalmudicorum & Caballistarum, 911. Hæreticorum, Mahumedis, Enthusiastæ Joh. Boemen, Ethnicorum, Patrum quorundam 913. An Dæmon tētator repulsus relegetur in infernum, nec possit denuo tentare, saltem non eundem, aut ad idem vitium, an speciem fidelium ostentare, eorumque personam mentiri possit, 1008.

Dæmonis causa efficiens quatenus ut diabolus, seu formaliter malus consideratur non est Deus, sed ipse Diabolus, 914, 915. lapsus ejus an & quomodo fuerit possibilis explicatur, 915. rejiciuntur varii errores de ortu Dæmonum, 916. hic quæritur an possit creare Deus Angelum, seu creaturam rationalē quæ sit impeccabilis per naturā sive contra finē & præcepta naturalia, sive contra supernaturalia, 916. causæ finales respectu operantis Dei, 922. non est absurdū quod Deus malos spiritus adhibeat, 923. hinc & usus practici, 923.

an Dæmonem obsidentem liceat interrogare, ut ab illo ea discas quæ faciunt ad ædificationem proximi, 1045.

à Dæmone an & quomodo formari possit sermo hominis, 1028.

Dæmones unde defecerint, 917. qui & quales ceciderint, ibid. quot, ibid. quis ordo & processus defectionis, 918. quis locus, 919. quod tempus, ibid. quodnam genus peccati, ibid. quantum sit peccatum, 920. quænam consequentia hujus peccati, 921. Rejiciuntur hic errores & curiositates, 12. ibid. quo loco habenda que in Homero, Empedocle, Plutarcho &c. de lapsu Dæmonum occurrunt, 922. an lætitiam ex vexatione & victoria hominum, atque adeo levamen cruciatus sui percipiant, 978, 1023. dividuntur in principem & subditos, 979. aliæ divisiones indicantur, 981. curiosæ & incertæ rejiciuntur, 982.

Dæmonum adjuncta 1 ratione mentis negativa duo, 924. privativa tria ib. positiva tria, 926. non cognoscit diabolus certo aut intuitive cogitationes aut volitiones hominum, 924. est Atheus in summo gradu, 927. 2 ratione voluntatis privativa sex, 927. positiva quinque, 928. an & quomodo omnia peccata sunt in Diabolo, 927. an ira & acedia etiam cadat in Diabolum, ibid. 3 ratione potentiæ passivæ tria, 928. activæ sex, 931. Dæmones nec allici, nec fugari possunt qualitatibus specificis mineralium, herbarum, animalium, aut manifestis qualitatibus primis vel secundis e. gr. coloribus, odoribus &c. 928, 939, 930, 931. 4 ratione potestatis, & Dominii in homines, & in ordine ad homines in pleraque alias creaturas sex, 932. Dæmonum operationes considerantur negativè in genere, 933, in specie ubi quæ Dæmon efficere nequit 1 circa Christum, 934. 2 Angelos, ibid. 3 animas separatas, ibid. 4 Hominem in genere quosvis, 935. hic quæritur an diaboli producant homines, 935. an non possint esse saltem instrumenta generationis hominum applicando naturalia agentia passivis, ibid. & 936, 937. an transforment homines in lupos, feles, aliasque bestias & vice versa, 938, 939, 940, 941. an per ecstasin animam ad tempus separant à corpore, 941. an à morbo lætali ad sanitatem

tem, à senecta ad juvenilem ætatem, à morte ad vitam reducant, 942. circa animam humanam ejusque facultates quæ non operatur, 943. in specie circa electos, 944. 5 pure naturalia, 944, 945. positive in genere, 946, 947. in specie 1 circa Christum, 947. 2 Angelos, 948. 3, Animas separatas, ibid. 4 Hominem & quidem totum compositum, ibid. corpus, ibid. & 949. animam, 960. quibus modis illudit sensibus externis, 959. quousq; agit in animam humanam explicatur septem conclusionibus, 961. & quarum antepenultima quod aliqua ratione immediate & directe agat in mentem, non quod attingat intellectum patientem, sed quod immediate intellectui agenti species intelligibiles imprimat per modum objecti, probatur quinque classibus argumentorum, 962, 963, 964. 5 creaturas corporeas irrationales, 966. elementaria corporea movere potest, 967. Elementa prout sunt partes mundi secundum sui totum aut maximam partem non potest mutare, ibid. minores partes potest localiter movere & rarefacere, ibid. circa elementa in ordine ad mixtionem quid possit, 968. quid circa meteora, 969. nec nõ circa perfecte mixta tum animata tum inanimata ib. 970.

Dæmonum attributa orta sunt mimica & impostura, 971. quomodo Personas divinas imitatur & mimicè representat, ibid. & 972. Angelos bonos, 973. pios & fideles Dei servos, ib. præcipui ministri mimicæ Dæmonum fuerunt Poetæ, 974 Impostura Dæmonum ad quæ capita revocari potest explicatur, 975. pugnantia, 977. in Dæmonum pœnis considerantur 1 gradus 2 partes, ibid. 3 consequentia, 978. 4 circumstantiæ, ibid. operationes quæ aliquam cum obsessis habent cognationem, 1032, 1033.

cum Dæmonibus quæ comparentur in scriptura, 976.

de Dæmonibus qui autores consulendi, 984.

Dæmoniacus vide Energumenus.

Decreta Dei sunt ipse Deus, 239. rationes pro sententia negante, ibid. fontes solutionum, 240.

Deus quomodo sit in omnibus rebus, 242. quomodo ad extra communi & essentiam vitam & bonitatem suam, 243. an velit peccatum propter aliud, 1075. an cum autor est pœnæ autor etiam sit peccati illius, quo aliud peccatum punit, ibid. Deus in Scripturâ dicitur peccata, voluntates malas, res & eventus in hoc mundo quæ sine interventu peccati non fiunt & existunt 1 prædefinire, destinare, velle, 2 exequi, producere, facere. 3 mandare quorum ratione necessitas & impossibilitas eventibus & actionibus illis hominum tribuitur, 1133. quomodo hæ eruditiones explicandæ, 1134.

Deum esse an liceat probare disputando, 167. an optime & expeditissime probetur contra Atheos ex revelationibus gemina & certa facilis in V. & N. T, 169-172. an hactenus inventa sit ratio Deitatem contra Atheos &c. defendendi sic ut solide, atque evidenter convicti sint si non passive, saltem active, 172. an probari possit viâ causalitatis seu consequentia ab effecto ad causam, 172, 173. an cognitio sensuum probationi Deitatis inserviat & præsupponatur, & an recte hoc medium cognoscendi Deitatem adhibeatur, 174.

in Deo quotupliciter sint creaturæ, 242.

de Deo autore peccati excerpta 1 unde exhibeant, 1119. 2 quinam ea exhibeant. ibid. 3 qualia exhibeant, 1120. 4 quâ formâ ac modo, 1120, 1121. in quem finem, 1122. quomodo iis re-

ſpondendum, 1122. & ſeq. *qui ſcriptione reſponderunt*, 1123. *an ejuſmodi excerptorum rejectio ſit juſtâ & legitima*, 1124. *quomodo retorſionis methodus adhibenda*, 1125, 1126, 1127. *quomodo directè reſpondendum*, 1129. *an noſtri authores eodem modo, quo Scriptura, Patres &c. vindicantur, poſſunt & debent explicari*, 1134.

Diluvium univerſale naturaliter fieri non poteſt poſtquam ſemel terra ab aquis fuit ſeparata, 639.

Diluvii cauſæ, 658. *effecta*, 659. *Noachici memoria etiam aliqua apud Gentiles remanſit*, 659.

Dionyſius non didicit myſteria de cœleſti hierarchia à S. Paulo, 894.

Dogma neceſſarium dicitur dupliciter, 468, 470.

Dracones an ſint, & quidem alati, 733.

Dubitationem univerſalem de omnibus principiis & veritatibus qui hominibus perſuaſum eunt, ut inſtar raſæ tabulæ cognitionem omnino novam de novo ſibi quærat, refutantur, 176.

ad hunc Dubitationis ſtatū amatori ſapientiæ deveniendum non eſt ad illuſtrandam & perficiendam philoſophiam, 177.

E

Elementa primo die creata, 605. *ſunt quatuor*, ibid. & 606, 607. *quo ordine in hoc univerſo*, 608.

Elephanti an dentur, quales deſcribunt Plinius, Ælianus &c. 734.

Elihu Baracelis dicta an ſint authentica, 41.

Ἐνέργημα *definitur*, 1020. *ejus requiſita*, ibid. *errores capitales circa illud reteguntur*, 1024.

an Ἐνέργημα *etiam piis & fidelibus immitti poſſit*, 1041.

Ἐνεργήμενον *ſubjectum totale*, 1020. *partiale*, 1021. *cauſæ efficientes*, 1021. *impulſivæ externæ*, 1022. *interna impellens*, 1023. *occaſio*, 1023. *finales*, 1024. *errores capitales circa cauſas deteguntur*, 1024, 1025, 1026. *adjuncta propria ſeu requiſita*, 1027. *antecedentia*, 1029. *conjuncta ubi effecta & ſymptomata*, ib. & 1030. *ſigna*, 1030, 1031, 1042. *comparata*, 1032. *oppoſita, 1 falſæ opiniones, perverſa judicia & deceptiones*, 1034. *2 perverſa methodus curandi hoc malum*, 1035, 1044, 1045. *antidota vera & ſalutaria*, 1036.

an ex Energematis illis Athei &c. moveri poſſint ac debeant, 1042.

Energumenus quo dolore deplorabit male dicta aut facta in arreptione, 1046. *an dum arripitur verbum Dei legendum, & precibus contendendum*, 1047.

vocis ἐνεργήμενον *etymologia, ſynonima, diſtinctio*, 1019.

an Energumenum ita poſſideat diabolus, ut nullus rationis uſus ſuperſit, 1041.

an ad Energumenum & arreptitium ſpectandi cauſa licet accedere, 1045.

an in uno Energumeno multi Dæmones poſſint eſſe, 1041. *an determinari poſſit quâ viâ, quave parte ipſum ingrediatur Diabolus*, 1041.

an Energumena facta uxore, conjugii diſſolutio marito ſit concedenda, 1051.

Energumeni dividuntur 1. ex ſubjecto, 2 cauſa efficiente principali, 3 fine ſeu intentione Dei, 1036. 4. *adjunctis & effectis, 5 circumſtantiis temporis*, 1037. *omnes Energumeni non ſunt Licantrophi nec omnes Lycantrophi energumeni*, 1037. *an iis inducias dabant Dæmones Lovanii eo die quo ad funus Lutheri profecti erant*, 1058.

an Energumeni in omni arreptione ſemper ſe habēt mere paſſive, 1041. *an in templa deferendi*, 1047. *ad cœnam admittendi*, ib. *an Baptizandi adulti ante*

parox-

paroxysmum præparati, in ipso paroxismo, siquidē mors instare videatur, 1048. *an ad ministeria ecclesiastica promovendi*, ib. *an fungi possint muneribus publicis*, 1051. *an possint esse testes, testamenta condere &c.* ibid. *an & cur fuerint plures in Judæa tempore Christi, & inter gentes tempore Apostolorum, eorumque successorum, quam ante aut post*, 1057.

Energumeni fictitii à Magistratu coercendi & quomodo, 1049.

an Energumenorum & arreptitiorum actiones & sermones omnes, ipsis tanquam peccata formaliter ab ipsis præstita, sint imputanda, 1044.

Energumenorum cognitio Philosophis, Medicis, Jurisconsultis utilis; Theologis necessaria est, 1018.

an Energumenos antiqua ecclesia semper & ubique à communione eucharistiæ & rerum ecclesiasticarum excluserit, 1057.

Energumenos esse probatur IV *rationibus*, 1020. *objectiones solvuntur*, 1021, 1022.

in Energumenis actiones quædam sunt propriæ Diaboli, quædam hominis, quædam utriusque, 1028, 1246.

an Energumenis cessante arreptione referenda sint omnia absurda, blasphema &c. quæ durante arreptionis paroxysmo in corpore, aut per membra eorum diabolus designavit, 1046.

de Energumenis qui debent judicare & eos curare, 1051.

Epicurus an Atheus dici possit, 207.

Erasmus an Atheus sive Lucianus, 207.

Euangelistæ omnes non fuerunt Ἱστορικοί, 46.

Eva revera fuit creata ex costa Adami, 781.

an Exorcistæ in Rep. sint tolerandi, 1064. *an exorcistæ papales à magistratu sint puniendi*, 1050.

an Exorcistarum in papatu universalis illa methodus sit probanda, 1044.

F

de FAto *& fortuna quinam scripserunt*, 711.

Fidei divinæ falsum subesse non potest nec probatur exemplo Abrahami, 383, 384.

an Filius Dei sit Αὐτοθεὸς 445, 446, 447, 448, & 454--464. *an rectè dicitur Deus à se ipso, Essentiam habere à se*, 447.

de Filio Dei variæ distinctiones, 461, 464.

an Filio Dei non essentia sed personalitas sit communicata, 465.

Firmamentum secundo die creatum quid sit, 625. *unde creatum*, 627.

Flammæ in mari, puteis & fontibus, 660.

Flumina Paradisi quæ fuerint, 685. *quæ sint hodie, aut olim fuerint juxta Geographiam Veterum flumina illa Pison, Gihon, Ghiddekel, Perat*, 685.

quid de Fluvio Sabbathico, 659.

de Fluviis Tamesi & Trenta, aliisque sistentibus cursum suum per integrum diem, 659.

de Fœminis contemplationes variæ instituí possunt, 806, 807.

Fontium & Fluminum origo, 656 *quid de miraculosis fontibus & aquis vinosis, sanguineis, rerum & qualitatum humanarum diacriticis*, 957.

Forma non est accidentale quid nec tota rei essentia, 616. *quam habeat originem forma materialis*, 616, 617. *cælorum & elementorum in primâ creatione an producta sit de potentia materiæ*, 617. *semel facta in hac materia non potest conservari sine illa, aut informare aliam, seu plura subjecta*, 619.

Formæ rerum substantiales earumque propriæ, ac specificæ facultates non sunt negandæ, 869. *præjudicia pro formis substantialibus*, 872. *rationes*

pro iisdem, 874. *rationes quæ contra easdem adduci solent solvuntur*, 875.
Formale seu objectum formale, sive ratio formalis quid sit, 524. *in objecto scientiarum tripliciter consideratur à Philosophis*, 524.
Fossilia quando creata, 668. *cur Moses eorum non meminerit*, ibid.
Fossilium species, 667. *una species in aliam hominum industriamutari potest*, 668.
de fossilibus qui autores scripserunt, 667.
an Francisco Assisio enthusiasmus diabolicus tribui possit, 1058.
Fraternitas non est colenda Reformatis cum Remonstrantibus, 512.
Fratres Rosceæ crucis, 678.

G

Generatio hominis vide Homo.
Gigantes an sint, & distinctam speciem constituant, aut saltem sint monstra, 739. *an metaphorice, seu mythologice sint accipienda, quæ antiqui de Gigantibus retulere*, 740. *an vi Dæmonum seu magica producantur*, 741.
Gryphes an sint, 728.

H

Hæresis omnis an desinat in Atheismum, 182. *speculativa damnabit*, 499.
Harmolaus Barbarus an atheus, 206.
Harmonia mundi superioris & inferioris in genere agnoscitur, 713. *in quo consistit*, ibid. *rejiciuntur quorundam commenta*, 713, *describitur putatitia* ib. *dividitur*, 713, 714. *explicatur*, ibid. & 715, 716, 717.
Herbæ noxiæ, venenatæ &c. tertio die sunt creatæ, 663.
Historia Ecclesiastica describitur, explicatur ejus objectum, 104, 105. *finis & usus*, ibid.
Historici ecclesiastici non sunt principium & norma fidei, 103, *dividuntur. antiqui sigillatim recensentur*, 205.
Homo specie differt ab Angelo, idque per τὸ rationale, 738. *non transformatur in Angelum, vel brutum*, 738. *ante lapsum & post lapsum formâ, specie, & proprietatibus essentialibus idem est*, 738. *dici potest naturæ miraculum, perfectissimum in universo, ipsum universum &c.* 755, 756. *& contra nihil, vanitas, pulvis, umbra, vermis*, 756, 757. *primus ex quâ materia productus*, 779. *non potest generari ex putri materia*, 783, 784, *neq; ex Diabolo*, 785. *an ex homine & bruto*, 786, 787. *an naturaliter generetur ex sene centenario*, 787, 788. *ex puero aut puellâ ante maturâ ætatem*, ibid. *ex virgine absque conjunctione cum viro, idque per imaginationem &c.* 788, 789. *an uno partu* 365. *homines edi possint, & quidem tamdiu vivere ut omnes baptismo tingantur: ut refertur de Margareta uxore Comitis Hennenbergii, & filiâ Florentii* IV *Comitis Hollandiæ*, 790, 791, 792, 793. *non est ens per accidens*, 878, 879.
de Hominis admirandis qui scripsere, 807. *sunt illa admiranda quinque generum*, ibid.
ex Homine nata monstra an sint homines, 750.
Homines marini utriusque sexus an dentur, 742, 743. *&c. quid de fœmina illa quam in Noorthollandia prope Purmerendam, & Edamum olim captam fama per manus apud nostrates tradidit*, 742, 746. 747. *an homines sint molæ & partus, quos vocant lunares*, 747.
Hominum tantum est una species, 738, 755.
Homicidium an sit abortus procuratio, 748, 749, 750. *quid judicandum de hominibus cobalis, Roboldis, sterlegis dictis*, 753. *de caudatis in insula insignis*, 754. *de cornutis*, ibid.

I.

IDea in genere describitur, 259. tres requirit conditiones, 259. distinguitur ab exemplari, ibid. dividitur, ibid. Divina sumitur vel personaliter vel essentialiter, 259. describitur & explicatur, 260.

Ideæ divinæ propriæ, 260, 261. oppositæ, 262, 264. Platonicæ, 262, 263.

Jesuitæ excogitarunt scientiam mediam, 255.

Jesuitarum sententia de gratia & libero arbitrio condemnata, 255.

de Ignatii epistolis quid statuendum, 895. 896.

Ignis elementum, an sub sphera luna secundo die collocatum, 628.

Igni an aliqua animalia vivant, 609.

Ignes admirandi, quorum mentio fit in scriptura, 609.

Ignorantia docta, 126.

Illyricus an theologiam innatã negaverit, 1140, 1141.

ad Impossibile an possit Deus obligare hominem, 393.

dependentia Dei est in essendo, operando, à subjecto, causis, principio. 227.

Individuatio quid sit, 572, 573. ejus nullum aliud internum principium quæri debet aut potest, 573. quodnam ejus principium sit, ibid.

Infernus quando creatus, 383.

Influentiæ occultæ stellarum, 709.

Influxus mixturæ, amicitiæ & inimicitiæ stellarum an non saltem inclinant sine necessitat voluntates humanas, 710.

Injectiones purè diabolicæ in mentem hominis circa quæstionem an sit Deus an dicendi sunt atheismi, 169. atheisticæ Diaboli quomodo expugnandæ, 180.

Insulæ distinguuntur, 660. an fuerint à die tertio creationis, ibid. naturales quomodo oriuntur, 661. casuales quomodo nascuntur, 661.

Insularum mirabilia, 661.

Intellectus quid sit, 835. in universum prior agit quam voluntas, 835, 836. censet & decernit objectum bonum aut malum esse, 837. imperat voluntati, ut eliciat suum actum, 837, 838. an Voluntas non solum dependeat sed etiam determinatur à judicio practico intellectus, 838, usque ad 846. an intellectus & voluntas se mutuo per circulum moveant, 146.

Inundationes, vide Diluvium.

Jobi dicta & disputata omnia an fuerint authentica, 41.

Jodellus poeta gallicus an atheus, 137.

an Johannæ Lotharingiæ (vulgo dictæ virgini aurelianensi) enthusiasmus quis & energema sit attribuendum, 1058.

Joramus rex Juda quomodo dicatur regnasse anno 5 Josaphati cum iste annus non inciderit in annum 5 Jorami Israelitæ, 1139. quot annos regnavit, quâ ratione dicatur anno 5 Jorami regis Israel regnasse, cum è contrario, Joramus Israelites anno secundo Joram regis Judæ successisse notetur, 2 Reg. 1, 17. 1139.

Joram rex Israel quomodo dicatur cœpisse regnare anno 18 Josaphati, & anno 2 filii ejus Joram, 1139. Filius Achabi quomodo dicatur suscepisse regnum anno 18 Josaphati cum pater ejus Achab eodem tempore cum Josaphato regnavit annos plenos 19, ibid.

P. Jovius an Atheus, 204.

Iris an fuerit ante diluvium, etiam potuerit esse ante diem quartum creationis, 706, 707.

Judices omnes à Mose ad Samuelem an fuerint θεόπνευστα, 40.

Julianus Apostata quo sensu Atheus appellatus, 197.

Jus an idem quod Fas, 339, 340. variè dividitur à Scholasticis & Iurisconsultis, 340. optimè dividitur in finitum

seu creatum & infinitum seu divinum, 341. *finitum est vel angelicū, vel humanum*, ibid. *infinitum dicitur improprie vel proprie. estq; ad intra vel ad extra*, ibid. *& spectari potest, vel ut tenet ex parte Dei tū active, tum terminativè*, 342. *vel ut tenet ex parte creaturæ rationalis, estque naturale*, 342. *liberum*, 342, 343.

Jus divinum naturale, non habet locum in bestiis, 344. *differt à jure naturali, jureconsultorum & scholasticorum*, 345, 346. *à lege æterna scholasticorum*, 347.

Jus divinum tum naturale tum liberum an postulat pœnas peccatis debitas, 352. *an ut ipse peccator pœnas luat*, ibid. & 353. *jus seu δικαίωμα, aliud est ante lapsum, aliud post lapsum quod rursum vel veteris, vel novi Testamenti*, 359.

an sit Jus aliquod divinum in Deo immanens, necessarium, & immutabile, ita ut Deus absque implicatione contradictionis per absolutam suam potentiam & potestatem non possit velle, aut non velit posse aliquid mandare aut facere, quod juri illi repugnet? aff. defend. 365. *&c. negativa excutitur*, 371. *argumenta negativæ examinantur*, 372. *&c. in Deo est necessario & immutabiliter Ius subjiciendi sibi, & obligandi creaturam rationalem ad obedientiam*, 365, 366.

Jus forense Mosaicum in omnibus Rebuspubl. Christianis vim legis nec habet, nec habere debet, 377. *ne quidem in pœnis capitalibus*, ibid.

Jus naturæ est vel absolutum, vel hypotheticum, 396.

Jus naturale stricte sumptum pro sola natura nota, non repugnat supernaturali, 398. *non potest ex eo deduci, aut sub eo subsumi modus colendi Deum*, 398. *non cognoscitur ab omnibus hominibus*, 398.

Juris divini distinctiones 343, 344. *attributa problematis explicantur*, 344.

Juris naturalis, an sint axiomata practica & præcepta omnia, quæ lumine naturali innotescunt aut certò demonstrari possunt, 146. *an sint omnia præcepta moralia quæ ad decalogū pertinent*, 347, 349, *&c. an fuerit ut sponsor noster esset Deus & homo*, 353. *præcepta juris naturalis an possint deleri de cordibus hominum*, 348. *an possit Deus iis dispensare*, 348, 349, 350, 351. *an recte constituantur, honeste vivere, alterum non lædere, suum cuique tribuere*, 351.

Juri divino naturali repugnat, si præcipiat peccata, 351. *si ea remittat absque satisfactione*, 352, 360. *non repugnat si peccata nostra in alio & quidem innocente puniantur*, 353.

de Jure & Justitia Dei duplici ratione in Theologia tractari potest, 339.

Justinus Martyr an non collocet errores Socinianorum extra communionem ecclesiæ Christianæ, 500.

Justitia Dei concipitur aliquando tanquam virtus universalis, aliquando tanquam particularis, quæ describitur, dividitur, 357, 358.

Justitia Dei punitiva in Deo est necessaria quod ad egressum scil. seu exercitium, 360, 361, 362. *perstringuntur præcipuæ objectiones*, 362, 363, 364.

Justitia Christi Mediatoris qua talis vocatur justitia Dei, 359. *habet rationem pœnæ, satisfactionis, meriti, gratiæ*, 360.

Justitiæ vindicantis, & punitivæ adjuncta, effecta, 358. *finis, comparatum*, 359. *oppositum*, 360.

L

Lapis Philosophicus, quis, qualis & unde, 677.

ex quo Lapide facti cultri quibus filius Mosis, & Israelitæ circumcisi dicuntur,

tur, 673. & *an fuerint cultri lapidei*, 674.-677.
Leges humanæ & magistratus sunt vel permittentes, vel approbantes, 399. *quomodo honestas actionis alicujus ab iis derivari ac suspendi possit explicatur*, ibid. *civiles quomodo versantur circa rem in se illicitam & malam*, 401, 402.
Legis naturæ an possit dici omnis cognitio eorum, quæ ad vitam humanam moresque vivendi pertinent, 394.
ad Legem naturæ an revocandæ sunt actiones in externis quibusdam ad vitam hominis animalem, & civilem conversationem spectantibus, 395.
Libertas prætensa philosophandi, 131, 132. *prophetandi*, 132.
Lipsius an Atheus, 207.
Locus distinguitur 1 *in ambientem & sustentantem*, 412. 2 *in internum & externum*, 413, 414, 621. *nullum corpus potest esse in diversis spatiis nec vice versa plura corpora in uno spatio*, 622.
Logicam naturalem & artificialem à disputationibus nobiscum habendis removent Jesuitæ, 6.
Lollardi hoc est Valdenses non docuerunt Deum nec scire, nec punire mala, quæ sub terra fiebant, 253.
de Lucernis & Lampadibus perpetuis quid statuendum, 669, 670, 671.
Lullii Theologia ab omnibus fere scholis communiter deserta, 20.
Lumen cognitionis naturalis est duplex, 1.
Luna cur appelletur luminare majus Gen. 1, 16. 697. *an creata in pleni-lunio*, 698.
Lunæ maculæ quid sint, 697.
in Lunâ an novus quidam orbis, 697.
Lunaticus non est noctambulo, 1039. *describitur*, ibid. *varie potest accipi*, ib. *cur statuatur lunaticos epilepsia laborare*, 1040. *quid statuendum de Lunatico, Matth.* 17. *cum Marc.* 5. 1056
an Lunatismus sit malum compositum ex supernaturali & naturali, 1041, 1042.
Lunatismi epileptici causa, 1041.
quid de Lutheri tentato exorcismo quem tam infeliciter ipsi cessisse clamant Pontificii, 1058.
Lux primi diei fuit propriè lux, 610. *accidens productum in substantia*, 611. *creata ex nihilo*, 611. *producta & disperta in toto cælo stellato, quarto autem die in creatas stellas contracta*, 612. *an sit corpus*, 704. *an forma astrorum substantialis*, 704. *an sit ens intentionale*, ibid. *an sit actio*, ibid. *an omni parti cæli conveniat*, 705. *cælestis stellarum inter se & à sublunari an differat specie*, ibid. *corporum gloriosorum an sit ejusdem speciei cum luce Solis*, 705. *Solis an ejusdem speciei cum luce primo die creata*, 706. *Solis an major luce primi diei*, ibid. *an septies augebitur, & lux lunæ erit ut lux Solis*, 708.
de Luce & Lumine quinam autores scripserunt, 703.
Lycanthropi vel sunt innoxii, vel noxii, 1037.

M

Malum distribuitur in culpæ & pœnæ, 1081 *& unum idemque diverso respectu potest esse malum culpæ & malum pœnæ*, ibid.
de Malo axiomata, 1059, 1060.
Mali nulla est natura, 1079.
Magnetis vires & operationes, & an omnium earum manifestæ causæ possint explicari, 672.
Mare universale naturaliter continetur intra littora, 640. *an altius terra*, 640. *est unum*, 653.
Maris origo quæ sit & an fuerit ab initio, 652. *salsedo unde*, 653, 654. *æstus, aliorumque motum causæ*, 654, 655, 656. *ad-*

656. admiranda, seu miracula, 660.
de Mari, fontibus, fluviis, lacubus, fretis, &c. quinam autores scripserunt, 650, 651.
an Margareta uxor Comitis Hennenbergii, & filia Florentii IV. Comitis Hollandiæ uno partu 365. homines ediderit, qui tam diu vixerunt ut omnes baptismo tincti sint, 790 & seq.
Materia prima Aristotelica à Deo est creata, 615. Est unica specie & numero, ibid. non intelligitur per cœlum & terram initio creatam, 616.
Melancolia, mania, lycanthropia &c. sunt morbi corporis, 759.
an Melancolia homini causa esse possit aut divinationis & revelationis occultorum, aut sermonis peregrini & quidem de rebus, atque artibus antea plane ignotis, 1043.
Melchisedec non fuit homo ex nihilo creatus, 755.
Mediatio non est objectum formale Adorationis, 530, 531.
Mediatoris & Mediationis vox quid significat, 722.
Melusina, Merlinus vates, &c. an sint homines, 755.
Mens non est cogitatio, 815.
an Metalli distincta species sit Orichalcum, 668.
si Metalla viliora in aurum per hominum industriam transmutari possit an hoc repugnet ordini creationis, 668.
Meteora an producta secundo die, 628.
ex Meteoris prædictiones an sint licitæ, 631.
de Meteoris mentio in scripturis, 628. de quibus fusius disquirendum Theologiæ studioso, 628.
Methodus quâ adversus Atheos, Gentiles, Saracenos, Libertinos utimur pro authoritate S. Scripturæ in tribus consistit, 113. pæpostera, quando incipiunt quidam à summis est causa impellens Atheismi, 128, 129.
Molæ, & partus, quos vocant, lunares an sint homines, 747.
Monoceros an sit, 728, 729.
Monstra ex homine nata, an sint homines, 750, 751. an si vivant sint baptizanda, 751. an necanda, ibid.
Montes an fuerint ante diluvium, 649. quinam sint maximi & celebratissimi, 649. ignivomi, 650. & an ratio naturalis incendii illius dari possit, ib.
an Morbi venefici sint naturaliter incurabiles, 1053. an Morbi energumenici & venefici differant specie à sui similibus absque intercedente energemate aut maleficio corpus infestante, 1054. an morbi energumenici specie differant ab aliis Dæmoniacis, item à veneficiis, 1054. an soli naturali corporis dispositioni sint adscribendi, ibid. an omnes eadem methodo curandi, 1055.
Morbos maleficos qui debent curare, 1051, 1052.
Mors infelix & ignominiosa Atheorum, 135.
Motus primo primi in fidelibus aliæque cogitationes ac suggestiones carnis de Atheismis an sint formaliter malæ, & an illis inde sit tribuendis Atheismus, 169.
de Motu quæstiones Philosophorum, 699. Theologorum, ibid. & seq.
an Muhammedi Energumena adfuerit Epilepsiæ, & Enthusiasmis diabolicis, 1057.
Mulieres an habeant semen, 801. an activè ad generationem concurrant, 802.
Mundus non habet unam numero formam substantialem, 857, 858. non animam neque vegetativam, neque sensitivam, 859, 860, 861, 862. non denique animam rationalem, 862-865. autores qui animam mundi rejecerunt, 851. quem defenderunt, 852. usque ad 857. an sit æternus, 568. ratione naturali possit demonstrari quod in tempore

pore ſit creatus, ibid. *an potuerit eſſe ab æterno*, 569. *vel eſt viſibilis & corporeus vel intelligibilis*, 580. *novus antiquis non fuit cognitus*, 646.

Mundi anima non eſt perſona ſive per ſe, ſive cum mundo unita conſideretur, 865. *non ad imaginem Dei condita*, ibid. *non eſt prima intelligentia hoc eſt Angelus*, 866.

de Mundi aut cœli animatione opinio falſa & erronea eſt, non hæretica; poſſet tamen ab aliquo iis cum hypotheſibus & conſectariis defendi, ut accedente pertinacia in hæreſin deſineret, 867.

Mundi nomina & ſynonima, 580. *diſtinctio*, 581. *definitio*, 584. *principia externa*, 585. *interna*, ibid. *affectiones quæ unitas*, 586. *finitas*, 587. *Tempus quod mundo convenit quod ad progreſſum, quod ad principium, ubi quæritur quando ſit creatus*, 587. *quantum temporis effluxerit, ab initio creationis in hunc uſque diem*, 590. *laus* 590. *figura*, 590 *contiguitas*, 591. *perfectio*, 591. *quæritur hic inter alia an ſpecies quædam rerum eſſe deſierint*, ibid. *pulchritudo*, 593. *dependentia*, 593. *mutatio*, 594. *ubi explicatur, an & quomodo ſit corruptibilis*, 594. *ſuperioris & inferioris harmonia*, 713. *vide harmonia.*

in Mundum novum quomodo pervenerint homines, 647.

admiranda in Mundo inferiore à quibus notata, 688.

Muretus an Atheus, 206.

N.

NAtura vel eſt primigenia, ſecundum quam omne bonum morale, & contra quam omne malum morale, vel corrupta, 394. *ut eam vulgo ex Ariſtotele deſcribunt, philoſophiæ ſacræ non repugnat*, 614.

de Nebucadnezaris mania quid ſtatuendum, 1056.

Negatio Dei eſt exterior & verbalis, interior conſcientiæ, 148.

Nereides an dentur, 742.

Neutrales ad cujuſcunque religionis ſuſceptionem & profeſſionem athei, 119.

Nihil ſeu nihilum diſtinguitur, 560.

Notitia Dei, vide Cognitio Dei.

O.

OBjectum diſtinguunt philoſophi in *materiale & formale*, 594. *immediatum, mediatum primum, principale, ultimatum, terminans; & mediatum ac movens*, 550. *formale, vide formale.*

Obſeſſio Diaboli, vide Energumenus & ἐνέργημα.

Origenes qualis Doctor, & varia de eo judicia, 451, 452.

Originale peccatum, vide peccatum originale.

an Originale peccatum probari poſſit ex poſſeſſione infantum, 1042.

an recte Oſcitantes, voces o domine, o domine, in ore habeant, & cum oſcitationis actu proclament, 1044.

P.

PAracelſiſtarum ſuperbia & vanitas, 678.

Paradiſus quoto die creatus, 684. *eſt locus in parte aliqua terræ*, 684. *ubi ſitus*, 686. *an hodie ſuperſit*, 686.

Paradiſi flumina, 685. *quantitas*, 686. *qualitates & adjuncta*, 687. *decor quamdiu ſuperſtes fuerit*, ibid.

de Paradiſo ſcriptores, 684.

Pater Eccleſiæ aut fidelium dicitur 1 *ſolus Deus.* 2 *homo tanquam adminiſter gratiæ divinæ*, 75. *atque ſic accipitur latè, ſtrictiſſimè, ſtrictè*, 75.

Patris titulus uſurpatur tripliciter propriè, analogicè, æquivocè, 76.

Patres dividuntur in Græcos & Latinos, quorum catalogus exhibetur, 77. *notanda circa illum catalogum*, 79. *libri ſuppoſititii qui ſubinde citantur nomi-*

ne antiquorum Patrum, 78. *de Patrum vitâ, scriptis, operum editionibus qui consulendi*, 78. *describuntur*, 79. *possunt etiam dividi ratione graduum, æstimationis & authoritatis, quos obtinuerunt*, 79. *secundum materiam & Methodum tractandi*, ibid. *eos non ferociter contemnit, nec planè rejicit ecclesia Reformata*, 88, 89. *non sunt aut principium, aut norma fidei, nec judex supremus infallibilis in controversiis de fidei dogmatis, & interpretatione scripturæ quod probatur*, 93, 94-101. *an præferendi sunt recentioribus Theologis*, 102. *an studioso Theologiæ inchoandum sit a Patribus*, ibid.

Patrum causæ efficientes, 79, 80. *requisita unde causæ efficientes à posteriore colliguntur*, ibid. *adjuncta sunt tum absoluta, quæ positiva, privativa, negativa, tum comparata*, 80, 81, 82.

ad Patrum testimonia à Pontificiis objecta quando respondendam quæ sint observanda, 84, 85.

Patrum errores, & contradictiones, 94. *scripta pauca habemus, imprimis ex antiquitate antiquissima*, 94. *multa notha & incerta*, 95. *editiones incertæ*, 96. *consensus quid sit nondum constat, ne quidem in papatu*, 97.

ex Patrum consensu non possunt idoneè controversiæ inter nos & papatum explicari & decidi, 101.

Patribus quantum tribuant Pontificii, 91. *quantum Reformati*, 92.

Patristicæ Theologiæ usus est vel primarius, qui 1 *per se & spontaneus*, 83. 2 *per accidens propter importunitatem Pontificiorum*, 84. *vel secundarius*, 85, 86. *studium quotuplex & quomodo instituendum*, 86, 87.

Paulus III. Papa de vita futura an scil. aliqua esset dubitavit, 1142.

Peccatum diversimode sumitur, 1060, 1137. *ejus permissio divina accuratè distingui debet ab ipso peccato quâ tali*, 1060.

an Peccatum proprie & directe intelligatur, Rom. 8, 28. *Psalm.* 83, 27. 1075. *an illud Deus velit propter aliud*, ibid. *an ejus author sit Deus, quo aliud peccatum punitur, cum autor est pœnæ*, ibid.

an peccato Peccatum punitur, 1075.

an omne Peccatum habeat rationem pœnæ, 1076. *an Deus permittit peccatum quâ peccatum*, 1076.

Peccatum originale qui ignorant, & negant, 1078, 1079. *est proprie peccatum*, 1081, 1082.

Peccatum non habet causam efficientem propriè dictam, sed potius deficientem 1080.

Peccatum originale est bimembre imputatum & inhærens, 1082. *imputatum est causa meritoria inhærentis*, 1082. *inhærens est simul & pœna & peccatum: est principium & origo omnium peccatorum actualium, momenta in eo consideranda duo*, 1083. *non est hominis substantia, sed affectio mala, seu maligna naturæ dispositio*, 1083, 1084. *quomodo multi ex nostris determinarunt illud non esse puram privationem justitiæ originalis, sed etiam positivam qualitatem*, 1084. *usque ad* 1093. *an sit contractum per imitationem, & per crebros actus ac consuetudinem, an vero per generationem propagatū*, 1095, 1096. *quomodo ad hanc propagationem concurrant*, 1 *Adamus* 2 *homo quisque*, ib. 3 *parentes*, 1097. 4 *Deus* ibid. *quomodo vocetur pœna peccati*. ibid. *quænam sit peccati hujus, seu existentiæ hujus peccati causa propria & proxima directè efficiens, deficiens*, 1096, 1098. *an accurate dicatur prius existere in semine, aut in corpore jam animato, & deinde in anima*, 1116.

1116.
Peccati ordinabilitas distingui potest in activam & passivam, 1060. *utraque explicatur*, ibid. *consequentia & eventus quædam sunt effecta ejus per se, quædam per accidens*, ibid. *per accidens opponitur τῷ per se*, 1061.
Peccati usus per accidens distribuitur in ordine ad Deum 1071, 1072, 1073. *in ordine ad homines*, 1073. *peccati substratum seu materiale est metaphysicè bonum, moraliter adiaphorum*, 1060.
an peccati aliquis sit usus, seu an peccatum aliqua ratione & aliquo respectu dici possit conducere alicui & ad aliquid, 1061. *explicatur 5 conclusionibus*, 1062, 1063, 1064. *probatur*, 1064, *& seqq.*
Peccati subjectum, 1095.
Peccati originalis causa per se & proprie dicta non est Deus, 1098. *non conjugium, aut parentes generantes, aut corpus* 1099, 1100, 1101. *aut temperamentum corporis*, ibid. & 1102. *aut semen*, 1102 & 1117, 1118. *non anima Patris producendo animam Titii* 1104. *sed quisque homo in quo est peccatum originale*, ibid. & 1105. *contra peccati originalis propagationem ex parentibus argumentum Pelagianorũ*, 1106. *sententia authoris de peccati originalis propagatione confirmatur consensu Theologorum* 1106, *usque ad* 1113.
per Peccatum non est essentialiter mutata hominis natura, 776.
à Peccato originali quomodo Christus fuerit immunis, 1113. *quid de illa ratione judicandum quam non pauci Theologi assignant, quia ex virgine per operationem Spiritus sancti genitus sit, & non secundum ordinariam legem carnalis generationis*, 1115.
Peccato originali quomodo subjectæ esse possunt animæ humanæ, quæ in Adamo non fuerunt, nec ex eo per traducem propagatæ sunt, 1115.
an & quomodo Peccatis aliorum hominum homo uti possit in bonum suum aut proximi, 1077, 1078.
Pægasi seu equi alati an sint, 728.
Pellicanus an sit, 723.
Perroni Cardinalis Atheismus, 118.
Personæ Divinæ quomodo distinguantur, 1 ab essentia 2 inter se, 235, 238. *non faciunt in essentia divina compositionem*, 235-238.
Persuasio differt à volatica cogitatione, dubitatione, opinione, 148, 149.
Phœnix an detur, 723.
Pietatis prætextus, Atheismi causa adjuvans. 124.
Piscis genus quod fuerit ille à quo deglutitus Jonas, 725. *an sint pisces fossiles*, 665.
Pisces ex quâ materiâ productæ, 720. *an imperfectiores aliis animalibus*, 721. *an habeant carnem*, 724.
Piscium numerus an terrestrium animalium major & quod ad species & quod ad individua, 722. *an in istis sint majora quam in illis*, ibid.
Plantanimalia tertio die non producta, 661.
an Plantæ noxiæ ac venenatæ &c. tertio die sint creatæ, 663.
ad Plantarum productionem an terra etiam activè concurrerit, 662, 663.
Plantas actu produxit Deus, 662. *etiam aquaticas in fundo marium aut fluminum crescentes*, 663.
de Plantis quinam scripserunt, 662, 664.
Poëtæ fuerunt præcipui ministri mimicæ Dæmonum, 974.
Pomponatius an ad classem atheorum referendus, 197.
Positivum accipitur, 1 vel physice vel logice, 1085. *2 vel comparativè & impropriè, vel strictè & propriè*, 1086, 1087, 1088, *& seq.*

Politici 123 124

non Potest Deus infernalibus cruciatibus affligere creaturam innocentem, 392.
an Possit Deus contradictoria, 409. an Deum quædam non posse recte secundum scripturas dicatur, 409.
Postellus, 1145.
Possibile in genere describitur, 408. distinguitur, ibid.
Possibilitatis & impossibilitatis origo & fundamentum primum nullibi quærendum quam in Deo, 412.
Potentia quæ & quatenus in Deo locum habet, 403. distinguitur in internam & externam, ad intra & ad extra, communem & personalem, ibid. usus harum distinctionum in conciliatione quæstionum problematicarum, ibid.
Potentia Dei stricte dicta est in Deo, 44. quid sit explicatur, 405. dividitur in ordine ad varias actiones, ibid. attributa ejus sex, 408. an Deus quædam possit de potentia quæ non potest de jure, 407. an actualis omnipotentia coincidat cum ordinata, 407. an potentia & voluntas æque late pateant, ibid. an committatur circulus cum dicitur Dei potentia se extendit ad omne possibile, 410.
an Potentiam Dei absolutam negarit Calvinus, 410, 411.
Prætextus specioſi quibus Atheismi mysterium peragitur, 131.
Prædictiones & prognostica ex ventis an licita, 631. ex astris, 712, 713.
Pravitas seu corruptio naturæ si in genere statuatur à Pontificiis & nostris, quæ sit formaliter privatio, an remaneret realis controversia inter nos & ipsos, 1113.
Principium fidei duplex est ex quo seu externum, & quo, seu per quod sive internum, 2.
Principium existentiæ seu individuationis quod sit, 573.
Principia theologiæ naturalis sunt
Theoretica { universalia, particularia, 141.
Practica { universalia, particularia, 142.
Principia creaturæ, 572. distinguuntur, 619.
Privatio quæ principium rerum naturalium ab Aristotele explicatur non intelligitur per tohu vabohu, 619.
Privatio est vel otiosa, vel male afficiens, 1084, 1089.
de Privatione speculatio utilis Theologo 619.
Privationes an etiam sint creaturæ, 527. ens creatum, 572.
Problematicæ controversiæ sunt sex generum, 22.
Prognostica tempestatum & similia naturalia an ex astris prædici possint, 712.
an Proprium unius subjecti possit communicari alteri subjecto realiter distincto, 424.
an si Propria quarto modo negentur implicetur contradictio, 416, 407. &c.
Pseudo politici athei sunt, 123.
Puncta vocalia V.T. sunt authentica, 33.
Pygmæi an sint homines, 741.
Pythones & fœminæ pythonissæ quæ, 1037. authores qui de iis scripserunt, 1038.
Πύθων & vox vel latè sumitur, vel stricte, 1038.
Pythonicorum Energumenorum exempla, 1038.
an omnis Pythonici Dæmonis possessio sit mere involuntaria, 1042. unde dignosci queat voluntaria ab involuntaria, ibid.

Q.

QUa particula determinat partem enunciantem dupliciter. 523. non est semper unius, ejusdemque significationis apud Philosophos, 523. hujus signi synonima, 523. usus in quamplurimis gravissimis controversiis Theologicis, 546.

Qua-

Qualitates à Deo sunt creatæ, 623. *occultæ, antipathiæ scil. & sympathiæ dantur*, 623. *non sunt temerè rejiciendæ*, 877.

Quantitas dividitur, 620. *saltem est primum corporis* πάθος, 621. *per se nullam habet efficaciam*, 621. *est finita actu*, 621. *à quantitate non potest tolli extensio ad locum*, 410, 411, 415.

R,

Rableſius, 1145.

Ratio humana, Socinianis est judex & norma fidei, 1. *quæ denotet*, 1. *considerari potest vel in ideâ, vel concretè & ratione certi status*, 2 *est subjectum fidei recipiens, item instrumentum & principium elicitivum fidei & cognitionis actualis*, 2. *non est principium quo, seu per quod, aut ex quo seu cur credamus, quod probatur* 9 *classibus argumentorum*, 3, 4, 5.

Rationem humanam quà talem, seu ut sic superant veritates supernaturales fidei, non tamen ei repugnant, 3 *eam rejiciunt & removent à collationibus & disputationibus nobiscum habendis Jesuitæ*, 6.

Refutatio prætensa hæreseων & atheismi ducit ad atheismum, 133, 134.

Relationes divinæ personales sunt reales, & realiter inter se distinctæ, 238. *non proprie modificant essentiam Dei*, 229. *dividuntur in relationes, ad intra, quæ* { *propriæ, communes.* *ad extra quæ triplices*, 241. *ad intra communes sunt rationis non reales*, 241. *ad extra nihil inferunt quam denominationes*, 241.

Religionis crebra mutatio causa atheismi, 128.

Remonstrantes se non purgant ab hæresibus Socinianis, 514, 515. *non serio offerunt, nec possunt offerre syncretismum* 1 *Reformatis ecclesiis in Belgio*, 516. 2 *omnibus Christianis professionibus*, 517.

ex Remonstrantibus ministris non pauc occulte moliti sunt Socinismi introductionem ante Synodum Dordracenam, 488.

Remonstrantismus quid, 512, 513.

cum Remonstrantismo non est Reformatis colenda unio & fraternitas, 513. *nec Jurisconsl. Christiano ut ut Remonstrantibus accedenti in quinquarticulanis*, 518. *nec auditoribus Remonstrantibus*, 518.

de Remora quid statuendum, 722.

Renati des Cartes novis philosophematis blasphemiam objecit Theologus Leydensis, 1158. *querela Cartesiana de injuria & calumnia inde enata*, ibid. & 1159. 1160, 1161.

Reprobare potest, & actu reprobavit Deus absque peccati prævisi tanquam causæ aut necessarii antecedentis sui decreti interventu, 354, 355, 356, 357.

Reprobationis momenta, 355.

Reprobatio distinguitur à damnatione, 357.

S.

Salvianus *an censeat Arrianos errare animo pio*, 500.

Samuelis anima an fuerit reducta 1006, 1007.

in Sanguine an sit anima, 769, 772.

Satisfactio pro peccatis est necessaria absolute ex necessitate naturæ divinæ, vel saltem hypothetice ex supposito Dei decreto, 360.

Satyrica omnis derisio stolidarũ superstitionum, commentorum, fabularum, an atheismi & lucianismi merito accusari possit, 195.

de Saulis malo spiritu quid statuendum, 1056.

Si novi Sceptici in ecclesiis & scholis grassari incipiant, an Theologi essent ardeliones aut ἀποχειροτονητοι

ſe talibus pro modulo opponerent, 187. *an ſi theologi ejuſmodi neo-ſcepticiſmis obſiſtant, adhibitis etiam duriori-bus, veris tamen conſequentiis, illico Philoſophos illos hæreſeos, aut Atheiſmi in formâ accuſare dicendi ſunt*, 188.

Scepticiſmus novus Lojoliticus circa principia fidei Chriſtianæ, 106-114.

Scepticiſmus, 126.

de Schola qui autores conſulendi, 12.

Scholaſtica Theologia, vide Theologia ſcholaſtica.

Scholaſtici Doctores dividuntur, 1 *ſecundum Sectas in Reales & Nominales*, 18. *Thomiſtas & Scotiſtas*, 19. 2 *ex gradibus authoritatis quam eorum doctrina in ſcholis obtinuit*, 19. 3 *ex modo & methodo ſcribendi*, ibid. 4 *ex circumſtantia temporis*, 20. *à quibus perſtringantur*, 24.

Sciendi impotens deſiderium cauſa Atheiſmi, 126.

Scientia Dei diſtinguitur 1 *in neceſſariâ*, 246. *& liberam*, 247. 2 *in ſimplicis intelligentiæ & viſionis*, 247. 3 *in definitam & indefinitam*, 247. 4 *in ſpeculativam & practicam*, 247. 5 *in ſimplicis notitiæ & enunciabilium*, 248. *diſtinctiones conciliantur*, 248. *cum voluntate conjuncta eſt cauſa rerum*, 250.

Scientia futurorum contingentium negatur à Gentilibus, Socinianis, à quibus non ita abhorrent Remonſtrantes, 251. *aſſeritur* 9 *rationibus*, 252, 253.

Scientia media definitur, 254, 269. *argumenta noſtra quibus refutatur*, 257, 258, 269, 270, 309, *&c.*

Scientiæ mediæ origo, 254, 255, 265. *fautores*, 256, 265, *interpolator*, 269. *adverſarii*, 256. *argumenta quibus probatur recenſentur*, 273, *&c. refelluntur*, 285, *&c.*

Scientiæ divinæ proprietates, 242. *uſus*, 250, 251.

Scientiam Deo competere probatur, 246.

de Scientiarum inventione, conſtitutione, & argumento hypomnemata, 881.

Scriptores N. Teſt. an lingua alia (Syriaca ſcil.) conceperint, quam ſcripſerint, & alia (græca ſcil.) ſcripſerint; quam conceperint, 44. *Sacri, Prophetæ ſcil. & Apoſtoli an omnia intellexerint quæ ſcripſerunt*, 45, 47. *an volentes, an vero inviti ſcripſerint, aut docuerint*, 46, 47. *an conceptum & memoriam eorum quæ antea didicerant, aut per revelationem cognorant, de novo iis ingeſſerit, Sp. ſ.* 46.

Scriptura tota authentica eſt authentia hiſtoriæ, 31.

Scripturæ authoritas duplex eſt hiſtoriæ vel normæ; 30. *utraque explicatur*, ibid. *Methodum, exornationem, phraſim, & ſtylum quinam humano ingenio attribuunt*, 32. *refutantur*, ib. *ſpecialiter N. T. ſtylus barbariſmi & ſolaciſmi male accuſatur*, 33. *N. T punctа vocalia ſunt authentica*, 33, 34. *lectiones marginales non ſunt authenticæ*, 35. *authentia normæ, ſeu præcepti quouſque ſe extendat*, 38, 39. *qui hic peccent* 1, *in exceſſu*, 2 *in defectu*, 40. *textus originalis non & corruptus*, 50, 51, 52. *inſolubilia ſeptem (ut vocantur) ſolvuntur & explicantur*, 52, 59, 60, 61, 62.

Solis ſacræ Scripturæ libris innixus Chriſtianus ſecluſa omni autoritate & confirmatione Eccleſiæ, Patrum, Traditionum &c. omnino certus eſſe poteſt, 1. *omnia quæ libris illis continentur eſſe genuinum verbum Dei*, 107, 108, 109. 2. *libros illos in totum conſcriptos eſſe dictamine Spir. ſ.* 109. 3. *S. ſcripturæ libros temporum intervallo nuſpiã depravatos eſſe*, 110, 111. 4. *Saracenum non æque firmiter demon-*

monſtrare poſſe Alcoranum Mahumedi eſſe verbum Dei, ac ipſe S. ſcripturas demonſtrat ac probat, 411.
Securitas carnalis cauſa atheiſmi, 128.
Serpens Geneſ. 3. *an fuerit verum animal, & quale ſerpentis genus*, 735. *an pedibus aut ſaltem erecto inceſſu præditus fuerit ante lapſum*, ibid.
Serpenti, aliiſque animantibus in Paradiſo ſermo non fuit naturalis, 735.
Serpentem an cruciat ſaliva hominis, etiam, ſi fauces ejus tangat, necet, &c, 735.
de Serpente Charadrio apud Epiphanium quid ſtatuendum, 736.
inter Serpentes & hominem an fuerit naturalis antipathia ante lapſum, 735.
Simplicitas in genere quid, 227. *Deo attributa eſt vox negativa*, 227. *quæ attributa ſint ejuſdem generis & momenti cum ſimplicitate*, ibid.
Simplicitatem Deo competere probatur ſex rationibus, 227-230. *qui eam oppugnarunt*, 230, 231. *eorum rationes diluuntur*, 232. *&c.*
ex doctrina de Simplicitate Dei poriſmata & uſus 8, 244.
Sociniani non poſſunt dici Chriſtiani niſi æquivocè, 440. *non ſunt in communione Eccleſiæ tolerandi*, 490. *ſunt turpiſſimi idololatriæ*, 491. *non diligunt dominum Jeſum*, 496. *non piè vivunt*, 498. *non ſunt tolerandi politice*, 501-508. *non poſſunt offerre fraternitatem Trinitariis, ut eos vocant, & inter eos Reformatis*, 518, 519. *iis unionem denegant Reformati in Polonia*, 519.
Sociniſmus damnat, 499.
Sociniſmi introductionem occulte moliebantur ante Synodum Dordracenam non pauci ex miniſtris Remonſtrantibus, 488.
Sol an ſit animatus, 696. *quæ de Sole quater orto apud Herodotum in Euterpe*, 699.
Spectrum diabolicum definitur, 987. *dividitur* ibid. & 988. 989. *an ex ſpectrorum apparitionibus & reſponſis quicquam certi concludi aut credi poſſit de rerum noſtrarum particularium ſtatu, aut eventu felici, aut infelici; item de proximi noſtri innocentia aut culpa in facto aliquo, ſpeciatim de inſtante morte viventium* 1009. *an ex iis dogmata fidei, & regulæ pietatis exſtrui aut confirmari poſſint*, ib. *an ſpectrorum formas, actiones, dicta, effecta, motiva & cauſas accurate ideo inquirere licet, ut de rebus divinis aut humanis tanto melius inſtrui poſſimus*, 1013. *an cum ſpectris colloquia habenda*, 991. *an domos ſpectris infeſtas non emere aut conducere, aut etiam iis excedere ſi commode fieri poſſit intrinſece & per ſe ſit peccatum*, ibid. *an appareant piis moribundis*, 992. *an ſupra aërem in cœlo beatorum, aut etiam ſtellato*, 993. *an qui à ſpectris occiduntur omnes ſint damnati.* 1010. *an à ſpectris internis diſcerni poſſint ſpectra imaginaria, ſeu melancolica delira*, 1512. *an domum ſpectris infeſtam à ſe inſcio conductam jure quis deſerere poſſit, ſic ut liberetur à neceſſitate ſolvendi*, 1015, 1016.
Vocis ſpectri etymologia, 985. *ſynonima*, ibid. *diſtinctio*, 986. *quid ſtatuendum de ſpectro & ſpiritu illo Poſonii in Ungaria a* 24 *Julii an.* 1641 *uſque ad* 29 *Junii* 1642. *Virgini cuidam ex purgatorio apparente, &c.*
Spectrorum cauſæ efficientes, 989. *finalis*, 990. *materialis*, ibid. *forma* ibid. *adjuncta*, ibid. & 991, 992. *effecta*, 994. *cognata*, ibid. *oppoſita*, 995. *inter quæ antidota*, 996, 997. *hic quæritur de Antiquorum exſufflationibus & ſigno*

no Crucis, 998.
an sint spectra meridiana, 993. an sint spectra, 999, 1000, 1001, 1002. quid sint spectra exponitur, XVI conclusionibus, 1002, 1003, 1004, 1005. quarum ultima, quod non sint animæ separatæ justorum, 1005, 1006. quare spectra tam familiariter & potenter grassantur apud antiquos Gentiles, & Gentes novi Orbis, & populos Indiæ Orientalis & Japoniæ, & Septentrionales, & Papistas, non vero ita in Anglia, Scotia, Belgio fœderato, & ubicunque obtinet reformatio, 1008. an spectra nulla appareant hominibus in fide radicatis, 1008. an spectra possint apparere in forma Christi, 1009. an cuilibet morienti semper appareant, 1011. an cum plura numero spectra apparent specie plurium bestiarum &c. plures sint Dæmones an unus, 1010. an spectra solide probari possint ex Jes. 13, 21. & 34, 14. 1011. ex Psal. 91, 15, 6. ex Sapient. 17, 4. ibid. an ad spectra diabolica referenda omnia insomnia aut visa in somno, & nulla ad somnia θεοπνευστα & Angelorum monita, 1014. quid de consilio Lutheri, quo suadebat, ut puerum suppositum (Dæmonem scil. sub specie pueri) putatitiis parentibus & educatione admodum molestum, in aquam projicerent, 1016. an spectra personalia certo possint discerni ab illis quæ domos, sepulcra &c. infestant. 1012. an Christiano hæc susque deque habenda, 1013.
Sphinges an sint, 728.
Stella Magorum quæ fuerit, 695.
Stellæ an possint numerari ab hominibus, 691. an de cælo cadant, 692. an quarto die conditæ, 692. an sint animatæ, aut rationales, ibid. an sint formaliter calidæ, 693. an differant specie ab orbe suo, ib. an habeant ex se lumen, an vero omne mutuentur à Sole 694. an sint immobiles, an vero per cælum moveãtur sicut pisces per aquam, 701. an directe influant in liberas voluntates & actiones hominum, 709.
in Stellarum scientia, & quæstione de systemate mundi sacræ scripturæ ratio est habenda, 689.
Stellarum distantiæ à terra & ex se invicem an accurate mensurari possint, 691. status quis sit futurus post finem mundi, 694. remotio à terra an sit mutata, 694. effecta & consequentia, 699. motus proprii an sint absolvendi ante finem mundi, 699. influentiæ occultæ, 709. motus an post finem mundi sit cessaturus, 700. velocissimi motus aliquod simile exemplũ in motibus inferiorum dari non potest, 702, 703. significationes dividuntur, 712.
de Stellis scriptores, 689. an stellis imposita nomina Idolorum, & fabularum à Gentilismo, mutanda sint à nobis, si fieri possit, 695. ex stellis an prognostica tempestatum & similia naturalia prædici possint, 712. an eventus & actiones quæ à libera hominum voluntate dependent, ibid.
Stephanus Jodellus poeta gallicus an atheus fuerit, 137.
Substractio imaginis divinæ in quo consistat, 1099.
an Sybillæ fuerint energumenæ, 1057.
Symbolum definitur, ejus etymologia, 64. distinguitur in brevius, quod est authenticum, 64. prolixius, quod nunc habemus tot articulis vestitum, 65. quod formaliter est scriptum humanum, & ecclesiasticum autoritatis humanæ, 67, 68, 69. testimonium Ruffini de origine & authoritate hujus symboli examinatur, 70. non est Apostolicum, 71, 72. an fidem sufficienter contineat, 72. alia problemata inde, 73, 74.

Syncretiſmus non ineundus cum Remonſtrantibus, 513. *vide Remonſtrantiſmus, cum Socinianis*, 490, 519. *v. Sociniani.* T.

Nic. Taurellus quomodo atheus Medicus vocetur à Theologis Heidelbergenſibus, 200.

Tempus duo notat, 623. *quamdiu fuit*, 623, 711. *diſtinguitur*, 711.

Temporum differentias quinam explicant, 712.

Terminus quomodo ſumitur in quæſtione de Adoratione Chriſti qua mediator 550. *diſtinguitur in terminum quod & quo in convertibilem & non convertibilem*, ibid.

Terra & aqua an unum conſtituunt globum unumque habeant centrum, 635.

Terra quibus fulcris innitatur, 636, 637. *an immobilis in medio mundi quieſcit*, 637, 638, 639. *an & quomodo accuratè menſurari poſſit*, 641. *an ſub & in terra carnes generentur, & conſequenter dentur carnes foſſiles*, 666.

Terra nec eſt animal, nec animata, 643. *an tota ſit habitabilis*, 644.

Terræ quantitas ſi cum cœlo comparetur an punctum dici poſſit, 636. *quantitas major, an aquæ*, 641. *viſceribus continentur animalia*, 665. *plantæ*, 666. *ignes, aer, foſſilia*, 667. *rotatio divina repugnat veritati S. litterarum, & rationibus naturalibus*, 880, 881.

de Terrore panico quid judicandum, 1015. *quid de terrore confuſo noctu aut in ſolitudine vigilantibus immiſſo*, ib.

Theologia naturalis ingenita, vide cognitio Dei, &c.

Theologia ſcholaſtica an ſit genuina Theologia, & in ſcholis retinenda, 27.

Theologiæ Patriſticæ ſtudium quomodo inſtituendum, 86, 87.

Theologiæ Scholaſticæ acceptiones, 13. *ſubjectum*, 14. *forma*, 14. *objectum occupans*, ibid. *Primus autor*, ibid. *antecedens remotum proximum*, 15. *occaſio*, 15, 25. *Ætas vetus, media, nova*, 16. *Adjuncta*, 17. *Cognata*, 18. *oppoſita*, 19. *Diviſiones*, 18. *cenſura*, 20, 22, 23, 24. *uſus*, 27. *ſtudium*, 29.

Tohu vabohu non eſt principium rerum naturalium ab Ariſtotele explicatum, 619.

Tolerabiliores ſunt Pontificii quam Sociniani, 491.

Tolerantia eſt duplex eccleſiaſtica politica, 487.

Trinitas an colligi poſſit ex plurali voce אלהים *conſtructa cum verbo ſingulari tertiæ & plurali primæ perſonæ additis utriuſque numeri pronominibus affixis, Gen.* 1. 26. 27. *cum* 3, 22, 566.

dogma de Trinitate quid ſit, 467. *in quibus theſibus conſiſtat minimum illud veritatis ſalutaris præcisè ad communionem eccleſiaſticam & animæ ſalutem neceſſariæ*, ibid. *quomodo ſit neceſſariũ*, 469. *Remonſtrantibus eſt problematicum*, ib. *neceſſarium eſſe probatur*, 471, *&c. ſuos habet uſus practicos, proprios ſc. & peculiares*, 477. *& ſeq. exceptiones Remonſtrantium removentur*, 485. *&c. antidota generalia pro dogmate de S. S. Trinitate adverſus Socinianos*, 434. *&c. Anti-Trinitarii non unius ſunt ſectæ*, 488. *non ſunt eccleſiaſticè tolerandi*, 489, 490. *& ſeq. Remonſtrantium argumentis reſpondetur*, 495. *non etiam politice*, 501 *&c. argumenta palmaria Remonſtr. pro tolerantia eorum politica*, 509. *Reformati Theologi non ſunt anti-Trinitarii*, 509. V.

Vagiones an ſint homines, 754.

Julii Cæſaris Vanini, Atheiſmus, 147, 152, 204. *& mors*, 136.

Vapor qui irrigabat totam terram, Gen. 2. 6. *quid fuerit*, 629.

Ventorum ortus & via an ignoretur, 630. *qui, qualesne fuerint venti extraordinarii Exod.*14. 1 *Reg.*19,11. *item* 2, 11. *Job.*1. *Iohan.*1. *Act.* 2.632.
Viperæ Fœmellæ an mares in coitu trucident &c. 736.
an ex Virgine absque conjunctione cum viro naturaliter generetur homo, 788.
Virtutes morales an sint in appetitu sensitivo, 849.
Visibilitas non est proprium quarto modo aut corporis in genere, aut corporis humani, 417.
Ultimum & ultimatum quid sit, 550. *in quæstione quare Mediator adoratus, non est ultima responsio, nec ultimus terminus, quia est, mediator, sed quia est ὁμόσιος cum Patre Deus*, 550, 551.
Unicornis an sit, 728, 729. *rationes dubitandi de unicorni*, 730.
Unio divinæ Christi naturæ cum humana in unam personam non est proprie dicta compositio, 243.
Unitas Dei est perfectissima, probatur 4 *argumentis*, 228.
Voluntas, vide Intellectus.
Voluntas Dei libera non est prima regula justitiæ & juris in Deo, 372. *quo pacto dici possit regulatum*, 380. *an normam & mensuram habeat se priorem*, 389.
Voluptuarii sunt Athei practici, 124.
de Urinatoribus quid judicandum, 746.
Urna aurea & Virga Aaronis an fuerit in Arca testamenti Heb. 9.4. 1138.
Usuræ mordentes non possunt à Magistratu sic determinari ut licita sint in conscientia, 400.

W.

Wissel-Kinderen/ 1016.

Z.

Zacharias an fuerit, ζηλωτὴς Θεοῦ. 43.

FINIS.

INDEX

Locorum S. Scripturæ: qui vel explicantur vel vindicantur Adversariis.

Genesis.

Cap.vers. fol.

1. 1. 53,560,586, 591,598,600, 602,607,610, 650,826,937.
2. 560,561,586,
1 2. 600,607,610, 613,623,624, 629,633,643, 652,866,937.
3. 555,600,607, 610.
6. 624,627.
7. 624,627.
8. 625.
9. 629,632,633, 640,652.

Cap.

Cap. vers. fol.

10. 604,652,653.
11. 575,599,614, 643,662,663, 857,872.
12. 599,614,857.
14. 610,623,625, 694,696,712.
15. 610,625,694, 696.
16. 696,697.
17. 605.
20. 599,606,668, 720,722,859.
21. 554,571,668, 722,857,859, 872.
22. 574,575,721, 824,859,872, 1166.
24. 726,857,872.
25. 614,726,757, 858,872.
26. 554,560,564, 758,878.
27. 554,571,564, 878.
28. 560,799,824.
29. 574,575,662, 719,799,1166.
30. 719,721.
31. 564,595,758, 915.
554,558,562, 568,575,584, 608,650,665, 860.

2. 1. 598,599,600, 602,605,608, 663,722,726.
2. 663,722,726, 737,824.
3. 554,824.
4. 554,600.
5. 628,663,735.
6. 629.
7. 571,757,758, 780,781,798, 813,817,819, 821.
8. 624.
9. 663.
10. 686.
14. 684,686.
15. 735.
19. 571,721.
21. 781.
23. 781. 759,815,861, 975.

3. 1. 687, 1000, 1028, 1033.
2. 1000, 1028, 1033.
3. 1033.
7. 878.
16. 977.
17. 594,595,735, 745,858.
18. 594,595,745.
19. 757,780,820.
20. 646.
23. 687.
24. 687. 38,619,735,752 759,888,893, 922,927,941.

4. 2. 780.

5. 1. 554.
3. 1096. 788.

6. 1. 1026.
2. 422,936.
4. 909.

7. 10. 649.
11. 627.
15. 762,859.
21. 745,859.
22. 745. 650,737.

8. 3. 600.
13. 600.
14. 600.
21. 643,945.
22. 595,700. 661.

9. 1. 799.
4. 769,859.
12. 576.
25. 756.
26. 756. 658,661,737.

10. 5. 646,661. 648,794.
11. 6. 273,285. 648.
12. 12. 39.
14. 22. 600,605,608.
15. 5. 630,691.
18. 685.
17. 28. 780.
18. 17. 756,885,898, 959.
19. 609,959,960.
20. 2. 39.
22. 17. 691.

Cap.vers.fol.
28. 570.
38. 974.
24. 19. 789.
25. 684.
27. 3. 35.
29. 684.
32. 898,959.
36. 726.
37. 1011.
38. 7. 749.
46. 10. 60.
11. 60.
26. 665,824.
27. 60.
48. 16. 904.
50. 20. 1064,1134.

Exodus.

1. 721.
2. 22. 49.
38.
3. 5. 780.
14. 228.
447,609.
4. 21. 1133.
25. 673,674.
6. 38.
7. 17. 707.
9. 16. 573.
10. 696,945.
12. 898.
13. 21. 609,703,996.
22. 703.
14. 1. 631.
13. 455.
19. 904.
22. 640.
24. 609.
19. 16. 609.

Cap.vers.fol.
20. 4. 581,637.
5. 360.
11. 567,605.
21. 8. 37.
22. 748,749, 827.
23. 748,749.
29. 752.
32. 752.
22. 25. 26,400.
1049.
23. 16. 588.
24. 10. 625.
28. 17. 668.
31. 17. 600,605.
32. 4. 709.
20. 709.
33. 1. 574.
3. 574.
4. 574.
34. 7. 360.
10. 554.
16. 273,285.
22. 588.
29. 273,285.
35. 3. 306.
39. 10. 668.

Leviticus.

4. 1011.
9. 24. 609.
11. 21. 37.
29. 721.
12. 2. 802,829.
16. 16. 553.
839.
17. 7. 752,906,981,
1011.
11. 769.
14. 769.

Cap.vers.fol.
770.
19. 19. 726.
28. 824.
31. 1037.
20. 6. 1037.
15. 751,752.
16. 751,752.
787,1049.
21. 1. 824.
25. 36. 37,400.
28. 9. 588.
10. 588.
40. 2. 609.

Numeri.

5. 657.
9. 15. 606.
11. 4. 724.
5. 724.
13. 724.
22. 724.
12. 6. 782.
13. 741.
15. 24. 36.
16. 22. 762,874.
30. 554.
609.
21. 6. 733.
8. 733.
30. 36.
22. 23. 941.
31. 708.
960.
23. 21. 629.
684.
24. 8. 729.
25. 38.
27. 16. 874.
18. 41.

Cap. vers. fol.

28. 24. 606.

Deuteronomium.

1. 7. 685.
2. 739.
3. 740.
4. 19. 700.
32. 554.
5. 23. 613.
6. 4. 228.
10. 22. 61.
11. 24. 685.
12. 23. 859.
13. 1. 990.
2. 990.
3. 990.
4. 990.
13. 906.
502.
18. 11. 1037.
15. 733.
1049.
21. 12. 396.
15. 401.
22. 5. 395.
23. 684.
24. 1. 401.
25. 5. 396.
28. 23. 594, 858.
27. 37.
30. 37.
29. 4. 767.
23. 663.
32. 17. 906.
33. 17. 729.

Iosua.

1. 24. 685.
3. 16. 659.
5. 2. 673, 674.

Cap. vers. fol.

668.
10. 13. 880.
14. 880.
638, 696.
14. 15. 739, 780.
15. 741.
17. 15. 553.

Iudicum.

2. 898.
4. 15. 712.
5. 20. 712.
7. 13. 36.
11. 37. 789.
38. 789.
39. 789.
12. 3. 36.
16. 21. 35.
38.
18. 11. 641.
19. 3. 36.
23. 906.

1 *Samuelis.*

2. 1. 41.
3. 37.
25. 374.
4. 12. 780.
5. 6. 37.
9. 37.
15. 11. 545.
16. ult. 1027, 1036.
17. 23. 36.
740.
23. 11. 12, 274, 290, &c.
25. 22. 39.
26. 782.
27. 10. 39.
28. 4. 926.

Cap. vers. fol.

8. 1038.
999, 1005, 1007, 1038.
29. 4. 906.

2 *Samuelis.*

5. 24. 996.
7. 28. 451, 454.
11. 1. 36.
12. 11. 12, 1133.
14. 2. 37.
16. 10. 1133.
17. 24. 1133.
20. 23. 36.
21. 736.

1 *Regum.*

4. 29. 662.
33. 662.
6. 5. 62.
7. 45. 709.
46. 709.
8. 23. 581.
647, 996.
9. 1. 780.
11. 14. 906.
23. 906.
12. 15. 1133.
33. 36.
16. 29. 1139.
17. 14. 25.
21. 762.
22. 762.
18. 38. 609.
45. 630.
19. 11. 631, 1030.
898.
21. 8. 35.
22. 19. 993.

Cap.vers. fol.
20. 993.
21. 993.
22. 923,1133.
23. 923,1133.
41. 1139.
926,935,975.
23. 31. 36.

2 *Regum.*

1. 2. 906.
10. 609.
12. 609.
17. 1139.
1022.
2. 10. 274.
11. 609.
38,1022.
3. 1. 1138.
22. 707.
5. 12. 36.
6. 16. 917.
17. 609.
7. 6. 996.
8. 10. 37.
26. 59.
11. 631.
15. 5. 1139.
19. 15. 451,454,600.
12. 684.
20. 18. 36.
23. 29. 685.
33. 37.
945.
24. 1. 907.
7. 684.

1 *Chronicorum.*

1. 18. 60.
45. 36.
3. 6. 60.
12. 60.
4. 7. 36.
6. 20. 36.
9. 5. 36.
17. 26. 45,454.
20. 739,240.
21. 1. 906.

2 *Chronicorum.*

5. 10. 1138.
ult. 49.
6. 13. 1138.
14. 581.
30. 924.
7. 1. 609.
9. 647.
11. 15. 1011.
17. 752.
16. 1. 49.
21. 17. 60.
22. 1. 60.
2. 49,59.
6. 60.
26. 15. 36.
27. 21. 1138.

Ezra.

4. 2. 37.
13. 986.
15. 986.
22. 986.

Nehemia.

2. 684.
9. 1. 780.
6. 451,454.
567,653.

Esther.

1. 2. 586.
986.

Iob.

1. 5. 993.
6. 935.
7. 935,993.
20. 41.
21. 1046.
36,631,885,
906,926,948,
975,990,1000,
1008,1021.
2. 7. 1027.
10. 41,1046.
11. 1046.
885,906,
1000.
3. 1027.
4. 11. 908.
19. 756.
5. 13. 41.
9. 5. 649.
8. 555.
695.
10. 9. 780.
12. 780.
785.
14. 5. 1096.
7. 604.
20. 26. 613.
21. 7. 117.
14. 174.
22. 24. 647.
24. 22. 756.
25. 6. 756.
26. 6. 626.
7. 593,637,638.
13. 555.
659,877.
28. 16. 647.
19. 647.
31. 7. 885.
33. 4. 821.

Cap.

SACRÆ SCRIPTURÆ.

Cap.vers. fol.
15. 782.
37. 18. 701.
38. 2. 41.
4. 637,638.
6. 598,637,638.
7. 569,598,867.
8. 640,658.
9. 640,658.
10. 640.
19. 703.
20. 703.
24. 630.
630,636,641.
650,653,656,
695.859,877.
39. 3. 576.
9. 729.
14. 708.
15. 708.
17. 576.
18. 576.
19. 576.
20. 576,718.
34. 41.
35. 41.
36. 41.
37. 41.
585,630,734,
859,860,877.
40. 3. 41.
14. 572.
17. 708.
630,859,860.
862,969.
41. 2. 4.
23. 724.
722,859,862.
908.

Cap.vers. fol.
42. 2. 36.
6. 41.
7. 40,41.
877,908.
Pſalmi.
1. 1. 181.
4. 867.
7. 14. 874.
15. 874.
8. 2. 172,559.
4. 172,174,559.
6. 756,885.
7. 756.
570,608,696,
721,860.
10. 5. 36.
11. 174.
14. 1. 166, 118,129.
154,174,1149.
15. 11. 948.
16. 3. 181.
4. 181.
10. 36.
ult. 780.
695.
18. 4. 35.
5. 35.
8. 637.
13. 626.
969.
19. 1. 2, 172, 174,
559,866,991.
2. 991.
5. 604,620,880.
6. 575,604,620.
638,880.
7. 575,604,620,
638,880.

Pſal.vers. fol.
8. 49, 478.
9. 478.
570,608, 615,
696.708,867.
22. 17. 34, 49, 52 &
ſeq.
22. 729.
24. 1. 569.
2. 560,569,636.
661.
5. 35.
6. 883.
29. 10. 658.
11. 877.
969.
31. 6. 762,765.
32. 9. 10,718.
734.
33. 1. 559.
6. 558.
7. 634.
9. 559.
14. 924.
633.
34. 7. 886.
8. 900, 948.
36. 6. 649.
37. 5. 451.
39. 6. 574.
7. 574.
9. 998.
42. 859.
44. 22. 924.
45. 10. 37, 647.
50. 12. 569.
51. 6. 374.
7. 708. 1096.
12. 554.

Cap.

Psal.vers.fol.
56. 7. 35.
58. 5. 970.
6. 735, 970.
59. 1. 559.
8. 174.
9. 559.
62. 10. 574, 756, 848.
65. 5. 653.
68. 14. 707.
969.
72. 5. 595, 604.
6. 595.
17. 604.
73. 13. 42.
14. 42.
77. 5. 1034.
7. 42.
8. 42.
9. 42.
19. 591.
658.
78. 25. 885.
49. 908. 1056.
83. 13. 53.
17. 1064.
27. 1074.
84. 696.
89. 44. 674.
90. 2. 649.
3. 757.
91. 5. 986, 993, 1012.
6. 908, 986. 989, 993, 1012.
11. 886, 900, 904. 732.
92. 11. 729.
94. 7. 174, 1149.
95. 555.

Psal.vers.fol.
96. 5. 555.
97. 7. 885.
888.
102. 12. 708.
26. 602.
27. 228, 602.
28. 228, 555, 623.
103. 4. 780.
5. 724.
11. 624, 636.
12. 624.
636.
104. 2. 591, 626.
4. 606, 911.
5. 533, 600, 637, 638.
6. 600, 605, 633, 640.
7. 600, 633.
8. 600, 633.
9. 640.
13. 585.
14. 585.
19. 604, 696.
25. 636, 722.
26. 722.
28. 570.
29. 574, 858, 874.
30. 574, 858, 866.
31. 569.
570, 636, 640, 650, 857, 859, 860, 945.
105. 25. 1133.

Psal.vers.fol.
30. 721.
106. 19. 175.
33. 39.
35. 906.
37. 986.
974.
107. 23. 641.
33. 658.
34. 658.
650.
109. 6. 908.
114. 11. 658.
659.
115. 3. 566.
16. 554, 560, 658, 745.
116. 11. 42.
119. 8. 478.
9. 478.
13. 53.
72. 478.
121. 2. 554.
6. 981.
125. 7. 626.
126. 5. 678.
130. 3. 37.
135. 8. 630.
25. 575.
906.
136. 1. 559.
5. 559, 867.
6. 661.
8. 604.
9. 604.
10. 559.
696.
137. 5. 558.
6. 558.

SACRÆ SCRIPTURÆ.

Psal. vers. fol.
7. 558.
8. 558.
9. 558.
139. 2. 252.
3. 252.
4. 252.
5. 252.
6. 252.
14. 757.758.
15. 575. 757, 758. 585, 630, 785, 795, 869.
144. 3. 756.
4. 756.
145. 9. 558.
146. 5. 559.
6. 559.567.
147. 4. 691.
8. 575.
9. 576. 969.
148. 1. 559.
4. 554.
5. 554.
14. 559.
149. 7. 722. 625.
150. 6. 859.

Proverbia.

2. 7. 36.
3. 15. 36.
19. 867.
4. 3. 37.
5. 177.
6. 19. 35. 35.

Cap. vers. fol.
8. 22. 553, 568.
23. 568.
24. 568.
25. 649.
27. 590,620,635.
30. 596.
14. 22. 839.
16. 4. 373,559.575.
17. 13. 35.
19. 7. 37.
21. 1. 924.
22. 3. 35.
23. 23. 177.
25. 3. 696.
13. 651,652.
30. 1. 42.
4. 630.
17. 609.
24. 872.
25. 872.
26. 872.
27. 872. 630.
31. 1. 43.

Ecclesiastes.

1. 2. 574,700,848.
4. 638,700,880.
5. 590,638,700, 880.
6. 590,638,880.
7. 880. 641,664,684, 795,869,877, 945.
3. 1. 587.
7. 3. 1045.
10. 1005. 917.

Cap. vers. fol.
8. 11. 41.
12. 41.
9. 1. 41.
2. 41,1016.
3. 41.1016.
4. 37. 1027.
12. 1. 554.
7. 762,765,778, 781,798,813, 817,819.

Canticum Canticorum.

4. 6. 981. 684.
5. 11. 647.

Iesaia.

1. 3. 576.
20. 5.
2. 1. 528.
22. 780.
3. 15. 36.
16. 24.395.
5. 574.
6. 3. 883.
9. 412,1064.
10. 1064.
12. 36. 888,893.
7. 788.
8. 19. 1005.
20. 1005.
9. 3. 37.
5. 49.
10. 5. 1063,1133.
6. 1063,1133.
7. 1064.
15. 575.
11. 6. 594.

Cap.vers.fol.

8. 632.
13. 10. 692.
16. 37.
21. 752, 908, 981, 1011.
22. 752.
14. 29. 732, 733.
17. 7. 554.
26. 8. 814.
9. 814.
12. 575.
28. 19. 35.
29. 16. 572. 904.
30. 6. 733.
26. 694, 708.
31. 4. 451.
34. 14. 729, 908, 981, 1011. 729, 1005.
36. 21. 999.
38.
37. 8. 638.
12. 684, 686.
16. 555.
36. 904. 696, 898.
38. 8. 708.
40. 12. 555, 569, 620.
13. 4, 249, 555, 567.
14. 252.
15. 569, 756.
18. 25, 455.
21. 172, 174.
22. 569, 590, 591, 635.
26. 172, 174, 555, 559.

Cap.vers.fol.

28. 555, 569. 636, 637, 861, 1073.
41. 4. 451.
7. 594.
42. 1. 529.
5. 554.
43. 7. 553.
10. 455.
15. 554.
44. 6. 227, 455.
23. 933.
24. 555.
45. 7. 554.
12. 554, 555.
18. 554, 555, 560, 606.
46. 10. 252.
48. 12. 455.
13. 555, 601.
51. 13. 559, 600.
53. 6. 839.
54. 10. 649.
55. 570.
57. 19. 554.
60. 19. 700.
20. 700.
61. 12. 10, 478.
63. 9. 37.
12. 883.
17. 1133.
64. 4. 908.
65. 7. 36.
17. 554.
66. 2. 880.

Ieremias.

2. 18. 685.
3. 2. 37.

Cap.vers.fol.

37. 1133.
4. 9. 600.
23. 600.
5. 22. 640, 659. 637.
6. 29. 36, 709.
8. 1. 1133.
7. 576.
17. 632.
10. 1. 570.
10. 172.
11. 490, 555.
12. 867.
13. 626, 630.
12. 1. 42.
2. 42.
15. 4. 35.
17. 9. 924.
10. 249.
18. 2. 780.
3. 36.
16. 780.
21. 1. 907.
23. 6. 49. 455.
24. 9. 35.
28. 1. 36.
29. 18. 35.
30. ult. 683.
31. 22. 554.
35. 692, 694, 700.
36. 692, 700.
37. 691.
40. 36.
33. 20. 945.
22. 691, 692.
25. 945.
41. 17. 35.

Cap.

Cap.vers.fol.
18.35.
51. 3. 34.
15.867.
Ieremiæ Threni.
4. 1005.
Ezechiel.
2. 16. 17,274.
9. 4. 883.
5. 883.
888.
12. 841.
14. 4. 906.
18. 4. 765.
763.
22. 3. 906.
893.
23. 47. 553.
27. 11. 742.
23. 684,686.
28. 3. 896.
29. 18. 907.
32. 2. 722.
7. 694.
37. 10. 35.
47. 12. 594.
Daniel.
1. 1. 907.
2. 6. 986.
3. 609.
4. 11. 574.
15. 885.
32. 574,756.
33. 1055.
34. 1055.
35. 848.
941.
6. 2. 986.
7. 3. 641.
8. 26. 883.

Cap.vers.fol.
9. 24. 36.
10. 4. 684.
12. 904.
13. 815,888.
21. 893.
12. 1. 888.
3. 625.
Hosea.
1. 2. 993.
2. 20. 858.
21. 574,575,858.
22. 574,575.
Ioel.
2. 38. 712.
Amos.
3. 6. 1133.
4. 7. 594.
9. 6. 702.
Iona.
1. 4. 659.
9. 653.
13. 659.
17. 722.
631.
Micha.
1. 10. 36.
Nahum.
1. 3. 360.
Habakuk.
1. 12, 13, 360.
2. 19. 874.
Haggai.
2. 7. 594.
8. 594.
Zacharia.
1. 8. 883.
2. 5. 883.
6. 883.

Cap.vers.fol.
3. 1. 906,932.
2. 906.
897.
4. 2. 36.
12. 1. 765,817,819,
820,827,828.
5. 798.
1072.
13. 2. 695.
14. 2. 37.
Maleachi.
4. 696.
Euangelium Matthæi.
1. 1. 1114.
20. 788.
21. 788.
2. 23. 49.
3. 9. 246,413.
16. 996.
17. 996.
564.
4. 1. 993,999.
2. 993,999.
3. 999.
6. 900,1021.
8. 972.
24. 907,947,960,
962,975,977,
1019, 1020,
1038,1039.
5. 18. 34,51.
27. 49.
1040.
6. 7. 991.
9. 75.
24. 908.
25. 762.
28. 585.

Cap. vers. fol.
39. 585.
907.
7. 22. 907, 1027.
1045.
8 16. 1019, 1020.
26. 1030.
27. 1019.
28. 1020, 1030.
29. 923, 1023, 1028.
31. 924, 1021, 1028,
1030.
32. 1021, 1030.
927, 949, 959,
983, 1020, 1029,
1030, 1037,
1041, 1046,
1056.
9. 32, 1020.
834.
10. 25. 906, 979.
28. 762, 765, 813.
30. 1021.
31. 1021.
777, 778, 1020.
11. 11. 893.
21. 274, 287, 288.
25. 4, 5.
27. 4, 5, 920.
12. 22. 63, 1020.
24. 906, 979.
25. 1022.
26. 948, 979, 1022.
32. 581.
843, 983.
13. 11. 4.
14. 1. 1019.
26. 985, 986, 999.
763.

Cap. vers. fol.
15. 19. 767.
22. 1019, 1020, 1031.
23. 1030.
16. 2. 631, 712.
3. 712.
14. 826.
17. 4, 5.
24. 5.
17. 2. 703, 1007.
3. 996, 1007.
5. 703, 996.
15. 1031, 1039, 1040.
21. 981, 1036.
918, 959, 1038,
1040, 1055.
18. 7. 1133.
10. 886, 888.
904.
19. 7. 8, 401.
26. 409, 413.
576, 756, 1043.
22. 29. 8.
30. 560.
32. 658, 832.
37. 497, 764.
38. 497.
39. 497.
44. 8.
738.
23. 9. 75.
35. 59.
24. 22. 274.
27. 703.
692, 945.
25. 21. 834, 907.
36. 1045.
41. 918, 977, 978,
979.

Cap. vers. fol.
43. 560,
568, 888.
26. 24. 757, 1133.
53. 246. 274.
1072, 564.
27. 9. 49, 59.
45. 708.
50. 765.
696, 945.
28. 2. 934.
16. 51.
18. 756.
19. 65, 471, 571.

Euangelium Marci.

1. 24. 925, 1031.
34. 925.
2. 22. 1031.
3. 11. 925.
12. 925.
29. 581.
5. 2. 1027, 1055.
3. 1030, 1053,
1055.
4. 1030, 1053,
1055.
5. 1031, 1055.
6. 1055, 1030.
7. 1023, 1028, 1031.
8. 1027.
9. 1028.
10. 1023, 1028.
12. 1023.
15. 1031.
18. 1019.
6. 16. 985, 986.
49. 999.
8. 46. 1019.

Cap.vers.fol.
9. 17. 1024.
18. 1024.
20.1030,1040.
21. 1021.
22. 1024, 1027,1030.
23. 1024.
24. 1024.
25. 1028.
26.1028,1030, 1040.
43.834.
44.834. 609,1041, 1042.
13. 630,700.
16.9. 1010.
15.571.
16.471.
18.663.
Euangeliũ Lucæ.
1. 1.47,33,531.
3.47.
19.888.
34.788,789.
35.788.
37.409,555.
67.43.
70.43.
71.43. 572.
2. 5. 824.
7. 824.
9. 703,934.
13. 885,888, 934.
15.934.
25.43.
26.43.
27.43.
34.43, 1064.
35.43.
3. 23. 1113.
36.49,60.
38.1113.
4. 18. 35,53.
19.35,53.
24.1031.
32.1020.
35.1029,1031, 1046.
39.907.
42.925, 991, 1046. 962,1044, 1046.
7. 21. 907.
47. 1072. 1072.
8. 2. 1021,1027.
27.1030,1031.
29.907.
31.924,1023.
32.1023.
35.1031. 1037,1066.
9. 25. 1039.
39.907,1027, 1031.
42.1031. 1020.
10.17.1008.
18.703,922, 1008. 979.
11.16.948.
24.993,1027.
26.981,1036. 918,983.
12.10.581.
28.575.
54.631,712.
55.631, 712.
56.631.
13.11.1027,1055.
16.1021,1027, 1030. 1041.
15.10.900.
16.11.900.
17.34.
22.900.
23.993.
24.993.
28.1005.
31.1005. 814,834.
17.1. 1133.
5. 534.
21.25.696.
22.3. 960,1019, 1033.
22.1133.
23.1063.
53.947. 1072.
23.43.832.
46.778,814.
24.16.708,960.
25.5.
26.1133.
27.5.
31.426.
37.985, 999, 1000,1007.
38.999.
39. 174,985, 999.
40.174.
Euang.Iohannis.
1. 3. 586.
4. 555.
5. 4.
9. 140,228.
18. 4.
51.934. 439.
2. 3. 824.
5. 824.
12.824.
3. 5. 814.
6. 820,1096.
8. 630.
16. 1072. 570, 869, 1100.
5. 17.19,380,566, 824.
18.566.
19.566.
20.942.
21.942.
23.471.
24.834.
26.455,521.
32.235.
39.8.
46.8. 486.
6. 19.999.
20.999.
70.976. 758,843.
7. 28.475.
8. 9. 454.
19.471.
29.917.
44.844,915, 922,976.

Cap.vers.fol.
54. 471.
55. 471.
58. 471.
598, 927, 975.
9. 1. 990, 1011,
1022, 1044.
10. 36. 566.
37. 566.
38. 479, 566.
40. 1133.
11. 834.
12, 28. 996.
30. 412.
31. 907, 977.
37. 133.
38. 133.
39. 133.
40. 133, 412.
1064.
13. 2. 960, 1020.
22. 497.
27. 960.
14. 1. 471, 622.
2. 424, 622.
3. 424, 622.
4. 424, 622.
6. 530.
13. 947.
16. 235, 481, 486.
17. 481. 486.
20. 979.
23. 480.
26. 481.
28. 528.
15. 21. 471.
26. 486.
16. 3. 471, 499, 973.
7. 481.

Cap.vers.fol.
11. 923, 977.
13. 380, 481, 1167.
14. 380.
15. 380, 486.
23. 486.
27. 486.
979.
17. 3. 177, 455, 471.
5. 568.
10. 479, 480.
11. 479, 486.
12. 834.
21. 479.
22. 479, 480.
23. 479.
26. 486.
18. 960.
19. 11. 479.
20. 14. 708, 960.
15. 708, 960.
27. 174.
28. 454.
31. 471, 480.
21. 17. 252.
25. 45.
1072.

Acta Apostolorum.

1. 14. 924.
16. 1133.
18. 765.
25. 765, 834.
2. 2. 996.
19. 609, 712.
23. 1063. 1134.
30. 1114.
37. 1037.
631, 692, 696,
996, 1072.

Cap.vers.fol.
3. 21. 584, 597.
4. 20. 47.
24. 567.
28. 552, 1133.
5. 3. 960, 1019,
1033.
4. 1022.
38, 975.
7. 14. 49, 60, 756.
59. 514, 762, 765,
814.
60. 479.
8. 2. 765.
7. 1015.
26. 49.
9. 3. 996.
4. 996.
1072.
10. 14. 43.
1015.
12. 7. 703.
15. 46.
25. 1007.
898, 904.
13. 20. 49, 62.
27. 5.
907.
14. 11. 579.
15. 172, 567, 579.
570, 559.
15. 8. 8.
9. 8.
16. 8.
17. 8.
18. 252.
37. 39.
38. 39.
16. 16. 1031, 1055.
17. 991, 1031, 1046,

Cap.vers.fol.
18. 991,1046.
27. 1072.
29. 1015.
30. 1015,1073.
1008,1037.
17. 2. 5,8.
3. 570.
11. 8.
16. 745.
24. 583.
26. 26, 646,738,
755,794.
27. 28,172,177.
28. 574.
29. 579.
559,575,698,
1113.
18. 12. 1020.
13. 1020.
14. 1055.
15. 1055.
16. 1055.
29. 8.
19. 16. 948.
1008, 1021,
1046.
20. 20. 758.
22. 6. 703.
23. 5. 44.
8. 907,909.
25. 9. 498.
10. 498.
11. 498.
26. 27. 37.
27. 631,650.
28. 4. 1044.
631.

Ad Romanos.

1. 2. 37.
18. 140,143.
19. 2, 5, 144, 172,
174, 177, 557,
559,571, 933.
20. 2, 5, 144, 172,
174, 177,555,
557,559,679,
933.
21. 4,398,767.
22. 4,398.
23. 4, 398, 579,
1074.
24. 1074,1133.
25. 1074.
26. 1074,1133.
27. 1074,1133.
28. 1074.1133.
32. 352,360, 763.
2. 2. 5, 360.
3. 5, 360.
8. 352.
9. 352.
14. 2, 5, 140, 143,
177.
3. 3. 1063.
4. 1063.
5. 1063.
6. 360.
7. 1064.
8. 1064.
11. 839.
25. 26,361.
28. 8.
29. 353.
30. 353.
353.
4. 11. 560.
17. 560,610, 942.
19. 787.
5. 3. 1064.
5. 480.
12. 698,796,1082,
1092,1096.
13. 796.
19. 698, 1096.
20. 1064,1072.
21. 1064.
1114.
6. 1. 1063,1064.
2. 1063,1064.
11. 8.
12. 879.
13. 879.
711.
7. 5. 1064.
10. 1064.
11. 1064.
13. 1064.
24. 834.
8. 3. 353.
15. 75,148.
16. 148.
19. 576.
20. 594,700,863.
21. 594,597,863.
22. 576.
26. 148.
28. 1029, 1064,
1074.
29. 252.
38. 907.
ult. 944.
486, 584, 619,
1072.
9. 12. 796,797.
15. 915, 920, 1133.

Cap.

INDEX

Cap.vers.fol.
17.573.
18.915,1133.
20.572.
21.573.
23.560.
1073.
10.2.497,499.
3.359.
13.483.
14.483,529.
16.483.
645.
11.3.646.
11.1064.
12.1064.
15.1064.
31.1064,1072.
32.1064,1072.
33.4,249,567,
1073.
34.4,249,567.
35.227,352,372,
373,567,915,
920.
36.227,352,372,
373,559.
ult.455,575.
12.2.5,880.
7.7,8,73.
19.360.
20.606.
13.1.765.
14.23.500.
479.
16.20.923.
22.46.
977.
1. *Ad Corinthios.*
1.2.490.

Cap.vers.fol.
18.5.
19.5.
20.5.
21.5.
22.5.
23.4.
2.11.924,1028.
12.814.
13.8.
14.4.
16.4.
834.
3.1.128.
6.575.
9.41.
490.
4.7.490.
15.75.
1072.
5.5.979.
11.181.
13.499.
15.499.
1022.
6.3.907.
4.451.
19.481,879.
20.481,879.
977.
7.12.45.
25.45.
34.879.
40.45.
8.6.559.
9.16.47.
25.797.
27.797.
10.7.175.

Cap.vers.fol.
11.51.
16.8.
20.175,907,1002.
31.395.
977.
11.3.528,529.
8.781.
13.8,365.
14.8,396.
19.133.
12.1.472.
2.472.
3.472.
6.472,1019.
11.472.
13.1019.
16.575.
570.
13.9.1005.
10.1005.
12.4.
14.14.814,815.
16.815.
29.8.
1047.
15.13.490.
24.531.
30.756.
32.175,178,181,
188,1149.
34.181.
39.859.
40.602,696.
41.694,696.
45.579,878.
46.759.
47.759,780.
48.759.

Cap.

Cap. vers. fol.
49. 759.
51. 724.
53. 759.
54. 759.
55. 490.
738, 860, 1114.
16. 22. 496.
2. *Ad Corinthios.*
1. 3. 1033.
4. 1033.
9. 942.
22. 481.
2. 11. 974.
3. ult. 756.
4. 4. 844, 907, 960, 964, 1027.
6. 560, 610, 611, 613.
18. 597. 610.
5. 1. 597, 759, 797.
2. 597, 759, 797, 834.
3. 597, 759, 797.
4. 759, 834, 1064.
5. 622.
7. 1005.
10. 796, 797.
18. 1072.
19. 1072.
6. 10. 1064.
11. 1064.
14. 181, 493.
17. 181. 906.
7. 1072.
10. 4. 5.
Cap. vers. fol.
5. 6. 149.
11. 3. 844, 907, 960, 971, 974, 976. 1000, 1033.
5. 45.
14. 971.
15. 971.
17. 45. 1008.
12. 7. 906, 907, 1021.
9. 923, 1064.
10. 1064.
11. 756. 894, 990, 1008, 1041, 1073.
13. 13. 471, 472, 479, 482, 486.
Ad Galatas.
1. 13. 499.
14. 499.
11. 39, 43.
12. 39, 43.
13. 39, 43.
14. 39, 43.
21. 175.
3. 1. 188, 490, 499.
2. 490, 499.
5. 1019.
22. 1072.
4. 2. 491.
6. 75.
8. 455.
9. 188.
19. 75.
5. 1. 499.
2. 175, 178, 188, 490, 499, 500.
Cap. vers. fol.
3. 490, 499.
4. 175, 178, 188, 490, 500.
10. 500.
12. 500.
6. 11. 47.
Ad Ephesios.
1. 4. 568.
6. 1072.
7. 1072.
11. 252, 567, 920.
17. 4, 8.
18. 4, 8, 483.
19. 404, 405.
21. 581, 756, 882.
22. 756.
23. 861. 893, 896.
2. 2. 907, 1020, 1027.
3. 1096.
6. 1000.
7. 935, 993.
12. 5, 116, 174, 1149.
13. 5, 116, 174, 1149.
3. 14. 75.
18. 620.
4. 4. 861.
14. 483.
15. 483.
16. 859.
17. 4.
18. 4.
23. 5.
30. 481.
5. 5. 175.

Cap. vers. fol.
8. 4.
12. 1022.
13. 704.
29. 576, 758.
756.
6. 12. 907, 935, 948,
979, 993, 998,
1034.
13. 923, 948, 998,
1034.
14. 998, 1034.
927, 977.
Ad Philippenses.
1. 9. 482.
10. 482.
11. 1064.
21. 834.
23. 1064.
2. 7. 756, 848.
9. 521.
10. 581.
12. 756.
13. 1019.
3. 6. 498.
9. 359, 428.
19. 1149.
468.
4. 8. 395.
Ad Colossenses.
1. 1. 139.
13. 932.
15. 473, 486, 756.
16. 473, 486, 555,
559, 567, 580,
584, 586, 756,
882.
17. 473, 486.
18. 473, 486, 885.

Cap. vers. fol.
23. 473.
29. 1019.
434, 574, 893.
2. 2. 473.
4. 473.
6. 473.
7. 473.
8. 473.
9. 473.
10. 473.
13. 923.
3. 5. 175.
16. 482, 578.
1. *Ad Thessalonicenses.*
2. 13. 1019.
15. 497, 499.
16. 497, 499.
3. 11. 534.
4. 5. 1149.
16. 882, 893.
893.
21. 8.
23. 764, 814, 879.
481.
2. *Ad Thessalonicenses.*
1. 1. 39.
6. 352, 360.
7. 352, 360.
8. 609, 844.
9. 482.
2 3. 1133.
9. 1020.
10. 1034.
12. 1133.
17. 534.
1. *Ad Timotheum.*
1. 13. 498.
15. 498.

Cap. vers. fol.
16. 1072.
17. 228, 250, 455,
499.
19. 20, 128.
20. 500.
756, 1022.
2. 13. 571, 781.
14. 1092.
3. 4. 595.
16. 4.
4. 1. 43, 971.
2. 971.
3. 576.
4. 564.
575.
5. 15. 976.
6. 3. 483.
5. 844.
16. 243, 455.
20. 483.
576, 756, 776.
2. *Ad Timotheum.*
1. 9. 623.
2. 4. 797.
5. 797.
12. 797.
13. 409, 413, 555.
15. 8.
17. 500.
3. 8. 45.
15. 521, 1047.
16. 5, 31, 482, 1047.
4. 6. 43.
14. 500.
15. 8.
Ad Titum.
1. 9. 8.
2. 13. 454.

Cap.vers.fol.
Ad Philemon.
5. 63.
Ad Hebræos.
1. 2. 486.
3. 486, 574, 593, 653, 858.
4. 574.
5. 863.
6. 863.
7. 863, 885.
10. 555, 602.
11. 602.
13. 863.
14. 863, 886, 900, 904. 439, 888.
2. 5. 580, 581.
9. 454.
10. 756.
11. 719, 755, 756, 758, 798.
12. 755, 798.
13. 755, 798.
14. 719, 755, 757, 758, 798, 830, 923.
15. 755, 758, 798.
16. 755, 756, 758.
17. 353, 830.
3. 4. 583.
7. 555.
9. 555.
12. 481.
13. 481.
18. 481.
4. 12. 8, 252, 814.
13. 571. 1026.
5. 14. 8.

Cap.vers.fol.
468.
6. 1. 490.
2. 490.
18. 409, 413. 843.
7. 7. 8.
10. 824.
26. 1114.
8. 2. 553, 591.
9. 4. 1138.
7. 839.
11. 553.
10. 1. 708.
5. 757.
11. 3. 560, 568, 607, 610.
9. 874.
10. 578, 598, 874.
11. 802.
19. 8, 597, 942.
39. 835.
40. 835.
12. 1. 797, 623.
2. 797.
9. 798, 817, 819, 820.
16. 117.
27. 597.
28. 597.
Iacobi Epistola.
1. 2. 1046.
3. 1046.
17. 228.
2. 19. 144. 177, 923.
3. 1. 128.
7. 614.
4. 7. 923, 977.

5. 10. 1046.
11. 1046.
19. 483.
20. 483.
1 Petri Epistola.
1. 2. 490.
13. 8.
17. 75.
25. 51. 834.
2. 7. 1064.
3. 2. 3, 395.
22. 893.
4. 17. 1021.
18. 1001.
19. 555.
5. 8. 1022, 1036.
9. 1036.
12. 45. 923, 927, 948, 976, 977, 1000.
2 Petri Epistola.
1. 21. 31, 37, 47.
2. 4. 915.
5. 745.
16. 734, 941. 598, 935, 945.
3. 1. 8.
3. 135.
5. 637.
6. 658.
7. 609, 658.
10. 602.
12. 1064.
13. 597.
17. 1149. 597, 661, 933.
1 Iohannis Epistola.
1. 5. 228.

Cap.vers.fol.
8. 490,499.
9. 5.
2. 9. 839.
10. 839.
11. 839.
18. 473.
19. 473.
20. 473.
22. 473.
23. 473.
24. 473.
3. 8. 922, 923, 976, 977.
10. 976.
20. 252. 1081.
4. 1. 3,473.
2. 3,473.
3. 499.
8. 16,228. 490.
5. 7. 471,482.
9. 4,482.
10. 482.
11. 482.
12. 482.
13. 482.
20. 447, 454, 471, 472.
2 Iohannis Epistola.
10. 183.

Cap.vers.fol.
Iudæ.
1. 587.
6. 598, 915, 919, 935.
9. 885, 898, 948.
10. 395.
11. 130.
18. 135.
19. 123, 125.
25. 250.
Apocalypsis.
1. 4. 888.
8. 227,455.
11. 455.
14. 251.
19. 109. 447,889, 890. 891,893.
2. 2. 251.
9. 251,976.
13. 976.
18. 251.
23. 249. 1061.
3. 708.
4. 8. 455.
11. 559. 891.
5. 6. 888.
6. 15. 500. 1019.

Cap.vers.fol.
7. 17. 625,626.
8. 3. 901.
4. 901.
5. 901.
9. 11. 907.
10. 5. 455.
9. 700. 979.
12. 1. 1056.
7. 977.
9. 907,918,979.
10. 948.
12. 927.
13. 1. 641.
2. 976.
11. 976.
12. 976.
13. 607,967.
14. 7. 559.
13. 1005. 1026.
19. 20. 668.
20. 10. 977,978.
12. 918.
21. 16. 591.
22. 9. 907.
20. 479.

INDEX

Authorum Citatorum.

A.
Abaillardus.
Abanus.
Abbas Maurolycus.
Abdia Babylonicus.
Aben Ezra.
Tibhon.
Abotus.
R. Abraham.
Doreſlaer.
Ramburtius.
Abulenſis.
Accurſius.
Achabi Jejunium.
Acontius 495 504.
Acta quædam in Claſſe Schielandica.
Adrianus Junius.
Adrichomius.
Ægidius de Coninck.
Romanus.
Ægineta.
Ælianus.
Æneas Gazæus.
Sylvius.
Aëtius.
Agaſelis.
Agatha.
Agellius.
Agricola.
Agrippa.
Ainſworthus.
Alagona.
Albertinus.
Albertus Krãtzius.
Magnus.
de Saxonia.
Albinus Flaccus.
Albumaſar.
Alcazar.
Alciatus.
Alcinous.
Alcoranus.
Alcuinus.
Aleardus Veronenſis.
Alegambe.
Alexander.
ab Alexandro.
de Alez.
Myndius.
Polyhiſtor.
Roſſeus.
Alexis Pedemontanus.
Algerus.
Alhaſenus.
Aliaco.
Alpharabius.
Alphonſus Curiel.
Mendoza.
Almaſor.
Almagnus.
Alſtedius.
Altenſtaig.
Althuſius.
Altingius.
Altiſiodorus.
Alvarez.
de Paz.
Alzarius.
Amama.
Amatus Luſitanus.
Ambroſius.
Catharinus.
Pareus.
Orator.
Ameſius.
Ammianus Marcellinus.
Anaſtaſius.
Bibliothecarius.
Nicenus.
Sinaita.
Anaxagoras.
Andradrius.
Andreas Cattanius.
Craſtovius.
Cretenſis.
Jurgievvicius.
Philopatrus.
Angelus de Clavaſio.
Morellius Aretinus.
Roccha.
Anna Maria Schurman.
Annales Belgarũ.
Brunwicenſes.
Hollandiæ.
Annibal Guaſcenus.
Annotatio ad Biblia Anglica.
ad Biblia Belgica.
Anonymus Remõſtrantium.
Anonymi Concluſiones Thomæ.
Anſbertinus.
Anſelmus.
Avelburgenſis.
Antigonus.
Antimachiavellus.
Antiſiodorienſis.
Antonini Summa.
Antonius Dauroultius.
Cujanerius.
Plantius.
Spinellus.
Vaſconcellus.
Aphrodiſæus.
Apologia Principis Arauſionenſis.
Remonſtrantiũ.
Appollonius.
Apulejus.
Aquapendente.
Aquila.
Aratus.
Archangelus de Burgo.
Aretinus.
Aretius.
Argentinas.
Arias Montanus.
Ariminenſis.
Arminius.
Ariſtotelis.
Armandus de Belloviſu.
Arnobius.
Arnoldus Sorbinus.
Veſalius.
de Villa Nova.
Arriaga.
Arrianus.
Ars Jeſuitica.
Arthurus.
Arumæus.
Athanaſius.
Athenagoras.

Athenæus.
Aubertinus.
Aventinus.
Averröes.
Auguſtinus.
Epiſcop. Nebienſis.
Steuchus.
Avicenna.
Aulus Gellius.
Aurelius Augurellus.
Aureolus.
Auſonius.
Author de Abdicatione Henrici III.
Animadverſionum in hiſt. Thuani.
Arcani Punctationis.
de Moribus & Religione Turcarum.
Secretorũ Turco-Papiſticorum.
Azo.
Azorius.

B.

BAccius.
Bachoſius.
Bachovius.
Bajus.
Balduinus.
Baleus.
Balleſter.
Balſamus.
Balthaſar Lydius.
Bandini Sententiæ.
Bannes.
Baptiſta Fulgoſus.
Mantuanus.
Porta.
Baranzanus.
Barboſa.
Barerius.
Barlæus.
Barlandus.
Barlou.
Baronius.
Bartas.
Barthius.
Bartholdus Nihuſius.
Bartholomeus Anglicus.
Sibyllam.
Bartholinus.
Baruch Canephus.
Baſilius Magnus.
Moſcorum Dux.
Baſſeus.
Baſſo.
Baſſolus.
Baudartius.
Bauhinus
Bayllus.
Becanus.
Beda.
Beeckmannus.
Beka.
Bellarminus.
Bellonius.
Bembus.
Bencius.
Benedictus Fernandez.
Thalmannus.
Vernierus.
Bensfeldius.
Benjamin Tudelenſis.
Benignus Saumaiſe.
Berengarius.
Bernardinus Scardeus.
Bernhardus.
Gomeſius.
Lavinetha.
Mirandulanus.
Senenſis.
Bereſchit.
Beroaldus.
Bertramus.
Bertius.
Beſoldus.
Beſſæus.
Beſſarion.
Bethem.
Beverovicius.
Beumlerus.
Beza.
Biblander.
Bibliotheca Patrũ.
Rabbinica.
Senenſis.
Biermannus.
Bifeldius.
Billius.
Prunæus.
Binderus.
Binetus.
Binnius.
Blancanus.
Blondellus.
Bloyſius.
Bocacius.
Bochellus.
Bockenbergius.
Bodecherus.
Bodinus.
Boërius.
Boethius.
Bogermannus.
Boiſtæus Launæus.
Bonacina.
Bonaventura.
de Perez.
Vulcanus.
Bonfrerius.
Bongus.
Bonincrontius.
Bonnefidius.
Boot.
Bor.
Boterus.
Boulduc.
Boxhornius.
Bradwardinus.
Bredenbachius.
Brentius.
Briſſonius.
Brito.
Brodeus.
Broeckerus.
Broughtonus.
Brutum fulmen.
Buccaferrus.
Bucerus.
Budæus.
Bulengerius.
Bullarius Cherubinis.
Bullæ Pontificum.
Bullingerus.
Bunderius.
Burchardus.
Burgenſis.
Buridanus.
Burrius.
Buſæus.
Buſtamantinus.
Buxtorfius.
Bzovius.

C.

CÆſar Cæſarius.
Heyſterbachus.
Longius.
Cæſius.
Cajetanus.
Calcagnius.
Calixtus.
Callimachus.
Calliſtus.
Calvinus.
Calviſius.
Cambdenus.
Camerarius.

Ca-

AUTHORUM.

Camero.
Campanella.
Campianus.
Canonhierus.
Canoniſtæ.
Cauſingerus.
Canus.
Cantipratenſis.
Capellus.
Capreolus.
Capullus.
Carantza.
Cardanus.
Cardinalis Paleotus.
de Turrecremata.
Sarnanus.
Carletonus.
Carolſtadius.
Carolus de Maets.
Carpzovius.
Cartwrightus.
Caſaubonus.
Caſmannus.
Caſparus Stiblinis.
Caſſander.
Caſſianus.
Caſſiodorus.
Caſtaneus.
Caſtalio.
Caſtanneda Luſitanus.
à Caſtro.
Caſus.
Catalogus Teſtimoniorum.
Catecheſis Concilii Tridentini.
Jeſuitica.
Heydelbergẽſis.
Racoviana.
Remonſtrantiũ.
Catholicus.
Catullus.
Cavellus.
Cedrenus.
Celada.
Cenſuræ Confeſſionis Remonſtrantium.
Centuriæ Magdeburgenſes.
Chabeus.
Chabotius.
Chalcidius.
Chamierus.
Charondas.
Chareonus.
Chavaſſus.
Chemnitius.
Cherubinus.
Chiconius.
Choretus.
Choppinus.
Chriſtophorus à Capite Fontium.
Sthatmion.
Chronicon Belgii.
Brabantiæ.
S. Franciſci.
Friſiæ M. S.
Heuſdanũ M. S.
Magnum Hollãdiæ.
M. S.
Rhytmicum.
Templi S. Mariæ Angelorũ.
Chryſologus.
Chryſoſthomus.
Chytræus.
Cicero.
Cirvellus.
Ciſalpinus.
Claudianus.
Clapmarius.
Claramontius.
Claudius de Carnin.
Duretus.
de Sainctes.
Taurinenſis.
Clavius.
Clemens Alexandrinus.
Romanus.
Cleomedes.
Cloppenburgius.
Clichtoveus.
Clingius.
Cluſius.
Cluto.
Cluverius.
Clypeus Veritatis.
Coccius.
Cocus.
Codex Canonum Eccleſiæ Univerſæ & Africæ.
Cœlius.
Collatio Hagienſis.
Collegium Complutenſe.
Conimbricenſe.
Inſulenſe.
Combachius.
Comenius.
Commentatores in Lombardum & Thomam.
Colloquium Ratiſbonenſe.
Mompelgardenſe.
Thorunienſe.
Wormatienſe.
Concilium Ancyranum.
Antiochenum.
Arelatenſe.
Arauſionenſe.
Chalcedonenſe.
Conſtans.
Conſtantinopolitanum.
Eleberinum.
Epheſinum.
Laterenſe.
Nicenum.
Palæſtinum.
Toletanum.
Tridentinum.
Viennenſe.
Wormatienſe.
Conclave Ignatii.
Condronchus.
Confeſſio Belgica.
Fidei Chalcedonienſium.
Remonſtrantiũ.
Conradus Aſlacus.
Bergius.
Wimpina.
Conſilia Pacifica.
Principum Germaniæ.
Conſtitutio Sixti v.
Conſtitutiones Eccleſiaſticæ.
Contarenus.
Contzen.
Coornhert.
Copernicus.
Coppenius.
Corduba.
Cornelius Gemma.
á Lapide.
Muſſus.
Cornmannus.
Corretus.
Corvinus.
à Coſta.
Coſterus.
Cottonus.
Couvarruvias.
Cralingius.
Cramerus.
Cremoninus.

Crel-

INDEX

Crellius.
Crinesius.
Cristallinum Perspicillum.
Crocius [Ludovicus.]
Cronijck vā Holland.
Crollius.
Cujacius.
Cumel.
Cumiramus.
Cusanus Cardinalis.
Cyprianus.
Cyrillus Alexandrinus.
Hierosolymitanus.
Patriarcha.

D.

DAillæus.
Dalecampius.
Damascenus.
Damasus.
Danæus.
Dandinus.
Daniel Dijcke.
Davenantius.
David Christianus.
Gilbertus Ultrajectinus.
Georgius.
Kimchi.
Rungius.
Decretum Ordinū Hollandiæ.
Delrio.
Dempsterus.
Deodatus.
Descriptio novi Orbis.
Detectio Orbis in Luna.
Diana.
Diazius.
Didoclavius.
Didymus Alexandrinus.
Diest.
Diodorus Siculus.
Diogenes.
Laërtius.
Dion Chrysosthomus.
Dionysius Areopagita.
Alexandrinus.
Carthusianus.
Corinthus.
Halicarnasseus.
Parigieta.
Richelius.
Dioscorides.
Directorium Inquisitorum.
Doctores Duaceni & Lovanienses.
Dodonæus.
Dominicus Gravina.
à Soto.
Donatistæ.
Donatus.
Donteklockius.
Dornavius.
Dorneus.
Dorscheus.
Downamus.
Drelincourt.
Drexelius.
Driedo.
Drusius.
Duarenus.
Dubravius.
Dulciloquia.
Durandus.
Durantus.
Duretus.
Dureus.

E.

ECkhardus.
Eckius.
Editores Operum D. Thomæ.
Eduardus Bray.
Herbert.
Kelletus.
Edwinus Sandis.
Eilhardus Lubinus.
Elias Levita.
Elienſis Episcopus.
R. Eliezer.
Eligius.
Elmenhorstius.
Empedoclis.
Encelius.
Ephrem Syrus.
Epictetus.
Epiphanius.
Episcopius.
Episcopus Roffensis.
Epistolæ Obscurorum virorum.
ad Synodum Hollandicum.
Erasmus.
Pasradus.
Sarcerius.
Schmidus.
Smit.
Erastus.
Erpenius.
Erygena.
Espencæus.
Estius.
Eucherius.
Euclides.
Eugubinus
Eunapius.
Eusebius.
Eustachius à sancto Paulo.
Euthymius.
Eutychius.
Examen Accuratum.
Libelli Papistici.
Valerii Magni de Acatholicorum credēdi Regula.
Responsi Vorstiani.

F.

FAber.
Stapulensis.
Fabritius Hildanus.
Fagius.
Fallerus.
Fallopius.
Fama & Confessio fraternitatis Roseæ crucis.
Farinacius.
Fasciculus Temporum.
Fauchet.
Fayus.
Fazellus.
Felix de la Grace.
Ferdinandus Cordua.
Fernelius.
Fernandius de Cordua.
Ferrandus Diaconus.
Ferrariensis.
Ferrius.
Fereonus.
Ferus.
Festus Hommius.
Feuardentius.
Ficinus.
Fienus.
Filesacus.

Finc-

Finckius.
Fiſcherus.
Fitz.
Flaccius Illyricus.
Flavius Joſephus.
Cherubinus.
Fons Gratiæ.
Fonſeca.
Fontanus.
Forbeſius.
Fortalitiũ ſciẽtiæ.
Forſterus.
Foſcarinus.
Fotherbius.
Foxus.
Fracaſtorius.
Franciſcus Albertinus.
Cœlius.
Cotiolanus.
Fabritius.
Folinus.
Georgius Venetus.
Junius.
Maturantius.
Paduanus Veronenſis.
Patritius.
Quareſmius.
Le Roy.
Frantzius.
Freytagius.
Fredericus Szembeck.
Bonaventura Urbinas.
Friſchlinus.
Fromondus.
Fuchſius.
Fulgentius.
Fulgoſus.
Fullerus.

G.

GAbriel Biel.
Buratellus.
Kaltmark.
Sionita.
Gaffarellus.
Gaill.
Galatinus.
Galenus.
Galeotus Martius.
Galilæus de Galilæis.
Gallego de la Serna.
Garaſſe.
Garbius.
Garcæus.
Garcias.
Gaſpar Varrerius.
Gaſſendus.
Gavantus.
Gaudentius.
Gelaſius.
Gemma Gemmarum.
Genebrardus.
Gennadius.
Gentiletus.
Geographia Nubienſis.
Georgius Bruno.
Egliſemmius.
Fournier.
Major.
Moltherus.
Pacardus.
Valla.
Vivienus.
Gerſon.
Geſnerus.
Gevartius.
Gigas.
Glareanus.
Glaſſus.
Gloſſæ Ordinariæ.
Giffordus.
Gilbertus.
Gaulmin.
Goclenius.
Godelmãnus.
Goldaſtus.
Gomarus.
Gonſalus Ponce de Leon.
Gorlæus.
Goropius.
Gorrutius.
Goſlarius.
Gothofredus.
Gothutius.
Goulartius.
Gratianus Proſper.
Grauwerus.
Graumontius.
Gregorius de Armino.
Cyprius.
Magnus.
Naziãzenus
Neo-Cæſarienſis.
Nyſſenus.
Papa.
Thaumaturgus.
Tholoſanus
Turonẽſis.
de Valentia.
Gretſerus.
Grevinckhovius.
Grevinus.
Grillandus.
Grotius.
Gruterus.
Grynæus.
Gryphiander.
Guadagnolus.
Gualtherus.
Epiſcop. Pictavienſis.
ab Hogelãde.
de Roy.
Gutberlethus.
Guevara.
Guicciardinus.
Guilandinus.
Guilbertus Porretanus.
Gulielmus Abbas S. Theodorici.
de Aſſonville.
Gibieuf.
Gratarolus.
Hamerus.
Pariſienſis.
Pepin.
Roſſeus.
Urſinus.
Guitmundus.
Guizeppe Pazzi.
Guliermus.
Gunterus.
Gutherius.
Gyllius.
Gyraldus.

H.

HAcwillus.
Hardingus.
Harmonia Cõfeſſionum.
Haventuterus.
Haymo.
Hayro.
Hayus.
Hector Boëthius.
Heda.
Heidanus.
Heinſius.
Heizo Buſcherus.
Helvicus.
Hemmingius.
Henningius.
Henricus Antonides:
Bra.
Fits.
de Gandavo.
Gorichem.
Henriquez.
ab Heers.
Kunrath.
Philippus.
Salcobrig.
Stephanus.
Heraldus.
Hermannus Bodius.
Ravẽſperger.
Hermogenes.
Hermolaus Barbarus.
Hero.
Herodotus.
Hervetus.
Hervæus.
Heshuſius.
Heſiodus.
Heſychius.
Heurnius.
Hieronymus.
Medices.
Mengus.
ab Oleaſtro.
Rucelus.
Torrenſis.
Vielmus.
Hierotheus.
Hilarius.

Hilduinus Frãcus.
Himmelius.
Hippocrates.
Hippolytus.
Hiſtoria Davidis
Georgii.
Memorabilis
Antigoni.
Mexicana.
Concilii Tridentini.
Hœſchelius.
Holcotus.
Homerus.
Honcala.
Honorius Reggius.
Honſdorfius.
Hoockerus.
Horatius.
Hornejus.
Horſtius.
Hoſius.
Hoſpinianus.
Hotmannus.
Hubertus Sturmius.
Hugo de S. Victore.
Huguottus.
Hunnius.
Hurtadus Mendoza.
Hutterus.
Hypperius.

I.

JAcobus Andræas.
Ben-Chaim.
Böhmen.
Carpentarius.
Epiſcopus Chriſtopolitanus.
Faber Stapulenſis.
Hautinus.
Laurentius.
Lectius J.C.
Martinius.
Merlinus.
ad Portum.
Rex Britanniæ.
de Valentia.
Zegers.
Jamblichius.
Jandunus.
Janſenius.
Janus Cornarius.
Javellus.
Jeremias Ferrier.
Patriarcha Conſtantinopolis.
Stephani.
Jeſuitarum Imago primi Sæculi.
Jethia.
Ignatius.
Index Expurgatorius.
Joachimus Abbas.
Perionus.
Tinchius.
Johannes Andreas Maurus.
Arnoux.
de Baccone.
Baptiſta.
de Barros.
Benedictus.
Bulgarus.
de la Caſa.
Dariel.
Epiſcopus Cantuarienſis.
Fragoſus.
Fredericus Wolfeshuſius.
Heiſtius.
Hemelarius.
Heſronita.
Hieroſoymitanus.
Hoornbeeck.
de Huarte.
Jacobus Paveſius.
Jebſenius.
de Indagine.
Ingegnerus.
Irenæus.
Iſaac.
Juſtus.
de Laet.
Langus.
Laurentii Ananiæ.
Libaut.
Lucidus.
Ludovicus de la Cerda.
Maria.
Major.
Manelfus.
Maſculus.
Pappus.
Parvus.
Rupeciſſa.
Salisburienſis.
Sarracenus.
Scortia.
Syneopolitanus.
Terentius.
Theſſalonicẽſis à S. Thoma.
Vivaldus.
Jonſtonus.
Jordanus Brunus.
Jornandus.
Joſephus Angles.
Cenedus.
à Coſta.
Hallus.
Jovianus Põtanus.
Irenæus.
Irnerius.
Iſaacus Pontanus.
Iſidorus Clarus.
Hiſpalenſis.
Iſengrinius.
Itinerarium M.S. Berchii.
Juellus.
Julianus Medicus.
Julius Cæſar la Galla.
Cæſar Recupitus.
Clarus.
Firmicus.
Gabrielius.
Obſequens.
Palmarius.
Junctinus.
Junilius.
Junius (Johannes) [Iſaacus.]
Jus Canonicum.
Civile.
Græco-Romanum Leunclavii.
Juſtellus.
Juſtinus.
Martyr.
Juvenalis.

K.

KAramuel Lobkowitz.
Keckermannus.
Kelletus.
de Kempis.
Keplerus.
Keſlerus.
Kimedoncius.
Kingus.
Kircherus.
Kleyne Hollandtſche Cronijck.

Kornmannus.
L.
LActantius.
Ladensiũ αὐτοκατάκρισις.
Lælius Bisciola.
Lætus.
Lancelotus.
Lanfrancus.
Langius.
Lansbergius.
Lambertus Hortensius.
Lambinus.
Lavaterus.
Laurentius.
Fabritius.
Ludovicus.
Valla.
Lauterbach.
Lazius.
Ledesma.
Leloyerus.
Legenda Macari.
Lenseus.
Leo Hebræus.
Papa.
Venestus.
Leonardus Garzonius.
Vairus.
Leslæus.
Lessius.
Levi Ben-Gerson.
Levinus Lemnius.
Leunclavius.
Libavius.
Libellus Supplex.
Liber Concordiæ.
Libertatus.
Licetus.
Lindanus.
Lipman.
Lipomanus.
Lipsius.
Literæ Jesuiticæ.
Lobelius.
Locrus.
Lombardus.
Longolius.
Lonicerus.
Lorinus.
Lotharius.
Lucanus.
Gauricius.
Lucas Lossius.
Waddingus.
Lucianus.
Lucretius.
Ludolphus Carthusianus.
de Saxonia.
Ludovicus Lucius.
d'Orleans.
de Ponte.
de Tena.
Vartomanus.
Vives.
Luisius Turrianus.
Lullius.
Lutherus.
Lutsenburgius.
Lychetus.
Lycosthenis.
Lyranus.
M.
MAccovius.
Macchiavellus.
Macrobius.
Maginus.
Magius.
Magyrus.
Mahumed.
Majolus.
Malderus.
Maldonatus.
Mallum Maleficarum.
Mammotrectus.
Manasse Ben Israel.
Manelphius.
Manilius.
Mantuanus.
Manutius.
Mapheus.
Marbodeus Gallus.
Marcellus Donatus.
Marconville.
Marcus Antonius de Dominis.
Marinus.
van Varnewijck.
Maresius.
Marianus.
Marius.
Marlianus.
Marloratus.
Marnixius.
Martialis.
Martianus Capella.
Martinengus.
Martinus de Arlas.
Papa.
de Ripalda.
Roa.
Marsilius Ficinus.
Martyr.
Masius.
Masorethus.
Masellius.
Mathematische vermakelijckheden.
Matthias Martinius.
Michou.
Stephanus.
Matthæus Galenus.
Mathiolus.
Maximilianus ab Eynatten.
Maximus.
Olcibius.
Taurinensis.
Tyrius.
Maymonides.
Mayronis.
Medina.
Mejerus.
Meisnerus.
Melanthon.
Meletius Patriarcha.
Mendoza.
Mengus.
Menochius.
Mentzerus.
Mercator.
Mercerus.
Mercurialus.
Mercurius Gallicus.
Gallo-Belgicus.
Mericus Casaubonus.
Merlinus.
Mersennus.
Merula.
Messala.
Mestresatus.
Methodius.
Meurerius.
Meurisse.
Meursius.
Meyerus.
Michael Eytsingerus.
Montanus.
Syngellus.
Ministri Collatores

res in Disputatione Tiranensi.
Hanovienses.
Leovardienses.
Michael Montanus.
Minutius Felix.
Mizaldus.
Mogoronicæ Relationes.
Molanus.
Molina.
Molinæus.
Monstroletus.
Montecatinus.
Morlinus.
Moscorovius.
Mosis Bar-Cepha.
Gerundensis.
Moufetus.
Mountacutius.
Muis.
Mullerius.
Munsterus.
à Vortlage.
Muretus.
Musculus.
Mysterium Iniquitatis.

N.

NAclantus.
Nannius.
Natalis Comes.
Navarrus.
Nicander.
Nicephorus.
Blemmidas.
Nicetas Choniates.
Nicolaus Aimericus.
de Clemangis.
Denise.
Jaquerii.
Oelschlegerius.
Papa.
Taillepied.
Taurellus.
Remigius.
Rigaltius.
Nierembergius.
Nigronus.
Niphus.
Nizachon.
Nollius.
Nonnus.
Nullitates Synodi Dordracenæ.
Nymannus.

O.

OCcamus.
Ocellus.
Ockam.
Oecolampadius.
Oecumenius.
Officium B. Mariæ.
Olaus Magnus.
Oleaster.
Olevianus.
Olympiodorus.
Olympius.
Omar.
Onuphrius.
Oppianus.
Optatus Milevitanus.
Origanus.
Origenes.
Orosius.
Orpheus.
Ortelius.
Osiander.
Ostorodus.
Otho Frisingensis.
Ovidius.
Oviedo.
Owenus.

P.

PAchymetius.
Pacius.
Pagetus.
Pagninus.
Palladius.
Paludanus.
Pamelius.
Pancirollus.
Panormitanus.
Pantenus.
Pantheus.
Paracelsus.
Paraphrastes Chaldæus.
Pareus.
Parkerus.
Parckes.
Paschalius.
Paschasius.
Patricius.
Paulinus.
Paulus de Barry.
Diaconus.
Frisius.
Jovius.
Riccius.
Venetus.
Pausanias.
Paxillus.
Pelargus.
Pelbartus Themesvar.
Peltius.
Penotus.
Peramatus.
Pererius.
Perkinsus.
Perpinianus.
Perronus.
Persius.
Petavius.
Petrus Abælardus.
Amsterdamus.
Austro-Sylvius.
Bongus.
Canisius.
de la Cavalleria.
Costeus.
Crinitus.
Hailloixius.
Hernandes de Ovalle.
Hispanus.
à S. Joseph.
Martinius.
Matthæus.
Messia.
Parisius.
Paulus Vergerius.
Severinus.
Victorius.
Peucerus.
Pezelius.
Pfochenius.
Philastrius.
Philippus Aquinas.
Bergomas.
Lonicerus.
Nicolai.
Presbyter.
Philo Judæus.
Philostorgius.
Philostratus.
Phyles.
Phlegon.
Photius.
Piccartus.
Piccolomineus.
Picus Mirandula.
Pierius Valerianus.
Pimpontius.
Pindarus.
Pineda.
Piscator.
Pistorius.
Pius II.
Placentinus.
Plato.
Plautus.
Plempius.

Plessæus.
Plinius.
Plotinus.
Plutarchus.
Podocatarus.
Poësis Philosophica.
Poggius Florentinus.
Polanus.
Politianus.
Polletus.
Pollot.
Polyander.
Polybius.
Polydorus Virgilius
Pollux.
Pomponatius.
Pomponius Mela.
Ponzinibius.
Pontus Heuterus.
Pontanus (Isaacus.)
Popma.
Porcius.
Porphyrius.
Possevinus.
Postellus.
Pouelus.
Pratensis.
Prateolus.
Prestonus.
Primasius.
Proclus.
Procopius.
Professores Leidenses.
Promachus.
Prosperus. Alpinus.
Prothocollū Embdanum.
Prudentius.
Psellus.
Ptolomeus.
Puccius.
Purbachius.
Putherbeus
Pythagoras.

Q.

Quaranta.

R.

Rabanus Maurus.
Raderus.
Ramus.
Rangolius.
Ranzovius.
Raphael de la Torre.
Ratdichs Brotoffers Laxene.
Raudensis.
Raymundus de Sabunde.
Raynoldus.
Rechten Remonsträtschen Theologant.
Recueil des diverses Pieces pour servir à l'histoire.
Reginaldus. Scot.
Regiomontanus.
Reginonus.
Regourdus.
Reigersbergius.
Reinking.
Renatus des Cartes. Laurentius.
Renodeus.
Responsio ad Professores Leidēses.
Revius.
Rhada.
Rhutorfortis.
Rhætus.
Rhapsodiæ Juris Canonici.
Rhodiginus.
Rhodius.
Rothmannus.
Ribadineira.
Ribera.
Richardus de Media Villa.
Richeomus.
Rispolis.
Risnerus.
Rittangelius.
Rittershusius.
Rivetus.
Rivius.
Robertus Bolton. Brooke. Comtæus. Hull Stephanus.
Rodericus Samorensis.
Rogerus Bacon.
Rollocus.
Rondeletius.
Ronsard.
Rosinus.
Rossetus.
Rosweidus.
Rothmannus.
Rüeus.
Royas.
Ruffinus.
Rulandus.
Rupertus. Linconiensis. Tuitensis.
Rusca.
Ruvius.
Ruysbrochus.

S.

Sabellicus. Sacroboscо;
Sadeel.
Sagittarius.
Sala.
Salazar.
Salianus.
Saligniacus.
Sallustius.
Salmasius.
Salmero.
Salmuthus.
Salvianus.
Salzedo.
Sammarthanus.
Samuel Minorita. Petitus. Wardus.
Sanchez.
Sanctius.
Sanderus.
Savanarola.
Savilius.
Saxo Grāmaticus.
Scaliger.
Scharpius.
Scheiblerus.
Scheckius.
Schenckius.
Schindlerus.
Schlusselburgius.
Schola Salernitana.
Scholastici.
Schoock.
Schramus.
Schriverius.
Scotus.
Scribanius.
Scribonius.
Scripta Sorbonistarum.
Schroderus.

INDEX

Schuſelburgius.
Scultetus.
Sebaſtianus Francus.
Medices.
Sebizius.
Seidelius.
Seldenus.
Selomon Jarchi.
Seneca.
Sennertus.
Sententia definitiva in favorem Lullianæ Doctrinæ.
Seraphinus Capponi.
Serranus.
Serratius.
Serres.
Severinus Pinæus.
Severius Epiſcop. Minoricenſis.
Sextus Empyricus.
Aurelius Victor.
Sibyllina Oracula.
Sidonuis Apollinarius.
Sigebertus.
Simlerus.
Simon Gaulartius. Jeſuita.
Simonis Religio.
Simplicius.
Portius.
Sirmondus.
Sirenius.
Sixtus Senenſis.
Sladus.
Sleidanus.
Slekerus.
Slichtingius.
Smalcius.
Smiglecius.
Smiſing.
Smithus.
Smoutius.
Snoyus.
Socinus.
Socrates.
Sohnius.
Solier.
Solinus.
Soncinas.
Sopingius.
Soto.
Sozemenus.
Spachius.
Spangenberger.
Spanhemius.
Speculum Tragicum.
Conſtantiæ.
Sperlingius.
Spondanus.
Spongia Eraſmi.
Sprecherus.
Sprengerus.
Staphylus.
Stapletonus.
Statera c. Erycium.
Puteanum.
Statius Papinius.
Stechmannus.
Srella.
Stephanus Bauny.
Clotz.
Moquot.
Theupolus
Stobeus.
Strabo.
Strabus.
Strigelius.
Stuartus.
Stuckius.
Stumfius.
Suetonius.
Suidas.
Sulpitius Severus.
Sumel.
Surius.
Sybrandus Lubbertus.
Sylburgius.
Sylvius.
Symbolum Athanaſii.
Conſtantinopolitanum.
Nicenum.
Symmachus.
Syneſius.
Synodus Dordracena.
Ephiſina.
Synopſi Theologiæ Profeſſor. Leidenſ.

T.

TAffinus.
Talantonus,
Tandlerus.
Tannerus.
Targum Hieroſolymitanum.
Talmudicum.
Tarnovius.
Tartaretus.
Tatianus.
Taubmannus.
Taurellus.
Teellingius.
Terentius.
Tertullianus
Teleſius.
Themeſvar.
Theatrum Chymicum.
Theocritus.
Theodoretus.
Theodorus Petrejus.
Theodoricus Philippi.
Theodotius.
Theologi Helvetii.
Heydelbergēſes.
Theophilus.
Folengius.
Theophraſtus.
Theophylactus.
Theſaurus Fidei.
Thyræus.
Thomas Aquinas.
Catena.
Ganinius.
Gerſoni.
Jameſius.
à Jeſus.
Lydiat.
Minadeus.
Nageorgius.
Rhædus.
Thomaſo Procacchi.
Thomſonus.
Thuanus.
Thucydides.
Tigurinus.
Tilenus.
Timæus.
Timotheus Brightius.
Timplerus.
Titelmannus.
Toletus.
Topſel.
Torniellus.
Torrentius.
Toſſanus.
Toſtatus.
Trallianus.
Trelcatius.
Tremellius.
Triglandius.
Triſſinus.
Trithemius.
Tuldenus.
Turnebius.

Tulre-

AUTHORUM.

Turretinus.
Twisk.
Twissus.
Tycho Brahe.

V.

VAdianus.
Valentinianus.
Valentinus Gentilis.
Valerius Maximus.
Martinius.
Valesius.
Vallo.
Vaninus.
Varro.
Phavorinus.
Vasquez.
Vatablus.
Ubbo Emmius.
Vedelius.
Vega.
Velcurio.
Venantius.
Venator.
Vercellensis.
de Verdier.
Verron Exploitât.
Versio Anglica.
Gallica.
Italica.
Vicomertatus.
Victor.
Victorellus.
Victoria.
Viegas.
Vielmius.
Vignierus.
Viguerius.
Villavincentius.
Vincentius Alzarus.
Bellovacensis.
Cartarus.
Sifridus.
Vindiciæ Gallicæ. seu Vedelius Rhapsodus.
Viretus.
Virgilius.
Vitello.
Vitruvius.
Ulenburgius.
Ulricus Molitoris.
Ulpianus.
Ulysses Aldrovandus.
Voetius.
Voidovius.
Volkelius.
Vorstius.
Vossius.
Ursinus.
Usserius.
Ufuardus.
Vulcanus.
Uytenbogardus.

W.

WAldenses.
Waleus.
Wathonus.
Weckerus.
Weemsus.
Weitsius.
Weinrichius.
Wendelinus.
Werembergius.
Wesselus Groningensis.
Westhamerus.
Wichmans.
Widebergius.
Wiekus.
Wierus.
Wigandus.
Wilhelmus Choul.
Lado.
Lomers.
Willetus.
Winterus.
Wintonien sis Episcopus.
Withakerus.
Withgistus.
Wittefeatley.
Wolfgangus.
Wollebius.
Wolphius.
Wympfelingus.

X.

XEnophon.
Xiphilinus.
Xistus Betulejus.

Z.

ZAbarella.
Zacchias.
Zaccharias Boërius.
Zahel.
Zanchius.
Zanctius.
Zarnovecius.
Zegedinus.
Zemach David.
Zepperus.
Zimara.
Zinckgrefen.
Zonaras.
Zoroastrus.
Zuarez.
Zuingerus.
Zuna Mahumedica.
Zutlivius.
Zwinglius.
Zydlovius.

FINIS.

ERRA-

Errata Typographica

in Præfatione.

*** 3. 6. *ſatus* l. *ſatis.*
diſciſſæ l. *diſcuſſæ.*

Pag. *lin.*

1. 9. *Pyrrhioniis* l. *Pyrrhoniis.*
53. 3. *ſententiæ* adde *noſtræ.*
84.16. *partibus* l. *patribus.*
20. *expenda* l. *expendant.*
89.32. *Witte Featly* l. *Fr. White, Daniel Featly.*
119.22. *Fileſari* l. *Fileſaci.*
173.23. *Martianus* l. *Martinus.*
ibid. poſt. *Atheomaſtige*, dele *comma.*
ibid. ult. poſt. *Empiricus* adde *adverſus Mathematicos* p. 317. 319.
ibid. & lin. 1. pag. 174. poſt *diſſert.* 1. dele. *Alios complures vide citatos apud Pleßæum cap. 2. & 12. adverſus Mathematicos* pag. 317. 319.
174.3. poſt *Rom.* 1. 19. l. *Alios complures &c.* ut ſupra.
175.31. *ſapientium* l. *ſapientum.*
178.30. poſt & dele *ſic.*
34. *Pyrrhionii* l. *Pyrrhonii.*
179. poſt *aut* dele &.
184.29. *Pontificios in* l. *in Pontificios.*
339.30. *act.* l. *art.*
446. 5. *Damnaſcenus* l. *Damaſcenus.*
494. ult. 1635. l. 1645.
495.1. *Oblita.* l. *Oblata.*
26. *Apolog.* l. *Theologant.*
547.31. *parte* l. *patre.*
550.32. *ſed* l. *ſeu.*
628.23. *part.* 6. *Theſ.* 3. l. *part.* 5. *theſ.* 2.
638.31. *apud aut* l. *aut apud* poſt l. 1. adde *Syſt. Geograph.*
655.29. *Majolus lib.* 1. dele *lib.* 1.
649.2. *debe* l. *debent.*
682.15. *Sennertum* l. *Sennertus.*
683.24. *Rupertes* l. *Rupertus.*
728.29. *part.* 4. l. *part.* 3. *Theſi* 4.
753. 1. *aut fabulis* l. *ſeu lamiis.*
792.28. *hinc* l. *hunc.*
807.17. *vidui* l. *viduitate.*
905. 31. 32. Ηαγγέλως ϱοως l. ἀγγέλως Κϱώως.
1105.28. poſt *actione* adde &
1113.25. *finitum* l. *defectum.*
26. *occaſione* l. *occaſionem.*
1151. 1. 24. l. 14.

In Titulo Indicis locorum S. Scripturæ poſt *vindicatur* adde *ab.*

Zentralbibliothek Zürich
ZM02353846